
LUX E TENEBRIS.

TENEBRIS, humanarum abominationum, Divinarumq; plagarum:

LUX *Divinarum Consolationum, gloriosæq; reflorescentis Ecclesiæ.*






Quomodo facta est meretrix Civitas fidelis ? homicidæ habitant in ea. Ies. 1. 21.

...consolabor me super hostibus meis, ultionem sumam de inimicis meis. v. 24.

Restituam Iudices tuos ut prius: & vocaberis Civitas justi, Urbs fidelis. v. 26. 27.



Ostendit mihi Civitatem sanctam Ierusalem, descendentem de Coelo, habentem claritatem Dei &c. Apoc. 21. v. 10–11

LUX E TENEBRIS,

novis radiis aucta.

Hoc est:

Solemnissimæ Divinæ

REVELATIONES,

in usum seculi nostri factæ.

Quibus

I. *De Populi Christiani extrema corruptione lamentabiles querelæ instituuntur.*

II. *Impœnitentibúsque terribiles Dei plagæ denunciantur.*

III. *Et quomodo tandem Deus* (deletâ Pseudo-Christianorum, Judæorum, Turcarum, Paganorum, & omnium sub Cœlo Gentium Babylone) *novam, verè Catholicam, donorū Dei luce plenè coruscantē Ecclesiam constituet; et quis jam status ejus futurus sit ad finem usq; seculi, explicatur.*

Per immissas Visiones, & Angelica Divináque alloquia, facta

I. CHRISTOPHORO KOTTERO Silesio,
ab Anno 1616, *ad* 1624.

II. CHRISTINÆ PONIATOVIÆ Bohemæ,
Annis 1627, 1628, 1629,

III. NICOLAO DRABICIO Moravo,
ab Anno 1638, *ad* 1664.

Cum privilegio Regis Regum, & sub favore omnium Regum Terræ, vulgandi hæc ubilibet gentium, donec passim reddantur nota omnibus sub Cœlo populis & linguis.

M DC LXV.

Ies. 45. v. 7.

Ego sum I E H O V A & non est alius præter me, formans L U C E M, & creans T E N E B R A S: faciens Pacem, & creans malum: ego D O M I N U S faciens omnia hæc.

Matth. 10. 27.

Qvod Vobis dixi in T E N E B R I S, narrate in L U C E: & qvod in aurem audivistis, prædicate super tecta.

Ies. 28. v. 21, 22, 29.

Exsurget Dominus & irascetur: ut faciat opus suum, alienum opus suum: ut operetur opus suum, peregrinum opus suum. Nolite igitur illudere, ut ne magis constringantur Vincula Vestra. Consummationem enim abbreviatam audivi super universam Terram. Et hoc exivit à Domino exercituum, qvi mirificus est consilio, magnificus seipso.

Ies. 60. v. 1. &c.

Surge, illuminare Ierusalem! qvia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. 2 Nam ecce
Tenebræ operiunt Terram, & caligo Populos! super Te autem orietur IE H O V A, & gloria ejus su-
per Te videbitur. 3 Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore exortum tibi. 10 Et
ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi. In indignatione enim
mea percussi te, & in reconciliatione mea miserebor tui, &c. 20 Non occidet ultrà Sol tuus, & Lu-
na tua non minuetur: qvia Dominus tibi erit in Lucem sempiternam, & complebuntur dies luctûs

Christiane Lector,

TRiunus iste Liber, qvem in manum sumis, propheticus est: ubi prophetiæ non humana voluntate allatæ exhibentur, sed qvæ Spiritu acti homines loqvuti sunt, & scripserunt, (2 Pet. 1. 21.) Si Spiritu Dei sancto acti, posset illud Jesaiæ præfigi, *Audite Cæli, & auribus percipe Terra, qvoniam Dominus loqvitur!* (cap. 1. 2.) Sed qvia Mundus hodie non credit Deum adhuc loqvi, aut nuntios ad homines mittere, Angelos vel homines (sicuti nec olim sanè credebant præter paucissimos, in ipsa etiam Ecclesia. Ideò *subsannabant Nuntios Dei, & parvipendebant sermones eorum, illudentes Prophetis donec ascenderet furor Domini in populum suum, ut nulla esset curatio,* 2 Chron. 36. 16) necessarium videtur præfari aliqvid ad Populo Christiano præcavendum, ne similiter peccent, donec illis etiam nulla sit curatio. Ut enim idem nunc Deus est qvi à seculis fuit, & eadem illi de Humano genere à periculis præmonendo cura; ita eadem Deo suo dorsum obvertendi, in medio operum ejus cæcutiendi, ad omnes ejus clamores obsurdescendi, & ad omnes plagas obbrutescendi, eôqve in ipsissima salutis via pereundi, præfracta infelicium hominum consvetudo.

2 Unde illa Mosis ad populum suum terribilis vox; *Vos vidistis universa qvæ Dominus fecit coram Vobis in terra Ægypti, tentationes magnas, signa & prodigia ingentia: & tamen non dedit Vobis Dominus cor ad intelligendum, neqve oculos ad videndum, & aures ad audiendum, hunc usqve in diem* (Deut. 29. 2, 3, 4.) Terribile inqvam, populum Dei videre Opera Dei sui, & audire sermones Dei sui, & tamen videndo non videre, & audiendo non audire: h. e. *esse viva Idola, qvæ oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt*, Psal. 115. 8. & 135. 18.

3 Et hoc est qvod semper hominum prudentiores reddebat timidos ad Prophetarum partes tutandum: ipsos verò ad munus propheticum vocatos, ad promptè obseqvendum. Tergiversabantur enim, aut etiam fugitabant: Ut Moses, Jeremias, Amos, Jonas &c. *Leone tamen rugiente pavere, & Domino mandante prophetare, coacti* (Am. 3. 8.) Ezechieli dictum fuit: *Sive audiant sive omittant, loqvere* (2. 5.) Jeremias autem, Verbum Domini opprobrio sibi esse videns, dixit: *Non commemorabo illud, non loqvar nomine Dei. Sed factum est in corde meo ut ignis exæstuans, clausus ossibus meis, defetiscor eum sustinendo, non possum ampliùs*, (cap. 20. 9.) Loqvutus itaqve fuit qvæ jussus: primùm ipsi multitudini, Cap. 1, 2, 3, 4. Tum

parum

parum se proficere videns, dixit: *Pauperes isti & stulti sunt, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui. Ibo ad Optimates, & loqvar eis: illi enim cognoverunt viam Domini, judicia Dei sui*, Cap 5. 45. Sed passus à Sacerdotibus qvoqve contradictiones, plagas, carceres (cap. 18. v. 18. & 20. p. t. & 26. 7, &c.) *convertit se ad Principes* (ibid. v. 12, 16. & cap. 36. 12.) *ipsumqve Sedeciam Regem* (cap. 37. & 38.). Tandem nusqvam sibi fidem haberi videns qvòd qvicqvid loqveretur ab ore Dei prodiret, *provocabat ad supremum illum Veritatis testem*, his (cap. 17. v. 16.) verbis: *Tu scis Domine, qvicqvid egressum est de labiis meis rectum esse in conspectu tuo. Non sis tu mihi formidini, spes mea in die afflictionis &c. Tibi Domine Zebaoth revelavi causam meam* (11. 20.) Factúmqve fuit ut Dominus testimonium daret, impletis omnibus qvæ nomine suo annuntiaverat servus suus: ageretqve causam suam ipse, puniendo incredulos istos & obstinatos, ut perirent; servum autem suum cum aliis se timentibus conservando, licet ad exilium, & captivitatem, donec tempus miserandi, cultorésqve suos reducendi, veniret.

4 Cùm ergò nunc Mundus non dissimilis sui sit, Deo rebellis, contumax, incredulus (seu impænitentibus minetur iram, seu pænitentibus promittat gratiam): Deus itidem morem suum (in hominum filios attendendi, exorbitantes admonendi, gratiam aut pœnas offerendi, incredulos & obduratos puniendi, credentes autem & vitam emandantes conservandi) servet: *servemus & nos morem Sanctorum, verba & opera Dei neglectim non habendo, nec ea alii ab aliis celando, sive qvis attendat & se ad Deum recipiat, sive non: modò qvicqvid prodit ab ore & calamo nostro, rectum sit* (sine omni fraude ac dolo) *in conspectu Dei.* Et fiet ut ille non formidini nobis sit, spes nostra in afflictione, Dominus ille Zebaoth cui commisimus causam nostram, imò causam suam.

5 Si tamen obtineri potest ut publicatio hæc Divinorum & Angelicorum sermonum, ad qvosdam istos nostros ævo nostro factorum, opprobrio nobis ne sit, neqve populo Christiano in Deum & animas suas peccandi relinqvatur occasio, *imitabimur Jeremiam provocando ad Deum & homines: sed ordine inverso. Invocando nimirum antè omnia Deum*, utpote causæ hujus supremum testem, Judicem, Vindicem: *Tum eos qvi Dei loco in Terris sunt*, omnis Judicii Præsides summos, *Reges*: sub horum & Dei scuto *ad Ecclesiæ Præsides causam hanc humiliter acturi*: demumqvè non nihil de iis, qvæ *Lecturis Librum hunc* informationi serviant, præfaturi.

JESU

JESU CHRISTO

Filio Dei vivi, æternæ Patris Sapientiæ, & Verbo per qvod facta sunt omnia: missóqve in Mundum ut Veritati daret testimonium, tanqvam ipsa æterna Veritas & omnia manifestans Lux & Vita,

SACRUM.

ADorande Domine, Tuane sunt verba qvæ tanqvam Tua in Evangelio legimus, Ego LUX veni in Mundum, ut omnis qvi credit in me non maneat in tenebris? *Joh.* 12. 46.) *Si Tua sunt, ecce nos toto corde in Te credentes! Respice nos, & nos in tenebris manere ne permitte! Etiam ratione Libri hujus, in qvo Lux tenebris, & Tenebræ luci, colluctantur. Ubi filii lucis lucem qvidem vident, & gaudent; sed & vident Luci obluctantes tenebras, & horrent. Atqvi Apostolus tuus dixit*, Lux est illud qvod manifesta facit omnia (*Eph.* 5. 13): *Tu ergò si* Lux Mundi *es* (*credidimus autem veraci Tuo verbo, Joh.* 8. 12.) *hanc etiam in oculis Mundi obscuram qvæstionem*, Luxne Veritatis an mendacii Tenebræ hîc insint, *tandem redde manifestam!* Ut si à Te, qvi Lux & Veritas es, hæ luces & veritates veniunt, Omnes qvi lucem & veritatem amant in lumine Tuo videant lumen (*Psal.* 36. 10.) *Amen! Ita futurum speramus, Amen! Cognovimus enim ex Evangelio Tuo Te ad Pilatum dixisse:* Ego ad hoc natus sum, & ad hoc in Mundum veni, ut testimonium perhibeam Veritati. (*Joh.* 18. 37.) *O ergò etiam in Cælum è Mundo reverse Veritati testimonium perhibe, hac etiam in re,*

obsecramus! ut Oves Tuæ vocem Tuam, Pastoris æterni, agnoscant, alienam ne seqvantur (*Joh.* 10. 4.)

Et qvia permisso mendaciorum patri satanæ, ut mendaciis suis mox à Paradisi temporibus impleret Mundum (*etiam à Tuo hinc discessu, sub Evangelio, errorum operationem inducendo, ut qvi Veritati non crediderunt, mendaciis credant*, 2 *Thess.* 2. 11): *de postremis tamen Mundi temporibus promissionem exstare voluisti*, fore ut disperdas Idolorum nomina, Pseudoprophetásqve, & omnem spiritum immundum auferas de Terra (*Zach.* 13. 2.) *Ecce Domine ultima adsunt tempora! adimple igitur antiqva illa de his temporibus promissa Tua! & si qvid usqvam Idolorum superest*, hîc etiam, *disperde! si qvid Pseudoprophetiæ*, hîc etiam, *abole! si qvid ab ullo immundo spiritu veniens*, hîc etiam, *aufer!* Ut hæc sit promissa illa dies, qvâ populus Tuus agnoscat nomen Tuum, Te esse qvi loqvebaris (*olim*) & adhuc adesse TE! (*Jes.* 52. 6.) *Regesqve Terræ agnitò TE Rege Regum ponant coràm TE Coronas suas: & fiat unum DEI REGNUM, cujus illi omnes MINISTRI sint* (*Sap.* 6. 5.) *Unumqve OVILE, cujus Tu Animarum Episcope unus sis PASTOR* (*Joh.* 10. 16. 1 *Pet.* 2. 25.) *Salvator totius corporis Tui* (*Eph.* 5. 23.)

Domine Dominator, si Voces hic sonantes voces Tuæ, per servos Tuos Tuo jussu nuntiatæ, sunt: ostende id contradicentibus efficaci aliqvo medio, sicut olim igne de Cælo ostenderas TE esse DEUM, Eliam verò servum Tuum (1 *Reg.* 18.) *Ut plagas, qvas impœnitenti Mundo hic denuntiant servi Tui, & misericordiam atqve gratiam, qvam gloriosâ rerum Reformatione promittunt Ecclesiæ Tuæ, non humanum fore Opus, sed Tuum Divinum, videat Mundus universus, procidensqve* (*ut Israel olim totus*) *exclamet*, Dominus ipse est Deus! Dominus ipse est Deus! (1 *Reg.* 18. 39.) *Exaudi nos jam nunc ad Te clamantes Rex gloriæ, propter Tuam ipsius gloriam! & qvid his*

foliis

foliis insit (Tuane luminosa veritas, an tenebricosæ hostis Tui fraudes) tàm evidenter Omnibus sub sole, ut Sol clarus omnia visibilia solet ostende, ó Tu SOL noster! Amen, Amen, Amen.

Nos Tuam hanc, ó Lux Mundi, contra tenebrarum Principem causam, publicæ hominum luci exponendo, à tenebris ad lucem; à præjudiciis stultorum (*Prov.* 18. 13.) ad judicia sapientum; à profanorum temeritate ad piorum pavores (*Prov.* 28. 14. 26.) à malè informatis ad meliùs informandos; ab omni deniqve humano Tribunali, ad Tribunal Tuum (1 *Cor.* 4. 5.) provocamus.

Loqvar tamen iis etiam, & recognitionem causæ humiliter solicitabo apud eos, qvi loco Tuo rebus Mundi præsident, Politico & Ecclesiastico in regimine. Tu Rex Regum, in cujus manu corda Regum sunt ut rivi aqvarum, ad inclinandum ea qvôcunqve volueris (*Prov.* 21. 1.) da omnibus de hisce judicaturis cor Salomonicum docile, ad rectè de rebus judicandum, interqve bona & mala discernendum (1 *Reg.* 3. 9.)

Vos autem Omnes, seqventium Lectores, mementote moniti Christi,

QVI LEGIT INTELLIGAT!

(Matt. 24. 15.)

Cui ego Paulinum addo Votum (ex 2 Tim. 2. 7.)

DOMINUS DET VOBIS INTELLECTUM IN OMNIBUS!

AMEN.

CHRI-

CHRISTIANI ORBIS
REGIBUS,

Omnibusqve in Potestate constitutis,

Apertos in Judicia Dei oculos, obversas ori Dei aures, & cor secundùm cor Dei, ad faciendum omnem ejus Voluntatem.

COronata Orbis Capita, omnes in summo potentiæ fastigio per Gentes constituti *VICE-DII, ad Vos etiam sunt hi sermones, ut discatis sapientiam, & non excidatis*: ita Vos alloqvente & monente ipso Regum sapientissimo, Salomone (Sapient. 6. 10.)

2. Excidere enim mortales de summo etiam fastigio posse, tametsi qvemqve illorum sua mortalitas, mortalitatémqve concomitantes casus, satis doceant: splendor tamen fastigii, & imaginatio statûs firmi, excæcare ipsos etiam cæteris mortalium meliores solent; qvemadmodum de se Regum pientissimus David fassus est (Psal. 30. 7, 8.) expertus autem Regum sapientissimus Salomo tota cum posteritate sua, qvi florentissimo suo, in æternum licet sibi promisso Regno, exciderunt. Ut jam alios extra Ecclesiam Monarchas, *Pharaones, Sennacheribos, Nebucadnezares, Cyros &c.* taceam. *Accidere autem cuiqve posse qvod accidit cuiqvam*, nota res est, perpetuis qvotidie firmata, & perpetuis, dum Mundus erit, firmanda exemplis.

3 *Ad qvid autem hæc monentur? Ut discatis sapientiam, & non excidatis*, respondet Salomon. Cujus plena vox ad Vos ibi hæc est: *Audite Reges, & intelligite, discite Judices finium terræ (2) Præbete aures Vos qui continetis multitudines, & placetis Vobis in turbis Nationum (3) Qvoniam data est à Domino potestas Vobis, & virtus ab Altissimo, qvi interrogabit opera Vestra, & cogitationes scrutabitur (4) Qvoniam cùm essetis ministri Regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neqve secundùm voluntatem Dei ambulastis (5) Horrende & citò apparebit Vobis: qvoniam judicium durissimum in his qvi præsunt, fiet (6) Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur (7) Non enim Per-*

sonam

sonam subtrahet, cujusqvam Deus, qvi est omnium Dominator: nec verebitur magnitudinem cujusqvam: qvoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqvaliter cura est illi de omnibus (8) *Fortioribus autem fortior instat cruciatio* (9.)

4 *Qvorsum verò hæc memorantur?* Resp. Ut si qvid interdum Vobis terrestribus Diis à SUPERIORE VESTRO Cælos habitante nuntiatur, nemo sit qvi cum Pharaone dicere audeat, *Jehovam non novi, jussa ejus non faciam* (Exod. 5. 2.) Aut cum Saule, *Faciam*: nec faciat tamen (1 Sam. 13. v. 13, 14. & cap. 15. p. t.) Aut cum Jeroboamo manum extendere tentet adversus Dei nuntios, ad eos prehendendum (1 Reg. 13. 4.) nedum ut eos cum Achabo; Jesabel, Joa, Manasse & occîdat. Seipsos enim cum Regnis suis evertunt, qvi Legatos Dei violant: sicuti Legatorum Davidis violator Ammonitarum Rex eversus fuit (2 Sam. 10, 11, 12.)

5 *At Eglon Moabitarum Rex* (inqviet aliqvis) *Sermonem Dei reverenter habuit, ad solam ejus mentionem surgens, nihilominus tamen periit* (Judic. 3. 20, 21.) Resp. Incautè fidem adhibendo deceptus est: hîc autem nemo ut incautè agat svadetur, sed ut sciens volens Deo ne reluctetur, aut crassæ ignorantiæ vitio seipsum errori & ruinæ objiciat, præmonetur. Minatur enim Regum Rex, ignarum etiam voluntatis Domini sui servum esse vapulaturum: tametsi non æqvè cum illo qvi scivit, & non fecit, Luc. 12. 47, 48.

6 *Ad qvid verò tandem sermo iste? Eò spectat, Serenissimi, ut præsens Majestati qvoqve Vestræ à nobis humiliter oblatus Liber cum reverentia, qvæ sublimiori convenit Majestati, excipiatur.* Tanqvam scilicet Liber alloqvia non humana, sed Dei & Angelorum ad tres ævi nostri Videntes, & per illos ad nos omnes facta, continens. Nam si hæc ita verè sunt (dabit autem Deus ipse testimonium) assurgat necesse est omnis humana sapientia, authoritas, Majestas, Divinæ: juxta illud, *Audite Cæli, & auribus percipe terra, quia Dominus loqvitur!* Jes. 1, 2. Item: *Dominus in templo sancto suo: Sileat à facie illius omnis Terra!* Habac. 2. 20.

7 Præsertim cùm non leve aliqvid hic moneatur, qvod innoxiè ignorari; aut frivolum, qvod impunè contemni; vel qvotidianum, qvod si non hodiè cras tamen, audiri possit. Sed res rarissimæ & gravissimæ, Vestram & Regnorum vestrorum; imò Mundi, salutem aut interitum concernentes. Et qvidem in tam præsentaneis periculis, ut fuit cùm eâ nocte qvâ Imperio Babylonico finis imponebatur, inter ipsa ultima Regis cum suis Principibus Convivia, digiti manûs humanæ in pariete apparentes scriberent, MENE,

MENE, TEKEL, UPHARSIN. Qvod Daniel (post exprobrata Regum Babyloniæ peccata & fastum) ita interpretatus fuit: *Numeravit Deus Regnum tuum, & complevit. Appensus es in statera, & inventus minor pondere. Divisum est Regnum tuum, & datum est Medis & Persis.* Atqve ita fuit: eadem nocte interfectus fuit Balthasar, Dariusqve Medus successit ei: biennio autem pòst Cyrus Persa (Dan. 5. v. 5, 25, 30.

8 *Similiter enim in foliis Libri hujus, tanqvam parietibus Vobis oppositis, descriptæ exstant causæ, ob qvas nunc temporis super genus Humanum, maximè verò super Europam nostram, terribilis exarserit ira Dei: & qvomodo jam-jam (hoc ipso anno & seqventibus) perituri sint Reges nonnulli, & in desolationem ventura Regna & Nationes multæ. Nec posse ignem hunc exstingvi, nisi monstratis hìc divinitùs mediis: qvæ si non fuerint amplexi Christiani, deletum iri Familias & Gentes terribilium Dei plagarum diluviò, nec ulli ampliùs remedio fore locum.*

9 Credite Serenissimi, *nihil simile Libro huic Mundum habuisse ab Apostolorum tempore.* Eqvidem Prophetiæ donum ab Ecclesia (novi etiam Fœderis) nunqvam fuisse ablatum agnoscunt multi Ecclesiæ Doctores, thesinqve hanc necessariò defendunt, qvi inter Ecclesiæ notas Propheticum lumen ponunt: catalogos ex historiis, nullum à Christi ascensione seculum transiisse, in qvo non prophetico spiritu ornati fuerint conspecti aliqvi, texentes. Si qvis tamen omnia illa priorum seculorum lumina (*Agabos, Barnabas, Melitones, Cyprianos, Gregorios Thaumaturgos, Hilariones, Fulbertos, Rupertos Tuitienses, Bernardos, Hildengardes, Brigittas, Savonarolas, Nostradamos &c.*) cum his tribus contulerit, hos præ illis omnibus prophetico eminere lumine fateri necesse habebit. Adeò nihil usqvam exstat (post divinam Johannis Apocalypsin) ubi Deus evidentioribus præsentiæ suæ signis homines alloqveretur: & ubi plura de Voluntate sua intimaret, pluresqve de rebus futuris præmonitiones daret: apertiùs deniqve Labyrinthis tandem exeundi vias Mundo monstraret, atqve hic fieri videbit cujuscunqve oculos non obcæcarunt tenebræ.

10 *Summa enim omnium antiqvorum Vaticiniorum (qvantum ad ea qvæ totam Ecclesiam, ultimis temporibus ultimatè glorificandam, concernunt) illustri modo hìc epitomatur: Angelorumqve ac Dei ipsius testimoniis solemnissimè nuntiatur, Nostrum hoc præsens seculum esse ultimum illud Mundi tempus, qvô*

I *Magna*

I *Magna illa omnium gentium Babylon* (cujus antiqva illa præludium tantùm fuit) *corruet: structoribus ejus penitùs dissipatis*, Gen. 11. Jer. 50 & 51. Apoc. 18.

II *Magna potentiæ Mundanæ Statua, cum omni suo auro, argento, ære, ferro & luto, à lapide sine manibus de monte abscisso conteretur, ut nullus eis locus reperiatur ampliùs: Lapis verò ipse excrescet in Montem magnum, implentem totam Terram*, Dan. 2.

III *Omnes Nimrodicarum Monarchiarum reliqvias, cum violentiis & bestialibus, venationibus suis, abolitum iri: Regnum autem, & potestatem, & magnitudinem regnorum sub toto Cælo datum iri populo sanctorum Altissimi, cui omnes Reges servient*, Dan. 7.

IV *Bestiam Apocalypticam utrámqve* (& majorem scilicet septicipitem, Deum blasphemantem, belláqve sanctis facientem; & minorem bicornem, Agnum simulantem, loqventem tamen sicut Draco) *jamjam occisum iri, sub mysterio numeri 666.* Apoc. 13.

V *Magnámqve messem, & vindemiam, totius Terræ jam venisse*, Apoc. 14.

VI *Effusum itaqve iri, & jam effundi, omnes phialas iræ Dei super Terram*, Apoc. 16.

VII *Donec Bestia magna, geraria Meretricis sangvine sanctorum ebriæ, aboleatur: Meretrix verò ipsa à cornibus suis* (h. e. Regibus, propugnatoribus olim suis) *deserta, nudata, vorata, exuratur igne.* Apoc. 17.

VIII *Agnus deniqve de omnibus externis hostibus Victor ipsum etiam omnium Ecclesiæ hostium caput, satanam, catenis, ligatum abysso includi faciat ad annos mille: ut ne Gentes amplius seducere, Ecclesiæqve tranqvillum per totam terram statum turbare, possit.* Apoc. 20.

IX *Atqve tum celebratum iri sub toto Cælo nuptias Agni*, Apoc. 19. v. 5. 10.

X *Appariturámqve Ecclesiam in splendore suo, qualem descripserunt Prophetæ*: ut Jes. 60 ad 66. Apoc. 21. & 22. &c.

11 Tam gloriosa igitur (concernentia Reges & Regna, imò Mundum totum & Ecclesiam totam) continens Liber hic, annon donum Regibus dignum censendus? annon in notitiam eorum ante alios deducendus? Magnos à privatis repertos thesauros occultari, crimen habet: sicut & illi qvatuor ad Samariam leprosi, cognitò qvid mirabile operatus esset Deus, inter se dixerunt: *Dies hæc boni nuntii est, si tacuerimus usqve ad mane sceleris arguemur. Venite, nuntiemus hæc in Aula Regis* (2. Reg. 7. 9.) At hæc, obsessæ

 à Satana

à Satana sex mille annis Ecclesiæ liberationem annuntiantia, infinitò majora sunt, qvàm illa tum unius obsessæ Urbis solutio: longe igitur majus videri possit scelus hæc ab Aulis omnium Regum celari.

12 Si qvis dicat, *Ibi fuisse læta nova, hîc autem Christianis populis, illorumqve Regibus, dira nuntiari.* Respondetur, Tristia prius, mox læta: & qvidem tristia Deo rebellibus, læta Deo fidelibus, aut reversuris per pœnitentiam ad Deum. *Sed attendendum à qvo hæc veniant. Si ab hominibus Majestates blasphemare ausis, fiat illis secundùm Divina & humana jura: sed jure victis. Si à Deo, qvid proderit ringi? Qvis restitit ei, & pacem habuit? Etiamsi justus sim non respondebo ei, potiùs Judicem meum deprecabor*, inqvit Job (cap 9. v.4. & 15.) Gratia utiqve Dei est, qvòd priùs qvàm ferit, præmoneat: occasionem dans sui examinandi, errores agnoscendi, vitam emendandi, eôqve plagas præveniendi. Hinc illa Dei vox: *Excutite vos, excutite, gens inamabilis, anteqvam veniat super Vos ira furoris Domini* (Soph. 2. 1.) Qvid aliâs profuit Pharaoni, Mosi & Aaroni restitisse? qvid Sauli, Samueli ob denuntiatam rejectionem indignatum fuisse; Davidem verò ad necem qvæsivisse? Qvid Jeroboamo, prophetam captivatum voluisse? Qvid Paschuri, Ieremiam pugnis & carcere multasse? qvid aliis, ipso furore suo furorem contra se Dei magis exasperantibus?

13 *Nonne laudata est comminationibus Dei consternatorum, & humiliter sese submittentium modestia?* Eli sacerdotis (1 Sam 3. 15.) Davidis (2 Sam. 24. 17.) Ezechiæ (2 Reg. 20. 19.) Iosiæ (2 Reg. 22. 19.) Imò ipsius impii Achabi: qvi cùm post terribilia sibi & Reginæ suæ denuntiata (fore ut à canibus devorentur, & cum tota progenie sua exscindantur) scisso vestimento carnem cilicio operiret, jejunaret, demissoqve capite ambularet, dixit ad Eliam Deus: *Vidistine humiliatum Achab coram me? Non ergò inducam malum istud in diebus ejus, sed in diebus filii ejus* (2 Reg. 21. 29.

14 *Durissima hîc nuntiari Austriacæ Domui, Papæqve Romano, certum est, totalem nempe interitum: huic ut Meretrici Babylonicæ, illi ut Bestiæ meretricis gerariæ.* Sed omnes terrenos Reges violenter populis dominantes Bestias appellari, Dei stylus est, ut è Scripturis notum; sicut & Ecclesiam à puro Dei cultu ad Idola deflectentem, Meretricem: *hoc enim est fornicari à Deo suo*, inqvit Deus per Oseam, 4. v. 12. & 9. 1. *Nihil ergò hîc novum præter applicationem, Papam Romanum cum moderna Ecclesia sua* (qvam ab Apostolica Romana toto genere transformavit in aliud) *esse talem. Sed neqve hæc applicatio nova.* Ita enim revera esse observarunt jam pridem myriades

testium Dei, Doctores, Confessores, Martyres; & ita consentiunt constanter omnes reliqvæ per Orbem Ecclesiæ: sive qvæ propterea subjugari se nunqvam passæ sunt, *Græca, Armenica, Abissinorum, Waldensium*; sive qvæ propter tot illas subingressas abominationes (qvas emendari tot sancti Viri, integræqve Ecclesiæ, frustra flagitarunt, nonnulliqve Imperatores ac Reges pii reipsa emendare aggredi parabant, Papâ semper sancta desideria & conatus eludente) se ab illo separarent; *ut Ecclesia Bohemica, Germanica, Gallica, Anglica, &c.*

15 Et qvia Papa totum Ecclesiæ regimen in politicum dominium transformavit, eôqve ex spirituali ac cælesti Regno Christi terrenum & carnale, ex se autem servo servorum Dominum Dominorum, fecit: obtinuit pridem jam apud pios & zelosos Christi servos nomenclaturam novam, ut ipse qvidem ANTICHRISTUS, Ecclesia verò sua BABYLON, appellata fuerit aliqvot jam à seculis: qvemadmodum ex libris *Bernhardi, Brigittæ, Mantuani, Petrarchæ, Savonarolæ*, innumerorumqve aliorum Dei testium, notum est: & qvòd non alium abominationum istarum exitum ominati sunt tot illi sancti Dei, atqve hi Videntes nostri jussu Dei nuntiant.

16 Ut prorsus nihil hìc insit novi præter hoc unum, *Fatale illud tempus jam adesse.* Ita enim Kottero annis octo apparere soliti Angeli loqvuti sunt, & scribi jusserunt: ita Poniatoviæ Angeli & Dominus ipse, per solemnissimas ecstases, dictarunt: ita Drabicio somnianti & vigilanti per annos 26. variè loqvutus Dominus. Ut si qvid circa hæc seriò agendum restet, hoc unum sit, *INQVISITIONE accuratâ & solemni examinare, an hæc verè sic habeant? Annon humana figmenta Divinarum Revelationum velo pallientur?* Atque tunc si deprehensa fuerit fraus, ut falsi testes juxta Divina & humana jura puniantur: sin apparuerit verè hæc à vero venire Deo, ut obmutescat omnis caro.

17 *Pro tali igitur scrutinio Vestrum ad Tribunal confugimus, ô Reges! per adorandum Dei nomen Omnes Vos orantes, ut vobis persvaderi patiamini, Nihil sub Cælo majus hoc tempore à Vobis suscipi posse agendum, & peragendum, atqve hanc ipsam terminari posse qvæstionem, SITNE VOX DEI QVÆ HIC SONAT, AN SECUS?*

18 Ideò dico nihil majus à Vobis hoc tempore agi, salubriusqve peragi posse: qvia palam est per omnia Christiani Orbis Regna omnia esse in Ecclesiastico & Politico statu adeò perturbata & confusa, ut extricandi se labyrinthis nulla pateat humanis consiliis via: dum ceu desperati omnes in

arma ruunt, pugnétqve Gens contra gentem, Civitas contra civitatem, Vicini contra vicinos, qvisqve contra qvemqve, mutuum in exitium omnibus propemodum & singulis adeò intentis, ut in tam turbulenta & universali Tragædia nihil nisi tragici exitus, Regnorumqve & Ecclesiarum ruinæ, expectandæ veniant, *nisi aliqvis ἀπὸ μηχανῆς interveniat Deus. Cùm ergò ecce hîc Voces non hominem sed Deum sonantes, enormitatésqve humanas inclamantes, & nova pro Orbis salute consilia afferentes, interveniant: ecqvid sub Cœlo salutarius optari potest, qvàm ut à salutis fonte Deo hæc salutaria Orbi consilia venire, certi esse qveamus?*

19 *Audite igitur Vos qvi Dei loco Terris præsidetis, suscipite hanc Dei contra Satanam, aut Satanæ contra Deum* (ita enim diversè interpretantur diversi) *causam sic agere*, ut peracta sit, neqve circa hæc errare qvenqvam sit necesse. *Vobis hoc præ aliis incumbit, duplici jure*: primùm *qvia Reges estis*; deinde *qvia Ecclesiæ nutritii.* Videndum ergò Vobis, qvomodo & REGNA, HÆREDITAS VESTRA, à desolationibus præservari, subditiqve Vestri (qvi Vobiscum progenies Dei sunt, Act. 17. 28.) qvietam & tranqvillam vitam agere qveant (1 Tim. 2. 2); & qvomodo ECCLESIA, HÆREDITAS DOMINI, à Tyrannis externè, à Lupis autem & Pseudoprophetis internè liberata, posthac in pace conservari qveat. Qvæ duo (*salus Regnorum & salus Ecclesiæ*) nunqvam à satanæ consiliis speranda sunt: necessariò autem, si Deum consultorem habebimus, & seqvemur.

20 Constituite proinde Judicium, ô qvi judicatis Terram, in qvo decernatur, *Deusne communis misereator noster hîc salutaria populo suo loqvatur, an dæmon aliqvis noxia instillet*? Si prius: ut certi simus Sanctum Israelis esse, qvi hodieqve nos alloqvitur dicens, *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via qvà ambulas. Utinam attenderes mandatis meis, ut Pax tua esset sicut flumen, & justitia tua ut fluctus maris! Egredimini è Babylone, fugite à Chaldæis &c.* (Ies. 48. 17. &c.) Si posterius: ut faciamus qvod per Ieremiam mandat Deus; *Ne audiatis verba prophetarum qvi decipiunt Vos, Visionem cordis sui loqventes, & non ex ore Domini* (Ier. 23. 16.) Imò qvod per Mosen mandat, *ut somniorum fictor pseudopropheta occidatur, auferatúrqve malum de medio populi Dei.* (Deut. 13. 5.

21 *In qvam partem (ad prophetas occidendum) qvia nimis facile inclinare solent Ecclesiastici* (Ordinarii dico Ecclesiæ ministri, extraordinarios Dei nuntios vix unqvam benignè ferentes, ut historiæ omnium temporum testantur)

stantur) *nos ecce qui hoc novum Propheticum lumen in lucem proferimus, ab omnibus Academiis & Consistoriis Vestram ad Tribunal, ô Reges & secularis potestas, solemniter provocamus!* Exemplô Jeremiæ, qvi à Sacerdotibus ad Principes, ipsumqve Regem, provocavit (cap. 26. & 37.) & Pauli Apostoli, qvi à Pontificum Synedrio ad Politicos Judices, *Felicem*, *Festum*, *Agrippam*, *Cæsarem* deniqve ipsum, appellavit (Act. 23. & 24, 25, 26.)

22 *Suscipite obsecramus patrocinium primò Libri hujus! nemini in illum sævire permittendo ad plenariam usqve causæ cognitionem, & decisionem.* Qvid enim peccarunt hæ chartæ, qvod talia hæc (similia Ezechieliano libello, in qvo *Lamentationes*, *Luctus*, & *Væ*, scripta erant: 2, 10) receperunt, prelo adactæ? Præsertim cùm non populo Dei tristia nuntient, sed Sodomæ, Ægypto, Babyloni, Mundo & inferis, populum Dei affligentibus. Nec genti ulli, aut homini ulli, rebellionem ullam adversus Reges suos svadeant, sed obseqvia: ut à confusionibus omnigenis in Ordinis & pacis viam redeant omnia. Tandem, qvia *Liber hic unus est ex illis, per qvos Deus ad se verendum Reges Terræ à qvatuor Mundi plagis convocat* (4 Esdr. 15. 20.) Buccinam hanc Dei non impedire, sed promovere, Vestrum est ò Reges, si ministri estis Regni ejus.

23 *Deinde, commendant se Vestro patrocinio (ó Dii protectores Terræ,* Psal. 47. 10.) *ipsi Libri hujus Editores, ut nullam injustam vim cuiqvam in se permittatis?* sicut in Jeremiam & Baruchum non permiserunt Principes (26. 26. & 36. 19.) ipséqve Sedechias Rex (37. 21): in Paulum verò Tribunus cohortis (Act. 21, 31, 32: & 23, 24): & Iudææ Præses Felix (23. 35. & 24, 24. &c.) *Injustum enim esset per vim aliqvid agere in eum, qvi ad jus provocans seipsum judicio sistit.* Qva in re proterve egisse Iudæorum Pontifices cum parasitis suis, qvòd Paulum, & ante hunc Dominum ipsum, suo in judicio stantem colaphis cædere permiserint (Act. 23. 3. & Ioh. 18. 22.) agnoscitis utiqve Vos Christiani: admittere igitur ipsi cavete!

24 *Tertiò commendamus Vobis, ô Potestates Terræ, ipsam Causam qvæ his Libris agitur, penitùs cognoscendam.* Potentioris enim cujusdam nomine Oracula hæc fulminando populos Vestros, Sacerdotes Vestros, Vósqve ipsos cum Principibus vestris, petunt: ad supremum qvoddam invisibile, terribile tamen, Tribunal omnes moderni Mundi incolas citando. Qvod non effugietis nisi maturè Iudici Vestro reconciliati: reconciliari autem qvomodo potestis non præcognitô, qvid in Vobis desideret, qvid exprobret, qvid minetur. Sintne autem hæ voces illius cujus nomine veniunt, annon sint,

sint, cognitu necessarium est: si aut liberare nos metu vano, aut verum & salutarem concipere volumus Dei timorem. *Nam si opus qvod hi Libri nunciant, verè opus Dei est, gloriosius est atqve qvidqvam in Ecclesia fuit ab Apostolorum tempore. Si Satanicæ sunt imposturæ, terribiliores sunt atqve ullæ unqvam fuerunt. Si humanæ astutiæ figmenta, nihil simile unqvam, ulla in gente, ab ullo humano ingenio, prodiit. Sive autem hoc, sive istud, sive illud, res est curâ Regum dignissima, ut tandem qvid sit pateat: qvò judicium adhibendum est, non supinitas, non contemptus, non furor.*

25 *Festinate, ó Reges, qvalia hæc sint cognoscere, anteqvam omnes hîc annuntiatæ super Regna Vestra effundantur plagæ: ut qvid facto sit opus ad huc dispici possit.* Tradite hæc ad seriò expendendum Viris sapientibus & Dei timentibus, qvibus publica rerum salus cordi sit: ut ne post factum demum sapere velle, nimis serum sit. Atqvi tantis in turbis varii varios Vobis discursus & consilia certatim suppeditant, nec audire aspernamini, si qvid ab homine prudente venire opinio sit: qvid nî autem si qvid ab aliqvo Angelorum, aut Deo ipso, venire nuntiatur? *Impletur Mundus Libris ratiocinationum humanarum & dissensionum plenis* (dicit hîc Oraculi vox, Drab. CCXLII. 11, 12): *qvibus si homines adhibent fidem, cur non mihi potiùs & sermonibus meis? ubi non humana sapientia loqvuta est, & loqvitur, sed sapientia mea à nemine consilia capiens. Optimè stabunt in Mundo omnia, modo sic disponantur qvomodo ego præscripsi, & adhuc loqvor.* Si inqvam humana audiuntur consilia, cur non etiam illa qvæ per homines qvidem, non ab hominibus tamen venire, certis documentis constare potest?

26 Si qvis dicat: *Audesne hæc pro indubitatè Divinis prophetiis venditare?* respondebo qvod Philippus Nathanieli, *Veni & Vide!* ut non alienis egeas testimoniis, qvisqvis es, sed ipse tibi testis fias (Joh. 1. 46. & 4. 42.) Nam si exercitatos in Scripturis habes sensus, & qvæ sint *veri Prophetæ munia & criteria* non ignoras (Indicare scilicet in abominationes prolapsô populo Dei peccata sua. Annuntiare impœnitentibus iram & pœnas: Pænitentibusqve rursum misericordiam & gratiam) hoc idem planè hic videbis agi, non aliud. *Modò vide ut te certum reddas* (poteris autem ex adjuncta hîc fideli rerum istarum Historia): I *Fuisse revera nostro hoc ævo personas, qvæ ista humano ingenio majora scripserunt.* II. *Et fuisse simplices Idiotas, talia fingere non valentes,* (Act. 4. 13.) III. *Piasqve & Dei timentes, fallere nolentes.* IV. *Circumvallatas insuper testium nube, ut imposturæ nullus esset locus.* V. *Testimonium deniqve jam dare multos*

verè

verè pios & ſolidos Theologos, non una in Gente: Majorem in his elucere ſapientiam, qvam ut iſta homini; & Opus totum eſſe ſanctius, qvàm ut Satanæ tribui, poſſit.

27 Ne tamen ullam privatam authoritatem publico videamur obtrudere, publicum & ſolemne harum rerum examen, ſub Veſtris ô Reges auſpiciis, flagitamus. Et qvidem *qvàm citò poteſt: dum teſtes in vivis ſunt, qvi digitos ſcribentes vidiſſe fidem facere poterunt:* effluentibus ſcilicet Videntum calamo non qvæ voluerunt ipſi, ſed qvæ inviſibilis qviſpiam dictator, ipſis plerumqve non intellecta, inſtillabat. Qvod & ipſa illorum αὐθογραφὰ (Originalia dico propriâ cujuſqve illorum manu ſcripta Exemplaria, qvæ certo aſſervantur loco) teſtabuntur.

28 *Qvartum deniqve & ultimum, qvod à Vobis Sereniſſimi flagitamus, hoc eſt: Ut, ſi ſuppeditata hìc de rebus tranqvillandis conſilia indubitatè Divina eſſe deprehenſum fuerit, parendi etiam, Divinamqve voluntatem exſeqvendi, ſerium concipiatis propoſitum:* diſſimiles antiqvo illi duræ cervicis populo, qvi conſpectis tremendis præſentiæ Divinæ ſignis, auditaqve de Cœlo illius voce, *Cuncta qvæ loqvutus eſt Dominus faciemus*, dixerunt (Ex. 19. 18.): deinde autem nihil (neqvidem toties à Prophetis revocati) egerunt, eòqve irati Dei plagas alias ex aliis ſibi accerſiverunt, hodiernum uſqve in diem. Qvæ dum in figura contigerunt illis, ſcriptaqve ſunt ad correctionem noſtram in qvos fines ſeculorum devenerunt (1. Cor. 10. 11.) caveamus.

29 Qvia verô qvod proverbialiter dicitur, *Qvod omnes agunt nemo agit, aliis alios expectantibus*, plerunqve verum eſt: & in omni plurium agentium concurſu, ſi negotium ritè peragi debet, Directio uni alicui committenda eſt: *qvid ſi etiam hìc, in periculoſiſſimè procellis jactatâ totius Europæ Navi, unus aliqvis ſapiens eligatur Gubernator, cui totius communis Navis committatur clavus?* Vel Romanorum exemplô: qvorum Orbis regimen tametſi penes Senatum & Conſules eſſet, in rebus tamen perplexis, & ad deſperationem uſqve confuſis, uni cuipiam è medio ſui (qvem præ cæteris ſapientem, juſtum, cordeqve imperterrito eſſe credebant) abſoluti imperii poteſtatem dabant, felici ſemper (in deſperatiſſimis etiam caſibus) succeſſu. *Dictatorem* appellabant: qui peracto feliciter negotio, rebuſqve tranqvillatis, & Republicâ metu liberatâ, *Dictaturam deponebat, regiminis faſcibus Ordinario rurſum Magiſtratui redditis.*

34 Qvod ſapiens exemplum ſi Vobis Europæis, in tam deſperatè confuſis omnium Regnorum conſiliis & negotiis imitari placet, *circumſpicien-*

ciendum erit qvem è medio Veſtri tanto oneri parem reperiatis? Si enim magnum eſt onus unius etiam pacati Regni adminiſtrare habenas: qvid erit negotiis Regni turbati ſupponere humeros? (*Omne Regnum in ſeipſo diviſum deſolabitur, & Domus ſupra Domum cadet*, inqvit Sapientia æterna Luc. 11. 17.) Et qvid procellis ac turbinibus tot Regnorum ſiſtendis objicere ſeipſum? Obtinere à Deo & viribus ſuis Samſon, ut magnam ſubrueret Domum, potuit: ruinas illæſus ſuſtinere, qvin unâ oppreſſus periret, non potuit (Jud. 16.) Hîc autem non una Domus, aut Urbs, aut Provincia, aut Regnum, ſed omnia totius Europæ, ruinam minantur: qvis ille Samſon qvi roboris aut conſilii ſui interponere audebit vires? Et qvia *Hannibal ante portas*, communis Chriſtianorum hoſtis *Turca*, omnia Veſtra diſſidia intuetur, atqve ut paratas ſibi per Vos ipſos omnes Vos opprimendi anſas arripere indubiè parat: eſtqve ipſe, ſua in Monarchia *Dictator perpetuus*, qvæ ſpes eſſe poterit à Vobis tam diviſis potentiæ illius tam unitæ reſiſti poſſe? niſi vel tam deſperato rerum ſtatu ad ultimam illam Romanorum ſacram anchoram, *Dictaturam*, refugio ſumto?

31 *Qvod conſilium qvia his etiam Libris continetur, & ſic nihil non Chriſtianitati ſalutare ſvadetur, qvid ni tanto commendatiora hæc eſſe debeant?* præſertim cùm nemo hominum proprio hæc auſu proferat, ſed nomine illius Dei qvi omnium Deus eſt, & omnium curam gerit, offeruntur. Atqvi *conſvetudine gentium receptum eſt in bello, Buccinatores inter infenſiſſimos etiam, & jamjam prælia inituros hoſtes, ultrocitroqve inviolatos commeare, Principalium ſuorum mandata perferentes: qvid ni ergo intra præſidia Majeſtatis Veſtræ, ô Chriſtiani Reges, tutus ſit, qvi Regis Regum ad Vos interpretem agit?* Nam ſi nuntios Dei adhuc perſeqvimur, furentis Babylonis tyrannidem adhuc regnare documento erit. Enim verò ſi aliqvando Babylon cadit, cadat & impia illa prophetas trucidandi audacia.

32. Sed miſereatur noſtri jam tandem Pater miſericordiarum! ut populus Chriſtianus non Babylon ſit, ubi confuſè fiant omnia: ſed Jeruſalem, Civitas ædificata inſeipſam, ubi ſedes ſtent ad judicium &c. Pſal. 122.

ANGE-

ANGELIS ECCLESIARUM,

Episcopis, Pastoribus, Theologiæqve in Academiis Doctoribus, tanqvam constitutis gregis Dominici, Doctrinæqve Apostolicæ ac Ordinis Ecclesiastici Custodibus, *judicium & vigilantiam.*

AUdite *Ecclesiæ præsides, Episcopi, Sacerdotes, Theologi!* qvia Vestra hic res agitur, Vestra hæc Lucis aut tenebrarum sementis est, Vestra erit messis: Vobis hoc ut proprium peculium Vestrum traditur. *Vos estis Lux Mundi*, inqvit Salvator, Matth. 5. 14: *at non ipse Lucis fons, Sol; sed Lampades in Domo Dei suspensa, infusione Olei sancti sustentanda* (Exod. 27. 20, 21.) *Qvis autem est infundens? Christus, per Verbum suum; Spiritûs sui sancti suggestione, novisqve undecunqve subsidiis, sive Angelorum ministerio, sive qvomodo illi placet.* Ergò qvoties tale qvid offertur, Vestrum est præ aliis attendere, vel Astronomorum exemplô: qvi laudi sibi ducunt ita qvotidie attendere Cælo, ut ibi nihil se inconsciis fiat. *Vestrum autem Cœlum Deus & Ecclesia est: Stella in hoc Cœlo, sunt Divina de hominibus cogitata, decreta, pronuntiata, opere ipso exseqvenda*, qvôcunqve modo illa in notitiam nostram deduci placeat Deo. Et qvoniam si qvid in Cælo (præter ordinaria sidera) insolitum se offert spectandum (ut *Stella nova, Cometa*, aliudve prodigiosum ostentum) Astronomorum est præ cæteris attentiùs spectare, judiciúmqve ad populum de re insolita formare: ita si qvid novarum Revelationum in Ecclesiæ Cœlo emergit (ut in hoc Libro) Vestrum est præ aliis attendere, Populúmqve Christianum super id informare.

2 Verum enim verò qvia Vos spirituales Astronomi, propter diversas de motu Cœli Vestri hypotheses, in partes abijstis, valdè metuo verum, sincerum concors, hac de re judicium sperari posse, nisi priùs obtinetur *ut prajudicia (certissimum veri judicii prapedimentum) undiqve seponantur.* Qvalia qvatuor potissimùm ad præsens negotium spectantia observo.

I *Ecclesiam uno tempore non dari nisi unam*: qvisqvis cum illa (qvam qvis pro vera habet) non consentit judicio aberrare; atqve si membrum ejus non est, etiam à spe salutis excludi.

II *Novum Adam, Christum, res à primo Adamo perditas nunqvam hic sub Cœlo esse reparaturum, sed in æternitate demum*: qvisqvis Messiæ plenum adhuc expectat regnum, Chiliastam esse, hæreticum.

III *Prophetas in Novo Testamento non dari*: qvicqvid se hoc nomine offert, ludibrium esse.

IV *Judicium de his talibus promptè à Theologis ferri posse, sine longa prædeliberatione*: qvia res dudum præjudicatæ sunt.

3 Hæ sunt sqvamæ illæ oculos plerorumqve omnium obtenebrantes, ut ipsam etiam claràm lucem clarè videre neqveant. Hæc illa colorata vitra, res contemplationi oblatas tam difformiter colorantia, ut judicio de coloribus nunqvam, (præsentissimo etiam Sole) conveniri possit. O si placeat Christo collyrio suo nostros inungere oculos! ut non tantùm, qvemadmodum iste apud Evangelistam cæcus, post injectum oculis suis Domini sputum, homines ut arbores videamus ambulantes, sed & post impositas denuò manus clarè videamus omnia! (Mar. 8. 22.)

4 *Liceat, Patres & Fratres observandi, bonâ Vestrâ pace aliqvid his de rebus præfari, & num sqvamæ hæ de oculis nostris (sicut olim de oculis Saulis, ad Ananiæ discipuli sermonem) cadere velint, tentare.* Nullius Vestrûm injuriâ, aut præjudicio, hoc fiet: modestè & humiliter de propositis rebus, qvantùmqve dabitur perspicuè ac liqvidè, *Vobis prudentibus loqvar, Vos judicate qvæ dicturus sum* (1 Cor. 11. 15.)

I De primo præjudicio amovendo.

5 Ecclesiam suam Deus qvidem unus unam esse vult; & ut esset una, Christus victimam se pro omnibus daturus Patrem oravit: unùmqve de Cœlo Spiritum S. cum dono Lingvarum, ad ducendum in Fidei unitatem Gentes omnes, misit: ideòqve piis etiam ac fidelibus ut in unitate sua Ecclesia maneat summè est allaborandum omnibus (Eph. 4. 3. &c.) *Unitatem tamen illam Ecclesiæ de internis potiùs qvàm externis vinculis* (qvæ meliùs qvàm nos intelligit qvi iis Ecclesiam colligat, Spiritus Christi) *intelligendam esse argumentis è Scriptura Sacra desumptis clare ostendi potest.*

6 Certè enim illud Christi, *Regnum meum non est de hoc Mundo* (Ioh. 18. 36) Item, *Regnum Dei non venit cum observatione: neqve dicent ecce hic! aut ecce illic! Ecce enim regnum Dei intra Vos est!* (Luc. 17. 21.) Item, *Ubicunqve congregati erunt duo vel tres in nomine meo. ibi ego sum in medio eorum* (Matt. 18. 20.) Et qvòd prohibentibus Apostolis qvosdam Dæmonia in nomine Christi ejicere: eô qvod collegium Apostolicum non seqverentur, Dominus dixit: *Nolite prohibere: Qvi non est contra nos, pro nobis est* (Mar. 9. 39.) & similia sexcenta Christi & Apostolorum dicta & facta, *Christo regnum suum non esse angustandum, nec ullo modo ad unum aliqvem, externo aspectu & pompâ observabilem cœtum, multò minus gentem aliqvam unam, aut locum unum, alligandum, ostendentia.*

7 Sicut ergò peccant qvi se nominibus humanis ab aliis distingventes (*Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ, ego Christi*, 1 Cor. 1. 12) Ecclesiæ unitatem lacerant: ita peccant (& multò magis) qvi in factiosum Cœtum Collecti ita se & suos esse Christi præsumunt, ut alios à Christo excludant. Patet, qvia Apostolus etiam de pseu-

de pseudoapostolis, Christi tamen nomine venientibus, dicit: *Si qvis confidit se esse Christi, hic iterum apud se cogitet, qvòd sicut ipse Christi est, ita & nos*, 2 Cor. 10. 7. Et ad Philipenses de æmulis suis, qvi non sincerè, sed ex contentione Christum prædicabant, ut sibi ægrè facerent, *dicit se gaudere, & gavisurum esse, tantummodò ut prædicetur Christus* (Phil. 1. 16. &c.) Unde piè Augustinus de variis, varièqve difformibus, Christianismum professis Cætibus dicit: *Ubicunqve Christi aliqvid invenero, Christum ibi & salutem non negabo.*

8 Ostendunt id varii Testamenti Veteris typi, qvanta novæ Ecclesiæ amplitudo, & sub disunione etiam unio, futura erat. *Jerusalem Urbs, perpetuus Ecclesiæ typus, non erat una solùm platea, vel forum, vel arx:* sed ex variis majoribus & minoribus plateis, qvarum aliæ aliis ampliores, structiores, mundiores, esse poterant, ædificata in seipsam Civitas, ut Psalmus 122 loqvitur. *Imò erat qvaterna Civitas qvatuor superædificata montibus, suis qvaqve plateis, palatiis, turribus, munitionibus, decorata:* qvarum nulla sola appellari potuit Ierusalem, sed simul sumtæ omnes & singulæ. Omnes dico & singulæ poterant *Civitas Dei nostri, mons sanctus ejus*, dici: (Psalm 48) ob sanctum Dei Templum in ejus medio situm. Nec tandem sola Urbs Ierusalem sanctum Dei habitaculum dicta fuit, sed & tota Terra Israel, à populo Deum verum colente habitata, Zach. 2. 12: & qvisqvis extra hanc ubiubi gentium constitutus, qvoqvo modo hanc respectabat. Ut Naman Syrus, portionem de terra Israel (qvantum duobus mulis gestari poterat) secum auferens, & altaris loco habens. 2 Reg. 5. 17: & Daniel Babylone habitans, apertisqve Cænaculi sui contra Ierusalem fenestris Deum ter qvotidie invocans, Dan. 6. 10.

9 *Salomo cum toto suo pacifico Regno & gloria, annon Christi* (veri Davidis filii, æterniqve Regis Israel) *typus fuit? annon Canticum Canticorum inter Christum Sponsum, & Ecclesiam Sponsam, amoris mysteria mysteriorum continet?* Ibi tamen Sponsæ Christi unitas ita repræsentatur, ut amicæ etiam Sponsæ, tanqvam & Sponsi amicæ, introducantur, Reginarùmqve etiam nomine ornentur? Ut Cap. 6. ℣. 8, ubi hæc Sponsi vox est: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicarunt: Reginæ & concubinæ, & laudaverunt eam.* Uude prorsus patet, posse unam aliqvam Ecclesiam cæteris perfectiorem, eòqve Christo chariorem, esse & dici, cæteras tamen Reginarum, & Sponsi æterni amasiarum, titulo per id non privari.

10 Tutissimum igitur erit, ut qvisqvis hucusqve cum Petro Deum partialem imaginando erravit, cum Petro errorem confiteatur dicendo: *In veritate comperio Deum non esse personarum acceptorem, sed in omni gente qvi timet eum, & operatur justitiam, acceptum esse illi.* (Act. 10. 34.) Et non se tantùm esse Christi (cum vanis illis apud Corinthios jactatoribus) imaginetur, sed & alios: & fortè veriùs, si veriùs opus Apostoli aut Evangelistæ agant, ministeriùmqve suum impleant, 2 Tim. 4. 5.)

11 *Atqve hoc si admittimus omnes, prima erit dempta de oculis nostris ad Librum hunc legendum sqvama:* qvippe qvi omnes Christianos pro populo Christi habens, nemini adulatur, omnibus prævaricationes suas, qvibus præsens ira est accensa, exprobrat,

probrat, sive se *Catholicorum*, sive *Evangelicorum*, sive *Reformatorum* titulo ab aliis discriminent. Si qvæ pars acriùs aliqvid in se dici autumabit, causam non in Deo vel nuntiis ejus, sed in seipso, qværat. Sermones enim hîc non de rebus qvæ olim extra ætatem nostram fuerunt, aut erunt; vel alibi extra Orbem & conspectum nostrum sunt, instituuntur: sed de iis qvæ apud nos nunc sunt & fiunt, Deúmqve irritant. In nos ergò ipsos ritè si reflectamus oculos, primum erit medium obtinendi, ut Liber hîc non sit liber obsignatus: qvi si cui detur legendus dicat: *Non possum, signatus enim est*, Ies. 29. 11.

12 Nec est ut qvis dicat: *Annon ipsi Vos Deum fingitis partialem qvi Librum hunc vulgatis? Cur enim Vobis potiùs hoc tempore, qvàm aliis, loqvutus fuisset Deus?* R. Deus liberrimum agens qvicqvid vult agit in Cœlo & in Terra: qvis ei dicet *Cur ita facis?* Ille testis erit nihil hîc humanitùs fingi: nedum ut hæc vanæ gloriæ aviditate edantur. Sed postqvam nos & Gentem nostram (concitatâ in nos ab iis qvi soli esse Christi, & regnare, volunt, seculari potestate) ante alios opprimi permittere placuit Deo, & nos clamavimus ad Dominum, illi autem respondere ad gemitus & suspiria nostra hoc tali modò placuit, *qvid peccamus humiliter hæc in aliorum notitiam (& qvidem ipsius Dei jussu) deducentes? eâqve ratione nostra ipsorum dedecora manifestantes?* Qvia enim Prophetæ non ad populum Dei statuta servantem, sed ad populum corruptum, mitti solent (ut omnium seculorum praxis Dei ostendit) nos præ aliis prævaricationum reos fuisse hoc ipsum ostendit, qvòd ad nos primùm admonendos suos istos extraordinarios nuntios mittendos censuit Deus. Nec tamen ad nos solos: majori etiam numero in Germaniæ, Belgio, Anglia, & forsan alibi, excitati sunt. De qvo postea.

II De secundo Præjudicio.

13 Alterum, qvod in hanc Dei lucem glaucoma oculis obducit, est nova Christianorum (à Damasi Papæ temporibus recepta) hypothesis, *De nullo unqvam Regno in terris Christi futuro tali, qvale prædixerunt, solemnitérqve prænuntiarunt Prophetæ, super omnes Reges Terræ.* Hoc est, *Rejectio antiqvorum Christianorum, Israeliticaqve Ecclesiæ, spei: fore ut Ecclesia in terris militans, Mundi odiis & persequutionibus diu fatigata, tandem aliqvando plenè respiret, inimicisqve suis dominetur: Victorias & triumphos agente Viro illo, qvem Deus restituendis rebus lapsu primo perditis mittere promiserat; qvem Ecclesia Israelitica MESSIAM, ex gentibus autem collecta CHRISTUM, appellat.* De hujus enim Viri cum hostibus Dei & populi ejus lucta & pugna, victoriaqve & triumpho, ac tandem glorioso per totum Terrarum Orbem Regno, pleni sunt omnium Prophetarum libri. Nominatim Psal. 2. & 72. & 110. Ies. 2. & 9. & 11. & 25. & 32. & 35. & 60. Ier. 30. Dan. 2. ✝ 44. & 7. 14. Am. 9. ✝ 11. Zach. 9. ✝ 9. &c.

14 Erantqve hujus expectationis, etiam Christo jam in carne Mundum ingresso, omnia plena: ut ex Evangelistarum & Apostolorum scriptis patet: qvia identidem tàm Iudæi qvàm Discipuli Christi, & Dominum & seipsos invicem, *Numne*

jam

jam Regnum Dei instet? interrogabant. Neqve unqvam Dominus opinione tali errare illos (sive discipulos suos, sive Iudæos) monuit: hoc tantùm, *Nondum esse tempus, bibendum sibi esse calicem* (Matth. 20. 22): *oportere se PRIUS PATI* (Luc. 17. 25): *abeundúmqve sibi esse priùs in longinqvam Regionem* (*Cœlum*) *ibi accipere Regnum, & postea reverti* (Luc. 19. ✝ 11, 12 NB) Iamqve abiturus (hoc est, Cœlum conscensurus) & adhuc ab illis *An tempore isto reparaturus esset regnum Israel?* interrogatus, non negavit se reparaturum, sed *Non illorum esse nosse tempora & momenta, qva Pater in sua posuisset potestate: irent tantùm prædicatum Evangelium ad ultimos usqve fines terræ* (Act. 1. 6. 7, 8) *Venturum jam tempus Evangelii Regni* (hoc est regnantis, Matth. 24. 14): & similia. Etiam Orationi, qvam qvotidiano Ecclesiæ usui tradidit, spem illam inserens, omnésqve suos orare jubens, *ADVENIAT REGNUM TUUM.*

15 *Profecti ergò Apostoli prædicarunt ubiqve, Domino illis cooperante, & sermones eorum confirmante subseqventibus signis* (Marc. 16. 20) An autem sepositâ jam de reditu Domini, ad restituendum regnum Israel, spe? Nihil minus. Patet ex prima Petri publicè in templo Ierosolymitano habita concione, Act. 3: ubi pœnitentiam populo (ob necem Messiæ) svadens, addidit, *Ut cùm venerint tempora refrigerii à conspectu Domini, & miserit* (denuò) *eum qvi prædicatus Vobis jam est JESUM CHRISTUM. Qvem oportet qvidem Cœlum capere usqve ad TEMPORA RESTITUTIONIS omnium, qva loqvutus est Deus per Os sanctorum suorum à seculo Prophetarum* (✝. 20, 21) Ecqvid autem illud, qvod per os omnium prophetarum loqvutus fuit Deus? Legantur omnes Prophetæ, & patebit semper Deum iterasse promissiones suas factas *Adamo, de venturo semine contrituro caput serpentis* (hoc est abolituro in totum tandem satanæ regnum): & *Abrahamo, de benedicendis tandem in Semine suo omnibus GENTIBUS TERRÆ: & Davidi, de dando tandem Filio ejus Regno æterno super omnes Reges Terræ* Ps. 72 & alibi.

16 Firmabat eandem spem Paulus, sic ad Corinthios scribens: *Oportet Christum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis* (1 Cor. 15. 25) Qvod ne qvis de fine demùm Mundi intelligat, addidit: *Ultimum inter abolitos hostes fore Mortem* (✝. 26) Qvæ qvia mortuorum resuscitatione in fine Mundi abolebitur: *reliqvi ergò hostes, Pseudopropheta, & satan ipse, priùs, ante Mundi finem.* Atqve ut nihil planè dubij restet, Christi super omnia Mundi regna Regnum non post Mundi finem demum in æternitate ipsa, sed hîc sub Cœlo, temporum cursu adhuc durante, expectandum esse, addit Apostolus: *Christum in fine Mundi traditurum esse regnum Deo & Patri, postqvam evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & imperium* (✝ 24) Ecce post finem Mundi Christus regnum deponet! Ergò ante Mundi finem regnet necesse est: aut omnia de Regno Christi tam solemniter per Prophetas nuntiata, erunt *prædicata sine subjecto, promissa sine complemento, verba sine re*: qvod statuere qvid nisi veritatem Dei blasphemare est? Maneat ergò Paulina thesis inconcussa, *Oportet Christum regnare*: per Ecclesiam nempe, populum sanctorum Altissimi, Dan. 7. 27.

17 Tempus verò initij gloriosi istius Regni Christi ostensum fuit Danieli *post de-*

structas

structas bestiales quatuor Monarchias (Daniel c. II. ℣ 44. & VII. ℣. 11, 12, 13, 14, 18, 17) Iohanni autem monstrata *illius Regni super terram duratio Mille annorum: quibus ligandus erit Satan, ut ne seducere queat Gentes, turbarèque pacatum hoc Sanctorum Regnum.* (Apoc. 20) Quod sic ad literam intelligendo primi Christiani, atroces illas trecentorum annorum persequutiones & martyria tantò fortiùs tolerabant, Lactantio teste. Constantinòque Imperatore facto Christiano, & totius Orbis Domino, regnanteque pacificè, Regnum illud sanctorum inchoari jam sperabant. Quod acta Concilii in Tyro celebrati ostendunt: ubi omnia de Christi glorioso Regno per Prophetas nuntiata Episcoporum panegyricis mirè celebrata, & ad præsentia tunc tempora (publico Orbis Christiani plausu) accommodata fuêre: ut in Eusebij libris de Vita Constantini legimus.

18 Enimverò gaudium hoc populi Christiani non diuturnum fuit; æquè ut populi Iudaici, Christo ad passionem suam Jerosolymas adventanti in occursum se effundentis, publicisquè Jubilis ut *Israëlis Regem, Regna Davidis patris sui jam capessentem,* excipientis (Mar. 11. 10.) Quemadmodum enim tunc Christo Messiæ non regnandum, sed patiendum fuit: ita Constantini tempore Ecclesiæ nondum regnandi, sed novas per novos Tyrannos & Hæreticos pressuras & dissipationes subeundi, tempus erat. Quod brevi post agnoverunt Christiani: novis mox à Constantini morte bellis, & quidem inter ipsius met filios primùm ortis; tùm barbaris Gentibus aliunde in Imperium (jam Christianum) potenter infusis, omniaque vastantibus; Arianâ deniquè hæresi in ipsa Christianismi viscera sæviente.

19 *Tum Christiani spes suas videntes irritas errorem suspicari, Apocalypseos librum (an Iohannis Apostoli & Canonicus esset) in dubium vocare: sententiamquè de Regno in terris Christi ad Cerinthum hæreticum (qui eam ex Apocalypsi* sumtam impuro de voluptatibus terrenis delirio conspurcaverat) *referre: verbò, Chiliastas (sive Millenarios, probrosè jam ita dictos) hæreseos damnare.* Quod primus omnium ausus fuit *Damasus Papa* in Concilio Romæ (Anno Christi 382, cui Hieronymus quoque interfuit) celebrato. *A quo tempore Christianis Scyllam fugientibus in Charybdim incidere* (hoc est à spe regnaturi in terra Christi ad spem æterni duntaxat in Cœlo sanctorum Regni, deferri) *contigit.* Nempe regnaturâ in terris Apocalyptica Bestiâ, & Meretrice, obliviscendum erat Regni in Terra Christi: sicut prædixerat ipse Luc 19 ℣. 11 ad 28. [Parabolam hanc perlegere Lectorem nepigeat, oro: multum accipiet lucis.]

20 Nec tamen memoria Regni Christi in Terris unquam ex toto sepeliri potuit. Nam & post damnatam à Damaso Chiliastarum hæresin Hieronymus scripsit, *Se non audere damnare sententiam, in qua multi Ecclesiastici Viri, Martyresque consensissent* (super Ieremiæ c. 19. ℣. 10.) Post Hieronymum item Augustinus: *Si Millenarii dixissent, Christum illo spatio mille annorum sanctis suis aliquid Cælestium charismatum esse collaturum, sententiam fore tolerabiliorem* (de Civitate Dei lib. 20. cap. 7) Patet igitur, nihil ab istis Patribus præter Cerinthianam de mille annis carnalitatem fuisse damnatum: posterioribus demum temporibus *totam spem de reditu Christi (præterquam ad Mundo finem imponendum) in oblivionem venisse.*

21 Sed

20 Sed ne tum qvidem apud omnes, & per omnia: qvemadmodum ex Libro ante duo secula ex variis variorum testimoniis & vaticiniis collecto (cui ONUS ECCLESIÆ titulus datus fuit) constat. Ibi enim author (qvem fuisse *Iohannem Episcopum Chemensem in Gallia. Sebastianus Meyer Theologus Bernas testatur*) cap. 62. triplicem Christi adventum distingvit. *Primum in carne: secundum in virtute & efficacia spirituali, ad interficiendum Antichristum* (2 Thes. 2. 8.) *tertium in fine septimi status Mundi & ultimi millenarii &c.* De secundo adventu adducit authoritates Scripturarum: ut Ies. 11. *Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Ierem. 25. *Suscitabo David germen justum* &c. Dan. 7: *Aspiciebam in visione noctis, & ecce in nubibus Cœli* &c. Item Matth. 10: *Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis.* Item qvæcunqve in Paulo, & in Apostolicis literis, de propinqvo Christi adventu mentionem facere videntur (qvale est etiam illud 1 Cor. 15, *cùm abolaverit omnem principatum &c.*) addit: *Post occisum Antichristum, & Regnum ejus abolitum, pax dabitur Ecclesiæ, & satan rursus alligabitur, pii primas obtinebunt super Terram & quietè agent? Judæi ad Christum convertentur, erit magna scientia Domini in terra: Prophetæ & Apocalypsis tunc intelligentur.* Huc item applicat Scripturas, Esai. 2. *Erit in novissimis diebus &c. De Pace magna* similiter Ies. 35. Item Ierem. 30. *Non dominabuntur ei amplius alieni, sed servient Domino Deo suo, & Davidi Regi suo, quem suscitabo eis.* Item ejusdem 31: *Non docebit vir fratrem suum.* Huc adducit authoritates Scripturæ *de pace Israeli promissa.* Item, *Unum Ovile, & unus Pastor*, Ioh. 10. *Et ille status* (inqvit) *erit Cœlum novum, & Terra nova*, Apoc. 21: & in posteriori epistola Petri. Item *Civitas nova, Jerusalem de Cœlo descendens.* Atqve huc pertinere dicit totius libri Apocalypseos finem, non ad futuram beatitudinem, qvæ describi neqveat, juxta Es. 64 & 1 Cor. 2. Ita ille.

21 Exactô rursum seculô *Sebast. Castellio*, Bibliorum versionem suam *Edvardo* VI *Angliæ Regi dedicans*, eandem spem millenarii Regni Christi magno zelo resuscitatum ivit. Adductis enim variis clarissimis Prophetarum vaticiniis, addit: *Equidem aut hæc futura esse fatendum est, aut jam fuisse, aut Deus accusandus mendacii. Quod si quis jam fuisse dicat, quæram ex eo, Quando fuerit? si dicat, Apostolorum tempore: quæram cur non undiqvaqve perfecta fuerit, & tam citò exoleverit. Dei cognitio & pietas? quæ & æterna, & marinis undis abundantior, fuit promissa. Sin dicat, Nostro tempore; mirabimur hanc Pacem, quæ ex vomeribus falcibusque nostris cudat enses, & supellectilem domosque convertat in bombardas & propugnacula &c.* Demum: *Tanta est Propheticis Oraculis, & in Apocalypsi, Christianis promissa felicitas, & perfecta Dei cognitio ac Obedientia! Quam equidem quò magis evolvendis sacris libris considero, eò minus hactenus præstitam video, quomodocunqve illa Oracula intelligas &c.*

22 Atqve ex eo tempore rursum spes hæc millenarii Christi Regni, apud multos in Anglia, Germania, Gallia, imò & Italia, Theologos, reviviscere cœpit. Tuendam enim suscepit *Alphonsus Conradus Mantuanus*, Commentario in Apocalypsin anno 1574 edito: & *Thomas Campanella*, Libro de Regno Messiæ scripto. Tum in Germania, *Lucas Osiander, Johannes Piscator, Alstedius, Seidenbecher*, aliiqve. In Gallia verò *Petrus Launæus, & Andreas Rallius*; in Belgio *Petrus Serarius, Daniel*

Brenius (libro cui titulus, de *Glorioso Ecclesiæ Regno, per Christum in terris erigendo*) & hinc inde alii plures, eam animosè propugnare aggressi. Inter qvos reperiuntur, qvi non tantùm Regnum Sanctorum sub invisibili capite suo, sed & corporalem ipsius Christi præsentiam, defendunt: eóqve offensionis non nihil dant.

23 Cæperunt & Astronomi (occasione potissimùm novæ Stellæ anno 1572 exortæ, sicut & aliarum duarum, anno 1660 & 1604, ignitiqve Trigoni anno 1603 inchoati, 1663 finiti, ultimi ut putatur) spem hanc fulcire. *Tycho Brahens, Hagecius, Keplerus, Dobricius*, alii. Qvin & Theologicum (de stella 1572) judicium allegat Brahe (pag. 327. Part. I.) istis verbis: *Theodorus Beza, vir admodum celebris, & non solum genere, sed & doctrinâ imprimis Nobilis, déqve literis tam Sacris qvàm Philosophicis* (si qvis alius hoc ævo) *præclarè meritus, de Stella hac eleganti Epigrammate sic lusit.*

Iste novus nullo furiali crine Cometes,
Et radians puro, cui nitet, igne, jubar,
Ecqvid portendat Terris, Deus ille Deorum
Novit, & ostendent tempore Fata suo.
Qvod si humanæ aliqvid possunt præscíscere mentes,
Talia scrutari, nec mihi Signa, nefas.
Hic ille est, olim parvam Davidis ad Urbem
Duxit ab Eoo, qvi priùs Urbe Magos.
Et qvi nascenti præluxit, nunciat idem
Ecce redux reducem rursus adesse Deum.
Huic igitur felix ô Turba applaude piorum!
Tu verò Herodes sangvinolente time!

24 Et qvia inusitatis Europæ hoc semiseculo motibus inusitatæ cujusdam Mutationis fundamenta poni visa sunt; & igniti Trigoni septimi Planetarum supremorum Conjunctio tertia, in annum 1663 incidit, eámqve magna omnium Planetarum (in igneo qvoqve Sagittarii signo) Congregatio præcessit (qvod an unqvam ab Orbe condito factum sit, nesciunt Astronomi): reperti sunt qvi non tantùm inde signum, sed & initium, magnæ Mutationis in Religione & Politia sumunt. In Religione nimirum conversione jam tandem Judæorum, Turcarum, omniumqve reliqvarum Gentium, ad fidem Christi. In Politia verò interitu Monarchiæ Nimrodicæ, venatricis, & qvæ illam bestiali violento regimine, oppressionibùsqve mutuis, seqvutæ hucusqve fuerunt: qvas omnes Lapis sine manibus abscissus conterens disperdet, ipseqve Mons factus totam Terram implebit (Dan 2) Qva de re tractatus qvidam, ante & post Synodum illam Planetarum omnium publicati, aut risu aut contemptu plerorumqve Theologorum (Damasianæ hypothesi insistentium) excepti sunt: superstitioni tribuentium, qvod è Stellis jam qvoqve, & earum naturali cursu, prophetas sibi fingere tentent homines ad vana proni.

25 Edidit & Chronologorum non nemo (*Michael Güllerus Silesius*) Anno 1650 idiomate Germanico libellum, qvô *omnes fatales Ecclesiæ terminos* (Danieli potissimùm

mùm, & in Apocalypsi Iohanni, ab Angelis nominatos) *hoc nostro tempore decurrere*; *imò & sextum Mundi millenarium planè exspirare, septimùmqve (sabbathum Ecclesiæ allaturum) inchoare, admodum clarè ac potenter è Scripturis divinis historiisqve humanis, demonstrat.* Qvæ si attendere vellent Theologi, esset illius rei usus bonus, ut ab utroqve extremo (variâ dico circa curiosa temeritate, & supino circa opera Dei stupore) cavere discamus: neqve similes evadamus illis, qvos *Christus faciem Cœli dijudicare posse, SIGNA verò TEMPORUM non posse, dicit, & tanqvam hypocritas increpat:* Matth. 16, 14. Nempe qvia nos in simillima istis tempora incidimus, similesqve nunc ut tunc Qvæstiones (*De inchoando jamjam Regno Dei*, qvocunqve id sensu ab his vel illis accipiatur) agitantur: ut istorum circa hæc errata nostræ serviant cautioni.

26 Qvemadmodum enim tunc temporis, ablato jam à Iuda Sceptro, & hebdomadibus Danielis decurrentibus, aliisqve adventûs Messiæ signis aut præterlapsis aut præterlabentibus, arrectæ in omnia erant omnium aures, aperti oculi, occupatæqve lingvæ: *ita nunc nescio qvomodo animi omnium in qvendam rerum Reparatorem intenti sunt. Nam & Judæi Messiæ sui adventum, majore ac unqvam anxietate, prospectant: & Christiani Damasiani adventum Christi ad Judicium vivorum & mortuorum* (eò qvod Regnorum ruinæ extremum qvid Mundo minantur) *non longè abesse ominantur; condemnati verò ab his Millenarii medium priùs adventum, ad erigendum toto sub Cœlo promissum omnibus populis Gratiæ Regnum, sperant: & Turcæ ad latus stantes, post elapsos à Mahomedis morte annos mille, elusasqve spes suas, quò se vertant nesciunt.*

27 Et tamen qvemadmodum olim, qvi circa primum Christi adventum maximè operosi videri volebant, illum ne qvidem in medio jam sui stantem, divinæqve potentiæ opera edentem, agnoverunt, alia qvædam fortiora signa (de Cœlo) reqvirentes: ita metuendum ne modò eveniat, ut dùm simplicibus, piis, Deo credulis, omnia Christi novum adventum in oculis ponunt, aliis sublimibus nihil satis sublime videatur, prodigiosa tantùm exigant omnia. Ergò *qvemadmodum ibi Christus signa de Cœlo reqvirentibus, signa qvidem de Cœlo dabat, at non qvalia volebant illi, igni Eliæ similia: sed ex usu qvotidiano desumta, Vespertinum & matutinum Cœli ruborem, ad SIGNA TEMPORUM* (adventui videlicet suo à prophetis designatas notas) *provocans. Ita nunc fortè videndum erit, ut Cœli signa (si qva dantur) non aspernemur qvidem, primariò tamen ad SIGNA TEMPORUM, qvæ ipse Prophetarum Dominus posuit* (Matth. 24. ✝ 3 &c.) *magis attentè qvàm hactenus respiciamus omnes.*

28 *Qvemadmodum autem tunc primi illius Adventus Christi proximum & ultimum erat signum* (post omnes suâ serie antegressos prophetas) *præcursor Johannes Baptista, pœnitentibus adventans jamjam Regnum, impœnitentibus autem ultimam iram, & à radice exitium, nuncians:* ita nunc appropinqvante secundo illo (ad restitutionem rerum, erigendumqve suum jam sub universo Cœlo regnum) adventu, placuit Deo & antecedentibus aliqvot seculis Viros & fœminas spiritu prophetico afflatos (ut in libro ONUS ECCLESIÆ dicto, & in *Catalogo Veritatis Testium* citantur) præmittere; & nostro hoc alios, digitô jamjam venientem Dominum monstraturos, excitare, majori etiam (per Germaniam & alibi) numero.

29 *Inter quos dum hi etiam tres (Kotter, Poniatovia, Drabicius) de instante illa stupenda rerum super toto Orbe mutatione, Regnôqve Christi glorioso jamjam inchoaturo, scribunt qva jussi sunt; & verò hæc non esse ficta, ex adjuncta illis historia planè constare potest: quid vetat illa etiam omnia à Vobis omnibus, ô Ecclesiarum Præsides, cognosci?* Atqvi humana super Scripturarum Libros commentaria legere non gravamini: cur hæc non humana (qvàm verè vivit Deus) cognoscere nauseetis? Atqvi Vos Politicis etiam negotiis, & qvæ secularem Dominationem spectant, occupatis: cur non his potiùs, qvæ de reparanda Regni Christi Politia agunt? Et qvidem ad mentem Christi, *qui non sic qvomodo Reges gentium dominantur*, Vos suos dominari vult: *sed sedere in REGNA SUA super thronos, judicantes duodecim tribus Israel*. Luc. 22. ✠ 24 ad 30. Imò qvidam Vestrûm se Bellis modernis, materiali armaturâ gerendis, implicant, qvod Mundus videt & abominatur: cur non potiùs Bella eligitis, qvalia spiritus Christi & per Apostolum svasit, 2 Cor. 10 ✠ 36: & per hos nostros svadet? *Convocate ad prælia bellorum meorum*, inqviens: *sed belligerari docete non ad occidendum corpora, destruendumqve munitiones Urbium & Arcium: sed ad demoliendum spiritus impuros, & subvertendum montes erronearum doctrinarum, in mortem non vitam deducentium. Atqve hoc erit meum illud opus novum, renovatioqve Mundi speciosa &c.* Drab. CCCLXI. ✠ 31, 32, 33.

30 Hæc autem ut cum fructu legi possint, clarusqve de ultima Dei voluntate intellectus inde hauriri, dimittenda erit Damasiana illa (*de non redituro ad nos Domino nostro, etiamsi constituti nos super familiam ejus dispensatores edamus, bibamus, inebriemur, percutiamus Conservos* Luc. 12, ✠ 39, ad 47 *Imò & commissorum obliti talentorum, nihilqve nisi loco Domini regnare ipsi avidi, nuncium ei mittamus, nolle nos illum regnare super nos*, Cap. 19. 12 15) hypothesis. Dimittite igitur obsecro, aut saltem ad tempus suspendite, *istud carnalis securitatis pulvinar!* Legite potiùs attentè, cùm Divinos Prophetarum & Apostolorum libros denuò, tùm & has novas earundem rerum repetitiones. Atqve tunc nisi omnia Vobis millecuplò apparebunt clariora, qvàm per ista *Damasiana conspicilia* hactenus, liberum erit eadem resumere.

III. De tertio præjudicio.

31 *Sed ingens obstat scrupulus, montis instar, de novis Prophetis, an admittendi sint?* Qvid hîc dicam? Utinam ea tempora sint, qvibus nullis extraordinariis monitoribus esset opus! Qvod esset, si Ordinarii rectè opus agerent, ut omnia suo loco essent, & se intra ordinis Divini cancellos continerent, Magistratus, Clerus, Populus. Ita enim nulla Deo esset causa extraordinariè aliqvid agendi: gauderet potiùs de nobis, si ut Cælestes exercitus, Sol, Luna, Stellæ, statutas Ordinis leges servant, ita Ecclesia Politiaqve servaret.

32 Verùm qvando Terræ habitatores (Domini in Cœlis obliti) nolunt nisi comessari, libidinari, ferocire: annon causa est aliqvem ad illos justitiæ præconem, *Noam vel Loth*, mittendi, anteqvam impœnitentibus diluvium, vel ignis, immittatur? Qvando Pharaones populo Dei dura imponere onera, imò in eorum

vitam sævire, non intermittunt, annon *Moses aliqvis cum Aarone*, qvi dehortentur, mittendi sunt priùs, qvàm plagis Ægyptus obruatur, aut absorbeatur abysso? Qvando Ieroboami cultum Dei transformare in Vitulos; aut Achabi Dei loco inducere Baalim, attentant: nonne Deus populi sui stultitiam inclamare, missoqve aliqvo obscuro anonymo Prophetâ pœnas denuntiare (1 Reg. 13) aut misso *Eliâ* igne & gladiô zelum suum testari (cap. 18) cogitur? Si totus populus deficit, ut nec Princeps nec Sacerdos officium faciat, omnesqve consvetudinibus pravis indormiant, nonne aliqvis extra ordinem, qvi excitet, mittendus? Qvando Pastores gregem non pascunt, sed seipsos, annon *Ezechiel* aliqvis, pastoralis officii eos admoniturus, ad eos expediendus? Et qvod Christus per parabolam proponit, qvando Vinitores Vineæ sibi commissæ fructum non exhibent, annon Domino suos mittere servos, qvi reposcant, fas est? Verbô, si nulla essent peccata, nulla Deo esset pœnas infligendi, nullaqve harum prænuntios Prophetas mittendi, necessitas.

33 *Infelicem populum, qvi Deum habere mavult cæcum, surdum, mutum, qvàm videntem, audientem, populumqve suum de necessariis monentem! Infelices Scripturarum interpretes, qvi qvod Deus in Scripturis loqvens affirmat expressè, negant expressè! Deo singulariter aliqvid operaturo populum suum præmonendi consvetudinem esse æternam.* Ita enim expressè scribi mandavit: *Nihil facere Dominum, nisi revelaverit secretum suum servis suis prophetis* (Amos 3. 7.) A qvo igitur spiritu contraria illa assertio, *Deum hodie clam nobis agere omnia*, venit? Qvod qvicunqve statuitis, necesse est evincatis, aut dictum illud apud Amos non esse dictum Dei, illudqve è Bibliis Vestris expungatis: aut Deum hodie non esse antiqvum illum philanthropon Deum, cui secreta sua communicare hominibus volupe sit: aut evincet rès ipsa Vos hodie non esse ejus servos, sed illos qvibus cogitata sua revelare dignatur.

34 Obsecro Vos Theologi, videte ne Vos attentione in Verba & Opera Dei vincant Politici, etiam ille à nonnullis atheismi suspectus *Machiavellus*. De qvo ita T. Magirus in Polymnemone suo (mihi pag. 1894) *Acri, subtili & igneo Vir ingenio, si Belgarum Seneca credimus, Machiavellus coætaneis major omnibus (nisi qvod dum per commodi semitas intentè ducit Principem suum, à regia Virtutis abducit via) currentia cum præteritis copulavit tempora: & ut causam facilè confitetur se ignorare, ita rem ipsam non ex antiqvis modò, sed & novis agnosci exemplis ait oportere: Omnes magnos motus, qvicunqve aut Urbi aut regioni evenêre, vel à Conjectoribus, vel Revelatione aliqva, prodigiis, aut Cælestibus signis, prædici solitos. Domesticô id communit exemplo de Carolo* VIII *Gallorum Rege, cujus adventum in Italiam Florentinis Savonarola longè ante prænuntiarit: de cujus sanè Martyrii spiritu, vaticinio & sanctitate Cominæus plura, qvin & ipsi ejus interfectores alii, non vulgaria consignarunt. Qvam Machiavelli regulam qvi hac ætate infirmam suspicatur, eum in Mundo, in Patria, in ædibus torôqve suo, esse peregrinum oportet. Ecqvis enim etsi cæcus non videat, et si surdus non audiat, et si utroqve sensu captus non palpitet tamen, qvid hac dies divinationum, qvid præsagiorum, qvid portentorum, & ut tanto crebriori freqventia qvanto novarum continuè rerum ferocior est, apportet & accumulet!* Hæc Magirus.

35 Qværo ex te *Episcope*, qvisqvis es, spectasne Tu omnes in Tua diæcesi ataxias (etiamsi Parochi inter se lites, jurgia, rixas, cædes, & qvæcunqve scandala, patrent) mutus? nihilne unqvam interloqveris? Sicut & tu *Paroche*, nunqvamne privatim hunc, istum, illum Auditorem scandali admones, publicis de suggestu admonitionibus contentus? Et *tu Disputationis Academicæ Præses*, tacitus ne semper Opponentis cum Respondente contentiones spectas? nunqvam interloqveris? nunqvam lites terminas? Qvis talem Præsidem, Pastorem, Episcopum non truncum diceret, non ut inutile idolum vili penderet? Et cur igitur deteriora *de ipso Animarum Episcopo* (1 Pet. 2. 25) *de ipso cui nullus similis est Doctore* (Iob. 36. 22) deqve summo Orbis præside ac Judice (Ioh. 5. 22) cogitatis, aut cogitari permittitis? An qvia non semper loqvitur & fulminat, ideò semper mutum existimatis? Audite, qvid ipse de se Psalmo 50. 21 dicat: *Hæc fecisti & tacui, & tu cogitas me similem esse tui? Arguam te, & disseram in oculis tuis.* Et apud Iesaiam 42, ✝ 14: *Tacui diu, silui, patiens fui: sed sicut parturiens loqvar, dissipabo & absorbebo.* Ad Jeremiam verò dixit Deus: *Qvia negaverunt Dominum* (per Prophetas loqventem) *dicendo, Non est ipse &c. ecce ego do Verba mea in ore tuo in ignem, & populum istum in ligna, & vorabit eos* (cap. 5. ✝ 12, 13, 14).

36 Hoc etiam. *Qvia novos Prophetas & Prophetias plerique Vestrum Satanæ ludibria esse credunt, qui ad stabiliendum res suas in Angelum lucis sese transformando homines dementat*: expendatur qvæso, *Annon qui hoc dicunt vigilantia super regnum suum laudem majorem satanæ, qvàm Deo, tribuunt?* opus imposturarum satanam non intermittere, Deum veritatis opus intermittere, statuentes. Et cujus ergò simiam agit satan, si qvod hodie non agit Deus, ille tamen agit? *Et an Deo negabitis qvod Satanæ conceditis? Ludere in Orbe terrarum, deliciásqve suas esse cum filiis hominum?* qvod tamen sibi æterna Sapientia tribuit, non satanæ, Prov. 8. 31. *Cavete per Deum Theologi homines excæcare, dum eos oculatos reddere videri vultis!* Aliud enim est spirituum discretionem docendo, ab imposturis populo cavere: & aliud providentiam in his Dei universaliter negare. Non dixit Apostolus novæ legis populo, *Prophetias ne ampliùs admittite!* sed dixit. *Spiritum nolite exstingvere, Prophetias nolite spernere: Omnia probate, qvod bonum est tenete* (1 Thess. 5. 19, 20:) Cur Vos aliter? Dixit qvidem Apostolus, & prædixit. *Prophetias evacuatum iri* (1 Cor. 13. 8): sed in Ecclesia infantiam & pueritiam suam egressa, adulta & perfecta, qvalem fore tandem Prophetæ, Christus, Apostoli, prædixerunt & variè præfigurarunt: & qvalem jam fore hi ultimi prophetæ nuntiant, eóqve ultima Tuba dicti sunt (Drab. 50. 7.)

37 Potiùs ergò pars qvæqve Vestrûm, ó constituti super muros Ierusalem Vigiles, occasione hâc opera Vestra, Ecclesiæqve vestræ statum, examinate, *an perfectioni suæ appropinquet?* Aut saltem *an Ecclesia vestra verè sit Ecclesia?* (*cœtus scilicet avocatorum à mundo*: illud enim est qvod *Ecclesia vox sonat.*) *Annon relapsa est in Mundum? annon ipsissimus facta Mundus?* Si seriò re atota inspiceretur, forsan videretis qvod dudum tot sancti Viri viderunt: *Inter modernos Christianos nil ferè Christi, præter nomen, reperiri.*

Qvippe ubi, I Humilitas Christi versa est in fastum, à summo Ecclesiæ capite ad infimum

qvemqve·

qvemqve. II *Cæleste Christi regnum versum in terrena omnia.* III *Mansvetudo Christi degeneravit in furores & rabiem, dilaniandiqve se invicem proterviam.* (Ut non jam simus cicuratus grex tigridum, leonum, luporum, serpentum: sed grex Ovium, in lupos, ursos, dracones, viperas, conversarum, nihil nisi nocere sibi invicem in toto sancto Dei monte avidarum.) IV *Demum si verum est qvod sanctus Vir dixit, Christus regnat in internis, Antichristus in externis, Omnes jam facti sumus Antichristus*: qvia nemo propemodum in Spiritu & veritate colit Deum, omnes in carne vivendo pietatis fuco decipere qværunt Deum: septem illis millibus exceptis, qvos in occulto sibi servat Deus (1 Reg. 19. 18)

38 *Et nondum Deus prophetas aliqvos mittendi, comminationibusqve novis pænitentiæ admonendi, satis justas habet causas!* aut pergimus nos Deum habere malle ἄσοργον? calamitates nostras non curantem? vel mutum, nos alloqvi & præmonere non valentem? aut tyrannum, præmonere dedignantem, & impræmonitos tamen opprimentem? *Etiam atqve etiam qvid agatis, Theologi, videte! Ut si pergitis nolle Vobis Deum per homines loqvi, ille qvidem misellos istos servos suos tacere, alios verò Vobis terribiles præcones, prodigia in Cœlo & Terra, & sangvinem, & ignem, & vaporem fumi* (Ioel 2. 30) *prodire jubeat. Aut deniqve impræmonitis* (qvando ita vultis) *mittere formidines, & foveas, & laqveos &c. ut dissipetur terra, & dispergantur habitatores ejus: & sit sicut populus, ita sacerdos; sicut ancilla, ita Domina ejus &c. &c.* Ies. 24.

39 Ecce tamen pro bonitate sua Deus adhuc nobiscum agit! Ecce adsunt, qvi nostro etiam corruptissimo ævo, Dei jussu & Angelorum ministeriô, *aut resipiscendum esse nobis, aut plagarum Dei diluvio pereundum*, nuntiant. Qvæ si nemo credere ac emendare volet, interitus præforibus est, qvàm verè Deus Deus est, si hæc verè à Deo. *Eqvidem si humana sunt aut satanica, non metuere ista, sed contemnere licet:* transibunt enim sine effectu, qvem nemo præter Omnipotentem præstare potest. *At si verè à Deo veniunt, qva populus nec audire nec seqvi vult, Væ Vobis populi duces! Vos reddetis rationem: qvi Ordinariæ Vestræ vocationis fiduciâ omnia hæc extraordinaria tam fastuosè contemnitis, ut nec visu, nec auditu, nec examinatu digna statuatis.*

40 *O sacrata Deo capita, Vestrum est medios esse inter Deum & populum, nosseqve omnia per qvæ populus Deo suo reconciliari, Deus autem populo suo propitiari, possit. Nolite igitur esse ut filii Heli, sacerdotes licet, filii tamen Belial, nescientes Dominum!* (1 Sam. 2. 12) *aut ut Samuel puer, nondum noscens vocem Domini, qvia illi nondum revelatus fuit sermo Dei* (cap. 3. 7.) *aut ut Sacerdotes & prophetæ Ierosolymitani, errantes præ ebrietate, nescientes Videntem, ignorantes judicium* (Ies. 28. 7). Ecce Videntes hîc.! Videte eos, ut ne ignoretis? Ecce qvæstionem obscuram, *An hodie dentur Videntes?* examinate illam & illos, ut qvid judicandum sit sciatis! *sed nolite judicare secundùm faciem* (hoc est obiter, secundùm externam superficiem) *sed justum judicium judicate*, inqvit Christus, Ioh. 7. 24.

IV. De præjudicio qvarto.

41 *Sed res præjudicata est, inqviunt Vestrûm nonnulli: Hic aut ille, vel Consistorium,*

Syno-

Synodus, Academia, hac & illa, condemnarunt ista. R. Rem judicare nolle qvia judicata jam esse putatur justum ne est judicium? Qvid enim si priores illi ita rem judicassent qvomodo Christus prohibuit, *secundùm faciem?* nunqvamne ad justum veniendum erit judicium? *Judicium Theologicum (de qvacunqve vel minima re) debet esse non nisi gravissimum*, inqvit gravis Author: maximè de rebus maximis, salutem Ecclesiæ concernentibus, & qvæ à Deo ipso (certè sub ipsius nomine) veniunt, ad qvas humani ingenii acies, ut acies oculi ad Solem se habens, hebescit facilè.

42 *Qvid ergò faciendum? Primò*, qvia Prophetiæ non sunt joculare qvid, sed res gravissima, atqve si à Deo veniunt, divina: non ergò etiam localiter & frivolè hîc versandum, sed cum intimo Numinis metu & reverentia. *Secundò*, Non præsumendum propriâ ingenii vi, sine illuminatione divina peragi posse judicium hoc. Spirituum enim discretio, æqvè ut prophetia ipsa, Spiritûs sancti donum est (1 Cor. 12. 10.) Ideò Petrus *nullam prophetiam propriâ interpretatione fieri* testatur: *qvia non humanâ voluntate afferuntur prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loqvuntur sancti Dei homines* (2 Pet. 1. 20, 21. Ergò & illum qvi prophetias intelligere, deqve illis judicare vult, Spiritu sancto inspirari necesse est. Ergò & Spiritum sanctum implorare, qvem cælestis Pater dare promisit petentibus eum, Luc. 11. 13. *Tertiò*, qvia Christus dixit? *Si qvis voluerit ejus voluntatem facere qvi me misit, is cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego à meipso loqvar*. Joh. 7. 17. necessariò seqvitur etiam de omni Propheta utrum à Deo missus sit an à seipso loqvatur, non aliter fundamentaliùs cognosci posse, atqve si qvis revelatam Dei voluntatem toto animo facere paratus sit. *Initium enim sapientia timor Domini: intellectus bonus eum facientibus*: Psal. 111. 10. *Temerè agentibus miscet Dominus spiritum soporis, &c.* Ies. 29. 10.

43 Et qvid adeò circa hæc perplexari opus, ubi nihil in fundamento nisi æternorum Dei decretorum iteratio est? Nempe *Ut qvi seipsum extulit, humilietur* (Luc. 18. 14.) *Ut qvi gladium accepit, gladiò pereat* (Matth. 26. 52.) *Ut qvi Ecclesiam tribulant, tribulentur; tribulati autem reqviem accipiant in revelatione Christi* (2 Thess. 1. 6, 7) *Utqve perdantur qvi perdunt Terram* (sicut Originalis textus habet Apoc. 11. 18.) *Et ut Agnus accipiat potestatem, & gloriam, & regnum &c.* (Apoc. 12. & 11. 15.) *Cives autem sui, qvi noluerunt eum regnare super se, ut adducantur & ante illum interficiantur* (Luc. 19. 14. 27.) Et similia: qvæ si tolerare his in libris non potestis, expungite de Vestris etiam Biblicis voluminibus. Si autem ibi ea ferre potestis, & debetis, ferte hîc etiam: ut verum vero consonet, antiqvaqve de rebus Dei testimonia concordent novis.

44 *Si qvid adhuc circa homines istos sine literis, & idiotas* (Act. 4. 13.) *dubii restat, nonne moderatum est Gamalielis consilium?* qvod in pleno Pharisæorum concilio his verbis tulit: *Abstinete ab hominibus illis, & sinite illos! qvoniam si ex hominibus est consilium hoc, aut opus, dissolvetur. Si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud: ne fortè & Deo repugnare videamini. Et consenserunt illi* Act. 5. 38.) Patiamini eadem hæc Vobis dici, ô moderna *Concilia, Consistoria, Academia!* Desistite oppugnare Librum hunc! frustra pugnaturi si opus hoc ex Deo est, non ex hominibus. Refutando enim illi nullum humanum sufficiet ingenium; nec sistendo Operi qvod hîc nuntiatur (*Innovandi Mundi*) ulla

huma-

humana vis aut potentia; nec melioribus Humano generi optandis ulla humana bonitas. *Ut non restet nisi vota sua submittere votis Dei, & acumen suum accomodare ad Sapientiam Dei, viresqve convertere ad cooperandum Deo.*

45 Si cui consilium hoc non placet, sed in evertendo Opere hoc experiri vires suas volet: is etiam tentet sistere Soli qvotidianum ortum & occasum suum; aut Mari fluxum & refluxum suum; aut Ventis huc vel illuc flatum suum. Atqvi tu tibi ipsi, ó homo, spirandi & respirandi actum sistere non vales: & qvomodo Spiritui æterno flatum & afflatum suum cohibere tentas? *Desinite scintillæ pugnare cum flamma, flumina cum mari, homines cum Deo! non prævalebitis. Desinite insanire homines, homini aut Satanæ tribuendo, qvod nec homini nec Satanæ tribui potest, Divinâ voce loqvi, verbaqve sua omnipotenti virtute sigillare:* commovendo scilicet Terram & Mare, & Insulas, conterendoqve populos alios per alios. *Ecce Dominus est, qvi & loqvitur & facit!* Ies. 46.11. Ez. 36.36.

46 *Sed qvi hæc legerunt non impleri dicunt:* dicet aliqvis. Resp. *Non inspexerunt rem totam, qvi ita judicant: sed arreptâ hinc inde particellâ, vellicant. Nec intelligunt scopum Dei prophetias populo suo submittentis: qvi non est humanæ curiositati circa hanc vel illam rem, aut personam, pabula præbere, sed malis terrorem, bonis spem, omnibus pœnitentiam & patientiam, ingenerare.* Qvod qvisqvis non attendit, facilè impingit: aberrare putans prophetias, cum aberret ipse. Non ergò in prophetiis (antiqvis & novis) primariò qværenda sunt curiositatis (ut dixi) pabula, *qvid futurum sit:* sed pietatis & timoris excitabula, *qvid Deus reqvirat aut vetet, promittat aut minetur, & qvomodo effugienda sit ira, impetranda gratia.* Qvod dum homines non faciunt, excæcat eos Deus, ut eis omnis Visio fiat liber signatus, legi non valens (Ies. 29.11.) nec ibi aliud inveniant profani, qvàm lapides ad qvos offendant, & caligines ubi cæcutiant.

47 Qvantum ad pios & fideles, illi nosse debent morem Dei: qvi est, *horam promissi auxilii plerumqve differre in horam desperationis;* usqve ad mare rubrum, & Pharaonis gladium; usqve ad hortum Gethsemani & montem Calvariæ, loraqve, flagella, spinas, crucem, sepulchrumqve Christi, & c, *venire tamen tandem.* Etiam Ioseph somniorum suorum amiserat spem, venit tamen in conspectum veritas tandem. Neqve Abrahamo promissa proles venit, nisi postqvam desperasset Sara. Nos certè ipsi etiam, harum Revelationum mox ab initio testes, per hos supra 40 annos toties totiésqve non dubitavimus solùm, sed & desperavimus: dum nihil eorum qvæ prædicebantur videre fuit, aut necesse habuimus spectare prædictis contraria. At ubi post tot annorum & eventuum circulationes Fata exitum invenire incipiunt, indiesqve principaliora qvæqve magis deteguntur: de iis qvæ restant qvis dubitationi potest esse locus? *Nam ecce res ipsa jam esse incipiunt in oculis! terribilis Gentium commotio, & per omnia Europæ regna plagarum Dei diluvia: qvalia prænuntiata sunt, die qvò sperata non sunt.* Si qvis nondum videt, tantillæ moræ patientiam exorari à se patiatur, dum maximè memorabiles termini, hîc nominati, in prospectu jam sunt: Annus 1665. jam inchoans; & 1666. jam appropinqvans; & 1670. non longè distans. De qvo *Philippus etiam Nicolai*

scripsit, si finem Mundo non affert, mirabilem tamen & inexpectatam rerum mutationem allaturum.

48 Qvibus omnibus ita constitutis, qvid ni cum Iesaia dicere, Vobisqve Ecclesiæ Angelis ob oculos pingere, liceat: *QVI CREDIDERIT NE FESTINET!* cap. 28. 16. h. e. qvisqvis obstinata incredulitate peccare non vult, ne judicium præcipitet, potiùs illud suspendat, donec sibi omnia plenè cognita (hoc etiam comprehensa Libro) resqve ipsæ ut jam in cursu erunt spectatæ, sint, tùm demum ad solidè de his omnibus judicandum futurus idoneus. *Rogo autem Viros Deo devotos, ut modò citatum Jesaiæ caput* 28, *attentâ mente recognoscere velint: & annon omnia ibi contenta nostro etiam huic tempori qvadrent expendere.* Nempe qvô Deus populi sui corruptelas diutiùs non tolerare, sed sibi displicentia subvertere, minatur, Sionem verò à fundamentis reparare promittit: tametsi pleriqve in populo nihil horum intelligere velint, ideoqve ludibriis excipiant &c.

49 *Rogo item libeat Jeremiæ caput* 33 *legere totum.* Ubi si mox ab initio ad Ieremiam verba Dei leges; *Clama ad me & exaudiam te, & annuntiabo tibi grandia, & firma* (h. e. certò futura) *qvæ nescis*: velis ne clamare, & grandia illa audire? Si nolis, ingratus es ergà tàm benignè tibi se offerentem Deum: aut hypocrita, qvalis fuit Achaz signum petere jussus: petere tamen renuens, Ies. 7. 12. Si verò audire velis, audi ergò! Hic enim, hoc ipso Libro qvem manu tenes, talia nuntiantur qvalia ibi audivit Ieremias. Hoc solùm interest, qvòd Jeremiæ nuntiantur serò futura, pòst tot secula: nobis verò nuntiantur jamjam ventura ævo nostro, *Conversio totius inter gentes dispersi Seminis Abrahami, una cum omnibus reliqviis Gentium, ad Deum suum.* Lege caput illud (imò & præcedentia tria, 30, 31, 32.) & Lege Librum hunc: videbis eadem gaudia Ecclesiæ, salutemqve Israeli & Gentibus (tametsi non sine præviis terribilibus Dei judiciis, & effusis super præsentes abominationes plagis) nuntiari.

50 *Qvod si ita esse comperietur, nihil erit causa cur cuiqvam Librum hunc condemnare, aut ejus lectione qvenqvam prohibere, allubescere debeat: commendare potiùs, ut cum gaudio recipiatur & legatur. Gaudere enim certè debent Christiani*, qvia qvod sedecim seculis in nomine Christi orârunt omnes, ut *ADVENIRET REGNUM DEI*, adesse nuntiatur. *Gaudere dissidentes*: qvia dissidiorum nuntiatur finis, pax & concordia sancitur universalis. *Gaudere Protestantes*: qvia pro se Deus ipse protestatur. *Gaudere Catholici*: qvia Ecclesiæ Catholicæ pomeria extendi ad fines usqve Terræ promittuntur. *Gaudere Zelotæ*, errantes in fide operosè hactenus perseqvuti, & Zizania ex Domini agro periculosè (pio licet zelo) exterminare conati: dum ecce Deus opus hoc suum ipse jam in se suscipit, aream suam sibi ad beneplacitum suum perpurgaturus (Matth. 3. 12) *Gaudere perseqvutionem passi*: qvia refrigerii nuntiantur à conspectu Domini tempora. *Nec adeò terrere qvenqvam debet dies hic Domini, veniens ut ignis: qvia ignis hic est ignis Conflatoris, smegma Fullonum, qvô filii Levi* (Clerus nempe omnium partium) *perpurgantur, ut defæcati fiant velut aurum & argentum; Ecclesiaqve rursum pura Deo sacrificia offerat sicut diebus priscis, & annis antiqvis.* Mal. 3. 1, 2, 3, 4.

AD

AD LECTORES
de Libro hoc informatio.

SApiens Elihu Buzites, Iobum & amicos ejus de Providentia Dei indiſcretè diſſertantes rectiùs informaturus, dixit ad Iobum: *Adverſus nè Deum contendes qvòd non de omnibus rebus reſpondeat tibi? Atqvi Deus ſemel & iterum loqvitur: ſed non attendit (homo). Per ſomnium in Viſione nocturna, qvando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo. Tunc aperit aures eorum, & erudiens eos inſtruit diſciplinâ: ut avertat hominem ab opere malo, & liberet eum de ſuperbia. Eruens animam ejus à corruptione, & vitam ejus ne tranſeat in gladium* (Iob. 33. v. 13-18.) Et mox docet *homines etiam per morbos à Deo erudiri* (v. 19-22.) *& per Angelos interpretes Dei* (v. 23-28): *& per varia judicia qva in homines exercet, bonos & malos* (cap. 34 & 35 & 36) *perqve opera in aliis Creaturis in Cœlo & Terra edita* (cap. 37). Eô ſenſu qvô gentilis qvoqve homo, Herodotus, ſcripſit: *Cùm Deus puniturus eſt gentem vel urbem, prodigiis id priùs ſignificare ſolet.* Alius verò Chriſtianus Scriptor: *Loqvitur cum hominibus Deus non modò lingvâ humanâ, per Prophetas, Apoſtolos, Paſtores, ſed nonnunqvam etiam ipſis Elementis in formas & imagines diverſas compoſitis.*

2 Nota hîc Lector tria. I. *Increpari Jobum qvòd contendere videretur velle cum Deo, de non omnibus judicis Dei, eorumqve cauſis, ſibi revelatis.* II. *Elihu defendere Deum, illum vias judiciorum ſuorum non abſcondere, ſi attendere iis homo ſciat & velit; ſive ordinario curſu res procedant, ſive aliqvid extraordinariè agat Deus.* III. *Deum poſteà è turbine litigantibus illis interloqvendo non Elihu, ſed Jobum, de ſermonibus imperitis increpaſſe,* Cap. 38. v. 1, 2: *utqve Job errorem agnoſceret ac deprecaretur effeciſſe:* Cap. 39. 37, 38, & 42. 3.

3 Ecce autem nunc in Chriſtianitate exorſi ſunt, qvi nihil ampliùs Deum hominibus revelare ſtatuunt: eôqve *omnem ad extraordinaria ſigna, Somnia, Ecſtaſes, Angelicas apparitiones, Prodigia cœleſtia* (ut ſunt Cometæ, Stellæ novæ, Parelii, Tempeſtates inſolitæ, Oſtenta in nubibus confligentium exercituum, ſonitus Tympanorum & tubarum, & ſimilia) *attentionem pro ſuperſtitione habent.* Diſſimillimi prioribus illis ſanctis, qvi ut Deo ita veſtigiis operum Dei religiosè ſemper & ubiqve attendentes, qvicqvid circa ſe, magnum aut parvum, fieret, ad Deum referebant; ſemper ſe à Deo ſpectari, doceri, moneri, rati. (Videatur vel Iobi exemplum, cap. 7. ꝟ. 13. 14: & 9. 11, 12: & 12. 7, 8: & 13. 20, 21, 22. Et Davidis, Pſal. 16, 7, 8. & 86. 17. &c.) Similiores autem illis qvi dicunt, *Nec benè nec malè facit Dominus,* Soph. 1. 12; omnia ſcilicet aut naturalibus cauſis, aut caſui & fortunæ, aut imaginationi vanæ, tribuentes, Deo nihil. De qvalibus per prophetam qveritur Deus: *Dedi Vobis ſtuporem dentium, & indigentiam panis, & non eſtis converſi ad me* (Am. 4. 6.) *Probibui à Vobis imbrem, ad meſſem uſqve: aut plui ſuper Civitatem unam, & ſuper alteram non plui, vel pars* (agri) *una compluta eſt, pars*

altera aruit. & non rediistis ad me (v. 7, 8.) *Percussi Vos vento urente, & rubigine, & corrupti sunt horti, vineæ &c. nec tamen conversi estis ad me* (v. 9) *Immisi Vobis pestem Ægyptiacam, percussi juvenes Vestros gladio &c. nec tamen rediistis ad me* (v. 10) *Subverti ex Vobis qvosdam ut Sodomam, factiqve estis ut torris ab incendio ereptus, nec tamen conversi estis ad me* (v. 11) *Qvapropter ita tibi faciam Israel* (nempe subvertam te penitus) *nisi te paraveris in occursum ire Deo tuo* (v. 12.) Hoc est, nisi agnoveris *me esse Dominum* FACIENTEM OMNIA (Ies. 44. 24) *formantem lucem & tenebras, pacem & malum* (45. 7) *ideò ut me homines timeant* (Eccles. 3. 14.)

4 Qvæ utinam *Naturalistæ* moderni audiant, *qvi homines à superstitioso metu solvere se dicentes, revera mentes metu Numinis evacuant: sic ad naturales causas, aut fortuitos casus, & mentis humanæ consilia, referentes omnia, qvasi Providentiæ Divinæ nullus ampliùs ad res Mundi concursus esset, Deus tantùm Cælo inclusus voluptatibus suis perfrueretur* (qvaliter Epicureis beatitudinem Dei definire placuit) *nostri hic infra securus.* Qvod annon sit ultimam illam Mundi securitatem (de qva divina loqvuntur oracula Matth. 24. 38. Luc. 17. 26. 1 Pet. 3. 3, 4 &c. aut fundare aut fovere, etiam atqve etiam videndum est.

5 *Deus tamen (pro bonitate sua) nunqvam se sine testimonio relinqvens* (Act. 14. 17) *qvantò magis ad Opera ejus humana supinitas connivet, aut caligat, tantò plura sempiterna virtutis & divinitatis suæ indicia hominum conspectui exhibere gloriosum sibi ducit.* Hinc de illis ipsis ultimis Mundi temporibus: qvibus oblivionem fore Dei, & omnia tàm secura ut ante diluvium temporibus Noæ (Matth. 24. 38) prænuntiari fecit per prophetam Ioel, *Omnia tunc plena fore prodigiorum, in Cælo & in Terra, sangvinis, ignis, Vaporum fumi: Somniorum item, Visionum, prophetiarumqve* (Ioel. 2. v. 28. &c.)

6 Et verò fidelem illum Deum præstare qvod promisit, res ipsæ loqvuntur: Prodigia nimirum varia nostro hoc ævo in Cœlo, terra, mari, creaturis variis, hominibusqve ipsis, tam densè edita, ut nullo unqvam seculo crebriora fuisse ullæ memorent historiæ. In Germania enim vel sola tot edita sunt hoc semiseculo prodigia, ut de illis tot exstent volumina. *An Deus ludit ut ludat? Hoc non dicendum: sed colludit Creaturæ suæ rationali, Homini, à torpore illum excitans, & ad spectandum seqvutura mox majora Providentiæ suæ Opera vellicans.*

7 In Hominibus prodigia varii qvoqve generis recenseri possent; *singularissimum tamen est hominum ecstaticorum major ac ullo ævo (uno dico ævo) excitatorum proventus.* Tametsi enim donum prophetiæ ab Ecclesia nunqvam ablatum fuisse rectè doceant Theologi, Historiaqve Ecclesiastica exempla suppeditet (qvæ in *Catalogo Testium Veritatis*, & in libro ONUS ECCLESIÆ dicto; & in PROBATIONE VISIONUM D. Fabricii, videri possunt;) nunqvam tamen uno ævo plures fuerunt atqve hoc nostro. Erant enim, & sunt, *Viri & fœminæ, Senes & juvenes, Nobiles & ignobiles, Docti & indocti, spirituales & laici, qvi Prophetica somnia, raptus, Angelicasqve apparitiones, & Divina alloqvia passi, inusitata de accensa ira Dei, & adventantibus stupendis flagellis, universaliqve rerum mutatione, loqvuti & scripserunt.* In iis maximè Christiani Orbis partibus, in qvibus maximè terribiles oriri

oriri debebant Ecclesiæ persequutiones, Bohemia & Germania. Qvorum Visiones ac Revelationes, qvæ typisdescriptæ in publicum prodierant, fuerunt hi sedecim, temporum ordine sic recensiti: (1) *Christophorus Kotterus.* (2) *Martin Drüscher.* (3) *Johannes Kregel.* (4) *Laurentius Pscherer.* (5) *David de Oppen.* (6) *Johannes Warner.* (7) *Georgius Reichard.* (8) *Johannes Engelbrecht.* (9) *Christina Poniatovia.* (10) *Benigna Königin.* (11) *Susanna Rügerin.* (12) *Margaretha Heidenwetters.* (13) *Anna de Meden.* (14) *Herman de Hude.* (15) *Nicolaus Drabicius.* (16) *Stephan Melisch.* Nec ignoti jam sunt per Angliam & Belgium, plures etiam, imminentium plagarum Dei diluvia nuntiantes: lucem qvoqve forsan brevi visuri.

8 Primarii census inter hos visi sunt fuisse *Kotter*, *Poniatovia*, *Drabicius*, propter maximè gloriosas totam Ecclesiam, totumqve Mundum spectantes, eisdem factas Revelationes; illi per Angelicas apparitiones; isti per Angelos & Dominum; huic, Domino ipso voce vivâ eum alloqvente. *Certanè verò hæc? annon ingeniosi alicujus ad fallendum arte composita fabella?* Resp. Dubitari poterat ab initio, dubitatumqve fuit undiqve, ut harum rerum ostendet historia. Non verò jam dubitandi tempus est, postqvam & testibus hæc locupletissimis firmata, & signis ac miraculis divinis roborata esse, eadem Historia docebit, jamqve publicè constat: & deniqve ubi prædictorum veritas in propatulo est, eventusqve ipsi divinam horum authoritatem sigillant.

9 *Ideò hi tres simul ante octennium* (Anno nempe 1657) *sub titulo LUX IN TENEBRIS editi fuerunt Latinè:* sed qvia exemplarium pauciore numero, nova editio à multis opera Dei spectare avidis instantissimè desiderata est. Data etiam anno 1663, sed epitomata: qvod Viris desideriorum famem non sedavit, irritavit potius. *Revelationes se velle non Revelationum fragmenta*, dictantibus: ut necessariò ad editionem plenam redeundum esset. Accedentibus præsertim & Revelationibus novis, & de nova Editione non procrastinanda ipsius Oraculi mandatis novis, ut suis locis legere erit: *invalescente deniqve magis magisqve circa nos in Europa spiritu grandi & forti, subvertente montes & conterente petras: & post spiritum Terræ motu, & post terræ motum igni, nondum tamen in illis apparente Domino* (1 Reg. 19. 11, 12) Ut ergò pii Eliæ per qvascunqve Mundi specus latitantes ad ostia egrediendi, Operibusqve Domini (*cujus Via in tempestate & turbine sunt*, Nah. 1. 3) attendendi, occasionem habeant, sibilus iste auræ tenuis præmonitionum Dei, præmittendus adhuc erat. Præmittitur igitur ecce!

10 *Habetis ergò in nomine Dei pleniorem illam Lucem! Cujus iterata Editio faxit Deus, ut gratiorem de se odorem sapientiæ filiis spargat, qvàm prior illa: qvâ ut fœtore qvodam ingratò sibi offendebantur* I *Pii nonnulli, pericula inde novasqve lanienas pertimescentes;* ecce autem Deus promissa sua implevit! conservatis illis qvi in Deo spem posuerant suam hucusqve. II *Impii piorum persequutores, fulmina hæc in se vibrari sentientes:* & ecce non effugiunt ea, ad pœnitentiam se minis Divinis permoveri non passi. III *Politici Machiavellici, Athei, Mundum humanis consiliis regi arbitrati, riserunt hæc tanqvam fanatica:* ecce autem Deus se Mundi rectorem esse ostendit! impletis potenter iis, qvæ nomine suo prænuntiari jusserat. IV *Nasuti nonnulli Academici,*

demici, quibus injuriosum fuit visum, qvòd adversus decreta sua Deum adhuc Mundo loqvi credi debeat: aut certè qvòd præteritis doctis & cathedras occupantibus, alii nomine Dei loqventes prodeant, obscuri, indocti, opifices, infantes. Deus tamen morem suum servat, non sapientes, potentes, nobiles, sed qvæ ignobilia, infirma, stulta sunt eligens, ut confundat sapientes: ut ne glorietur in conspectu ejus ulla caro. 1 Cor. 1. 27.

11 *Differentia inter Editionem hanc & priorem, hæc erit.*

I *Prior erat incompleta*, desideratis in Kottero periodis aliqvot, qvas Exemplaria MS. supplevêre: in Drabicio verò accesserunt Revelationes novæ 270, ad clausulam usqve omnium, qvæ Anno 1664 facta est, Julii 9.

II *Prior Editio erat testimonium ligatum inter Discipulos* (Ies. 8. 16) *; sive, Liber Danielis ad tempus statutum obsignatus* (Dan. 12. 4): hæc continet mysteria jam resignata, qvia tempus venit ut impleantur omnia (Apoc. 22. 10) Ideò prior *LUX IN TENEBRIS* dicta fuit: hæc *LUX E TENEBRIS* splendens, omniaqve jam omnibus clarè nuntians.

III *Prior Editio exposita luci fuit timidè ac trepidanter, sub censuram duntaxat*: hæc liberè datur ac fidenter, non tam ad censendum jam *Num hæc divina sint*, sed ad exeqvendum tanqvam divina, pro avertendis adhuc (si potest) adventantibus jam jam plagis, aut justificando Deo in judiciis suis.

12 *Jam igitur ut Tubam extollimus vocem nostram!* ut audiant qvi nondum audiverant, & credant qvi nondum crediderant, & oculis videant, aut palpent manibus, qvi nondum fide præviderant: *Interesse rebus humanis Deum, & interloqvi qvandoqve: nihil agendo* (in majoribus) *qvin revelet arcanum suum servis suis Prophetis, apud populum in qvo beneplacitum est illi. Jam nullis opus velis, nullâ mussitatione: jam audiant necesse est omnes propinqvi & remoti, remotissimæ etiam per omnes maris insulas Gentes, ad ultimos usqve fines Terræ: Deum adhuc vivere, & omnium nostrûm habere curam, & velle NOMEN & NUMEN majestatis suæ notum jam reddi omnibus sub Cœlo gloriosis & contemptis Nationibus: ut lætetur animus qværentium Jehovam, qvoniam venit judicare Terram* (Ps. 98. 9)

13 Tu autem LUX DEI, ad annuntiandum hoc judicium Dei emissa: sed adhuc TENEBRIS pressa, prodi jam E TENEBRIS, & luce in Ecclesiæ Orbe! ad illuminandum LUCIS avidos, præstringendum autem luci rebelles, & excæcandum obstinatos. Et qvemadmodum tenues tantùm radios per rimas emittens contradictiones passa es, imò ad exstingvendum te furiosos flatus: ita jam diruptis tenebrarum carceribus obsidentes te caligines dispelle, tenebrarumqve filios in laudem Patris luminum prosterne.

14 Ecqvid autem filiis Lucis nuntiabis ô LUX DEI? *Lucis est manifestare omnia*, inqvit Apostolus, Eph. 5. 13. *Qvid ergò tu novi, novis tuis luminosis radiis aucta, Mundo manifestabis?* Novi eqvidem nihil, qvod non jam ab antiqvo per Prophetas, Christum, Apostolosqve, manifestatum fuisset: nova tamen grandia illis, apud qvos qvid ab antiqvo egit & loqvutus, postremisqve Mundi temporibus agere ac loqvi pollicitus est Deus, in oblivionem venit. *Tria nimirum hæc*

potissi-

potissimum, I *Mundana Babyloni, qva sex mille annis provocare ausa est Deum, tandem esse corruendum toto sub Calo: ut readificatur Sion toto sub Cœlo*, Jer. 50. 24. II *Tempus destinatum jam venisse, qvô decretum hoc Dei exeqvutioni datur toto sub Cœlo.* III *Jam qvoqve Deum aperuisse thesaurum suum, & protulisse Vasa iræ suæ* (✝. 25) Qvæ vasa hic nominari, modumqve qvô Babylon diruatur, ædificetur Sion, tu LUX DEI clarè ostendes.

15 Qvô fine titulus tibi mutatur: ut non ampliùs *LUX IN TENEBRIS*, sed *LUX E TENEBRIS*, nuncuperis: qvia tantam LUCEM, tanta Dei arcana manifestantem, non ampliùs tenebris premendi, sed apertam in lucem proferendi, tempus est. Qvippe ita jam olim mandavit Christus, *ut accensa Lux non sub modium ponatur, sed exponatur candelabro, luceatqve omnibus qvi in Domo sunt* (Matth. 5. 15): qvod & hic, novis istis Revelationibus, toties mandatur; totqve Viri docti ac pii, illustresqve, instando reqvirunt. Sed & ideò tandem, *qvia præsentes horrendorum Dei adversus Babylonem judiciorum tenebræ in Sionis lucem desinere debent. Idem enim ille Deus, qvi ab initio de Tenebris Lucem splendescere fecit, illucescet sub finem cordibus ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Jesu Christi* (2 Cor. 4. 6): nempe *ut sub Mundi vesperam fiat Lux*, sicut prædictum est apud Zachariam 14. ✝. 7.

16 Nuncuparis autem *Lux novis radiis aucta*: qvia novi luminosi radii sunt ea qvæ accessêre. I *Continuatio Revelationum ultimi Videntis ducentarum & septuaginta.* II *Textus ipsius accuratior lima juxta fontes, autographa vernacula.* III *Addita rerum gestarum Historia*, qvæ subinde vice Commentarii erit. IV *Adjecta passim Nota*, si qvid obscuriùs dictum fuit visum, elucidantes. V *Commemoratio item qva nam ex prædictis impleta sunt aut secus, & qvomodo.* VI *Argumentorum Emblemata picta, Iconesqve Personarum*, & similia qvædam eò spectantia, ut rerum factarum (non verò fictarum) existentia vera eniteat magis. VII *Index deniqve accuratus*, ad facilè qvicqvid opus inveniendum.

17 Qvorum omnium summam si qvis in antecessum cognoscere optat, breviter dici potest. *Scopum Revelationum istarum esse trinum.* I. *Ostendere Christianis multifarias aberrationes & peccata, qvibus irritarunt & irritant Deum.* II *Causas detegere præsentium plagarum, qvibus Deus atterit Mundum.* III. *Monstrare viam effugiendæ iræ, præveniendiqve ultimum interitum.* Nempe ut (1) humiliati coram Deo pœnitentiam agant omnes, (2) sibiqve invicem reconciliati odia commutent dilectioni mutuæ. (3) Demumqve Fidei lucem, eôqve universalem Pacem & salutem, offerant Gentibus aliis: ut tota Terra jam impleatur cognitione Dei, tanqvam mare aqvis &c.

18 Aliter dicam. *Usus Libri hujus erit, ut hinc etiam homines discant,*

I *DEUM ESSE*, tametsi stulti corde suo dicant, *Non est Deus*, Ps. 14. 1.

II *REBUS HUMANIS INTERESSE:* tametsi otiosum fingant Epicurei, & longè abesse putent omnes profani, Psal. 94. 7. Jes. 29. 15. 16.

III *INTERLOQVI* etiam, tametsi non attendant somnolenti, perversi autem loqvi eum negent (Jer. 5. 12): rebelles deniqve loqvi eum prohibeant, dicentes Videntibus, *NE VIDEATIS!* Jes. 30. 9. 10.

IV LO-

IV *LOQUI AUTEM IDEO, UT RESIPISCENTIÆ ADMONEAT*, ulterioremqve iram prævenire doceat. Amator qvippe hominum, qvia mortem non fecit, non delectatur morte impii, sed ut convertatur & vivat. Ezech. 33. 11.

V *Et quando homines peccata multiplicant MULTIPLICARE quoqve IRÆ SIGNA, Exhortationesqve ad pœnitentiam varias*: ut si præfracti pereunt excusatus sit ipse, inexcusabiles illi, serò tandem *Justus es Domine, & justa judicia Tua!* clamare coacti (Chron. 36. 14, 15, 16. Oseæ 6. 4, 5: & 8. 11. 12.)

19 Ad specialiora veniendo, *docet nos hoc triuno suo Libro Deus*

I *Mundum nunc ita esse corruptum ut fuit temporibus Noa ante diluvium*, & in Ægypto, Babylone, Jerosolymaqve Deo rebelli. Inprimis Christianas Gentes, nominatim Germaniam & Italiam.

II *Papam Romanum esse præcipuam nunc omnium in Mundo confusionum causam*: qvippe qvi occupato per vim & fraudes totius Ecclesiæ regimine, *Regnum Christi spirituale* (qvod non est de hoc Mundo, Joh. 18. 36) *transformavit in Regnum terrenum, terrenisqve armis & consiliis propagare quærens fraudibus & violentiâ implet omnia*; tanqvam verus ille magnus Antichristus, Babylonicaqve meretrix, sangvine Sanctorum ebria.

III *Bestiam Meretricis gerariam, esse Imperium Romanum*: nominatim posterioribus aliqvot seculis *Austriacam Domum*, Ecclesiæ purioris vastatricem.

IV *Deum has confusiones, Ecclesiaqve persequutiones, & conscientiarum tyrannidem, non toleraturum diutiùs*; sed Mundum impiorum denuò deleturum sangvinis diluviô.

V *Eòque commoturum Cœlum & Terram*: h. e. concitaturum adversus invicem totius Orbis gentes, ad inducendum rerum confusionem inauditam, furiosis per omnes Terræ partes bellis.

VI *Qvorum Bellorum exitum fore, Papa cum suo Regno, primarioqve suo fulcro Austriaca Domo, eversionem.*

VII *Idqve per Gentes tyrannide illorum lacessitas, à qvatuor Mundi plagis advolaturas.*

VIII *Primarios tamen fore populos Aqvilonares & Orientales.*

IX *Nominatim evocari jussi fuerant, Sveci cum Rege suo, Palatino Rheni; Domoqve Racociana.*

X *Qvod si nolint hi, vocatum iri divinitùs Turcas, Tartaros, Moscos; ab Occasu etiam Gallos cum aliis, ad judicia Dei exseqvendum in Germania, Italia, Hispania.*

XI *Venturosqve inauditâ velocitate, uno anno, mense, die, horâ, cum stupore totius Mundi.*

XII *Turcasqve ac Tartaros post factam exeqvutionem mercedis loco repertaturos Evangelii lucem.*

XIII *Reformationemqve seqvuturam, & rerum in meliùs mutationem universalem, per omnes Orbis gentes.*

XIV *Cujus Reformationis etiam hic præscribuntur leges, & forma*: nempe ut Idola pereant, purissimusqve spiritualis Numinis cultus reflorescat ubiqve.

XV At-

XV. *Augustum fore Christi in Ecclesia statum pacatum, illuminatum, religiosum, sub toto Cœlo*: ad tempus usqve qvò Satan denuò vinculis solutus res turbabit, Christus autem ultimo incendio impios, cum ipso Mundo, delebit, peractoqve universali vivorum & mortuorum judicio æternitatem ipsam inchoabit.

20 Hi sunt omnium hic contentorum cardines. Si & particulariter, qvid horum Videntum qvisqve seorsum habeat, præcognoscere placet, poterunt omnia hic in summum redigi.

21 *Kotterus* (Prophetarum Germaniæ nostro ævo primus) *jussus prophetare Bellum, & Famem, & Pestem* (ut Jeremias 28, 8) cùm omnia per Europam adhuc in alta essent qviete, anno 1616. Sed ille hæc propalare triennio totò fuit tergiversatus, domum rei familiaris jacturâ punitus. Bella jam ardescere videns, & novâ Angelorum apparitione (novis cum mandatis) excitatus, ad Magistratum Urbis suæ deferre hæc cœpit: qvemadmodum hæc narrantur cap. I. Et qvomodo novis Visionibus informatus, sigillisqve confirmatus fuerit. cap. II. & III. Missusqve ad *Fridericum Regem*, tunc Regno pulsum. cap. IV. Et qvomodo adhuc dubitans roboratus fuerit, cap. V. Tum informatus de septem universalibus super genus humanam judiciis; qvorum præsens hoc sextum, terribile, administrabitur exeqvutore *Orientali Monarchâ*, cap. VI. & VII; adducto secum colluviem Gentium, *supra senies centena millia*, cum addito Temporum computo mirabili, VIII. Exhibitus qvoqve illi fuit Lupus ab Oriente, cum aliis contra filium perditionis armandis Leonibus, IX. *Væ Germaniæ*, X. *Væ Babyloni*, XI. Pacem magno labore qvæsitam & constitutam, non fore nisi horæ dimidiæ, *propter Germaniæ peccata*. XII. Exhibita eidem *Imperii mutatio*, XIII; *subversioque Bestiæ magnæ*, XIV; Menses prœliis magnis destinati, *& Infans annorum* 28, XV. *Visio mira septifolii Libri*, multorumqve millium spirituum, XVI. *Visio magni Leonis* ab Aqvila confracti, & Aqvilam confracturi, XVII. Explicatio horum, & qvàm læta tempora Babyloniæ ruinam excepturæ sint, XVIII. Variis hæc typis (*Solis, Lunæ, Stellarum*) illustrata, XIX & XX. Gladiorum qvatuor mysteria XXI, XXII. *Condemnatio Meretricis magnæ*, subversioqve Bestiæ per Venatores septem à Domino emittendos, XXIII. *Septem Tubæ clangunt, septemqve Tonitrua loquuntur*, XXIV. Visio trium Columnarum, maximæqve inter has eversio; & qvomodo Domus magna foris speciosa, intus fœtida, per Leonem repurganda, XXV: cum horum explicatione, XXVI. & XXVII. *Babylon quid*, cum lamentis super ejus ruina, XXVIII. *Fulmen Babylonis trinum, antehac terribile, jam vanum*, XXIX. XXX. *Babylonicæ statuæ evertenda*, XXXI. *Pseudoprophetarum descriptio*, XXXII. *Regna Mundi concinguntur adversus invicem, ut Deum Maozim per Orientales locustas evertatur*, XXXIII. Comparatio præsentis Ecclesiæ afflictoris cum Pharaone, & Saul, XXXIV. Et qvòd iniqvitates ita nunc multiplicatæ sint (XXXV) *ut Germania simillima sit Mundo antediluviano & Sodomæ*, XXXVI. De Esau & Jacob XXXVII. Visio monstrosæ Bestiæ ab avibus devorandæ, & confluentium undiqve Exercituum, *orientalisqve Victoris voce Evangelii sonandi, & cum gaudio Domum redituri*, XXXVIII: cum horum explicatione, XXXIX. Gloriosa omnium conclusio Angelica, *de trino Christi titulo adscione*, XL.

22 Ita fuerunt Kotteri Visiones, anno 1624 terminatæ: *Invalescente verò adversus Evangelicos in Bohemia persequutione, Pastorumque Ecclesia cum Nobilitate tota proscriptione jam publicatâ, Anno 1627, placuit Deo solatiis non deesse exercendis in hac Crucis Schola suis. Quem in finem electa est Virguncula*, Viri nobilis, pii, docti, Verbi Divini Ministri (sed novarum Visionum oppugnatoris acerrimi) filia. *Cui* [& in ejus Persona omnibus persequutionem passuris] *exhibita per ecstasin fuit primùm Corona Vitæ*, reposita perseverantibus in fide, Revel. I. Tum ostensæ *Nuptiæ Agni*, sub Cælo adhuc celebrandæ, II. Et *Sponsus* ipse cum sua *Sponsa* coronandus, III: exhibitus idem qvoqve ut suorum (in Schola crucis) *Doctor*, IV: per qvem solum *Deus Pater cum Spiritu suo agnoscitur*, V: animabus Deo devotis. VI. Mox illi exhibita *Judicia Dei super impios, Christi Regnum præripientes*, qvàm horrendè sint puniendi, adeòqve de Libro Vitæ delendi. VII. & VIII: & de terra ipsa exterminandi (ultore gladio per evocatas ab Aqvilone & Oriente gentes) IX. Nominatim *Antichristus cum falsis cultibus suis.* X. XI. *ut igne zeli Dei exuratur totum ejus Regnum, tanqvam densissima abominationum sylva*, XII. Denuò exhibitum Visione *Eqvi bicipitis*, à Leonibus discerpti: *& Aqvila nido ejecta; Arborisqve patula radicitus exstirpata: Domusqve magnæ* subitò dirutæ cum clamore *Cecidit Babylon*, XIII. Et qvia consiliorum Dei exeqvutores illi Leones seipsos non intelligebant, ostensa Virgini fuerunt (1) *Liber Cælo lapsus* ad Leones de voluntate Dei edocendum: (2) *Cos ignita*, ad gladios suos acuendum. (3) *Loricæ* duæ, ad induendum: (4) *Catenæqve* ad eos unanimitate vinciendum, XIV. Interimqve æterni *Sponsi cum Sponsa sua* interni amores, repræsentati, XV. Jussa item fuit *ad Exeqvutores judiciorum Dei epistolas scribere*: Exulibusqve monstrare Sareptas, verbis consolatoriis de reductione, XVI. Tum illi exhibitum *prælium magnum*: sed cum interessa, & ad tempus dilatâ, Agni victoriâ, XVII. miserabiliqve interim *Ecclesiæ Oppressione*, XVIII. *Dejiciendum nihilominus tamen esse Antichristum, cum Defensore suo*, XIX. In cujus rei præludium jussa fuit *istorum armigero (Waldsteinio) interitum nunciare*, scriptô & coram: excedereqve Bohemiâ, & aliis præire in exilium, XX. Ubi variè qvoqve tum cruce exercitata, tum beneficiis Dei & hominum, continuataqve Revelationum gratiâ, sustentata fuit, XXI. XXII. XXIII. XXIV. Demum in omnipotentiæ Dei signum (& documentum fidelibus qvomodo sine fine in Deo sperandum sit, tametsi occidat) in oculis hominum morti data, rursumqve in vitam revocata. XXV.

23 Qvùm autem post mortem Friderici atqve Gustavi (qvi oppressæ Conscientiarum libertatis credebantur divinitùs excitati vindices) nulla Oppressis residua spes videretur, *placuit Deo nova facere indicia, nec iræ suæ in castigandis Mundi peccatis, nec misericordiæ erga afflictos pro nomine suo esse finem. Excitavit proinde* (ut alios alibi, ita apud nos qvoqve) unum è Pastoribus dispersi gregis (& qvidem illum, qvi præ cæteris amissâ restitutionis spe communi vitæ animum applicaverat, ut in Historia narratur) *Nicolaum Drabicium: qvi non tantùm sopitam in se & aliis spem resuscitare, sed & Divini decreti exseqvutores novos nominare, cunctabundos hortari, imobseqviosos minis terrere, si deniqve Christiani judicia Dei exseqvi, & se ad beneplacitum Dei re-*

forma-

firmare, obstinatò recusaverint, alienigenas advocare. jussus est: initiò rerum istarum (voce vivâ se alloqvente) anno 1638, pleniùs autem anno 1643, factô. Pavitabat ille ad hæc, sicut & omnes conscii: coactus tamen & loqvi & scribere, exiguo licet profectu hucusqve, fidem nemine adhibente, imperataqve nemine faciente: dum interim Oraculi vox & clamare jubet, non cessare; & puniuntur nonnulli, juxta factas sibi comminationes; & res ipsæ in Mundo semper magis magisqve intricatæ in mirabile qviddam se disponunt. Versatur igitur Drabicius in argumento magis variabili, & perplexo, qvàm præcedentes duo, tantò magis censuris expositus, & dubitationi, *An talia hæc conveniant Deo? an veniant à Deo?* ut non sine causa nuper Vir Theologus dixisse censendus sit, *Liber iste Doctorum & indoctorum ingenia exercebit tam diu, donec eventibus ipsis quid subsit ostendat Deus.* Qvæ annon consona illis apud Jeremiam verbis? *Non avertetur furor Domini, donec compleat cogitationes cordis sui: tandem intelligetis consilium ejus* (cap. 23.20. & 30.24.

24 Summa igitur Drabicianarum Revelationum hæc est. *Oppressoribus libertatum & conscientiæ opponere sese jussi sunt Transylvaniæ Princeps Rakoci, & novus Sveciæ Rex, Palatina è Domo eligendus, & paulò post electus.* Qvùm verò hi mandata non agerent, sed res suas, & uterqve sublatus esset è medio (juxta iteratas toties comminationes) *jussus est advocare majorum gentium Monarchas. Nempe ad concastigandum corrupta Christianitatis peccata, abolendamqve Idololatriam, Turcarum Imperatorem cum gentibus Orientis: ad reparandum verò Christianæ rei statum* (& ut de postremo hoc tempore dudum loqvutus est per Iesaiam Deus, *ad ædificandum deserta à seculo, & erigendum ruinas antiqvas, instaurandumqve Civitates multarum generationum desolatas*) *Franciæ Regem, cum gentibus Occidentis.* Ultra qvos dum neminem sub Cælo videamus potentiorem, per qvem tanta illa rerum mutatio (qvanta prænuntiatur) aut induci aut impediri possit, & uterqve jam in actione est, meritò rebus hucusqve deductis capita erigimus.

25 Si qvis dixerit, *Liber ergò iste Bellorum classicum est:* respondendum erit. *Ita sanè, sed Liber Bellorum Domini,* ut Num. 21. ℣. 14 nominatur: qvalis & *Apocalypsis Johannis* est, & omnium Prophetarum libri: fortè & ipsius Evangelii liber, juxta illud Christi, *An putatis me venisse Pacem mittere in terram? Non dico Pacem, sed dissidium* (Luc. 12. 51.) Describit enim Liber hic:

I *Bella Dei Jehovæ adversus Idola,* sicut apud Ezech. 30. 13.

II *Bella Agni adversus Bestiam, clarigata jam olim,* Apoc. 17. 14.

III *Bella Spiritûs Dei sancti adversus omnes in Terra erroneos & immundos spiritus.* Zach. 13. 2.

Qvia solus jam Deus agnosci & coli vult in spiritu & veritate, ab omni sub Cælo rationali Creatura sua. Idolis abolitis (Ier. 10. 11). Et solus jam Dei Agnus Christus agnosci & adorari vult, tamqvam Rex regum, & Dominus dominantium: sceptro subjectis suo (atqve si nolint ad scabellum pedum positis), omnibus qvi dicunt, *Nolumus regnare hunc super nos* (Luc. 19. 27) Solus deniqve jam Spiritus sanctus effusus super omnem carnem, regnare vult: Satanâ ita ligato, & in abyssum contruso, ut nullis impuris spiritibus locus relinqvatur in ulla Gente sub Cælo.

26 [O excitet Spiritus S. Theologi alicujus spiritum, qui Librum hunc Bellorum Domini commentario illustret: ponendo in omnium hominum conspectu I. *Quid & quanta Majestas sit Deus vivus: quid & quanta vanitas denstar mortuum Idolum?* II. *Quid sit mitissimus Dei Agnus, Christus, seipsum in victimam dans pro omnibus: & quam furiosa Bestia Antichristus, propter seipsum super omnia elevandum conculcans, & dilanians, omnia & omnes?* III. *Quid sit Spiritus Dei sanctus & castus, discipulos Christi in omnem deducens veritatem* (Ioh. 16. 13): *& quid impuri fanatici Spiritus, discipulos præcipitantes in errorum foveas.*]

27 Redeundo ad libri hujus sic in antecessum Epitomationem, dico hic *esse Apocalypsin Apocalypseos Johanneæ.* Super quam dum humano ingenio, & conjecturis, varii à variis variè inter se dissidentes & litigantes conduntur Commentarii, placuit ecce *Domino Deo sanctorum Prophetarum,* denuò mittere Angelum suum, (imò Angelos) ostendere servis suis ea quæ oportet fieri citò, imò quæ jam fiunt (Apoc. 22. 6). *Liber itaque hic est super antiquam illam Johannis Apocalypsin commentarius novus, non humanus sed divinus: explicans quid sit Babylonica illa Bestia pugnans cum Sanctis, & insidens illi Meretrix mater scortationum & abominationum Terræ: & quinam illi Reges, quibus judicium exequutivum in utramque divinitus mandatum est:* & quod illi Babylonis destructores, novæque Ierusalem exstructores, jam nati, jam electi, jam vocati sint: & quod res hæc tota jam nunc in fieri sit, effectu pleno jamjam in conspectu Cœli & Terræ obsignanda. *Et nos esse nunc sub Sigillo sexto, Tuba sexta, & Phiala sexta: expectantes apertionem Sigilli septimi, clangorem Tubæ septimæ, effusionemque Phialæ septimæ.* Hoc est, in tempora nostra incidere *Motum illum Terræ magnum, quo ipsum systema Cœli, Politici & Ecclesiastici concutitur: Montesque ac Insulæ loco moventur: ubi Reges Terræ ac Principes, Divitesque ac pauperes, liberi ac servi, sese abscondere quærunt à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ illius* (Apoc. 6. ℣. 12-17) *Et dies Tubæ sextæ, quibus Angeli ad magnum flumen Euphratem ligati solvuntur, ut occidant tertiam partem hominum igne, fumo, sulfure: & ut si cæteri homines, qui non occiduntur his plagis, pœnitentiam nondum agant ab operibus suis* (cap. 9. ℣. 13-21). Eadem enim significatio est Phialæ sextæ, *quæ super flumen magnum Euphratem effusâ, siccabuntur jam aquæ illius, ut præpararetur via Regibus ab ortu Solis ad Babylonem delendam:* frustra contra hos exercituum agmina colligentibus immundis spiritibus ranarum, in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei, qui dies ut fur veniet, celeriter ac insperatò (cap. 16. ℣. 12-16). *Ut aperto Sigillo septimo, silentium fiat in Cœlo Ecclesiæ* (cap. 8. 1). *Et clangente Tuba septimâ, consummetur mysterium Dei prænuntiatum per servos Dei Prophetas* (cap. 10. 7): *nempe ut omnia Regna Mundi fiant Domini nostri, & Christi ejus, qui jam regnet in secula seculorum* (cap. 11. 15). Et effusa septima Phiala in aërem fiat sonitus, & fulgura, & tonitrua, & terræmotus, qualis non fuit ex quo homines fuerunt super Terram, quo concidant Civitates gentium, & ipsa Babylon magna, quemadmodum describitur cap. 16. 17. & sequentibus ad Libri usque finem.

28 Admoniti estote igitur, ô Omnes in quorum manus Liber hic venit, ut cum [illegible] Johannea Apocalypsi, sincerè, diligenter ad [illegible] nunc in Orbe terra- [illegible]

rum sunt, reflexione legatis. Quod si diligenter factum fuerit, non poterit non *caeci etiam videre Deum hic loqui, non hominem: Deumque esse qui nunc Gentes orbis adversus invicem commovet* [illegible] *Et Deum esse qui Christianos in indignatione sua castigatum venit, non Turcam & Tartaros: Deum denique ipsum reformaturum esse Ecclesiam suam, non Regem Franciae, aut alium quempiam: tametsi Deus in Opere suo instrumentis utatur, ut Architectus in exstruenda vel destruenda Domo fabris, Fabri autem securibus, serris, malleis, vectibus* &c. (Jes. 10. 5, 15. Jer. 51. 20. &c.

29 Si ne sic quidem evigilare poterunt usitato rerum cursu, imbibitisque opinionibus & consvetudinibus suis, nimium in populo Christiano soporati, dicendum illis erit quod populo suo Moses: *Vos vidistis universa quae Dominus fecit coram Vobis in Terra Aegypti, tentationes magnas, signa & prodigia ingentia: & tamen non dedit Vobis Dominus cor ad intelligendum, neque oculos ad videndum, & aures ad audiendum, hunc usque in diem* (Deut. 29. 2, 4).

30 Clama ad Deum popule Christiane, *Miserere Deus! prohibe caecitatem, prohibe stuporem! Tuus sumus populus: ne permitte ut nobis omnis Visio fiat, sicut Liber signatus, qui legi negatur* (Jes. 29. 11). *Fac ut promisisti, venturam esse diem, in qua surdi audiant verba Libri, & oculi caecorum de tenebris & caligine prospiciant* (ibid. v. 18). *Lumen videndo in lumine tuo* (Psal. 36. 10.) Et quisquis haec legis, dic cum Barthimeo, *Domine ut videam.*

Vacante una & altera pagilla, addemus aliquid ex Editionis primae praefatione.

Non inutile fuerit caetera, in quibus conveniant aut differant hi tres, attendere, ad spectandum tanto distinctius ubique hic divinae sapientiae ludos, [illegible] vestigia.

Primum [illegible] conferamus, ob quem excitatos esse omnia ostendunt [illegible] *Germaniae pios ad attendum Operibus Dei, quae nunc in perpurganda persequutionum igne Ecclesia sua, moxque gloriose reformanda, & per omnes* [illegible] *Orbis gentes explicanda, sub manu habet.*

[illegible] Kotteri Visiones inchoatae sunt ante persequutionis initium [illegible] 1616, finitae persequutione jam fervente, anno 1624. Christinae in persequutionis medio, sub carcerum, apostasiarum, incuntisque dissipationis tempus, anno 1628 & 1629. Drabicii post dissipationem factam, sub tempus appropinquantis liberationis, & cum illa, *ab anno* 1638 *ad* 1664. In argumentum, Deum [illegible] defuisse, juxta illud; *Dilectione aeterna dilige te*, Jer. 31. 3.

3 [illegible] Primus fuit aetate virili, secunda juvenili, tertius senili, ut [illegible] Deo [illegible] lingua, manu, seu infantili, seu virili, seu senili uti indifferens esse.

[illegible] primus & tertius Viri, media Virgo: ad confirmandum Joelis il-

lis illud de noviſſimis diebus juvenum (filiorum & filiarum) viſionibus, ſenumqve ſomniis, vaticinium, *Joel.* 2.28.

5 *Si ratione ſtatûs*, prima perſona fuit politica, Opifex, propter Verbum Dei in exilium agendus: ſecunda Virgo, ex utroqve parente Nobili in exilio nata, & in novum exilium agenda: tertia Verbi D. Miniſter, in exilio conſtitutus & ab exilio revocandus. In teſtimonium, univerſalem fuiſſe futuram, Viros & fæminas, Nobiles & ignobiles, Eccleſiaſticos & ſeculares involventem, perſeqvutionem, rurſumqve ſuo tempore (dabit Deus) liberationem.

6 Si antegreſſam ad hæc tanta ſpectamus *aptitudinem*: Kotterus prorſum idiota fuit, non tantùm ſcribendi, ſed & (præter opificium ſuum, exiguamqve religionis notitiam) omnium qvæ Mundus habet, & gerit, ignarus. Chriſtina legendi & ſcribendi, Catecheticæqve ſcientiæ, ſic ſatis gnara, ſed rerum ſublimium per ætatem incapax. Drabicius Scripturarum Divinarum (ut Miniſtrum V. D. decet) haud ignarus. Latinâ tamen lingvâ vix parum tinctus, Philoſophiæ verò, Hiſtoriarum, Omniumqve ſublimiorum, penitus expers. In argumentum, non humani ingenii eſſe Opus hoc, ſed altioris virtutis: Divini nempe influxûs.

7 *Si revelationis modum* conſideramus, Kottero factæ ſunt per Angelos tantùm, Chriſtinæ per Angelos & Dominum ipſum, Drabicio tantùm per Dominum. Et qvidem Kottero per ecſtaſin aliqvando, plerumqve tamen per corporalem Angelorum ſenſibus externis apparitionem, corpore jugiter ſano. Chriſtinæ per ecſtaſes perpetuas, carne tamen ad illas plerumqve per antecedentes dolores præparatâ, & velut mortificatâ: tum & per ſomnia, interdumqve corporeis oculis & auribus. Drabicio per ſomnia, & mox vocem vivam aures inſonantem. Qvô & hoc ſpectat, *qvòd Chriſtophorus & Chriſtina qvæ viderant & audierant ad Verbum recitare (anteqvam in ſcriptum eſſent relata) poterant, vel millies juſſi, ne apice qvidem mutatô: Drabicius verò ſuæ perperuò diffidens memoriæ revelata ſcribere, niſi Domino repetente, non valuit.* Qvod inde ſuſpicamur veniſſe, qvia iſtorum impreſſiones per ecſtaſin fiebant animâ à ſenſibus abſtractâ: huic autem ſenſus relinqvebantur ſuo ſtatu, eôqve illi non aliter eveniebat ac cæteris nobis, in naturali ſenſuum uſu poſitis. Ut non deſit hîc etiam, unde *multifariam, multiſqve modis, Deum nobis adhucdum loqvi*, agnoſcamus. (*Heb.* 1. 1.)

8 *Si loqvendi formam* ſpectamus, *ubiqve ſtylus eſt propheticus, ingenio humano inimitabilis:* (in illis dico, qvæ ab Angelis & Domino dicta referuntur) In Cottero tamen ſublimior eſt, in Chriſtina humilior, in Drabicio familiarior: iterum ut pateat Dei eſſe opus, qvi mutos etiam loqvi facit.

9 Si uſitatos prophetiis *typos & figuras*, attendimus, in Kottero multæ ſunt, minus multæ in Chriſtina, nullæ ferè (aut mox explicatæ) in Drabicio. In teſtimonium appropinqvantis, & ſe clariùs clariùſqve explicantis, Eccleſiæ diluculi: qvod Kotterus velut emergentem è profundo auroram nunciat, Chrſtina ut luceſcentis diei claritatem oſtendit, Drabicius tanqvam orientem jam ſolem digitô monſtrat.

10 Qvantum *ad Revelationes has vulgandi, atqve ſic Deo in his obſeqvendi, promtitudinem* attinet: Kotterus tergiverſatus fuit (propriô & amicorum conſiliô) toto trien-

triennio: Drabicius primam sibi factam Revelationem celavit qvinqvennium: iteratasqve toties pressit (consilio fratrum) diutinè: tandem tamen *leone rugiente pavescere, & Domino mandante prophetare*, coacti. Am. 3. 8.

11 *Si humana spectamus judicia, Omnes hi fuerunt ab aliis qvidem contemti, & irrisi; ab aliis verò penitus condemnati, tanqvam aut deliri aut impostores*: ut historia docebit. Opus tamen hoc sisti non potuit: in testimonium, nec os Dei obturari, nec manus ligari posse. Adeòqve si homines (docti & sapientes) taceant, lapides ut clament necessum esse. Luc. 19. 40.

12 Si *ad qvos missi fuerint* observamus: *patebit omnes qvidem primariò ad gentem suam, secundariò tamen ad alios qvoqve*; Kotterum ad Germanos, Christinam ad Polonos, Drabicium ad Hungaros: dehinc verò ad omnes Terræ Nationes, qvas subinde alloqvi, ultimamqve Dei voluntatem Omnibus annuntiare, jubetur.

13 Si *ad qvid fuerint missi* pressiùs expendimus, patebit priores duos simpliciter fuisse *Vates, futura prædicentes*; tertium verò *Prophetæ munus agere* jussum: h. e. *qvid fieri debeat prædicare, ad agendum hortari, promissionibusqve ac minis instare* &c.

14 *Omnibus his mandabatur revelata ad tempus celare, aut non nisi piis afflictis in solatia communicare* (occurrent id genus mandata in singulis): *tandem tamen non tacere sed loqvi, Regibus & Principibus universisve populis*. Kotterus enim missus fuit ad Regem Fridericum, præsentibusqve illustribus auditus est, sicut & Brandenburgico Electori, semel & iterum: Saxoniæ verò Electorem per alios adiit & monuit, iteratò. Virgo ad Fridlandiæ Ducem literas exarare, ipsametqve deferre, necesse habuit: sicut & Drabicius ad Transs. Principes. *Nihil ergò horum in angulo gestum est*: ut de rebus suis, & Christi Domini, loqvi mos erat Apostolis, Act. 26.26. Inter characteres qvippe Divini operis est, *Non inabscondito loqvi, aut in tenebris, sed apertè*, Jes. 45. 19. *Furtim agere, & per tenebras stridere, aut mussitare, pythonibus relictum*, Ies. 8: 19.

15 *Omnes hi nostri loqvi & agere jussi sunt paradoxa, rationi absurda, vitæ periculosa*. Annuntiando rem Politicis incredibilem, *Domûs Austriacæ eversionem*; & Theologis plerisqve scandalosam, *Papatûs ante diem extremum abolitionem*. Illi tamen constanter hæc loqvi ac scribere jussi sunt: Kotterus etiam Glogoviam ire, ubi se vincula & carceres expectare sciebat: Virgo scribere terribilia in Principem Waldsteinium, & deferre ipsamet in Domum ejus: Drabicius convocare gentes &c.

16 *Omnes item examinati acriter fuerunt à Theologis, Medicis, Politicis, integrisqve Academiis, Consistoriis, Synodis* (docebit adjuncta historia): *intricarunt tamen omnium sublimè sapientum ratiocinia omnes*. Unô hoc exceptô, qvòd prædicta qvædam non iempleta, & sic non ab Omniscio venisse, viderentur. Qvi scrupulus ipsos etiam Videntes torsit: ut suis locis patebit.

17 Kotteri & Christinæ ultima revelata per somnum erant facta, de Iudicii Dei exseqvutione terribili: huic in Waldsteinium, illi in Meretricem Babylonicam. Drabicii ultima Revelatio (ubi Primùm erat finem imponere jussus, Rev. CCCXLIV. *de Papatu per ipsos Politicos reformando*) itidem initium habuit in somno, sed reliqva vigilantibus oculis spectavit, Iesuitæ clamoribus excitatus: indubiè ad repræ-

repræsentandum, (tametsi quicquid hic de rebus à Scriptura & alibi nobis narratum fuit, ipsis etiam piis ad somnium videatur (Psal. 126. 1. & Jer. 31. 26) exiturum tamen in realissimum Opus, ut videndo videat Mundus.

18. Hoc etiam non prætereundum, *Christophori & Christinæ (opificis & fœminæ) prophetationes desiisse in silentium:* qvia opere peracto, ad qvod eos elegerat Dominus, obsignare sua jussi sunt, nullas amplius Visiones passi, nec liberationem viderunt. *Drabicius verò tametsi & ipse clausulam imponere jussus erat, & mori* (Rev. 196 & 197) *jussus tamen denuò & vitam, & ad prophetandum spiritum duplicem resumsit.* (Rev. 198) *promissionemque accepit, non visurum mortem donec explicatam vidisset gloriam Dei super Nationes Terræ*, Rev. 230. 3. *Atque in signum extraordinarias revelationes desituras.* (1 Cor. 13. 8) *ordinariam autem Evangelii vocem duraturam, quamdiu Ecclesia in terris erit: &c. &c.*

[Si qvidqvam cuiqvam his de rebus scrupuli superêrit, videantur *Appendices* ad Kotterum, ad Poniatoviam, ad Drabicium.]

APOLOGIA

Pro nova hac Libri editione, cum novis ad Deum & homines supplicationibus.

DEcurrerat prelum, paratus ad prodeundum stabat liber, dum mihi super hac nova Editione novæ ab amicis dehortationes, ab inimicis terrores, veniunt: à propria verò conscientia scrupulus novus, *Ecquem ista usum habitura sint demum prodeundo, dum jam omnia in vertigine sunt? armis & furore ita sibi obversis Christianis populis, ut nullis amplius consiliis, divinis vel humanis, relictus videatur locus?* Qvæ res denuò me aliqvid præfari, ad meam & aliorum conscientiam tranqvillandam, cogit. Benignè me audiant qvi Deum timent, nihil aliud agam, qvam minuere odia, ampliare favores, qværam: videndo num adhuc, vel hoc die adhuc, videre Christianus populus velit, qvæ ad pacem sibi essent: qvæ utinam non abscondita sint ab oculis nostris!

2. Me qvod attinet, si hominum metu non facio qvod Deus & conscientia jubent, objicio me iræ illius, in cujus manus incidere intolerabile est. Et qvi Voluntatis suæ nuntium mittens, *Ne formides à facie illorum ne te conteram in conspectu eorum*, dicit (Jer. 1. 17. juxta Hebr.) Qvid ergo faciam, si propter novam hanc Editionem nova me odia, calumniæ, persequutiones, expectant? qvid nisi ut cum Paulo & amicis ejus dicam, *Domini voluntas fiat!* (Act. 21. 14.) Illius me trado manibus, sive protegendum, sive in manus eorum qvi animam quærent meam tradendum. Satur sum dierum (transgressus jam Davidis, & tot aliorum Dei servorum, qvibus comparandus non sum, ætatem) satur & vitæ miseriarum; ut mihi cum Elia, *sufficit Domine, tolle animam meam*, dicere volupe sit.

3. Qvod metum attinet, *Serum jam fore homines à ruina præmoneri, dum jam ruunt omnia*, etiam illum sepono. Qvamvis enim verum sit, *Ruinosam domum, si à ruina præservanda est maturè fulciri oportere, ruentem jam sisti non posse:* qvia tamen Deus illâ etiam nocte, qvâ subvertenda fuit Sodoma, Lothi propinqvos moneri voluit; & Jeremias Urbe jamjam occupandâ Sedechiæ consilia bona dabat adhuc; sicut & Daniel eâ ipsâ nocte qvâ pereundum fuit Balsasari, prodigiosas illi voces explicare perrexit: insuperqve Deus in mediis etiam ruinis servare posse, qvibus spolii loco dare vult vitam, Jeremiæ, Baruchi, Ebedmelechiqve docuit exemplis: *eja ne sapiamus supra Deum! & dum ille loqui jubet loqvamur, sive qvis audiat sive non* (Ezi. 3.) dumqve videri facit ve-

nientem gladium, Buccinam ne cohibeamus (Ez. 33.) *Liber qvippe iste Tuba Dei est, ad Mundo plagas istas, qvibus jam qvassatur nuntiandum, emissa. Væ speculatori, si Gladium videns metu hominum buccinæ clangorem cohibet!* Atqve si à nobis hâc parte peccatum aliqvid hactenus est, hîc terminus esto!

4. Quod amicos attinet, illorum etiam scrupulis satisfaciendum est. Non esse de nihilo qvod monent, *Authoritatis habendam esse rationem Viro, qvem Deus & Ecclesia eo esse loco voluit*, agnosco ego: sed & agnoscant illi, potiorem esse rationem habendam Dei, qvàm nostri; & Voluntatis ejus, qvàm nostræ; honorisqve illius, qvàm nostri. Alioqvi protestabitur Christus, *Qvomodo vos potestis credere, qvi gloriam ab invicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non qværitis?* (Joh. 5. 44.) Et illud Evangelistæ, *Excæcavit oculos eorum &c.* qvia *dilexerant gloriam hominum magis qvam gloriam Dei* (Joh. 12. 43.) annon terrori esse debet? Et qvid erit abnegare seipsum (qvod à suis ante omnia præcisè reqvirit Christus) si propriæ voluntatis, & existimationis, respectum nunqvam seponimus, in perpetuam actionum normam retinemus? Recogitent hæc Theologi, eruntqve mihi propitii, spero, si qvid circa hæc mecum actum sit, ex Historia recognoscere non dedignati fuerint.

5. *Sed an ideò tamen his tam diu immorandum fuit* (dicit non nemo) *ut inde tibi* ἔργον *vitæ facere opus esset?* Resp. *Desultoriè in rebus versari, & extensâ ad aratrum manu respectare, esset ne in laude?* Tentabam tamen toties hæc facere missa: sed potentior fuit manus me semper novis occasionibus, repetitisque Oraculi increpationibus, & immissis castigationibus, retrahens: qvod vel Index inspectus (sub nomine *Adjunctus*) ostendere poterit. Non ergò virium mearum fuit retrahere me, nisi obfirmatâ fronte conscientiæ inferre vim, divinæqve obedientiæ diffringere jugum, voluissem. Qvod qvia non benè aliis cessisse tot exemplis edoctus fui, an obstinatâ mente resistere debui Deo?

6. Exprobratur etiam à nonnemine, *Episcopum pati à Presbytero se in Adjunctum adhiberi, ipsiusq; præscripta seqvi.* Resp. Si humanâ voluntate isthæc fiunt, stultè fieri fatendum est. At si dispositione illius, qvi magnis Apostolis de præeminentia contendentibus, humilitatis magistrum dedit puerulum (Matt. 18.) deponendæ sunt cristæ, sicut Apostoli tunc fecerunt. Et an *Pontifex Eli* stultè egit, qvod pueri Samuelis voce factam increpationem admisit? vel *Heleias (itidem Pontifex)* qvòd se ad Huldam prophetidem, vestiarii cujusdam uxorem, ablegari passus? (2 Reg. 22. vers. 8. 12. 14.) *O vanam hominum, & hic loci periculosam, honoris sui æstimationem! Etiam vilior fiam qvàm factus sum, & ero humilis in oculis meis*: dixit ad fastuosam suam Michol David, qvòd exultando coram Domino nimium se infra Regiam dignitatem demisisset sibi exbrobrantem (2 Sam. 6. 16, 22.)

7. Dicunt

7. Dicunt item qui Drabicium contemnunt, *Esse idiotam, Latinè indoctum, Philosophiæ ignarum, Politicæ conversationis imperitum.* Resp. Cur id exaggerant, qvi Decretum Dei *de non eligendis sapientibus hujus seculi, sed eo quod in oculis Mundi stultum est* (1 Cor. 1.) non ignorant? Pulchrè hanc in rem *Qvistorpius* (Annot. in Joh. c. 1. v. 43. &c.) his verbis: *Elegit Christus ad tantum & tam admirandum opus Apostolos, homines privatos, humiles, imbelles, imperitos, infantes, qvibus nulli omninò videri poterant minus idonei &c. Quia scientissimi artificis est malo & inepto instrumento idem efficere, quod alius aptissimo vix possit: sicut Apellem carbone de foco sumtô, ita eum à quo erat ad Ptolomæi prandium invitatus expressisse tradunt, ut omnes invitatorem illum ad primam delineationem agnoscerent. Sed mirandum non est, Deum quæ velit incongruentibus etiam præstare instrumentis, qvi instrumentis omninò nullis indiget, qvicqvid fingere statuerit. Misit itaqve paucissimos ad quamplurimos, rudes ad peritissimos, infantes ad eloqventissimos, simplices ad astutos, inermes ad armatos* &c. *qvi sibi penitus diffisi ab ope ac præsidio penderent* Dei: *& ne qvis stultè ac dementer aliqvid ex iis qvæ facta essent, humanæ potentiæ tribueret.* &c.

8. Vos autem domestici mei, Oves dispersi gregis mei, *Nolite timere pusille grex, certi per fidem complacuisse Patri Vestro dare Vobis regnum* (Luc. 12. 32.) hoc unum soliciti, *ut per bona opera certam faciatis vocationem & electionem vestram* (2 Pet. 1. 10.) *Et ut nemo vestrum patiatur* (si patiendum est) *ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, sed ut Christianus. Atque tunc ne erubescat, glorificet potiùs Deum: quoniam tempus est ut incipiat judicium à Domo Dei.* (1 Pet. 4. 15. 16.) Nolite credere dilecti propter me aut Librum hunc persequutionem Vos pati: *sed quia cælesti consilio digne habiti estis contumeliam pati pro nomine Jesu: ob qvod cum Apostolis gaudete* (Act. 5. 41.) Nam tametsi ego nunqvam in rerum natura fuissem, neqve Liber hic, Vos tamen *Oves estis ad mactandum destinatæ* (Psal. 44. & Rom. 8.) *æqvè ut fuit ipse Dei Agnus, Christus: qvi in judicio hostium suorum stans, sive loqvutus fuisset sive tacuisset, & qvomodo cunqve innocentiam probasset suam, moriendum tamen illi fuit, sic decernente Pontifice summo Caipha* (Joh. 11. 50.) qvomodo & moderni Pontifices cunctas Oves, qvæ non de suo grege sunt, mactandas sibi esse, & manducandas, dudum decreverunt: ipsius Dei (ut jactant) mandato (Act. 10. 13.)

9. *Editione Libri hujus priore nihil peccatum fuit, vel in Theologiam vel in Politiam:* qvia Theologorum judicio submissa omnia, & sic etiam Scripturas divinas profundius scrutandi, articulum autem de Prophetiæ in Ecclesia dono accuratius expendendi, occasio data. Nec in Politiam: qvia nihil nisi memoriale datum attendendi, *Non humanis consiliis Mundum regi nec cæco for-*

tunæ lusu res ejus versari, sed esse Deum qvi in medio Deorum stans consilia eorum suis consiliis temperat: illi proinde attendendum esse, juxta Psal. 82. monitum. Neqve in ipsum populum Christianum peccari potuit, fuisse eâ ratione peccatorum suorum, & iræ Dei, & ad hanc sistendam pœnitentiæ seriæ, admonitum. Tandem nec editionis iteratione peccari, dum non cessantibus peccatis non cessant plagæ, augescunt potiùs, & ad obstinatos jamjam evertendum festinant, *nisi adhuc reperiantur qvi sepem interponant, & stent oppositi contra Dominum pro Terra, ne eam dissipet*, Ez. 22. 30.

10. Sed positô etiam, *Impœnitentes hoc Libro irritari magis*, qvid tum? Non aliter possunt, qvi Deo & hominibus invitis intentiones suas ad finem deducere volunt. An ideò Jeremias quod de exscindendo se consilia fabricari cognosset (cap. 11. vers. 18. 19.) revelatam sibi Dei voluntatem non loqvi proponet? Tentet: *Sermo tamen Dei ut ignis æstuans erit in corde suo, inclusus ossibus suis, qvem continere non poterit* (cap. 20. 8. 9.) An Moses & Aaron ideò Ægyptiis loqvi desinent, qvia Israelitæ, *Videat Dominus & judicet, qvoniam fœtere nos fecistis coram Pharaone & servis ejus, præbuistisq; gladium ad occidendum nos*, clamant? (Exod. 5. v. 21.) Angentur eqvidem intra se clamantes ad Dominum (v. 22. 23.) hortari tamen non desistent, *Ne timete, state, magnalia Dei videte!* (cap. 14. 13. &c.) Etiam Mardocheus, adorare nolens mortalem hominem, furorem Amani eôusque irritaverat, ut ille in hunc unum solum suas manus mittere pro nihilo ducens, totam gentem exscindere statuisset: qvod non ignorabant Judæi, an tamen ideò Mardochæo infensi eum insectati sunt? Potiùs ad Deum unanimiter conversi, jejunio, fletu, suspiriis, misericordiam implorarunt. Facite idem dilecti, & dum plus in dies sangvineorum consiliorum de exterminandis non jam nobis solis, sed omnibus ubiqve Terrarum Hæreticis (ut Veritatis sectatores cognominare illis placet) in apertum prorumpit, etiam Vos plus in dies gemitibus vacate: *orantes etiam pro persequentibus Vos, ut sitis filii Patris Vestri qvi in cælis est* &c. (Matth. 5. 44.) *Illi enim nesciunt qvid faciant* (Luc. 23. 34.) *qvinimò Christi Discipulos interficiendo arbitrantur se obseqvium præstare Deo* (Joh. 16. 2.)

11. Ad Te venio Ecclesiarum regina, Romana, qvæ ut sola emineas tuum sub sceptrum reducta vis omnia toto sub cœlo: & qvicqvid in eadem tecum consilia non conspirat, pro inimico, schismatico, hæretico, habens ferro & igne persеqveris. Noli obsecro suspicari Tubam hanc Dei (ita enim appellatæ sunt hæ novæ humanum genus inclamantes Dei voces) privato ergà Te odio, aut ad excitandum publica in Te odia & adversus Te bella, veluti classicum emitti: sed purissimâ illa intentione, de qua moniti à Domino sumus per factam Drabicio Revelationem CCCXXV. v. 7. 8. 9; *Vulgate hos sermones meos, neminem*

minem mortalium amplius respectando! Si vel sic judicia iræ meæ pavefacti, persentiscant vim lucis meæ errantes illi, Reges & Principes, cum Reginis & Sacerdotibus, totoqve Populo cæco, ignorantes qvod abyssus iræ meæ aperuit fauces suas: qvibus se non eximent nisi resipuerint. Non ecce bellicum canitur hâc Tubâ, sed canitur receptui: eô prorsus sensu qvo David Rex Psalmo 46. (vobis 45) cantat: *Conturbatæ sunt gentes, inclinata sunt Regna: dedit vocem suam, mota est Terra. Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob. Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia supra Terram auferens bella usqve ad finem Terræ, Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni: Vacate, & videte qvoniam ego sum Deus: exaltabor in Gentibus, & exaltabor in Terra. Dominus Virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob.*

12. *Viri Catholici, & qvicunqve timetis Deum, audite!* (Act. 13. 17.) Relegat Vestrum qvis sexcenties Propheticum hoc volumen, non aliud hîc pro scopo stare comperiet, qvàm qvod ore Davidis expressum est ibi, sicut & ore omnium sanctorum Prophetarum à seculo. Nempè, *non semper Deum confusiones nostras Babylonicas, & Cainitica mutua odia & cædes, toleraturum, dissipaturum id aliqvando totaliter, in novissimo dierum: cum mons Domûs Domini super omnes colles elevabitur, ut ad eum confluant populi & gentes* &c. *Dominum enim esse judicaturum inter populos, & correpturum gentes, ut cudant gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones. Ut non sumat gens adversus gentem* (pergit divina vox) *gladium, neqve discant ultra belligerare* &c. *qvia os Domini exercituum loqvutum est.* Jes. 2. Mich. 4. Zach. 9. & aliis mille locis, tàm in antiquis Prophetis Apostolorumqve apocalypticis scriptis, qvàm in hisce seculo nostro revelatis.

13. *Protestor itaqve coram Deo & Angelis ejus, Cœloq; & Terra, Librum hunc non publicari qvenqvam injuriandi animo, eòqve non pro Libro criminoso, sed Historico, & ad omnes indiscriminatim Christianos monitorio, habendum esse. Qvi bonâ fide qvid certis personis tempore nostro contigerit recitans, detectas de confusionibus nostris Divinas cogitationes eô fine in conspectu omnium ponit, ut à mutuis odiis, persequutionibus, cladibus, laniensis, desistamus omnes:* nisi omnes in nobis verificari volumus illud supremi Regis edictum, *Qvi gladium sumit gladio peribit.* Namqvæ truculentia esset, Christianos mala patrare posse, dehortationem à malis ferre non posse? Præsertim si dehortationes non humanæ sint sed ipsius Dei: in antiquis Oraculis immotè fundatæ, novis occasionibus tantùm iteratæ. Qvarum summa est, *Christianis aut reformanda esse omnia, aut pereundum omnibus.* Qvis hæc audire præfractè recuset, nisi cui perire qvàm præmoneri magis volupe sit?

14. *Mater Ecclesiarum per Occidentem, cur ita sævis in filios tuos?* illos dico

filios, qvi Te peccare videntes sive amanter ac reverenter errorum admonuerunt, sive obstinatam, & cum Israelitica Ecclesia enormiter peccantem, & tamen *Non peccavi* pertinaciter iterantem (Jer. 2. 35.) millies experti, concesso divinitùs Ecclesiæ filiis jure utuntur, *ut Te patris sui Uxorem, nisi auferas abominationes, non agnoscant* (Os. 2. 2.) demumqve qvum Tu pravè inolita emendare non differas tantùm de die in diem, & de seculo in seculum, sed & reluctêris in finem, confusionibus delectata Tuis, faciunt qvod jussi divinitus, ut exeant; & sine te doctrinam & vitam ad Legis Divinæ normas ipsi emendent? Cur inqvam Tu in hos Dei Tui cultores humiles ob non aliud, nisi qvod Deo potius qvàm hominibus obedire, cultumqve Numinis puriorem qvàm inqvinatiorem eligunt, tanto inardescis odio, ut nusquam subcælo tolerandos, undiqve pellendos, imo vi gladii & ignis mundo exterminandos, putes? Qvis talia docuit? An mitissimus ille Dominus & magister Tuus, qvi totâ vitâ varios expertus adversarios neminem unqvam occîdit, neqve læsit: sed fecit qvod nos imitari jussit, *diligere inimicos nostros, benefacere his qvi oderunt nos, orare pro perseqventibus & calumniantibus nos: ut simus filii Patris nostri qvi in cœlis est, qvi solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*, (Matt. 5. 44. 45.)

15. *Papa Romane, cur in modernos Tui monitores* (sive illi Veritatis Doctores & Professores, sive Episcopi & Pastores, integræve Ecclesiæ, sive Reges, Principes, Resqve publicæ, sive Prophetæ novi, sint) adeò exardescis? Atqvi nec soli sunt illi, nec primi: à mille retrò annis excitabat Deus eos, qvi Ecclesiæ statum enormiter degenerare videntes non privatim tantùm gemuerunt, aut inter se lamentati sunt, sed & publicâ voce atqve scriptis clamârunt: subingressos errores, cumulatas superstitiones, mores corruptos, teterrimâqve omnis generis scandala, emendari postulantes. Tu autem aliis potiùs intentus surdâ aure bibisti: & nunqvam ut ex agro tuo zizania (quæ dormientibus hominibus inimicus sevit) eruncares, & à variis qvæ sensim irrepserunt fœditatibus Te filiosqve tuos repurgares, serias suscipere voluisti curas: *semper tantùm in stabiliendo illo semel malè adamato primatu, & affectato super Clerum, super Ecclesias, superqve ipsa Regna & Imperia mundi dominatu, occupatus.*

16. Neqve per tot illa secula, qvibus adeò exorbitatum est, extraordinariâ suâ voce (Propheticâ) prorsus tacuit Deus, qvin Te cum Tuis admoneret. Sed tu cum tuis faciebas sicut antiqvus Israel, ad qvos ita Deus: *Suscitavi de filiis vestris Prophetas, & de juvenibus vestris Nazaræos: nunqvid non ita est? dicit Dominus. Sed vos propinabatis Nazaræis vinum, & Prophetis mandabatis, dicentes, Ne Prophetetis* (Am. 2. 11. 12) Christus autem, de suis ita: *Mittam ad eos Prophetas, & Sapientes, ex qvibus illi alios occîdent, alios persequentur.*

tur. (Luc. 11. 49. & Matt. 23. 34.) Annon factum? annon ad te, ô Romana Ecclesia, tot jam seculis, tot sapientes & Prophetas mittebat? Et qvidem de filiis & filiabus tuis excitatos? Qvos tamen tu vel audire noluisti, vel carceribus impegisti, (ut *Johannem de Rupe scissa*, & alios) vel affecisti mortibus (ut *Hussum, Savonarolam*, & infinitos:) tametsi qvosdam horum etiam reverenter habueris (qvemadmodum & Israelitica qvosdam suos) adeò ut post mortem in sanctorum catalogum retuleris, Prophetiasqve illorum canonizaveris: *ut Brigittæ, & Catharinæ* Senensis. Repetenda qvorundam est memoria, ut justificetur Deus, æternaqve illius erga Ecclesiam benignitas & fides: & nos cum Daniele Deo justitiam, nobis facili confusionem, tribuere consvescamus. *Ante omnia verò de Prophetarum origine, & eos ad Ecclesiam mittendi consvetudine Dei aliqvid est dicendum.*

17. Pulchrè observavit qvi observavit, *Si populus Israel datam per Mosen Dei legem servasset, Prophetas novos à Deo mitti opus non fuisset.* Nec ergò Christianus populus si Evangelium observaret, novis Prophetis (ad castigationes nuntiandum) opus haberet. Res enim certè ipsa ostendit, *Prophetas non excitari nisi à fundamentis corrupto, aut corrumpi cepto, Ecclesiæ statu.* Qvodnam autem est Ecclesiæ fundamentum? Sub veteri Lege fuit ipse *Deus JEHOVA, qvi solus à populo suo pro Domino ac Rege* (imò & *Marito*, Jes. 54.5. Jer. 3. 1, 4, 20. Os. 2.2.7. 16.) *agnosci, haberi, coli, voluit:* In novo autem Fœdere *Christus Jesus, FILIUS DEI & Mariæ*, 2 Cor. 11.2. &c. *extra qvem fundamentum aliud ponere nemo potest*, 1 Cor. 3.11. 1 Pet. 2.6. *& qvi suis alium præter se habere Ducem, Regem, Magistrum, prohibuit*, Matt. 23.8. Contra qvam fundamentalem constitutionem cùm utrinqve peccari ceptum est, ceptum & utrinqve contra protestari per extraordinariè excitata organa, *Prophetas.* Qvæ res cùm singulari attentione dignissima sit, ut nemo sit qvem attendere pigeat, obsecro.

18. Politiam Israelitici populi constituerat Deus ipse in liberæ Reipublicæ forma, temperatæ tamen Monarchico regimine in eo, qvòd in Ecclesiastica qvidem functione unum constituit Pontificem summum, eamqve dignitatem uni alligans domo, Aaronis, hæreditariam esse jussit successione perpetuâ: in Politico autem ordine præficiebat ipsis jam hunc jam illum, ex hac vel illa tribu, qvemcumqve spiritu heroico sapientiæ, consilii, fortitudinis, implere placuerat, Mosem, Josuam, Gedeonem, &c. ad Samuelem usqve. Qvod cum tandem illi pertæsi Politiam suam in Regni formam commutandi præfractum conciperent desiderium, dixit ad Samuelem Deus: *Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*, 1 Sam. 8.7. Ex isto igitur tempore Deus illis & Reges (Tyrannicè plerumqve regnantes, ut contestari jusserat Deus, 1 Sam. 8. v. 9. 18.) indulgebat, & Prophetas submittebat: illud ex ira, hoc ex gratia. Utrumqve

qve patet ex istis Dei ad Oseam verbis: *Ubi nunc est Rex tuus qvi te salvet? & Judices tui de qvibus dixisti, Da mihi Reges & Principes? Dedi tibi Regem in furore meo, &c.* (Cap. 13. 10. 11.) De Prophetis autem, qvomodo eos ex gratia (velut in iræ temperamentum) mittat, ita loqvitur: *Ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, adhuc sedere te facio in Tabernaculis, sicut in diebus festivitatis: & loqvor per Prophetas, Visionesqve mutliplico, per ministerium Prophetarum exprimens similitudinem mei.* (Cap. 12. 9. 10.)

19. *Ergò sicut in vetere illa Ecclesia idem fuit Regum & Prophetarum initium, Saulis & Samuelis tempore* (Nam inter Mosen & Samuelem nec Rex fuit in populo Dei, nec Propheta, 500. ferè annis:) *ita in nova Christiana tùm, qvando Monarchale in Ecclesia regimen affectari cepit, anno Christi ferè 600.* Cùm enim eousqve pii Episcopi collegialiter Ecclesias regerent, & contra subortas Hæreses Christus heroas suos (Justinos, Cyprianos, Lactantios, Athanasios &c.) piaqve Concilia, excitaret: sub hoc demum tempus tyrannidem affectans *Arrogantia caput efferre cæpit, Constantinopolitano Patriarcha Johanne Universalis Episcopi titulum ambiente, & à Mauritio Imperatore propè impetrante.* Cui tamen Christus *Gregorium Romanum Episcopum* opposuit: qvi contra ECCLESIÆ PRIMATUM zelosè pugnans, superbum istum titulum durissimis convitiis proscidit: *Spiritu prophetico prænuntians, quisquis eum susceperit præcursorem fore Antichristi.* Hortatus etiam Episcopos passim, ut tali in Ecclesia tyrannidi obsisterent: qvod illius ad Imperatorem, & Imperatricem, ipsumqve Patriarcham Johannem, epistolæ testantur. Dicit enim (epistola 34.) *In hac ejus SUPERBIA, quid aliud, nisi propinqva jam Antichristi tempora designantur? Qvi videlicet illum imitatur, qui spreto in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad CULMEN conatus est SINGULARITATIS erumpere, dicens; Supra astra cæli exaltabo solium meum &c.* Ad ipsum verò Johannem scribens (Ep. 38.) ita loqvitur: *Rogo, deprecor, & qvantâ possum dulcedine exposco, ut fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus, erroris qve nomen deferentibus, contradicat, nec stulto ac superbo vocabulo appellari consentiat* &c. Et postea: *Rex superbiæ prope est, Sacerdotum ei præparatur exercitus* &c. Tandem sub epistolæ finem: *Qvid ergò, frater charissime, in illo terribili examine venientis judicii dicturus es? Qvoniam non solùm PATER, sed etiam GENERALIS PATER, in Mundo vocari appetis? Caveatur obsecro, & fugiatur, omnis instigatio Diaboli* &c. seqventi autem epistola exprobrans illi, qvod se *Patriarcham Ocumenicum* nominaret, dicit: *In isto scelesto vocabulo consentire, nihil aliud est, qvam fidem perdere* &c. Utqve tantò magis se & successores adversus tale præcipitium muniret, oppositum titulo superbiæ titulum *Servi servorum Dei*, assumsit.

20. Et ita qvidem ille, *Gregorius*, satanica ista superbiæ molimina tunc disjecit; sed cum illo è vivis sublato *Phocas* Imperium Orientis (Mauritio trucidato) arripuisset, & Romam cum Occidente sibi qvoqve subjugare volens, eam ad rem Romani Episcopi authoritate opus esse videret, *obtulit Gregorii successoris Bonifacio tertio, titulum qvem antea Constantinopolitanus affectaverat, Universalis Episcopi: utqve Romana sedes post hac omnium Ecclesiarum caput diceretur.* Qvod cum ille (interdicti Christi, pietatisqve & prudentiæ Antecessoris sui, oblitus) admisisset, Ecclesiæ autem Orbis pleræqve reclamarent: aperta fuit litibus, variisque dolis, machinationibus, violentiis, tyrannidi, porta, per tota illa decem secula hucusqve, ut omnes testantur historiæ. Cùm enim *Papa Romanus*, Imperiali jam authoritate armatus, omnes Ecclesias (primùm Italiæ, deinde aliarum qvoqve terrarum) sibi subesse vellet, tentata sunt infinita istuc servientia: ut historias illorum temporum legere horror sit. Inter alia, *ut Sacerdotes auxilo sibi haberet ubiqve, eos tanqvam Apostolicâ jam authoritate è potestate seculari* (cui antea ipse qvoqve suberat, vi ordinationis divinæ, *Rom.* 13.) *emancipare ubiqve; nova item Decreta & Jura condere, tandemqve integrum Jus Canonicum Juri Civili oppositum* (tanqvam sic Regnum Christo super omnia Mundi Regna & Reges parans) *ordinare, & Mundum novis Ceremoniis, Ritibus, Ordinibus & Regulis ad pompam comparatis, implere cæpit.*

21. Qvæ insolentiæ cùm multis piis admodum essent suspectæ, rerumque scenam inverti, & è spirituali regno Christi mundanum fieri, viderent, gemuerunt, lamentati sunt, quantumqve poterant obstiterunt. Innumera id scriptorum monumenta testantur, *qvàm multi sancti Ecclesiarum Episcopi & Abbates, illuminati Doctores, integræqve Academiæ & Ecclesiæ, cum Regibus & Imperatoribus piis nihil non egerint, ut invalescenti universali corruptioni obviam iretur.* Sed exiguo plerumqve profectu, Deo errorum efficaciam mittente in pœnam illis, qvi consenserant iniqvitati: ut per Apostolum fuit prædictum 2 Thess. 2. Ere fuerit qvædam illa tum temporis piorum lamenta, luctusqve & luctas, cum inseqvuto prorsus tragico rerum per Orbem Christianum cursu, memorare: *ut Sanctissimi Papæ Gregorii metum, de ingressuro per talem Januam Antichristo, non vanum fuisse ad oculum pateat.* Studebo brevitati, è millenis testibus ac exemplis qvædam saltem adducturus: *in testimonium, causam hanc contra Papam, & Papatum, non qvorundam hujus seculi esse* (quos illi ideò Hæreticos vocant:) *sed totius Ecclesiæ à mille annis.* Attentè hæc recognosce piè Lector! stupesces judicia Dei, plagarumqve qvibus jam circumdamur, causas intelliges meliùs.

22. Diruptis semel legis Christi septis *de non vocando super terram aliqvo Magistro, aut Doctore, aut Patre*, Matt. 23. *& non sic* in Ecclesia *dominando qvomodo Reges gentium*, Luc. 22. *Nec omninò dominando in cleris*, 1 Pet. 5. 3.)

qve patet ex istis Dei ad Oseam verbis: *Ubi nunc est Rex tuus qvi te salvet? & Judices tui de qvibus dixisti, Da mihi Reges & Principes? Dedi tibi Regem in furore meo, &c.* (Cap. 13. 10. 11.) De Prophetis autem, qvomodo eos ex gratia (velut in iræ temperamentum) mittat, ita loqvitur: *Ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, adhuc sedere te facio in Tabernaculis, sicut in diebus festivitatis: & loqvor per Prophetas, Visionesqve multiplico, per ministerium Prophetarum exprimens similitudinem mei.* (Cap. 12. 9. 10.)

19. *Ergò sicut in vetere illa Ecclesia idem fuit Regum & Prophetarum initium, Saulis & Samuelis tempore* (Nam inter Mosen & Samuelem nec Rex fuit in populo Dei, nec Propheta, 500. ferè annis:) *ita in nova Christiana tùm, qvando Monarchale in Ecclesia regimen affectari cepit, anno Christi ferè 600.* Cùm enim eousque pii Episcopi collegialiter Ecclesias regerent, & contra subortas Hæreses Christus heroas suos (Justinos, Cyprianos, Lactantios, Athanasios &c.) piaqve Concilia, excitaret: sub hoc demum tempus tyrannidem affectans *Arrogantia caput efferre cæpit, Constantinopolitano Patriarcha Johanne Universalis Episcopi titulum ambiente, & à Mauritio Imperatore propè impetrante.* Cui tamen Christus *Gregorium Romanum Episcopum* opposuit: qvi contra ECCLESIÆ PRIMATUM zelosè pugnans, superbum istum titulum durissimis convitiis proscidit: *Spiritu prophetico prænuntians, quisquis eum susceperit præcursorem fore Antichristi.* Hortatus etiam Episcopos passim, ut tali in Ecclesia tyrannidi obsisterent: qvod illius ad Imperatorem, & Imperatricem, ipsumque Patriarcham Johannem, epistolæ testantur. Dicit enim (epistola 34.) *In hac ejus SUPERBIA, quid aliud, nisi propinqva jam Antichristi tempora designantur? Qvi videlicet illum imitatur, qui spreto in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad CULMEN conatus est SINGULARITATIS erumpere, dicens; Supra astra cæli exaltabo solium meum* &c. Ad ipsum verò Johannem scribens (Ep. 38.) ita loqvitur: *Rogo, deprecor, & qvantâ possum dulcedine exposco, ut fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus, erroris qve nomen deferentibus, contradicat, nec stulto ac superbo vocabulo appellari consentiat* &c. Et postea: *Rex superbiæ prope est, Sacerdotum ei præparatur exercitus* &c. Tandem sub epistolæ finem: *Qvid ergò, frater charissime, in illo terribili examine venientis judicii dicturus es? Qvoniam non solùm PATER, sed etiam GENERALIS PATER, in Mundo vocari appetis? Caveatur obsecro, & fugiatur, omnis instigatio Diaboli* &c. seqventi autem epistola exprobrans illi, qvòd se *Patriarcham Ocumenicum* nominaret, dicit: *In isto scelesto vocabulo consentire, nihil aliud est, qvam fidem perdere* &c. Utqve tantò
18 magis se & successores adversus tale præcipitium muniret, oppositum titulo superbiæ titulum *Servi servorum Dei*, assumsit.

20. Et

20. Et ita qvidem ille, *Gregorius*, satanica ista superbiæ molimina tunc disjecit: sed cum illo è vivis sublato *Phocas* Imperium Orientis (Mauritio trucidato) arripuisset, & Romam cum Occidente sibi qvoqve subjugare volens, eam ad rem Romani Episcopi authoritate opus esse videret, *obtulit Gregorii successoris Bonifacio tertio, titulum qvem antea Constantinopolitanus affectaverat, Universalis Episcopi: utqve Romana sedes post hac omnium Ecclesiarum caput diceretur.* Qvod cum ille (interdicti Christi, pietatisqve & prudentiæ Antecessoris sui, oblitus) admisisset, Ecclesiæ autem Orbis pleræqve reclamarent: aperta fuit litibus, variisque dolis, machinationibus, violentiis, tyrannidi, porta, per tota illa decem secula hucusqve, ut omnes testantur historiæ. Cùm enim *Papa Romanus*, Imperiali jam authoritate armatus, omnes Ecclesias (primùm Italiæ, deinde aliarum qvoqve terrarum) sibi subesse vellet, tentata sunt infinita istuc servientia: ut historias illorum temporum legere horror sit. Inter alia, *ut Sacerdotes auxilo sibi haberet ubiqve, eos tanqvam Apostolica jam authoritate à potestate seculari* (cui antea ipse qvoqve suberat, vi ordinationis divinæ, *Rom.* 13.) *emancipare ubiqve; nova item Decreta & Jura condere, tandemqve integrum Jus Canonicum Juri Civili oppositum* (tanqvam sic Regnum Christo super omnia Mundi Regna & Reges parans) *ordinare, & Mundum novis Ceremoniis, Ritibus, Ordinibus & Regulis ad pompam comparatis, implere cæpit.*

21. Qvæ insolentiæ cùm multis piis admodum essent suspectæ, rerumque scenam inverti, & è spirituali regno Christi mundanum fieri, viderent, gemuerunt, lamentati sunt, quantumqve poterant obstiterunt. Innumera id scriptorum monumenta testantur, *qvàm multi sancti Ecclesiarum Episcopi & Abbates, illuminati Doctores, integræqve Academiæ & Ecclesiæ, cum Regibus & Imperatoribus piis nihil non egerint, ut invalescenti universali corruptioni obviam iretur.* Sed exiguo plerumqve profectu, Deo errorum efficaciam mittente in pœnam illis, qvi consenserant iniqvitati: ut per Apostolum fuit prædictum 2 Thess. 2. Ere fuerit qvædam illa tum temporis piorum lamenta, luctusqve & luctas, cum inseqvuto prorsus tragico rerum per Orbem Christianum cursu, memorare: *ut Sanctissimi Papæ Gregorii metum, de ingressuro per talem Januam Antichristo, non vanum fuisse ad oculum pateat.* Studebo brevitati, è millenis testibus ac exemplis qvædam saltem adducturus: *in testimonium, causam hanc contra Papam, & Papatum, non qvorundam hujus seculi esse* (quos illi ideò Hæreticos vocant:) *sed totius Ecclesiæ à mille annis.* Attentè hæc recognosce piè Lector! stupesces judicia Dei, plagarumqve qvibus jam circumdamur, causas intelliges meliùs.

22. Diruptis semel legis Christi septis *de non vocando super terram aliqvo Magistro, aut Doctore, aut Patre,* Matt. 23. *& non sic* in Ecclesia *dominando qvomodo Reges gentium,* Luc. 22. *Nec omninò dominando in cleris,* 1 Pet. 5. 3.)

adeò violenter Ambitionis iste torrens sese fudit, ut sisti non posset: qvolibet sedem illam occupante aliqvid ad augendam Omnipotentiam ejus (ita enim loqvuntur) excogitante, neqve qvôqvam divinum illud de idololatrarum cæcitate monitum, *Annon mendacium est in dextra mea?* (Jes. 44. 20.) recordante. Verè enim mendacium est Veritati contradicere, seu verbis seu factis: & ubi Veritas ad Apostolos *VOS NON SIC* dixit, Apostolorum successores *NOS SIC* dicere. Ubi item Petrus *NON DOMINANTES IN CLERIS*, edixit, Petrì vicarium *DOMINUS CLERI SUM*, proclamare.

23. Qvomodo autem totum illud cœlum versus sese erigens immensæ Ambitionis, & ultra humani præcipitii, opus gradatim creverit, legentibus Paparum historias ignotum esse non potest: *& qvàm enormiter à prima etiam illorum qvi dignitatem hanc contulerunt intentione aberratum sit.* Invasor enim Orientalis Imperii, *Phocas*, ut Occidentale Imperium per Episcopum Romanum sibi conservaretur, illiciò isto qvæsivit. Ille autem non solùm dilabi Imperium, & à diversis ita discerpi ut decem inde Regna surgerent, passus, sed & *ipse pro se portionem inde non postremam arripere, non intermisit: ipsam nempe Imperii sedem, Romam, cum bona Italiæ parte. Qvò obtento, reliqva ejusdem jam lacerati Imperii Regna sua esse beneficia, & feuda, dixit, & se super omnes efferens, ut à plerisqve superior agnosceretur, atqve ita ex servo servorum Dominus Dominorum fieret, impetravit*: tametsi non citra varias variorum contradictiones, ingentesqve contentiones, non verbis tantùm & disputationibus perpetuis, sed & gladio bellisqve cruentis, cum omnibus ferè Europæis Principibus ac Regibus, ipsoqve Romano, sed in unius Germaniæ angulum contruso, Imperatore. Qvem plus qvam Monarchicum statum ut mundano more pompâ & fastu tueri posset, plus qvam Regales reditus ac opes sibi comparare qvæsivit. Nemqve non è solis Italiæ sibi jam subjectis Provinciis (quas *Patrimonium S. Petri* apellarunt) sed & de reditibus omnium per Europam Ecclesiarum partem sibi attribuendo (*Annatas* vocarunt:) alicubi etiam (ut in Anglia) per singulas domos pensionem exigendo, qvam *Denarium Petri* dixerunt.

24. Hinc immensæ Opes annuatim Romam undiqve apportatæ, & in immensum luxum, stupendosqve abusus, conversæ. Qvas Capitis profanitates cùm membra imitarentur, Clerici, & de hinc populus ipse, aucta est in immensum vitæ licentia, morum corruptelæ, omnisqve generis abominationes innumeræ, Atheismus deniqve: ut tandem tota Ecclesia omne genus confusionibus oppleta, vera *Novi Testamenti Babylon* fieret: qvod omnes pii ac Deum timentes viderunt ac deplorârunt. Attingenda sunt de innumeris quædam.

25. Anno

25. Anno 859. obtentâ sede *Nicolaus I*, admodum superbè Papatum gessit. *Imperatorem Ludovicum* eqvi sui frenum prehendere, & qvantum sagittæ jactus extenditur trahere passus. Episcopum Ravennatem, qvòd se à Romana sede pendere negaret, excommunicavit: ob hoc factum ab Imperatore (negante id Papæ licere Synodo inconsultâ) reprehensus. Ille tamen ut sibi majora etiam licere ostenderet, *Lothario Lotharingiæ Regi* anathema (in matrimoniali causa quadam) intentavit: sed hîc se illi duo Archiepiscopi, Coloniensis & Trevirensis (*Guntherus* & *Thietgaudus*) opposuerunt, *eum lupum, fucum, tyrannum, Romam ipsam Babylonem, quæ se errare non posse mendaciter glorietur, vocantes, anathemata ejus ridentes, seejus non Clericos esse, sed Coepiscopos* &c. Cumqve hic idem Papa epistolas Decretales scripturis S. æqvare inciperet, & appellationes ab Episcoporum judiciis ad se Romam urgeret, acerrimum habuit adversarium *Hincmarum* (sive ut alii scribunt, *Himmarum*) Archiepiscopum Rhemensem. Et qvia in Germaniam Clericorum cœlibatum invehere voluit, opposuit se *Huldericus Episcopus Augustanus*, eam doctrinam pharisaicam, scandalosam, pestiferam vocans. Sed & *Luitpertus Moguntinus Archiepiscopus* datâ ad Ludovicum epistolâ, Papamqve graviter peccare & errare qvestus, Imperatorem ut Papam in ordinem redigeret, hortatus est.

26. Anno 1074. *Hildebrando (qvi se Gregorium VII. appellavit)* sedem invadente, & per annos 12. cælum terræ miscente (tertio enim pontificatus sui anno inaudita eatenus paradoxa promulgari fecit: inter alia, 1. *Solum Romanum Pontificem esse Universalem.* 2. *Solum posse præsidere Conciliis.* 3. *Solum Imperialibus uti insignibus.* 4. *Solius pedes osculandos esse Principibus.* 5. *Nullum Librum haberi Canonicum, nisi ejus authoritate.* 6. *Illum subditos à fidelitate Regum solvere posse.* 7. *Illius solius nomen in Ecclesiis posse recitari.* 8. *Illum de omnibus posse judicare, de illo neminem.* 9. *Unicum esse nomen in Mundo PAPÆ* &c.) mira fuit rerum facies. Qvisqvis enim opponere se auderet, excommunicabatur: ut *Moguntinus*, *Ultrajectinus*, *Bambergensis*, aliiqve Episcopi, Imperator etiam ipse Henricus: contra qvem varias excitavit rebelliones, Legatosqve illius Romam profectos in vincula conjecit, ipsum Cæsarem venire debuisse causatus &c. Insurrexerunt ergò varii pii & Docti Viri, has tantas abominationes abominati. Inter alios *Beno Cardinalis*: qvi vitam Hildebrandi scripsit, horribilia illius scelera (Antecessorumqve aliqvot) enumerans, Scortatorem fuisse, Magum, homicidam &c. Indictus ergò fuit Wormaciæ conventus, cui pleriqve Episcopi Italiæ, Galliæ, Germaniæqve intererant, & Hildebrandum abdicandum, nec Oves lupo committendas, decreverunt. Quod Decretum Synodi cùm Clero & Populo Romano missum esset, ille nihil à ferocia remittens, infinitaqve denuò furiosè machinans, in morbum incidit, simulqve vivere & res turbare desiit.

27. Cùm autem ſuceſſores nihil emendarent, ambitioneqve & avaritiâ omnes Eccleſiarum cauſas ad ſe Romam traherent, reperti ſunt innumeri qui proteſtarentur, aç deteſtarentur. Inter alios *Hildebertus Epiſcopus Cenomanenſis*, qui Curiæ Romanæ rapacitatem variè inſectatus, quadam in epiſtola iſta poſuit: *Romani ſunt qvos timent, & qvi timentur. Hi ſunt qvos hæc peculiariter provincia manet, inferre calumnias, deferre perſonas, afferre minas, auferre ſubſtantias. Hi ſunt quorum laudari audis in otio occupationes, in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias. Hi ſunt, qvi cauſas morantur adhibiti, impediunt prætermiſſi, faſtidiunt admoniti, obliviſcuntur locupletati. Hi ſunt, qvi emunt lites, vendunt interceſſiones, deputant arbitros, judicanda dictant, dictata convellunt, attrahunt ligaturos, protrahunt audiendos, trahunt addictos, retrahunt tranſigentes, &c. Nullum illis genus hominum, ordinum, temporum, cordi eſt. In foro Scythæ, in cubiculo viperæ, in convivio ſcurræ, in exactionibus harpyiæ, in collocutionibus ſtutuæ, in quæſtionibus beſtiæ, in tractatibus cocleæ, in contractibus trapezitæ. Ad intelligendum ſaxei, ad judicandum lignei, ad ſuccenſendum flammei, ad ignoſcendum ferrei, ad amicitias pardi, ad facetias urſi, ad fallendum vulpes, ad ſuperbiendum tauri, ad conſumendum minotauri. Spes firmas in rerum motibus habent, dubia tempora certius amant, & ignavia pariter conſcientiaqve trepidantes. Cum ſint in prætoriis leones, in caſtris lepores, timent fædera ne diſcutiantur, bella ne pugnent. Qvorum ſi nares afflaverit rubiginoſi aura marſupij, confeſtim videbis illic & oculos Argi, & manus Briarei, & ingenium Sphyngis.*

28. Similiter *Theodoricus Abbas S. Trudonis Leodiæ inſectatus fuit Romam, præcipuè ob Simoniam: non ſolùm qvod ob pecuniam honores daret, ſed etiam quod indigniſſimis. Ut tandem jam Romæ pro Simone Petro Simonem Magum regnare, diceret.*

29. *Hugo de S. Victore* (natione Saxo, ſed Abbas S. Victoris Pariſiis) vixit circa 1130. Chriſti annum, eruditionis & pietatis nomine à Trithemio multum laudatus. Is de perditiſſima Clericorum vita ſic ſcripſit: *Clerici temporibus noſtris Legem neſciunt, nec diſcunt, ſed vanitates: otio, commeſſationibus, ebrietatibus ſtudent, terrena capiunt, aſſiduè in plateis, rarò in Eccleſiis, tardi ad inveſtigandum culpam peccatorum, parati ad inſeqvendum veſtigia leporum, velociores ſunt ad congregandum canes, qvam ad convocandum pauperes, citiùs porrigunt panem canibus, quàm pauperibus, citiùs extendunt manum ad taxillum, qvam ad Miſſæ librum. Ii ſunt qvorum thalamus ornatior qvam Altaria, ſcyphus pulchrior Calice, eqvus carior qvam Miſſale, mappa pulchrior caſulâ, camiſia delicatior qvam alba, imò qvod horrendum eſt dicere, & nefarium, femoralia pulchriora qvàm corporalia.* Item Auguſtinus: *Plus placet Deo latratus canum,*

num, & rugitus boum, grunnitus porcorum, qvam Clericorum cantus lascivè & luxuriosè cantantium, ut placeant amasiis suis. Videte qvam injuriam faciunt hi Templo Dei. Faciunt enim ex eo tabernam & domum tripudii, ubi solent lascivi cantus exerceri. Item, Restat, ut prædicatio ejus contemnatur, cujus vita despicitur.

30. Anno 1140. *Romani ipsi, Papæ & Clericorum jugum pertæsi, scripserunt ad Imperatorem, liberari petentes.* Titulus Epistolæ fuit: *Excellentissimo atqve præclaro Urbis Domino, Conrado Dei gratiâ Romanorum Regi semper Augusto S. P. Q. R. Salutem, & Romani Imperii felicem & inclytam gubernationem.* Ex ipsâ epistola selectiora quædam enotabo: *Regnum & Imperium Romanum, vestro regimini à Deo concessum, exaltare nos & amplificare cupientes, in eum statum quô fuit tempore Constantini & Justiniani, qvi totum Orbem vigore Senatûs & Populi Romani suis tenuêre manibus, reducere (iis qvi vestro Imperio semper rebelles erant, tantumq; honorem Romano Imperio surripuerunt, conculcatis, qvatenus ea qvæ Cæsari & Imperio debentur per* omnia obtineatis) *vehementer atq; unanimiter satagimus atqve studemus,* &c. *Appropinqvet itaqve nobis Imperialis vigor celeriter: qvicqvid vultis in Urbe obtinere poteritis &c.* Clausula epistolæ fuit: *Rex valeat, qvicqvid cupit obtineat, super hostes Imperium teneat, Romæ sedeat, regat Orbem &c.* Verùm consilia hæc Pontificum artibus ad nihilum redacta sunt.

31. Successit Conrado *Fridericus primus, Barbarossa* vocatus, anno 1152: cui cum Papis ultra 30 annos variæ fuerunt luctæ eô usqve progressæ, ut Papa datis ad Imperatorem & Electores literis, *suam sedem esse Romæ, Imperatoris Aqvis in Arduenna &c. suum beneficium esse Imperium, suum transferre Regna & dare cui vellet,* scriberet &c. Imperator Legatos Papæ Regno excedere jussit, & ad Ordines Imperii scribens *mendacii arguit eum, qvicumqve Imperatorem aliunde qvàm à Deo, per Electores, coronam habere dixerit &c.* Perseqventeqve jus suum in Italia Imperatore; mittit Adrianus Papa hortatum, *Ne quæ juris Ecclesiæ essent attrectaret &c.* Respondet Cæsar, se *Dominium Episcoporum non affectare: modò illi nihil attingant de suis Regalibus: &c. Romam non Papæ, sed suam esse &c. Stare se judicio, maximè Concilio Universæ Ecclesiæ.* Ad qvod Papa: *Suum esse vocare, non vocari; judicare, non judicari. Invehens in Fridericum, qvod nomen suum Papæ nomini præposuisset.* Fridericus rursum, *Detestabilem superbiæ bestiam usqve ad Petri sedem reptasse,* respondit. Hæc inter Adrianum & Fridericum acta: qvid autem Adriani successor Alexander III. cum hoc Cæsare, aliisqve Regibus, longè insolentiùs egerit, legantur historiæ.

32. Sed majora in rebus turbandis ausos fuisse Friderici II. tempore (qui-

anno 1212. Imperator factus, annis 38. invitis Papis regnabat) tragicæ per Italiam *Gvelphorum* & *Gibellinorum* factionis (qvorum illi Pontificum, hi Cæsaris, partes seqvebantur) turbæ ostendunt. Sicut & multæ optimi Cæsaris epistolæ, qvæ apud Aventinum legi possunt. Unam ex illis Flaccius ita epitomavit. *Pontifices Romanos auctos divitiis & dignitate à se, & cæteris Imperatoribus, æmulos esse pertinacissimos omnium Regum atque Principum, neque parem ultra ferre posse. Manibus pedibusqve noctes diesqve id eos conari, ut non tàm se qvàm sacro sancto Romano Imperio, tanqvam capite oppresso, facile cæteris menbris omnibus servitutem imponant: Affectare eos dominationem atque divinitatem: nempè ut ab omnibus haud aliter, imò magis qvàm Deus, timeantur. Nam multos Antichristos in esse Romanensibus illis, nec ullos alios (qvemadmodum opera ostendunt) exitio Christianæ Religioni esse. Se nihil magis cupere, qvàm ut suo tempore Respublica Christiana pristinam majestatem, simplicitatem, & pacem, recuperet. Qvod fieri neqvaqvam potest, nisi spinæ eradicentur: h. e. ambitio, superbia, fastus, luxus, Sacerdotum Romanorum, subtractis opibus atqve divitiis, extirpentur radicitus. Copiam rerum sapientissimos qvoqve corrumpere: in rebus divinis non solum Romanum Episcopum, sed unumqvemqve Sacerdotem sibi patrem fore, modò rebus profanis sibi non commissis abstineat. Imperium Christianum, cujus ipse caput constitutus sit à Deo, non armis, non vi, opprimi posse: sed luxuria & cupiditate, qvæ radix omnium malorum est, enervari, corrumpi. Qvod ne fiat, se obviam iturum: se summopere pro commisso sibi à Deo negotio potestate, enseqve divinitus tradito, contra enisurum, ut ovili pastorem, populo Pontificem, mundo parentem, detractâ persona lupi, tyranni, atqve domini, restituat: ut eundem abdicata regnorum, humanarumq; litium curâ, & prophanorum negotiorum administratione, (qvibus illi in Evangelio interdictum sit) ad æmulanda pauperis Christi, cujus vicarium se jactitat, vestigia cogat. Se amplius non passurum, ut Christianæ plebi lupus ovinâ pelle tectus diutius imponat. Opus maximæ pietatis & charitatis fore, gratissimumqve Deo immortali,* ***Opes & aurum, irritatimenta malorum, Sacerdotibus auferre.*** *Namqve hæc perniciem esse Religionis adeò, ut homo ille qvi dicitur Papa, divitiis nimium auctus, maximo pietatis Christianæ detrimento omnia sibi licere, more tyrannorum pessimorum, putet, rationem actuum nemini (qvasi sit Deus) reddere velit. Idqve qvod soli Deo convenit, usurpet, se errare, ullave mendacii religione astringi, non posse, credi sibi impudentissimè, simulqve imperiosè, postulet: fraudes, dolos, commenta, fucum, taceri; sibi ut vicino eum intus & in cute notum esse. Proinde qvicunqve rem Christianam salvam esse velint, faveant, adsint, & causam Christi Servatoris nostri, omnium deniqve Christianorum, agenti benè precentur.* &c.

33. Post

33. Post hanc epistolam convenere Reginoburgi (Ratisbonæ) multi Proceres Imperii: ubi cùm Alberti Legati Papæ literæ, qvibus Othonem Bajorum Ducem de fide suspectum Romano Episcopo faciebat, recitarentur, *Archiepiscopus Salisburgensis* gravi oratione Antichristiana Papæ attentamina retudit. Cujus orationis exordium tale fuit: *Christus Servator, Dominus & Deus noster, relicto ætherio solio mortalis pauperq; effectus est, ut nos immortales atque divites efficeret. Cumq; devictis inferis triumphabundus rursus in cælum rediturus esset, pacem suam nobis reliqvit, concordiam atqve mutuum amorem, tanqvam notam atqve tesseram qvâ cives sui à militibus inferi Jovis discernerentur, assignavit. Summopore qvoqve admonuit, uti falsos Christos, falsosqve Prophetas vitaremus, qvi tecti pelle ovina, nimirum Christiano nomine, atqve Pontificio titulo, nobis dominari atqve illudere cuperent. Qvos ex spinis atqve operibus, nempe avaritia, luxu, contentione, odio, invidia, bellis, discordiæ malis, libidine dominandi, ambitione, cognosci oportere docuit. Qvidnam apertius hisce verbis, qvàm Babylonis Pharisæos atqve scribas, cælestis Imperator indicavit? Sub Pontificis maximi titulo pastoris pelle lupum sævissimum, nisi cæcisumus, sentimus. Romani Flamines arma in omnes habent Christianos: audendo, fallendo, & bella ex bellis serendo magni facti, oves trucidant, occidunt: pacem & concordiam terris depellunt: intestina bella, domesticasqve seditiones ab inferis eliciunt, indies magis atqve magis omnium vires debilitant, ut omnium capitibus insultent, omnes devorent, universos in servitutem redigant. Non Pontificis more gregi consulunt, sed potius immanitate tyranni licentia debacchantur: justitia rarescit, impietas, avaritia, cupiditas honorum, pecuniæ studium, libido crebrescit. Inopes & boni præda sunt sceleratis, ac divexantur undiqve ab injustis, soli autem mali opulenti sunt. Christus inimicos odio habere vetat, eosdem amari præcipit, de his promereri, fidem hostibus servare, beneficiis maleficia expiare, docet: Romanenses contra, sancta violare, fædere nomine Dei sacrato ad fallendos homines abuti, benemeritis ingratos esse, malefactis beneficia compensare, bellare, litigare, defraudare, prodere, dicipere, sub magna pietatis superficie jubent: Divinæ majestati, cœlesti providentiæ, ipsiqve naturæ repugnare, & supremæ majestati à Deo* Opt. *Max. constitutæ resistere,* nos volunt &c. *Hildebrandus ante annos centum atqve septuaginta primus specie Religionis Antichristiani Imperii fundamenta jecit: hoc bellum nefandum primus auspicatus est, qvod per successores hucusqve continuatur &c. Primò illi Imperatorem à Comitiis Pontificalibus extrusere, ea ad sacerdotes & populum transtulere. Deinde & his ludibrio habitis atqve explosis, nunc & nos (Episcopos) in servitutem redigere conantur, ut soli regnent. &c.*

34. Aliam postea epistolam Cæsar publicavit titulo tali: *Fridericus Regibus & Principibus Mundi, ut non obediant Papæ & Cardinalibus, eò qvod sunt*

eleemosynis

eleemosynis pauperum impingvati, & contra eos recalcitrant &c. Et cujus epistolæ hæc etiam est (propè finem) particella. *Habemus Conscientiæ puritatem, ac per consequens Deum nobiscum, cujus testimonium invocamus: qvia semper fuit nostræ voluntatis intentio, Clericos cujusqve Religionis ad hoc inducere, & præcipuè maximos, ut tales perseverent in fide, qvales fuerant in Ecclesia primitiva Apostolicam vitam ducentes, & humilitatem Dominicam imitantes. Tales namqve Clerici solebant Angelos intueri, miraculis coruscare, ægros curare, mortuos suscitare, & sanctitate, non armis, sibi Principes subjugare. At isti seculo dediti & ebrietati, deliciis Deum postponunt, qvorum ex affluentia divitiarum religio suffocatur. Talibus igitur subtrahere nocentes divitias, qvibus damnabiliter onerantur, opus est charitatis. Ad hoc Vos omnes Principes una nobiscum (ut cuncta superflua deponentes, modicisqꝫ rebus contenti, Deo serviant, cui serviunt omnia) omnem debetis diligentiam adhibere, &c.*

35. Papa nihilominus (Gregorius IX.) per alia Regna qvicqvid in suam rem esse poterat nihil intermisit, præsertim in Anglia suo qvodam (ut ajebat) jure. Decimas enim omnium Nobilium, tàm Laicorum, qvàm Clericorum exegit, & anathematis metu obtinuit: sub eadem pœna mandans, ne qvis Regnicolarum ullum beneficium usurparet, nisi priùs Romanis esset provisum &c. Unde miseria, desperatio, conglobatio promiscuæ multitudinis &c. Exactores illi pro sigillo usurpabant duos gladios, cum inscriptione *Ecce duo gladii hîc!* Carthusianus qvidam, *negabat Gregorium esse caput Ecclesiæ, aliud esse caput. Ecclesiam esse prophanatam, nec sacra in ea celebranda nisi de integro initiata fuerit. Papam esse hæreticum, polluisse Ecclesiam, imò Mundum:* Sed fuit in turrim conjectus. Postea tamen (sub Alexandro IV) exactionibus Legatorum Populus & Clerus se opposuit: *Fulcone Londinensi Episcopo, se priùs capite truncandum; Wigorniensi, se potiùs suspendendum, qvàm suas Ecclesias tantæ servituti subjectas cernere, clamante.* Cumqve Legatus Rustandus *Omnes Ecclesias Papæ esse* diceret, respondit M. Leonardus, *Tuitione, non fruitione; defensione, non dissipatione.* Archiepiscopus Eboracensis *Sevalus*, quòd acriter qvoqve restitisset, excommunicatus à Papa, illum ad tribunal Christi citavit.

36. *Gallicana Ecclesia fortiùs libertates suas defendit: maximè sub Regibus suis, Ludovico IX, cognomine sancto: Philippo IV, pulchro: Carolo V, sapiente: Carolo VI: Carolo VIII &, Ludovico XII: Scholâ Parisiensi, Prælatisqve totius Galliæ, Regi suo semper assistentibus, expilationesqve illas Papales esse Simoniam, Ecclesiis ac Regnis damna & scandala inferentem, probantibus.* Ludovicus enim mox sub initia Regni (anno 1228.) contra Paparum præventiones, & alia machinamenta, legem sanxit: sub finem autem vitæ (anno 1268) *Pragmaticam Sanctionem*, quâ omnes in universum Romani Pontificis rapinæ prohibitæ sunt, edidit.

37. *Ad Philippum misit* (*Bonifacius VII*) *Episcopum Apameensem*, ad bellum sacrum (in Palæstinam) ut festinaret. Cunctanti autem Philippo (proditus enim fuit dolus, quòd auxiliis istis ad exterminandum in Italia Gibellinos uti cogitaret) intentat anathema: sed Rex Episcopum custodiæ tradit. Papa eum dimitti jubet, Episcoposque Franciæ ad Concilium vocat Romam. Non parente Philippo, nec Episcopis, *Regnum Franciæ ad Ecclesiam Romanam pertinere dicit, Regem administratione abstinere jubet, subditos sacramento solvit.* Rex Papæ Bullam exuri facit, latorem ejus regno excedere jubet, Papæ autem sic respondet: *Sciat maxima tua fatuitas, nos in temporalibus nemini subesse, Præbendarumque collationem Regio jure ad nos pertinere &c. secus credentes fatuos & dementes deputamus.* Bonifacius autem Concilio Romæ habito, Regnum Franciæ interdicto subjicit, Regemqve cum posteris ad qvartam generationem Ecclesiâ excludit: sed latores Bullarum comprehensi sunt. De qvo se ulturus Papa, Alberto Austriaco Imperium promittit, Regisque Francorum titulum, si in Franciam arma moveat. Sed brevi post ipse captus, & eqvo effreni (ad caudam facie versâ) impositus, qvô noluit ductus, inqve rabiem actus, vitam finiit, tale ad posteritatem elogium meritus: *In travit ut vulpes, regnavit ut Leo, mortuus ut canis.*

38. *Carolus V.* (qvi regnare cæpit anno 1364.) cognomen *Sapientis* obtinuit, cùm propter eximiam sapientiam & pietatem, tùm qvod Sacras literas verti curavit in vulgarem linguam, ut eas promiscuum etiam vulgus intelligere posset. Cujus tempore cùm Papa *Urbanus V.* cum Italiæ Principibus gravia gereret bella (corrasas Christianorum opes in fundendum Christianum sangvinem convertens) *Alanus Charterius* edidit, Regis jussu, contra rapacitatem & tyrannidem Paparum conscriptum libellum, titulo, *SOMNIUM VIRIDARII: in qvo disputatum est de toto Pontificio Regno, nihil esse nisi audacem & violentam usurpationem: cùm nec politici Gladii, nec super Episcopos superioritatis, ullum jus habeat &c.* Qvi liber jam ante duo secula excusus fuit Parisiis.

39. Nova iterum contentio cum Papis fuit *Carolo VI. qvi regnavit ab anno 1380. usqve ad 1423*, Ad supplicationem enim totius Regni (exponentium qvomodo ut minimum tercentena millia Coronatorum annuatim Papa Gallis eripiat) de sententia Parlamenti magni sui consilii, Curiæqve & Scholæ Parisiensis, *sanxit Decretum: qvo probibitum fuit ne qvisqvam Annatas Papæ solveret, aut ab illo prælaturas acciperet.* Contra qvam Sanctionem cùm Papa, ejusqve Curtisani, non semel appellarent, Gallici Regni Legati opposuerunt in Concilio Constantiensi (anno 1414.) scriptum, titulo *APOSTOLUS*, quô probatum est est Annatas non deberi. &c.

40. *Carolus*

40. *Carolus VIII. regnare cæpit anno* 1484. *quô etiam Papa Innocentius VIII:* qvi anathematis propositâ pœnâ ubiqve Annatas exegit, eôqve fine nova Secretatoriorum collegia (qvos *Plumbatores* vocavit) adinvenit: sicut & novum corradendæ pecuniæ aucupium, *Titulum Crucis Christi, Ferrumqve lanceæ quô Dominus fuit transfixus*, qvam se reperisse commentus est, Ferdinandumqve Siciliæ Regem (tributum non solvisse causatus) excommunicavit. Morte sublatus, successorem habuit *Alexandrum VI.* Hispanum (qvi papatum profusissimâ largitione à Cardinalibus emerat, omnibus videntibus) hominem magni ingenii & solertiæ: sed *in qvo* (ait Gviccardinus) *non sinceritas, non verecundia, non veritas, non fides, non religio ulla erat; mores autem turpissimi, avaritia insatiabilis, ambitio sine modo, plus qvam ferina crudelitas, & spurios (multos autem palam habebat) per fas & nefas ad summa provehendi in exhausta cupido. Et qvi Papa factus promotores suos mox omnes fortunis evertit, aut exilio, carcere, morte violentâ, sustulit &c.* Cognitô autem Carolum Regem Franciæ Neapolitani regni possessionem aditurum Italiam petere, adversus illum cum Alfonso Arragone fædus iniit: pecuniamqve adversus Turcam in Hispania, belli sacri nomine collectam, vertit in Carolum. Sed Carolo feliciter pergenti, muri Ostiæ ad 20. orgyias corruunt: sicut & Romam ingresso, Papâqve in arcem S. Angeli se recipiente, etiam ejus arcis muri 15. orgyiarum aperturam faciunt. *Hinc instant apud Regem multi Viri boni, ut semoto hoc monstro Ecclesiam reformaret*: Sed fictâ humilitate, & corruptis largitione Consiliariis, in pacta conventum est, haud bonâ fide. Alexander enim Carolum sibi opprimendum ratus, Maximilianum Cæsarem, Hispaniæ Reges, Venetos, Principesqve Italiæ qvos potuit, in eum concitavit: sed ille salvus perrupit, dumqve novam expeditionem in hostem suum meditatur, subitâ morte prævenitur.

41. *Successit Carolo Ludovicus XII. Pater populi cognominatus:* Alexandro verò *Julius II. homo truculentus, sed antè Papatum magnus modestiæ simulator.* Excommunicavit mox Venetos, deinde Imperatorem Maximilianum; *Regi autem Ludovico Christianissimi titulum ademit.* Cui illaturus bellum (ut & Maximiliano) prodiit ad Cohortes chlamydatus, Clavesqve qvasdam in Tyberim projiciens, & Gladium stringens, *Si non juvant claves Petri, juvet gladius Pauli,* dixit. Ludovicus ergò & Maximilianus eum ad Concilium adigere statuunt, indictumqve fuit *Turonibus*, & decretum, *Non licere Papæ bellum inferre Principi. Si faxit, Principi jus esse invadendi, seqve illius obedientiâ subducendi &c. Papa Ludovicum diris devovet, Regnum interdicto subjicit.* Cui non paret Clerus, Concilii Decreto insistens. *Ludovicus autem monetam cudit cum inscriptione* (ex Jes. 14. 22.) *PERDAM NOMEN BABYLONIS.*

Eductæ

Eductæ ſunt copiæ, pugnatum, Pontificius exercitus victus & fugatus. Sed Helvetiis (à Papa inductis) in Burgundiam ſeſe effundentibus, exercitus in Galliam revocatus eſt. &c.

42. Ita Pontificum lites & bella cum Regibus per aliqvot retrò ſecula non recitavimus, ſed ſtrictim tantummodò attigimus. Super qvibus ataxiis qvantô zelo multi ſapientes, pij, ſanctiqve viri zelaverint, infinitum eſſet memorare, attingamus tamen è publicis Bibliothecarum monumentis quædam. *Wilhelmus Pariſienſis Epiſcopus* (qvi circa 1230. annum vixit) in Prælatorum ſui temporis vitam & mores invehens, ſcripſit, *Peccata illorum non ſimpliciter peccata eſſe, ſed peccatorum monſtra terribiliſſima: nec ipſos Eccleſiam, ſed Babylonem, Ægyptum, Sodomam eſſe. Non ædificare Eccleſiam ſed deſtruere, ac Deo illudere. Prælatos cum ſacerdotibus profanare corpus Chriſti, Eccleſiaſticis honoribus honorare hoſtes Dei, & membra Diaboli, Luciferumqve reſtituere in cælum &c.* (Ipſius Authoris verba recitavi, inqvit Flaccius.)

43. Anno Domini 1300. vixit *Durandus*, omnis divini humaniqve juris conſultiſſimus, *natione Vaſco Gallus, Epiſcopus Mimatenſis & Auditor Rotæ Romæ*, ubi & ſepultus eſt. Scripſit *Speculum Juris* (unde & *Speculator* dictus.) Item *Rationale Divinorum*: & *De Concilio celebrando*, qvod ſcriptum Pariſiis anno 1545. editum eſt. Ubi permulta utiliter monuit, præcipuè *de Papæ & Cleri reformatione*. Nam ſtatim initio de corruptiſſimis eorum moribus ita qveritur: *Sequuti ſunt viam Balaam ex Bozor, qvi mercedem iniqvitatis adamavit, correctionemqve habuit ſuæ veſaniæ &c.* Docet deinde (Titulo ſecundo) *qvomodo Reges & Papæ Eccleſiam reformare poſſent commodiſſimè: nempè ſi Veteres leges Sacrarum literarum, & Cæſarum, reſtituerent, novaſqve in contrarium inſtitutas tollerent, cum abuſibus.* Item, *ſi ſuam ipſi vitam primùm corrigerent &c.* Titulo ſeptimo de Epiſcoporum jure diſſerit, non eſſe minuendam per appellationes Romam &c. concluditqve his verbis: Vulgare proverbium eſt, *Qvi vult totum perdit totum, Eccleſia Romana ſibi vendicat univerſa.* Ergò &c. Titulo 20. monet, *ut Romanæ curiæ Simonia reprimatur: qvam ibi perinde regnare dicit, ac ſi nullum peccatum eſſet. &c.*

44. *Marſilius Patavinus* vixit anno 1314. qvi opus inſigne (inſcriptum *Defenſor Pacis pro Ludovico Cæſare contra Papam Joh. 22.* edidit, impreſſumqve adhuc in Bibliothecis exſtat. Diſputat ibi: *Omnes Epiſcopos eſſe æquales, nec habere Papam ſuper alios Epiſcopos ſuperioritatem aliqvam, multo minus ſuper Cæſarem, aut alios Politicos gubernatores. Summum judicium eſſe debere penes Verbum Dei. In Concilium, ad controverſias cognoſcendum & judicandum, non Spirituales tantum, ſed & Laicos pios, eruditoſqve, eſſe admittendos. Clerum, ipſumqve Papam, ſubjectum eſſe debere Magiſtratibus. Eccleſiam eſſe univerſitatem*

tatem fidelium: Ecclesiæ verò fundamentum & caput esse Christum, neqve illum constituisse aliqvem Vicarium, nec Petrum unqvam fuisse Romæ. Papæ synagogam esse speluncam latronum: neqve doctrinam illius seqvendam, qvia ducat ad æternum exitium. Corruptos Christianorum mores ex turpitudine spiritualium profluere &c. Marsilium eqvidem hunc adversarius suus, Johannes XXII. in Extravagante damnavit, argumenta tamen ejus nulla refutavit. De qvibus judicium suum epitomator Marsilii, Flaccius, ita extulit: *Non dubitanter affirmo, nullum scriptum extare contra Papam ex Veteribus præstantius hoc, sive eruditionem sive copiam & libertatem, spectes.*

45. *Wilhelmus* Occam (Scaligero *lima subtilitatis* dictus) in ejusdem Ludovici Bavari (Cæsaris) contra Johannem XXII. defensionem scripsit. Sicut & opus aliud, titulo *Nonaginta Dierum*, in defensionem Michaelis Minoritarum generalis, itidem à Papa pro hæretico excommunicati. Ubi tametsi qvid Occam propriè senserit difficilius sit statuere, qvia scribit non tanqvam qvi suam indicet sententiam, sed tanqvam qvi alienas opiniones inter se diversas, earumqve rationes, recitet: si tamen eas illius sententias esse statuere debemus, qvas firmioribus rationibus fulcivit, tunc res plana est. Nempè illum sensisse, *Papam non habere primatum jure divino: Petrum non habuisse primatum: Petrum nunqvam fuisse Episcopum Romæ: Papam posse errare: Papam judicandum esse à Concilio: Romanam Ecclesiam totam errare posse: Papam nullum jus habere super Imperatorem:* & similia complura.

46. Circa 1350 annum floruit in Italia vir apprimè doctus *Franciscus Petrarcha*: qui (Epistolâ 20.) *Papæ Curiam appellat Babylonem, & meretricem Babylonicam super aqvas sedentem, matrem omnium Idololatriarum & scortationum, cum qva scortati sunt Principes & Reges terræ: asylum hæresium & errorum &c. De qva in Apocalypsi Spiritus S. prophetavit.* Dicere solitus fuit: *Nullum majus malum optari posse alicui, qvàm ut fiat Papa.* In Italicis suis Rhytmis sæpè in Romam invehitur, *Errorum scholam, Hæresium templum, Proditionum nidum*, appellans: eamqve dicit *ex alienis calamitatibus crescere, & se contra suos fundatores extollere &c.* Apparet Papam ei fuisse infestum, eumqve perseqvutum. Nam in Cantilena 92. inqvit, *Del empia Babylonia, onde fugitta ogni vergogna, onde ogni bene fuore, Albergo di dolor, madre de errori son fugitto jo per allungar la vitta.*

47. Invenitur in Bibliothecis (sub titulo *Speculum aureum*) Colloqvium qvoddam Petri & Pauli incerto authore scriptum, ut in fine legitur anno 1404. qvod sic incipit; *Reverendiss. in Christo Patribus & Dominis &c.* Dialogus in tres partes divisus est, quorum primò (inqvit) *gravissimos errores Curiæ Romanæ detegam, &c.* Secundò, *scripta & dicta ejus erronea, minusqve Catholica,*

lica, confutabo &c. Tertiò, *Totam Romanam Curiam in statu damnationis laborare, ex verissimis fundamentis declarabo &c.* In Præfatione dicit: *Sic tota Romana Curia à planta pedis usqve ad verticem capitis, patenter excæcata est erroribus, ipsaqve errorum suorum veneno inebriavit omnes Mundi partes, ac si immensam Creatoris potentiam Papa posset limitare. &c.* In fine autem, post multas qverelas tandem concludit Paulus, *Reformet ipse Unigenitus Dei filius suam Ecclesiam!* qvasi prorsus desperans, Papam reformationem admissurum unqvam. Observandum verò, qvòd postqvam in Præfatione dixerat, *Papam cum sua Curia tùm prose errare, tùm alios seducere*, subjicit: *Omnes qvidem intus murmurant, nulli autem clamant.* Unde testimonium sumitur evidens, nunqvam tempus fuisse qvô universi in Ecclesia errorum caligine sic obnubilati fuissent, qvin veritatis fulgor ad complura piorum corda penetraret: tametsi non omnes qvod senserunt corde, expromere auderent ore, tyrannide pressi. Atqve sic Deum semper ut olim in Israele sua septem millia, ita in majore Christiano populo septuagies septena millia, habuisse & habere.

48. *Theodoricus Nyem*, aliqvot Paparum scriba intimus, descripsit historiam schismatis inter Papas, qvod ante Constantiense Concilium annis 39. duravit. Deus bone qvas in ea historia technas, qvas fraudes & diabolicas vafrities, scelera & facinora Paparum & Spiritualium, recenset! qvibus illi Deum, Religionem, Ecclesiamqve Christi, horribiliter ludibrio habent, vexant, suæqve tyrannidi subjiciunt. Differit qvoqve idem Author, *Papam jus Politicum supra Cæsarem non habere: sed contra, Cæsares debere sceleratos Papas castigare.* Qvin etiam dicit: *Indignos esse qvi Cæsares vocentur: qvi ad tam fœda scelera ac tyrannidem Paparum connivent. &c.*

49. *Barth. Platina*, etsi Paparum historiam texens plerubiqve palpabiliter adulatus fuit, nimiâ tamen qvorundam turpitudine coactus nefanda scelera usqve adeò dissimulare non potuit, ut in Marcellino dicat, *Paparum scelera eò excrevisse, ut vix apud Deum misericordiæ locum reliqverint.* Similiter in historia Stephani 3. *Cleri petulantiâ fieri ut Christiana Religio quotidie in pejus labatur*, lamentatur.

50. Circa annum 1406. vixit *Franciscus Zarabellus* Cardinalis Florentinus juris prudens: cujus scriptum de *Schismate & Concilio*, acutum & liberum, permulta contra errores & tyrannidem Papæ continet. Inter alia dicit, *Assertores Papæ ita hactenus Canones glossasse, ut persvaderent Papæ qvod omnia possit, sibiqve liceret qvicqvid liberet, etiam illicita: & sic eum supra Deum extulisse. Inde ortos errores infinitos, Papamqve omnia jura Ecclesiarum occupasse. &c.* Potestatem Ecclesiæ, Conciliorumqve, supra Papam esse dicit: & sic factum esse in Concilio Apostolorum Act. 15. Convocare autem Concilia Cæsaris jus

 proprium

proprium esse: quomodo *Constantinus*, *Justinianus*, *Carolus M.* aliiqve fecissent. Item, *Laicos posse, ac debere*, Conciliis interesse, cùm de causa Fidei agitur. &c. Per Concilium futurum abrogari posse, qvæcunqve non satis firmâ ratione constituta fuerunt in præteritis &c. [Dignus liber est qvi legatur, & in causa congregandi verè liberi Concilii omnibus fraudibus opponatur, omnia enim qvæ dicit, non tantùm ex Scriptura, sed & Ecclesiasticis Canonibus probat.]

51. Eodem tempore scripsit *Joh. Petrus Ferrariensis Juris Consultus*. Inter alia: *Ridiculum esse dicere, & abominabile audire, Papam esse supra Cæsarem. Clericos olim fuisse sub potestate & jurisdictione Imperii: postea eos benignitate Imperatorum privilegiis donatos, qvibus tanqvam ingrati pessimè abusi sint. Papam Provincias & Civitates detinere non jure, sed merâ violentiâ: illiusqve potestatem nimium ampliatam necessariò restringendam esse. Non concedendum esse Papæ Imperium, neqve merum neqve mixtum: potius ei temporalem gladium penitus extorqvendum. &c. Non qvieturam priùs Christianitatem, qvam Papa & Clerici restituant temporarium dominum Imperatori: atqve sic reddita fuerint Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo qvæ sunt Dei.* Dicit etiam: *Stultos Cæsares multa privilegia concessisse Clericis, quæ Laicorum statum consumant. Papam enim & Clericos multis modis illaqveare Laicos, ampliando jurisdictionem suam per Canones suos, explendæ avaritiæ suæ causâ: & ita Principum stultitiâ fieri, ut in servitutem Clericorum redigantur. &c.* Templa & Monasteria esse retia, ad bona Laicorum capiendum contexta &c.

52. Circa annum 1416. floruit *Nicolaus Clemangis* Magister Parisiensis, & Archidiaconus Baroensis, homo pius ac doctus, politiorisqve literaturæ sectator, qvi librum *De Corrupto Ecclesiæ statu* scripsit, qui & excusus est. Declarat ibi, *quomodo Ecclesiastica res creverit, & decreverit pietas.* Depingitqve, qvàm tyrannicè Papa omnes Ecclesiarum reditus ad se rapuerit, & suis adulatoribus, aut pecuniam afferentibus, distribuerit &c. Etiam hæc ibi leguntur. *Multò æqvanimiùs decem millium animarum jacturam ferunt, qvàm decem solidorum: sed me jure reprehendo (inqvit) qvi æquanimiùs dixi, cùm nullo animi motu vel turbatione animarum dispendia, de qvibus nulla cura, neqve cogitatio est, excipiant. &c.* Monachos dicit, & probat, lupos esse rapaces in vestimentis ovium, satanas in Angelos lucis transformatos, Scribas, Pharisæos, hypocritas, sepulchra dealbata, in illis denique prophetiam Pauli 2 Tim. 3. (de pseudo prophetis extremorum temporum) compleri. Monacharum monasteria nihil esse aliud qvàm Veneris execranda prostibula: & virginem velare nihil aliud qvàm eam ad scortandum exponere &c. Scripsit qvoqve de astutiis Eugenii 4. qvibus Basiliense Concilium dissipare conatus est: addito (illo in tractatu)

tractatu) *Superbiam meliùs depingi, vel exprimi, non posse, qvàm fastuosâ Cardinalium pompâ &c.*

53. *Gerson* Parisiensis Cancellarius circa idem tempus vixit, Concilioqve Constantiensi interfuit: ubi publicè scriptum de *Defectibus Ecclesiasticorum* recitavit, corruptam spiritualium vitam, & officii neglectum accusans. In qvadam epistola de Prælatorum negligentia dicit: *Religionis res qvotidie in pejus ruere: qvemlibet addere mali aliqvid, auferre neminem. Ignaviâ Pastorum pessimas consvetudines adeò inolevisse, ut non sit ampliùs remedio locus. &c.* In calce Operum ejus (olim Parisiis impressorum) adjectum est, Gersonem paulò ante mortem congregare solitum multos pueros in Templo, eosqve in pietate formare, & precatiunculâ tali præire: *Meus Deus, meus Creator, miserere miseri famuli tui Gersonis.* Desperasse videtur optimus Vir de omnibus humanis rebus, in solâ Dei misericordia collocasse spem.

54. Cujus rei occasionem dedisse videtur frustraneus *Imperatoris Sigismundi, de Ecclesia reformanda, conatus.* Postqvam enim pius hic Cæsar gravissimis laboribus, sumtibus, periculis, ut diuturnum Antipaparum schisma tolleretur, convocatoqve Constantiensi Consilio unicus legitimus Papa (*Martinus V.*) eligeretur, obtinuisset; & articulos (*Petri de Alliaco Cardinalis* ope collectos) secundùm qvos corruptissimus Ecclesiæ status reformandus esset, Concilio obtulisset, res longè aliter ac sperabat cecidit. *Qvia novus Pontifex vafro commento Cæsarem, piumqve illius institutum, elusit.* Simulabat sibi vehementer probari consilium, seqve id summâ ope adjuturum: sed jam tantum temporis non restare, qvantum ad eam rem opus sit. Oportere se qvam primùm Romam proficisci, ut sanctissima illa Templa (tam diu propter Paparum Schisma neglecta) invisat & restauret, Urbemqve penè in solitudinem redactam freqventari curet. Ad hæc patrimonium Petri dilabi, suamqve præsentiam vehementer flagitare. *Istis autem curatis, necessariæ illius Reformationis memorem se fore:* sed nihil fuit. Et memorabile est qvod *Henricus Token*, Archiepiscopi Magdeburgensis in Concilio Legatus, scribit: *institisse Cæsarem cum Germanica natione, ut Reformatio fieret anteqvam novus Pontifex crearetur, sed Cardinales non permisisse, qvod sciebant deinde nihil fore.* Item *Cardinales voluisse, ut reformatio inciperet à Minoritis: Cæsarem autem respondisse, imò à Majoritis, ut curatio à fonte mali incipiat.* Sed mansit utrumqve infectum.

55. Libellus *Petri de Aliaco, de Ecclesiæ Reformatione*, editus fuit (cum Sylvii Basiliensi Concilio) Coloniæ anno 1535. & recusus Basiliæ 1551. ubi præcipuè Romanam Curiam censuit corrigendam, eiqve tot ac tam varias pecuniæ corradendæ artes præcidendas; Episcopos ad proprium officium adigendos:

dos: pompam Ecclesiasticam, superflua festa, jejuniorum abusum, sanctorum canonizationem &c. tollendam, Monachorumqve Ordines minuendos: nimiam deniqve Templorum & Imaginum curam, & copiam, abrogandam &c. Dicit tandem etiam, *Veteres Theologos Ecclesiam ædificasse, sed præsentes Seductores eam devastare: & qvidem multos ex eis ita Ecclesiæ & Deo insultare, ut ultrò dicant, Ecclesiam in eum statum esse deductam, ut non sit digna regi nisi per reprobos.* Eheu, eheu!

56. *Johannes Picus, Mirandulæ Comes*, Vir sapientissimus, scripsit ad Maximilianum I Cæsarem, ad Ecclesiæ reformationem illum adhortans, his etiam verbis: *Reliqvum est, maxime Cæsar, qvâ Te fide ac pietate possum deprecer, ut sanctissimum illud propositum Tuum, vindicandæ in pristinam libertatem Christianæ Reipublicæ, qvàm citiùs fieri possit adimpleas. Concutitur ab externis hostibus, ab internis laceratur, & Jesu Christi Domini nostri sangvine circumseptum & consecratum Ovile, pejora multo perpessum est, & in dies patitur, à lupis sub ovina magis qvàm propria pelle grassantibus. Age igitur, Cæsar optime, excîtis qvâ ratione potes Christianis Regibus te Christo Regum omnium Regi, oves suas tàm à hostibus qvàm à perfidis pastoribus jam jam liberaturo, fidem ministrum exhibe.* Mirandulæ Cal. Dec. à Christo incarnato M D. Idem postea in Lateranensi Concilio habitâ oratione Reformationem ursit: sed frustra. Alibi autem de quæstione *An Papa sit supra Concilium* disputans, recitat illam Bernhardi sententiam: *Qvæ major esse potest superbia, qvàm qvòd unus homo toti congregationi judicium suum præfert? tanqvam solus habeat Spiritum. Qvinimò simplici rustico, & infanti, & aniculæ, magis quàm Pontifici Maximo, & mille Episcopis, credendum est: si contra Evangelium isti, illi pro Evangelio, verba facerent.*

57. Eodem tempore vixit & scripsit *Baptista Mantuanus*, Monachus & Poëta apprimè doctus. Qvi Romanam Ecclesiam subindè gravissimè taxans Eclogâ 9. statum ejus prorsus degenerem duriter insectatur. Inter cætera, *Spirituales ex pastoribus & canibus factos esse lupos rabiosos, Ovileqve qvod pascere ac tueri debebant, lacerare &c.* In tertio autem Calamitatum Libro ita corruptum Romanæ sedis statum describit.

— *Petriqve domus polluta fluente*
Marcescit luxu (nulla hic arcana revelo,
Non ignota loqvor, liceat vulgata referre:
Sic urbes populiqve ferunt, ea fama per omnem
Jam vetus Europam) mores extirpat honestos:
Sanctus ager scurris, venerabilis ara cynædis
Servit, honorandæ divum Ganymedibus ædes.

Qvid


Qvid miramur opes, recidivaqve surgere tecta?
Thuris odorati globulos, & cinnama, vendit
Mollis Arabs, Tyrii vestes: venalia nobis
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignis, thura, preces, cælum est venale, Deusqve;

Et alibi alia similia.

58. Anno 1508. impressus fuit Noribergæ liber, titulo *Speculum Visionis*, authore presbytero *Josepho Grunepek*: qvi graves pænas Christianis, præcipuè Spiritualibus, ob eorum horribilia scelera minatur. Aliqvot exscriptæ inde lineæ ita sonant. *Expergiscimini è gravi scelerum somno, atraqve mortis caligine &c. Qvia legem Domini Dei nostri in latrinam, & omnes ejus divinos sermones in oblivionis & contemtûs cloacas, abjecistis: cœpistis in virtutum exercitio delirare, in malitia verò sapientes & prudentissimi esse: omnem justitiam subvertere, pupillorum & viduarum sudore inebriari, patrimonium Christi scortorum deliciis dissipare: ac efferatam libidinem vestram stupris, adulteriis, incestu, & omni illicito concubitu; inexplebilem verò habendi voracitatem furtis & sacrilegiis, explere: deniqve Dei Templum, per scelus & summam iniqvitam vestram, constitutum est lupanar, & spelunca furum atqve latronum: ubi non celebres hymni, sed blasphemiæ cælestis Principis, resonant. &c.*

59. Anno 1513. editus fuit Lutetiæ *Budæi liber de Asse*, ubi magnus ille Vir Papam & Prælatos valdè accusat: *eos bella inter Christianos ciere, cùm pacis authores esse deberent: vincere longè pessimum qvemqve è populo avaritiâ, crudelitate, superbiâ, ambitione, crapulâ, luxu, spurcissimis libidinibus, & omnibus aliis qvæ in vita hominum grassantur sceleribus, extremum Epicureismum illis tribuens.* Dicit eos multis velle præesse Ecclesiis, qvi ne unicam qvidem rectè regere possint, imò ne cogitent qvidem: qvin homines perdere, ac ad inferos præcipitare, scelestissimæ vitæ nefariis exemplis &c. Addit tandem, *Oportere qvamprimùm reformari Ecclesiasticos, aut funditùs eversum iri Ecclesiam.*

60. Cur autem aggeramus plura! Ex his paucis satis perspicere est, qvam corruptus Ecclesiæ status à multis jam seculis fuerit, & qvàm eum deplorârint, corrigiqve vehementer optârint, non tam vulgares aliqvot homunciones, qvàm ex summis cordatissimi qviqve. Qvod si qvis nihilominus (ex iis qvi pravis suis consvetudinibus soporati evigilare non possunt) temerè, aut excessivo zelo, factum dicat: addendum est qvid aliqvot indubiè spiritu Dei afflati sancti Viri, & fœminæ, pro revocandis in viam Ecclesiæ gubernatoribus, per illa tunc temtempora loqvuti fuerint, & scripserint. In testimonium, *Prophetiæ spiritum nunqvam penitùs ab Ecclesia recississe, nunqvam ad universales corruptelas tacuisse.* Non omnia iterum, sed qvædam, memorabo.



61. Tempore

61. Tempore Bernardi (qvi anno 1153. mortuus est) vixit religiosa Virgo *Hildegardis*, multis Visionibus divinis celebrata. In qvarum una illi *apparuit Ecclesia in forma fœminæ: conqverens faciem suam sibi à Sacerdotibus pulvere conspersam, vestem discissam &c.* Addens, *Eos nec doctrinâ nec vitâ populo prælucere, Legem Dei non docere sed destruere: ideoqve illos ob impietatem ac scelera gravissimam Dei iram, & tristes pœnas, expectare &c.* Prædixit etiam *Religionis instaurationem, eamqve venturam partim per bellorum incursionem, partim per commune Concilium & consensum Spiritualium cum Secularibus. Tunc justitia* (inqviens) *in sua rectitudine stabit, cùm se homines ad antiquas consuetudines, & ad antiqvorum disciplinam convertent &c.* Alicubi pseudo Ecclesiasticos ita alloqvitur: *Bene de Vobis gloriosus Propheta Moses in suo cantico cecinit; Gens absqve consilio, & sine prudentia, utinam saperent, & intelligerent, novissimaqve sua providerent. Ædificatores in altum, dum altiùs ascendere non poteratis, tunc cecidistis sicut Simon Magus, qvem Deus contrivit, & plagâ crudeli percussit: sic & Vos per seductionem, neqvitias, mendacia, detractiones, & iniqvitates Vestras, corruistis. Et populus dicet illis: Ite Doctores perversitatis, subversores Veritatis, fratres Sunamitis, patres hæreticæ pravitatis, pseudo apostoli! Qvi simulastis Vos vitam servare Apostolorum, nec tamen in minimo vitam illorum implevistis: filii iniqvitatis, scientias viarum vestrarum nolumus. Nam præsumtio elata Vos decepit, & insatiabilis concupiscentia subvertit erroneum cor vestrum: & cùm in altum ultra qvam decet ascendere voluistis, justo Dei judicio deorsum in opprobrium sempiternum cecidistis. &c.*

62. Has invectivas cùm aliqvi ferre non possent, extenuabant hæc ut vana somnia, & figmenta. Qvibus motus Bernhardus, ut omnia coram examinaret ad eam profectus fuit: compertôqve nihil doli subesse, illam qvidem solatiis erigebat, alios verò à præjudiciis dehortabatur: Trevirimqve ad Concilium profectus, patribus Concilii veritatem horum demonstravit, utqve pro divinis monitis agnoscerentur, & canonizarentur, persvasit. Fuit qvippe ipse unus ex deplorantibus Ecclesiæ statum: ideoqve ad Eugenium Papam (ante discipulum suum) libros qvinqve scripsit *De Consideratione*, gravissimè in Papam & spirituales invehens, objiciensqve Eugenio, qvòd neglecto Dei Verbo humanas Traditiones promoveat, qvodqve tyrannidem in Ecclesiam exerceat. Hugo Cardinalis (in Postilla super 1 Joh.) citat Bernhardum alicubi dicentem: *Videtur bone Jesu adversus te conjurasse universitas Christianorum, & illi in tua persequutione primi sunt, qvi in Ecclesia tua primatum tenere videntur.*

63. Floruit eodem tempore *Elizabeth virgo Germana*, Hildegardi familiaris

liaris: cujus ſcripta Pariſiis (cum præfatione Fabri, Viſionibuſqve Hermis, Hildegardis, Fratris Roberti, & Mechtildis) impreſſa fuerunt, ubi ei ſpiritus propheticus tribuitur, qvòd qvæcunqve ſcripta reliqverit, in Viſione à Deo revelata acceperit. Inter alia ſic Deus Prælatos per os ejus alloqvitur: *Caput Eccleſiæ languet, & membra ejus mortua ſunt: quoniam ſedes Apoſtolica obſeſſa eſt à ſuperbia, & colitur avaritiâ, & repleta eſt iniqvitate, & ſcandalizant oves meas, & errare eas faciunt, qvas cuſtodire & regere debuerunt.* &c. Et paulò poſt: *Hæc dicit Dominus magnis Prælatis Eccleſiæ: Recordamini, qvam rationem reddituri eſtis in tremendo judicio meo de ovibus meis, qvas ſuſcepiſtis regere & cuſtodire, qvando appreciati eſtis dona ſpiritualia populi mei precio infelicitatis,* &c. Et paulô poſt: *Ego delebo memoriam veſtram de terra viventium.* Deinde hiſce verbis eos accuſat. *Hæc dicit Dominus: Ecce ego mitto Angelum meum, ut annunciet Vobis, qvi in ſublimi poteſtate irritatores eſtis. Dico autem Vobis, qvòd iniqvitates terræ, qvas abſconditis propter aurum & argentum, aſcendant coram me, ſicut fumus de igne. Nunqvid non animæ ſunt plus qvam aurum & argentum, qvas ſuffocatis in ignem æternum propter avaritiam veſtram? Idcircò accuſat Vos Religio veſtra coram me. Ecce enim fœtore feciſtis ſanctificationem meam in conſpectu populi, & verſa eſt in abominationem mihi. Occupaſtis principatum ſanctorum meorum, & neſcivi. Maculaſtis ſtratum meum, & ſilui. Qvid mihi & Vobis, exaſperatores manſvetudinis meæ? Unde aſcendiſtis turbare Ovile meum, & aggravare cor meum ſuper filios meos, qvos genui in amaritudine animæ meæ, in die laboris & anguſtiarum mearum?* Et adjecit iterum loqvi ad me, dicens: *Nonne paſtores mei qvaſi in gravi ſomno obdurati ſunt? Et qvomodo evigilare eos faciam ſuper greges meos, qvi diſperguntur?* &c. Epiſtolâ qvarta ſic Hilinum Epiſcopum Treverenſem alloquitur: *Redde rationem, qvia defraudaſti mihi margaritas electas, & gemmas precioſas, qvæ tibi miſſa fuerant de magna majeſtatis potentia, projeciſti poſt tergum tuum, & noluiſti obedire mihi. Nonne tu ſcis, qvia dixi, Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis? Accipe & revolve Volumen, & invenies qvæ dixi, & qvæ facta ſunt. Sedes Apoſtolica obſeſſa eſt ſuperbiâ, & colitur avaritiâ. Qvod ſi non indicabis eis qvæ tibi ſunt revelata, & ipſi in peccatis ſuis morientur, & tu judicium portabis* &c. Unde animadvertendum (NB.) etiam Archiepiſcopo illi qvædam de ſceleribus Romanæ ſedis fuiſſe revelata.

64. Circa annum 1290. vixit *Fr. Robertus natione Gallus*, qvi multas viſiones habuit & conſcripſit, præcipuè contra Spirituales. Capite V. Papam vocat Idolum, ſic introducens Deum loqventem: *Qvis poſuit Idolum hoc in ſede mea, ut imperaret gregi meo? Aures habet, & non audit clamorem plangentium, & deſcendentium ad inferna,* &c. *Oculos habet, nec reſpicit abominatio-*

nes populi sui, &c. nec videre ea vult, nisi ut congregare possit ex eis thesaurum. Os habet & non loqvitur, dicens: Constitui super eos qvi loqvantur eis bona, sufficit ut per me vel alios faciam bona. Væ Idolo! qvis æqvabitur huic Idolo in terra? Magnificavit nomen suum dicens: Qvis me subjici et? Nunqvid Domus mea nobilibus terræ copulatur? Dapibus super excellentior sum, eqvites serviunt mihi. Qvod non consueverant patres mei, fit mihi. Ecce domus mea sternitur argento! aurum & gemmæ sunt ornamenta ejus. In primo capite, & 12. sub nomine Serpentis depingit Papam: qvem dicit se supra modum extollere, & pios, qvi pauci sunt, opprimere; & habere multos pseudo prophetas, qvi neglecto Dei & Christi nomine, illum solum prædicent & extollant, ac nomen Christi obscurent. *Ecclesiam Romanam & Papam hisce verbis depingit: Orabam flexis genibus erecta facie ad cælum, juxta altare S. Jacobi Parisiis à dextris, & vidi ante me in aere corpus unius summi Pontificis, albis sericis indutum, tenebatqve dorsum ad Orientem, elevatis manibus ad Occidentem, sicut solent Sacerdotes stare dum agunt Missarum decreta: nec videbatur caput ejus, diligentiusqve intuens, an esset omninò sine capite, vidi caput ejus aridum, macilentum, ac si esset ligneum, dixitqve spiritus Domini: Statum Ecclesiæ Romanæ significat* &c. Audio inveniri adhuc ingens volumen ejus Visionum.

65. Revoluto seculo (circa 1370 annum) Floruit *Brigitta*, ex illustri *Sveciæ* familia oriunda: cujus sepulchrum adhuc *Wasthenæ in Ostrogothia* visitur. Reliqvit post se prolixum Revelationum Librum, qvi sæpe impressus est: & Papa illas canonizavit, ipsam verò in Sanctorum numerum retulit. Multis reprehendit Papam, vocans eum *Animarum interfectorem, Ovium Christi dispersorem & laceratorem. Dicit, eum esse abominabiliorem Judæis, immitiorem Juda, injustiorem Pilato, pejorem & deteriorem ipso Lucifero. Sedem Papæ dicit demergendam in profundum, sicut lapidem ponderosum. Assessores ejus dicit arsuros in igne sulphureo & inextingvibili. Episcopos, Prælatos, aliosqve Sacerdotes, nihilò mitius alloqvitur.* Alicubi dicit, eorum culpâ doctrinam Christi neglectam, & fermè penitus abolitam esse. Clericos convertisse divinam sapientiam in aliam, pravam & vanam. Simplices præcipitare, euntes per viam Domini eos odisse, esse leprosos & mutos: & deniqve decem Dei præcepta in unicum verbum commutasse, in hoc nempe, DA PECUNIAM! Et similia multa.

66. Decennio post (circa annum 1380.) floruit *Catharina Senensis*, cui Ecclesia Romana ingentem Sanctitatem, cum Spiritu Prophetiæ, tribuit. Hæc solita est plurimum qveri de pessimo Ecclesiæ statu, præsertim de Prælatis, de Curia Romana, de ipso Pontifice: prædicereqve gloriosam tandem aliquando Ecclesiæ Reformationem. Videatur *Antoninus in tertia Historiæ suæ parte,* ubi

ubi suum cum illa colloqvium describit: inter alia his verbis. *Obsecro praeclarissima mater, qvid post haec mala futurum est in Ecclesia Dei?* Et illa: *His tribulationibus & angustiis, modò hominibus imperceptibili, purgabit Deus Ecclesiam suam Sanctam, & suscitabit Spiritum electorum suorum: seqveturqve tanta Reformatio Ecclesiae sanctae Dei, ut ex solo cogitatu exultet Spiritus meus in Domino. Nam sicut alias pluries Vobis dixi, Sponsa qvae nunc est tota deformis, atqve pannosa, tunc erit pulcherrimis monilibus praeciosis ornata, cunctiqve fideles gaudebunt tam sanctis Pastoribus decorati. Et Populi infideles bono Christi odore tracti, ad Ovile Catholicum revertentur, & convertentur ad verum Pastorem & Episcopum animarum suarum. Agite igitur gratias Deo, qvòd post hanc tempestatem dabit Ecclesiae suae grande serenum.* His dictis, conticuit. &c.

67. Plura memorari possent, qvomodo in medio aberrationum tuarum, ô Roma, etiam per tuos tibi submissos prophetas, revocare te cum filiis tuis non intermiserit Deus: verùm sufficiant haec, ut agnoscas hodieqve Deum dicere posse qvod olim, *Qvid adhuc facere debui Vineae meae, & non feci?* Jes. 5. 4. Atqve ut vel à majoribus tuis moderationem circa haec talia, extraordinarios Dei nuntios, eorumqve verba, discas. Nam si majores Vestri novos illos, è medio sui tunc excitatos prophetas, ferre poterant, vaticiniaqve illorum ut publicè legi possent publicata sunt, qvidni idem fiat nunc? etiam tribus his praesenti Volumine publicatis? cum haec illis esse similia, & ab eodem prorsus venire Spiritu, palam sit. Si qvid apud nostros duriùs sonat, expendenda est adaucti rigoris causa potiùs, qvàm ut obloqvi audeamus Deo: aut haec talia homini vel Satanae tribuendo, Dei blasphemare opera. Qvod si qvi audebunt, dici poterit ad imitationem Christi (Luc. 11. 19.) *Si nostri talia haec ex malo spiritu loqvuti sunt, ex qvo igitur spiritu similia loqvuti sunt vestri illi, Sancti & sanctae? Ideò ipsi judices vestri erunt.*

68. Differentiam eqvidem inter haec & illa notare est: non talem tamen qvae reverentiam erga haec minuere, sed qvae metum & trepidationem augere possit ac debeat. *Primùm quia ibi plaga irati Dei nuntiabantur eminus, futurum olim ut exterminentur qvi corruperunt terram.* (Apoc. 11. 18.) hic autem nunciantur ut jamjam ingruentes, & eos qvi longanimitate Dei tot seculis abusi fuerunt exterminaturae. *Secundò, qvia ibi comminationes fiebant soli Papae cum Clero suo, soli tunc regnanti, & Ecclesiae clavum non ad voluntatem Dei gubernanti:* hîc omnibus Ecclesiarum & Politiarum Rectoribus, totiqve Christiano (abominabilia patranti) populo. *Tertiò, qvia ibi comminationes tantùm fiebant, ad exseqvutionem nemo nominatus, nedum incitatus, fuit:* hîc vindictae divinae Exeqvutores jam nominantur, jam inclamantur, jam tre-

mendis modis urgentur, & nisi divinis jussis pareant illis ipsis exitium denuntiatur, & infertur.

69. Qvibus rectè expensis, occasio certè datur *Primùm* attendendi, annon revera nos tempora illa de qvibus in Apocalypsi scriptum est: *Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ suæ* (Cap. 16. 19.) attigerimus? *Secundò* examinandi sui, annon ipsi nos qvi hæc legimus illa ipsa Babylon, cui hîc ultimæ iræ Dei ultimæ nuntiantur plagæ, simus, aut de illa insigniter participemus? *Tertiò*, Si revera participare patebit, num adhuc iram effugiendi ulla pateat via circumspiciendi. Audite me qvi Deum timetis: dicam de his (qvam breviter potero) qvicqvid Deus & Conscientia jubent, mihiqve & aliis hæc lecturis saluti esse possit.

70. Dico primùm, *Dei fulmina Libris his comprehensa totam petere corruptam Christianitatem*: qvia nec Papa Ecclesiam ad beneplacitum Dei (post tot Divina humanaqve monita) huc usqve reformavit, abominationes potius auxit: neqve qvi Reformationis desiderio secessionem fecerunt, satis ad primi Christianismi normas & formas fidem & vitam revocarunt, ut dignè Evangelio ambularent: *Iliacos muros intus peccatur & extra.* Ut quod Salvianus de Christianis sui temporis dixit, hoc idem de modernis dicere ipsa veritas cogat: *Præter paucissimos qvosdam qvi mala fugiunt, qvid est aliud totus Christianorum cætus qvàm sentina vitiorum?* Præmoneo itaqve, *Nulla Christanorum pars* (ut in sectas dissecti sumus, eheu!) *Librum hunc eo tantùm sibi serviturum putet, ut inde ad alios lapidandum arma sibi ministratum iri speret: sed speculi loco sit, ad suos potiùs qvàm alienos nævos cognoscendum.*

71. Si qvis dicet: *Atqvi Babylon & Pseudo christiani, Antichristusqve ipse, hîc nominantur, adversus eos fulmina vibrantur*; Respondebo. Qvid sit *Babylon*, qvid *Pseudo christianismus*, & qvid *Antichristus*, exactè prius cognosci necesse est, qvàm alii aliis crimina hæc impingamus. Nuda qvippe criminatio ad nihil est, nisi ad offensas multiplicandum: qvibus qvia nihil hucusqve profecimus, abstinendum est, res potiùs nudè, ut in seipsis sunt, inspiciendæ. Rogo benigne Lector, qvisqvis es, si unqvam ulla in re attentus fuisti, hîc esse ne pigeat: dabitur opera (propitio Deo) ut qvid res istæ sint sine fuco videas, simulqve Librum hunc utiliter lustrando Deo justitiam, nobis autem omnibus (à recto Dei tramite qvôcunqve modo diviantibus) faciei confusionem, tribuere discas. Incipiamus à Babylonis contemplatione: ut ubi abominationes illius hodie nidulentur, faciliùs pateat.

72. *BABYLON fuit prima post diluvium ab hominibus monstroso fine, conatu, eventuqve, exstructa Urbs*, Gen. 11. 4. &c. Dixerant enim multiplicari incipientes homines: *Exstruamus NOBIS civitatem & turrim, cujus culmen pertingat*

pertingat ad COELUM, *ut nobis* FACIAMUS NOMEN, & NE DISPERGAMUR. Ubi ecce tria insolentia! 1. *Efficiens*, inconsulto Deo tentans aliqvid Homo. 2. *Forma*, structura superba, cœlestis sublimitatis æmula. 3. *Finis*, propria gloria, & ad eam tuendam proprio consilio & viribus collectum robur, eôqve sui fiducia. In qvo superbo proposito cùm obstinati essent, nec desistere nisi opere completo vellent (vers. 6.) iratus illis Deus immisit Mentis vertiginem, Lingvamqve illorum confudit, ut non intelligentes mutuò desistere ac dispergi necesse haberent (vers. 7.8.) Unde loco illi nomen inditum fuit BABEL, h.e. CONFUSIO: ut Domino Cœli (qvi solus eminere & ab omni creatura sua suspici vult) omnia qvæ homines proprio consilio & fastu, suiqve fiduciâ, machinantur, abominationi esse, æterna exstaret memoria. *Et qvia omne primum reliqvorum in suo genere mensura est, eisqve dat denominationem, placuit Deo ubicunqve homines aliqvid non in honorem Dei, sed ambitione propriâ, suiqve fiduciâ, & cum perrumpendi proposito* (seu Deo placeat seu displiceat) *moliuntur*, *Babylonem dici. Qvalium facinorum qvia plenus est Mundus, totus ergò Mundus Babylon est*: & unumqvodqve Regnum, Respublica, Civitas, Domus, Ecclesia, Schola, & prose privatim qvisqve, Babylonem suam (h.e. temeritatem suam, fastum suum, pervicaciam suam, spes vanas suas, confusionesque suas) habet.

73. Neqve hîc rerum finis, ut Babylon qvalis in primordiis suis fuit (temeraria, fastuosa, pervicax, confusa) maneret: *creverunt abominationes ejus sensim in majus, donec Deus illam non ferens everti juberet penitus.* Cùm enim hominibus inde dispersis, & in Gentes divisis, qvi hîc loci cum suis remanserat, *Nimrod* Chami nepos, novâ ductus ambitione præeminere, aliisqve dominari, animum induxisset, cepit alios ad sibi parendum non allicere tantùm, sed & cogere vi, *Gentium Venator* inde dictus. Cujus vestigiis filii & nepotes, posteriqve, insistendo Monarchiam condiderunt: ad qvam rem, qvia vis adhibenda fuit, excogitata sunt violentiæ instrumenta, *Arma*, *Exercitus*, *Bella*, *Prælia*, *Clades*, *Captivitates*, *Vincula*, *Servitus*, & alia priùs ignorata terrorum nomina: unde ipse Deus Babylonem *totius Terræ malleum gentes collidentem*, *montemqve prementem & perdentem universam Terram*, appellabat: Jer. 51. 20. 25. *Ubicunqve igitur hactenus bella, & cujuscunqve generis violentia, subjugationes, captivationes, servitus, &c. ibi Babylon.*

74. Et qvia Nimrodi filio *Beeli*, seu *Baali*, à populo abblandiente *Statua* fuit erecta, qvæ post ejus mortem adorari, crescente verò superstitione pro Deo coli, cœpta est: sicut & alia postmodum ibidem erecta Idola, *Nabo*, *Merodach*, *Sesach*, &c. (Jes.46.1. Jerem. 50. 2. &c.) *hinc Idololatriæ origo ad Babylonios adeò refertur, ut Babylonia Terra sculptilium dicta fuerit*: ubi

in

in portentis gloriabantur, seu ut Hebraicè sonat *circa Idola insaniebant* (Jer. 50. 38): nimio scilicet, & ad insaniam usque superstitioso, cultu, ad quem confluebant Gentes Jer. 51. 44. Progressaque fuit eò usqve Idololatrica illa insania, ut in crudelitatem degenerans omnes, adorare Idola recusantes, malâ morte perdendos putarent: qvod in Nabuchodonozore cum aurea sua Statua insaniente, & in negantes illi adorationem ignis supplicio grassante, evidens est, Dan. 3. *Ubicunqve igitur hucusqve Idola, & Idolorum cultus, & in soli vivo Deo servire volentes inquisitio, & ob hujus propositi constantiam pœnæ & supplicia, ibi Babylonem esse indubium.*

75. Præterea, quia Babylonii deserto semel Deo, & ad proprias omnis generis adinventiones conversi, *præ aliis nationibus sese dederant divinationi* (ex Astris, ex Avium garritu & volatu, ex victimarum extis, aliisqve infinitis superstitiosis observationibus) factum est ut sibi *Astrologos*, *Augures*, *Aruspices*, *Magos*, *Incantatores*, &c. publicè constituerent, & *Chaldæos* (tanqvam solam unam sapientem gentem) appellarent. Qvibus inconsultis nihil qvisqvam agebant, ne Reges qvidem ipsi, omnem successuum prosperitatem Diis suis, & istis divinis suis, sapientibusqve consiliis suis, tribuendo, & illis ad defatigationem usque operam dando. Jes. 47. 13. &c. *Ubicunqve igitur superstitionum seges, & sapientiæ jactantia, ibi Babylon.*

76. *Talia verò sibi tribuendo Babylon admodum sibi placebat, supra omnes alias Civitates & gentes se extollens* (Jer. 50. 31, 32. Jes. 47. 8, 10.) *imò contra Deum ipsum sese erigens* (Jer. 50. 29.) nihilqve nisi luxum & delicias cogitans, felicitatis suæ opinione adeò se inebriaverat; & murorum, turrium, propugnaculorumqve suorum (qvibus nihil simile tunc reliqva regna habebant) fiduciâ adeò soporaverat, ut securissimè agens de imminentibus Dei judiciis nihil esset solicita, sed sibi imperium æternum, felicitatemque æternam, promitteret, Jes. 47. 8. &c. *Ubicumqve igitur hucusqve philautiæ excessus, aliorum contemtus, Numinis neglectus, luxuriæ cura & studium, & in his omnibus securitas, ibi Babylonem esse nemini dubium sit.*

77. *Et quia tandem Babyloni (ob omnes istas enormitates) Deus pœnas terribiles, æternamqve desolationem, minatus fuit* (Jes. 13. & 47. Jer. 51. & alibi) *subqve tempore intulit* (ut Urbis illius eô loci ubi stabat, ad flumen Euphraten, à multis jam seculis nec volâ nec vestigium supersit, æterna solùm vastitudo): non est dubium ubicunqve gentium similes abominationes regnant, ibi similes pœnas præ foribus esse, nec emansuras tametsi Deus (pro sua in peccantes longanimitate, & salutis omnium desiderio) differat. *Veniendo enim tandem veniet.*

78. Ita tristi antiqvæ Babylonis exemplo vidimus, qvàm facile error initio admissus, nec maturo & seriò ad initia regressu castigatus, in immensum crescat:

ut

ut desinere nisi in confusionum barathro, totaliqve ruina & interitu, nesciat. Sed qvia *post antiqvæ illius excidium aliam qvandam Babylonem magnam, magnasqve illius plagas, proclamari jussit Deus*, Apoc. 18. admodum nobis Christianis videndum est, *ubi illa sit, & qvænam sit?* si divinæ voci, *Exite de illa populus meus, ne participetis de peccatis ejus, & accipiatis de plagis ejus*, parere, exitiumqve effugere, volumus. Agnoscere autem illam, secundùm recitatos jam characteres, difficile non fuerit. Nempè ubicunqve invenitur. 1. *Superhumanum qvid audendi temeritas.* 2. *Proprii consilii & virium fiducia.* 3. *Sui glorificandi immoderatum studium.* 4. *Obstinatio in eo.* 5. *Alios subigendi perpetua molimina.* 6. *Eòqve fine adhibiti doli.* 7. *Aut coactiva vis.* 8. *Numinis cultus non in spiritu & veritate, sed per idola.* 9. *Nec acqviescere ritibus religiosis qvos divina præscribit Lex, sed Ceremoniarum pompam & fastum in immensum augere.* 10. *Ad illasqve non invitare tantùm omnes, sed edictorum, carcerum, suppliciorumqve violentiâ cogere.* 11. *Luxum interim & peccata ad cælum usqve cumulare.* 12. *Et in his omnibus adeò sibi placere, ut à sic formato statu suo æternum sibi regnum polliceri & jactare audeat*, Apoc. 18. 7. Qvænam inter vos ô Christiani reperiantur, & ubi plus aut minus, ipsi Vos judicate.

80. Venio ad *Pseudochristianos*, quibus etiam ira Dei hîc nuntiatur. *Qvinam verò illi?* De larvato Christiano judicium formare nemo potest, qvi non priùs qvid *homo Christianus* sit, rectè cognorit: qvia rectum sui & obliqvi mensura est. *Nec autem qvid Christianus sit patere potest nisi illi cui qvid* CHRISTUS *sit, cur in Mundum venerit, qvid hic egerit, & peregerit, qvid deniqve suis mandaverit, ad plenum constet.* Adeste Christiani, discite Christum & Vos nosse! Et num Christus in Vobis, aut Vos in Christo sitis, probare!

81. *CHRISTUS est Filius Dei vivi, sapientia Patris æterna, per qvam Mundus fuit factus & omnia: missus in Mundum ad reparandam lapsu corruptam Creaturam humanam; eòqve in similitudinem hominum factus carnem induit, & habitu inventus ut homo: ad spiritualem Babylonem totam disturbandum, humanumqve genus qvod captivum tenebatur liberandum.* Qvod & peregit feliciter, nosqve sacrificii sui merito Patri reconciliatos, & sangvine suo ablutos, posthac non peccare docuit. *Apparuit enim gratia Dei nostri salvifica omnibus hominibus: erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo. Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & salvatoris nostri Jesu Christi. Qvi dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniqvitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* (Tit. 2. v. 11, 12, 13, 14.)

82. Qvod mysterium ut intelligatur, sciendum est.

I. *Qvid fuerit spiritualis illa Babylon, in qvam captivum fuit abductum genus Humanum totum.*

II. *Qvomodo eam Christus disturbaverit, captivosqve liberaverit.*

III. *Qvid liberatis suis injunxerit ut ne denuò captiventur, fiantqve novissima eorum pejora prioribus.*

83. Origo Babylonis spiritualis non qværenda est in terra, sed in Cœlo, inter spirituales Dei creaturas, Angelos. Qvorum formosissimus *Lucifer* (ut in Regis Babyloniæ typo Jes. 14. narratur, & ex aliis Scripturæ locis colligitur) contemplatione splendoris sui in complacentiam sui prolapsus, altiora circumspectare, ipsumqve divinitatis fulgorem affectare, & in corde suo dicere cepit: *Conscendam in cælum, exaltabo super astra Dei solium meum* (h. e. super Angelos, Job. 38. 7): *ascendam super omnes altitudines, similis ero Altissimo*, Jes. 14. v. 13, 14.) Qvam ejus insolentiam memorando Christus dicit eum *non stetisse in veritate* (Joh. 8. 44); Judas verò *non servasse principatum suum, sed reliqvisse domicilium suum: Ideoqve dejectum de luce in tenebras, & reservari sub caligine vinculis æternis*, (v. 6.) Hæc omnium prima temeritas, Creaturæqve suo Creatori se opponendi audentia, prima fuit Babylon, primùm confusa: cujus reliqvæ omnes filiæ sunt. Qvomodo autem?

84. *In locum prolapsi Angeli creatus Homo* positus fuit extra cœli fulgorem, in Paradiso terrestri: exercitia interim habiturus inter Creaturas corporeas, tanqvam Sapientiæ Dei characteres. Sed invidus iste Spiritus (accessu sibi per visibilem creaturam, Serpentem, facto) instillare illi similia istis, qvibus perdiderat seipsum, cepit: *æqvalitatis etiam cum Deo affectationem svadens* (Gen. 3. 5.) Qvod malignum consilium parentes primi imprudenter seqvuti, mox in perplexissimum turbatæ conscientiæ labyrinthum, veramqve ac in terris primam spiritualem teterrimarum confusionum plenam Babylonem deductos se viderunt: Sed qvam Deus, illorum & posteritatis misertus, mox disjicere cepit: pœnas qvidem inconsultæ temeritatis eos luere (ærumnis vitæ, mortisqve necessitudine) jubens, Opitulatorem tamen (qvi errores istos emendaret, culpas expiaret, justitiam æternam reduceret, seductorisqve capite contritô seductis VIAM, mendacio fascinatis VERITATEM, occîsis autem VITAM redderet) promittens. Ita prima illa in terris Babylon, tanqvam spiritualis astu Satanæ ædificari cæpta Civitas, dissipata fuit, ejusqve loco erigi cæpta civitas Dei nova, Ecclesia: circumvallata novis divinis revelatis, mandatis, promissis; propugnandaqve fidelium Civium armis, FIDE jam firmâ erga omnes divinas Revelationes, & OBEDIENTIA jam constanti erga omnia divina mandata, immotâqve SPE erga æternam Dei bonitatem.

85. At Satan ad imposturas redire non intermisit, seducto iterum ad prava

(hypo-

(hypocrisin, invidiam, odium, homicidium, desperataqve facinora) *Caino*, inter natos mulierum primo. Qvem licet à prava mente dehortaretur Deus, admissum tamen profundè malignitatis semen adeò germinare perrexit, ut contagione ad omnes serpente, totaqve humanâ progenie penitus corruptâ, universali cataclysmo delendi essent omnes: qvod & factum, solò justitiæ præcone *Noa* (cum filiis tribus, *Sem*, *Cham*, *Japhet*) servato: à qvibus nunc terram incolentes descendimus omnes.

86. Ut ut verò Deus novæ Mundi progeniei nova præcepta dare, novisqve beneficiis ad obedientiam novam eos invitare, non intermisit: corruptio tamen illa, humano cordi semel insita, nondum tolli (ante promissi Opitulatoris adventum) potuit. Germinarunt ergò mox rursum à diluvio variæ pravitatis zizania, primùm per Noachi filium *Cham*: tam prostituti pudoris hominem, ut ad justum concitatus zelum pater illum, cum tota sua progenie, maledictioni devoveret. Gen. 9. 25. Cujus diri voti tristem effectum hactenus in Africanis & Americanis populis (qvi omnes Chami propago sunt, servilemqve ac belluinam vitam vivunt) videmus. Ex qva etiam Cananæi cum aliis septem maledictis gentibus: adeoqve ipsi Babylonii, de qvibus ante loqvuti fuimus, fuerunt.

87. *Ecclesiam verò suam Deus in stirpe Semi* (à qvo Asianæ gentes veniunt) *radicari voluit: sed ita ut Japhet* (à qvo nos Europæi descendimus) *in Semi tabernaculis habitaret* (Gen. 2. 26, 27.) h.e. ut promissus Messias ex posteritate qvidem Semi nasceretur, Japheti tamen posterititas promissæ salutis jus ex æqvo haberet. Cujus gratiæ nos Europæi populi ecce participes facti sumus! omnes jam in Salvatoris Mundi cognitionem deducti. Utinam bona nostra æstimare sciamus! *Sed absolvamus qvæ de spirituali Babylone, qvomodo ante Christi adventum subegerit omnia, dicenda restant.*

88. Corruptâ Noë posteritate totâ, primis mox 400. annis, reparavit Deus promissiones, Ecclesiamqve stabilivit in posteritate Semi: evocato ex Idololatrarum turba Abrahamo, qvem cum progenie sua in populum sibi singulariter dilectum, peculiari fœdere junctum, fœderisqve signo, *Circumcisione*, ad obseqvia æterna obligatum, elegit: & hunc sibi præ aliis omnibus curæ fuisse multis admirandis signis ostendit. In primis qvod eos è Pharaonis manu liberatos per mare incolumes traduxit, Tyrannô aqvis submersô. Tum ad montem *Sinai* adductos cœlesti voce voluntatem suam edocuit: mox digito Dei scriptas *Legis Tabulas* dedit: & in æternum gratiosæ suæ in medio illorum habitationis signum, *Sanctuarium* erigere jussit &c. Omnia eo fine, *ut essent populus sapiens & intelligens, gens inclyta, cui nulla esset similis, tam appropinqvantem sibi habens Deum*, (Deut. 4. 6. 7.)

89. Addebat varii generis beneficia innumera. Ut qvòd eos in deserto panes

ne, cœlitus qvotidie subministrato, annis 40. pavit: & ne totidem annis vestes eorum veterascerent, neqve calceamenta attererentur, effecit (Deut. 29. 5,6.) Cusas in eorum exitium incantationum maledictiones in benedictionem vertit (Num. 23., 7. &c.) Terramqve patribus promissam ut ingredi possent, Jordanem fluxum sistere, & donec transissent siccari, jussit. Tum pro iis adversus hostes ipse pugnans, plusqvam 30. Reges cum exercitibus suis delevit, & sic in amænissima hæreditate collocavit. Atqve si qvi è vicinia hostes invaderent (qvod interdum propter peccata permittebat) rursum eos per excitatos è medio illorum heroas (JUDICES dictos) in libertatem asserebat. &c.

90. Sed illi tot beneficiorum ingrati, regimenqve hoc Dei aspernati, *Regem sibi gentium more dari postularunt, datumqve in furore acceperunt* (1 Sam. 8. 5. & Os. 13. 11.) *Atqve tum revera Israel sibi Babylonem domi exstruxit, variarum confusionum & calamitatum euripum perpetuum.* Qvippe inter 42. Reges (qvos intra 470. annos successivè acceperant) vix tres aut qvatuor verè pii, & patres patriæ, reperti sunt. Reliqvi vanitate & profanitate, idololatriâqve ac tyrannide, sibi & populo cladium attractores: Donec iniqvitatum superfluentem mensuram ferre non valens Deus, Regna illorum destructioni, populum verò per totum Mundum dispersioni, dedit.

91. Memor tamen juratæ Abrahamo misericordiæ (Gen. 22. 16.) *non intermisit toto illo Regum tempore submittere Prophetas*, qvi Reges & Populum officii admonerent, immorigerisqve pænas nuntiando in timore continerent, fideles autem promissionum repetitione (*de venturo rerum reparatore Messia*) ad meliorum spem erigerent. Neqve hoc solùm: inter ipsos Reges excitabat heroas, pios, sanctos, sapientes, Prophetarum & Ecclesiæ nutricios, futuri Regis Messiæ typum gerentes. Inter qvos primarius *David, Vir secundum cor Dei, in exemplar Regibus omnium seculorum datus.* Qvi Civitatem Jerusalem in Ecclesiæ metropolin erigens, & arce gloriosâ Sion exornans, additoqve per Salomonem filium splendidissimo Templo (cui simile Mundus non habuit) in sanctuarium Dei & cœlestis Jerosolymæ typum, constituit. Ut verè dici potuerit *Civitas Dei, Mons sanctus ejus, exultatio universæ Terræ, qvam Deus fundavit in æternum. Ad qvam* (tempore suo) *congregandi essent Reges terræ, ibi conventuri in unum, ut progenies progeniei narraret hunc Deum, Israelis Deum, esse Deum in æternum, & in seculum seculi: qvi tandem ipse reget omnes nos in secula.* Psal. 48.

92. Hunc tamen Davidem, nondum fuisse promissum illum liberatorem, & Serpentis conculcatorem, neqve Civitatem ejus Jerusalem veram illam Babylonis destructricem, inde patuit: qvod & David ipse, Satanæ astu in peccata præcipitatus, domi suæ satis tetram habuit Babylonem; & Urbs Jerosolyma propter admistas abominationes primùm Babyloniis, dindè Romanis,

nis; destructioni data: & sic *tota solida destruendæ spiritualis Babylonis, restituendarumqve rerum, gloria, soli Dei & Davidis filio reservata.*

93. *Qvid ergò* CHRISTUS, *novus ille Adam, Noa, David, ruinarum Cœli & terræ reparator fecit?* Totam dissipavit Babylonem: cœlestem & spiritualem priùs, terrenam & corporalem de hinc. Idqve *in seipso primum*, ut dicere potuerit, *Confidite, ego vici!* (Joh. 16. 33.) *tum in suis, & per ipsos*, ad qvos dixit: *Exemplum dedi Vobis, ut qvod ego feci faciatis* (Joh. 13.15.) Atqve hi soli, qvi qvod CHRISTUS fecit faciunt, sunt & dicuntur CRHISTIANI. Videamus singula pressiùs.

94. *In seipso Babylonem qvomodo destruxit Christus?* Nullam admittendo, omnes ea in re satanæ conatus elidendo. Factâ enim in mundum Filii Dei ad opera Diaboli dissolvendum (1 Joh. 3.8.) missione; & profundissimo Dei consilio, mysterioqve stupendo, ut in hunc novum Adam æqvè ut in primum, qvicqvid vellet satan tentaret, permissione: negandus illi non fuit ad hunc Dei & hominum Mediatorem accessus, ut si pergeret, majori id ejus confusioni, nostro solatio, Deiqve ipsius honori, cederet. Accedere igitur ausus, qvibuscunqve modis seducere tentavit: jam blanditiis alliciendo, jam horroribus terrendo, jam mortem intentando & inferendo. Duraruntqve insultus isti non tum temporis duntaxat, cùm in deserto dies 40. constitutum, & esurientem videret; aut cùm super Templi pinnas elevatum demittere se svaderet; vel cùm Regna Mundi ostentans pro adoratione sui omnia pollicitaretur (Matt. 4. & Luc. 4.) sed per totam prorsus vitam, similiter nobis, ut Apostolus dicit (Heb. 4. 15.) Qvis enim hominum est, qvi non perpetuos diaboli semper circum euntis, & qvem devoret qværentis, experitur assultus? (1 Pet. 5. 8.) *Vicit tamen Leo de tribu Juda*, (Apoc. 5. 5.) ut ultimam subiturus luctam dicere potuerit, *Venit Princeps mundi hujus, sed in me non habet qvidqvam* (Joh. 14. 30).

95. Examinetur totus ejus vitæ, doctrinæ, actionumqve & passionum, circulus, omnium cum Lege Dei, & inter sese, perfectissima reperietur harmonia. Conceptus n. à Spiritu Sancto, & natus è Virgine pura, peccati expers, innocentiam servavit perpetuam: ita in conspectu Dei & hominum vivens, ut solus mortalium dicere potuerit, *Qvis arguet me de peccato?* nec subornati testes reperire qvidqvam, qvod vel probabiliter calumniari liceret, potuerunt. *Docuit mandatis divinis obseqvi*: ipse Patri obediens usqve ad mortem. *Docuit paupertatem*: ipse nihil vel minimum in terris possidens. *Docuit misericordiam*: ipse totâ vita nihil agens, qvàm ut beneficiis afficeret homines. *Docuit pacem habere cum omnibus*: ipse totâ vita pacem colens, ipsôqve mortis suæ sacrificio inter Deum & hominem pacem fundans. *Docuit mansuetudinem*: ipse tanqvam ovis ad mactandum ductus. In summa, *docuit sui abnegationem, & voluntatis*

propriæ in voluntatem Dei resignationem: perpetuôqve præivit exemplo, etiam in mortis & inferorum angoribus, *Pater non mea, sed tua fiat voluntas*, clamans. Propterea illum Deus exaltavit, potestate illi super Cælum & terram datâ.

96. Ita qvomodo Christus in seipso (h. e. assumta natura humana) Babylonem destruxerit, qvicqvid ibi satanas tentaret disturbando. *Qvomodo autem in aliis, & per alios?* Imitari sese jubendo, & ut imitari qveant spiritu suo roborando. Dixit enim: *Qvisqvis vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ego vici, & sedeo cum Patre meo in throno ejus*, Apoc. 3. 21. *Qvid autem est ita vincere qvomodo Christus vicit?* Omnem Dei Voluntatem faciendo, & patiendo, ad mortem usqve perseverare: qvicqvid ad intricandum nos satan, mundus, caro, objiciunt, non curando, fortiter omnia, ipsam etiam mortem & inferos, perrumpendo. Hoc nempè est qvod dixerat, *si qvis pone me venire vult, abneget seipsum, & tollat crucem suam*, Matth. 16. 24. Qvod faciunt omnes qvi verè Christi sunt, *carnem suam crucifigendo cum vitiis & concupiscentiis*, (Gal. 5. 24.) *ut tametsi in carne vivunt, non tamen secundum carnem ambulent, sed secundùm spiritum* (Rom. 8. 1, 4.) *carnem cum Christo ita cruci affigentes, ut non ipsi jam vivant, sed vivat in ipsis Christus* (Gal. 2. 19, 20): cum qvo, & pro qvo, millies mori malunt, qvam ab ipso monstratam vitæ viam deserere. Qvod inprimis evidens fit in *Martyribus*, qvi vincunt per sangvinem Agni, & per verbum testimonii sui, non diligentes animas suas usqve ad mortem, Apoc. 12. 11.

97. Legatur vitæ ac doctrinæ Christi historia: & qvalem ille populum reqvirat qvi se seqvi & à nomine suo denominari velit, patebit vel ex ipso Evangelii secundum Matthæum initio, cap. 5, 6, 7. nempè *spiritu pauperes*, non superbos & arrogantes: *mites*, non feroces: *lugentes*, non in gaudia mundana effusos: *esurientes & sitientes justitiam*, non aurum & opes, aut voluptates: *misericordes*, non truces & efferatos: *mundo corde*, non concupiscentiis vagos: *pacificos*, non turbatores: perseqvutionem potiùs sustinentes, qvàm inserentes. Et qvi sint *sal terræ*, moribus propriis in corrupti, alienorum à corruptione præservativi: & *Lux Mundi*, exemplis bonis (omni virtutum genere) aliis prælucentes. Populus qvi totus à cælo pendens, omnibusqve mundi hujus præsidiis diffisus, aliô qvodam modo esset dives, sapiens, nobilis, potens, felix, qvàm mundus æstimare novit. *Qvi nesciret livorem aut invidentiam*, tanqvam omnia intuens oculo simplici: *nesciret spurcam libidinem*, utpotè sponte suâ castratus, & Angelorum vitam in carne meditans: *nesciret divortium, jurgia, lites*, qvippe nihil non malorum vel ferre vel emendare paratus: *nesciret jusjurandum*, ut qvi nec diffideret cuiqvam, nec falleret qvenqvam: *nesciret pecuniæ studium*, ut cujus thesaurus in

in cœlis esset repositus: *nesciret ambitionem*, ut potè qvi qvô major esset hoc magis se (propter Christum) submitteret omnibus: *nesciret* (ne lacessitus qvidem) *irasci, nedum maledicere aut ulcisci*, qvippe qvi de malè merentibus benè mereri studeret. Qvi inter homines eâ morum innocentiâ esset, ut vel ethnicus non reperiat qvod malè de ipso loqvatur; ea simplicitate ac puritate, ut ceu puer & infans videatur: erga Deum verò eâ fiduciâ, ut ceu volucrum & liliorum ritu in diem viveret. Inter qvos summa esset concordia, prorsusqve non alia qvàm membrorum corporis inter seipsa: in qvibus mutua charitas omnia faceret communia, seu boni quid esset ad participandum, seu mali ad tollendum aut leniendum. Ubi qvicqvid qvis posset, aut sciret, omnibus juvandis posset & sciret. Verbô, *cujus jam in terra degentis politeuma* (conversatio) *in cælis esset*, (Phil. 3. 20.)

98. Talis ecce populus est, qvem Christus in peculium sibi colligit. Qvales an Vos qvi nunc auditis CHRISTIANI, ipsi vos explorate, ipsi probate! Si estis, benè vobis, promissæ beatitudines (Matth. 5. 1.) vestra sunt hæreditas: *Regnum cælorum, Terræ possessio, solatia divina, saturitas omnium bonorum, Misericordiæ spes, Dei visio, Filialitas Dei*, &c. Si degenerastis, & nomine Christiani, reipsa mundus, estis (ubi Cainismus, epicureismus, atheismus, Sodoma & Gomorrha, Ægyptus & Babylon, omnisqve profanitas & abominatio regnant) Væ vobis! omnia in hoc Libro Dei fulmina, plagæqve mundo annunciatæ, Vos petunt, vos ferient.

99. Nemo dicat, *Tales Christiani qvales delineasti in Utopia sunt: talis Christianismus Platonica ideæ, mensura sine mensurato, forma sine formato, est.* Resp. Non Platonicæ ideæ sunt, sed Christianæ, ab ipso optimo Magistro tùm verbis & doctrinâ, tùm exemplis & opere ipso, expressæ. Nec esse impossibiles (si cui ex Deo renasci placeat, ut nova creatura fiat) ipse novus homo Christus tum in seipso, tum in sanctorum imitatorum myriadibus, ostendit: qvi omnes Satanæ, mundi, carnisque *tribulationes sustinendo, lavarunt stolas suas, & dealbarunt in sangvine Agni*, Apoc. 7. 14.

100. *Fingit Satan, & hominibus ob oculos pingit, nativæ corruptionis impossibilem superatu difficultatem*: & verum est, si ipsius naturæ vires spectentur, non item si Christi, & Christum apprehendentis Fidei, robur. Ut enim verè Christus dixit: *Sine me nihil potestis facere*, Joh. 15. 5. ita & Apostolus verè (& qvisqvis eundem spiritum fidei habet) *Omnia possum in Christo qvi me confortat*, Phil. 4. 13.

101. Conatur qvidem assiduè Satan etiam in regeneratis (ubi Christus fide receptus opera diaboli dissolvere jam cœpit) dirui cœptæ Babylonis suæ reparare ruinas: sed non prævalebit, Christo opus suum non deserente in suis fidelibus,

bus, ut exempla oſtendunt perpetua. Si qvædam memoranda ſunt (facit autem ad myſterii victoriarum Chriſti, & Eccleſiæ, intellectionem) paucis. Cœperat in Apoſtolis, præſente adhuc illis Chriſto, novæ Babylonis ponere fundamenta: tùm philautiâ & ambitione (*cùm qviſqve in Regnò Chriſti vellet eſſe major.* Matt. 20. 21. Luc. 22. 24.) tùm avaritiâ (*Ecce nos reliqvimus omnia, & ſeqvuti ſumus te, qvid ergò nobis erit?* Matt. 19. 27.) tùm delicatæ vitæ amore, & crucis fugâ (Matt. 16. 22.) diſſipabat tamen Dominus omnia, apertè indicans *Neminem diſcipulum ſuum eſſe poſſe, qvi non renuntiet omnibus qvæ poſſidet.* (Luc. 14. 33.)

102. Regreſſo in cœlum Domino, cæpit per Simonem Magum, Cerinthum, alioſqve in varia doctrinarum præcipitia abductos vertiginoſos Spiritus, hæreſes & ſchiſmata excitando, novas veriæ formæ Babylones erigere: ſed qvas Dominus per Eccleſiæ relictum Veritatis ſpiritum, fidaqve illius organa pios Eccleſiæ Doctores, diſturbare non intermiſit. Sexto demùm ſeculo machinamentum ſucceſſit, ut in Eccleſia Turrim erigeret, cujus cùlmen ad cœlum pertingere viſum, magnæ Babyloni Teſtamenti novi fundamenta dedit: diſſipandæ tamen virtute Chriſti tempore ſuo, ut divina Apocalypſis promittit.

103. Hiſtoriam attigi ſupra: qvomodo Satan qvod in Chriſto capite non ſucceſſit, in Eccleſiæ corpore obtinuit. Nempè *poſtqvam Chriſtum* (ut apud Matth. legimus cap. 4.) *nec eſurie, oblatiſqve pro pane lapidibus, à fiducia Dei abducere; nec aëreis de Templo ſaltibus fiduciæ abuſum perſvadere; nec oſtentatâ totius Mundi gloriâ dementare, potuit: eaſdem artes ad Eccleſiam à Chriſto avertendam transferendas putavit.* Obruebat igitur fame & lapidibus, h.e. perſeqvutionibus, totis 300. annis (ad Conſtantinum uſqve) Eccleſiam: ſed victor non evaſit. Tùm per hæreſes atrociter ſæviit (jam hoc jam illo Phaetonte, vago per Eccleſiæ cœlum volatu, Mundum accendente) uno & altero ſeculo: ſed neqve hîc ut Eccleſiæ ſuum ſolem, Fidei lucem, exſtingveret, obtinuit. Tandem ergò gloriam Mundi, ſupereminentiam & opes, offere cepit, atqve hîc decepit, Eccleſiæqve clades tantas qvantas per Tyrannorum vim & Hæreticorum dolos non potuit, intulit.

104. Perſvaſit enim, *alicui è ſummis Eccleſiæ Præſulibus ſummas Templi (Eccleſiæ) pinnas eſſe conſcendendas: ad omnibus gloriâ, bonore, opibus, & in alios authoritate atqve potentiâ, ſupereminendum.* Qvod Conſtantinopolitano primùm obtulit, ſed irrito conatu: tum Romano, ſucceſſu optato: cùm Bonifacius admitteret qvod nec Dominus ipſe olim, nec anteceſſor Gregorius nuper, admittere voluerunt. Imitator (hac in re) planè factus *Giezi*, qvi qvod Dominus ſuus Eliſeus fuit aſpernatus, cupidè arripuit: *lepram per ididem hæreditatem* (cum argento & veſte mutatoria) *nactus*, (2 Reg. 5.) *Externorum enim*

enim bonorum & titulorum, terrenarumqve opum & deliciarum, superfluitas, verissima lepra est Ecclesiæ: qvæ cœleste regnum in terra, terrenum nihil redolens, esse debebat.

105. Qvem Bonifacii errorem qvia successores non emendarunt, continuarunt potiùs & augmentarunt, accidit revera ibi novæ Ecclesiæ qvod antea Veteri Israeliticæ: ut status ejus à fundamento motus, & in aliud transformatus fuerit, regimine Aristocratico in Monarchicum mutato. Tanto insolentiùs tamen hîc, *qvòd non populus Christianus in unum congregatus, communiqve consilio* (qvemadmodum ibi Israeliticus) *visibile hoc sibi caput eligerent, sed privato ausu Absolon patris loco regnare avidus, aut certè ab uno Achitophele* (Phoca) *privati commodi causa inductus* (aliisqve novarum rerum cupidis assentatoribus non destitutus) *rem tantam tentavit*. Atqve hic impletum est qvod prædixerat Christus (Luc. 19. vers. 12, 13, 14.) futurum ut se ad cælestia regna capessendum digresso reperiantur in terra, qvi se hîc regnare nollent.

106. *An ergò sic in Ecclesiam ingressus Antichristus*? Ita prædixit Gregorius (supra §. 19.) Verùm qvia nomen ANTICHRISTI odiosum est, nemo gravari eo debet, nisi qvem res ipsa illum esse demonstret: videndum ergò accuratè *qvid sit Antichristus*: demumqve circumspiciendum, *ubinam talis qvispiam reperiatur*.

107. Qvi nomen & rem superficietenus intuentur, *Christi & Christianorum Adversarium* insignem aliqvem interpretando, aut *Mahomedem*, cum successore suo *Turca* esse putant; aut aliqvem adhuc venturum, & qvidem ex Israelitica tribu *Dan*. Verum enim verò posterior hic Judaicus Antichristus purum putum somnium est: Mahomed verò tametsi verè Antichristus, non tamen *magnus ille Antichristus*, qvem Spiritus S. 2 Thess. 2. ita characterizavit, ut characteres illi Mahomedi per omnia non congruant. Nempe 1. *Mahomed & Turca non sedent in Templo Dei, h. e. Ecclesia*: cujus membra, nec unqvam fuerunt, nec sunt. 2. *Non extollunt se adversus Deum, nec illius thronum* (qvi est Conscientiis dominari) *invadunt*: sed Lege Mosis & Evangelio Christi suo loco relictis, ipsi fictitium suum Numinis cultum pro se tantum seqvuntur. 3. *Mahomed non venit cum miraculosis signis & prodigiis, sed cum gladio*, ut ipse in Alcorano loqvitur. Nec ergò tam subtile illud Satanæ opus fuit, nec illius tam versuta seductio, qvanta (2 Thess. 2.) Antichristo tribuitur. Qvid igitur? re penitus inspectâ, qvid rei sit Antichristus penitus patere poterit, modò attendere libeat.

108. *Qvantum ad nomen imposturæ huic impositum, singulari Dei consilio tale est, ut duplicem sensum, eumqve contrarium obtineat: innuens, Antichristianismum tale Satanæ artificium fore, ut hic maximè opposita, & è diametro pugnantia, magno stupore Mundi in unum sint coalitura*. Qvomodo autem?

109. Præpoſitio Græca ἀντὶ duo ſignificat, PRO & CONTRA: hoc eſt, *Pro* aliqvo, ſeu Vice, aut *loco* alterius, eſſe aut agere: aut *contra* illum. Exempla utriuſqve ſignificationis per totam Græcam lingvam notiſſima ſunt: unum & alterum è Teſtamento N. adducam. Matth. 2. 22: Ἀρχέλαος βασιλεύει ἀντὶ Ἡρώδου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ. *Archilaus regnabat PRO Herode patre ſuo*, Matth. 17. 27. ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ, *pro me & te &c.* Sic in compoſitis vocibus jam *Vicarium* alicujus, jam *Adverſarium* ſignificat. Ut, Ἀντιβασιλεύς, *Vicarius Regis*, *Vicerex*, *Prorex.* Ἀντίθεος, *æqviparandus Deo*, Semi Deus. Ἀντίρροπος, *æqvalis ponderis.* Ἀντίστροφος, *æqvivalens.* Ἀντίτυπος, verò vel ἀντιτυπής, planè duo contraria ſignificat, *ad eundem typum, formam, ideam, factum; conſimilem, comparem, per omnia reſpondentem.* 2, *Adverſantem alteri, contrarium, refractarium.* Ergò & vox *ANTICHRISTI* vi originis ſuæ planè duo ſignicat, 1. *Vicarium Chriſti*, regnantem *pro* Chriſto: 2. *Adverſarium Chriſti*, facientem contraria Chriſto. Circumſpiciendum proinde an toto Orbe reperiatur aliqvis, in qvo hæc duo conveniant.

110 Qvantum ad ſignificationem primam, res plana eſt: *neminem ſcil. ſub cœlo reperiri, qvi ſe Chriſti in terris Vicarium apertè nominet, & pro eo ab omnibus agnoſci, haberi, coli velit, ſolemniſſimeqve à ſuis proclametur: adverſus alios verò titulum hunc ſibi denegantes, aut in eo aliqvid minuentes, cruenta tot ſeculis bella gerat, præterqvam Papam Romanum.* Res per ſe nota eſt: nec eam aſſeclarum ejus qviſqvam negat uſqve adeò, ut potiùs in immenſum extendant. *Nomina omnia* (inqvit Bellar. de Conc. authorit. l. 2. c. 17.) *qvæ in Scripturis tribuuntur Chriſto* (unde conſtat eum eſſe ſupra Eccleſiam) *eadem omnia tribuuntur Pontifici., Cujuſmodi ſunt, Paterfamilias in DOMO SUA, vel ſaltem Pater familias LOCO CHRISTI in univerſa Eccleſia; Paſtor univerſalis Eccleſiæ, Caput Corporis Chriſti, Vir ſeu Sponſus totius Eccleſiæ.* Qvibus alii alia jungunt: ut, *Dominus Domûs Dei*, *Dominus univerſorum. Rex Regum, & Dominus dominantium: Chriſtianorum omnium pater & paſtor, &c.* Franciſcus Bozius (lib. 1. cap. 7. pag. 98.) dicit: *Excluſo Chriſto Papa totius Eccleſiæ caput eſt ſupremum, ſuccedens LOCO CHRISTI, à qvo omnis eſt poteſtas in Pontificem translata.* Et talia infinita: nec aliter qviſqvam, qvi Eccleſiæ Romanæ membrum eſt, vel ſentire vel profiteri audet. *Ergò Papa Romanus, propriâ ſuâ & ſuorum confeſſione, tota in terra ſolus unus Antichriſtus eſt, ſenſu priori.*

111. *Qvis ergò erit ſenſu poſteriori*? Reſp. *Hoc ſenſu Antichriſti multi ſunt*, inqvit Johannes (1 ep. 2. 18.) nempe omnis contraria iis docens aut faciens, qvæ fecit & docuit Chriſtus. Et ſic omnes Chriſti doctrinam, vitam, meritaqve apertè rejicientes, Antichriſti ſunt: ut moderni *Judæi & Turcæ.* Omnes

nes item doctrinam Christi pervertentes & corrumpentes, *Hæretici*: & Ecclesiæ unitatem lacerantes, *Schismatici*: & omnes gratiam Domini nostri transferentes in luxuriam (Judæ vers. 4.) & sic filium Dei conculcantes, sangvinemqve testamenti polluentes, & Spiritui gratiæ contumeliam facientes, *impii Christiani* (Heb. 10. 29.)

112. Qvæstio autem est de illo magno, *qvem Christus sub persona Servi super totam familiam* (*Ecclesiæ*) *constituti descripsit*; *illumqve fore malum servum, percutientem conservos suos, manducantem & bibentem cum ebriosis*, prædixit (Matt. 24. 45, 48.) Paulus verò eum in spiritu ut *deastrum qvendam in Templo Dei sedentem, & Numinis instar adorari volentem, qvi tamen homo peccati futurus esset, & perditionis filius* (2 Thess. 2. 3. 12.) vidit. Johanni tandem *in forma Meretricis Babylonicæ, Bestiam* (mundanæ Monarchiæ) *ineqvitantis, aureo veneficiorum suorum philtro nationibus propinato ad sui amores allicientis; venire autem & adorare se nolentes bellis fatigantis, vincentis, gladio occidentis*, exhibitus fuit: cap. 13. & 17. Tale autem monstrum potestne usqvam sub sole conspici? Utinam nusqvam sit! Sed Johannes dicit se vidisse, & admiratione magnâ miratum esse, cap. 17. 5. Esse igitur alicubi necesse est. Ubi autem?

113. Qvia uni illi voci, *Antichristus*, contrarios sensus duos includere divinæ sapientiæ placuit: illud autem temerè aut frustra esse factum cogitare non permittit æternæ sapientiæ profunditas: haud vanè colligi possit uni etiam eidemqve personæ, aut personarum successivo ordini, utrumque significatum convenire. Ut nempè *qvi Christo est proximus, fiat ejus adversarius maximus*. Cujus rei præludium fuit, non solùm qvod intimus Davidis consiliarius *Achitophel*, intimus ejus proditor Regniqve eversor, si permisisset Deus, factus fuit (Psl. 55. 13, 14, 15:) sed & in ipso Apostolorum collegio repertus, qvi Dominum suum levi nummorum pretio venderet, mortiqve traderet, *Judas Iscariotes*. Auget verisimilitudinem, *qvòd tam universalis apostasia, qvalem sub Antichristo futuram Paulus prædixit* (2 Thess. 2. 3.) *& Johannes in Apocalypsi vidit* (à cap. 13. ad 19.) *ab aliqvo seqvioris conditionis homine venire non potuit*: qvia magna flumina oriri nisi à magnis fontibus non possunt; nec magno in Regno magna rebellio, aut tyrannis, & confusio, provenire, nisi à magno aliqvo & sublimi capite, ut Proreges sunt, aut Legati cum potestate. Qvis autem in Regno Christi, Ecclesia, major & potentior Pontifice Romano? Nemo ipsis testibus: ut si universalis aliqva convulsio orta est, aliò referri qvàm ad caput hoc vix possit.

114. *Tribuit qvidem Ecclesia Romana sibi, cum capite suo Papa, inerrabilitatem*, exemplo Judaicæ Ecclesiæ, viam suam esse bonam ostendere semper co-

nantis,& in media etiam idololatria, abominabilissimisqve peccatis, dicere solitæ, *Absqve peccato sum* (Jer. 2. v. 33, 35. & per totum): *sed invito Deo & veritate.* Namqvis hanc, vel illam, communi humana sorte (qvæ est hallucinari, errare, labi) exemit? *Delicta qvis intelligit*? dicit sanctissimus Propheta David. *Cujus vis hominis est errare, nullius nisi insipientis, in errore perseverare,* Cicero. *Nonmultum errat ille, qvi suæ non multum confidit conjecturæ,* Turnebus: multumergò errat, qvi conjecturæ suæ omnia tribuit, nihil in contrarium audire etiam sustinens. Ita *dum unus qvisqve mavult credere qvam judicare* (inqvit Seneca) *nunqvam de vita* (aut fide) *judicatur, semper creditur: versatqve nos, & præcipitat, traditus per manus error, alienisqve perimus exemplis.* Eccur igitur tu tibi, Ecclesiarum mater, securitatis hoc pulvinar supposuisti, extra errandi periculum te esse? Nescisne illud Velleii Paterculi: *Nemo faciliùs opprimitur qvàm qvi nihil timet*? Ergò neqve qvisqvam faciliùs in errorum foveas incidit, qvàm qvi errores nullos timet. Hinc Christus semper suis cavens, per universam Scripturam *Vigilate, orate, ne intentationem intretis: Satan enim circuit qværens qvem devoret,* & mille id genus, clamat. Securitatis ergò persvasio non est ex eo qvi vocavit nos (Gal. 5.8.) Duce salutis nostræ.

115. *At mihi promissio facta est,* dices, *de assistentia Spiritus S. qui spiritus veritatis est, usqve in æternum,* Joh. 14. v. 16. Resp. Toti Ecclesiæ promissus est: posse autem alias errare Ecclesias tu credis, qvidni & Te? Et de Spiritus S. præsentia promissionem annon Ecclesia Israelitica acceperat priùs, solemniusqve? *Hoc est meum fœdus tecum, inqvit Dominus, Spiritus meus qvi est in te, & verba mea qvæ posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, & ab ore seminis tui, & ab ore seminis seminis tui* (sic habent fontes) *à modo usqve in sempiternum.* Jes. 59. 21. Qvanta hæc! Et tamen ibi paulò post qverela seqvitur; *Qvasi animal in campo descendens Spiritus Domini ductor ejus fuit* (cap. 63. 14.) *sed illi ad iracundiam provocarunt eum, & dolore affecerunt spiritum ejus sanctum; & conversus est eis in inimicum, & ipse debellavit eos* (v. 10.) Ecce, ecce! non Spiritus S. Dei ductu suo deserit nos, sed nos nimium fidendo nobis ipsis deserimus ductum Dei!

116. Dices: *Sed mihi pecularis promissio facta est in Petro pro qvo Dominus oravit, ne fides illius deficeret,* Luc. 22: 32. *Imò qvem in petram posuit super qva ædificaret Ecclesiam suam, cui portæ inferorum non prævalerent,* Matth. 16. 18. Resp. Missa disputatione, An promissiones Petro factæ plus ad Te qvàm alias Ecclesias spectent (scis a. ingentes super qvæstione hac moveri lites, pendenteqve lite pendere jus) *notorium est peculiares istas promissiones usqve adeò Petrum ab erroribus non fecisse immunem, ut post hac etiam ille præ cæteris Apostolis immaniùs erraret, in Vita & fide.* Adeò inqvam, ut mox post acceptam promissionem

nem carnale qvid svadens, ipsi Domino scandalo esset, & cum consilio suo, tanqvam satanico, rejici mereretur, Matth. 16. 23. Paulò post autem æqve ut alii super alios primatum, mundanâqve Regna (etiam inter sacrum & cœleste epulum) affectans, æqvè cum alijs stultam errogantiam, & fastum, dedocendus fuit (Matth. 18. 1. & 20. 21. Luc. 22. 24.) In horto Oliveti Domino in agone constituto, sangvinem sudante, suosqve ut vigilarent & orarent toties monente, annon præ aliis stertens increpandus fuit, *Simon dormis? non potuisti unâ horâ vigilare mecum?* Marc. 14. 37. Et jussus gladio spiritûs, Oratione, Dominum juvare, non fecit: sed ad gladium ferreum, non jussus, se proripuit, in majora per id vitæ pericula se & socios, Dominumqve, præcipitans. E qvibus ereptus, & abeundi licentiam cum aliis nactus, non obsecundavit, sed se temeritate suâ (desiderio videndi finem) nova in pericula vitæ & animæ præcipitavit, Dominum ter abjurans, levitatemqve suam multis demum lachrymis redimens. *Qvid autem accepto Spiritu S. an se cæteris firmiorem, ut columnam decuit, præstitit?* Imò hîc præ cæteris infirmitatem suam, errores & lapsum, non semel ostendit. Jam enim vocationem gentium non intellexit, nisi cœlitus denuò monitus (Act. 10.): jam se ab ethnicorum consortio abhorrere simulans, non recto pede ad Evangelii veritatem incessit, eamqve tantùm non turpiter prodidit (Gal. 2. v. 11. &c.): jam pseudo Apostolis parum acriter resistens perversitati eorum velificavit, ut illi de Petro tanqvam præceptore suo, majorisqve authoritatis Apostolo, coram Ecclesiis gloriantes synceritatem Evangelii tanto licentiùs lacerarent. Sed gratiæ sunt agendæ Christo, qvi per selectum organon suum Paulum (& alios forsan Apostolos) has satanæ strophas detegere, Petrumqve acriter in os objurgatum in viam reducere, dignatus fuit.

117. *Hæc autem de Petro sic dissertata non in Principis Apostolorum opprobrium tendunt: sed in cautionem eorum, qvi abusu & fuco magnorum nominum dementari se, & alios in errorum laqveos abduci, patiuntur:* nempe *ut causam hanc, in qva hodie Christianitatis salus aut interitus vertitur, non leviter ac perfunctoriè, sed cum vero Dei metu, seriis ad Deum suspiriis, circumspectâqve prudentia, expendant.* Qvod non faciunt qvi Petri tantùm laudes, si qvæ illi ex Evangelica historia vel undecunqve tribui possunt, solicitis articulis computant, nævis ejus omnibus dissimulatis: idqve eô fine, ut se in hæreditate ac successione Petri esse jactando aliis omnibus præferre possint. Qvod per divum Paulum expresse prohibuit Spiritus S. ut *neqvis glorietur in hominibus, sed in Domino: cùm æqvè Petrus atqve Apollo & Paulus, nihil sint nisi ministri ejus cui credidimus*, 1 Cor. 1. & 2, & 3, & 4. capp. Verisimillimumqve est Deum, futurorum præscium, nævis istis in verò Petro toleratis fictitiorum Petrorum mores, vitam, facta, præfigurare

rare ac depingere voluisse: futuros nempe illos. 1. *Crucis fugientes*, 2. *Primatum & mundi gloriam ambientes*. 3. *In salutis* (suæ & populorum) *periculis securos & dormientes*. 4. *Gladii Spiritûs incuriosos*: 5. *Gladiis autem ferreis ingentia prælia* (ceu pro Christo & Regno ejus) præliantes. 6. *Et se in omnia* (ut ne qvid usqvam clam se fiat) *ingerentes*, 7. *perqve id aliqvando malè impingentes*. 8. Et in rem suam *artes simulandi*, *& dissimulandi*, *callentes*. 9. *Perjuria etiam audentes*, aut aliis propter intentionem bonam permittentes. 10. *Non tam de convertendis Gentibus*, *qvàm destabiliendis domi rebus suis sollicitos*. 11. *Nec adeò de sinceritate Evangelii in conspectu Dei*, *qvàm de externis ritibus & ceremoniis*, *qvibus populo placeant*, *anxios*. 12. *Tolerantesqve*, *ut authoritate suâ abutentes varii varias sectas excitent*, *etiam tandem Dominum qvi eos redemit abnegantes*: qvales in Christianismo venturos ipse Petrus prædixit, 2. cap. 2.

118. Qvæ omnia in Papa & Clero suo ita impleta pridem esse, tristes qverelas & lamenta Dei & hominum superiùs audivimus: vereqvè Romanum Papam cum Regno suo (qvod sibi invito Deo & hominibus condidit) Antichristum esse, omnes Orientales & Africanæ Ecclesiæ credunt: illisqve Septentrionales & Occidentales accedunt; permulti etiam pii in medio Papatu agnoscunt, suspirant, gemunt. Nihilne ulla humana testimonia, qverelæ, gemitus, movebunt? Novi eqvidem illud Christi: *Ego testimonium ab homine non accipio*, *ipsa Opera qvæ facio testimonium perhibent de me* (Joh. 5.) eousqve nobis imitationi servire, ut humana testimonia (sive pro homine sint, sive contra hominem) non tanti faciamus, ut nos à judicio de rebus per res ipsas abduci patiamur. Nempe qvia homines omniscii non sunt, & affectu huc illuc abripi possunt, ac solent, *prorsus intutum est magnis in rebus humanâ niti velle authoritate*: *in res ipsas potiùs veniendum est semper*, hîc etiam ita colligendo.

119. *Si Papa verè Christi Vicarius est*, *communeqve habent Consistorium*, *Tribunal*, *Jus*, *Leges*, *authoritatem*; *tum necessariò communem habebunt causam*, *consilia*, *actiones*: *actionumqve scopos*, *& media*, *& agendi modum*. Atqvi, re diligenter inspectâ, omnia hæc planè diversa sunt, imò contraria. Christi enim causa & scopus est, *Salvare Mundum*: Papæ, *possidere mundum*. *Christus non venit ministrari*, *sed ministrare*, *& dare animam suam redemtionem pro multis* (Matt. 20. 21:) Papa nemini ministrare, sed ab omnibus (Regibus etiam & Imperatoribus) ministrari, vult; nec animam suam ponit pro qvoqvam. *Christus cùm Deus esset exinanivit se*, *factus homo* (Phil. 2.) Papa cum homo sit, facit se Deum (adulatorum voces, *PAPA DOMINUS DEUS NOSTER*, ut Glossa juris Canonici habet, tam parum comprimens atqve Herodes olim, Act. 12. 22.) *Christus cùm esset dives*, *factus fuit propter nos egenus*, *ut illius inopiâ nos redderemur divites* (2 Cor. 8. 9.)

8.9:) Papa per se pauper, divitiis totius mundi perpetuò inhiat. *Christus tametsi speciosus præ filiis hominum, coram mundo tamen despectus & abjectissimus* (Jes. 53.2.) *humiliter ac mansvetè segessit, cum nemine contendens, neqve clamitans, ut nemo in plateis audiret vocem ejus* (Matt. 12. 18.) At Papa ut spectari à mundo posset, pompâ utitur qvali nemo hominum, fastu superans omnes, contendens (de dignitate) cum omnibus, nomenqve suum & titulos per omnes Orbis plateas proclamans. *Christus, cùm se homines Regem terrenum creare vellent, aufugit* (Joh. 6. 15.) Papa cum illi unus homo terrenum qviddam obtulit (Phocas) arripuit avidè, & plusqvam oblatum fuit arripuit: omnia Regna Mundi ad se jure spectare asserens. Hinc *Regnum Christi non est de hoc mundo*, Joh. 18. 36: Papæ regnum totum est mundanum. *Christus se gladio materiali defendi noluit, recondi eum jussit, Angelicâ fretus custodiâ* (Matth. 26.5:) Papa custodiendo corpori suo spiculatorum alit catervas, & qvoties Regum alicui iratus est, ingentes armat Exercitus. *Christus propagando regno suo elegit è plebe homines simplicissimos:* Papa ex doctis, aut nobilibus, eligit astutissimos. *Christus suis illis dixit: Nolite possidere aurum & argentum.* &c: Papa omnibus suis aurum, cum omni rerum abundantia, promittit & procurat. Christus suis dixit: *Ecce ego vos mitto sicut agnos inter lupos!* Papa suos ut lupos inter agnos mittit, docens sibi & suis mandatum esse mactare & manducare, ex Actis. 10. 13. *Christus potestatibus omnem animam subesse, infidelibus etiam, propter conscientiam*, præcepit (Rom. 13. 1 Pet. 2. 13.) exemploqve ipse præivit, tributum pro se & suis solvens (Matth. 17. 27.) Papa verò nemini Regum dat qvidqvam, suosqve omnes fecit exemtos. Imò contra Principes, etiam fideles (si modò Romanam sellam non agnoscant) rebellare docet propter conscientiam: & qvod plus est, eosdem è medio tolli jubet, qvotiesqve potest, tollit. In summa, externa omnia in Regno Christi sunt humilia & contemptibilia, naturâ suâ ad eversionem fastûs mundani tendentia. In Papatu omnia externa nil nisi pompa & mundus.

120. *Qvid autem interna, animarum statum spectantia, conveniunt ne?* Videamus *Propheticum & Sacerdotale Christi munus*, qvomodo hæc Vicarius suus administret. In munere Prophetico Christus ita se gessit, *Primùm*, Docere alios fecit sibi vitæ ἔργον, mox ab adolescentia, Luc. 2. 46. totos qvandoqve dies populo docendo insumens, imò biduum & triduum (Mar. 8. 2.) neqve gravatus uni aliqvando personæ solidam impendere operam (Joh. 3. 2. & 4. 7.) hoc cibum suum appellans (vers. 34.) Num & Papa sic? *Pontifices nunc bella gerunt, sunt cætera nugæ*, canit Mantuanus. *Secundò*, Christus doctrinam suam, & Ecclesiæ, à Verbo Dei adeò suspendebat, ut nec apicem unum Legi Divinæ addi vel demi, aut alium verbis Dei qvàm ex mente Dei sensum af-

fingi

fingi pateretur (Matt. 5. &c.) Papa ergò Verbum Dei ab authoritate suâ suspendens, annon contrarium agit? Nota enim est Juris Canonici vox, *Papa potest supra Jus dispensare*: qvod Glossa interpretatur *CONTRA VETUS TESTAMENTUM, APOSTOLOS, ET QUATUOR EVANGELISTAS*. Cusanus verò Cardinalis disertis verbis, *Authoritatem Ecclesiæ præferendam esse Scripturis concludit*. *Tertiò*, Christus Traditiones apertè rejiciebat, eas plantationem qvam cœlestis pater non plantavit, illarum verò patronos duces cœcos appellans, Matth. 15. Num & Papa sic? cujus omnia bella pro Traditionibus esse, mundus videt. *Qvartò*, Christus pro docendi munere nulla reqvirebat stipendia, nec suos reqvirere docebat, dicens *Gratis accepistis gratis date*: qvod Apostoli observando, manibusqve suis laborando, prædicabant tamen. An & Papa, cum suis? qvorum stipendiis vix mundus sufficit. *Qvintò*, Christus neminem in nomine suo populum docentem prohibere permittebat, tametsi non esset de collegio suo, Luc. 9. 49, 50. Qvod Paulus imitatus, gaudebat Evangelium ab insinceris etiam prædicari, modò ut annuntietur Christus, Phil. 1. 17, 18. An & Papa sic? qvi à nullis præterqvam suis Evangelium prædicari vult ulla in gente, prædicantesqve terra & mari, aqvâ & igne, perseqvitur. *Sextò*, Christus tametsi constitutus à Deo vivorum & mortuorum judex, à judicio tamen suo, sive ad Mosen, sive ad Deum ipsum, appellare non prohibebat (Joh. 5. 45. & 8. 50, & alibi. Qvid ergò illæ Papalium voces? *Nulla esse potest à Papa ad Deum appellatio, qvia una sententia est, & una Curia, Dei & Papæ* (Aug. Tr. q. 6. 1.) *Item Pontifex tanqvam Deus judicat: ideò nihil contra ejus sententiam opponi potest.* (Tiber. Dec. Vol. 3. Resp. 83. num 8.) Christus deniqve Doctrinæ & actionum suarum rationem reddere, ubi ubi res exigebat, nunqvam gravatus fuit: per Apostolum suum omnibus suis mandans idem, 1 Pet. 3. 15. An ergò idem agit Papa, dum per suos Canonistas promulgari facit, *Apud Papam & Deum sufficit pro ratione voluntas* (Capistr. 130. Hostiens. in cap. *Olim.*) Item, *Papa omnia potest: qvia est SUPRA JUS, CONTRA JUS, EXTRA JUS: nec ei dici potest, Domine cur ita facis?* (Extravag. Joh. 22. cap. *Execrabilis*, Glossa bis.)

121. *In Sacerdotali autem munere qvid? Christus pro redemtione Mundi seipsum in mortem dedit*: an Papa idem facere paratus? Hactenus facta ostendunt avidiùs illum fundere sangvinem alienum, qvàm impendere proprium. *Christus redemtionis partæ memoriam fundans*, traditamqve pro vita mundi carnem suam in cibum, fusumqve pro peccatorum remissione sangvinem in potum, fidelibus suis dans, *in utroque hoc epulari jussit OMNES* (Joh. 6. 54. Matth. 26, 27.) An & Papa sic? Cur ergò à sangvine Christi bibendo fideles pel-

pelluntur Omnes? *Christus impetratâ* (per proprii sangvinis oblationem) *hominibus peccata remittendi potestate, habere se illam miraculosis factis fidem faciebat*, Matth. 9. 6.): qvibus ergò factis Papa, eandem se habere, demonstrabit? *Christus qvibus peccata remittebat, gratis remittebat, nullo unqvam interveniente pretio*: cur ergò Papa nemini gratis remittit, pecunias paciscitur semper? *Christus cuicunqve remittebat, sub resipiscentiæ conditione remittebat*, dicens: *Noli ampliùs peccare, ut ne qvid deterius tibi accidat*, Joh. 5. 14. Cur ergò Papa pro pecunia in futurum etiam tempus Indulgentias (h. e. peccandi licentiam) vendit? & qvidem in decem, viginti, centum, mille annos. Ubi hoc fecit aut docuit Christus? qvi nihil à receptis in gratiam præter fidem & novam obedientiam stipulari solitus, nullos reservatos casus, nullas operosas satisfactiones, nullaqve ceremoniarum crepundia docuit: in spiritu tantum & veritate colere Deum. An ergò *Christus in internis, Antichristus in externis, regnat*? eoque inversus Christianismus nihil nisi Antichristianismus est?

122. Enim verò qvia omnes id genus à Lege Christi exorbitationes non in Papæ solius regno obtinent, sed & totam reliqvam Christianitatem inundarunt: inde est qvod per posteriores istos, nostro seculo excitatos Prophetas, Christus erga omnes à nomine suo denominatos zelum suum contestari, iramqve & plagas nuntiari, voluit, qvemadmodum in hoc Libro legere erit. Totam nempe illam nostram infinitè confusam & diffusam *Babylonem*; totum monstrosè admodum distortum *pseudo-Christianismum*; omnes deniqve majores & minores *Antichristos*, *ceu novo diluvio delere decrevisse, ut ad beneplacitum sibi omnia constituat nova.*

123. *Restat è differentiis* (inter has posteriores prophetias & priores illas) *ultima*, ut propositæ fuerunt § 68. *Cur nunc jam non denuntientur solum pœnæ, sed exseqvutio mandetur? initio à desolatione Meretricis Babylonicæ facto, perqve id ad totius magnæ Babylonis ruinam accessu parato?* Apoc. 17. & 18. Causæ verò aliæ non sunt, neqve cogitari debent, qvàm qvæ olim Deo veterem Israeliticam, & dehinc Judaicam, Remp. & Ecclesiam evertendi fuerunt. Universalis nempe morum corruptio, & omnium divinarum admonitionum contemptus, & facta prophetiis Dei opprobria & illusiones, & in his omnibus finalis impœnitentia, longanimitatisqve Dei tam proterva abusio, ut Deus necesse haberet exclamare, *Qvis misereatur tui Jerusalem? ego jam defessus sum pœnitendo* (Jer. 15. 5, 6.) Et ad Prophetam, *Noli orare pro populo isto in bonum* (14. 11) *Etiamsi Moses & Samuel coram me steterint pro illis, non est anima mea ad populum hunc. Eant à facie mea. Si dicent, Qvorsum ibimus? responde. Sic dicit Dominus, Qvi ad mortem, ad mortem; qvi ad gladium, ad gladium* (15. 1. &c.) Ita enim Christianos populos, ab Apostolorum temporibus hucusqve

ſemper magis degenerantes, variè Deus admonendo, varieqve caſtigando, veluti jam defeſſus dicere neceſſe habet, qvod ibi: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniqvitate, ſemini neqvam, filiis ſceleratis! dereliqverunt Dominum, blaſphemarunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. Cur Vos percutiam ultra?* &c. (Jeſ. 1. 4. &c.) *Numerabo Vos ad gladium, omnes in cæde corruetis.* (Jeſ. 65. 12.)

124. Tu qvæ Eccleſiarum primatum tenes, & Te reginam ſedere gloriaris: evigilabis ne aliqvando, ut qvid agas, & tecum agatur, attendas? Memoravi ego qvædam ſupra, (à §. 19. ad 60.) qvomodo te Deus tuus per mille retrò annos, miſſis ad te tot ſanctis & ſapientibus viris, ne prolabi pergeres monuerit, & qvid profuit? eludebas omnia. Mittebat & Prophetas (ut §. 61-67. attigi) & qvid profectum eſt? Aut non audiebas, aut contemnebas, aut voci Dei externè honore habito (Revelationum canonizatione) ad realem tamen corruptelarum emendationem nunqvam veniebas: qvoſdam etiam æternis carceribus macerabas, ut *Johannem de Rupeſciſſa*; aut abſcindebas manus & lingvas, ut *Antonio Mancinello* Alexander VI. fecit; aut exurebas, ut *Huſſo*, *Savonarolæ*, innumeriſqve aliis, factum. Rogabant anxiè corrupti rerum ſtatûs emendationem, tot pii Reges & Imperatores: ſemper fruſtra. Si qvi ſine te, conſcientiâ urgente, reformationem tentabant, prohibebas, hæreſin aut ſchiſma impingens, excommunicationiſqve fulminibus terrens. Si Eccleſiæ qvædam, aut integræ gentes, reformare ſe perrexerunt, excommunicabas, belliſqve adverſus eos excitatis fatigabas: aut ſeculare brachium auxilio nacta, inqviſitione crudeli, carceribus, proſcriptionibus, flammiſqve ſæviens, totas interdum provincias & regna vaſtabas. Excogitaſti tandem novum qvendam aſtutè ſapientum Ordinem, *Jeſuitarum*, *qvi novis artibus Tibi & Mundo Eccleſiam nunqvam fuiſſe deformatam, nullâ reformatione indigere, omnia eſſe ſalva*, perſvaderent: aut *contritionem tuam ad ignominiam* (Hebraicè, ad *levipendium*, i. e. leviter, ſuperficie-tenus, non à radice) *ſanarent*. Jer. 8. 11. Cui perſvaſioni tandem adeò ſvaviter indormiiſti, ut reformatione ullâ eſſe opus nemo jam hominum Vobis perſvaſerit: qvi autem reformationis nomine à Vobis ſeceſſionem fecerunt, illis aut eſſe ad Vos redeundum, aut pereundum, decretum Vobis eſt. Et mirum ſit ſi Deus Vobis tam inſenſatis jam factis, nulloſqve Cœli & Terræ clamores ampliùs audientibus, ita qvomodo antiqvo illi penitus exſurdato populo fecit, faciat?

125. Te qvi nunc ſublimi illa ſede potiris, Alexander ſeptime, nominatim compello, humillimeqve ut ſermones iſtos admittas oro. Vivit Deus, & vivit anima Tua, nihil à me hoc Libro, & hâc nova illius editione quæri, qvàm *ut populus Chriſtianus (cum omnibus ſuis Præſulibus) à ſecuritatis ſomno excitati,*

ultimam

ultimam Dei prævenire velint iram. Res seriæ sunt, Tuamqve & populi Christiani salutem aut interitum concernunt: ne illas vilipende, per tremendum Dei nomen oro. Attigi superiùs enormia Antecessorum Tuorum peccata, qvanqvam ne millesimam qvidem eorum partem: eo fine, ut num tam inveterata mala vel jam tandem sub ultimum patientiæ Dei terminum agnosci, & pœnitentiam excitare, possint, experimentum fiat. Jube Vestris in historiis inqviri, si placet, num hæc bonâ fide inde excerpta sint. Atqve si ita esse comperies, *expende obsecro, num credi possit cuiqvam mortalium tantam in terris potentiam dari potuisse, ut nullis legibus constricto qvicqvid liberet liceret?* qvalem solutam licentiam Hildebrandus usurpare cœpit, successoresqve usurparunt? *Expende*, an adversus tantos adorandi nominis Dei, & Christi ejus, Apostolicæqve authoritatis, abusus, tot sanctorum Virorum protestationes pro temeritate reputari debuerint? *Expende*, an ipsius Dei per tot illa sancta organa (*Hildegardim, Brigittam, Fr. Rupertum*, &c. interloqvutiones, frustra esse potuerint? Atqve si agnoscis, *qvicqvid Deus facit ideò facere ut timeatur*, (Eccles. 3. 14.) *expende an Majores Tui ad tales Dei protestationes timore concepto emendaverint aliqvid? An Monachorum Ordines* (toties super eo moniti) *vel minuerint vel reformaverint?* annon etiam eos auxerint? *An traditiones aliqvæ vanæ abolitæ fuerint*, an vero etiam potiùs auctæ? *An à sævitia in conservos, nomen Christi æqvè vobiscum invocantes populos, remissum fuerit aliqvid?* vel potius crudelitas novo sævissimæ inqvisitionis Invento, aucta? *Expende*, anne Tibi honorificum foret cum Daniele dicere, *Peccavimus Domine, declinavimus à mandatis Tuis, nec obedivimus servis tuis Prophetis, qvi loqvuti fuerunt in nomine tuo Regibus nostris, Principibus nostris, Patribusqve nostris*, &c. (Dan. 9. 5.)

126. Nec tamen aliena solùm confiteri errata, propria etiam examinare, laudi erit. *Homo enim es, Alexander: humani à te nihil alienum putare debes*, sicut & Petrus (promissionum licet primus, proximus, & ex asse hæres) ut §. 115. vidimus. Potuit errare Petrus; qvidnî & Petri successor? Potuit erratorum à Collegis commoneri Petrus: qvidnî & Petri successor? Indignè Petrum admonitionem (imò & increpationem sat acrem) tulisse, non legimus: nec ergò Petri successor ægrè ferat. *Omnium autem Ecclesiarum Episcopi, Romani Episcopi sunt Coepiscopi, seu Collegæ, jure divino:* monendi ergò potestatem habent, *jure divino*. Si non monent, sed tacendo connivent, participant alienis peccatis *jure divino*, Ezech. 3. 18. Rom. 1. 32. Patere igitur Alexander, Pontifex maxime, Tibi aliqvid eorum dici, qvorum imminentia Dei judicia occasionem offerendo non tacere cogunt. *Agam Tecum nomine confratrum, omnium Orbis Episcoporum, nomineqve totius Christiani populi, super qvibusdam à Teipso jam* (non à Majoribus) *factis reverenter exqvirendo rationem.* Tu autem

tem fac secundùm Canonem Petri (in cujus scriptis Juris Canonici fundamenta posita sunt) *ut Dominum Christum sanctifices in corde Tuo, paratus ad satisfactionem Omni poscenti rationem de ea qvæ in Te est spe: sed cum modestia & timore conscientiam habens bonam: ut in eo qvod detrahunt Tibi, confundantur qvi calumniantur Tuam bonam in Christo conversationem*, 1 Pet. 3. v. 15, 16.

127. Neqve dicas, *Petrum hæc præcepta plebi Christianæ, non autem sibi & successoribus, dedisse.* Ita enim ex Petro Apostolorum Principe Pharisæum hypocritam faceres, juxta illud Christi, *Dicunt & non faciunt: imponentes onera in humeros hominum, qvæ ipsi ne digito qvidem attingunt* (Matth. 23. 3, 4.) Cave tali contumeliâ Christi Apostolos afficias: qvi ut fidelissimi Domini sui imitatores qvæ docuêre alios, priùs fecere ipsi (Act. 1. 1.) Sicut enim Astronomi dicunt, *stella est densissima Orbis sui pars*, ita verè dicitur, *Apostolus* (Episcopus, Pastor) *est lucidissima Orbis sui* (Ecclesiæ) *pars.* Qvicqvid ergò Corpori Ecclesiæ præcipitur, Capita Ecclesiæ sibi maximè audire debent: Ut, *esse pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes & sitientes justitiam, misericordes, castos, & mundo corde, pacificos, persequutionem patienter excipientes, sal terræ, lucem mundi*, &c. ex ore Christi Matth. 5. Et secundùm Petrum hoc capite (v. 8. &c.) *Unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modestos, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed benedicentes*, &c tandem ergò *& paratos semper ad reddendum rationem omni poscenti* &c. Hæc inqvam omnia si plebi Christianæ observanda sunt, longè magis majoribus Ecclesiæ membris, *Pastoribus & Episcopis*; maximè autem maximo, *Episcoporum Episcopo*, tanqvam summæ formæ gregis facto (1 Pet. 5. 3.) Hæc si Tibi, Alexander Papa, Canonistæ Tui (Juris Canonici interpretes) non dicunt, sed Leges & Canones ad Te non spectare, neqve Te constringere, adulando asseverare pergunt, pergunt Te decipere, ut decepere Antecessores tuos. Ut ad illos & Te, Collegiumqve Cardinalium, & totum Clerum Vestrum, nomine Dei dicendum veniat: *Popule meus, qvi Te beatum dicunt ipsi Te decipiunt, & viam gressuum Tuorum dissipant*, Jes. 3. 12.

128. Alexander Papa, qvo tempore Tu Papalem conscendisti thronum, ante hoc decennium, magna fuisse jubila inter Tuos, de Te tam sapiente Pontifice electo sibi & Ecclesiæ congratulantium, & illud qvod optimum Ecclesiæ optari potest (*ut omnia dispersa in Ovile unum & sub pastorem unum redeant*) jam jam futurum ominantium, ego memini. Et memini (Deumqve invoco testem, non mentiri me) inter illos, qvi ut antiqva hæc omnium bonorum vota (de sanandis aliqvando Ecclesiæ vulneribus, abolendoqve omni schismate & hæresi) vel Tuo tandem tempore impleantur, me fuisse unum, & ad huc esse: idqve tam verè ac sincerè ut mihi Deum propitium opto. Qvod votum meum

qvia

qvia verum & ſeverum eſt, non poſſum illud non hic publica in luce ponere, tam inſperatam nactus occaſionem. Nempe paucos adhuc ante dies nihil horum, qvæ jam hoc Apologetico ſermone calamus effundit meus, in mentem venerat: demum parato jam iſto (cum omnibus ſuis præfationibus & poſtfationibus) Libro, cum amicorum qvidam illius adhuc ſuppreſſionem ſollicitarent, mea autem plus Deo qvam hominibus eſſe obediendum conſcientia dictaret, clamavi ad Dominum: ille autem ſcutum hoc arripere, & cor meum (ita ut in conſpectu καρδιογνώστου ſui notum eſt) ſub oculos hominum, Tuos etiam (in cujus tempora RERUM illa MUTATIO magna incidit) ponere docuit. Ponam igitur: & Tibi primum tam apertè ac fidenter ut intimus amicus amico, vel frater fratri, aut ſane filius Patri, & confeſſor Confeſſario ſuo (qvem loco Dei confeſſionem ſuam audire credit) ſolet, omnem conſcientiam meam nudabo. Spe, ſi me ſic audieris qvomodo Paulum Petrus, ſublatum iri ſcandala multa, Eccleſiæ totius bono. Si autem ſic, qvomodo Anteceſſores Tui pleroſqve monitorum ſuorum (ut eos ad complendum numerum jacentium ſub Altari mitterent, Ap. 6. 8.) fiat voluntas domini: ſperabo me inter ultimos eorum futurum, in qvibus ira Dei, Babylonicuſqve furor, ſiſtet.

129. Alexander Papa ſapiens, expende ſapienter, per Deum Te oro, *An ſatis cauſæ ſit indignandi, qvòd Moſes aliqvis Pharaoni alicui Populum aliquem ad liberè Deo ſuo ſerviendum dimittere nolenti, Dei nomine plagas minatur?* Debet enim, domino illum adigente. *Aut qvod Samuel puer Pontifici Eli, & domui ſuæ, interitum nuntiat?* Debet, Domino jubente. *Aut qvod Oſee filios contra matrem, ad judicio cum meretrice contendendum, incitat?* Debet, Domino mandante Oſ. 2. 2. *Et cur Tu igitur his tribus hoc in Volumine loqventibus indignari velis, quòd in Te & tuos duriùs loqvantur?* Debuerunt, Domino injungente. Vertite Vos in omnes facies, ut tamen Leonis rugitum audiens non paveat, & Dei mandatum habens non prophetet, non obtinebitis (Am. 3. 8.) Projicite Jeremiam in carceres, flagellate Apoſtolos, percutite Jacobum gladio, frigite Johannem in Oleo, aut mittite in Patmum: aſſate Laurentium ſuper prunas, aut alios aliis cruciatibus macerate: qvid tandem efficietis, qvàm ut furore Veſtro Dei erga Vos magis accendatur furor? Eccleſiaqve tot probationibus reddatur purior, & martyrum ſangvis ſemen Eccleſiæ fiat.

130. *Enimverò Deum hodie non ita hominibus loqvi, ut ad eos Prophetas mittat, ajunt.* Reſp. Qvi hoc dicunt Chriſto contradicunt, dicenti, *Mittam ad eos Prophetas & Apoſtolos*, Luc. 11. 29. Et Deo ipſi, poſtremis temporibus tam liberaliter ſpiritum ſuum effundere promittenti, *ut filii & filiæ prophetent, ſeneſqve ſomnia ſomnient, & juvenes viſiones videant*, Joël. 2. 28. Et arguunt Deum in humanitatis, qvi plagis ſuis

(qvarum nostra quoqve maligna tempora plena sunt) impræmonitos opprimat: qvod sibi non esse moris, neqve se facere qvidqvam non revelato prius consilio suo servis suis Prophetis (ut comminationibus ex ore illorum auditis populus ad resipiscendum, & mala avertendum, excitetur) testimoniorum plena est Scriptura sacra, plenæ historiæ omnes. *Sed dubitent alii, aut negent etiam, Prophetas in Novo Testamento excitari: Tu tamen Romana Ecclesia negare id neqve debes, neqve potes,* qvippe qvæ inter Ecclesiæ notas etiam Prophetiæ spiritum posuisti. Deusqve sensum hunc à suo sensu non abire ostendit, ad Te qvoqve Prophetas (dum ordinarii Vigiles stertérent, crasseqve exorbitarent) mittendo; ut supra vidimus.

131. Si dixeris, *In Ecclesia excitari Prophetas, non extra illam, inter hæreticos & schismaticos.* Resp. Qvæ sit aut non sit vera Ecclesia, verum judicium penes Deum est, non penes nos affectibus distractos, & obnubilatos. *Deus & sol omnibus idem.* Israelitica Ecclesia separans se à Judaica, verè fuit schismatica; propterqve Idolorum cultum verè hæretica: Deus tamen non in hac solùm, Hierosolymitana, Prophetas excitabat (*Jesaiam Jeremiam*, alios) etiam in Samaritana illa (*Oseam, Amos*, &c.) *An verò hi tres nostri verè à Deo missi, & qvæ loqvuuntur loqvi jussi fuerint, non sufficit negare, ad examen veniendum est*: juxta notas & characteres, qvos ipse Deus posuit (Deut. 18. 21. Jer. 28. 8, & alibi) Nempe *ut prædictionum eventus propbetiarum veritatem aut falsitatem ostendat.* Ostendat igitur hîc etiam: ubi prædictæ sunt venturæ super Christianos terribiles plagæ, gladiô, peste, fame, terræ motibus, diluviis, rerumqve omnium universali confusione ita inferendæ, ut ad sistendum eas nulla humana vis aut prudentia sufficiat, donec alii per alios evertantur; regidisqve illis judiciis ad Ecclesiam ingrediendum Turcis & Judæis via paretur, atqve sic tandem Deus fines asseqvatur suos. Qvæ annon fiunt? annon Christiani atrocissimis supra 40 annos continuatis bellis se ipsos stupendum in modum fatigant, atterunt, evertunt? nullis pacificationibus furores bellicos compescere, nec ullis sangvinis diluviis rabiem exsaturare, valentibus. Qvæ autem ex Asia dum hæc scribo (sub anni 1665. decursum) *de Turcarum & Judæorum mirabili commotione, insperataqve ibi rerum mutatione*, nuntiari incipiunt, an aliò tendunt? Qvis ergò dum incessabiles nimbi jam cœlo ruunt; dum ignis & sulphur jam super Sodomam pluit; dum ante Israelem & Pharaonem rubrum mare abyssos suas jam aperit, dum Hierichuntis muri jam cadunt &c. qværendum adhuc, *An rebus his Deus intersit? an de illis Noæ, Abrahamo aut Lotho, Mosi aut Josuæ, dixisse aliqvid credendus sit*, putabit?

132. Dum ergò de Te etiam his Libris, *Papa Romane*, tristia narrentur, noli obsecro suspicari hominum aliqvos hîc ad Te exagitandum conspirasse; sive

jocô,

jocô, ut *Pasquinus* Tuus & *Morphorius* Romæ faciunt, & risu excipiuntur: sive seriò, ut dum à variis varii Libri & discursus in Te (sive Politicis è fundamentis, sive Divinis è scripturis) cuduntur, & plerumqve contemptu aut indignatione, vel flammis, refelluntur; aut in Catalogum Librorum prohibitorum rejiciuntur. Qvorum hîc nihil valebit: *qvia hîc alius est, alius prorsus, Te major & potentior, qvi causam suam adversus Te agere inceptat, & peragere minatur.* Cui qvia resistendo non eris, saluberrimum foret Christi consilium seqvi: *ut cum potentiore hoc transigas, ea qvæ ad pacem sunt rogans* (Luc. 14. 32.) Num verò hîc adversus Te veniens revera sit qvem se esse dicit, *Deus Deorum*; & qvas tàm rigidi adversus Te processûs sui causas afferat, cognoscendum Tibi priùs est prorsus, qvàm ista contemnas, nihil inde periculi fore undecunqve persvasus. *Prudentis est semper plus metuere qvàm sperare: omniaqve unde telorum aliqvid venire possit circumspectare, ut prævisa aut vitari possint, aut noceant minus.*

133. *Alexander Papa, qvia Te sapientiâ laudâ super omnes Antecessores Tuos vehunt, loqvar Tibi ut sapienti: & loqvar sic, qvomodo Daniel potentissimo Monarchæ Nabuchodonosori, filioqve illius Balsasari loqvutus fuit:* super sententiam cœlestium vigilum, & decretum contra Te promulgatum, consternatus: conservandi tamen Te desiderio consilia ferens adhuc, si ulli consilio locus est adhuc (Dan 4. 14, 16, 19, 24: & 5. 17. &c.) Immisit enim Deus Deorum (si non Tibi, aliis tamen de Te) tot terrifica somnia & visiones, & tot objecit vigilantibus etiam portentosa omina, scribentesqve per cœli & terræ parietes digitorum articulos: ut impossibile sit eos qvi intelligunt non horrere, non tremere, non misericordiam Dei (si adhuc misericordiæ locus est) implorare. Qvô ut Te qvoqve permoveam, loqvar Tibi (ut Daniel Balsasari c. 5. v. 18 - 24.) de beneficiis Dei in Te & patres Tuos collatis, vestraqve perpetua recalcitratione, hunc usqve in diem.

134. *Nonne Vos immensum exorbitantes à mille annis, per tot inter Vos excitatos pios, sanctos, sapientesqve Viros, in viam revocatum ibat Deus?* num autem rediistis? *Suscitabat & de filiis vestris Prophetas, deqve juvenibus vestris Nazaræos* (Am. 2. 11.): num hos audivistis ut emendaretis? *Rogabant per tot secula tot pii Reges & Imperatores, integræqve Nationum Ecclesiæ, abusuum Reformationem:* num auditi fuerunt ut impetrarent? *Si qvi autem conscientiâ urgente pro se iditentarent* (in Italia & Gallia *Albingenses*, in Bohemia *Hussitæ*, in Germania & alibi *Luthero* lampada præferente, varii) *an congratulati fuistis?* Imò prohibuistis, furiati estis, ferro & igne sævîistis, hunc usqve in diem. Hinc animæ per tot Orbis gentes defectu salutaris pabuli famelicæ suspirant: animæ verò interfectorum propter Verbum Dei, & testimonium

ejus,

ejus, ſub Altari clamant: *Usqve qvo Domine, ſanctus & verus, non judicas ſangvinem noſtrum de his qvi habitant in terra* (Ap. 6. 9, 10: attendite qvi ex regno cœleſti in terra, regnum terrenum feciſtis!) Clamant & infideles adhuc nationes (Judæi, Turcæ, alii) domum Dei Eccleſiam ingredi avidæ, propter objecta tamen (profaniſſimæ vitæ, abominabilis idololatriæ, mutuarumqve lanienarum) ſcandala ingredi non audentes. Clamant Cœlum & Terra, ſpectare diutiùs execrabilia non valentes (Rom. 8. 22.) An mirum ſit Deum ipſum jam Pſalmi ſecundi praxin inchoare? in ira ſua loqvi, & in furore ſuo impænitentes conturbare? (Pſ. 2. 5.) Mirum ſit Leonem de tribu Juda ſic Romanam alloqvi Aqvilam? *Judicaſti Terram non cum veritate. Tribulaſti enim manſvetos, & læſiſti qvieſcentes, & dilexiſti mendaces, & deſtruxiſti habitationem eorum qvi fructificabant, & humiliaſti eorum qvoqve muros qvi te non noverant. Et aſcendit contumelia Tua uſqve ad Altiſſimum, & ſuperbia tua ad Fortem. Et reſpexit Altiſſimus ſuperba tempora, & ecce finita ſunt, & ſcelera ejus completa ſunt. Propterea non appareas tu Aqvila, & alæ tuæ horribiles, & pennacula tua peſſima, & capita tua maligna, & ungves tui peſſimi, & omne corpus tuum vanum. Ut refrigeretur omnis Terra, & revertatur liberata de tua vi, & ſperet judicium & miſericordiam ab illo, qvi fecit eam.* 4 Eſdr. 11. v. 41, 42. &c.)

135. Alexander Papa, ex altiſſima Tua ſpecula Orbem circumſpectans, deſpice qvoqve infra Te obſecro, *ut inqvam alta Templi pinnacula deductus ſis, & qvam terribile ſubtus Te barathrum habeas conſpectò, qvid adhuc facto ſit opus deliberes. Attende per Deum, annon præcipitia humanæ naturæ ſint hæc?*

I. *Impeccabilem ſe eſſe ſibi perſvadere?* cùm tamen Angelus in cœlo, Adam in Paradiſo, David ad Pſalterium, Petrus ad ipſum Chriſti latus, & qvis non mortalium ubicunqve? lapſi ſint.

II. *Ex legem eſſe velle?* cùm tamen Deus ipſum etiam Filium ſuum, hominem factum, legi ſubjectum eſſe voluerit. Gal. 4. 4. Apoſtolus verò omnem humanam creaturam aliis ſubeſſe mandet, 1 Pet. 2. 13. nec per aliud ſatan humanum genus præcipitavit (ſicut & ſeipſum priùs) qvàm qvod ſolutus eſſe, nullâqve Lege conſtringi, eligeret.

III. *Velle regere omnes, & à nemine regi:* cùm tamen nihil regat niſi rectum, & vel ſeipſum unum regere ars artium ſit.

IV. *Diſpenſationem Orbis totius in ſe ſuſcipere, eòqve modo ad rationes pro omnibus reddendas ſeſe offerre:* cùm tamen vel pro ſe uno rationem reddere Deo (qvando de omnibus dictis, factis, cogitatiſqve à qvo qve noſtrûm rationem reqviret) terribile futurum ſit. Annon tanta hæc audere furor qvidam eſt? Ut non ſine cauſa in Apocalypſi talibus opinionibus inebriati, *vino furoris inebriati dicantur:* Apoc. 18. 3. *Et qvidem vino fornicationis:* qvia mentibus in

inebriatis

inebriatis omnis humanus pudor, divinus timor evanescunt facile, libidoqve qvidvis audendi ingeneratur.

136. Alexander Papa septime, inter omnes qvi sedem illam (non à Christo vel Petro, sed Phoca, ad tam terribile præcipitium elevatam) conscenderunt sapientissimus habite, *ostendisti ne opere ipso* (ut Jacobus Apostolus svadet) *sapientiam Tuam? emendastine tot periculosos Antecessorum errores? remisistine de Babylonico fastu aliqvid: qva in re? Nonne Tu ipse illum augere in immensum proposuisti?* toto Pontificatûs tui tempore in exornanda novis Basilicis & Palatiis Roma, tua (vastetur interim bellorum incendiis Europa, natentqve in sangvine suo tot Regna) occupatus. Præsertim Palatio ad Papam posthac eligendum destinato (CONCLAVE dicto) à fundamentis in molem stupendam excitando. Cui exstruendo ut satis capax non deesset area, qvot Urbis plateas cum Templis & Monasteriis demoliri jussisti? qvot ex tota Italia Artifices convocasti? Jamne autem eô progressus, ut cum Nabuchodonosore, *Hæc est Babylon magna qvam ego ædificavi in domum regni, in gloriam decoris mei, dicere possis?* (Dan. 4. 27.) si factum, audi vocem qvæ ibi sonuit (vers. 28. 29.) & in hoc Libro sonat, ab æterno Babylonici fastûs osore edita. Non credis? At eventus fidem faciet, ut ibi fecit (v. 30): si æqvè consilium non admiseris, ut non admisit Nabuchodonosor (vers. 24.) *Ut nimirum te humilias, peccataqve Tua (& Patrum tuorum) misericordiâ erga pauperes Christi redimas:* qvos hactenus pro qvisqviliis habitos conculcasti, aut ut inutiles paleas (judicium Deo præripiens) ustulasti &c. Non autem de resipiscentia cogitare Te argumento sunt omnia, qvæ adhuc in actionibus Tuis videre est. In primis *nova Tua pro stabilienda sedis infallibilitate apud Reges Terræ negotiatio*; & in reparanda *Petri Pauli Æde*, erigendaqve ibi *Nova Apostolica Cathedra*, novus fervor; huic deniqve superimponenda inscriptio (qvanqvam à Cardinalium sapientioribus inhibita) *Anno stabilitæ Authoritatis Apostolicæ primô*. Qvô sensu id? An sensu Jehu Regis, *Achab coluit Baal parum, ego eum colam ampliùs?* (1 Reg. 10. 18.) Utinam simili ironiâ! At verò Te inveteratos errores emendare non cogitare, fidem facit qvòd fastum hunc jam ante annos 40. servo suo Kotteró per Angelum ostendere dignatus fuit Dominus, dicendo: *Mulier hæc demum eqvitandi pruritu agitatur, demum sibi Bestiam* (Potestatem secularem) *insternere proponit* (cap. XXVIII. 40.) Qvid autem ibi seqvitur? *Sed Dominus concutiet Babylonem &c. Mulier autem decidet &c.* Qvod item ibi *de Ovo Psittaci septimo non excludendo* (qvisqvis tandem obstetricari contendat, v. 53.) narratur, utinam nova Babylonica molimina (qviddam enim novi monstri ad Orbis subjugationem parturiri, nimis evidens est) moderari doceat? Utinam qvod Capite XXVII. v. 112, exstat, O *Babylon*, *memento qvid intra menses 42. de te futurum*

turum sit, attentionem in annum hunc 1666. excitet! Nunc enim menses Prophetici (i. e. anni) 42. decurunt, à tempore qvo hæc dicta sunt, 1624.

137. *Mundus eqvidem totus in maligno positus*, (1 Joh. 5. 19.) *Babylon est*; & qvicqvid in eo confusum, Babylon est, eoqve sensu Babylones multæ sunt (ut memoravi supra): qvia tamen Apocalypsis divina *Babylonem magnam, mysteriosam, abominationibus Terram implentem, Regibus dominantem*, describit (Apoc. 17. & 18:) nec usqvam sub cœlo ubi summa potentia spiritualis cum seculari terribiliùs confusæ sint videre datur, atqve apud Vos: utinam Vobis Deus oculos aperiat ad pompam vestram ita videndum, qvomodo eam videre Johanni Apostolo datum fuit, Ap. 13. & 17. Ut à monstrorum conspectu horrore correpti Babylonem deserere, & ad Agnum supra montem Sion stantem vos aggregare, festinetis, anteqvam ultima ejus exardescat ira, & pereatis invia, Psal. 2. Mementote patientiam Dei *Mundum priorem, inemendabilem, non ultra* 120. *annos tolerasse* (Gen. 6. 3.) *Israelem verò, Deo suo rebellem, nonnisi* 390. *annis* (Ezech. 4. 5). Vestra autem super Ecclesiam tyrannis jam supra mille annos tolerata, prioribusqve Dei fulminibus leniùs, posterioribus his duriùs qvassata, an Vos nunqvam evigilare faciet?

138. Si omnibus his protestationibus, & obstetationibus, non obtinemus qvod Angelus cum Evangelio æterno qvæsivit, *ut Vos sedentes super terram, & super omnem gentem, & tribum, & lingvam, & populum, timeatis Dominum & illi detis honorem, qvia venit hora judicii ejus* (Apoc. 14. 6, 7.) necesse erit veniat alius angelus, dicens, *Cecidit, cecidit, Babylon illa magna, qva vino iræ fornicationis suæ potabat omnes Gentes* (vers. 8.) demittanturqve cælitùs falces ad demetendum Terram, & vindemiandum botros Vineæ, &c. (v. 14. &c.) *Tu tamen P. R. rogatus adhuc esto, si tibi prophetarum trucidatorem Achabum imitari propositum est, ut saltem prudentiæ Politicæ modum, qvem adhibuit ille, ne excedas*: h. e. erga hos tres Prophetas, Tibi & Mundo jussu Dei loqventes, non Te Crudeliùs atqve Achab erga suos tres (I. *Eliam*, II. *Anonymum*, III. *Michæam*) geras.

139. Achab enim tametsi Eliam ad necem per omnes gentes & regna qværeret (1 Reg. 18. 10.) ultrò tamen sibi obviam factum non occîdi jussit inauditum, sed audivit priùs: nec in exprobrantem sibi, qvòd abominationibus suis Ecclesiam turbaret, furorem effudit, sed audire perrexit (X. 17, 18): postulantiqve universum Israel in montem Carmel, ad spectandum Dei cum non Deo certamen, congregari, annuit, populum congregavit, spectator ipse fuit (v. 20. &c.) Qvid justius qvàm ut hic fiat idem? Qvæsivistis nos, Romani Præsules, qvoscunqve rerum vestrarum esse turbatores credebatis, per omnes gentes & regna, persequutionibus & inqvisitionibus vestris: illi autem ecce

se

se Vobis ultrò jussu Dei sistunt! Vobis idolomaniam exprobrantes, & ignis de cœlo certamen offerentes: *ut videlicet ille Deus qvi prophetico lumine, & igne zeli, populo suo respondebit, verus habeatur DEUS, non autem cæcus aliqvis, & surdus, & mutus, BAAL.* Et ad spectacula hæc ut totus Christianus populus congregetur in Concilium, qvale reqvirunt hi nostri. State igitur, justum postulatum admittite, convenite, eventum spectate!

140. *Anonymus Propheta, illiusqve cum Achabo actiones, mox postea describuntur capite* 20. Qvomodo nimirum ille Achabo à victoriis redeunti obviam veniens, & qvòd datam sibi adversus Divini nominis blasphematores, *Syros* (v. 28.) victoriam non in gloriam nominis Dei proseqvutus, captivum blasphematorem non tantùm dimisisset salvum, sed & fraternum cum eo fœdus iniisset, exprobrans, pœnam illi tristem nuntiavit his verbis: *Sic ait Jehova, Qvia dimisisti virum morte dignum de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus* (v. 42.) Ecqvid verò Achab adhæc? Non aliud narrat Scriptura nisi hoc: *Reversus ergò est rex Israel in domum suam, audire contemnens, & furibundus* (vers. 43.) Ecce nauseans, & furens, non tamen furorem in prophetam effundens! Examinate jam Vos ipsos, annon similia egeritis toties, nuperrimè etiam? cum Turca mavolentes pacisci qvàm Christianis parcere: imò (qvod non fecit Achab) eô fine cum extraneo illo Christianæ fidei hoste pacisci, ut ad exterminandum domi tantillum in Fide dissentientes convertere possetis vires omnes. Qvod videns Deus & Angeli (sed & Mundus jam videt, qvia in apertum veniunt occulta vestra) si qvid simile nuntiari facit, & Deum se esse (qvi non mutatur, in similibus semper idem) ostendit, qvales Vos esse ostendetis vos? moderatioresne Achabo, an secus?

141. *Tertius ad Achabum Dei nuntius fuit Micheas, filius Jemla,* capite 22: de qvo tametsi dixerat Achab, *Odi eum qvia non prophetat mihi bonum, sed malum* (v. 8.) interrogabat tamen illum (vers. 15): imò ut qvicqvid à Domino audisset intrepidè proferret iterum iterumqve adjurabat (v. 16.) Recensuit ergò qvæ viderat: nempe *populum Israel dispersum, tanqvam oves sine pastore* (vers. 17. h. e. *Regis interitum:*) *prophetasqve idolorum, Regi prospera promittentes, Regem decipere à satana deceptos* v. 19-23.) Obqvod liberè pronuntiatur tametsi à pseudo propheta percuti eum Rex permitteret, eventum tamen expectare constituit, Prophetam tantisper carcere custodiri (non fame & siti crutiatum, sed pane & aqvâ sustentatum) mandans, donec reverteretur in pace (v. 27.) Ad qvod Propheta: *Si tu in pace fueris reversus, non est loqvutus per me Dominus; addens, AUDITE POPULI OMNES!* (v. 28.) Annon verò simillima sunt istis, qvæ nunc in Orbe Christiano fiunt? ubi Reges & Principes terræ, cum Consiliariis suis, epidemico qvodam morbo corripiuntur,

ad alii aliis *Ramoth Galaad* eripiendum (verſ. 3.): h.e. ad qvicqvid Regnorum, Regionum, Civitatum, Arcium, qvidqvam prætenſionis habere ſe qvis autumat bello & armis repetendum. Hinc omnia regna Mundi nunc adverſus invicem concitata ſunt, ut Kotter. XXII. verſ. 2. &c. habet (*ſed legatur totum illud Caput, totum huc ſpectat.*) Maximè verò Tu *Rex ſine regina, qvi omnes Orbis Eccleſias cum reditibus ſuis tuum eſſe Ramoth Galaad credis, recipiendum omninò de manu Syrorum.* In qvo Tibi omnes Tui Conſiliarii, cum omni Prophetarum Tuorum (fauſta promittentium) grege conſentiunt: advocanturqve in auxilium Reges (inter qvos pii etiam aliqvot Joſaphati, v. 4.) ſpe boni ſucceſſûs pleni. Sed ecce hîc Micheæ qvidam, aliud ſibi auditum eſſe narrantes! Etiamne audiendi? Joſaphat ſvadet: nec abnuat qvi Achabo non eſt obduratior. *Eventus oſtendet unde iſta veniant: juſtumqve eſt, ut OMNES POPULI teſtes advocentur, ſi qvis verus Deus, & verus veri Dei propheta, ſit aut non ſit, publico Orbis teſtimonio conſtare debet.* Ideò nos iſtas noſtrorum Michearum voces ad OMNES POPULOS, ut audiri qveant ab OMNIBUS, mittimus.

142. Ego tamen horum interpres Tibi ALEXANDER PAPA *ſvaſor non fuerim, ut Achabum imitatus eventum expectes: potiùs cum Rege Ninive mox eo die qvâ ominoſæ voces ad Tuas veniunt aures ſolio ſurgas, humi conſideas, Te cinere conſpergas, cilicium induas, omnibusqve in magna Ninive tua idem mandes: ſi fortè convertatur adhuc, & ignoſcat Deus, ne pereatis* (Jon. 3, 5. &c.) Idqve tanto magis, qvia indictus ruinæ terminus non appropinqvat, ſed præterit! *dies dicti Jonæ* qvadrageſimus, *menſiſqve Kotteri* qvadrageſimus ſecundus, *& numerus Apocalypticus* 666. (cap. 13. 18.) Qvi numerus eſſe qvidem *hominis numerus* dicitur: innuitur tamen ſimul eſſe *temporis numerus*, qvouſqve perſeqvutio adverſus Beſtiæ adorationem denegantes durare debuit, (v. 15. 16, 17.) Jam autem *ſi numerum temporis ſeu annorum reſpicimus, ecce adeſt*, 1666! *Si numerum hominis*, ecce illum ſagaciores in *nomine*, *cognomine*, *agnomineqve* illius qvi hoc ipſo adhuc anno ſede potitur deprehenderunt, FabIVs ChIsIVs ALeXanDer VII. Qvod DC. LX. VI. (666.) facit, ſeptemqve inſuper: qvæ VII, numero repetiti Alexandrini nominis VII, juncta, facere XIV, & *monſtrare caput Apocalypſeos XIV, ubi primùm in Apocalypſi Cecidit cecidit Babylon*, cantari incipit. Nec minus ominoſum eſſe eadem omnia in moderni Chriſtianiſſimi Regis nomine contineri, LVDoVICVS XIV. Ecce, DC. LX. VI. & XIV. Qvæ tametſi alicui leviora videri, & ut Cabaliſtica contemni poſſint, *non ominoſa tamen videri non poſſunt*: & mihi ut tot concurrentia temporum ſigna, divinaſqve commonitiones & comminationes, imò jam ictus & plagas, ne conſtanter aſpernari libeat, rogandi, obteſtandi, ſupplicandiqve anſa datur.

143. Papa

143. Papa Alexander, ab Orbe condito tam clarè non fulsit Verbi Divini lux, neqve tot emicuerunt cœlo & terra prodigia, neqve tot extraordinariæ revelationes & Prophetiæ, neqve tot & tam universales gentium commotiones, easqve conseqvutæ & consecuturæ clades & calamitates: *Væ Tibi si Te duce omnia hæc aspernari pergat Mundus!* Si Majores Tui ad tot clamores piorum & sapientium Regum, Imperatorum, Episcoporum, Theologorum, Prophetarumqve ad se missorum, non evigilarunt, Tu ad præsentes majores evigila! Cur Vos adversus Deum, extensumqve ejus brachium, & paterna monita, sine fine obdurare vultis? *Misereścat Te Alexander Tui! misereścat Cleri Tui! misereścat Populi Christiani, & in illo tot myriadum infantum adhuc in cunis vagientium! misereścat tot Gentium extra Ecclesiæ septa adhuc errantium, nec propter tot objecta teterrimarum in Christianitate confusionum scandala quà ingrediantur reperientium! misereścat Christi Salvatoris, cujus nomen cùm sanctificari deberet toto Orbe, blasphematur toto Orbe; sanguisqve, quo redempti sumus, conculcatur à Christianis & non Christianis.*

144. Tui primùm ut Te misereścat obsecro: *ut primùm Te, dehinc alios, errorum, terrorum, exitiiqve tenebris liberes. Erras enim* (qvàm vere Deus, omnem hominem esse mendacem contestatus, non errat) *dum Te errare non posse adulatoribus Tuis credis*: quod non tam error est, quàm sine fine & modo errandi Labyrinthus inextricabilis. Qvem qvi super primatum tuum fundant, æqvè stultè syllogizant ut aliquis ita colligere volens, *Magnus sum, cadere non possum: Formosus sum, fædari non possum: Vivus sum, mori non possum: Sanus sum, ægrotare non possum: Doctus sum, falli non possum, &c.* Contrarium enim verum est. *Magna in se ruunt, si non validissimè sustentantur. Formosi levissimâ etiam maculâ fædantur: Valde sani facillimè in morbos, valde docti magnos in errores, prolabuntur.* Sanctissimi ergò etiam sanctitatem verè amittere, nisi summâ humilitate cavent, possunt: qvia *frangit Deus omne superbum.* Hinc in Apocalypsi ad firmitudinis jactantiam, *Sedeo regina luctum non videbo*, respondetur, *Ideò unâ die venient plagæ, mors & luctus, quia fortis est Dominus qvi eam judicat.* O ergò Tu mortalis errare tam crassè desiste, credendo *Conclusionem firmam sine præmissis firmis formari*; 2. *Aut turrim altam, aliudve firmum ædificium, super arenas fundari posse.* 3. *Aut structores turris Babel ideò, qvia multi & ingeniosi sunt, & firmum non desistendi propositum habent, dissipari non posse.* 4. *Aut ordinem Dei circa Mosen & Aaron humano arbitriò posse inverti*: ut nempe novo in Test. non Aaron Mosen, sed Moses Aaronem, agnoscat Dominum. 5. *Aut credendo servum esse Dominum, si diutiùs emanente Domino ille dominari, conservosqve subagitare, sciat*: Matth. 24. 45. 6. *Aut Deum si ad tempus tacet, semper taciturum*, Psal. 50. 21. Sed

talia recenſendi ubi eſſet finis? Deſiſto, & Deum ut omnia hæc detegat oro, ne opinione ſui dementati ſemper errent corde. Pſal. 95. 10.

145. *Terrorum tenebras non ſentire illum, qvem erroris obnubilat caligo, nec novum nec mirum eſt*: ſed venit tandem, ut detectus error inſperatum adſerat terrorem. Qvalem Micheas prædixit Sedechiæ, 1 Reg. 22. 25. Jeremias Paſſuro, 20. 4; Omnibuſqve Dei & Eccleſiæ hoſtibus ubiqve Scriptura minatur. Sed remedium hujus mali optimum Salomon oſtendit, *Pavere anteqvam paveas*: h. e. cum perpetuo timore Dei circumſpectare, ne qvid mali aut falſi admittas, ne qvid veri & boni omittas. Hoc enim ſenſu Salomon: *Beatus homo qvi ſemper pavet. Qvi autem mentem obdurat, ruet in malum*, Prov. 28. 14. Eôqve etiam reſpectu Liber hic optimus eſt peſſimo ſeculo noſtro, mala malis nuntians, & pœnarum terroribus à ſceleribus dehortans. Qvare illum Alexander Papa, tanqvam deſperatis rebus divinitùs adhuc ſubmiſſum alexipharmacum, à Te qvoqve ne prohibueris; ſi deſperationem à Te & Tuis prohibere vis.

146. Perpetuis enim Scripturæ teſtimoniis & exemplis conſtat, illos qvi revocantem Deum non audiunt rurſum non audiri, qvando potenter peccatis attracta mala ingruunt, illi verò demum (poſt omne gratiæ tempus amiſſum) clamare inſtituunt: Prov. 1. v. 24. ad finem. Atqve tum qvid ſupereſt, niſi ut peccator qvi longanimitatem Dei ludibrio habuit, juſto Dei judicio rurſum ſe ludibrio haberi, plagamqve ſuam inſanabilem, & ante ſe interitum ſuum, videns, deſperationis abyſſo mergatur? *O terribiles deſperationis tenebras!* à qvibus paveſce & tremiſce Tu, qvi Eccleſiæ Orbiſqve caput Te eſſe credendo, qvicqvid uſqvam totum corpus peccat, plagarumqve Dei torrentem in ſe derivat, Tuum facis: niſi ſubitâ, verâ, ſeveráqve pœnitentiâ, Tuos & Anteceſſorum errores emendando, ultimi furoris Dei procellas prævenis. Recordare obſecro terribilis illius qvorundam è Veſtris dicti, *Nihil pejus cuiqvam hominum optari poſſe quàm ut Papa fiat!* Terribiliori certè loco, atqve mortalium omnium qviſqvam, ſtare Te ſenties, dum extremo die omnium totius Mundi peccatorum à Te, qvi omnium regimen ſuſcepiſſe te credebas, expoſcetur ratio: aut hîc etiam, dum ad eluendum ſcelera Mundi denuntiatarum hoc Libro plagarum torrentes effundere incipiet, ſicut jam incipit, divinæ Iræ furor. *Miſereſcat ergò te Tui, Papa, & ad conſpectum Libri hujus, totqve ingruentium fulminum, cum Saulo clamare incipe, Domine qvid me vis facere?* Act. 9. 6.

147. Qvod ſi corde feceris, reſpondebit certò: nec aliud qvam ibi, *Ingredere, indicabitur Tibi qvid Te oporteat facere.* Nempe hoc ipſo in Libro Tibi dicetur qvod jam ante ore ſuo dixerat Dominus: *Si cognoſceris Veritatem*, VERITAS LIBERABIT VOS. Joh. 8. 12. Similiter enim hîc dicitur,

dicitur, per Kotterum qvidem, *VERITAS lumen est, & Justitiæ lampas in tenebris lucens, educens ex umbra mortis* (Cap. 35. v. 6.) Per Drabicium v. *Ego solus Deus renuntiavi, qvid ab omnibus gentibus, & populis, & statibus, & linguis, reqviram diebus his: ut omnes agnoscant. VERITATEM VICTORIOSAM, qvæ evelli jubet Zizania scandalorum, errorum, superstitionum, mihi & Verbo meo contrariantium, &c.* (Rev. 211. v. 24, 25.) Ecce consilium non hominis fallacis, sed illius qvi est *Via, Veritas, & Vita*, solum unum omnibus salutare: nempe ut *cuiqve libeat in Veritate id ESSE, qvod allubescit DICI.* Ut Tibi Papa, *CAPUT ECCLESIÆ, APOSTOLORUM SUCCESSOREM, CHRISTI VICARIUM.* Esto igitur qvod audis, & salva erunt omnia Tua, qvàm verè vivit Christus, qvi nos per solam victoriosam Veritatem (ab omnibus erroribus terroribus, exitio) liberari posse sanctè pronuntiavit.

148. Alexander Papa, cujus Antecessores à tot seculis bella gessere hucusqve, vincere tamen nescierunt hucusqve, admitte consilium! ut fortiùs bella geras, & felicius vincas. Campanella vester libellum scripsit: *Qvomodo unus possit pugnare cum multis, & vincere?* Ego utilius dabo (ex ore Christi) consilium, *Qvomodo Tu unus pugnare possis cum Omnibus Te oppugnantibus, & Vincere Omnes.* Qvam artem qvia Majores Tui aut ignorarunt, aut adhibere neglexerunt, bella ex bellis nata illis fuerunt semper, qvibus Tu feliciter imponere finem (Tuo & totiùs Mundi bono) poteris, si voles. Æqvè Politicis dico bellis, gestis cum Regibus Terræ, subjugare sese refragantibus: atqve Theologicis, gestis cum dissidentibus in Fide, consensum per omnia negantibus. Nec autem hactenus vel subjugarunt omnes, vel ad silentia & obseqvia redegerunt omnes: contranitentium, & contradicentium, plenus adhuc est Mundus. Tu ergò *ut omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei deprimas, & omnem intellectum captivando in obseqvium Christi redigas, arma militiæ Tuæ non sint amplius carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum* (2 Cor. 10. v. 4, 5.) Hoc est, depone arma Mundi, indue arma ECCLESIÆ, APOSTOLORUM, CHRISTI: tam certò vinces atqve vicerunt illi. Qvæ res qvid poscat, dicendum est explanatiùs: *ut qvid sit esse Caput Ecclesiæ, qvid esse Apostolorum successorem, qvid esse Vicarium Christi, totus Mundus per claram lucem videat*, & se in Christi obseqvia subigi ne ampliùs tergiversetur.

149. *ECCLESIA, propriissimo sensu, est Cætus evocatorum è Mundo, ad serviendum Deo vivo in spiritu & veritate: ejurantiumqve omne consortium cum satana, cum mundo, cum carne propria, illiusqve concupiscentiis:* & per conseqvens *ita ex Deo renascentium, ut ceu nova Dei soboles nihil mortale & caducum,*

cum, omnia divina & cœlestia, optent, anhelent, cogitent, loquantur, agant; externa omnia (opes & inopiam, gloriam & ignominiam, vitam ipsam & mortem) *indiscriminatim habentes, sicut habuit Christus*: cujus spiritum qvisqvis habet, eademqve agit & patitur qvæ egit & passus est Christus, *Christianus* dicitur. Qvalis si Tu Alexander verè, verum Ecclesiæ membrum es in conspectu Dei: talemqve Te pronuntiabit die illo qvo dicet, *Venite benedicti Patris mei, &c. Caput* verò *Ecclesiæ insuper si esse vis verè, necesse est verè id corpori Ecclesiæ præstes, qvod cuivis vivo Corpori Caput suum præstat*: influxu continuo vitam, sensum, motum, ita membris omnibus & singulis infundendo, ut vitâ, sensu, motu, vigore ac robore omnia impleantur, nihil autem toto in corpore marcidum, flaccidum, mortuum, relinqvatur. *Tu ergò si spiritu Christi & vitâ Dei, sensuqve rerum cœlestium, & vigore ad operandum salutem æternam, implere poteris, & studebis, omnia totius Ecclesiæ membra, verum & vivum Ecclesiæ caput eris.* Vide autem annon affectare talia supra humanum sit.

150. *Facilius erit* ***APOSTOLORUM SUCCESSOREM*** *dici, illorumqve Cathedrâ gloriari, si Apostolorum Fidem, Vitam, Mores, verè imitari verum & serium non defuerit studium.* Delibemus horum aliqvid: vel principum Apostolorum, Petri & Pauli (qvorum sedem apud Vos esse vultis) exemplô. Sed observatô, *ut imitatio sit non tironum in Apostolatu, sed perfectorum, qvales post acceptum Spiritum S. & in plena Legationis suæ ad gentes administratione fuerunt*: qvia Ecclesiam nunc non esse tironem (aut ut Paulus loqvitur parvulam, fluctuantem omni vento) sed adultam convenit, Ephes. 4. 13, &c. Petri ergò Successor facinorum Petri imitator erit, non in crucis declinatione, primatûs affectatione, aliorum à Christo prædicando prohibitione, materialis gladii pro defendendo Christo usurpatione, & similibus. Nec Pauli in Zelo pro Traditionibus paternis, & contradissidentes minis ac cædibus, &c. *Sed alia sunt longè sublimiora & diviniora Apostolorum gestæ observanda, qvibus illi Mundum vicerunt, & ne inferorum portæ prævalere possent obtinuerunt.* Attingamus quædam.

151. *Petrus à Domino vocatus reliqvit ditissimam piscium capturam, retia, navem, omnia.* Faciat Petri Successor idem, dimittat capturam Regnorum, coronarum, opum, honorum: uni animarum piscationi posthac vacaturus. 2. *Petrus super alios Apostolos jam laudatus & honoratus, jam increpatus & satan appellatus* (Matth. 16. v. 18. & 23.) *nec se ob illud extulit, nec ob hoc desperavit.* Fac idem, nec aliqvid supra hominem spera & aude, nec si Te humilient animum desponde. 3. *Petrus gladio materiali pugnare temere præsumens, & à Domino monitus, mox gladium in vaginam recondidit.* Fac Tu idem,

idem, gladiumqve non Apostolis sed Regibus & seculari Potestati traditum, manu dimitte. Præsertim cùm ille pro Christo contra ejus hostes pugnando, prohiberetur tamen: Tu v. & Majores Tui *contra qvem tot seculis bella gessistis?* Contra Reges Christianos, Christo reverentiam & subjectionem exhibentes. *Pro qvo?* Pro vobis, prærogativisque vestris. Ergò multo magis Tu jam Tibi audi: *Abde gladium! aut peribis.* 4. *Petrus aurem Malcho ablatam restitui non prohibebat.* Neqve Tu piis Regibus restituere prohibe illos, qvos Tu nimis calido Zelo Tuo, vel paternis sedibus exturbasti, vel auribus mutilasti (audiendi Verbi Dei occasionibus privasti) vel alias clades intulisti. Qvibus colla insuper amputabas, aut qvos exurebas igni, illis Deus vitam qvoqve restituere potens erit.) 5. *Petrus tametsi Dominum abnegasset, respectabat tamen: rursumqve à Domino respectatus, agnovit se, & mox occasiones ulteriùs peccandi deseruit, &c.* Imitare, pauperisqve illius, & Mundo ignoti ac despecti Christi, pridem factus desertor, redi ad Te, desere Mundi palatia, desle tantam illam crucifixi Salvatoris desertionem. 6. *Ille à Domino* (post resurrectionem) *in gratiam receptus, amoremqve super cæteros professus, non tantùm Ovium & agnorum pastionem fidelem, sed & martyrii obseqvia, promisit.* Fac Tu idem, non Te ipsum pascere propone, sed gregem Dei, ad mortem usqve. 7. *Petrus Cornelium ad pedes sibi procidentem, & adorantem, elevavit dicens: Surge, & ego homo sum.* Imitator eris, si consvetam illam ad oscula pedum procidentiam, tanqvam ceremoniam satanæ fastu & astu introductam, prorsus amoveas: in humilitatis Apostolicæ viam ex animo regressus. 8. *Petrus Jacobum suffragium suum in Concilio emendantem, moderatè tulit.* Fac Tu idem, fastuosumqve illud Tuum *αὐτὸς ἔφα*, in conspectu Dei & hominum abole: ut Consilia pro bono publico libera sint, nec ab auditione qvisqvam, cui Deus utile aliqvid suggerit, excludatur. 9. *Petro cum in faciem restitisset Paulus* (qvia reprehensibilis erat Gal. 2.11.) *admisit ille, & emendavit.* An idem fecerunt Antecessores Tui, millies à Confratribus Episcopis, piisqve Regibus, & aliis sanctis, reprehensibilitatis admoniti? Si non illi, Tu incipe, & in Apostolici candoris vestigia redi. 10. Demum, *Petrus fidem suam Christo & Ecclesiæ martyrio obsignavit:* an & Tu paratus?

152. *Si & alterius Apostoli, gentium, Successor audire vis, Alexander, ad ipsius exemplar Te compone totum, ut VERITAS sit, non FUCUS.* Qvibus autem ille factis Apostolatûs sui veritatem demonstravit? Primùm qvod *percepto cœlesti fulgore, & voce, non fuit incredulus cœlesti visioni* (Act. 26.19.) Fac Tu idem, ad fulgorem & voces cœlestium Visionum (hoc in Libro) ne Te obdura. 2. *Ille Damascum ingredi jussus, in vicum qvi vocabatur Rectus* (Act. 19.11.) *obseqvutus, jejunio & precibus triduo toto, qvid sibi faciendum*

 injun-

injungeretur, expectabat. Fac idem: Liber hic (post scripturas) Damascus Tibi sit, & Vicus rectus, huc intentione rectâ ingredere, hic orationi cum jejunio vaca. 3. *Paulus Ananiam Discipulum ad se missum excepit gratè, nihil offensus qvod non Apostolorum vel Angelorum aliqvis ad se mitteretur.* Imitare, paratus veritatem à qvocunqve (minimo etiam) auditam excipere grate; revera sic ad mentem Magistri maximi conversus, & tanqvam parvulus factus. (Matt. 18. 2.) Id qvod demum magnitudinis Tuæ in Regno cœlorum initium erit verum (Matth. 5. 19.) 4. *Paulo tametsi gloriosum Pharisaismum, & consvetum pro paternis Traditionibus Zelum, derelinqvere durum fuit, non contulit tamen cum carne & sangvine* (Gal. 1. 16.) Fac idem, sepone carnales respectus omnes, & senties viri centis Veritatis vim. 5. *Qvinimò. Ille cæci sui Zeli desertionem in gloriandi materiam vertens, blasphemumqve se fuisse, & perseqvutorem, pleno ore confitens, misericordiam deprædicabat Dei, eò qvod id fecisset ignorans, in incredulitate.* (1 Tim. 1. 13.) Concipe similem ardorem erga miserantem peccatores Deum, & fateri pristinos errores suos & Majorum, non erit pudor, sed gloria. 6. *Paulus gloriationem ex Lege* (cujus observationis respectu inculpatæ vitæ fuit) *penitus deserens, omnia sua lucra arbitratus est detrimenta, & propria merita ut stercora: tantummodò ut inveniretur in Christo, non habens justitiam suam qvæ ex Lege est, sed illam qvæ ex fide Christi est* (Phil. 3. 6. 10.) Imitare conversi Apostoli zelum, solumqve Christum glorificando propria merita, & supererogationis opera, & ad inventiones majorum (*Missas, Indulgentias, cum omni reliqvo superstitionum apparatu*) pro stercoribus reputa, & publicè declara. Hoc erit Apostolici veri zeli trophæum erigere verum. 7. *Paulus muniis Apostolatus sui tantâ lubentiâ vacabat, ut omnes homines docendo, ad exhibendum omnem hominem perfectum in Christo Jesu* (Col. 1. 28.) nocte & die non cessaret, cum lacrymis monens unumqvenqve: aurum, argentum, vestem, nullius hominis concupiscendô, sed qvibus opus habebat, pro se & suis, proprio manuum labore acqvirendo (Act. 20. 31, 33, 34.) Idqve ideò, qvia sic laborando parcere oportet infirmis, & qvia Christus dixisset, *Beatius est dare qvam accipere.* (v. 35.) *Et ne cuiqvam esset gravis* (2 Cor. 12. 13.) *Evangeliumqve suum* (& sic ipsa Christiana fides) *ut ne videretur sumptuosum.* (1 Cor. 9. 18.) Imitare Apostolorum Successor! habes ubi Virtutem & potestatem Apostolicam exerceas. 8. *Paulus Christianis rerum terrenarum curâ, judiciisqve super eas ligitiosis adeò interdicebat, ut injuriam potiùs accipere qvàm ligitare svaderet.* (1 Cor. 6.) Cur ergò Apostolorum Successor tantas inter Christianos de Meo & Tuo jurgia, contentiones, bella, tolerat? imò ipse se intermiscens, de rebus transitoriis tantas lites & bella perpetuò aut movet aut fovet? Videt Mundus & gemit, reformationeqve Apo-

stolicâ

ſtolicâ eſſe opus Cœlum & Terra clamant. 9. *Paulus in diſtribuendis officiis & beneficiis, neminem ſe noviſſe dicebat ſecundum carnem*, 2 Cor. 5. 16. Etiamne Pauli Succeſſor? 10. *Paulus Romanæ Eccleſiæ leges præſcribens, prohibuit alienum ſervum judicari à qvoqvam: qvia Domino ſuo qviſqve ſtat aut cadit.* (c. 14. 4.) Qvid putas dixiſſet, ſi qvis in eum carcere, flagris, gladio, vivi comburio, ſævire voluiſſet? Ah ad Apoſtolicum ſpiritum regreſſu opus eſt. 11. *Paulus adhuc exiſtens Phariſæus, neminem in rebus fidei à ſe diſſentientem tolerare volebat, inſaniens in eos, & perſeqvens uſqve in exteras Civitates* (Act. 26. 11.) *Apoſtolus verò factus, à qvocunqve, qvomodocunqve* (etiam peſſimâ qvorundam intentione, ut Apoſtolo ægrè fieret) *Chriſtum prædicari gaudebat*, modò ut prædicaretur, Phil. 1. 14, &c. Imitaris ne Pauli Succeſſor? 12. *Paulus tali ſuo proceſſu Orbem Evangelio implevit*, Rom. 15. 19, 20. Imple & Tu, ut qvicqvid gentium reſtat ad Evangelium Chriſti convertatur. Qvod ut fiat, opus erit verborum Chriſti meminiſſe ad Petrum: *Tu aliqvando converſus confirma fratres Tuos.* (Luc. 22. 32.) Convertere igitur Petri Succeſſor, ut convertas. Memento qvàm toto in Orbe nemo ſit, cui ad promovendum vel impediendum rem Chriſtianam plus mediorum ſuppetat, poſtqvam Tibi tantum nomen, tantam authoritatem, tantoſqve Sacerdotum, Epiſcoporum, Academiarum, Populorum, Regumqve ipſorum, greges comparaſti: qvi omnes ad nutum Tuum eunt qvô jubes, & faciunt qvod mandas. Væ, væ, væ, ſi hæc omnia ſine veritate, perqve fucum, fiunt! Tametſi totus Mundus *Eccleſia, Eccleſia, Eccleſia*, clamet, Deus tamen id nihil niſi *verba mendacii, & opus ſeductionis, & foveam in qvam cæci cum cæcis ruunt*, appellat (Jer. 7. 4, &c.) Væ Tibi, & iterum, centieſqve & millies; Væ, ſi non apparentiam in rem, umbram in corpus, fucum in VERITATEM (ſolam Victorioſam, Deo teſte) convertis.

153. Nec aliæ Tibi cogitationes, ſi Chriſtum reſpicis, obvenire debent, ac poſſunt. Qvia enim Te illius cum *poteſtate Legatum*, ſeu ut loqvuntur *VICARIUM*, profiteris, annon reqviſiturum credis qvâ fide rem egeris? Illi ne, an ſub ejus nomine Tibi ipſi, populorum obſeqvia, Regnorumqve honores, opes, theſauros, voluptates, collegeris? Inſpice qvæſo Hildegardim, qvid Libro III. Viſione X. numero 18. dicat: *Plenitudo virtutum in abjectione ſecularium per Filium Dei apertiſſimè declarata eſt, qvi inter homines converſatus, terrenis non inhians, imitatores ſuos fortiter ad cœleſtia toto ardore anhelare docuit. Vos amici mei eſtis, ſi facitis qvod Vobis præcipio*, dixit ad Vicarios ſuos, Apoſtolos, Chriſtus, Joh. 15. 14. Et antea: *Exemplum dedi Vobis, ut qvemadmodum ego feci faciatis*, Joh. 13. 15. Qvid autem ille fecit, ut Vicarii ſui faciant idem? *Chriſtus venit Evangelizatum gentibus pacem*, Zach. 9. 10. Eph. 2. 17.

Ergò Vicarius Christi pace impleat Orbem, non bellis. *Christus legatos suos prohibuit possidere aurum & argentum, curamqve rerum externarum.* Matth. 10. 9, 10. Prohibeat & Vicarius Christi suos omnes avaritiâ, & opum Mundi curâ. *Christus ad illam suam legationem elegit viros simplices, probos, conjugatos, ut nihil ulla parte suspectum esset.* Faciat idem Vicarius, jubeat suis etiam honorabile esse connubium (Hebr. 13. 4.) ut libidinibus vagis, & venientibus inde scandalis, aut suspicionibus, nullus relinqvatur locus. *Christus sacrilegia non tulit, vendentes & ementes Templo ejecit,* (Matth. 21. Joh. 2.) Ejiciat Vicarius qvoqve Simoniam, & Simoniacos, ut confusio & maledictio auferatur ab Ecclesia. *Christus omnes in se credentes jussit esse filios Dei, & populum liberum* (Joh. 1. 12. & 8. 31, 32, 36.) Jubeat & Vicarius omnes Ecclesiæ cives, tanqvam cœli cives, esse liberos, serviliter non tractari. Atqve si Romanum Imperium factum est Imperium Christi (eô autem *sacri R. Imperii* titulus tendit) committi non debet, ut sub imperio divino deterioris sit conditionis, qvàm sub humano fuit. Fuit autem ibi (cum Imperium in flore fuit) ut omnia decreta à S. P. Q. R. vim acciperent. Cur igitur nunc Populus à Comitiis & suffragiis excluditur? Cur Senatus solus jam (pauci qvidam) omnia administrant? Imò tandem Consules soli: nec illi ut ab antiqvo bini, sed unus qvispiam solus, non Consul, sed Dictator perpetuus? Constabat ne sibi tum libertas, cùm aliqvid *Julio & Cæsare Consulibus* gestum scribebatur? Annon verè dici potest, *sicut Res Romana sub Reip. forma crevit, sub Monarchale regimen redacta concidit, ita & Res Christiana? O Domus antiqva, qvam dispari Domino dominaris!* Christus Rex gloriæ gloriosum illud suum CONSUMMATUM EST, in cruce demum & morte cantavit: cur igitur Vicarius ejus gloriam suam hîc fastigare vult? Moriendum Tibi qvoqve prius est, qvàm regnes, Vicarie. Moriendum dico Carni, Mundo, Babylonicis vanitatibus, ut vivas Christo, & regnes cum Christo. Hoc si agis, rem gloriosam agis, Tuo & Ecclesiæ bono: si mundana pergis agere, mundo pereunte peribis. Sed recollige Te adhuc, & ad Christi formam Te cum Ecclesia (vel jam tandem) reforma: ut ne frustra semper Deus & homines clament, aut suspirent.

154. Oculatus jam est Mundus, aciem sibi diutiùs præstringi non patietur. Deponenda est persona, resumendus vultus. Redire enim parat Christus, Regnum suum ipse per se administraturus. Et qvid tum dicturi Vinitores mali? an iterum, *Ecce hæres! Venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus?* (Matth. 21. 38.) Frustra: *Christus resurgens ex mortuis non ampliùs moritur.* (Rom. 6. 9.) Jube Tibi dari, Alexander Papa septime, S. Hildegardis Visiones: qvære Libro III. Visionem XI. videbisqve qvod illa vidit, *Mulierem monstruoso capite, cerebri loco fæcis massam habens: qvod, cùm se elevaret altitudinem*

cœlorum

cælorum aſcendere tentans, ictus Tonitrui repente veniens Caput illud tantâ fortitudine repercuſſit, ut & de monte caderet, & ſpiritum in mortem remitteret. Unde ſubitò fætens nebula montem ipſum totum comprehendit, in qva (nebula) *Caput illud tantâ ſorde involutum fuit, ut aſtantes Populi in maximum terrorem converterentur, multo timore ad invicem dicentes: Heu, heu, qvid eſt hoc? Qvid videtur nobis hoc eſſe? Ah nos miſeros, qvis nos adjuvabit? Aut qvis nos liberabit? Neſcimus enim qvomodo decepti ſumus. Omnipotens Deus miſerere nobis. Revertamur, Revertamur ergò: properemus teſtamentum Evangelii Chriſti, qvoniam ah! ah! ah! amarè decepti ſumus. Et ecce pedes prædictæ muliebris Imaginis candidi apparuerunt, ſplendorem ſuper ſplendorem ſolis reddentes. Audiviqve vocem de cælo mihi dicentem: Qvamvis omnia qvæ in terra ſunt ad finem ſuum tendant, tamen Sponſa Filii mei (tam à prænuntiis Filii perditionis, qvàm ab ipſo perditore, in filiis ſuis multum fatigata) neqvaqvam conteretur, qvamvis ab eis multum impugnetur: cùm ipſa in fine ſæculorum robuſtior & validior exurgens pulchrior & clarior reddetur, qvatenus hoc modo ad amplexus dilecti ſui ſvavius & dulcius procedat.* Hucuſqve Hildegardis.

155. Qvæ commemoratio eô tendit, ut præſentibus Libris (*Kotteri, Ponatoviæ, Drabicii*) nihil in Vos dici qvod non dictum ſit priùs, tametſi involutiùs, intelligas: eôqve erga tantas Dei obteſtationes, antiqvas & novas, obſtinare Te animum ne inducas. Qvo enim id uſu? Etiamſi hos Libros exuri facias, Judicium tamen Dei exuri non poteſt, ut expertus Joacim, Jer. 36. Si inter Libros prohibitos rejicies: legent tamen hæc ſi non Tui, at Mundus, inter judia Dei ſpectandum. Si contemnes, vidiſſe diſſimulans, cumqve aliis tot divinis & humanis conteſtationibus ſilentio tranſmittere volens: at judiciorum Dei torrens Te dormire non ſinet, ſicut ingruens in Terram Gladius eos, qvi ſe Tubæ clangoribus præmoneri noluerunt, Ezech. 33.

156. Alexander Papa ſapiens, ſi Anteceſſores Tui clangoribus & clamoribus priorum ſeculorum excitari ſe non ſunt paſſi, Tu ſapientiùs rem age, & præſentibus hiſce, fortaſſis ultimis, excitari Te patere. Neqve Te à qvoqvam eò patiaris abduci, ut ad hæc ſalutaria monita dicas qvod Amaſias Rex ad Prophetam, *An Conſiliarum Regis conſtituerunt Te?* Ut ne cum gemitu dici opus ſit, qvod ibi: *Jam agnoſco cogitare Deum perdere Te, qvi cùm facias talia non tamen auſcultas conſilio.* (2 Chron. 25. 16.)

157. Enimverò ſi convertere Te cogitas, ſeriò cogitandum erit, qvia Deus externâ ſpecie non decipitur, cor reqvirit (Drab. 261. 38.) Si autem de Te dictum eſt, qvod apud Kotterum (XVI. 27.) legitur: *Velles Tu qvidem converti, ſed vaſtitas molis Tuæ retrabit Te:* lege qvæſo ibi ſeqventia. *Et tum ô ſi audias Chriſti conſilium, ut converſus fias veluti parvulus!* Matth. 18. 3. *O ſi incipias*

Christi esse discipulus, ut renunties omnibus quæ possides! (Luc. 14. 33.) Reddendo scilicet suum cuiqve; *Deo Mundum, Christo Ecclesiam, Spiritui S. cordium regimen, Regibus immediata sub Deo majestatis jura, Imperatori Romano Romam, Fratribus Episcopis æqvalitatem, Conscientiis libertatem, Populis pacem, &c.* Ecqvando id videre dabitur, ut perfectâ Ecclesiæ Reformatione *excoctæ sint ad purum scoriæ tuæ* (ô Jerusalem) *& ablatum omne stannum tuum! Ut restituantur Judices tui ut fuerunt priùs, & Consiliarii tui sicut antiqvitùs, vocerisqve Civitas justi, Urbs fidelis!* (Jes. 1. 25, 26.) Tunc *erubesceret Luna, & confunderetur Sol, cùm regnabit Dominus exercituum, in conspectu Seniorum suorum glorificatus.* (Jes. 24. 23.)

158. Cuicui proinde vestrûm, ô *Cardinales, Episcopi, Prælati, Patres Societatis*, ad Papam accessus patet, svadete ut Librum hunc, talia svadentem, ne condemnare (tanqvam hæreticum aut fanaticum) præfestinet: legat potiùs ut intelligat; aut legendum det è medio Vestri illis, *qvibus est cor simplex, & apud qvos est fax Lege Dei & Prophetis accensa, ardens Veritate* (Drab. 259. 7, 8.) Qvod si Vobis injungetur, cur id fastidiatis? Legimus nos Vestros omnis generis Libros, etiam qvibus revelata Vobis à Deo (per *Hildegardim* & alios) descripta exstant: qvid nî & Vos ea, qvæ idem Deus noster nobis (nec enim alium habemus) revelare dignatus est? Ut omne bonum à Patre luminum descendens commune sit? Et svadete, ut sibi & Vobis dicat: *Scrutemur vias nostras, & qværamus, & revertamur ad Dominum.* (Thren. 3. 40.) Non ignoramus nos qvid in propositis Vestris sit, *Totum reducere Mundum sub regimen Christi, & Vicarii ejus:* neqve clam nobis est qvibus viis eò venire confidatis, & annitamini. Expendite igitur etiam, *qvomodo super eadem re suas intentiones hîc detegat, non Vicarius Christi, sed Christus ipse.* Nempe qvod eos, qvos familiæ suæ præfecit, non ad præscriptum suum res administrare videns, ipse jam sceptra capessere cogitat, omniaqve constituere nova. Qvæ cum Vobis prorsus non ignoranda sint, contineanturqve hoc etiam Libro: Vobis ille prorsus cognoscendus est. Verum qvia non humano ingenio scriptus (qvoad substantiam Textus) sed omnia ejus ab altiore dictamine veniunt, non ita legendus erit qvomodo alios soletis Libros: cum proposito qvicqvid vobis non servit rejiciendi, aut refellendi, seu verè seu apparenter, modo ut Vos non esse convictos apparere possit. Methodo illi hîc non erit locus, qvia cum illo negotium est *de cujus ore gladius anceps procedit, & in manu ejus virga ferrea* (Apoc. 19. 15:) *qvi si destruxerit, nemo est qvi ædificet; si occluserit, nemo est qvi aperiat.* (Job 12. 14.) Ad qvem pro ultima determinatione, *sit ne hoc illius an alienum opus*, necessariò provocabimus utrinqve: sicut Elias & Micheas provocarunt, Achab verò cum populo acqvieverunt.

159. Vos

159. Vos interim Jonæ, qvi Romanæ Ninivæ à multis diebus interitum jussu Dei prænuntiastis, qvid acturi estis? Conscendetisne jam montes aliqvos, ad Urbis exitio devotæ subversionem spectandum? Videte ne res aliter atqve cogitatis cadat: Nempe si illi pœnitentiam egerint, non Vos, ne Vos in illorum locum substituamini. Deus enim Judex omnium est, & personarum acceptatio non est apud illum. Vobis ergò etiam, qvi adversus præteritas confusiones & injurias protestando, *Protestantes* Vos appellastis, & *Christiani Reformati*, & *Evangelici* nominari vultis, de materia præsenti aliqvid dici res flagitat: ut ne foris lynces, domi talpæ videamur.

160. Primùm autem, qvia pleriqve (si non omnes) extra ordinariorum Dei operum, Visionum & Revelationum, contemptores estis, *monere Vos charitas cogit, ut ne pertinaci præjudicio in Deum & animas Vestras peccare pergatis: condemnando ea qvæ nec intelligitis, nec ut intelligeretis, unqvam operam posuistis, aut ad eam rem Vobis otium sumsistis.* Pulchrumne est, qvi alios operum Dei reverentiam docere debent, docere contemptum? qvorsum hæc evadent? Percurrite universa Biblia, non reperietis Deum unqvam de nimia credulitate hominum (erga se & verba sua, aliaqve iræ vel gratiæ signa) fuisse qvestum: sed contra: An ergò nos nunc inter tot Cœli & Terræ prodigia, Deiqve, Angelorum, hominum, ipsorumqve propemodum lapidum, clamores, & dum se undiqve promicantia iræ Dei signa omnibus sensibus ingerunt, ne nimiâ credulitate peccemus, timebimus? Præsertim *cùm novis Revelationibus nihil novorum dogmatum nobis oggeritur: novi tantum ad antiqva Dei verba & opera expendendum, & in antiqvas fidei & obedientiæ vias redeundum, stimuli, cum perpetuâ negligentiæ nostræ in scripturas revocatione.* Et adhuc nos ista satanæ potius adscribere, qvam gloriam Deo dare, pergemus?

161. Et qvia turpe est Theologis (qvorum Judicium non nisi gravissimum esse debet) ulla in re judicium præcipitare, justum erit postulatum, *ut judicetis priùs qvam pronuntietis.* Utqve judicium sit legitimum, causam priùs, & qvicqvid ad eam spectat, cognoscatis exactè: temporis huc & diligentiæ, attentionisqve, qvantum opus impendendo. Neqve qvisqvam *Non vacare sibi,* dicat: Vacare enim debet illi, qvi non labore manuum vitæ sustentationem qværit, sed ab Ecclesia ideò sustentatur, ut iis qvæ ex usu Ecclesiæ sunt vacet. Nempe non ordinariè agendis tantùm, sed & extraordinariè incidentibus qvalia sint cognoscendis, ad Ecclesiam de illis informandum. *Qvæ res non dormitationem sed vigilantiam, non supinitatem sed attentionem, non propriam præsumptam interpretationem, sed accuratam cum Scripturis divinis collationem, & fervidam Spiritus S. invocationem, reqvirit.* Atqve tum implebitur ut Pater cœlestis Spiritum suum det petentibus eum, pulsantibusqve aperiat, & lucem qværentibus lucem offerat.

162. *Tum*

162. *Tum verò si qvis hîc digitum Dei, & os Dei, agnosces, ne pudeat testimonii Dei: fac videre alios qvod vides ipse, sive hominibus ea re placiturus sive secus.* Testimonium Veritati dare (ore, calamo, sangvine etiam, si res reqvirat & jubeat Deus) semper & ubiqve tenemur, ut Prophetæ, Apostoli, Martyres, Christus ipse (Joh. 18. 17.) exemplo præiverunt. Cave igitur qvisqvis es, ad lapidandum testes Dei consentias, ut ne inveniaris ipso Balaam deterior, qvi tametsi ad maledicendum Israëli magnificâ opum & honorum promissione invitaretur. (Num.24.11.) *Maledicere tamen cui non maledicit DEUS, & detestari qvem non detestatur Deus, noluit.* (Cap. 23. 8.) Et ne iram in Te provoces Dei, ut multi apud nos: in qvas ergò foveas incidere vidisti alios (si rerum istarum historiam legisti) cave ne incidas ipse.

163. *Dehinc opus erit legi hæc attentè, non tanqvam res alios tantum spectantes, sed & Te ac Tuos, si Tibi qvoqve ac Tuis aliqvem inde fructum nasci voles:* qvia Deus ut omnium Deus est, ita omnibus loqvitur qvæ loqvitur, ut qvantum qvisqve potest sibi capiat. Id si qvis non attendit, *miscebit ei Dominus* (æqvè in novis atqve antiqvis Visionibus) *spiritum soporis, claudetqve oculos ejus (etiamsi ipse Propheta, vel Sacerdotum Princeps sit) ut illi Visio omnis sit tanqvam verba Libri signati, &c.* (Jes. 29. 10, 11.) Cavendus ergò hic etiam Pharisaismus, ut ne alienis in oculis festucas videndo, proprio in oculo non videamus trabem. Qvod si cavebimus, certum est Libri hujus lectione nos in cognitionem nostræ qvoqve *Babylonis*, nostri *Antichristi*, nostriqve *Pseudochristianismi*, deduci posse: modo ne pudeat Deo justitiam, nobisqve ipsis (ita deprehensis) confusionem tribuere.

164. *Babylonem verò Evangelicis impingere?* Utinam illa sic perierit, ut nusqvam sit! Qvod nos qvidem putamus, & nos ex Antichristiana Babylone exiisse gloriamur. Sed an egressi verè? an extra portas progressi longè? annon plerasqve confusiones retinuimus? aut in alias commutavimus? Res ipsa loqvitur. *Nam sumusne jam rursum facti populus unus, labii unius? estne nobis jam cor unum & anima una?* (Act. 4. 32.) *Imò sumusne ipsi jam unum corpus & unus spiritus? Aut saltem estne omnibus nobis unus Dominus, una Fides, unum Baptisma? Facimusne omnes Veritatem in charitate? Sub capite uno Christo Corpus unum, compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis?* (Ephes. 4. 4, 5, 15.) Eheu, eheu, eheu! Qvot capita (ad minimum certè qvot factiones) tot sensus: qvisqve suam sibi Turrim, qvâ gloriæ cœlum conscendat, ædificat: nec desistere vult à cogitationibus suis, donec eas opere compleat, (Gen. 11. 6.) Hinc Deus ad nos qvoqve denuò confundendum descendit; miscens nobis lingvam, ut nos mutuò non intelligamus; & mentes, ut nec intelligere (qvicqvid conamur) qveamus. Tum verò num apud nos libera omnia? (liber-

(libertate dico Christi, & Evangelii.) Nullus ne jam nobis *Nimrod*, dominii super alios venator? Eheu!

165. *Antichristum verò qværere inter Evangelicos* (qvi propter libertatem in Christo Papale jugum excusserunt, 1 Cor. 7. 23. Gal. 2. 4.) *annon contumelia est*, dicet qvis? R. Qvid Antichristus sit, nomine & re, dictum est supra §. 108, &c. qvæ illius descriptio applicata titulis & actionibus multorum è nobis, non deesse nobis qvoqve Antichristos (non minutulos tantùm, sed & grandiusculos) ostendet. Nempe qvi se in Templo Dei ut deastri gerunt, se & decreta ac edicta sua adorari volentes, absolutaqve dominia affectantes: si negentur, Cœlum terræ miscere parati. Ut non minus verè qvàm lepidè sapiens qvidam & illustris Princeps, *Nobis non deesse Papas, sed Romam*, diceret. Hoc ne est Antichristo valedixisse? spiritum Christi à se abegisse? Spiritum dico mansvetudinis, modestiæ, humilitatis, amoris fraterni, & qvi se omnibus faciens omnia, non æmuletur, non infletur, non perperam agat, non sit ambitiosus, non qværat qvæ sua sunt, non irritetur, &c. Eheu, eheu! *Antichristi spiritus non deseruit nos per omnia, sed se dispersit in plura; qvot Academias, Doctores, Magistros, Supeattendentes, Pastores, tot Papas habemus. Et qvod pejus, dissolutis Disciplinæ vinculis è plebe qvisqve sibi ipsi Papa dictator esse vult, sui arbitrii, supra communia jura & concilia, actionum suarum rationes reddere nemini obligatus.* Fluctuat eheu navis nostra, clavo amisso! *Vivimus ut qvando in Israële nullus fuit Rex, qvisqve faciens qvod sibi rectum videbatur.* Ut nisi seculare brachium licentiam compesceret, grex essemus non ovium, sed ursorum, tigridum, luporum, viperarum, &c. qvalis Christi grex non est, Jes. 11.

166. Unde *Pseudochristianismum inter nos regnare ille solus nescit, qvi qvid Christus sit, & qvàm hæc nostra talis vita à Christo dissonet, nescit.* Legat qvis Evangelia omnia (præsertim Matth. Cap. v. vi. vii.) & ad illa tanqvam ad Lydium lapidem plerorumqve Evangelicorum vitam exigat, necessariò erit dicendum: *Aut Evangelium illud non est Evangelium, aut nos non sumus Evangelici.* At dantur *Evangelici Reformati*, dices. Utinam dentur, non secundum *dici* sed secundum *esse*. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in Virtute* (1 Cor. 4. 20.) Utinam de Pastorum plerisqve Veritas usurpare non cogat illud Christi *Dicunt, & non faciunt!* Dicunt se Ministros Evangelii: sed factis ostendunt se ministros esse ventris sui, & marsupii sui. Nam *Apostolorum Evangelium ut esset ἀδάπανον* (1 Cor. 9. 18. h. e. sine sumptu, gratuitum:). illi dabant operam. Nunc vix facile reperias qvi se S. Theologiæ studio alio fine, qvàm studio Medicinæ, Juris, Mercaturæ, &c. tradat: nempe *ut artem habeat rem faciendi.* Aut qvi animarum potius qvàm nummorum, honorum,

commoditatum, lucra qværat. Et de qvo non possit, aut necesse sit dici, qvod de Israëliticis Sacerdotibus Deus: *Qvis è vobis est, qvi claudat ostium, vel incendat altare meum, gratuitò?* Mal. 1. 10.

167. *Jam si ipsam Evangelicæ doctrinæ substantiam respicimus, insigne qviddam est qvod eam Babylonicæ confusionis, & pseudo-Christianismi, suspectam reddit.* Non suâ qvidem culpâ (Evangelium qvippe virtus Dei est, in salutem omni credenti, Rom. 1. 16.) sed inscitiâ qvorundam qvi Evangelii doctrinam non totam tradunt, sed mutilatam, & inversam: *Fidem* tantùm docendo, & *ex Fide Justificationem*, non etiam *Pœnitentiam & regenerationem*, sive *Sanctificationem.* Cùm tamen Christus & Apostoli utrumqve docerent; & qvidem pœnitentiam præmittendo. Ita enim Christus: *Resipiscite, & credite Evangelio!* Marc. 1. 15. Et, *Nisi qvis renatus fuerit, non potest videre regnum Dei,* Joh. 3. 3. *Cum feceritis omnia qvæ præcepta sunt Vobis dicite, Servi sumus inutiles,* Luc. 17. 10. (hoc est, post plenum pietatis studium demum, imperfectionis Vobis conscii, in gratiæ sinum vos conjicite, & per fidem misericordiam sperate.) Hinc & Legatos ad Gentes dimittens dixit, *Docete eos SERVARE omnia qvæ mandavi Vobis,* (Matth. 28. 20.) Nec aliter Apostoli, qvàm *in Christo nihil valere nisi novam creaturam,* Gal. 6. 15, &c. At præposteri Evangelii doctores nihil nisi *CREDERE*, hoc est, *Fidem operum cassam,* docent. Non qvidem ita illi loqvuntur, populus tamen ita intelligit, ut etiam profanissima in vita fidem in Christum jactando, saluti suæ optimè prospectum putent. Repertiqve sunt pseudo-Evangelii doctores, qvi qvæstionem *An bona opera ad salutem necessaria sint*, moverunt: & repertæ Academiæ, qvæ negativam defendere ausæ sunt: reperti insuper profanissimi Sophistæ, qvi apertam Verbo Dei (Hebr. 12. 14.) antithesin, *Bona Opera noxia sunt ad salutem* (nempe ob metum Pharisaicæ sui fiduciæ) tueri non erubuerunt. Hem abominationes pudendas! *Et connivere ad ista debet Deus? Non fulminibus suis nostram etiam Babylonem, nostrumqve Antichristianismum, & Pseudochristianismum, disjiciet penitus?*

168. SUrgite Reges Christiani, desperatis undiqve rebus succurrite! nihil usqvam suo loco est, omnia ubiqve prolapsa. *Vobis autem data est à Domino potestas & Virtus ab Altissimo, ut ministri sitis Regni illius.* Vos Justitiæ in Terra Præsides summos summus Cæli præses constituit suo loco: qvomodo ille Mundum majorem in ordine continet (inferiora per superiora) ita Res humanas debito in statu continere, aut extra se prolapsas restituere, vestrum est. Si officium negligitis, à vobis requiretur ratio: si ne moniti qvidem toties, Væ denuntiatum pridem Vestris imminent cervicibus! Qvarum

rum denuntiationum plena sunt Oracula Dei, antiqva & nova: etiam his in libris. Qvi si propter novitatem levipenduntur, audite Angelica per *Abbatissam Schonaugiensem Elisabeth* (ante 500. annos prolata, & à Romana Ecclesia pro verè divinis agnita, & canonizata) verba: *Vobis dico Regibus Terræ, qvi erigimini in excelsum, Audite vocem increpationis meæ, disceptabo Vobiscum in auribus populi mei. An nescitis qvòd mea sunt universa Regna Mundi, & omnis potestas eorum? & qvia potestatem habeo dandi ea cui voluero, & iterum qvâ hora voluero tollendi ea? Nescitis qvod ad imperium oris mei subsistunt cuncti viventes? & qvia potens est sermo meus dividere spiritum vestrum & carnem, in ictu oculi? Qvare igitur non soliciti estis ministrare mihi in gradu sublimitatis vestræ? Redite ad cor vestrum, & videte qvid fecerim Vobis, & qvid reddideritis mihi. Ego Dominus dominator vester inveni vos absqve meritis coram me & tamen assumsi Vos ex omni numero populorum multorum, & extuli Vos super altitudinem Principum & Judicum terræ: & effudi super Vos unctionem sanctitatis meæ, & posui diadema gloriæ in capite Vestro, & porrexi Vergam Regni in dextram Vestram, & gladio ultionis meæ accinxi Vos: glorificavi Vos coram omni populo meo in divitiis, & potentatu excelso, dediqve Vobis robur ad conterendam virtutem rebellium vestrorum, & famam nominis vestri dilatavi secundùm latitudinem terræ. Ego Dominus feci Vobis omnia hæc, ut magnificaretis laudem nominis mei super Terram, & coadunaretis Populum meum in vinculis pacis & æquitatis, & daretis Vosmet ipsos fidele* REFUGIUM OMNI OPPRESSO *& injuriam patienti, & essetis* VINDICES MEI CONTRA VIOLATORES PACIS *& Justitiæ, & qviescere faciatis Terram ab iis qvi conturbant eam, & desolatam faciunt gladio, & igne, & violentâ prædatione, devorantesqve labores alienos vagos ac mendicos faciunt cultores terræ, & inhonorant nomen meum sanctum, qvô signavi eos, & segregavi in hæreditatem mihi,* &c. &c. Demumqve post multas qverelas, qvòd Præsides Terræ officium non rectè faciant, concludit: *Propterea vivo ego dicit Dominus, & vivit fortitudo dexteræ meæ, si non audieritis vocem admonitionis meæ, & conversi fueritis ad me, detraham vos ab altitudine vestra, qvâ male usi estis, in profundum inferni, & eritis consortes illorum quibus vos ipsos assimilastis in incendio viventi in sempiternum.* (Lib. III. Cap. XIV.)

169. His similia qvia præsenti Prophetico volumine narrantur, Vestraqve *Reges, Principes, Respublicæ,* officia (cum salutaribus pro salute publica consiliis) ob oculos ponuntur: *Rogati estote nomine Dei, & per ipsam Vestram Orbisqve salutem, hoc primùm, ut hos ipsos Libros, in protectionem Vestram susceptos, per omnia Regnorum & Provinciarum vestrarum Bibliopolia, tam liberè ut quoscunqve alios bona nota* (Dei metum, Regum reverentiam, vitæqve emendatio-

nem, populo Christiano instillantes) *Libros, prostare jubeatis.* Tam liberè dico, ut Liber *Trium virorum & trium spiritualium virginum* (Hermæ Pastoris, Uguetini Monachi, Fratris Roberti; Hildegardis, Elizabeth & Mechtildis) anno Christi 1513. à Jacobo Fabro Parisiis editus, prostat. Item Brigittæ, & similes anteriorum seculorum divinas Revelationes continentes, Libri. Qvippe hæc ejusdem argumenti sunt, & ab eodem authore veniunt, eodemqve scopo & fine, *ut Mundus è veterno suo excitetur*, Mundo offeruntur. Hoc solùm interest, qvod præsentes Dei & Angelorum voces nostra proprie tempora respiciunt, eôqve præsenti statui magis accommodata, magis nobis necessaria sunt: ut vel sic habitatores moderni Orbis, Atheismo & Epicureismo nimium (eheu!) invalescente, *qvis ille Mundi Præses sit, cujus suprema dispositione nunc res fiunt attendendi, interqve judicia Dei justitiam discendi, occasionem habeant* (Jes. 26: v. 9.)

170. Non propter nos Libro huic protectionem Vestram, ô Reges & Principes, nos ejus editores reqvirimus, sed propter Vos ipsos, & populum Christianum: ut ne pereatis, à furore omnium Divinarum præmonitionum contemptu perpetuo irritati Dei. Nobis à Deo solatii & protectionis satis est, qvi cum Hildegarde fidenter dicere possumus: *Et dixi & scripsi hæc non secundùm adinventionem cordis mei, aut ullius hominis, sed ut ea in cœlestibus vidi, audivi, & percepi, per secreta mysteria Dei.* (Procœmio Operis SCIVIAS.) Confidenterqve nobis audire Verba Filii Dei ad Brigittam: *Non time, sed sta stabiliter in fide. Si verba ista venirent de spiritu tuo, aut de spiritu Mundi hujus, meritò tibi esset formidandum. Sed qvia sunt de spiritu meo, qvem habuerunt Prophetæ sancti, ideo tibi non est timendum: nisi fortè plus pertimescas de vano nomine mundi, qvàm de protractione verborum meorum divinorum* (Lib. v. Rev. XII. Edit. Colon. pag. 341.) Sed Vos reliqvi Vobis audite verba Angeli ad Elisabetham Abbatissam (qvæ Libro IV. Cap. I. exstant:) *Fui orans in secreto, & apparuit in conspectu meo Angelus Domini, & loqvutus hæc verba: Trevirensi, & Coloniæ Moguntiæqve Episcopis, annutiatum sit à Domino, Deo magno & tremendo, ut hæc verba qvæ inveneritis in præsenti Libro annuntietis ROMANÆ ECCLESIÆ, totiqve Populo, & OMNI ECCLESIÆ DEI: emendate Vos ipsos, & CONVERTIMINI AB ERRORIBUS VESTRIS, & nolite indignè accipere admonitionem sacram & divinam: qvia non sunt hæc ab hominibus inventa, &c. sed sunt à Deo Patre omnipotente, fonte omnis bonitatis. Qvod autem vobis* (tribus Archiepiscopis) *dico, cæteris OMNIBUS DICO.* Legite item ac pavescite verba Dei qvæ in fine Visionum Hildegardis leguntur: *Qvisqvis mystica verba hujus Libri recusaverit, arcum meum super eum extendam: & sagittis pharetræ meæ eum transfigam, &*

CORO-

CORONAM ejus DE CAPITE ipsius abjiciam, atqve eum illis similabo qvi in Oreb ceciderunt, qvando contra me murmurarunt. Et qvicunqve maledicta sua contra prophetiam istam protulerit, maledictio illa quam Isaac protulit super eum veniet: sed benedictione roris cælestis replebitur, qvi eam amplexus incorde suo tenuerit, & in vias planas produxerit &c. Et porro mox: *si qvis hæc verba digiti Dei temerè absconderit, & ea per insaniam suam minuerit, aut in alienum locum alicujus humani sensus causa abduxerit, & ita deriserit, ille reprobus erit, & digitus Dei conteret illum. Laudate, laudate ergò beata viscera Deum in omnibus ejus miraculis,* &c. *Qvi autem acutas aures interioris intellectûs habet, hic in ardente amore speculi mei ad verba hæc anhelet, & ea in conscientia animi sui conscribat.* (Hild. lib. III. Vis. XIII.

171. Ita cur Libri hujus patrocinium suscipere conveniat Reges, paucis dictum esto: *qvia nempe Regis Regum nomine veniunt, cujus summa majestas tremenda esse debet majestatibus interioribus: ut ne, si authoritatem Dei authoritate suâ, brachiiqve sui potentiâ, tueri dedignantur, irati Dei conterantur brachio.* Sed nec est cur luce prohiberi debeat Liber hic, *nihil habens qvod cuiqvam nocere, multum qvod omnibus prodesse, possit.* Nam qvi eum nocere dicunt concitando Bella, stultitiam, malevolentiam, impietatem, produnt: qvia Bella ille non facit, sed (omnium Prophetarum more) prænuntiat & minatur, si Christiani nullis divinis terroribus ad pœnitentiam se permoveri fuerint passi. Et quia in gratiam Libri hujus gladium nemo hactenus accinxit, cùm tamen gladios contra se invicem stringant omnes populi: qvis adhuc tam cæcus, tam surdus, tam mentis inops erit, qvi exertum jam illius brachium, cujus ore hæc diu prænuntiata sunt, nondum videt? Perpetuonè Amyclensium stultitiam iterare, advolventiaqve se pericula (imò nisi adhuc cavemus interitum) audire nolle, volupe erit? An desipuit Roma, per totam Urbem *Hannibal ante portas* clamitari permittendo? Desinite insanire mortales, Deoqve Vos adhuc inclamanti obturare os, Vobis aures, desistite! Dei & Angelorum voces, Vos ab interitu præmonentes, his etiam in Libris sonant; aut ergò Vobis audiendum est, & Deo parendum, aut pereundum.

172. Et hoc est qvod dixi, *horum Librorum lucem & lectionem prodesse posse omnibus*, si peccatores terroribus Dei adhuc excitati, à Deo, irato ad Deum propitium fugiendi occasiones, stimulos, modum, hîc inveniant. Sed & *piis prodest apertos habere oculos in judicia Dei*, qvorum *nunc plenus est Mundus*: per sedulam expensionem eorum qvæ Deo de operibus suis, & ab antiqvo prænuntiare, & nuper iterum (ex abundanti misericordia) renovare placuit. Qvæ si qvis ignorat, præsentem Orbis commotionem, & tot insperatas rerum mutationes (ex. gr. *qvæ de Israelitica gente constanti famâ continuis jam aliqvot mensibus*

nuntiantur) ita intuetur ut cæcus ille apud Marcum, homines videns ut arbores ambulantes, nihilqve præterea. Ne igitur Populus Christianus terribilium Dei judiciorum, qvibus nunc Orbis concutitur, causas, modum, finem, exitum, tam crassè ignoret ut ignorat, *jubete, qvi loco Dei populis præsidetis, inter alia divinitùs subministrata auxilia hos etiam Libros publicè prostare, vendi, emi, legi, expendi: magno id populi Dei usu, honoreqve Vestro, & gloriâ Dei; futurum certi.*

173. *Qvin & legite ipsi, Consiliariisqve Vestris* (ut in Dedicatione Libri hujus postulatum est) *legenda & dijudicanda offerre ne intermittite.* Non enim desipit Rex, si denuntiato sibi à vicino Rege bello, aut oblatâ pace, Regni sui Proceres convocat, qvidqve facto sit opus consultare jubet; tutissimâ sic viâ se incedere, consiliumqve optimum reperire posse, sperans. Hic autem millies majus negotium agitur, ubi *Rex Regum Omnibus Vobis Populisqve Vestris bella internecina, nisi mox imperata facitis, indicit: si autem feceritis, plenam gratiam, pacem, benedictionemqve super omnium præteritorum seculorum exempla, promittit.* Et non dum digna videbitur materia super qva sapientes Vestri, omnes in unum congregati, consultent? Ne committite, ô Reges, ut Rex Regum tam vili pendi à Vobis videatur! Terreat Vos hæc ejus vox, *Honorantes me honorabo, contemnentes autem me viles erunt*, 1 Sam. 2: 30. Eligite obsecro, ut admonitionum divinarum Lux è præsentium perplexitatum tenebris dux Vobis sit: potiùs qvàm ut *in lumine Politicæ tantùm sapientiæ ambulantes à Deo deseramini, omniaqve Vestra in dolorem desinant*, ut minatus est per Prophetam Deus: (Jes. 50. v. 10, 11) & adhuc in his Libris deserturum se Christianos, gratiamqve suam & Evangelii lucem ad gentes translaturum, minatur: sicut & per Brigittam fuit minatus dicendo, *Venite Pagani, ingredimini portas Dei, à qvibus Christiani (ingredi nolentes, & se indignos per opera facientes) repellentur. In veritate dico vobis qvòd complebo verba mea & non dimittam. Suscipiam Vos in filios, & ero Vobis in patrem, qvem Christiani contempserunt* (Birgitt. lib. II. cap. VI.).

174. *Christianos enim, ut nunc sunt, omnium quos terra sustinet perversissimos* (qvippe qvi contra professionem suam omnia agunt, contra Fidem credunt; contra Decalogum vivunt, contra Orationem orant, contra spem sperant) *præ omnibus aliis gentibus aut à fundamento reformandos, aut funditùs delendos esse, hîc legere erit.* Eheu, eheu! *Moses* & *Mahomed* obseqventiores habent suos, qvàm Christus. *Judæi enim qvàm strictè ceremonias à Mose traditas servant!* Christus nullas docuit, Deum duntaxat in spiritu & veritate colere, seqve ipsos invicem diligere, mandavit: & qvis obseqvitur? Ceremoniarum denuò cultu defungimur (alii verò istas etiam abjecimus): Charitas autem, unicè nobis commendata, ubi est? Jurgia inter nos perpetua, oppressiones multiformes,

mes, cruenta bella, lanienæqve mutuæ attroces, apud nos nullam esse testantur. *Mahomet suis vino interdixit, & illi abstinent*: Christus suos nulla re bonâ prohibuit, temperatum duntaxat donorum Dei usum, cum gratiarum actione, docuit; sed Christiani intemperatissimè vivunt. *Ille suos de Fide disputare vetuit, non disputant, cæcâ suâ fide contenti*: Christus Pharisaismum dedocens (qvorum est *Dicere, & non Facere*) suos omnia qvæcunqve mandavit servare docuit (Matt. 23:3. & 28:20.) Nos autem qvasi contraria mandasset, nihil nisi de Fide rixamur, vitâ ut plurimum profanissimâ. *Mahomed suis Judæos & Christianos, si qvietè agant, tolerare mandavit, & illi faciunt, neminem ob dissensum Religionis molestando*: nos ob religiosa dissidia atrocissimè in nos invicem sævimus, frustra Christo ante messem Zizania evellere prohibente. Et sic omnia, contra qvàm mandavit ille à cujus denominamur nomine. Ut non sine causa ille Zelans sic apud Brigittam Christianum alloqvatur: *Dedisti mihi fidem, & promisisti cum juramento te mihi serviturum. Nunc autem discessisti à me, qvasi homo ignorans Deum suum: Verba mea habes pro mendacio, opera mea pro vanitate, mandata mea dicis nimis gravia. Tu factus es violator Fidei promissæ: tu fregisti juramentum tuum, & dereliqvisti nomen meum: tu dissociasti te à numero sanctorum meorum, & factus es socius dæmonum. Omnia qvæ mea sunt, & qvæ mihi facere teneris, sunt tibi difficilia: qvæ autem tibi placent facilia. Ideò conqveror super te, qvia fregisti fidem qvam mihi in Baptismo & deinceps dedisti.* Et qvæ ibi ad malos Laicos plura (Brig. lib. I. cap. XLI.)

175. *Sed forsan Clerici, spiritualis pars Christiani populi, meliùs agunt?* Legatur eadem Visio tota, videbitur. Aut si cui Revelationes Brigittæ ad manum non sunt, liceat hîc recitare iisdem verbis, qvibus concepta, approbanteqve Romana Ecclesia toties edita sunt: prostremò etiam Coloniæ Agripp. anno 1628. Ibi Brigitta Christum cœlesti exercitu circumdatum vidit, & eos sic alloqventem audivit. *Ego sum Creator omnium, ante Luciferum à Patre genitus, &c. missus in visceribus Virginis, ut homo recedens à Deo, per charitatem meam rediret ad Deum. Nunc ecce præsente EXERCITU MEO, &c. conqveror coram Vobis super istos qvinqve Viros hîc adstantes, qvia multipliciter offendunt me. Sicut enim olim per nomen ISRAEL in Lege intelligebam totum populum Israeliticum, sic nunc per qvinqve istos intelligo omnes homines in Mundo. Primus est RECTOR ECCLESIÆ, & ejus CLERICI. Secundus est, MALI LAICI. Tertius JUDÆI: Qvartus PAGANI: Qvintus AMICI MEI. Sed de te ô Judæe excipio omnes Judæos, qvi in occulto sunt Christiani: de te Pagane excipio omnes, qvi libenter incederent per viam mandatorum meorum, si scirent qvomodo, & opere faciunt qvantum sciunt & possunt: hi nullatenus Vobiscum judicabuntur. Conqveror super Te CAPUT EC-*

ECCLESIÆ, qvi ſedes in ſede mea quam Petro & ſucceſſoribus dedi, tripli-ci dignitate: Primò, ut poteſtatem haberent ligandi animas, & ſolvendi à peccato; ſecundò, ut aperirent cælum pœnitentibus: tertiò ut clauderent cælum maledictis & contemnentibus. Sed tu qvi debebas ſalvare animas, es animarum interfector: ego enim Petrum inſtitui Paſtorem & ſervatorem ovium mearum, Tu autem es diſperſor & lacerator earum. Tu pejor es Lucifero: qvi habebat ad me in vidiam, & nullum concupivit occidere niſi me, ut pro me dominaretur: tu autem tanto deterior es, quod non ſolum occîdis me, removendo me à te, per mala opera Tua, ſed & animas occidis per malum exemplum tuum. Ego redemi animas ſangvine meo, & commiſi eas Tibi tanqvam amico fideli: tu autem eas rurſum tradis inimico, à qvo eas redemi. Tu es injuſtior Pilato, qvi nullum judicabat ad mortem niſi me: Tu autem non ſolum me judicas qvaſi nullius dominatorem, & nullius boni dignum, ſed & animas innocentes condemnas, nocentes verò dimittis. Tu es immitior Judâ, qvi me ſolum vendidit: Tu autem non ſolum me vendis, ſed & animas electorum meorum pro turpi lucro tuo, & vano nomine. Tu es abominabilior Judæis, qvi crucifixerunt corpus meum ſolùm: tu verò crucifigis & punis animas electorum meorum, qvibus malitia tua, & transgreſſio, amarior eſt omni gladio. Et ideò, qvia tu ſimilis es Lucifero, injuſtior Pilato, immitior Juda, abominabilior Judæis, meritò conqveror ſuper Te. Tum Dominus (poſt effuſas etiam ſuper cæteros qvatuor qverelas) ad cœleſtem ſuum exercitum converſus, dixit: *Ecce amici mei, omnes ſancti, qvàm diu patiar iſtos? & qvam diu ſufferam talem contemptum?* Ubi S. Johannes Baptiſta primùm reſpondit, &c. &c. Dominus verò ad Beatum Petrum, *Tu es fundator Fidei & Eccleſiæ meæ: Dic audiente exercitu meo juſtitiam de his qvinqve Viris.* Reſp. Petrus: *Laus & honor Tibi ſit Domine pro charitate Tua. Benedictus ſis Tu ab omni Exercitu Tuo, qvia facis nos in Te videre omnia qvæ facta ſunt, & futura ſunt. Hæc eſt autem vera juſtitia, ut primus ille, qvi ſedet in ſede Tua ſed opera habet Luciferi, amittat cum contemptu SEDEM, IN QUA PRÆSUMSIT SEDERE, et particeps ſit pœnæ Luciferi*, &c. Poſtqvam verò Petrus contra reliqvos etiam pronuntiare deſiiſſet, ultimam ſententiam ipſe Dominus pronuutiavit in primum primò, his verbis: *Gladius meæ ſeveritatis in corpus tuum intrabit, qvi à ſuperiori capitis ingredietur: et tam profundè ac valenter infigetur, ut nunqvam extrahatur. Sedes tua tecum demergetur ut lapis ponderoſus, qvi non ſubſiſtit anteqvam veniat in noviſſimum profundi. Digiti tui, id eſt Aſſeſſores, ardebunt igne ſulphureo inextingvibili. Brachia tua, id eſt Vicarii, qvi ad animarum profectum extendi debebant, ſed extenduntur ad utililatem mundi, et honores, judicabuntur pœnâ qvam David dixit: Fiant filii ejus Orphani, et uxor ejus vidua, et alieni recipiant ſubſtantiam ejus. Qvæ eſt Uxor ejus niſi anima? qvæ reliuqvetur à gloria cœleſti,*

lesti, et erit vidua à Deo? Filii ejus, id est virtutes, qvas habere videbantur, et simplices mei qvi sub ipsis erant, separabuntur ab eis, et dignitas eorum et bona ad alios devolventur. Et ipsi pro dignitate æternam confusionem hæreditabunt. Deinde ornatus capitis eorum demergetur in lutum inferni, à qvo nunqvam consurgent. Ut sicut hic per honorem et superbiam super alios ascenderunt, sic in inferno præ aliis demergantur, ita profundè ut impossibile sit eis consurgere. Membra eorum, id est omnes seqvaces eorum, et fautores Clerici, abscindentur ab eis, et disjungentur sicut murus destruendus, ubi non relinqvitur lapis super lapidem, nec cæmentum adhærebit lapidibus: nec veniet super eos misericordia, qvia charitas mea nunqvam calefaciet eos, nec ædificabit eos in æternam mansionem in cœlis, sed sine fine cum capitibus suis dissoluti ab omni bono cruciabuntur. Hactenus de capite Ecclesiæ, Papa, Christi apud Brigittam verba.

176. Si qvis dicat (dicit autem Index Brigittanus) hîc *Judicium mali Papæ malorumqve Clericoricorum describi*, rectè: inde tamen patet vanè Bellarminum scripsisse, *Sedem Romanam Sanctos aut accipere aut facere*, cùm hîc contrarium testetur Christus. Notabileqve admodum est, qvod Christus per qvinqve istos Viros intelligere *se omnes in Mundo*, dicat: nempe unumquemqve in Ordine suo, I. *Papam cum Clero.* II. *Laicos malos.* III. *Judæos.* IV. *Paganos.* V. *Amicorumqve suorum pusillum adhuc in Terra gregem.* Secundò, qvod è Judæis qvosdam, & è Paganis qvosdam excipiens, de Laicis verò malis duntaxat expressè loqvens, de Papa & Clero absolute loqvitur, eos sine exceptione accusans: qvasi totus ille Ordo displiceat sibi. Non qvod nemo ibi esse possit sanctus, absit tam temere judicare: sed qvod taliter præeminendi institutum (tanqvam res ab administratione Regni Christi aliena) displicet Deo. Hinc enim est, qvòd toto hoc sermone suo Dominus, *Papam se in ista sede posuisse*, non dicit: sed Petrus dicit, *PAPAM in sede Christi sedere PRÆSUMPSISSE*. Qvibus verbis annon *propria usurpatio, sine instituto Dei*, innuitur? Demum qvia hîc actiones Papæ describuntur tales, qvæ Papatus hodierni basis, substantia, medullaqve sunt (nempe, terrena Dominia affectare, mundanos honores ambire, externi lucri causa nundinationes perpetuas agere, in sibi non per omnia consentientes immaniter sævire &c.) qvid dicemus? Prorsus abominationes Deo non ferendas sedem illam invasisse, testatur hîc Christus: eòqve *aut reformatione illi opus esse totali* (qvalem à tot seculis sanctos Viros Doctores, martyres, Episcopos, Reges, optasse & ursisse, attigimus supra) *aut subversione totali*, ut apud Brigittam Petrus & Christus pronuntiant; & hic (apud Kotterum, Poniatoviam, Drabicium) decreta Dei exeqvi Reges jubentur. Alterutrum igitur cùm salus Mundi reqvirat (*Papatum aut tolli, aut reformari*) utrum potiùs agendum sit, & qvomodo, deliberatione seriâ opus

est illis qvi Dei loco in Terra sunt, tanqvam ipsius Regni Ministri.

177. *Adeste igitur Christiani Reges! Ecclesiæ Christianæ vulnera curare Vestrum est:* sicut antehac in Dei populo sancti Reges, *David, Salomon, Josaphat, Ezechias, Josias, Constantinus, Theodosius*, & alii, fecere. Qvibus nemo dicere ausus, qvod injuriis intervenienti Mosi leves qvidam, *Qvis te constituit principem et judicem* super nos? Hunc n. ipsum Mosen, *qvem rejiciebant*, *Deus principem et liberatorem misit cum manu Angeli ad eos educendum*, *et faciendum prodigia et signa* (Act. 7, 24, 25, 35, 36) Nec ergò Vobis qvisquam obloqvi poterit amplius, si parueritis Deo, & Vobiscum erit manus Angeli ad liberandum è spirituali servitute populum Christi. Novit enim jam ex Apostolica institutione universus Populus Christianus, *Omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse debere, non solùm propter iram, sed et propter conscientiam*: *qvia qvi Potestati resistit, Dei ordinationi resistit, sibiqve ipsi damnationem acqvirit. Qvippe potestas* (secularis nempe, de qva ibi Apostolus loqvitur) *minister Dei est, gladium non frustra gerens.* (Rom. 13: 1-6. & 1 Pet. 2: 13.) Debebat qvidem, Vobis auxilio esse spiritualis potestas, cum non carnalibus suis armis (2 Cor. 10: 4): qvô etiam fine Deus Mosen & Aaron fratres germanos esse voluit, ad consiliorum & operis in Populo Dei regendo concordiam præfigurandum (Exod. 4: 14, 15.) Si tamen illi officium non faciunt, aut noxiè exorbitant, Vestrum est illos qvoqve in ordinem cogere, tanqvam *POTESTAS SUBLIMIOR inferiorem:* sicut Moses fecit, Aaronem coram universo populo acriter increpans: qvi & ulteriorem non effugisset confusionem, nisi se submittens humiliter fuisset deprecatus (Ex. 32: 21.-) Imitatus Zelum hunc fuit *Salomon, Abjathar Sacerdotem* (*qvod se politicis immiscens negotiis Reges arbitratu suo creari vellet*) *solio deposuit* (1 Reg. 1: 7. & cap. 2: 26, 27.) Qvô Zelo si alii Reges in populo Dei ad continendum in ordine omnia (Ecclesiastica etiam, personas & res) uti neglexerunt, pessum ibat Politia cum Ecclesia, ut omnium seculorum exempla testantur.

178. Audite Reges, Principes, Respublicæ, omnisqve Potestas in populo Christiano, *Liber iste qvi Vobis offertur, adversus neminem Vos concitat: sed ut in sistendis per satanam inductis confusionibus, reparandoqve divinitus instituto Ordine, officium faciatis, omnes vos nomine Dei hortatur:* benedictionem promittens adhuc, si consilia admittitis adhuc; aut ultimam iram, plagas, interitum nuntians, si Vos obduratis adhuc. *Sit ergò timor Domini vobiscum et cum diligentia cuncta facite, qvia non est apud Dominum Deum nostrum iniqvitas, non personarum acceptio* (2 Par. 16: 7.) *Gloria vestra ô Reges est esse NUTRITIOS ECCLESIÆ* (Jes. 49: 23.) *sed et officij vobis datum est, si qvæ Ecclesia in Babylonem degenerans feritatem exercet, compescere illam; atqve si sponsa Christi meretricium*

tricium induens habitum lascivit, odisse fornicariam, eamqve facere desolatam, et nudam, carnemqve illius manducare, et ipsam igne concremare: Deo dante in corda vestra ut faciatis qvod placitum est illi, et regnum vestrum non diutius detis Bestiæ donec consumantur verba Dei (Apoc. 17: v. 17.) Ecce autem jam nostro tempore verba omnium prophetiarum, antiqvarum & novarum, consummantur: qvod universalis gentium commotio qvam videtis, & universalis rerum mutatio qvam mox videbitis, testantur. Eja igitur resumite potentiam Vestram, in aliena manu sceptra vestra diutiùs ne relinqvite! *Vobis ego mandavi, Reges & Principes, ut Vos, Vos ipsi, præsideatis: nam & nomen à me habetis (DII TERRÆ) non ab Angelo vel Creatura alia*: dicit vox Dei apud Drabicium (Rev. 247: 13. Et Rev. 255.) *Revertimini ergò Reges Terræ ad sceptra vestra, ut regnetis sine dominatu super vos superbæ illius spiritualis potestatis, non spiritualiter, sed mundanè, Vobis legitimè à me constitutis potestatibus dominantis, & Vos deprædantis. Isti enim spirituales detrahebant capiti Vestro honorem, qvem ego illis nunqvam dedi, nec ipse in Terra existens unqvam usurpavi, tametsi omnem Cœlò & Terrà potestatem à Patre mihi traditam habui. Satis hoc sit ad intelligendum Vobis, qvod & antea sum loqvutus, & nunc loqvor: nec aliis loqvor qvam Vobis qvibus locum meum in Politia & Ecclesia, ordinis causâ, commisi: Ut sciatis qvomodò in mea magna Domo, Mundi nationibus, regnetis, Ordinemqve Ecclesiæ tueamini, meliùs atqve à tot seculis factum. Qvas confusiones tolerare diutiùs neqvivi: qvia illò sub regimine omnes virtutes moriebantur in Europa, in conspectu Infidelium, qvibus subveniri non potuit, qvamdiu caligo illa in terra serpebat, &c.*

179. *Qvid autem resumptâ potentia Vestrâ facturi estis, o Reges?* Hoc ipsum qvod Rex Regum, cujus Regni ministri estis, hoc tempore à Vobis reqvirit, ut REFORMETIS ORBEM, ET IN ILLO OMNIA, PER NATIONES OMNES: apud Vos primùm, in Christianis gentibus, tum in reliqvis toto sub cœlo Nationibus. *Ille enim qvi à seculis prænuntiari jussit* (per os omnium sanctorum Prophetarum suorum) *se in novissimo dierum innovaturum omnia* (seu ut in Apocalypsi Johannea loqvitur, NOVA FACTURUM OMNIA) *Vobis ò Reges, tanqvam Vicariis suis, hunc defert honorem, ut gloriosa innovatio hæc Vestris auspiciis, Vestrâqve cooperatione & authoritate, fiat per totum Orbem, initio facto à gente Judaica.* Drab. 99. v. 6. Qvam esse voluntatem Dei ut indubitanter sciatis, legite antiqva & nova Dei Oracula: & videbitis *Deum esse illum qvi ab exordio nuntiat novissimum, & ab initio qvæ necdum facta sunt, dicens Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* (Jesaiæ cap. 46: vers. 10.) Qvæ autem in specie illa sint, qvæ novissimo dierum ventura prænuntiavit, ut sciatur,

legendum est Jesaiæ cap. 2. & 25. & 34. & 35. & Capita ultima sex: & Jeremiæ cap. 30. & 31, & 33, & 50, & 51. Item Ezech. 36. usqve ad finem Verbo, omnes Israelitici prophetæ in triumphum Ecclesiæ, regnumqve Messiæ, desinunt; sicut & Kotteri, Poniatoviæqve Visiones. Videantur item Drabicii Rev. 99. & 130. & 138. & 143. & 172. & 247. & 587. &c.

180. Nec dissentiunt qvæ apud nuperos prophetas & prophetides, ad Romanam Ecclesiam missos, reperiri possunt: ex gr. apud Hildegardem lib. I. Vis. v. numero 9. his verbis. *Etiam in novissimo tempore Synagoga ad Ecclesiam fideliter se transferet &c.* Et nun. 10. (in medio) *Qvemadmodum David uxorem suam, qvam sibi primitus desponsaverat, & qvæ cum alio viro se polluerat, tandem revocavit: ita Filius Dei Synagogam tandem CIRCA NOVISSIMUM TEMPUS recipiet, ubi ipsa errores infidelitatis suæ deserens ad lumen Veritatis redibit. Nam diabolus Synagogam incæcitate illius rapuit, & eam infidelitati (in multis erroribus) tradidit: nec hoc usqve ad filium perditionis facere cessabit. Qvi (filius perditionis) dum in exaltatione superbiæ suæ ceciderit, sicut Saul in monte Gelboe interfectus periit, qvi Davidem de terra sua fugaverat (ut Filius iniqvitatis Filium meum in electis suis expellere tentabit) tunc Filius meus Antichristo dejecto Synagogam ad veram fidem revocabit, qvemadmodum & David primam uxorem, post mortem Saulis, recepit. Cùm enim novissimo tempore homines illum, per qvem decepti fuerant victum videbunt, ad viam salutis multa cum festinatione recurrent,* &c. Et lib. III. Visione XI. de ultimis temporibus Vocem Dei ad se factam varie describit, inter alia his etiam verbis No. 18. *In sex diebus perfecit Deus opera sua, & in septimo reqvievit. Qvid hoc? sex dies sex numeri seculi sunt, qvibus Deus opera sua complevit. Nunc autem Mundus in septimo numero seculi ante novissimum diem, est sicut in die septimo, &c. Nunc fides Catholica in populis vacillat, & Evangelium in hominibus claudicat &c. Nam in errore semitarum illarum qvæ præcurrunt & subseqvuntur filium perditionis, qvem vos Antichristum nominatis, vestigia illius imitamini qvi vos viam veritatis docuit, Christi. &c.* (N°. 19.) *Caput enim sine ventre & cæteris membris esse non debet: Caput autem Ecclesiæ filius Dei est, Venter cum membris, Ecclesia cum filiis suis est.* Ecclesia *verò nondum in membris suis perfecta est, sed in novissimo die erit, &c.* (N°. 24.) *Cùm se filius perditionis caput iniqvitatis extans supra omnia exaltare volet, tum omnis* Ecclesia *cum omnibus filiis suis in maximum timorem mittetur, exspectans insaniam præsumtionis illius* (N°. 25.) *Sed ictus tonitrui repentè veniens caput ipsum concutiet &c. & sic tentationes istæ qvas filius iniqvitatis* Ecclesiæ *infert, in hoc meo zelo consummationem accipient* (26.) *Astantesqve populi mittentur in maximum terrorem, & cognoscent se deceptos &c.* (27.) Et *pedes conspectæ tibi mulieris* (*Ecclesia*) *apparebunt candidi, splendorem super solis*

solis splendorem reddentes h. e. fortitudo fundamenti sponsæ Filii mei multum Fidei candorem ostendet &c. cùm Filio perditionis prostrato, multi ex iis qvi erraverant ad veritatem revertentur. Sub finem deniqve Visionis hujus (N. 28.) dicitur: *Ita cùm seculum finem accipiet, etiam diabolicæ persequutiones in hominibus temporaliter cessabunt.*

181. Atqve tum erit *pacatus ille Mundi & Ecclesiæ in Messiæ regno status:* qvalem jam à promissa in paradiso serpentini capitis contritione, omnes Patriarchæ fide prospectabant, & per Prophetas Deus varie præfigurabat, promissionesqve suas his etiam nostris varie iterat Libris. Ut apud Drabicium, *Pacem terris redituram ante Mundi finem, cum effusa super omnes benedictione divina* (Rev. 107.17.) *Pacem cui nulla similis fuit à rerum exortu* (149.9.) *cum omnes viæ, omnes semitæ, omnes tubæ, omnes libri, omnes voces & lingvæ omnium populorum & nationum, convenient in uno angulo PACIS, & in una communi CHARITATE* (384. 8.) *cùm spiritualis Jerusalem tam pulchrè de novo ædificabitur, ut ne Salomonis qvidem tempora istis comparari qveant* Kott. XVIII. 67.) *Cùm Messias novos plantabit Cœlos, & novam Terram* (novam scil. Ecclesiam, & novam Politiam, Jes. 51: 16.) *inqvibus justitia habitabit* (2 Pet. 3. 13.)

182. Qvalia cùm non possint non exultationi esse Christianis veris, & hæc ipsa triunus etiam iste Liber nuntiet, *finite eum æqvè Vos Romano Catholici, atqve alii qvuicunqve diligitis adventum domini nostri Jesu Christi, vivere: & haberi pro publico testimonio,* Deum adhuc esse Deum, nihil facientem nisi revelet secretum suum ad servos suos prophetas, Amos cap. 3: 7. *Et pro publico speculo, seu perspicilio,* ad rationabiliter illa qvæ nunc seculorum in orbe fiunt spectandum. *Et pro ultima contestatione* Dei, non suam fore culpam, si impœnitenti Mundo novum superveniet diluvium. Et dehinc *pro publico ad universalem Pænitentiam excitabulo. Et pro ultima illa Tuba,* post cujus sonitum magnæ voces in Ecclesiæ cœlo fient: *Facta sunt Regna Mundi hujus Domini nostri & Christi ejus, qvi jam regnabit in secula seculorum,* Apoc. 11: 15.

183. Hoc potius agite, ô Reges & Potestates, in honorem Christo Regna Mundi sub toto cœlo jam capessenti! Legite cum attentione Psalmum secundum, & disciteqvis ille sit Rex Regnum, *adversus qvem frustra fremunt gentes, & populi meditantur inania: cui datæ sunt Gentes in hæreditatem, & cujus possessio sunt termini terræ: qvi eos reget in virga ferrea, & tanqvam vas figuli confringet eos. Et nunc Reges intelligite, erudimini qvi judicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate illi cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne qvando irascatur, & pereatis in via.* Et legite Psalmum 46 (in Vulgata 45): ut horum temporum mysteria intelligatis, *Cur conturbatæ sint Gentes, & inclinata Regna? Cur ad vocem Dei moveatur* (tota) *Terra?* Nempè *Opera hæc esse Domini, &*

 prodi-

prodigia super terram posita, ad auferendum Bella usque ad finem terræ: ad conterendum arcum, & confringendum arma, & scuta comburendam igni. Vacate igitur (Vos Reges à bellis) *& videte Dominum esse Deum, Deum exaltari velle in Gentibus, exaltari in Terra*, &c. Hoc nempe est, quod vox Dei apud Drabicium dicit: *Volo ut jam surgant servi mei, & cum salutiferis meis cimeliis exeant in omnes orbis plagas ad omnes feroces, mihi nondum subjugatos. Ut repurgetur Domus mea, & repleatur convivis de foro, & de plateis, & de viarum compitis, & de repertis inter sepes, inquinatis fœtore sterquiliniorum*, &c. *Quod opus meum promovebo* CONCITATIONE OMNIUM GENTIUM ADVERSUS INVICEM: *ut qvicqvid mali est, & idololatrici, & mihi voluntatiqve meæ contrarii, corruat priùs & evertatur funditùs.* (Rev. 138. v. 12, 13, 14.) Et apud Kotterum: *Regna Mundi clangore tubarum concitata sunt, & primores Terræ dati in sensum reprobum: nesciunt, neqve credunt, Babylonis adesse ruinam*, &c. Cap. XXXIII. 39. Et cap. XXXIX. v. 3. *Qvod à qvatuor Mundi plagis multa hominum millia concurrere vidisti, significationem habet, quod tempore horribilis ruinæ Babylonis Regna omnia in se invicem irruent, & se mordebunt ac vorabunt ut rabiosi canes*, &c. Tùm v. 10: *Meridionalem exercitum Dominus devorandos tradet exercitui Orientali, ut qvò tanti Exercitûs potentia devenerit, ne animadverti qvidem possit.*

184. O igitur Christiani Reges, hujus divini consilii jam non inconscii, cavete ampliùs peccare in Principem Pacis, Christum! disturbando, & vastando, furiosis armis vestris illius Regnum: qvod estis ipsi Vos, & commissus Vobis Christianus populus universus. Aut fiet ut ille inveniat qvem super Vos vel ab ultimo Oriente) mittat, ad devorandum exercitus Vestros: *si nolitis cognoscere cogitationes Domini, nec intelligere consilium ejus*, Mich. 4: 12. Ergò Reges cognoscere cogitationes Domini, & intelligere consilium ejus ex Oraculis ejus, antiqvis & novis, hoc etiam Libro sonantibus, incipite! ut ne irascatur Dominus, & pereatis in via. *Quomodo autem?*

Primò, sistendo statim inter Vos & in populis Christianis BELLA. *Qvia nunc tempus est qvò Rex Sionis, qui adventu primo Rex justus & Salvator, pauper & insidens asino, venerat, jam venit ut disperdat qvadrigas, & eqvos, & arcus belli, & loqvatur* PACEM *Gentibus, suscipiens potestatem à mari ad mare, & à fluminibus usqve ad fines terræ.* (Zach. 9: 9, 10.) O Reges Christiani, hujus pacifici Regis ministri, qvis Vos patrare talia, qvæ ille non mandavit, sed prohibuit severè, docuit? Qvin Legatum ejus, judicia etiam forensia Christianis interdicentem, auditis? *Inpudorem Vobis dico, Secularia judicia si habueritis, contemptibiles in Ecclesia constituite ad dijudicandum. An inter vos nemo sapiens*

sapiens est, qvi judicare possit inter fratres? (1 Cor. 6.) Addi potest: *An nemo est qvi beatus esse, Deiqve filius vocari velit*, PACIFICUM se (Matth. 5: 9.) *Mosen* (Exod. 2: 13.) aut *Elihu* (Job 34: 4.) aut *Salomonem* (1 Reg. 3: 28.) exhibendo? Nulline Vestrûm antiqvos Sanctos, Terram cum amicis & vicinis placidè inter se dividere solitos, imitari placet? ut Abraham & Loth, Gen. 13: 8, 9. O Christiani Reges, Principes, Respublicæ, desinite ignominiæ esse Christo, qvi proprias ulcisci injurias suos vetuit! aut in Vobis edictum illius verificabitur, *Qvi gladium accipiunt, gladio peribunt.* (Matth. 26: 53. *Dissipabit enim Deus gentes qvæ bella volunt*, (Psal. 68: 31.)

185. *Secundò*, sistendæ Vobis sunt illicò (si Deum & consilia ejus auditis) *PERSECUTIONES mutuæ, religionis causâ*: qvas nunqvam Deus mandavit, sed Satan per Cainum inchoavit, & per Achabum & Jezabel, & Babylonios, & Antiochum, & Caipham cum suis sangvinolentis hypocritis, Neronemqve & alios paganos, continuavit; inter Christianos autem soli impii Ariani dogmatis sui pravitatem Scripturis defendere desperantes, usurpare aggressi sunt: contra apertissimam Christi & Apostolorum, sanctorumqve Ecclesiæ doctorum & martyrum, doctrinam & praxin: qvi occidi maluerunt ac devorari, qvod ovium est, qvàm occidere & vorare, qvod luporum. Divinæ qvidem sapientiæ consilium fuit, per passionem crucis (qvam subire necesse habuit hominum Redemptor) redimere Mundum: salvandosqve crucis patientiâ assimilari Salvatori. (Unde tristis illa sanctorum in utroqve Testamento cantilena, *Propter te Domine mortificamur totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Ps. 44: 23. Rom. 8: 36. Et illud solatio fidelibus ab Apostolo datum: *Si cum Christo morimur, cum Christo vivemus; si cum illo tribulationem sustinemus, cum illo regnabimus*, 2 Tim. 2: 12.) Non tamen sempiternum id futurum fuisse variè prædictum est. Venturum scilicet esse tempus, *ubi Deus cum suis pactum Pacis faciens, cessare faciet* BESTIAS *pessimas de terra: ut etiam qvi in deserto habitant securè dormiant*, Ezech. 34: 25. *Habitante lupo cum agno, & pardo cum hædo accubante: vitulo, & leone, & ove, simul morante: ut nec aspis nec basiliscus noceant, aut occidant, in universo monte sancto Dei.* (Jes. 11: 6, &c.) Qvod tempus (regni Messiæ) qvia jam venire, jamqve adesse, tot nova prodigia & oracula, ipsaqve nova Dei opera testantur, facite Vos Regni ejus ministri, ut cesset omnis bestia mala, utqve mitescant lupi & ursi, leones & pardi: ut nemo jam Christianorum alter alteri noceat, in universo Ecclesiæ monte.

186. *Tertiò, Ne permittite etiam illum, qvi arrepto in Ecclesia primatu, eumq; gladio & igne sibi defensandum ratus, aliqvot jam seculis in minores greges sæviit, sævitiam continuare suam*: sed ut ipse qvoqve feritate depositâ mitescat, sive

agnus

agnus gregis Christi factus, sive innocens leo. Qvam enim diritatis suæ causam prætexit, qvod à se (h. e. ut ipse loqvitur ab Ecclesia) descivissent, nulla est: qvia non descivissent, si ille tot seculorum corruptelas publicas (de qvibus lamenta Cœli & Terræ nota sunt) emendare pertinacissimè non recusasset. Cur ergò, si qvis conscientiâ urgente pro se id tentavit, irascitur? Atqvi res suas emendare neque divino, neque gentium aut naturali jure, prohiberi qvisqvam potest: sive domum, sive hortum, sive agrum, aut vestem. Cur ergò qvis conscientiam, & animæ suæ statum, emendare prohibeatur? Jam autem Reges & Regna, Principesqve & Status liberi, Ecclesias apud se reformando non Papam & Ecclesiam suam, sed seipsos cum suis, reformatum iverunt: cui per id injuria facta? *Atqvi Vespasianus Imperator, cùm Urbs veteribus incendiis ac ruinis deformis esset, vacuas areas occupare & ædificare, si possessor cessaret, unicuiqve permisit.* (Sveton. in Vesp. cap. 8.) Vespasiani ergò estote, ô Ecclesiæ nutritii! aut Papam ad Ecclesiam reformandam cogite: aut qvisquis optimè reformare potest ut reformet, liberum permittite. Memores Sapientis dicti *Stephani Polonorum Regis*: *Deum sibi tria reservasse*, I. *Creationem ex nihilo*, II. *Futurarum rerum præsciéntiam*, III. *Dominationemqve super conscientias.* Qvæ regalia Dei, qvia usurpare Papa Romanus attentavit, Vos Divinæ Majestatis Assertores sempernè connivebitis? Tentavit enim, I. *Ex nihilo creare quiddam Mundo majus*: dum sine ullo divino mandato, aut humano indulto, Regnum sibi super omnia regna Mundi condere ausus, illudqve ferro & flamma tueri non cessat. II. *Promittere sibi hoc in regno stabilitatem:* Sedeo Regina (dicendo) luctum non videbo (Apoc. 18: 17.) III. *Dominari omnium hominum* (*fratrum etiam suorum Episcoporum*, & quod magis *Regum ipsorum*, Divinam in terris majestatem repræsentantium) *Conscientiis.* Id autem num aliud qvàm ipsius Dei conscendere solium, est? Qvod si vos Reges, Divinæ majestatis in terra Vicarii, continenter toleratis, Deus se non diutius toleraturum protestatur, eôqve judicia sua adversus Illum, & Vos, & Mundum inchoat. Qvibus videndis si oculi Vestri jam aperti sunt, ne permittite Babylonicam fornacem furiosiùs inflammari, aut plures eô conjici: conjectos potiùs veros Veri Dei cultores egredi jubete, ut potentiam Dei videns Nabuchodonosor Rex fecit (Dan. 3.)

187. *Qvartum*, qvod à Vobis Reges præsentium Mundi turbarum tempestas reqvirit, est, *ut Vestrûm qvisqve universo populo suo publicas preces, jejunia, vitæ emendationem, eôqve Resipiscentiam veram* (exemplo Regis Ninivitani) *solemnissimè indicat.* Qvia hoc ipsum tempus esse de qvo Christus dixit, *Tribulationem fore magnam, qvalis non fuit ab initio mundi, nec erit unqvam* (Matt. 24. 21.)

21.) omnia testantur. Vel his libri contenta Dei & Angelorum super Christianorum abominationes lamenta, terribiliumqve plagarum denuntiationes, si legere, & cum iis qvæ jam fiunt, & indies luctuosiùs fient, conferre, non fueritis dedignati ô Vos filii Excelsi: *jam Deum surgere ut judicet Terram, hæreditatemqve suscipiat in omnibus Gentibus*, videbitis (Ps. 82: 6, 8.) Afferte igitur Domino filii Dei, afferte gloriam & honorem! adorate Dominum in sanctis atriis ejus (Psal. 29.) Jubentes cantare tubâ, in sua Sion qvisqve, ut conturbentur omnes habitatores Terrarum Vestrarum! qvia venit dies Domini, qvia prope est dies tenebrarum & caliginis &c. (Joel 2: 1. - 11. Etiam nunc dicit, qvod olim dixit, Dominus: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum: qvia benignus & misericors est &c. si fortè convertatur, & ignoscat, &c.* (v. 12. &c.)

188. *Qvintò*, si universali Resipiscentiâ ut adhuc parcat (sicut Ninivitis) impetrabimus, cautiùs erit agendum qvàm ibi: hoc est non redeundum ad pristina vitia, sed de solemnissimâ rerum emendatione cogitandum. Qvæ res qvid requirat, *reqvirendum erit in libris Domini* (Jes. 34. 16.) antiqvis & novis: non deerunt consilia Dei, ut non defuerunt cùm pientissimus Neapolitanus Archiepiscopus, *Bernardus*, apud *S. Brigittam* reqvisivit, Christusqve illam pulcerrima dare docuit, lib. VII. cap. XII. O si Papa & alii Episcopi data tum consilia seqvi voluissent, multa abominabilia jam fuissent emendata. Sed nemo fuit qvi vellet seqvi: aut si qvi erant, eos Papa non destitit perseqvi, per qvod ira Dei cumulatè crevit, ut fortè remedio non sit relictus locus. Comminationem verò hanc non meam esse ut intelligatis, sed Christi ipsius, adscribam ex eadem Brigitta partem Visionis, qvam eodem libro VII. cap. XXX. descripsit. *Qvi sedebat in throno aperiens os suum dixit: Audite omnes inimici mei, in mundo viventes (qvia ad amicos meos non loqvor, qvi seqvuntur voluntatem meam.) Audite omnes Clerici, Archiepiscopi & Episcopi, & omnes inferioris gradus Ecclesiæ. Audite omnes Religiosi cujuscunqve ordinis estis. Audite Reges & Principes, & Judices Terræ, & omnes servientes. Audite mulieres Reginæ & Principissæ, ac omnes Dominæ & ancillæ, & omnes cujuscunqve conditionis & gradus estis, magni & parvi qui habitatis Orbem, verba hæc, qvæ ego ipse qvi creavi Vos nunc loqvor ad Vos. Ego conqveror, qvia recessistis à me, & dedistis fidem Diabolo inimico meo. Vos dereliquistis mandata mea, & seqvimini Diaboli voluntatem, & obeditis suggestionibus ejus: non attenditis quod ego immutabilis & æternus Deus Creator Vester descendi de cælis ad virginem, sumens ex ea carnem, & conversatus sum vobiscum. Ego per memet ipsum aperui Vobis viam, & ostendi consilia per qua iretis in cælum. Ego fui nudatus, & flagellatus, & spinis coronatus, & ita*

fortiter extensus in cruce, qvod quasi omnes nervi & compagines mei corporis solverentur. Ego audivi omnia opprobria, & sustinui contemptibilissimam mortem, & amarissimum cordis dolorem pro salute vestra. Hæc omnia, ô inimici mei, non attenditis, qvia decepti estis. Ideò portatis jugum & onus diaboli cum svavitate fallaci, et nescitis, nec ista sentitis, anteqvam dolor super onus interminabile appropinqvat: nec sufficiunt Vobis ista, sed et tanta est superbia vestra, qvod si possetis ascendere (NB.) super me libenter faceretis. Tantaqve est vobis voluptas carnis, qvod libentius velletis carere me (NB.) qvam dimittere inordinatam delectationem vestram. Insuper cupiditas Vestra est insatiabilis, quasi saccus perforatus, qvia nihil est quod satiare potest cupiditatem Vestram. Ideò juro in Deitate mea, quod si moriamini in statu in quo nunc estis, nunquam videbitis faciem meam, sed pro superbia vestra sic profundè demergemini in infernum, quod omnes diaboli erunt super Vos, inconsolabiliter affligentes vos. Pro luxuria verò implebimini horribili veneno diabolico. Et pro cupiditate Vestra implebimini dolore et angustia: et participes eritis totius mali, quod est in inferno. O inimici mei abominabiles, et ingrati, et degenerantes. Ego videor Vobis qvasi vermis mortuus in hieme. Ideò facitis qvæcunqve vultis, et prosperamini. Ideò consurgam ego in æstate, et tunc vos silebitis, et non effugietis manum meam. Veruntamen, ô inimici, qvia ego sangvine meo redemi Vos, et nihil qværo nisi animas vestras, ideo redite adhuc ad me cum humilitate, & gratanter ut filios suscipiam Vos. Excutite grave jugum diaboli à vobis, & recordamini charitatis meæ, et videbitis in conscientia Vestra, quod ego sum svavis & mitis.

189. Pro tali ergò Christianorum aliqvando universali & serio ad Christum reditu, qvia seriæ ac solemnes tandem aliqvando suscipiendæ sunt cogitationes, *consilium etiam his libris Vobis ô Reges datur,* UNIVERSALE *convocandi* CONCILIUM. Ubi ex omnibus populis congregati Christiani sanctè in communem pœnitentiam, tantarumque exorbitationum, in qvas undiqve prolapsi sumus, & deprecationem humillimam, & emendationem universalem seriam, conspirent. Spe indubiâ, si à curiositate circa Fidei qvæstiones, qvæ nos distraxit; & ab errorum multivio, in qvod prolapsi sumus; & à terrenis cupiditatibus, qvæ nos in mutuas lites & bella abduxerunt; ad Fidei & Vitæ Christianæ simplicitatem, & puritatem, redierimus omnes: suscepturum nos omnes gratanter ut filios, reddituru mqve nobis spiritum dilectionis, ut qvam svavis sit Dominus, & quam jucundum fratres habitare in unum, conscientia omnium nostrum videat. *Ibi enim mandavit Dominus benedictionem et vitam usqve in seculum* (Psal. 133.) Qvis dabit videre, ut Christiani omnes (non ex uno tantùm sangvine creti, sed & uno sangvine redemti, vocatique de tenebris in admirabile lumen, 1 Pet. 2: 9. ad regnum & gloriam, 1 Thess. 2: 12.) insidiari

com-

commodis & vitæ alii aliorum (ut Esau & Jacob quondam fecerunt) desistendo, tandem *Divino instinctu sibi ut fratres obviam currant*, *seqve invicem amplexando et osculando fleant*, ut ibi factum (Gen. 33: 4.) O qvam beatus tunc esset Ecclesiæ status, si unum indivisum Christi Regnum fieret! & Civitas, cujus participatio esset in id ipsum! Ah rogate omnes ea qvæ ad pacem sunt Jerusalem! Ah Reges ne respuite hoc ultimas clades præveniendi, amissamque felicitatem reparandi, ultimum consilium. Non desunt media, per qvæ universum Christianum populum Christo, & sibi invicem, reconciliari posse certissima spes adest: vertenda in rem ipsam facilè, modo congregari, & consilia divina audire ac exeqvi, placeat. Nempe, *ut omnes unanimiter ejuremus Satanam et opera ejus, hæreses et schismata, carnem et mundum: compromittamus verò omnes in* UNUM ILLUM SOLUM qvem solum bis voce de cœlo commendavit Pater, HIC EST IN QVO MIHI COMPLACUIT, HUNC AUDITE! Matth. 3: 17. & 17: 5. Et qvi nos, ne ullum alium in terris seqvamur ducem aut Magistrum, præmonuit, Matth. 23: 8, 9. Hunc ergò solum si magistrum eligimus Omnes, hujus unius discipuli verè facti Omnes, dictum factum erit, *per unicum hunc Cœli et Terræ Mediatorem tum Deo, tum omnibus in cœlo sanctis, et omnibus nobis in Terra, reconciliati erimus*: modò apud Christum nihil præter Christum qværere libeat: hoc est, non aliud *credere*, qvam qvod docuit Christus: nec aliud *agere*, qvam qvod mandavit Christus: nec aliud *sperare*, qvàm promisit Christus. Hæc unica est, certa & infallibilis, brevisqve ac expedita, omnes Christianorum lites, dissidia, odia, bella, perniciem & interitum, in concordiam, pacem, amorem, salutemqve ac felicitatem, commutandi via. Ad hanc verò inveniendam, complanandam, stabiliendamqve, unica via CONCILIUM *verè Universale, verè liberum, verè in Spiritu S. congregatum.*

190. Divina consilia hæc nisi audieritis, ô Christiani, certi estote si qvæ agmina exercituum aliunde super Vos venient, *Exercitus fore irati Regis, missos ad perdendum homicidas: illorumqve civitatem succendendum* Matt. 22: 7.) Neqve hoc solùm, alias qvoqve plagas immittet Dominus, *Bella domestica, fames, pestes, feras: non feras sylvestres, sed homines, creaturam rationalem, qvorum corda propter infidelitatem ex humanis in belluina, imo bestialia, transibunt: ut Christiani atrociùs qvàm Turcæ et barbari contra seinvicem sævituri sint, qvia condemnatio Meretricis magnæ prope est* (Kott. x. 52.) Verbo, inter æterni consilii decreta stat, *ut ab ingratis, servorumqve Dei trucidatoribus, Regnum Dei auferatur, et detur Genti facienti fructus ejus*, Matt. 21: 43. Qvorum similia alibi in libris Propheticis & Apostolicis, nuperisqve illis vestris, & his præsentibus nostris, legere est.

191. *Confidimus autem de Vobis Christiani meliora, et viciniora saluti, tametsi*

ita loqvimur (Hebr. 6: 9. Tametsi enim Ecclesia Christiana vetula sit, viribus debilitata, rugis dedecorata, ætatis vitio terram & terrena cernens, &c. Promissa tamen illi est *senectus Aqvilæ renovantis juventutem suam*, Ps. 103. v. 5. Nempe qvi per mortem Filii sui populo suo propitiatus sanavit infirmitates ejus (v. 3.) & sub Tyrannorum martyriis toties hucusqve vitam Ecclesiæ redemit, subqve luctis Hæreticorum eam victoriis coronavit (4) is idem ejusdem Ecclesiæ desideria tandem replebit bonis (v. 5.) Id qvod idem promittens Christus rerum παλιγγενεσίαν (h. e. regenerationem) appellavit. Mat. 19: 28. Benedicite igitur Domino omnia opera ejus.

192. Ego autem hîc Vos, Populus Christiane, alloqvi desistens, TE Deum invoco testem, me fecisse qvod mandasti, non aliud: nec alio fine, nisi ut ultima voluntas Tua innotesceret iis, qvibus mandasti: neqve me hæc præloqvutum aliâ fiduciâ, nisi qvia justum est, ut homines, rationalis creatura Tua, non affectu sed ratione duci, eôqve res dijudicare, demumqve de rebus judicare, discant. Præsta Deus qvod promisisti! *ostende hæc Te esse loqvutum, nos scribere coactos* (*Drab.* 416. 4.) *Atqve si qvis nocere nobis propterea volet Tu, nobis murus igneus esto sicuti Eliæ fuisti* (v. 5.) Da in corda Regum ut faciant qvod jussisti, *dando hæc ad librandum arbitris*: *sed iis qvibus est cor simplex, et apud qvos fax est Lege tuâ et Prophetis accensâ, ardens veritate* (259. 2, 8.) Da etiam ut ipsi Reges & Principes, cum Reginis & Sacerdotibus, totôqve populo, ita hæc legant qvomodo Josias Rex cum Principibus suis verba comminationis Tuæ, ad judicia Tua pavescendum & resipiscendum (2 Reg. 22: 11. & Drab. 325. 8, 9.) *Operare ipse Tu Domine, in iis ad qvos pertinget vox tubæ Tuæ* (247. 25.) *ut sermones Tui sint tanqvam ignis consumens abominationes desolationis* (559. 3.): & qvemcunqve circumsonabunt hæ voces Tuæ, ut simul circumfulgeat cælestis Tua lux! ut nullus sit tam Zelo cæcus, tamqve opinione sua obstinatus Saulus, qvin prostratus clamet, *Qvid me facere vis Domine?* (Act. 9. 6.) videns abyssum iræ Tuæ fauces aperuisse suas ad pseudo Christianos absorbendum, nisi resipuerint (325. 9.) Si verò etiamnum Testes Tuos loqvi non permittent, tacere jubebunt, aures obturabunt, tempus erit ut Tu Ipse Domine pro Te ipso loqvaris. Loqvere igitur! loqvere opere ipso, prædictionum complementis: ut Te esse qvi loqveris & facis intelligant. Produc testes Tuos ut promisisti, qvorum plenus sit mundus (R. 569. 5.) *Exaudi Domine, placare! attende et fac, ne moreris! propter Temet ipsum Deus meus*, Dan. 9: 19.

ERRATA *hic etiam Typographica sic emendentur.*

Pag. 9. lin. 5. *successori* Bonifacio. p. 14. l. 29. *irritamenta*. Pag. 27. l. 25. Epistolâ *tertia*. pag. 41. l. 18. Iscariotes: adde, *cui Dominus reditum suum crediderat*. p. 57. l. 10. post *Regnus* deest) p. 66. l. 11. *tinnus* Veritatis pag. 68. l. 25. *fastigiare*.

VOLUMINIS
PROPHETICI,
JUDICIA ultimi ſeculi
Mundo nuntiantis,
Et è tenebris in lucem prodeuntis,

Ad

Eminentiſſima Chriſtiani Orbis
Capita ſolemnis, juſſu DEI,
dimiſſio.



Anno M.DC.LXVII. menſe Majo.

Drab. Rev. 55. *v.* 13, 14.

Dominus ad me: Scribe ista, & ematura ad evulgandum multa centena exemplaria, in omnes Orbis partes. Hæc enim est voluntas mea, ut omnes Terræ Nationes legant ea, qvæ loqvutus sum Tibi.

Item 92: 8, 9, 10, 11.

Jam tempus est, jam hora mea venit, ut non sub modio detineantur, sed in lucem eant, revelata à me tibi. Ideò scribite, & imprimite qvarumvis Gentium lingvis, & dimittite ad Nationes Terræ. *Audite Reges, audite Dominatores populorum, jam esse tempus ut faciatis voluntatem meam, & dejiciatis de humeris Vestris jugum Meretricis, jugum aggravans! detisqve Illi gloriam qvi sedet in throno. Notum facite per Gentes, remotas etiam, expletam esse mensuram abominationum Babylonis, ut accipiat è manu Vestra duplum, ultionis Sanctorum occisorum servorum meorum!*

Item 204: 39, 40.

Vos igitur mihi fideles audacter annunciate Mundo, *Me mutationem inducturum æternâ memoriâ dignam. Et qvis est, qvi consilia impediat meâ?* Nemo est, nec in Cœlo, nec in Terra.

Item 211: 21, 22, 23.

Hæc qvæ prodierunt ab ore meo, per te & Adjunctum tibi edita legant, & intelligant, totius Mundi Gentes, Populi, & Lingvæ: *Judæi & Græci, Turcæ & Tartari, Arabes & Indi, Germani, Itali, Angli, Galli, Poloni*: verbo Nulla sit lingva sub sole, qvæ nesciat hanc Tubam hujus Vocationis meæ. Ideò te obligo nomine meo, serve mi, ne qvid demas, vel addas, his & aliis sermonibus meis, tibi nunciatis.

Item 254. *v.* 2, 3, 19, 20.

Tollite & attollite corda, ô Vos servi mei! Venerunt enim contestati dies judiciorum meorum. Dies mei, dies præliorum meorum, præliorum adversus Babylonem! contra te ô Babylon, qvæ jam hoc tempore promeritas dudum accipies impia pœnas!

Eja divulgate hæc per Mundi fora & plateas, vos servi mei! & benè vobis erit, hîc & in æternum. Nolite erubescere me, & non erubescam Vos in die mea.

Item 315: 17, 18.

Mittant hæc Reges Regibus, Principes Principibus, Domini Dominis: non per Christianum tantum Orbem, sed & Turcis, Tartaris, omnibusqve in facie Terræ habitantibus. Me JESUM, qvi solus sum Via, Veritas, & Vita, illos inclamare de cœlo, ut Omnes cujusvis Ordinis, status, vocationis suscipiant jugum meum, discantqve à me honorare Patrem Deum æternum, Mihi in Spiritu consubstantialem, æternè unitum, vitaqve æternâ donantem gratis, ex fide, omnes de Me, Mihi, & in Me, credentes, &c.

Iennium est cùm Liber hîc denuò ad prælum eò fine datus fuit, ut è Tenebris in Lucem prodiret: detentus tamen adhuc propter metum hominum, & Tuæ misericordiæ spem ô Deus: *si forte adhuc justitiæ Tuæ rigor (ad gemitus & clamores electorum Tuorum, qvos Tu nosti) emolliri se pateretur. Sed ecce signa completæ jam iniqvitatum mensuræ adsunt! Teqve non aversurum furorem, etiamsi Moses & Samuel, cum Noë, Daniel & Job, coram Te starent* (*Jer.* 15:1. *Ezech.* 14:14.) Prodeat ergò ut ante ultimum Jerosolymæ excidium *Jesus Anani*, rusticellus, toto septennio *Væ super Jerusalem, Væ super Judæam! vox ab Oriente, vox ab Occasu, vox à quatuor Mundi plagis!* clamans. Cui clamori haud absimiles isthoc Volumine contenti (*Kotteriani annorum* 50. *Poniatoviani penè* 40. *Drabiciani propè* 30) si cui Christianorum nondum auditi fuerunt, audiantur jam: sed faxit misericordia Dei ut ad pœnitentiam! Ne inusitatæ id genus Voces frustra in Mundo sonent, aut nonnisi in testimonium. *Si cui Librum hunc primò demum nunc videre dabitur, discat inde adhuc esse Deum in Israel: nec opus esse in Accaron Oracula qværi, ad cognoscendum qvid pænitenti aut impænitenti cuiqvam expectandum sit* (2 *Reg.* 1:3.) *Si verò qvis antea vidisti & legisti, lege denuò, & expende meliùs. Si deniqve illum contemptim habuisti, æstimare incipe!* experimentis aut jam edoctus, aut mox edocendus, non inesse hîc humani cerebri figmenta, sed Voces illius, qvi æternus Mundi præses cùm sit, morem illum à seculis servavit, ut peccatores priùs per gratiæ ministros præmoneret, qvàm per ministros iræ feriret; & qvidem ideò præmoneret, ne feriret, si homines divitiis bonitatis ejus, & longanimitate, non abuti vellent, sed iis ad pænitentiam duci (*Rom.* 2:4.)

Sumite igitur Librum hunc in manum, ô Christiani omnium partium! & cognoscite qvæ hîc offeruntur legenda, simillima esse antiqvis illis, *Onus Babylonis* (*Jes.* 13:1.) *Onus Moab* (15:1.) *Onus Damasci* (17:1.) *Onus Ægypti* (19:1.) &c. &c. qvia dum vos omnium gentilium abominationum Vos fecistis participes, imò eas nonnullâ parte superastis, ideò Deus antiqvorum Prophetarum comminationes per nova organa sua iterat: & nisi citò pœnitentiam agitis, Vos denuntiatis suis plagis certò, & citò, ita qvassabit & conteret, ut aliis gentibus, seqvuturisqve adhuc seculis, spectaculo futuri sitis. Qvisqvis sapis, præmoneri ne sperne; vanamqve adversus hæc iram sepone. Nam qvò usu? Si qvis humanâ temeritate tale classicum contra Vos caneret, posset contemni, aut contrariâ machinatione machinatio elidi; at, *si qvi hîc tonat ipse* TERRIBILIS *est, cui resisti non potest* (Ps.

 76:8.

76:8.) *qvid ei facies?* *Cave responsare, judicem potius suum deprecare* (*Job.* 9: 15.) Num autem ille ipse sit loqvens hîc, qvi de Cœlo audiri facit judicium suum in terra, exsurgens ad salvandum omnes mansvetos terræ (*Ps.* 76: 9, 10.) cognoscet indubiè qvisqvis omnia hæc (una cum præmissis informationibus, rerumqve istarum interserta historia) attentè cum Dei metu relegendo, & cum eventibus ad qvos se disponunt omnia conferendo, non luctari cum fatis, & fatorum Præside, propositum conceperit. *Si cui contraria stat sententia* (antiqvas nempe & novas prophetias rem antiqvatam, nec ampliùs attendendam, putare, Mundumqve nunc aut fortunâ & casu, aut humanis consiliis regi opinari) *is obturare aures, & occludere oculos, & indurare cor pergat, ut ne convertatur & sanetur: donec desolentur Civitates, Domusqve relinqvantur sine homine, & Terra deserta: sic edicente Domino, qvi tamen semen sanctum* (in mediis etiam Mundi ruinis) *conservaturum se promittit* (*Jes.* 6: 9-13.)

Indignationis certè Divinæ jam signum est evidens, qvòd in vertiginem consiliorum Vos esse datos, ô Christiani, Mundus infidelium videt: Vosqve ita cum invicem commissos (qvomodo olim Ægyptios adversus Ægyptios) *ut qvisqve Vestrûm pugnet contra fratrem suum, & contra amicum suum, Civitas adversus* Civitatem, *& Regnum adversus regnum: dirumpaturqve spiritus Vester in visceribus Vestris, & omnia consilia vestra præcipitentur* (*consulatis licet idola vestra, divinos vestros, & sapientes vestros:*) *donec tradamini in manum Dominorum durè dominantium, & Rex fortis dominetur Vobis, dicit Dominus Deus exercituum* (*Jes.* 19: 2, 3, 4.) Et qvòd ne qvidem inter concitatos tam atrociter adversus invicem Christianos reperitur, qvi pleno fervore cum sapiente Elihu dicat: *Judicium eligamus nobis, & inter nos videamus, qvid melius sit* (*Job* 34: 4.) Aut si qvis est, ab aliis tamen non auditur: *Ad arma* tantùm omnes vociferantur, & in mutua vulnera ruunt, furioseqve se & alios perdunt. Nec reperitur facilè qvi cur hæc ita fiant expendat: nisi qvod alii in alios culpam conjiciendo, suam nemo agnoscendo, magis magisqve & Deum, & se invicem, & seipsum qvisqve, in furorem agunt. Unum est in aperto, propter *Meum & Tuum* Christianorum nunc bella geri: qvòd alii aliis bona qvædam externa (honores & titulos, reditus & opes, commoditates & lucra) præripiant: licet id Christus apertissimè prohibuerit (*Matth.* 5. v. 35. ad finem) Perseqvimur etiam alii alios propter diversos circa res Divinas sensus, aut diversos in Numinis cultu ritus: qvod itidem mille modis inhibuit Christus, judicium tale (qvinam veriùs sentiant, aut meliùs vivant, vel rectiùs sperent) sibi relinqvi, Zizaniaqve in agro suo nata messi suæ servari, mandans. O

Christiani, cur non potiùs audimus Deum mandantem; ut qvisqve suas potiùs scrutetur & pervestiget vias, suasqve emendet aberrationes, qvàm in alienas saeviat? (*Thren.* 3: 40. *&c.*) Ubi manet obsecro illud Christi, *Ex hoc cognoscent Omnes Vos esse meos, si dilectio mea inter Vos sit?* Unde Judaei, Turcae, alii infideles, nos esse veri Dei populum agnoscere debent, in qvibus mutuae dilectionis loco nil nisi odia, furores, proditiones, lanienas, videre possunt? Vae insaniae nostrae, qvi nos ita gerimus, ut emissum contra nos Nabuchodonosorem, comparatione nostri, servum Dei appellari necesse sit! (*Jer.* 25: 9.) *Beatus homo qvi semper pavet: qvi verò mentis est durae, corruet in malum.* (*Prov.* 28: 14.)

Miserere Deus, neqve nos perpetuò errare facias de viis tuis! (*Jes.* 63: 17.) Et qvia haec jussu Tuo, cui resisti non potuit, jam tandem apertam in lucem eunt, circumfulge Tu ipse luce Tuâ caelitùs omnium haec legentium oculos & corda, ut terrore judiciorum Tuorum qvisqve perculsus, cum Saulo tremens ac stupens exclamet, DOMINE QVID ME VIS FACERE? (*Actor.* 9: 6.)

Romanorum Imperatori
LEOPOLDO,
pax & misericordia à DEO.

Invictissime Imperator,

LIber iste qvi ad Majestatem Tuam mittitur, scriptus est mandato Dei, & editus mandato Dei, & dimissus ad Orbis Capita mandato Dei: ut qvae sit ultimo seculo ultima Dei voluntas Omnes intelligant, eòqve ultimae irae effugiendae vias ante se videndo, effugiant; aut si intereunt, culpa non penes Deum sit, qvi amat omnes, monet omnes, gratiam offert omnibus, iis etiam qvi peccatis suis praesentis irae flammas excitarunt. Non ergò fieri potuit, ut haec in aliorum notitiam deducta, & deducenda, à Tua Majestate celarentur: tum qvia inter summa Orbis capita summo lo-

ω TE posuit DEUS, tùm qvia fulmina hæc inter primos TE, Serenissimamqve Domum Tuam, petunt. Non absimilibus Verbis Vos ultimæ Monarchiæ ultima Capita subinde alloqvendo, atqve apud Esdram Leo Aqvilam; *libro IV. Cap. XI. vers.* 38. *ad finem.* Cæterùm qvia TIBI & DOMUI TUÆ apud postremum Videntem adhuc offertur gratia, qvid facies? Offertur inqvam, tùm tectiùs (Rev. 214. v. 3, 4.) *Austriacæ Domui adhuc semel aperire oculos qværo (cæca enim fuit) num prospicere velit ac resipiscere: Nolo enim cujusqvam interitus culpam in me esse, neqve illius, &c.* tùm apertius (Rev. 216. v. 5, 6.) *Austriaca Domui accendetur lucerna Intellectûs, ad percipiendam occultam voluntatem meam, qvi emendantibus vias malas, & recipiscentibus, propitius sum. Hic etiam si resipiscere volet, inveniet gratiam, si destruere juvabit Antichristum.* Qvem Antichristum? imaginariumne aliqvem, venturum demum ab Oriente? Imò qvi jam venit, & sede suâ in Templo Dei collocatâ super summa Orbis capita (*Cæsares etiam ipsos*) sese extulit, ac velut Numen qvoddam adorari vult. Ita enim seqventia verba sonant, v. 7: *Qvem* (Antichristum) *exuam brevi calcean-tis potentiæ suæ, qvà se supra summa etiam Orbis capita extollebat.* Verba Apostolicis consona, 2 *Thess.* 2: 3. *&c.*

Vide igitur qvid agas, Augustissime Cæsar! Et ut videas, aut hæc Ipse lege, aut si (si moles Imperialium negotiorum obstat, legenda Consiliariis Tuis, Ecclesiasticis & Politicis, trade (sicut & alii Christiani Reges facient) donec qvid subsit, & qvid ut Omnibus benè sit agendum sit, pateat. DEUS Deorum, qvi simul Regem Regum se esse, potestatemqve Reges constituendi & deponendi habere, hîc contestatur, & id respsâ toto inspectante Mundo jamjam se monstraturum minatur, det Majestati Tuæ cor Davidico simile! qvi ad Divinas per prophetam increpationes, pœnarumqve denuntiationes, *PECCAVI* exclamans, mox vocem *DOMINUS ergò peccatum Tuum transtulit, Non morieris*, audire meruit (2 *Reg.* 12: 13.) Aut certè cor Baltasaris ultimi Chaldæorum Monarchæ: qvi conspectis in opposito sibi pariete invisibilis cujusdam Scribæ digitis, insolitos qvosdam characteres pingentibus, adeò expavit ut cogitationibus perturbatus, totoqve corpore tremens, fatalis prodigii interpretem qværi juberet, adductumqve & audiret avidè, & tanqvam Dei ad se legatum honore afficeret (*Dan.* 5.) Avertat autem pro misericordia sua propitius Deus, ne eveniat sicut ibi, ut tempestivè monitis, non tempestivè tamen conversis, postea convertendi se tempus deesset, fatis eâdem nocte rebus finem imponentibus. Misereſcat TE TUI, DOMUSQUE TUÆ, ô Cæsar! *ut peccata TUA, & DOMUS TUÆ, justitiâ abrumpas; & iniqvi-*

tates

tates Tuas misericordiâ ergà afflictos! forsitan ignoscet Deus delictis Tuis (*Dan.* 4:24.) Adhuc pro TE & DOMO TUA illi, qvos Pater & Avus Tuus afflixerunt, & Cruci affixerunt, cum Crucifixo Salvatore suo clamant: *Pater dimitte illis, nesciunt enim quid faciunt.* (*Luc.* 23:34.)

Christianissimo qvidem Galliæ Regi mandatur hîc, confusionibus Orbis Christiani remedia qværere: si tamen cooperaberis Tu Regum Antesignane, ut sanctorum Regum in populo Dei exemplô prolapsas res Ecclesiæ restituere juves, non peccabis, sed rem Deo gratam, totiqve Christianitati salutarem, facies. Providendo nimirum, qvomodo Christianus in tot funestas factiones toto Orbe scissus Populus, in animorum fideiqve unitatem reduci possit. Qvô cùm nihil violentæ armorum aut ingeniorum collisiones conferant (ut tot seculorum exempla docuerunt) necessariòqve audiendum sit consilium Dei, *Ut stemus super vias, & interrogemus de semitis antiqvis, ad videndum qvæ sit via bona, ut ambulemus in ea* (*Jer.* 6:16.) hoc est, ut *Concilium verè Christianum Catholicum celebretur, ibique Annon sub nomine Ecclesiæ Catholicæ, authoritatisqve Apostolicæ, Populus Christianus à Fide vel moribus Ecclesiæ Catholicæ, authoritateqve Apostolica, abductus sit, & qvænam Christianorum pars magis aut minus, dispiciatur, & Controversiæ in spiritu lenitatis complanentur* (qvod idem præsentes hi Libri docent) communi Vestrâ ope ô Rerum Dominatores, Ecclesiæqve nutricii, hoc desideratum opus ut procedat videndum est. Deus det Spiritum suum sanctum Omnibus, qvi hîc Sanctissimo Deo sancta se dare volent organa! Amen.

Pontifici Romano
ALEXANDRO VII.
aut qvisqvis ei proximè successerit.
Catholico-Romanæ Ecclesiæ summo Præsul.

EXtra controversiam est, inter alias summi Pontificis antiqvæ legis prærogativas fuisse, I. *Qvod Israelitæ dubiis in rebus per eos Deum consulere solerent*: II. *Qvod in omni Ecclesiastico negotio supremi Judices illi essent, cum adjunctis sibi* (pro tanto onere levius portando) *Sacerdotum principibus*:

III. *Et*

III. *Et quòd Pſeudoprophetas coërcere illorum fuerit*: ut ex *Jeremiæ* 29: v. 25, 26, 27, patet. *Extra controverſiam igitur etiam ſit; Si* TU *cum tuo Cardinalium Collegio Divinò jure ſummum in Eccleſia locum obtinetis, eaſdem prærogativas jure qvoqve Divino Vobis deberi: modò poteſtate datâ meliùs uti velitis, & ſciatis, non abuti.* Iſti ſiqvidem progreſſu temporis ita ſe gerebant, ut Deus ad Populum, & Reges, ipſosqve Sacerdotes, officii admonendos, extraordinarios, mitttere neceſſe haberet, *Prophetas*: ſed qvos illi pleruṁqve pſeudoprophetas reputando ludibriis, inhibitionibus, minis, excommunicationibus, carceribus, mortibusqve multabant: qvod idem tandem ipſi etiam prophetarum Principi, Chriſto, Dei filio, Vineæqve ſuæ hæredi (*Matt.* 21: 38.) fecerunt. Unde iſta ejus lamenta: *Jeruſalem, Jeruſalem, qvæ occidis prophetas, & lapidas eos qvi ad te miſſi ſunt: qvoties volui congregare filios tuos, qvemadmodum congregat gallina pullos ſuos ſub alas ſuas? ſed noluiſti. Ecce relinqvetur vobis Domus veſtra deſerta!* (*Matt.* 23: 37.) Promiſit verò idem Dominus ſimilia dona Eccleſiæ ſuæ novæ, Apoſtolos & Prophetas: ſed & eandem illorum ſortem fore prædixit, ſeqve compulſum iri ad ſimiles ingratis inferendum pœnas (*Luc.* 11: 49, 50, 51.)

Vobis ergò, qvi Vos ſanctis Apoſtolis & Patribus ſucceſſiſſe creditis, videndum relinqvitur, *An illis virtutum ſplendore potiùs, qvàm antiqvis Prophetarum trucidatoribus ferociâ, & in Deum ingratitudine, ſucceſſeritis.* Qvod tametſi Mundus videat, Mundo tamen major teſtis ecce adeſt, Deus! de profanitatibus Veſtris in Angelorum & hominum auribus, præſenti hoc Libro qverelas inſtituens, judiciaqve adverſus Vos ſua, tubarum ſuarum clangoribus, denuntians. Qvæ cùm juſſu Dei legenda offeruntur Mundo, & omnibus qvi Dei loco rebus præſident, etiam à Vobis abſcondi non debuerunt: ſi fortè Vobis etiam ad reſipiſcendum, ultimamqve iram præveniendum, gratiam dare velit Deus. Nolite obſecro ſuſpicari, humanitùs iſta in Vos confictà eſſe; aut humano corrupto affectu, & ſuper interitum Veſtrum tripudiô, publicari. Decipere Vos qværet, qviſqvis tales ſuſpiciones inſtillare qværet; Deus autem ſermonum horum veritatem eventibus obſignans, faciet ut ipſi Vos qvoqve qvid manuductio à ſeductione, veritaſqve à mendacio, differant, agnoſcatis: utinam non ſerò! Nos horum publicatores in Omniſcii Dei conſpectu cum Mardochæo proteſtamur, *nos pro Eccleſiæ ſalute Veſtigia etiam pedum Veſtrorum deoſculari paratos eſſe* (*Eſther*, 13: 13.) & millies præoptare ut Vos veſtri miſereri, interitumqve prævenire, velitis, qvàm ut poſt diuturnam, ſemperqve eluſam Dei patientiam, ultimum experiri debeatis iræ Dei furorem. Antiſtibus, Iſraeliticæ

ticæ Ecclesiæ, ut extraordinariis fidem non haberent, obicem ponebat *nimia sui æstimatio, & Templi Dei apud se fiducia* (Jer. 7: 4.) qvam tamen jactantiam Deus verba mendacii appellans, ut vias suas reipsâ emendarent svasit, aut projectionem à facie sua expectare jussit, sicut factum erat Silo (*vs.* 14, 15.) Nec aliud à Vobis (*Ecclesia, Ecclesia*, sine reali emendatione tot jam seculis clamantibus) hucusqve reqvisivit: & qvia frustra hucusqve, ecce fulmina jam Zeli sui in Vos emittere minatur! Nondumne gloriam dabitis Deo, ut cum Daniele, *Tibi Domine justitia, nobis confusio faciei*, clamantes, ad veram toto corde pœnitentiam veniatis?

A tot seculis tot Christiani Reges, tot Viri sancti, tot Academiæ, tot integræ Ecclesiæ (magis magisqve à forma Regni Christi degenerari videntes) reformationem flagitarunt: & qvis nisi Antecessores Tui perpetuò impediverunt? Unde multiplex per tot Gentes, ut pro se qvisqve reformationem tentaret, occasio data fuit. Qvod dum unanimiter nunqvam susceptum fuit, tanta inde religionum in una Christiana Religione difformitas, in Tua etiam illa (qvam Tu Catholicam appellari vis, cùm nonnisi Catholicæ sit pars, & sub peculiari uno, humanitùs constituto Capite, factio una) tot religiosorum Ordinum (aliis præ aliis perfectius qvid molientibus) dissimilitudo, æmulationesqve, dissidia & odia, schismata etiam & hæreses (dum aliqvi omnia tandem Vestra suspecta habere coacti, mutarunt etiam qvæ non debuerunt) enata sunt: ut contradictionum strepitu, & disputationum tumultu, & variis violentis attentatis, bellorumqve tandem furoribus, Orbis Christianus impletus sit, eheu! inspectante, & tantas rabies stupescente, ipso infidelium Mundo. Et qvis horum Deo reddet rationem? nisi qvi suæ impeccabilitatis opinione inebriati, & seipsos excæcarunt, & alios constanter excæcare qværunt? Et qvid mirum si post tot seculorum patientiam, nec ullius ullam emendationis vel minimam (nisi vanissimis promissionum elusionibus) factam spem, Deus Vindex exsurgat, gloriamq; suam contra contumacem Creaturam, Creatori suo protervè illudentem, assertum eat? O *Papa Romane miserescat TE Tui, ut prævenire Omnipotentis iram properes! Miserescat Ecclesiæ Tuæ, ne illam in Babylonicis abominationibus relinqvendo, fulminibus Dei tandem disjiciendam tradas! Miserescat tot Christianorum populorum, obstinatione Tuâ in schismata & hæreses prolapsorum, ut ad unitatem Fidei reduci qveant! Miserescat tot populorum extra septa Ecclesiæ adhuc dum constitutorum, qvibus, ne ingredi qveant, confusionibus Christianorum porta præcluditur!*

O *Papa evigila! Papa edormi crapulam, qva Te inebriarunt adulatores Tui! Te Christi Vicarium, sedemque Tuam Sedem Apostolicam errare nesciam*

 dictitando.

dictitando. Cur tibi palpum obtrudi, Teqve abominandum in modum decipi pateris? Audis-ne Dei vocem, per prophetam ab assentatoribus populo suo caventem? *Qvi te beatum dicunt, ipsi te decipiunt? viam gressuum tuorum à te occultantes. Sed ecce, stat ad judicandum Dominus! stat ad judicandum populos. Dominus venit ad judicium* CONTRA SENIORES *Populi sui, & Principes ejus*: dicendo, *Vos depavistis Vineam meam &c.* (*Jes.* 3: 12, 13, 14.) Qvalia si Tu Domini gregis Pastor in antiqvis Prophetis legere negligis, ecce Tibi novos mittit! Si nemo in terra est qvi Tibi vera loqvi audeat (qvalem esse infelicem Regum sortem, ut verisamicis, h. e. liberis & sinceris monitoribus, destituantur, ipsi aliqvi sapientiorum Regum deplorarunt) ecce monitoriæ Cœlo venientes voces! *ut ne Te talibus visis beatum (nedum beatissimum) credas, ob quas Deum & omnes Cælites adversos habes, directa in Te Cæli fulgura, tonitrua, fulmina, jamjam experturus.*

Qvæ fulgura & tonitrua, fulminaqve, qvalia futura sint ut intelligas, lege Librum hunc, & à Tuis legi cura. Non spernebant Majores Tui donum prophetiæ in Ecclesia (ut nunc faciunt qvidam) sed *probabant ut bonum retinerent*, juxta Apostolum 1 *Thes.* 5: 21. Ideoqve Hildegardis, Brigittæ, Catharinæ Senensis, aliorumqve sine fuco deprehensas Revelationes, admittebant, etiam canone dignas censendo. *Fiat idem hisce novis, submittantur examini legitimo: ut qvid facto sit opus appareat. Apparebit autem hasce postremas Revelationes verè Divinas esse; eòqve tendere, ut postquam sub regimine Spiritualium, Secularem potestatem sibi subjicientium, nihil Mundus tot seculis profecit, nisi ut in majores confusiones prolaberentur semper omnia: Velle jam Deum ut Reges gentium sceptra resumant & dominentur, non autem Apostoli cum successoribus suis, qvibus alia sunt agenda, Spiritualibus spiritualia:* (*Luc.* 22: 25, 26. 1 *Pet.* 5: 1, 2, 3.) *Qvò ut veniri possit, pulchrumqve in ordinem redigi Omnia, velle Deum autoritate Regum convocari Concilium*: hoc est, *populum Christianum congregari Omnium partium, ibiqve controversias omnes audiri, censeri, expendi, decidi ac terminari sic, ut communibus Cæli & Terræ jubilis cantetur, Gloria in excelsis Deo, & in Terra Pax hominibus bonæ voluntatis.*

Qvi scopus cùm sit gloriosissimus, indubieqve Angelis & hominibus bonæ voluntatis desiderabilis, veniatqve à superiore decreto & consilio Curiæ cœlestis, noli TE oponere tu moderne Papa Romane, sicuti Antecessores Tui hucusqve fecerunt, causam suam generali Concilio submittere nunqvam ausi. Aude Tu: fiduciâ æterni lucis & Veritatis Præsidis, Christi, qvi dixit; *Omnis qui veritatem facit venit ad lucem, ut manifesta fiant opera ejus, quòd secundum Deum facta sint* (*Joh.* 3: 21.) Cur ergò Tu ad hanc generalis

lis Concilii lucem venire trepides, si opera Tua secundum Deum facta sunt? *usurpata nimirum super totum Ecclesiam, & super Omnes Episcopos, superqve omnes Reges, potestas.* Fugiendi certè legitimum humanum judicium, causæqve recognitionem, exemplum non dedit Christus, cujus vices agere, nec Apostoli, qvorum successorem appellari, gloriosum ducis. *Christus* se omnium hominum censuræ, qvisqvis ullius peccati arguere se vellet, ultrò obtulit, (*Joh.* 8: 46.) adductusqve ad judicium magni Synedrii examinari se passus, ut notum est. *Petrus* verò Apostolus paratos esse nos ad reddendum rationem omnibus eam poscentibus docuit (1 *Pet.* 3: 15.) reddebatqve ipse, tum Synedrio, tum in Collegio Apostolico (*Act.* 2. & 3. & 4. & 11. & 15.) Qvid ni & Tu si Orbis Christianus rationem poscat? *Absit ab Apostolorum successore Apostolicum non seqvi exemplum.* *Paulus* itidem & fratribus suis, Apostolis, & adversariis suis Judæis, toties rationem reddebat; nec tandem ad Cæsarem provocare trepidans, causam suam tantô notiorem & testatiorem reddendi desideriô. Provoca & Tu ab illis, qvi Te ceu privati scriptis suis (hoc etiam ipsô, si humanum esse suspicaris) lacessunt, ad Reges & publicum Orbis Concilium. Ubi si *Primatus in Ecclesia, & Gladii utrinsqve potestas,* Tibi adjudicabuntur, usurpabis confidentius, cum applausu Cœli & Terræ. Si ob causas graves decretum fuerit aliud, facies qvod alii sancti consveverunt, cedes pacis causâ, serviesqve Christo eâ statione qvâ Te locabit.

Hæc Apostolorum & Christi exempla seqvi si constanter recusat, qvid seqvetur? Non aliud restabit, qvàm aut nova opponere prioribus callidiora Consilia, aut novam violentiorem vim: utrumq; tamen æqvè frustra, ut frustra utrumqve adhibebat Judæorum Pontifex, Caiphas (*Joh.* 11. v. 47. &c.) Cujus vestigiis insistere si usqve placet, facies qvod ille fecit: convocabis Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Doctores, proponesqve illis qvàm nihil proficiatur mediis hactenus usitatis. *Novumqve insuper nunc instare periculum à publicatis novis Revelationibus, si pro divinis admissæ fuerint? cum ibi Regibus jam tradatur Ecclesiam judicandi, & reformandi, potestas. Reformationem* (illam invisam reformationem) *ante hac à Magistellis tantùm, aut Monachis quibusdam (Waldo, Wikleffo, Husso, Luthero, &c.) aut à Principibus quidem & Regibus, paucioribus tamen, neque ad consilia unitis, tentatam, multum Vobis negotii facessivisse aliquot seculis: qvid autem nunc futurum, si Reges ipsi, consiliis & viribus unitis, rem aggrediantur? Dispiciendum igitur cito, formanda consilia nova; imò acuenda Arma utriusque adij, advocatis in auxilium igne, & aquâ, & laqueis, & ensibus, ficis & pharmacis, &c.*

Hæc ecce erunt nova vestra consilia, à spiritu vertiginis & desperationis suggestata, si vos non præveniat misericordia Dei, & vos procidentes, & MISERERE clamantes, non præveneritis furorem Dei, qvi vobis hîc annuntiatur, & ad vos devorandum jam procedit. *Et erit fortitudo vestra ut favilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla: & succendetur utrumqve simul, & non erit qui extingvat*, (*Jes.* 1: 31.) Frustra sperabitis prævalere posse Deo: frustra Regibus terræ, cum illis Deus in cor dederit, ut faciant voluntatem suam (*Apoc.* 17: 17.) & eos protulerit ut vasa iræ suæ adversus Babylonem: hoc enim opus Dei exercituum erit (*Jer.* 50: 25.) Frustra etiam erit testibus Dei, qvi has ultimas Dei Revelationes in lucem mittunt, insidiari, ad supplicia protrahendi desiderio. Qvo enim id usu? An ut cum illis lux hæc extingvatur, ut ne luceat? Non potest, ardet jam: factum infectum non redditur. An ut præteritorum seculorum rabies in illis terminetur? Fiat, si ita placet Deo, ultima illis martyrii corolla imponatur; majori eos gloriâ afficere non potestis. *Sed utinam saniora ineatis consilia! pro vobis potiùs conservandis, qvàm aliis perdendis.*

Tandem, si revelationes istæ prolixiores videbuntur qvàm ut à vobis circa majora (gladium utrumque) occupatis legi possint, & summam tantùm audire placeat: eadem est qvæ epistolæ Christi ad Angelum Ecclesiæ Laodicensium (*Apoc.* 3: 14.) *Aut RESIPISCERE aut PERIRE.*

SERENISSIMI REGES,

CELSISSIMI PRINCIPES,

INCLYTÆ RESPUBLICÆ.

DEus Deorum Dominus loqvutus est, & vocavit terram à solis ortu usqve ad occasum! Ex Sion species decoris ejus, Deus manifestè veniet, & non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet: & in circuitu ejus tempestas valida. Advocans cœlum & terram, ut jus dicat populo suo. Congregate mihi sanctos meos, &c. (*Psal.* 50: 2. &c.) Hæc ecce summa est contestationum Divinarum, per omnia Oraculorum Dei qvocunqve seculo editorum volumina sparsarum: *non semper ad impietates Mundi taciturum esse Deum, sed venturum aliqvando cum judiciorum suorum procella ad suos liberandum, impios verò abolendum.* Præsens autem Volumen jam transivisse conniven-

niventiæ tempora nuntiat: *jam super Orbem terrarum inducturum esse Deum mala, gladium & famem, mortem & interitum: qvia superpolluit iniqvitas omnem terram, & adimpleta sunt nociva opera illorum. Propterea dicit Dominus, jam non silebo, nec diutiùs sustinebo! Ecce sanguis innoxius clamat ad me! & animæ justorum clamant perseveranter. Vindicans ergò vindicabo illos, dicit Dominus &c. Væ seculo huic, & iis qvi habitant in eo! Qvia appropinqvat Gladius & contritio: exsurget gens contra gentem ad pugnam, & romphæa in manibus eorum &c. Propter superbiam eorum civitates turbabuntur, domus evertentur, homines trepidabunt, propter tribulationem multam. Ecce ego convoco, dicit Dominus, omnes Reges terræ ad me reverendum! qvi sunt ab Oriente, & Austro, & ab Occasu, &c.* (4 *Esdr.* 15. *v.* 5. *ad finem.*) Ecce Vos jam præsentis libri clamoribus convocat, ô Europæ Reges, Deus! *daturus in corda vestra, ut faciatis qvod placitum est illi*, &c. (*Apoc.* 17: 17.) Venite ad spectandum, qvalia & qvanta vobis non videnda tantùm & audienda, vel cognoscenda tantùm & expendenda, sed audenda etiam & agenda, Dei Deorum nomine offerantur. Ad qvorum vel primum aspectum annon fraudem & fucum metuetis? ne scilicet pro luce tenebræ, pro pace bella nova, pro Deo Satan, vobis offerantur. Metuendum utiqve: qvia tantis in rebus decipi res periculi plenissima. *Cavete igitur decipi, ô Majestates! A qvo nam?* A Satana in Angelum lucis transformare sese gnaro; rursumque ne Angeli lucis (si hos ad nos mittat Dominus) agnoscantur, nebulâ excitatâ efficere callido. Cavete & à nobis, aliisque talia offerentibus, ut ne deceptores simus, aut decepti decipiamus. Cavete ab ipsis Consiliariis vestris, Ecclesiasticis & Politicis, hæc svasuris aut dissvasuris. Cavete denique à vobis ipsis, ut ne propriâ credulitate vel incredulitate decipiamini. *Qvid ergò faciendum?* Notum id humiliter fecimus in Dedicatione ad vos, ô Reges & Potestates, cum altero abhinc anno Lucem hanc è tenebrarum carceribus in aperta cœli mittere statueremus: recensitis etiam causis, cur hæc talia (non ab aliqvo mortalium, sed ab ipso immortali Mundi Præside venientia) ante alios Majestati Vestræ offerri digna censuerimus. *Primò*, propter argumenti majestatem: qvia qvæ Deus de cælo dignatur loqvi, Dii in terra in primis audire dignari debent (*Ps.* 82.) *Deinde*, qvia seculis antiqvis voluntatis suæ Nuntios ad homines mittendo Deus, non in occulto eos mussitare, aut plebi tantùm mandata Dei nuntiare, voluit; sed primoribus populi, ipsisqve Regibus, qualia & hîc mandata esse data patebit. *Tertiò*, qvoties hæc Vestram in notitiam deducere tentabamus per Consiliarios vestros, aut per Ecclesiasten vel Confessarium hunc vel illum, res non processit: nemine rebus ævo nostro tam insolentibus & suspectis intricare se, & fanatismi notam incurrere,

sustinenæ. Scient ergò jam hæc omnes, ut nescire neqveant summi etiam.

Qvartò, Occasio nunc data est subitaneâ congregatione Legatorum Vestrorum, ad pacem tractandam Bredæ. Ubi qvia spes est affuturos, non vicinorum tantùm aliquot Regum & Rerumpub. inter se speciatim pacem ambientium, Caduceatores: sed & alios undecunque venientes emissarios & speculatores: commodum est visum occasione hâc ita uti, qvomodo Regum Legatione Jerosolymis uti Jeremiam docuit Deus (*Jerem.* 27. *v.* 1. *&c.*)

Qvintò, qvia non bona fama est de multis Consiliariis vestris, ô Reges & Principes, (*Machiavelli discipulos esse, Mundum humanis consiliis regi credere*: bonum erit librum hunc, in qvo alius qvispiam rebus humanis consilia subministrat, velut in Lydium lapidem exstare, ut num rectè sentiant vel tandem constare possit. *Demum*, qvia qvicqvid agimus nos mortales, *cogitationes nostræ timidæ, & providentia nostræ incertæ sunt*, (*Sap.* 9: 14.) Deum consultorem respectandi (*nam & ipse sapiens est*, *Jes.* 31: 2.) occasiones objicere maximè tempestivum videtur tunc, cùm maximè inter arma totius Europæ pacis qvoqve consilia vigere deprehenduntur.

Scopus enim harum revelationum, apertæque jam illarum editionis, primarius hic est, *ut se Christiani sistant, ut à bellis & furore desistant, ut ad Deum revertantur: ut ultimam illius iram & interitum præveniant. Aut si jam surdis narratur fabula, ut interitûs sui contra seipsos Deo testes sint: Deum voluisse, homines autem noluisse*, (*Matth.* 23: 37.

A vobis autem *Reges & Potentes*, videbitis re qviri hîc, *ut exemplo seriæ pœnitentiæ populis vestris præeatis, abominabilesque Mundi confusiones ne diutiùs otiosi spectetis, sed in antiqvum divinitus institutum ordinem omnia* (in Ecclesia & Politia) *reducere, tandem aliqvando seriò ac severè incipiatis: Deo vobis auxilium suum & benedictionem promittente.*

Qvô ut efficaciter veniri possit, *tria vobis media* (testes sint COELUM & TERRA!) *divinitùs hîc ostendi, svaderi, mandari, agnoscite.*

I. *Ut potestatem & authoritatem vestram resumatis: sceptra vestra diutiùs aliena in manu non relinqvendo.*

II. *Ut vos in consensum, & consiliorum unanimitatem redigatis, omnes in Deo unum facti pro illius gloria, & salute vestra & regnorum vestrorum.*

III. *Ut in Unitatem redacti, unum tamen è medio vestri vobis consiliorum ducem, ordinisque custodem, eligatis.*

De potentia resumenda ita hîc vox Dei (apud Drabicium) Rev. 214. v. 13: *Vobis ego mandavi, Reges & Principes, ut VOS, VOS præsideatis. Nam & nomen à me habetis, non ab Angelo vel alia creatura.* Et Rev. 255. v. 13. 14. *Revertimini Reges terræ ad Sceptra vestra, ut regnetis*

sine

fine dominatu super vos superbæ illius spiritualis potestatis, non spiritualiter sed mundanè vobis, legitimè à me constitutis potestatibus, dominantis, & vos deprædantis. Isti enim spirituales detrahebant capiti vestro honorem, quem ego illæ nunquam dedi, nec ipse in terra existens unquam usurpavi, tametsi omnem cælo & terra potestatē à Patre mihi traditam habui. Et similia alibi. Qvod non hæresin esse, nec rebellionem, sed luxati ordinis reparationem, ipsi sapientes Politici vos docebunt, conscientiosiqve Theologi fateri necesse habebunt. Legatur *Hugonis Grotii de Imperio summarum potestatum circa sacra Commentarius posthumus*, Parisiis anno 1647. editus; ubi mox capite primo *summis potestatibus Imperium circa sacra competere*, è fundamentis divini & humani juris, & ex ratione naturali, & authoritate divinarum scripturarum, & consensu Christianorum veterum, & modernorum Reformatorum, ipsorumqve Pontificiorum confessione, tam potenter demonstrat, ut contra hisci neqveat. Qvi Commentarius si cui, forsan hæc lecturo, ad manum non sit, paucula inde hic enotabuntur. Pag. 4. dicit. *Omnem animam summis potestatibus subjici debere, docet Apostolus:* addit Chrysostomus, *etiam Sacrorum administros; etiamsi qvis Apostolus sit, etiamsi Evangelista, etiamsi Propheta.* Bernardus verò epistolâ ad Archiepiscopum: *Si omnis anima, ergò & vestra; qvis vos excipit ab universitate?* Pag. 8. *Augustinus felices dicit Reges, si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum majestati ejus famulam faciunt.* Ipsi Imperatores Theodosius & Honorius in epistola ad Marcellinum: *Neque aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis consiliis ordinamus, nisi ut veri Dei cultum Orbis nostri plebs devota custodiat.* Pag. 10. iterum ex Augustino, super Psalmum 2. commentante: *Rex, qvà homo servit Deo fideliter vivendo; qvà verò Rex est, justa præcipiendo & contraria prohibendo. Sicut servivit Ezechias lucos & templa idolorum, & illa quæ contra præcepta Dei constructa fuerant, destruendo. Sicut servivit Josias talia & ipse faciendo. Sicut servivit Rex Ninivitarum, universam civitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut servivit Darius, Idolum frangendum in potestatem Danieli dando; & inimicos ejus leonibus ingerendo. Sicut servivit Nabuchodonozor, omnes in Regno suo à blasphemando Deo vero lege terribili prohibendo.* Pag. 11. ex Augustino iterum: *Omnes Reges qui populo Dei non prohibuerunt, nec everterunt, quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur: qvi autem prohibuerunt & everterunt, super aliorum merita laudantur.* Et mox: Non malè Leo Episcopus (Romanus) ad Leonem Augustum: *Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solùm ad Mundi regimen, sed maximè* (NB. maximè) *ad Ecclesiæ præsidium esse collatam.* Summatim omnia Socrates comprehendit cùm dixit: *Ex qvo Imperatores facti sunt Christiani, res Ecclesiæ*

ab

ab ipsis dependisse. Pag. 12. Basilius Imperator *Ecclesiam* vocans *Navem universalem, gubernacula ejus à Deo sibi ait concredita.* Circumfertur & Eleutherii Romani (Episcopi) vetus epistolium, qvô Regem Britannum *Vicarium Dei* vocat in regno suo, agens de negotio Religionis. Et Concilium Moguntiacense Carolum Magnum vocat *veræ Religionis Rectorem.* Neqve aliter sentire Ecclesias nostro ævo ad exemplum vetus repurgatas, testantur ipsarum Confessiones, &c. *Anglicana Ecclesia etiam excommunicandos censuit illos, qvi affirmarent Regem Angliæ non eandem habere in causis Ecclesiasticis auctoritatem, qvâ usi sunt pii Hebræorum Reges. Pag.* 21. recitat Romanæ Ecclesiæ qvosdam Scriptores, eorumqve testimonia. Ut Johannis Parisiensis, qvi scribit: *Licitum est Principi abusum Gladii Spiritualis repellere eô modo qvô potest, etiam per Gladium materialem: præcipuè ubi usus Gladii spiritualis vergit in malum Reipublicæ, cujus cura Regi incumbit; aliter enim gladium sine causa portat, &c.*]

Hæc de Potestatis Secularis authoritate reassumenda: ad qvod animorum unione, consiliorumqve communione, & virium conjunctione, opus esse innuit olim jam divina Apocalypsis cap. 17. v. 17. futurum promittens, *ut Deus det in corda Regum* (ποιῆσαι τὴν γνώμην αὐτοῦ, καὶ ποιῆσαι μίαν γνώμην, *facere sententiam Dei, & facere sententiam unam*: hoc est:) *Unire se & consilia sua, ad faciendam voluntatem Dei: neqve diutiùs dandum regnum suum bestiæ, qvàm donec consummentur verba Dei.* Jam autem esse consummata, ecce novâ Apocalypsi testatur Deus! Ad qvod unanimiter cognoscendum, unanimiterqve consultandum, & unanimiter qvid huc seculorum delatis faciendum sit concludendum, *Concilio universali opus esse iisdem hisce Revelationibus ostendere dignatus est Deus*; sicut & nominare locum, & qvid ibi agendum ac peragendum erit, Rev. 278. 23. &c. Convocandi autem *Concilium generale* potestatem penes solum Imperatorem, & Reges Christianos esse, eosdemqve ibi præsidere debere, demonstravit potenter Grotius, prædicti Libri Capite VII, à pag. 139. ad 181. Cùm igitur hoc nostro tempore, in tantis rerum confusionibus qvantæ Orbem Christianum obruunt, nullum sub Cælo efficacius remedium haberi possit, atqve legitimum, liberum, universale Concilium, ubi omnes Orbem Christianum scindentes & turbantes controversiæ, Ecclesiasticæ & Politicæ, simul & semel ab integro, & ex fundamento, placidè tamen & inspiritu lenitatis, cognoscantur, componantur, determinentur: nihil utilius erit qvàm de tali Concilio qvam primum convocando Regales suscipi curas, omnibus etiam aliis interim sepositis ac suspensis, qvæ à principali hoc scopo animos avertere possint, consiliis.

Sinite

Sinite Vos convocari, ô Reges & Principes terræ, ad inserviendum hâc ratione voluntati Dei (4 *Esd.* 15: 20.) præveniendumqve ulteriora illa mala, ultimo huic seculo per Angelum ibi denuntiata. *Exiit enim ignis ab ira ejus, & devorabit fundamenta terræ, & peccatores qvasi stramen incensum (v. 23.) Ecce nubes ab Oriente & Septemtrione usqve ad meridiem! & facies eorum horrida valdè, plena iræ & procellæ (vs. 34. &c.) ut exterreant omnem Terram, & inhabitantes eam, infundantqve ignem & grandinem, & gladios volantes, & aqvas multas (40, 41.) demolianturqve Civitates, & muros, & montes, & colles, & ligna sylvarum, & fœnum pratorum, & frumenta agrorum. (42.) Et transibunt constanter Babylonem usqve (43.) qvam circumsidentes effundent omnem iram super eam, & subibit pulvis & fumus usqve in cœlum, & omnes in circuitu lugebunt eam (44. &c.)* Sensus est: si Christiani confusionum suarum Babylonem destruere tardabunt, Deum aliunde adducturum destructores, ab Oriente & Septentrione &c. Melius ergò destruere Babylonem, & servari à facie iræ, irruente in Babylonem; qvam cum Babylone destrui ac perire: qvod curâ Vestrâ præveniri vult Deus, ô Reges. Prævenite igitur, & pro salute Orbis, & Vestra, nihil non agite: qvomodocunqve consvetis artibus suis (dolis, terroribus, vi) opponere se volet Babylon. *Causa enim Dei est, non Vestra: qvi Babylonem destructam vult manu Vestra:* qvemadmodum apud antiqvos Prophetas legere est (præsertim *Jes.* 13. & 14, & 44. 45. &c. *Jer.* 50. & 51. *Cap. Apoc.* 17.) & hîc millies repetitur. Opus itaqve hoc qvia Omnipotentis est, procedet, etiamsi omnes inferi obices & repagula ponant: omnia enim frustra jam fore promittit Deus. Memorabilia sunt Angeli apud Coterum verba: *Etiamsi mare se effundat super ignem hunc, extinguere tamen illum non valebit, qvia Dominus illum accendi mandavit (cap. x. v.* 17.) Et ipsius Domini apud Drabicium: *Nulla ratiocinationum humanarum circuli, nec ulla astuta hostium meorum consilia, obtinere poterunt, qvin conspiratio contra Babylonem, & Meretricem Bestiæ insidentem, procedat. Id autem qvis fecit, & faciet, nisi judiciorum meorum consilia, cum Babylonicæ ruinæ termino decurrentia? (Rev. 255. v. 6, 7.)* Et mox: *Qvàm discursabunt, ejulabunt, consilia qværitabunt, ut opus hoc sistant! sed omnia jam in cassum.* 9. *Ibunt enim ut diluvia Exercitus mei: neqve dicet qvisqvam, in cujus gratiam ista fiunt?* 10. *Sed hoc tantùm,* DESTRUENDI & EVERTENDI TEMPUS VENIT! *qvod auxiè expectabant per totam Europam ab Antichristo afflicti.* 11. *Volvebant filii Babylonis super montem altæ humanæ sapientiæ ac potentiæ saxum: qvod ecce jam revolvitur, superqve ipsosmet cadet, neqve sisti poterit donec superbiæ, tyrannidis, mendaciorumqve ac* im-

impostura cornua conterat - 13. *Revertimini ergò Reges terræ ad Sceptra vestra &c.* Reliqva in priori Dedicatione, ipsoqve Revelationum contextu, videri possunt. Nisi forsan ex Revel. 635. addatur: *Hæc voluntas mea est finaliter, ut hæc legant Nationes, ante alios verò Hollandi: qvibus ego bene faciam in tempore & æternitate, qvòd sonitum Tubæ meæ à se passi sunt exire.*

CRISTIANISSIME REX
LUDOVICE XIV,
Galliarum Imperator.

PEculiari alloqvio suo dignata est Cœlestis Majestas Te nominatim, Revelatione ad servum suum Drabicium ante decennium factâ (Anno 1657. Oct. 2:) peculiari ergò audientiâ dignabitur Tua qvoqve Majestas nuncios ejus ad Te, non cum verbis nudis missos, sed cum testimoniis fidem conciliantibus, Instructioneqve amplissima: qvæ seqvens *tri-unum Volumen Propheticum* explicabit ordine. Lege ô Rex, aut legenda hæc sapientibus TUIS trade! LUCEM è TENEBRIS non frustra vocari, experiemini; è densissima Confusionum nostrarum caligine lucidum in aperta exitum hîc monstrari videntes.

Audientur eqvidem hîc *Regis Regum*, CHRISTI, *querelæ*: *Regnum suum, qvod regnum Lucis est, fraudibus Principis tenebrarum adeò esse obtenebratum, ut Jerusalem sua facta sit Babylon: ubi nemo neminem intelligit, neqve seipsum qvisqvam satis.* Ideóqve omnia jam in regno suo, CHRISTIANITATE, non tantùm confusa esse, sed etiam ab imis fundamentis convulsa; Religione usqve ad non-religionem, *Atheismum*; Politiâ usqve ad non-politiam, *Machiavellismum*, fraudes & dolos; Philosophiâ usqve ad non-philosophiam, *Scepticismum*, nugas & fumos, progressis. Inde vacillantia esse omnia, & minari ruinam. Qvia rerum veritate amissâ Christus ipse, qvi veritas est, aut amittitur, aut perversis perversus redditur, ut ex Intercessore accusatorem, ex Propitiatore ultorem, ex Salvatore perditorem, habeant: qvod immissæ Orbi Christiano confusiones & plagæ testantur, continuandæ ad subversionem usqve, nî universali resipiscentiâ ultimus iræ furor prævenitur.

Consi-

Consilium tamen datur, millies hic repetitum; ut Tu Christianissime Rex cum aliis Christianis Regibus tantis malis obviam eatis, Reipublicæ Christianæ tam seriâ susceptâ curâ, qvantam tanta rerum ruina reqvirit: Omnia divulsa in UNIONEM, *confusa in* ORDINEM, *fucata in* VERITATEM, *reducendo: ad Orbi Christiano, & dehinc Orbi Terrarum, Lucem, Pacem, Salutem, postliminiò reddenda.*

Qvod gloriosum opus (RENOVANDI MUNDI ante ejus finem) Magnus Dominus præ manu habens, & Organa per qvæ sua æterna decreta in actum deducat qværens, TE MAGNE LUDOVICE Franciæ Rex nominatim huc invitat, imò vocat. Ut Regum agmen præcedendo, Davidemqve, Salomonem, Ezechiam, Constantinum magnum, Theodosium, & alios priorum seculorum Heroas sanctos repræsentando, Regni sui, ECCLESIÆ, Restauratorem agas! Additâ promissione boni successûs, istis inter alia (Anno 1656. 8. Junii prolatis) verbis: *Ecce omnes viæ, omnes semitæ, omnes tubæ, omnes libri, omnes voces & lingvæ omnium populorum & nationum, convenient in uno angulo Pacis, & in una communi charitate! cui similem pacem & dilectionem Mundus non vidit, à rerum exortu. Hæc tamen non venient* (NB.) *nisi post horam tertiam, sub regimine* UNIUS, *qvem caput* EUROPÆ *constituam* (Rev. 384. v. 8, 9.) Qvis autem unus iste sit, sæpius postea indicatur: ut Rev. 418. v. 19. sermone ad TE (gloriosissime Rex) directô: *Volo ut filii Europæ Te collocent super thronum, &c.* Qvô ut veniatur nihil astutiis opus, apertè agi omnia vult Christus: neqve spem locari in Exercitu aut robore, sed *in spiritu suo* (inqvit per prophetam Deus, *Zach.* 4: 6.) Non ergò amplius per streperarum Disputationum strophas, aut per exitialium bellorum furores (qvibus tot seculis nihil profectum esse nisi in pejus, ad majores semper rupturas & clades, Cœlum & terra clamant) sed per sapientem tandem aliqvando, à sapiente Elihu dati consilii, imitationem: JUDICIUM ELIGAMUS NOBIS, & INTER NOS VIDEAMUS QVID SIT MELIUS: (*Job.* 34: 4.) Europæ terror esse incipis Maxime Rex, formidabili Exercituum Tuorum robore. Sed annon amari præstet qvàm metui, cogitandum est. Et annon alia sint qvæ Tibi, Regum primogenito, agenda injungat Deus? Nempe ut (inito cum Collegis, Europæ Christianis Regibus, consilio) CONCILIUM ORBIS CHRISTIANI *convoces, ibiqve Controversias qvæ Orbem Christianum exitiosè distrahunt, Ecclesiasticas & Politicas, complanari facias; ut redditâ Orbi tranqvillitate, Angeli denuò Gloria in excelsis Deo, in terra verò hominibus* PAX, *cantare incipiant.*

Crede Heroicissime Rex, etiamsi Tu victoriosi militis myriades myriadum sub signis habeas, illorumqve strenuitate Orbem totum Imperio Tuo (sicut *Alexander Magnus, aut Romani*) subjicias, non tantum tamen gloriæ inde reportaturum Te, qvantum *si Orbe Christiano tranqvillatô, Regno Christi ad omnes sub Cælo gentes prolatando viam aperias*. Stant enim ecce ante fores Judæi & Turcæ, cum ignorantium adhuc Creatorem suum gentilium reliqviis: sed propter Christianorum dissidia, & furiosas adversus invicem actiones, teterrimaqve alia scandala, ingredi non possunt. *Aperite igitur portas Principes! facite ut se attollant portæ seculi! & introibit Rex gloriæ (Ps. 24: 7.) Venietqve desideratus cunctis gentibus, ut impleatur Domus Dei gloriâ (Agg. 2, 8.)* Absqve hoc fuerit & TU REX armis Tuis TIBI, non CHRISTO, regna qværes, omnes Tuæ victoriæ nihil nisi novi *Labyrinthi*, nova *Sisyphea saxa*, novæqve *Tantalea dapes* (non satietatem, sed nova semper famis & sitis irritamenta, afferentes) Tibi & aliis erunt: sicut Omnibus ante TE Monarchias fundantibus fuerunt. Qvia solus Christus is est cui Regnum æternum, hæreditasqve Gentium in possessionem ad fines usqve Terræ, data (*Dan.* 7: 13, 14. *Ps.* 2: 8. *&c.*) Super hanc petram ædificare, erit sapienter ædificare, ad stabilitatem: super se ipsum, aut alios mortales, consilia & actiones fundare, esset bases suas super arenam ponere, ad ruinam (*Matt.* 7: 24. *&c.*)

Nihil ergò majus & sublimius cogitare potes, REX MAGNE, qvàm ut ÆTERNI REGIS intentionibus intentiones subordinando Tuas, fias DAVID (dilectus Deo) Vir secundùm cor Dei: qvi cùm solius Dei qværeret gloriam, Deus capiti ejus aliam post aliam imponebat gloriæ coronam. Poterisqve Psalmum Davidis decimum octavum (in vulgata XVII.) facere Tuum, cantillando qvotidie *Diligam Te Domine fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, liberator meus, adjutor meus, in qvem sperabo: protector meus, & cornu salutis meæ. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis salvus ero &c.* (*v.* 29.) *Tu Domine illuminas lucernam meam, Deus meus illuminat tenebras meas.* (30.) *In Te eripiar è tentatione, in Deo meo transiliam murum.* (33.) *præcinxit me virtute, expeditam reddit viam meam:* (34.) *Alacres facit pedes meos tanqvam cervorum, super excelsa statuit me.* (35.) *Docet manus meas ad prælium, ponit ut arcum æreum brachia mea, &c.* (47.) *Vivit Dominus, benedicta rupes mea, &c.*

Item ex Psalmo 75. *Tremefacta est Terra, & omnes qvi habitant in ea: sed ego firmabo columnas ejus.* 5. *Dicam insanientibus, Nolite insanire: & iniqvis, Nolite attollere cornua.* 7. *Non enim ab Ortu, vel occasu, vel meridie, est exaltatio:* 8. *Sed Deus Judex hunc deprimit, illum extollit.* 9. *Qvia calix*

lix in manu Domini vino turbido plenus est, ex qvo infundit omnibus: feces tamen ebibent omnes peccatores terræ. 11. *Ego autem omnia peccatorum cornua confringam, ut exaltentur cornua justi.* Qvod ut non per vim (potentiæ abusu, eoqve cum aliqvorum injuria) fieri qvisqvam calumniari possit, sac qvod potens in Græcia Rex, *Amphictyon*, fecit. *Institue totius Christiani Orbis* (sicut ille totius Græciæ) CONCILIUM, *qvod* (qvemadmodum ibi) *sanctissimum dici mereatur: qvippe ubi nihil nisi causæ sanctæ, gloriam Dei & populorum salutem spectantes, à Viris gravissimis agitentur: nihilqve aliter qvam publicis votis & suffragiis concludatur, ad universalem inter omnes fundandam, constanterqve dehinc servandam, Pacem & Concordiam. Felix illa hora*, qvâ hujus rei sanctum desiderium pio Tuo cordi, pie David, inspirabit Dominus! *Felix illa dies*, qvâ Tuæ hoc nomine ad populos Christianos scriptæ, omnesqve ad Domum Domini in Jerusalem (locum scil. qvem ostendet ipse Dominus) convocantes, exibunt literæ: *sicut ab Ezechia Rege factum, dimissis nuntiis per totum Israel* (2 *Par.* 30. *v.* 5. - 13.) *Felix ille annus*, qvô talis congregatio Christianis populis celebrabitur! *Felixqve Orbi Seculum*, à tali sancta solemnitate inchoatum.

Tametsi autem potestatem hanc (Generalis Concilii convocandi) uni alicui soli dari, aut curam ejus commendari, his in Libris non legimus, sed in genere *Fœderatis* (Rev. 411. 9.) nempe *Regibus, qvibus Deus in Cor dabit inire consensum ad exeqvendum voluntatem Dei* (*Apoc.* 17: 17.) Qvia tamen Te Christianissime Rex in caput Regum Europæ renunciari placuit Deo: primariò Tibi has injungi curas dubitari non potest. Nempe ut *Fratribus & Collegis Tuis resumendæ potentiæ, & in rebus Ordinem Mundi & Ecclesiæ spectantibus præsidentiæ, author & svasor sis*: nullâ in contrarium auditâ eorum, qvi Vobis summis Potestatibus datum divinitus honorem hac parte præripuerant, protestatione. *Qvisqve Rex in Regno suo* (utpote *vicarius Christi* Eleutherio Papa teste) *potestatem habet convocandi Concilii* (ut Grotius demonstravit Cap. VII.) *Ergò communis Concilii potestas in communi Regum consensu sita est.*

Nec audiendi erunt, si qvi fortè Concilii hujus utilitatem elevare volentes, notum Nazianzeni dictum prætendent: *Ego, si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, ut omnia Episcoporum Concilia fugiam: qvoniam nullius Concilii finem lætum faustumqve vidi, nec qvod depulsionem malorum potius, qvàm accessionem & incrementum, afferret.* Non enim Concilium res mala est (qvippe ordinatum ab ipso Christo scandalorum remedium, *Matt.* 18: 17: salubriter ab Apostolis usurpatum, (*Act.* 15.) sed *Concilium illegitimum res*

mala est. Ubi partes litigantes non ut humiles Christi dicipuli, veritatem & pacem qværsituri; sed ut fastuosi gigantes, pacem & veritatem dolo aut vi disturbaturi, conveniunt. Et ubi res non ordine justo procedunt, sed confusè aut tumultuariè: cùm *Judicandi seipsos constituunt Judices*; aut factio factioni qvibuscunqve modis insidiatur, non veritatem qværendo, sed victoriam; non pacem, sed triumphum. Tale Concilium, imaginem habens ædificationis Babylonicæ turris, qvomodo bonum inveniat exitum? *Concilium legitimum conformari oportet structura Templi Jerosolymitani*, I. *Sanctissimâ intentione à Davide & Salomone suscepta*; II. *Sapientissimorum Artificum ope sic administratæ, ut nec securim nec malleum adhiberi opus fuerit* (1 *Reg.* 6: 7.) III. *qvia omnia formabantur ad exemplar ab ipso Deo, per manum Nathanis, missum* (1 *Par.* 28: 19.) Fuerint ergò præteritorum seculorum Concilia potiori parte Babylonicis structuris similia, sine bono exitu: qvid hoc spem nostram, qvos Deus in tempora destruendæ Babylonis reservavit, impedit? si Vos Reges, in qvorum Corda Deus dederit facere qvod placitum est illi, I. Sanctissimâ qvoqve intentione (non factiones adversus invicem sovendi, sed omnia in Unitatem & ordinem reducendi) II. assumptisqve in consilia, & ad operas, Viris in qvibus est spiritus Dei, Sapientiæ & consilii, *Exod.* 35: 30. - 35. III. ad ideas deniqve qvas Vobis per Nathanes suos submittet Deus, opus hoc Dei agendum & paragendum susceperitis.

Reliqva (particulariter etiam descripta & præscripta) reperientur in hoc tri-uno Volumine: qvorum ductum si cum aliis Christianis Regibus seqvi voles, Christianissime Rex, *indubium est Orbem totum brevi fore Christianum, temporaqve pacata, religiosa, illuminata, plusqvam Salomonica* (*ut apud Kotterum Angelus loqvitur*) *qvalia sub seculorum finem à seculis promittebat, illaqve jam adventare novis Revelationibus svavissimè in memoriam revocat, Deus.*

Jam ergò Tu, ô Rex, qvanta Christus Christiano suo populo gaudia paret videns, & qvanta rursum Tu Illi cum aliis Christianis Regibus (imò præ aliis, qvia Christianissimus vocatus es) ministeria debeas, attentiùs ac unqvam expendens, *Para Christo regnum in Terra qvietum, amotò æmulo:* Illeqve rursum TE secum gloriosè (tum hîc, tum in Cœlo) regnare faciet. *Gaude Tibi similia mandari, & promitti, ut olim Cyro. Mandari: ut sis Pastor Domini* (h. e. Custos gregis ejus, Ecclesiæ. Ecclesiæ dico totius, non partis ejus alicujus: ut est Ecclesia Græca, Latina, Gallica, Anglica, Germanica &c. Qvicunqve enim invocant nomen Christi, populus Christi sunt, oves gregis ejus:) *complens omnem ejus voluntatem; dicens Jerusalem, Ædificaberis;*

ficaberis; & Templo, Fundaberis: (*Jes.* 44: 28.) Promitti autem qvid? Audi ipsius Dei verba, (*Jesaiæ* 45. v. 1-4.) *Hæc dicit Dominus uncto suo, Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus Gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eos januas, & portæ ut illi patescant. Ego ante Te ibo, & gloriosa humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcanas opes: ut scias me esse Dominum, qvi te nomine tuo voco, tametsi me nondum cognovisti.* Hæc de Cyro: qvid autem de Te? non absimilia, Rev. 430: 4. *Rex Galliæ in Imperii caput eligetur, distribuetqve populis Christianis privilegia, ad liberè serviendum mihi æternum viventi.* Et Rev. 438. v. 13, 14, 15. *Hoc ego fine Galliæ Regem introduco in Imperium, ut Ille cum aliis me noscentibus dextram offerat Gentibus extra Ecclesiam adhuc constitutis: qvò illæ quoqve jam vobiscum confiteantur me esse Jesum, Filium Dei vivi, solum Salvatorem hominum. Atqve tum implebitur quod dixi, Unum fore Ovile & Pastorem unum &c.* pluraqve hinc inde similis argumenti. Unde patere poterit, *Qvò plus potentiæ ac authoritatis in Te (Regum eminentissime) collatum est, eò majora expectari à TE.* Qvid ergò facies?

Cyrus Rex, cùm post expugnatam Babylonem Jesaiæ vaticinium à Judæis sibi (Josepho teste) exhibitum legeret, expressumqve nomen suum videret, credidit Deo, & mox populo Dei è captivitate Babylonica liberationem procuravit, datâ omnibus redeundi licentiâ, & pro restaurando Templo Dei mandatis: ut 2 *Par.* 36: 22. & 1 *Esdræ c.* 1. legere est. Annon imitaberis, redivive Cyre? Sic etiam impleturus officium, qvod ipse Christus sibi injunctum (exseqvendum partim per se, partim per unctos suos Cyros) testatur: *Spiritus Domini super me! eò qvod unxit me ad læta nunciandum mansvetis, medendum contritis corde, prædicandum captivis libertatem, vinctis aperturam (carceris.) Ad prædicandum annum placabilem Domini, & diem ultionis Dei nostri, ad consolandum omnes lugentes &c. Et ædificabunt deserta à seculo, & ruinas antiqvas erigent, & instaurabunt civitates desolatas, &c.* (*Jes.* 61: 1. &c.) Si hoc idem facies Tu, verè opus Christi Filii Dei facies, *qvi in hoc apparuit, ut opera Diaboli dissolveret* (1 *Joh.* 3: 8.) Qvænam opera Diaboli? *Opus Satanæ fuit, & est, destruere in homine imaginem Dei, cujus fastigium est LIBERTAS, nulli aliis Creaturæ communicata: bonum naturæ humanæ tam tenerè adamatum, ut Vitæ præferatur, ut qvisqvis banc eripit plusqvam vitam eripiat.* Et qvia satan Homini primo majorem adhuc Libertatem promittens falsam, eripuit veram, exindeqve violentiis Mundum implevit; Christus autem Mundum ingressus dixit, *si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis,* (*Joh.* 8: 36.) *verissimè qvisqvis naturæ humanæ*

manæ Libertatem eripit, *ſatanæ opus agit*, *tanqvam veriſſimus Antichriſtus*; qviſqvis reſtituit, agit opus Chriſti. Cùm vero Chriſtus nunc illuſtri adventu ſuo deſtructum, totâqve Terra exturbatum veniat Antichriſtum; qvisqvis ſe glorioſæ huic Rerum reſtitutioni obſeqvioſum Deo dabit organon, *plus qvam Cyrus*, *plusqvam Alexander*, *plusqvam Auguſtus*, *plus qvam Conſtantinus aut Carolus Magnus*, erit: qvia majora nunc in ſalutem Orbis opera edere parat Chriſtus, qvàm unqvam; per majora itaqve organa.

Exſurge igitur contra omnes Antichriſtos, *h. e. Libertatum oppreſſores*, *Tu Franciæ Libertatum Rex!* (hoc enim eſt qvod vox FRANCIÆ ſonat:) & ubi ubi Chriſtianarum Gentium aliqvam ſub jugo, corporali aut ſpirituali, gemere ſenties, ſuccurre! Fac ceſſare exitioſa illa, & Chriſtianis indecora, Bella: qvibus alii alios ſubjugando, rapinis, incendiis, cœdibus, lamentis, & ad cœlum clamoribus, implent omnia. *Fac TUO tempore impleatur qvod futurum tempore noviſſimo prænunciavit Deus: fore ut feræ etiam beſtiæ cicuratæ, fiant grex Domini, placidè ſimul paſcentes: ut nemo nemini noceat in univerſo ſancto monte Dei* (*Jeſ.* 11.) *Utqve habitet gens qvæqve ſine timore in terra ſua, eruti à jugo durè dominantium,* (*Ez.* 34: 25. *&c.*)

Inprimis verò ut Chriſtiani populi à carnificina Conſcientiarum, qvam INQVISITIONEM vocarunt, gladiisqve, laqveis, vivicomburiis, carceribus, proſcriptionibus, & aliis torturarum generibus, adminiſtrant, liberentur, effice. *Eliminetur ex Orbe Chriſtiano abominabilisſima hæc abominatio*, *tanqvam manifeſtum Satanæ opus: qvod ille per impium fratricidam Cainum inchoavit*, *& per Pharaones*, *Saulos*, *Achabos*, *Jeſabeles*, *Antiochos*, *Caiphas*, *Nerones*, *Julianos*, *&c. continuavit*; *apud nos verò uno & altero ſeculo faſtigiavit.* Chriſtus Apoſtolos dimittens, *Docete*, dixit: *atqve ſi vos non receperint Abite, excuſſo pulvere.* Hæc tota fuit ſeveritas, quam Chriſtus erga ingratos exercere docuit, Apoſtoliqve uſi ſunt: nunc autem ad homines convertendos, aut in fide retinendos, Carnificibus uti Chriſtianum & Apoſtolicum erit? Væ inſaniæ noſtræ! Et qvô uſu vis adhibetur? *Non eſt opus vi & injuriâ* (inqvit Lactantius:) *qvia Religio cogi non poteſt. Verbis potiùs qvam verberibus res agenda eſt*, *ut ſit voluntas*, *&c. Qvid ergò ſæviunt? ut ſtultitiam ſuam, dum minuere volunt, augeant? Longè diverſa ſunt Carnificina & Pietas: nec poteſt aut Veritas cum vi, aut Juſtitia cum crudelitate conjungi, &c. Defendenda Religio eſt non occidendo, ſed moriendo; non ſævitiâ, ſed patientiâ; non ſcelere, ſed fide: illa enim malorum ſunt, hæc bonorum. Et neceſſe eſt bonum in Religione verſari, non malum: nam ſi ſangvine, ſi tormentis, ſi malò, Religionem defendere voles, jam illa non de-*

fen-

fendetur, sed polluetur atqve violabitur. Nihil enim est tam voluntarium atqve Religio: in qva si animus aversus est, jam sublata, jam nulla est. Recta igitur ratio est, ut Religionem patientiâ vel morte defendas: in qva conservata Fides & Deo grata est, & Religioni addit auctoritatem &c. (Lact. lib. v. cap. 19.)

Considerandum itaqve est Christianis (inprimis autem Tibi Christianissime Rex) qvàm inconsideratè eô prolapsi sint Christiani (& qvidem illi qvi Catholici dici volunt) ut id agant qvod nemo sanctorum Patrum, vel Apostolorum, Prophetarum, Patriarcharum, egit aut probavit unqvam, sed ut rem Cainiticam abominati sunt: & qvod ad intentionem nullius planè est usûs; ad propagandam nimirum fidem, qvamqvis veram putat. *Indociles planè sunt qvi non animadvertunt, nihil sic profecisse priores illos persequutores, nisi ut seipsos tandem everterint.* Nam tametsi ad tempus prævalere potuit Cain Abeli, Jesabel Prophetis, Antiochus Judæis, Pharisæi Christo, Nero & alii tyranni Christianis: qvô tamen tandem exitu? *Vivit, vincit, regnat, Christus cum suis: Tyranni verò alii post alios intereunt, cum suis. Stultitiam ergò illam* (ut Lactantius vocavit) *tolle à populo Christiano Christianissime Rex: Violentam illam Conscientiarum & corporum tyrannidem, aufer à Catholico populo Libertatum Rex.* Et facies verè opus Christi, verè liberis factis à Filio Dei, ope Tuâ, Christianis populis.

Si INQVISITIONIS nomen, & severitatem, retinere placet, retine: sed adhibendam in eas pravitates, in qvas eam adhibuerunt sancti in populo Dei Reformatares; *Moses, Josue, David, Asa, Jehu, Josias, Christus* ipse: inqvirendo severè in præceptorum Dei violatores, *Atheos, Magos, Aruspices, Idololatras, Perjuros, Sabbatorum profanatores, Parricidas, Homicidas, Machos, Sodomitas, Fures & Sacrilegos, Simoniacos, Calumniatores, &c.* (Videatur qvæ & qvalis sanctorum illorum *Inqvisitio* fuerit, *Exod.* 32. v. 26. - 30. *Jos.* 7: 25. *Psal.* 101. 1 *Reg.* 15. v. 12. 2 *Reg.* 10. & *cap.* 23, v. 4. - 21. 1 *Mach.* 3: 5. *Matt.* 21: 12. & alibi.)

Serenissime Regum, Nihil à Te reqvirit Deus, & expectat Christianus populus, nisi ut esse velis qvod audis, Nominaqve ac Tituli Tibi satis inditi sonant,

LUDOVICUS A DEO DATUS,
DECIMUS QUARTUS REX
FRANCIÆ CHRISTIANISSIMUS.

Ecqvid verò ista? Hoc volunt: ut qvoties TE nominari audis, REX

MAGNE, ad qvid natus sis, & peragenda Tibi fato injungantur, recorderis. Nempe

LUDOVICUS: (antiqvè *Luitweg*) Via populi, asylum, refugium populis.

A DEO DATUS: ex gratia, ut David, Salomon, Constantinus, &c.

DECIMUS QUARTUS: datus in organon exeqvendorum Dei judiciorum, Apocalypseos capite DECIMO QUARTO descriptorum. Nempe ut tempore Tuo *conspicuus fiat Agnus Dei stans super montem Sion, cum sanctis suis canticum novum cantantibus: Evangeliiqve æterni annunciatio incipiat omnibus super Terram gentibus & lingvis:* cum proclamatione *Cecidit, cecidit Babylon &c. peragiqve incipiat magna illa messis & vindemia gentium*, de qvibus apud postremum videntem multa.

REX: per se regnans, non ad hominis alicujus placitum, sed illius solius qvi dicit; *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*: (*Prov.* 8: 15.)

FRANCIÆ, *Libertatis*: ut populi omnes ab oppressionum jugo liberari qveant ævo Tuo, opeqve Tuâ.

CHRISTIANISSIMUS: præ omnibus hoc agens, ut mitis ille Rex Christus regnet super omnes, omni Antichristiana violentiâ ubiqve abolitâ.

Duo metuenda videntur, TIBI REX, & iis qvi TE secundùm Deum amant; *Satan homicida, & homines malesvadi.* Adversus qvos utrosqve firmâ fiduciâ in Deum, & heroicâ in propositis sanctis constantiâ, opus erit. *Satan qvippe Babylonica sua regna sibi disturbari ægrè ferens, stabit indubiè ut adversetur Tibi (Zach.* 3: 1.) *sed orandus erit Deus ut increpet Satanam, sicut ibi (v.* 2.) *Homines verò maligni*, sine Deo regnare avidi, nec Regum supra se Majestatem ferre, nec sceptra non ad arbitrium suum gesta tolerare, dominationes potiùs aspernari, majestatesqve blasphemare assveti, (*Jud. vs.* 8.) *si qvem Principum ad intentiones suas inutilem sibi putant, nec eum apertâ Inqvisitione aggredi audent, per Sicarios, aut Venenata pocula* (sacro sancti etiam Calicis) *aut per concitatas Rebelliones, tollere nulli religioni sibi ducunt.* Ut Avo Tuo Henrico IV, & antecessori ejus Henrico III, & Henrico VII. Imperatori (hostiâ in toxicatâ occiso) & Friderico primo (per Alexandri tertii proditionem) Saracenis objecto, & aliis, patuit. Nec ergò in Te qvoqve directa satanica id genus molimina defore, boni metuunt, tale qvid his ipsis revelationibus præmoniti. De talibus qvidem Cyrus, & antiqvi heroës, non præmonebantur: qvia tum seculorum

ſceleratæ Regicidarum artes ignota res Mundo erat. Deo, clypeo Tuo, commenda TE REX! ſolâ Davidica armaturâ TE ab his ſagittis ab hoc incurſu dœmoniorum tutari poſſe certus. Hanc igitur indue, Pſalmodiâ & invocatione Dei (qvi Mundi & inferorum malitiam ſua in manu habet) TE circummuniens perpetuò.

Magis metuunt prudentes, ne Tu ipſe TIBI & victoriis Tuis impedimenta attrahas, ô Rex, maleſvadis Conſiliariis obſeqvendo potiùs, qvam judicia ſua Tibi mandanti Deo: ſicuti Rex Joas malo ſuo fecit, 2 *Par*. 24: 17, 18. Ita enim fieret, ut apud ultimum Videntem minatur vox Dei: *Rex Galliæ tergiverſatur indicatam ſibi voluntatem meam exſeqvi. Si renuet conſtanter, alium reperiam, qvi cauſam aget meam.* Rev. 588: 7, 8.)

Non adverſus Eccleſiam Te concitamus, Rex Maxime, ſed pro illa, ut ſanes contritiones ejus: commota enim eſt, & conturbata undiqve! (*Pſal*, 60. *v*. 4.) Neqve adverſus Romanam, ſed pro illa itidem: qvia conturbata eſt illa etiam, & profundè à ſtatu primo, Apoſtolicæ ordinationis, prolapſa. Ut ne Deus ipſe reformandi nos cauſam habeat, ſi hominum nemo adhibere manum velit: ſive fulminibus ſuis de Cœlo, ſive miſſione barbararum Gentium qvæ nos reforment: ſicut hîc minatur (Kott. 27. v. 103. &c. Drab. 132. v. 4, 5. & per omnes Revelationes:) jamqve inchoat forſan, in Hungaria, Polonia, Mariqve mediterraneo per Piratas (toti Chriſtianitati immaniter noxios) nuperâqve horrendâ Raguſæ, aliorumqve locorum, ſubverſione.

Nunc ergò intelligite Reges! erudimini qvi judicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, &c. Beati omnes qvi confidunt in eo! Pſal. 2: 10, 11, 13. Tu etiam Ludovice Magne, Majoribus TUIS Major & beatior futurus; ſi intelligentior, ſi Numinis reverentior, ſi Deo qvàm hominibus placere avidior. Per ſalutem igitur TUAM, & Ampliſſimi Regni TUI, Regnorumqve Chriſtianorum, & ORBIS Terrarum (cui Rex Regum jam qvoqve ſuccurri vult, TUA etiam cooperatione) exoratus eſto, ne Voces iſtas Divinas & humanas in ventos mittas! Qvibus non aliud qværitur, niſi ut TU *Vivas, Vigeas, Floreas, Triumphes & Regnes* ſic, ut ope Tuâ (Chriſtianiſſimi Regis) CHRISTUS ipſe (ille Chriſtianis ſuis propemodum ignotus eheu! Chriſtus) Omnibus Gentibus noteſcat, & in iis vivat, triumphet, regnet. Amen!

Spiritus Sanctus inſcribat Regio Cordi TUO (ſi non aureis, at flammeis literis) illam bis factam (ad ſummum *Pontificem Heli*, ob indulgentiam peccatorum; & ad *Regem Saul*, ob inobedientiam) proteſtationem;

HONORANTES ME HONORABO,

CONTEMNENTES verò ME CONTEMNENTUR.

O Vocem tum ſolatii tum horroris pleniſſimam! deſituram judicii die in illas duas,

VENITE BENEDICTI!

ABITE MALEDICTI!


Tu autem, ô Deus, præveni nos Miſericordiâ Tuâ propter

CHRISTUM!

A M E N.







CHRISTOPH. KOTTER;

Civis & Alutarius S[illegible]enſis in Sileſia inferiore: natus in pago Langenaw (Luſatiæ ſuperioris) anno [illegible] ad munus propheticum vocatus anno 1616: mortuus 1647, ætatis 62.

Amos 7 v. 14. 15.) Non sum ego Propheta, nec prophetæ filius sed Armentarius vellicans ſycomoros. Dominus v. dixit ad me, Vade propheta populo meo Iſrael.

REVELATIONES
CHRISTOPHORO
KOTTERO

Civi & Alutario Sprottaviensi,

Ab anno 1616 *ad annum* 1624.

factæ,

Ex originali fideliter in Latinum translatæ, historiâque & Tabulis Chorographicis, ac utilibus subinde adjectis Notis, illustratæ.

ANNO M. DC. LXIV.

Actor. 23. v. 9.

Nihil mali invenimus in homine isto. Quod si Spiritus loqvutus est ei, aut Angelus, ne repugnemus DEO.

Jes. 42. v. 8. 9.

Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Priora ecce venerunt! nova verò ego annuntio: anteqvam oriantur, audita vobis faciam.

Irenæus Lib. IV. Cap. 43.

Omnis prophetia priusquam habet efficaciam, ænigmata & ambiguitates sunt hominibus. Cùm autem venerit tempus, & evenit quod prophetatum est, tunc prophetia habet liquidam expositionem.

Super Visiones

CHRISTOPHORI KOTTERI,

Præfatio Interpretis Bohemi, in Latinum translata.



QVisqvis es, mi homo, in cujus Scriptum hoc inciderit manus, primùm ego te per cœleste illud, qvô te ornavit Deus, rationis lumen, tùm per eam qvam proximo debes charitatis mansvetudinem, deniqve per eum qvem Creatori tuo debes honorem & reverentiam, obtestor, ne te præcipites in ferendo de hoc scripto, Scriptoréqve, judicio. Facilis enim hîc, nec extra periculum, lapsus: ideoqve te amicè priùs alloqvi, ac præmonere, necessarium duxi.

2. Deus noster, benedictus & adorandus Deus, ab initio eum servavit morem, ut non solùm doctrinæ puritate instrueret Ecclesiam suam, verum eam qvoqve Prophetiis, i. e. certis de rebus futuris (maximè quæ ad statum Ecclesiæ) Revelationibus ornaret. Apertè id ipsemet de se testatur, *nihil se facere, qvòd non ante patefaciat servis suis Prophetis* (Am. 3. 7.) patetqve id exemplis. Mundum enim priorem aqvis ob scelera deleturus, Noacho consilium suum, ut is alios qvoqve præmoneret, 120 annis antè detexit (Gen. 6.) sicut & Sodomam igne subversurus Abrahamo, & Lotho. Eidem Abrahamo posteritatis suæ in Ægypto sortem prædixit, tùm typis & figuris, tùm verbis apertis (Gen. 15.) Angeli apparebant Jacobo, Josue, Gedeoni, Manue, Samsoni, Samueli, & aliis multis. Testamenta Patriarcharum qvid nisi vaticinia fuerunt ad posteros? Inprimis autem testimonio sunt Prophetæ, qvos insigne aliqvid cum Populo suo patraturus Deus destinatò emittebat, atque instantia bona & mala, pœnas & miserationes suas, denuntiabat. Per Jesaiam excidium primùm Hierosolymæ, & captivitatem populi: postmodum Babylonis excidium, & populi liberationem. Ubi & Cyrum expressissimô nomine proclamari jussit, per eum se effecturum talia (cap. 45.) Ut populus Dei vel nomine tanti Herois auditô in spem erigeretur, eum ipsum esse divinitùs sibi destinatum liberatorem suum. Eidem Prophetæ Deus, qvas præterea & qvibus modis puniturus esset Nationes, indicavit: ut id legimus

 à cap. 10.

à cap. 10. ad 23. uſqve. *Jeremias*, *Ezechiel*, *Daniel*, *cæterique Prophetæ*, pleni ſunt exemplorum: qvæ nec in N.T. deſunt. Deum nempe vel per ſomnia, vel per Angelicas Viſiones, de futuris ſubinde ſuos præmonuiſſe. Exempla inqvam in promptu ſunt *Zachariæ*, *Mariæ* (Luc. 1.) *Joſephi*, *Magorum* (Matt. 1. & 2.) *Simeonis* (Luc. 2.) *Ananiæ* (Act. 9.) *Cornelii* & *Petri* (10. 3. 10.) *Agabi* (Act. 11. 21.) *Filiarum Philippi* (21. 9.) Habebat & *Paulus* Viſiones (Actor. 16. 9.) & ecſtaſin patiebatur (2. Cor. 12.) Inprimis autem *Johannes* in Apocalypſi ſua multa per Viſiones vidit & conſignavit, de tùm præſenti & futuro Eccleſiæ ſtatu, uſqve ad ſeculorum finem.

3. *Cauſa* cur & conſilia ſua, & Mundi Satanæque machinationes, piis revelet Deus, duæ ſunt: *Philanthropia Dei*, & *Neceſſitas noſtra*. Amat qvippe illud qvod ad imaginem ſui formavit, *æterna Sapientia*: ideoqve *ludit ſemper in Orbe*, & *deliciæ ejus ſunt cum filiis hominum* (Prov. 8. 31.) Exemplô id Abrahami qvoqve & Danielis patet: eos ideò, qvia charos habebat, conſilia ſua celare noluiſſe (Gen. 18. 17. 19. Dan. 9. 23.) *Accedit neceſſitas noſtra.* Providus enim noſter cœleſtis Pater novit, qvàm periculoſum foret liberis ſuis, & moleſtum, ſi in hujus vitæ ærumnis (qvibus eos prorſus hîc exemptos non vult) nullam certam, qvid, qvando, & ubi ſperandum eſſet, haberent informationem. Etſi enim Legis ſuæ Verbo apertè ſatis Homini, qvidqvid per univerſum Mundum geritur, providentiâ ſuâ geri & regi, voluntatiſqve ſuæ arbitriô (qvo omnes acqvieſcere par eſt) diſponi: imò qvidqvid tandem fiat, ſi Cœlum Terræ miſceatur, aut ruat Orbis & Orcus, Juſto tamen tandem benè fore, Impios autem temporalibus & æternis pœnis implicatum iri, oſtendit. Qvia tamen non ſemper humana fragilitas permittit, ut generales Scripturâ comprehenſas promiſſiones ſibi, & præſenti rerum ſtatui, accommodare ſciant: (adeo, ut pientiſſimi qvoqve miſeriarum mole obruti, viribus fracti, & ſenſibus hebetati, fatiſcant interdum, ac tantùm non deſperationis gurgite mergantur:) hâc de causâ ad infirmitatem noſtram condeſcendens benigniſſimus Pater, de imminentibus Mundo ruinis maturiùs ſuos præmonere ſolet.

4. Id quod perutile iis accidit. Qvia ſic, *primò*, Fides de Providentia validiſſimè roboratur, provocante adhoc argumenti genus ipſômet Deô (Jeſ. 41. 21. uſqve ad cap. 44.) *Deinde*, ingeneratur nobis timor Dei, ut commonefacti, Deum eſſe qvi Populos ut aquas commovet, & omnia maxima minima admirandis conſiliis diſponit, exclamemus cum Jeremia, *Qvis te non exhorreſcat Rex Gentium?* *Tertiò*, excitatur eo confidentior ſpes de promiſsâ miſericordiâ, ut minus metuant in die mali, ſed cum Abakuko dicant: *Etiam ſi ficus*

cus non floreat, & non sit proventus in vineis, & arva non adferant cibum, & abscindatur de Ovili pecus &c. ego tamen gaudebo in Domino, exultabo in Deo salvatore meo (Cap. 3. v. 17. 18.) *Præterea*, præcavetur sic, ut ne pii (prævidendo qvem terminum rebus malis jam destinârit Deus) cum impiis manum ad iniqvitatem extendant, Psal. 125. *Tandem*, afferunt Prophetiæ cœlestes magnum Credentium cordibus solatium: ut se non desertos in calamitatibus, sed Deo esse curæ, ejusque consilia in bonum sibi disponi, certi, non magni pendant, qvod adversi aliqvid pro voluntate Dei sufferre aliqvantisper necesse sit. *Impiis deniqve vaticinia ejusmodi, si innotescunt, in testimonium sunt:* ut omnes divinas præmonitiones, tùm Verbi, tùm Miraculorum (solet enim semper, cùm se ad iram accingit, ostentis & prodigiis pœnas priùs minari, qvàm inferat, Deus) susqve deqve facientes, eò justiùs trahantur ad pœnas.

5. Sed hîc qværitur: *Utrum adhuc sub* N. T. *ita cum hominibus agat Deus, ut eis vel Ipsemet voce suâ, vel per Angelicas Visiones, futura revelet? an verò revelationes post Christum conticuerint?* Qui posterius statuunt, dicunt, *Deum ultimò nobis loqvutum esse per Filium:* Apostolicum allegantes testimonium (Heb. 1. 1.) Sed non asseqvuntur Apostoli mentem, si allegant seriò. Apostolus enim cùm sibi proposuisset totâ Epistolâ Christi præ Mose, & Evangelii præ Lege, extollere eminentiam, jam in aditu ipso Testamenti utriusqve aperire incipit discrimen: modum Revelationum ibi & hîc factarum ita discriminans, ut ibi dicat variè qvidem factas, omnes tamen per homines puros putos, Prophetas; hîc autem per ipsum Filium, omnium Prophetarum, omniumqve Hominum, adeóqve omnium Creaturarum (utpote Creatorem, qvod mox enarrat) dominum. Utrum verò hic Dei Filius per se solus, nemine amplius è Legatis suis submissô, Ecclesiæ suæ enarraverit omnia, an verò etiam missurus esset aliqvos futura qvædam prænuntiantes, nulla hic ejus rei mentio. Aliunde autem constat, reliqvisse id potestati suæ: imò submittere Prophetas pollicitum, misisseqve reipsâ.

6. Promisit enim relicturum se Spiritum S. qvi (inter alia sua opera) etiam futura nuntiaret Ecclesiæ (Joh. 16. 13.) Si annuntiare Spiritus S. post Christi ascensionem in Ecclesiam demissus, debuit futura; excitare igitur (etiam post Christi ascensionem) debuit Prophetas, per qvorum os & calamum ventura illa prænuntiarentur. Unde Petrus, in ipsâ recenti Spiritûs S. effusione, Joëlis de propheticis, crebris & solemnibus, Somniis & Visionibus Vaticinium, ad tempora N. Testamenti applicans, divinum hoc svave opus ad horrendum usqve illum diem, qvi est Adventûs Christi ad judicium, extendi docuit (Act. 2. 17.) Et Paulus gradus Ministrorum N. T. enumerans, qvinqve ponit, *Apo-*

nit, *Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores, & Doctores.* Ubi per Prophetas Propheticæ Scripturæ interpretes (ut alibi interdum) non intelligi, satis patet, qvia hos proprio Doctorum nomine designavit. Ubi enim gradus Ministrorum enumerat, synonymiis ludere, & eandem rem bis ponere, qvid necesse fuit? Prorsus ergò, quæ sit plenitudo donorum ministerialium in Ecclesiâ ostendit, atqve omnes ordinarios & extraordinarios Ministerii gradus, recenset. Primò inqvam tres extraordinarios ponit, deinde ordinarios duos, qvos semper in Ecclesiâ retineri necessum est: cùm isti interdum solummodò, peculiaribus casibus, & peculiari cum mandato, emittantur. *Doctores*, sunt Scripturæ & fidei mysteria enarrantes, sive in Scholis, sive in Templis. *Pastores*, qvi præterea Animarum & Conscientiarum curam gerunt; Claviumqve & Sacramentorum sunt œconomi. *Apostoli*, sunt Doctores universales, ad totas gentes (peculiaribus donis instructi) emissi, ut nomen Christi etiam ubi auditum non fuit, plantent. *Evangelistæ*, sunt viri magnô lumine præditi, ut fidei veritas per ipsos defendi & propagari posset. *Prophetæ* autem (hôc propriô sensu) sunt qvos Deus futurorum revelatione, ad Ecclesiæ usum, dignatur: qvæ vocatio licet extraordinaria sit, Deum tamen, ubi & qvando eam adhibere velit sibi reservasse, satis inde constat: cùm & alios istos extraordinarios gradus (Apostolos & Evangelistas) adhuc interdum videant secula nostra, licet eos distinctis illis nominibus appellare non ita nunc moris sit.

7. Potissima tamen *ratio, cur donum Prophetiæ ab Ecclesia ne nunc qvidem removendum sit, est*; qvòd eædem nunc causæ, qvæ olim, perstant, ob qvas Deum Ecclesiæ prophetiis succurrere solitum ante commemoravimus. Et nunc sanè pios in fide roborari, in calamitatibus erigi, adversùs scandala præmoneri & præmuniri, impios autem cæcitatis & duritiei admoneri, necessum est. Non est verisimile, Deum imbecillitatem nostram auxiliis omninò deseruisse. Si qvis oggerat, *Nos Legem & Prophetas, Christumqve & Apostolos, satis in Scripturâ loqventes, habere:* respondebo, & antiqvos Legem, posteaqve priorum etiam Prophetarum scripta, habuisse; Deum tamen nihilominus peculiaribus casibus peculiares submittere solitum interpretes, qvi antecedentium vaticiniorum sensum instanti jam jam temporis articulô diluciùs applicarent. Vel saltem emittebantur ut Excitabula qvædam, qvi loco NOTA-BENE in hominum oculis essent, omnesqve per ipsos ad attentam divinorum antiqvis vaticiniis prædenuntiatorum Operum Dei observationem, eôqve ipsô ad pœnitentiam simul erigerentur: id qvod semper piis utile fuit ac salutare. Certè si Deus ita nostræ infirmitati subvenire jam nollet ampliùs,

condi-

conditio noſtra in Lege novâ deterior eſſet, obſcuriorqve, præ iſtis: qvod naturæ Novi Teſtamenti repugnat.

8. Inprimis autem, qvoniam in utriuſqve Teſtamenti prophetiis multa hactenus involuta proſtant myſteria: imò Danieli obſignare qvædam prorſus (Dan. 12. 9.) ut & Johanni (Apoc. 10. v. 4.) mandatum fuit [NB.] qvô fine qvæſo? An ut æternùm hæc Eccleſia ignoret? An ut in Cœlo demum reſignentur? Atqvi expreſsè dictum, *Obſigna ad tempus*. In cœlo vero non erit tempus, ſed æternitas. Ergò currente adhuc tempore iſta reſignanda ſunt. At qvis reſignare audebit, vel poterit, niſi is ipſe, qvi obſignare juſſit? Et qvomodo, niſi ſic qvomodo obſignavit? per ſubmiſſos extraordinarios Danieles & Johannes qvosdam? Et his qvomodo mandabit, niſi conſveto ſuo per ecſtaſes & viſiones more? Patet ergò Deum ſibi qvædam adhuc reſervaſſe in Scripturis, qvæ revelaret tempore ſuo: nec revelare aliter, qvàm per Spiritum Prophetiæ.

9. Nam qvidqvid hîc humani acumen ingenii proferre ſatagit, evanidum eſt: qvia *nulla Prophetia Scripturæ eſt propriæ explicationis*, inqvit expreſsè Petrus (2. 1. 20.) Reſqve ipſa arguit, omnium explicationes, qvotqvot in Apocalypſin, aut cæteras Scripturæ Prophetias, qvamcunqve ingenioſè commentantur, meras eſſe conjecturas, vel veriſimilitudines, qvibus firma certitudo, cui inniti qvis poſſet infallibiliter, non ineſt: ſæpè autem inſunt contradictiones, interdum etiam rerum obſcuratio magis qvàm elucidatio: in iis præſertim, qvæ nondum complementum ſortita ſunt. Nam alioqvi vaticinia poſt eventum intelligere, non omninò difficile eſt, ſed nec admodum proficuum: qvia ante factum, & in facto, ratione ac prudentiâ opus eſt, non poſt factum. Non itaqve veriſimile eſt, Deum prædictiones ſuas nonniſi poſt eventum intelligi velle: exemplaqve demonſtrant Deum Viſionibus ſuis, non poſt, ſed ante complementum interpretes ſubmittere. Qvaliter Pharaoni ſubmiſit Joſephum, Nebucadnezari & Balſazari Danielem, aliis alios, qui Viſiones Vaccarum, Arboris, Manûs in pariete ſcribentis &c. explicarent, idqve eô qvod ſignificabatur adventante. Cùm igitur multa adhuc involuta Scripturis continentur myſteria, Dei a. voluntas non eſt ut lateant æternùm, & interim hominum nemo ad infallibilitatem uſqve ratione propriâ penetrat: ſeqvitur revera id juris ſibi reſervaſſe Sapientiam Dei, ut Revelationibus novis Revelationum priorum aperire poſſet ſenſum. Atqve ita donum prophetiæ nondum ab Eccleſiâ ſublatum eſſe.

10. Et qvid ſvaſoriis argumentis opus, cùm res ipſa id loqvatur? Nam & *poſt Chriſtum, Petrus, Paulus, Johannes, Agabus, aliiqve, ſomnia & viſiones*

nes habebant, uti ante dictum. Et qvia in Historia Ecclesiastica exempla memorantur eorum, qvos Deus Visionibus & Revelationibus fuit dignatus, qvâ fronte rejiciemus omnia? Multa & de præsentibus Mundi commotionibus, aliqvot inde seculis vaticiniis decantabantur! imprimis qvæ *Brigitta, Hildegardis*, *Capistranus*, *Lichtenbergius*, *Carion*, *Theophrastus*, & alii quidam, scripserunt. Certè aliud dicere non licet, nisi Sapientiam Dei ludere in Orbe terrarum. Qvid autem ad id dicemus, qvod Sigism. Imperator, martyria Christi & salutem suam obtestans, scribit: Presburgi in Ungaria qvôdam mane auditam sibi fuisse vocem; *Sigismunde surge, siste te & confitere Deo, para locum & viam Ordinibus divinis. Scripta enim leges omnes vacillant, &c. qvas in ordinem revocabis, & præparabis viam illi, qvi post Te, nomine Fridericus Langenaugius*, (NB.) *veniet. Per hunc Deus multa operabitur, & tunc omne succumbet iniqvum: sed priùs ipsum Deus explorabit tentationibus & incommodis, &c.* (Videantur hæc ap. Joh. Wolfium pleniùs, Centuria XV. ad annum 1434.) Ab illo autem tempore nemo inter Hungariæ aut Bohemiæ Reges Fridericus fuit, ad Annum usque 1619. ubi qvalium rerum factum sit initium, palàm est, & qvid sperare nos jubeant fata, apud hunc nostrum Kotterum patriâ Langenavium, (NB) videbimus.

11. Certissimum igitur est Prophetias & Visiones in Ecclesia tam parùm desiisse, qvàm parum sapientia Dei in orbe ludere, & Christus ad dextram Dei sedens Ecclesiam donis ornare, desiit. Nam & præsens hoc nostrum seculum (atqve hoc imprimis) prodigiorum Cœlo & Terrâ, Somniorumqve & Visionum feracissimum est. Non qvòd omnis qvi se Prophetam venditet, admittendus sit: sed qvod non reprobandi omnes, qvi hoc nomine veniunt. Nam qvemadmodum Deus nunquam suos præmonere intermisit, ita ludificator Satan actionibus divinis, ad obscurandum eas, intermiscere suas nunqvam destitit. Ubi Deus suos *Mosen* & *Aaron*, ibi Satan suos *Jannem* & *Jambrem*, habet. Ubi unicus *Micheas* Dei nomine prophetat, ibi suos 400. opponit Satan, eôdem Dei nomine, falsô tamen, prophetantes. Ubi *Simon Petrus*, ibi ad latus *Simon Magus*. Ad eum ecce modum maledictus impostor & ipse ludit in orbe terrarum, deliciæqve ejus etiam cum filiis hominum sunt, ut eos fascinet.

12. Sunt alii, qvi non Satanæ instinctu, nec intentione malâ, malâ tamen præsumptione, & ingenii luxurie, non vocati, ad edenda vaticinia se proripiunt: alii astrologicis speculationibus, alii Cabalisticis calculationibus &c. innixi. Cujusmodi nuper fuerunt, sub initia horum motuum *Zieglerus*, *Prætorius*, *Plaustrarius*, *Nagelius*, *Felgenhavver*, eorumque similes: sed vanitas est.

tas eſt. Ratiocinationes enim mortalium ſunt timidæ, & cogitationes eorum incertæ (Sap. 9. 14.) Nam qvis Conſiliarius Domini fuit, & oſtendit illi? aut cum qvo ipſe iniit conſilium? (Jeſ. 40. 13.) Ille ſolus eſt Deus, qvi annuntiat qvæ futura ſunt: alii, qvotqvot id tentant, gloriam ejus, omniſcientiæ gloriam, attentant: ideóqve pudefiunt (Jeſ. 42. v. 8. 9. & 41. 22. &c.)

13. Sed tamen, qvemadmodum omnia ſine delectu vaticinia admittere imprudentiæ eſt, ita rejicere omnia impudentiæ, ingratitudinis, & tantùm non blaſphemiæ. Iraſcitur enim contemptoribus Deus, qvi neqve in opera Dei attendunt ipſi, neqve ſi qvis enarret credunt (Habak. 1. 5.) *At quid facias*, inqviet qviſpiam, *ubi tot fraudes occurrunt?* Reſpondet Apoſtolus: *Prophetias ne ſpernite: omnia probate, qvod bonum fuerit retinete:* (1. Theſſ. 5. 20. 21.) Et Johannes, *Probate ſpiritus num ex Deo ſint?* (1. Joh. 4. 1.) *Nam omnis Spiritus qvi ex Deo eſt, eſt Veritatis Spiritus, deducens in veritatem.* (Joh. 16. 13.)

14. Faciendum ergò id in his qvoqve Chriſtophori Kotteri Viſionibus, ſi qvis ad legendum illas conferre ſe volet (qvod ſanè ut velint omnes pii, optandum) ut benè primùm, qvomodo hæc, utrum ut humana, an ut divina, vel ut diabolica (quod avertat Deus) lecturus ſit, circumſpiciat. Qvod fortaſſis principiò ambiguum eſſe potuit, qvemadmodum adhuc iis, qvi plenâ rei cognitione deſtituuntur: nunc autem obſignatis Viſionibus, & prædictis undiqve in eventum propendentibus, dubitatione minus opus: præſertim ſi cui tota res, qvod ad hominem iſtum attinet, cognita ſit. Ego, lector pie (qvi unus ſum ex diſperſis, qvicunqve tandem) fateor, me (qvamvis gravium qvorundam virorum jam ante judicium audiveram, nihil hîc eſſe humani, ſed oracula verè Divina) negotium iſtud penitùs cognoſcendi flagraſſe deſideriô: eôque nomine in loca iſta, ubi hominis mihi eſſe poterat copia, me contuliſſe, atqve cum ipſo, & aliis qvi à principio cum illo erant, Viris bonis, benè multos dies converſatum, rem totam ex fundamento cognoviſſe: ut jam dicere qveam, me non propter alicujus ſermones, ſed qvia ipſemet vidi & audivi, & cognovi, ſtatuere, qvicqvid ſtatuo.

15. Ideóqve viſum eſt tantillum impendere laboris, ut tranſlatum opus hoc in vernaculam noſtram communicare, atqve chariſſimis meis, ſub cruce nunc gementibus, ſympatriotis in ſolatium ſubmittere, non piguerit. Judicium meum nemini obtrudo: rogo tantummodò, ne qvis apud ſe gnaviter expendere gravetur, unde hæc talia & tanta homuncioni iſti venire poſſint? Inuſitata enim, admiranda, atque adeò ſtupenda eſſe, quæ iſte viſa ſibi & audita recenſet, nemo erit omnium qvi legunt, qvin fateri habeat neceſſe. *Unde ergò iſta?* qværitur, & quærendum utiqve eſt. Aut certè à ſeipſo iſta habet, aut

bet, aut aliunde. Si à ſeipſo, tùm aut ab aliqvâ Melancholicâ imaginatione talia oculis & auribus obverſata fuiſſe; aut ea ſibi audaci temeritate confinxiſſe, ſuſpicabimur. Non illud: qvia per totum octennii tempus integris & vegetis ſenſibus, ſi qviſqvam alius, deprehendebatur, ut & adhuc. Neqve hoc: qvia Vir bonus, & teneræ conſcientiæ, & qvi adeò per triennium integrum refugiebat hoc munus, ut nonniſi velut alter Jonas rerum ſuarum naufragio, perpetuisqve conſcientiæ tormiuibus adactus, rem propalare, nimis tamen timidè principio, aggreſſus ſit. Tandem ſimplicitas ſua facilè eum hâc ſuſpicione liberat, utpote homuncionis illiterati, & præter opificii ſui, & exiguam Religionis cognitionem, omnia divina humana ignorantis: ut omninò aliunde iſta ipſi ſuppetere neceſſum ſit.

16. Unde autem? Annon ab ingenioſorum aliqvo iſta conficta, & ab hoc ſub Viſionum nomine, promulgata? Id ſi feciſſet, certè aut lucri, aut famæ ſpe feciſſet. Jam autem contrarium videmus: per id enim ad extremam inopiam redactus eſt, & in contemptum ac riſum, deniqve in carceres & vitæ diſcrimina. Qvis illi qvæſo tam charus eſſe poteſt, ut ob illius figmenta rem domeſticam, nomen, vitam, æternamque ſalutem ſuam, periclitari velit? Adhæc, audacter pronuntio, ſi centum milleni Eruditi capita contuliſſent, talia hæc nunqvam tamen protuliſſent: adeò hîc ſublimia myſteria, methodus, ſtylus, ut omnes Eruditos inſanire promptiùs ſit, qvàm talia imitari, nedum confingere.

17. Quid autem ſi magis qvàm certò tibi pollicear, Chriſtiane lector, à nullo hominum, niſi à ſolo hoc ſimpliciſta, iſthæc cuncta profecta eſſe, adhucne fraudis inſimulabis? Id autem tàm certum eſſe, qvàm te qvi hoc legis legere, pro indubitato habe. Primò qvædam in Curia, ternâ vice, à Notario Civitatis ex ejus enarratione conſignata: reliqva poſtea à Viris bonis ex dictantis ore excepta; poſtrema ab ipſomet (ubi pingere qvoqve literas qvaliterqvaliter didicerat) in chartam congeſta ſunt. Hoc mirandum, adeò divinam illi eſſe impreſſorum memoriam, ut anteqvam retulerit in chartam, ſingula verba, imò apices, eôdem quô audivit ordine, etiamſi centies recitanda eſſent, recitet. Unde neceſſariô ſeqvitur, ab aliqvâ altiori, qvàm qvalis in homines cadit, intelligentiâ, cuncta iſta proficiſci: à ſpiritu nempe, ſeu bono, ſeu malo. Malo autem iſta tribui non poſſunt, niſi nos Evangelii nomine perſecutionem perpeſſos Satanæ regnum, ipſos autem perſeqvutores Chriſti Eccleſiam eſſe, ſuſpicari velimus.

18. Qvid multis? divinane revelatio, an diabolica illuſio hæc ſit, nihil conjecturis opus, clara demonſtratio in promptu eſt. Dijudicationis inqvam ſpirituum

rituum & doctrinarum infallibilem accepimus regulam à Christo benedicto Servatore nostro, qvi *Doctrinam suam non à Diabolo* (ut criminabantur Pharisæi) *sed ex Deo esse, tribus evincebat argumentis.* (Joh. 8.) *Primò, qvòd esset consona veritati* (v. 46.) *Secundò qvòd in gloriam Dei spectaret* (v. 49. 50.) *Tertiò qvod plenos afferret consolationum fructus* (v. 51.) Unde certissima, & prorsus infallibilia, earum qvæ à Deo proveniunt doctrinarum, accipimus criteria.

19. *Satanica* qvippe semper, *primò, à Veritatis regula* (quæ est æternum Dei Verbum) *discrepant*, atqve adeò Scripturas vel transiliunt, vel pervertunt, vel involvunt, & variè obscurant. *Deinde eò tendunt, ut homines pro fine & scopo* (omnium hæreticorum & magorum exemplô id patet) *seipsos, famam, honores, opes, alienum favorem, & similia, intendant: & vanâ sui vel superstitiosâ Creaturarum, fiduciâ inebriati, Deum timere & revereri dediscant. Doctrinæ deniqve hominum, qvæ authore Satana proferuntur, vel stuporem inferunt conscientiis, vel opinionem saltem Consolationum, qvæ in tentatione non durant, sed diffluunt ut in sole nives.*

20. At verò hîc longè aliter habet res. Qvicqvid hîc auribus & oculis subjicitur, tale est, ut semper & perpetuò ad ipsos veritatis fontes, nempe Scripturas, dirigat, earum amorem occultâ qvâdam energiâ instillet, atqve adeò modô quôdam mirabili lumen animis, ad intelligenda sublimia Scripturarum mysteria, inferat. Et qvemadmodum Author ipse per has à Deo deductus semitas, Mundum & Mundana negligere contemnereqve edoctus est, ita qvicunqve hæc cum timore Dei legerit, eô pietatis motu sese affici sentiet, ut nihil nisi Deum cogitare, loqvi, adorare, laudibus extollere, gestiat. Tandem sentiet se plenum divinis solatiis, ut Mundi & inferorum terroribus omnibus posthabitis erectus stet, ad omnem nutum Dei, miseratoris sui, vivere & mori paratus.

21. Non qvasi hîc novi aliqvid, præter ante scriptum Dei Verbum, proferatur (Nam qvi aliud evangelizaverit, etiamsi Angelus ipse sit de cœlo, anathema esto) sed qvòd ea qvæ in veteri illo, & in æternum immoto Dei Verbo prostant, in novo hoc seculo, & novo rerum statu, novô qvôdam, & præsentibus tenebris accommodo, applicentur & explicentur modô: ut clavem sibi multorum in Scripturâ Oraculorum divinitus porrectam fateri necesse habeat, qvicunqve hîc qvoqve ludenti Sapientiæ Dei debita cum observantia aures præbuerit. A Dei enim hæc profecta fuisse spiritu, tùm dicta jam ultra humana rerum sublimitas, qvæ piè legentium animos ultrò perstringet, tùm positus à Deo verorum oraculorum character satis demonstrat, Deut. 18. 20. Ibi enim mandat Deus, ut Propheta, qvi sibi arrogaverit nomine Dei

 loqvi,

loqvi, à Deo non missus, moriatur. Sed *unde cognoscam*, inqvies, *non esse verba, qvæ præceperit Deus?* Respondetur: *Si non evenerit qvod prædixit iste Propheta, hoc est illud Verbum, qvod Jehova non est loqvutus, &c.* Item Jer. 28. 9. dicitur: *Cùm evenerit Verbum alicujus Prophetæ, tunc cognoscitur ille Propheta esse, qvem verè misit Dominus.*

22. Hæc autem Kotterianis Visionibus comprehensa vaticinia si qvis attentè consideraverit, videbit facilè qvàm multa jam (qvæ nemo vel per somnum cogitare potuisset) eventum sortita sint, & reliqva planissimè in eventum disponantur, nisi qvi planè cæcus sit. In numeris qvidem videntur sibi qvidam aberrationes videre: eô qvod positi qvidam termini jam præterierint. At nolunt animadvertere multa jam qvoqve & maxima rerum momenta præteriisse, initiaqve complementorum revera esse facta: qvod in oculis Dei, & in ipsa re, tantundem est acsi jam completè omnia evenissent. Nam & Danieli de reductione populi, Templique restauratione, loqvens Angelus, ab enuntiatione edicti terminum sumit (Dan. 9. 25.) Unde patet, certam rei inchoationem in vaticiniis idem esse qvod complementum ipsum.

23. Ut taceam, in Scripturis qvoqve exstare exempla, ubi non præcisè in ipso prædicto temporis articulo, sed aliqvantò pòst, Deus promissiones implevit suas. Ex. gr. Abrahæ promisit, *post* 400. *annos posteritatem ejus se liberaturum ex Ægypto.* (Genes. 15. 13.) qvod & Stephanus accuratè repetit (Act. 7. 6.) *Cùm tamen* 30 *annos ultra prædictum terminum producta fuerit eductio.* (Exod. 12. 40. Gal. 3. 17.) Similiter, Oraculum fuit, *non auferendum à Juda sceptrum, donec venisset Silo* (Gen. 49. 10.) *Ablatum tamen fuit paulò ante qvam venisset:* jam enim subjugati erant Gentibus (Luc. 2. 1.) Qvid ergò tam temerarius sit homo, ut si non perinde omnia, qvomodo ille arripuit, exeant, statim naso suspendere velit? præsertim cùm nondum qvidqvam contrarii apparuit? imò cùm omnibus prædictis, iisdem prædictis temporibus, initia data sint? Qvod si cui obscurum, poterit aliqvando subjunctis commentariolis illustrari.

24. Nunc rem ipsam, Lector, ut in se est, cape, & lege, & confer cum Scripturis; nihil authoris vilitate, aut contemptibilitate, offensus. Hic enim antiqvus est Dei mos, ut qvæ contempta sunt, & stulta mundo, eligat (1. Cor. 1.) ut & Mundi nasutam confundat atqve contundat Sapientiam, & suam reddat illustriorem. Nam alioqvi si Eruditorum aliqvis talia proferret, non haberetur ei fides ex divina isthæc revelatione proferri, nisi id confirmaret miraculis. (Joh. 10. 38.) Hîc autem id per se miraculosum est, talem talia, qvæ infinitò captum ejus superant, proferre. Initium qvidem (attendat id qvoqve Lector) humile

humile eſt, taleque omninò qvod ſperni poſſit, at poſteriora certè ſublimia: ita per gradus qvoſdam infantiam ejus, & noſtram, inſtruere viſum Deo. Omnia autem licet diverſiſſima, ad eundem tendunt ſcopum: & ubiqve ſtylus Spiritus S. ſimplex & penetrabilis admodum, animadvertitur: imò omnia hic ex verbis, ſententiis, hiſtoriis & typis S. Scripturarum, plus qvàm humanô artificiô contexta ſunt. Tandem tamen, ut verbo complectar, qvid verè hîc & indubiè ſtatuendum ſit, non argumentis ad id, & Syllogiſmis, ſed Spiritu Sancto duce opus fuerit: hunc ergò à Patre luminum pete, qviſqvis hæc legis, ut te illuminet, & Spirituum diſcretione donet.

25. Cave autem obiter legas, qvi ſolidum fructum qværis: aut legas ut Eruditorum conjecturas ſolemus, curioſâ ſolùm futura præſciendi aviditate: ſed tanqvam altiora, & ubi in ſingulis verbis myſteria, vel emphaſes, occurrunt. Ideò hæc magna qvoqve cum diligentia tranſtuli: non ſolùm ut ne qvid adderem, vel omitterem, cavens, ſed proprietatis qvoqve verborum tanta mihi cura fuit, ut ſicubi Germanicè Spiritus obſcurè loqvitur, aut voce phraſiqve diverſum admittente ſenſum utitur, id ſtudiô ita exprimere laborarem, etiamſi nonnunqvam, ſi conjecturam ſeqvi voluiſſem, clariùs loqvi potuiſſem.

26. Invito g. pios omnes, ſi qvis prænuntiata in Scripturis vaticinia clarius intelligere, ſi horrenda in Mundo Dei judicia jucundiùs ſpectare; ſi in omnibus præſentium calamitatum procellis inconcuſſam divinæ miſericordiæ fiduciam retinere cupit, is hæc legere, & meditari, ne ſpernat. Scripturamqve, & Preces, atqve ad Deum ſuſpiria, perpetuos ſibi jungat comites. V. Scribebam in Glogovienſi Ducatu (i. Sprottaviæ) hoſpes. Ann. 1625. Maji 26.

HISTORIA

Plenior de istis

CHRISTOPHORI KOTTERI

Revelationibus.

I.

Qvando, & qvâ occasione, mihi Kotterianæ Revelationes primùm innotuerint.

POst publicata in Bohemia & Moravia anno 1624. Ferdinandi II. adversus omnes Evangelicos Pastores Diplomata, ut qvicunqve (relictâ hæresi) in Ecclesiæ gremium recipere sese recusarent, patriô solô excederent, nec unqvam reverterentur: cumqve præsagia certa, idem fulmen in ipsam qvoqve Nobilitatem & populum vibratum iri, non deessent; congregarunt se (qvàm occultè poterant) Ecclesiarum Unitatis Fratrum Seniores ac Superattendentes in Montanis Bohemiæ, non procul à fontibus Albis, (ad Confratrem suum *Wenceslaum Cornu*, in pago *Daubrawitz* sub *Dn. Carolo Bukowsky* latitantem) mense Martio, 1625. Ubi decretum fuit, Exilii sedes Bohemis qvidem in Polonia, Moravis autem vicina in Hungaria, qværendas esse: mittendosqve hinc & illinc è junioribus Pastoribus qvi literas deferrent, consilioqve Fratrum Superattendentum illis in locis patrocinium solicitarent. Inter hos legationi in Poloniam destinatos ego eram (cui in Moraviam regredi ob personalem perseqvutionem, & insidias, non tutum putabant Fratres) cùm pientissimo Viro *Johanne Chrysostomo*, additoqve nobis ad ministeria *Mathia Probo*, juvene verè probo.

2. Egressi Bohemiâ mox à Paschatos deflexímus Gorlicium Lusatiæ, ad reddendum Baroni à Zerotin juniori, studiis ibi operam navanti, Literas. Cujus Ephorus (*Johannes Gsellius Argentinensis, Alsatus*) causâ itineris nostri cognitâ consolari nos, appropinqvantis ab Antichristianâ tyrannide liberationis spe, cæpit: narrans nobis, qvalia Deus hâc de re Viro cuidam bono in Silesia, *Christophoro Kottero*, revelasset. Admirantibus nobis, fingi tamen talia ab aliqvo ingenioso, & sub nomine idiotæ illius spargi, suspicantibus, multa ut fidem faceret recitabat: *Nulla esse figmenta, verè ab illo ipso hæc visa & audita conscribi; Esse Virum eâ ipsâ in Urbe* (Gorlicii) *multis familiariter notum, &c.* Jubet etiam adferri qvædam de ultimis Visionibus, nobisqve prælegit. Tandem etiam, fidem istis non adhibere nos videns, ipsummet Kotterum adeundi, & coram omnia cognoscendi, dat consilium. *Transibitis*, inqvit, *Urbem Sprottaviam, inqvirite in Virum, examinate ut lubet*: qvod consilium non displicuit, in rei certitudinem penetrare avidis.

3. Factum tertiô inde die, ingressi Oppidum illud inqvisivimus in Virum: animo

nimo apud ipsum, si obtinere liceat, pernoctandi, ut tantô diuturniore conversatione omnia ejus observare liceret meliùs. Repertâ tamen domunculâ illius, ipsum non reperimus: Berolini in Marchia esse, evocatum à Serenissimo Electore, narrabat Uxor. Qvod nos mirati, subesse aliqvid serii cogitabamus, si & Viri Principes cognoscere hæc non aspernantur: finem tamen nostrum nos non asseqvi, ut hominem videre possemus, tristamur. Petimus ergò ex ipsa consilium, ubinam divertere, & à qvonam de rebus mariti sui edoceri, possemus? Respondet apud *Abraham Beisker* divertunt hospites, qvi etiam rerum Viri mei notitiam habet: meliùs tamen *Adam Pohl*, sed domus hujus non est diversoria.

4. Divertimus ergò ad *Beiskerum*, cùm domi esse dicerent: alloqvi tamen commodè propter hospites è cognatione, qvos cœnâ excipiebat, non potuimus. Mane demùm alterum illum adiimus, *Adamum Pohl*: qvi nos humaniter excepit, intellectôqve qvid vellemus, *Divinum opus est, amici*, dixit, & prolixè qvàm variè ille opus hoc explorasset, narravit. Inter alia: *Diu ille reluctatus est obseqvi Deo*, inqvit, *proptereaqve subtractione benedictionis, & rei familiaris jacturâ, punitus. Divendere omnia necesse habet, nec habebit ubi caput reclinet. Ego autem illius misertus in Domum meam recipio: qvamprimùm redierit, ad me migrabit. Qvod nunqvam fieret, si qvidqvam fraudis subesse scirem: nunc autem Dei opus esse scio.*

5. Datur interim campanâ signum, ad publicas in Templo preces populum convocans. Qværit *Pohl*, an qvoqve adesse libeat? Annuimus, surgimus, comitamur. In aditu Templi qværit ille, *Annon placebit ipsum Magistrum Mencelium, Pastorem nostrum, alloqvi? Ille vos de omnibus informabit meliùs.* Ego: Cum anno 1611. Herbornam Nassoviorum ingrederer, exibant inde domum reversuri studiosi duo Silesii, *Ioachimus & Abraham Mencelii: alterne horum est? Est*, respondet, Abraham; *frater verò Ioachim Ecclesiasten agit Aulicum Berolini.*

6. Tantò igitur lubentiùs & confidentiùs (peractis à *M. Cnollio*, Symmystâ ejus, precibus) alloqvimur. Qvi unde simus, & qvô tendamus, & qvid qvæsituri, cognitô, lacrymis nos excepit: *A vobis in Bohemia fit initium* (inqviens) *nos è Silesia seqvemur.* Simulqve nos ad se domum, ad colloqvia de his rebus, invitat, posteà verò ad prandiolum etiam, (cùm iter eâ die conficiendum, nonnisi trium esset milliarium) cogit.

7. Digressis in diversorium comitibus meis, ego solus cum solo confidentiùs agere incipiens, qvid rei esset qvod sub nomine *Visionum Christophori Kotteri* circumfertur, inqviro. Ille: *Mi frater, qvia seriò inqviris, narrabo seriò: ut tu tertius sub sole sis, qvi hæc à fundamento sciat.* Qvid ita, quæro. Ille: *Mundus hæc non curat. Rident, ludunt, cavillantur, condemnant aut contemnunt*: Die besten sint die admiranten / (optimi sunt qvi hæc mirantur, nec tamen ultrà inqvirunt.) Atqve hîc ordine narrabat omnia: *qvomodo Virum illum non noverat, anteqvàm à Senatu Ministerio traderetur examinandus. Cùmqve Collega suus, M. Cnollius nihil negotii cum hac re sibi esse vellet, qvomodo ille rem hanc solus agere horruisset: tandem tamen, post multa ad Deum suspiria, adjurando & examinando illum aggressus esset, &c. nihil tamen ullius deceptionis hucusqve deprehendisset: gloriosum esse Dei opus.*

8. Narrabat etiam, se Christophori reditum certò sperare: manere itaqve ad diem Lunæ (Sabbati dies fuit) interimqve Revelationes factas (in ipso authentico Exemplari) relegendo, qvis ibi Spiritus loqvatur cognoscere vellemus. Mansimus er-

mus ergò, lectioneqve rerum nobis tam stupendarum, cum tremore animum pavimus, ad horam cœnæ usqve: cui optatò Christophorus intervenit, nobiscumqve accubuit, successum itineris sui, & cùm Electore colloqvii, narrans.

II.

Kotterianas Visiones in Bohemicum transferendi, qva occasio data fuerit.

TRansacto devotione, sanctisqve colloqviis Dominico die, perreximus postridie nostrum iter in Poloniam; ubi non reperto Superattendente (*Martino Gratiano*, qvi Ecclesias visitatum abierat) qvia nobis per mensem integrum expectandum fore dictabant, ego ne tempus frustrà tererem, nostriqve in Patria nimis diu animis penderent, regressus cum Mathia in Silesiam, illum cum literis domum remisi, ipse autem Librum Revelationum Bohemicam in lingvam verbotenùs transferendi consilium cœpi: opusqve hoc aggressus, intrà dies XVI (Dei ope) peregi.

2. Non possum non memorare, Deo in laudem, qvantis svavitatibus per eos dies pastus fuerit animus meus. Regressus Sprottaviam, adieram *Adamum Pohl*, illiusqve in domo mihi conduxeram cubiculum: sed interveniens *Mencelius*, scandalosum fore Pastorem Ecclesiæ alibi qvàm apud Pastorem diversari, dixit, meqve ad se divertere coëgit. Ubi qvicqvid à suscepto labore superesse poterat temporis, in colloqvia pia svavissimè impendebatur: ut vix ullam vitæ partem sanctiùs transegisse mihi videar.

3. Convictus enim jam, Dei hoc esse opus verissimè, non poteram non redditam generi humano Angelici alloqvii, totqve ac tantarum Revelationum gratiam (qvam tot seculis sublatam credebamus) & admirari, & adorare, & osculari, perpetuâqve voluptate ac svavitatibus infinitis perfundi.

4. Qvæ spiritûs mei exultatio me cibi, potûs, somni, parcissimum fecerat: qvotiesqve evigilare contigit, mox me sanctis cogitationibus & gaudiis impleri sensi. Qvamobrem incessanter Deum laudabam, qvòd me Providentiæ suæ vi eô loci adduxisset, ubi me tantæ profectuum in Theologicis mysteriis, pietateqve, expectabant occasiones.

5. Possum enim cum veritate Deo in laudem testari, nunqvàm in vita mea me svaviorem vitæ æternæ prægustum, & qvæ perfecta illa sanctorum consociatio gaudia secum allatura sit, sensisse, atqve hîc.

6. Qvâ occasione paucis, qvàm verè Theologicam vitam egerit sanctus ille Vir, *Mencelius*, attingam. Ordinis decori omnia domi ejus plena erant, Uxor, liberi, famulitium, placidissimè cohabitantes, & qvisqve sua tacitè agentes.

7. Socrum etiam secum habuit, (conjugis suæ, & Georgii atqve Davidis Vechnerorum matrem) fœminam verè sanctam, omnium virtutum exemplar vivum.

8. Ad mensam si qvid sermonum fuit, tantùm de rebus piis, ad mutuam ædificationem, fuit. Victus pertenuis, qvaliter alibi nusqvam vidi. Obsonium aliqvod cum carnis portiuncula, in prandio: ad cœnulam pisciculi ex præterfluente Bobero, aut lactuca cum uno & altero ovo, vix unqvam aliter.

9. Potus

9. Potus fuit cerevisiæ haustus: aliqvando tamen etiam, in gratiam mei hospitis, vitrum vini. Offerebat qvidem lautioris tractationis, si vellem, optionem, suam nonnisi talem esse diætam: rogabam autem nè qvid meâ causâ mutaret. Cùm offerre vellem culinæ subsidium, nullâ ratione admisit.

10. Semihorâ ante prandium ad me ingressus, salutabat, respirationisqve adesse tempus monens, occasionem alicujus boni colloqvii (sive hîc sub tecto, sive mecum in hortulum prodiens) offerebat. Ad cænam verò subinde accersebat Christophorum, vel alium qvempiam pium & honestum Virum. Verbô, nihil ibi non pium & sanctum vidi, aut expertus sum.

11. Qvodam tempore à prandio in campum, ad spectandum segetes agri sui, mecum prodeambulans, seriem Ord. in Ecclesiis nostris recepti (præsertim circa gradus Ministerii, qvibus & qvomodo conferantur) audire voluit. Méqve illa referente illacrymari, & dicere: *Nisi ego mihi internæ vocationis conscius essem, & qvàm puro in Dei gloriam affectu me sacro Evangelii Ministerio dedissem Deum testem haberem, dubitarem profectò de legitima vocatione mea, tam frigidè ac jejunè apud nos fiunt omnia.* Atque hîc mihi processum vocationis suæ à Nobili N. N. & missionis pro confirmatione ad Academiam N. examenqve valdè superficiarium, Scientiæ tantùm, non Conscientiæ; & Ordinationem in Templo absente Ecclesiâ, invitatis tantùm uno & altero è Studiosis sodalibus, Organicinéqve ad pulsandum Organon, &c. &c. narrabat, de rebus non meliùs constitutis multa qveritans.

12. Sed redeo ad Visionum historiam. Non satis mihi fuit visum, Bohemicum inde auferre Exemplar, Germanicum etiam habere volui: tum in aliorum gratiam, qvi fortè ipsos bibere fontes mallent, qvàm rivos; tùm mei ipsius causâ, ut domi etiam conferre, & si qvid dormitatione aliqvâ non rectè redditum deprehenderetur, emendare possem. Conductus ergo fuit studiosus, qvi manu suâ exscriberet omnia: aliusqve deinde additus collationis gratiâ, ut omnia esse scripta, & rectè scripta, certi essemus. Tandem Videns ipse ad calcem apposuerat manu sua hæc verba:

Ich Christof Kotter bekenne / daß dis exemplar **auß meinem eigenen abgeschrieben / und in allem gleich-lautend ist.** (Ego Christoph. Kotterus confiteor, Exemplar hoc ex meo proprio descriptum esse, & illi per omnia concordare.)

Sed qvod Exemplar postea mihi inter amicos periit, nec ad manum est.

13. Addidi etiam Exemplari Bohemico præfationem: quæ Latina facta hîc præjuncta est. Rebusqve ita Sprottæ expeditis, in Poloniam redii, Christophoro mecum sumto: tùm diuturnioris conversationis gratia, tum qvia videre Virum nonnulli desiderabant.

14. Non reticendum videtur qviddam, qvod hîc memoria suggerit, non inutile scitu futurum forsan. Dùm inter itineris colloqvia etiam de *Concilio futuro* mihi narraret, *celebratum id iri ex toto Christiano Orbe, ibiqve degradatum iri Papam (h. e. sanctionem iri conditum, ne qvis unqvam in æternum Universalis Episcopi usurpet titulum)* dixi ego, *Me id non legisse.* Ille, *Non jussus fui scribere id: audivi tamen.* Qvod cogitandi ansam dat, antiqvorum etiam Prophetarum non omnia fortè scripta fuisse, sed ea tantùm, qvæ jussi erant. (De Poniatovia autem referetur suo loco, quàm multa scribere fuerit prohibita, tametsi ut scribere permitteretur, multis lachry-

chrymis orabat.) Nempe Deo suæ sunt Sermonum & actionum suarum rationes.

15. Negotiis in Polonia expeditis, cùm mihi Berolinum excurrendi insperata obvenisset occasio, eam seqvutus, abii; Fratre *Chrysostomo*, & qvi intereà qvoqve venerat *Georgio Laurino*, in Patriam dimissis, illorumqve fidei utroqve Visionum Kotteri exemplari (Bohemico & Germanico) ut manibus Soceri mei traderent, nec alii cuiqvam ostenderent, commisso. Qvi Kotterum Sprottam usqve comitati, domum inde regressi sunt.

III.

Primi circa Revelationes Kotterianas scrupuli & angores, eorumqve solutio.

EGo verò Berolinum delatus, diversissima de Kottero, nuperóque Electoris cum illo colloqvio, audivi judicia: à Sympatriotis nempè, Bohemis & Moravis Proceribus, non exiguo ibi numero exulantibus. Qvorum qvidam cum illo qvoqve locuti, læta mihi narrabant; spemqve appropinqvantis liberationis firmabant. Alii rursum, ex iisdem meis, scabiosissima de Kottero effutiebant: helluonem, rei suæ decoctorem, desperationeqve ad prophetandum adactum, dictitantes, miraqve de Prophetiis ipsius mendacia inter se spargentes, mihiqve referentes. Qvæ tametsi mendacia esse jam sciebam, veriorique relatione convellere tentabam, præjudicii tamen atrocitate territus, turbabar, & num rectè factum qvòd Exemplar mea manu emisissem, dubitare cœperam. Qvis scit enim (cogitabam) qvàm cautè id habituri sint qvibus concredidi? ruminabamqve *qvantum inde mali oriri posset, si hæc in manus hostium inciderent, qvum ipsi amici hæc excipiant tàm inclementer.*

2. Constitueram ergò in reditu Francofurtum (ad Oderam) deflectere, deqve rebus his gravissimi Theologi *D. Christophori Pelargi*, Ecclesiarum totius Marchiæ Superattendentis generalis (à qvo Kotterum sæpè fuisse, Electoris jussu, acriter examinatum, audiveram) judicium cognoscere. Et qvia senem qviete gaudere, rarò aliqvem ad colloqvium admittere, narratum mihi erat, tentavi Doctoris *Füsselii*, Electoralis Theologi primarii commendatione aditum mihi parare, qvod & impetravi.

3. Post varia igitur de ærumnabili Ecclesiæ (Bohemicæ præsertim) statu ultrocitróqve prolata, eô fuit ventum, ut mihi peterem ignosci, si qvid curiosiùs inqvirerem: qvod tamen non à curiositate venire, necessitate qvâdam eô me adigi, facturum me ut pòst intelligat. *Non ignorare me Virum illum Sprottaviensem, Christophorum Kotterum, sæpiùs fuisse accersitum, severéqve examinatum: optare igitur me, si tantum gratiæ impetrare liceret, ut qvid de illo, Visionibusqve illis suis, sentiendum videatur cognoscerem.* Respondit: *Materiam eqvidem hanc talem esse, ut de illa non satis tutum sit loqvi (nam & loci in qvo me esse voluit Dominus*, inqvit, *& Serenissimi mei Electoris, habenda est ratio) qvia tamen ex commendatione D. Füsselii, & ex illa nostra unius horulæ conversatione nosse Te incipio, non verebor secretiora etiam sensa mea aperire Tibi. Vides hanc Bibliothecam meam* (instructissimam habebat, celeberrimus ob eam totam per Germaniam, qvô me secretius hoc colloqvium expetentem introduxerat,)

omnes

omnes Authores, antiqvos & recentes consului, ut qvid de qvæstione illa, Utrum post Christum & Apostolos, obsignatumqve Novi Fœderis Canonem, ullæ novæ admittendæ sint, Divinæ vel Angelicæ, Revelationes? sentiendum sit cognoscerem. Sed nemo me scrupulis liberare potuit. Ego igitur ad preces conversus, ardentissimè invocabam Deum (sæpè etiam noctu surgens & me in faciem provolvens) ut ne pateretur illudi Ecclesiæ suæ orans. Post omnia verò tandem pensitata, divinitùsqve suggesta, non aliud habeo qvod dicam, nisi *DEUM MISISSE ANGELUM SUUM, qvi nuntiaret nobis servis suis ea, qvæ oportet fieri citò*: (qvæ sunt Angeli verba, *Apoc.* 22. 6.)

4. Egi gratias, demumqve causas percontationis meæ explicui. Transivisse me nuper locum illum, Sprottam, alloqvutumqve fuisse Pastorem, vidisse & audivisse ipsum Videntem, legisse omnia ejus, tandemqve intra me convictum, transtulisse nostrum in sermonem, & præmisisse in Patriam; spe serviturum id afflictis in solatia. Nunc autem Berlini teterrima audivisse his de rebus judicia: ut nesciam *annon præcipitatæ operæ pœnitere debeat?* Tùm ille consistens (obambulabamus enim in Bibliotheca) dextraqve humero meo imposita, *Ne pœniteat*, inqvit, *sanctè impendisti operam:* ita langventem meum bonam in spem erigens animum.

5. Inde ego iter meum per Silesiam habens, iterùm Sprottæ gradum stiti, per diem unum à dilectis amicis detentus. Ubi mihi *M. Mencelius* cor suum aperuit: Nonnulla se antehac de Fratribus Bohemicis, pulcherrimoqve Ordine qvô seipsos & Ecclesias suas regunt, legisse, eademqve nuper mea ex relatione pleniùs cognovisse. Adamavisse itaqve nos ita, ut in Fraternitatem recipi optet; neqve recusare vel infimos gradus, aut qvamcunqve explorationem subire, modo sibi sanctæ societatis membrum fieri liceat. Rogareqve ut desiderium hoc suum Senioribus (salute nomine suô observanter nuntiata) explicem, utqve voti sui compos fieri qveat, adjutem: sive qvidem se aliô transferre placeat, sive relinqvere loco suo, paratum se acqviescere, dummodò pro suo agnoscant, &c.

6. Hoc ubi domum reversus meis renuntiaveram, gratè fuit exceptum, tum à Bohemis Brundusii, tùm à Moravis Kralicii, sub umbra Dei & Ecclesiæ Patronorum adhuc latitantibus. Sed *Johannes Lanetius*, Primarius Antistes, septuaginta sex annorum reverenda canitie Senex, brevi pòst ad æternam evocatus fuit Patriam, reliqvi in exilium acti. *Lanetius* ille Vir doctus, pius, gravis, viginti qvinqve annorum Episcopus, omnium qvas in Episcopo Apostolus reqvirit virtutum vivum exemplar, maximæ apud nos authoritatis fuit, veluti Patriarcha noster venerabilis: qvem Pro-Marchio Moraviæ, *Carolus de Zerotin*, patris instar coluit, postqve vulgata Diplomata, maximè illi metuens, ad se transferri, & sua sub umbra in tuto esse, qvamdiu Deo placeret, voluit. Cum qvo exstinctо omnia collabi videbantur, ostensumqve id prodigio qvodam in sepultura ejus fuit. Cùm enim profundissimo (in Kraliciensi Templo) immissus fuisset sepulchro, non exspectabat humanam manum Domuncula hæc sepulchralis, sed parietibus suis utrinqve convulsis hospitem suum ipsamet obruit, ceu depositum suum obtegere festinans. Eô hæc memorantur, qvia Lanetii hujus in Revelationibus postremi Videntis Drabitii, aliqvoties singularis (non sine mysterio, si hæc verè divina sunt) fit mentio.

IV.

Prima in Bohemia de Kotteri Visionibus tumultuatio.

PRæmissum in Bohemiam Visionum exemplar, non tàm arctè uti rogabam (ad meum usque reditum) custoditum fuit. Factum potiùs, ut pius Senex *J. Cyrillus*, Consistorii Regni Senior, simul atqve perlegerat, nimio gaudio exemplar describi alterum pateretur, in Moraviam deferendum; alterum juberet, Pragam mittendum. Qvod & miserat ad Ecclesiæ illius Seniores, latitantesqve ibi qvinqve adhuc Pastores: inter qvos duo eminebant; alter authoritate, *Mathias Procopius* Consenior; alter eruditione, *Julianus Poniatovius*.

2. Qvi duo & ex Presbyterio Ecclesiastico aliqvot, Viri Politici prudentes, transmisso ad se dono valde offensi, Antistiti suo (D. Cyrillo, in Regni confiniis certo loco latitanti) respondentes, Scriptum illud (sive id ab aliqvo ingenioso confictum, sive ab ipso fanatico homine conscriptum esset) supprimi petierunt. Duplex enim subesse periculum: & Conscientiarum, si se homines à certo Dei Verbo ad incerta id genus figmenta abduci paterentur: & Corporis atqve vitæ, si hæc in adversariorum veniant manus.

3. Cœpit & in Revelationes ipsas, præjunctamqve illis Præfationem, calamum stringere *Poniatovius*, sed non longè progressus destitit: sive contemptu, sive (qvod dictabat) nauseâ, à prodigiosis calculationibus orta.

4. Exemplarium interim multiplicatio usqve adeò prohiberi non potuit, ut brevi pòst secutâ dispersione, maximâqve parte Pragensium, & ex vicinis Bohemiæ Urbibus, in Misniam translata, Officinaqve Typographica Pernæ erecta, Kotterus ibi (me inscio) typis Bohemicis exscriptus fuerit, elogiis aliqvam-multorum doctorum Virorum, marginalibusque Scripturæ S. allegationibus, decoratus.

V.

Secunda Kotterianarum Visionum oppugnatio, per M. Megandrum Bohemum, cum responso illi opposito.

EXulum in Misnia unus, Augustanæ Confessionis Minister, (*N. Megander* nomine) nactus Kotteri Exemplar refutandum sibi duxit, impossibilia, inutilia, absurda, ibi prædici, nec à Deo aut Angelo bono, sed à Satana ipso, aut certè ab aliqvo pruriginoso Calvinistico cerebro venire, demonstrare conatus. Inter alia virulentissimè dicta illud etiam egerens: *Si Turcarum conversio eò tendit ut Calvinistæ fiant, præstare ut maneant sicuti sunt*, &c. similiaqve multa ludibriosè dicta.

2. Sed oppositum illi fuit responsum severum, placidum tamen, non convitia regerens, sed argumentis ita constringens, ut eum temeritatis puderet, culpamqve in eos qvi per confidentiam judicium postulassent, perqve confidentiam sibi solis, non aliis, communicatum propalassent, conjiciens.

3. Indigna tamen fortè hæc sunt memoratu: & ne memorari etiam possent voluit Deus, permissò ut utrumqve istud scriptum flammis (mihi qvidem) interiret.

VI. *Argen-*

VI.

Argentinensium ex Alsatia ad Kotterum legatio.

SEd & per Germaniam res Kotteriana variè fuit agitata: cùm non tantùm scripta illius alii aliis communicarent, sed & varii docti Viri datis ad *Mencelium*, & inter se, literis, informationem his de rebus peterent.

2. Factum etiam, ut Civis qvidam Argentinensis ex Alsatia Sprottam veniens, in Kotterum inqvireret, apudqve Pastorem loci eum alloqvens, nomine Consulis Urbis suæ (Ammeisterum vocant) salutem & munuscula offerret: etiam illi ut se comitari vellet, tutior ibi quàm in patria futurus, persvadere tentans. Quod hic in mandatis se non habere causatus, modestè recusavit: ad qvæstiones tamen 62, qvas legatus secum attulerat, respondit: effigiariqve se, legato id expetente, passus.

3. Istæ doctorum Virorum super his rebus epistolicæ scriptiones mihi pleræqve perierunt: una & altera ad manum adhuc est, sicut & Quæstiones illæ 62, cum responsis suis: sed immorari his non è re videtur.

VII.

Kotteri Visiones Friderico Regi oblata, Anno 1626.

FRiderici Regis mater, *Juliana Auraica*, Berolini apud filiam Electricem habitans, evocaverat ad se *Ladislai de Zerotin Pro-Marchionis Moraviæ*, ibidem exulantis, Conjugem, significans eidem, filium Regem ad se scripsisse, *An Sprottaviensis illius Viri, qvi se Wratislaviæ salutasset, Prophetiæ haberi possent scripto consignatæ?*

2. Qvæ res occasionem dedit, ut Joachimi Mencelii exemplar eleganti manu exscribi curaretur, mittendum ad Regem.

3. Accidit autem, ut cùm illud ipse Pro-Marchio manu suâ tradere proponeret, morbo tamen præpeditus, me (Berolini menses aliqvot continuò agentem) mitteret: ego verò in Hollandiam delatus, rem cùm Theologo Regis primario D. Altingio communicarem, consilium exqvirens.

4. Qvi dierum aliqvot ad ista relegendum, & de illis deliberandum, spatio sumpto, dixit tandem, *Agnoscere se Viro isti aliqvid accidisse divinitùs, suspicari tamen humanam accessisse manum.* Interrogatus *Qvare?* respondit: *Qvia stylus non satis purus Germanicus, Silesiasmum redolens.* (Ad qvod respondisse memini, *Neqve in Prophetis Israëliticis stylum reperiri eundem, in Jesaia cultiorem esse omninò qvàm in Jeremia & aliis. Spiritum nempè agere per diversa organa diversè. &c. &c.*)

5. Qvantum ad rem ipsam respondit, *Videri jam transiisse tempora, qvibus impleri debebant prædicta, eòqve fidem horum trahi posse in dubium.*

6. *Ut hæc Regi exhibeantur, non displicere sibi: potiùs tamen obsignatum tradendo librum, ut me digressò demum aperiri & legi possit. Posse enim fieri, ut de tali materia verba facere Regi non placeat.*

7. Ego verò qvid in mandatis haberem memor, malui apertè agere, Regem (audientiâ seorsim impetratâ) sic alloqvutus.

Serenissime Rex, Scio Majestati Vestræ in hac divina fidei & patientiæ exploratione non deesse divina solatia, ut cum Davide dicere possit, Nisi Lex Tua Domine solatia essent mea, &c. qvia tamen bonus ille Deus afflictis pro Veritate aliis etiam extraordinariis modis solatia subministrare non intermittit; inter quæ sunt tot illa Cælo Terraqve his annis (si ullo unqvam ævo) edita prodigia. Etiam Revelationes qvædam factæ personis certis (fide haud suspectâ) de instante rerum mutatione mira proferentes. Atqve inter hos potissimùm Civis ille Sprottaviensis in Silesia, qvi R. Mti. Va. Wratislaviæ adfuit, & qvædam nuntiavit. Cujus omnia cùm sint in scriptum relata, ibidemqve Majestas Vestra, cùm Progenie suâ, tanqvam primaria in hac Dei Comœdia introducitur Persona; absurdum visum est illis, qvi ea suis hactenùs custodierunt manibus, ad notitiam Mtis. Væ. hæc non deduci. Non qvidem ut Mti. Væ. ista præcisè credendi necessitas imponatur: sed, Primùm, ut hæc apud Mtem. Vm. tanqvam in archivo sacro asserventur, in futurum testimonium: ne, si demùm post completa prædicta hæc palam fiant, ex eventu sic esse collecta, suspicari qvis, aut calumniari, possit. Deinde, ut occasio sit attendendi, nùm fortè divina providentia tales in eventus res disponat. (Nàm si de imminente rerum mutatione Politicos discursus, vel Astrologicas prædictiones, aut similes Prudentiorum conjecturas, cognoscere non aspernamur, cur hæc ab altiori venientia principio, aspernari libeat?) Curarunt itaqve ex authentico describi exemplar, qvod Mti. Væ. per me humili cùm observantia exhibent: simulqve exhibui.

8. Conspecto Rex libro, *Num horum tanta moles est?* inqvit. (Erat enim Regali chartâ in folio qvadruplicatâ, nitido charactere scriptum, picturisqve ornatum volumen.) Apertô autem Librô; repertâqve Picturâ Viri in medio Exercitu stantis, cui aureus offertur Liber, *Qvid hoc sibi vellet*, qvæsivit. Responsum: *Turcarum conversio est. Etiamne illi converti debent?* Atqve hîc argumentum totius Libri enarrari sibi jussit; auditôqve, *Promitti liberationem Ecclesiæ ab omnibus Perseqvutoribus, Evangeliiqve ad infideles omnes tandem propagationem, Faxit Deus*, inqvit, meqve gratiosè dimisit.

VIII.

De Kotterianis cum Jul. Poniatovio disceptatio.

Reverso in Moraviam mihi contigit adversarium Kotteri, Jul. Poniatovium, videre, & cum illo milliaribus sex (Durenholtzâ Namiestiam) curru vehi. Ubi cum soli duo essemus, occasio erat de Kottero, qvicqvid notum erat mihi recitandi, senemqve à præjudicio ad inusitatum hoc Dei opus meliùs expendendum avertendi. Sed frustra fui: dimoveri ab opinione (*Nullas hodie novas Revelationes dari, ludibria esse qvicqvid adfertur*) noluit, sufficere sibi antiqvum Dei verbum, Cœlo & terrâ firmius, dictitans. Relinqvendus ergò sibi erat, donec Deo illum, suam in Scholam deductum aliud sentire docuisset: qvod anno seqventi factum, ut suo memorabitur loco.

IX.

Kotteri in Bohemiam adventus.

DEsiderium optimi Viri Mencelii, ut Fraternitatis nostræ fieri posset membrum, explicui supra Tit. III. §. 5. Ad qvod tametsi literis meis responsum accepisset, magis tamen effervescens, cùm per Ecclesiæ suæ statum ad nos excurrere non posset, misit Kotterum, cujus videndi desideriô plures teneri non ignorabat: & cui ad nos deducendo Tabellarius in occursum missus fuit. Venit ergò, ab uno & altero Baronum & Nobilium ad colloqvium evocatus, Nobiscumque Brundusii ad Orliciam (ubi Pastores circiter 14. suis jam emoti Ecclesiis, & exilio colligentes sarcinas, latitabant) triduum commoratus, Christianis colloqviis ad fidem Deo probandam animabat. Factum mense Octobri, Anno 1626.

X.

Kotteri in Silesiam reversi captivatio, carceres, liberatio, exilium: Anno 1627.

INter hostes Kotteri acerrimus fuit *David Wachsman*, Cæsareus per inferiorem Silesiam & Lusatiam *Fisci præfectus*: qvi juraverat, non qvieturum se, nisi cùm Kotterum & Mencelium eidem patibulo affixos, & qvidem Sprottaviæ, videret. De qvo hi per amicos præmoniti, tantô ferventiùs Deo se commendabant. Christophorus tamen impulsu qvodam ipsemet Glogoviam abire constituit: & licet dehortatus, abiit, 2. Januar. 1627. Ubi agnitus, captus, Comiti de Oppersdorf (Ducatus Glogani Capitaneo summo) & Fiscali adductus, examinatus, tandemqve custodiæ Civili traditus fuit.

2. Missus postridie Commissarius Sprottaviam cum mandatis ad Senatum, ut huic omnia Kotteri scrinia perqvirere, illis præsentibus, liceret; Pastorqve Mencelius simul qvicqvid scriptorum ejus penes se haberet, extraderet. Factum, allata sunt, privatimqve lecta & examinata. (N. B. Non omnia tamen reperta fuerant, prima tantùm aliqvot capita.)

3. Demùm 25 Januarii Kotterum ad examen productum, variis pertentabant qvæstionibus: hoc inprimis cognoscere avidi: *A qvonam ista, quæ Visionum nomine falsò venditaret, conficta hauriret?* Constanter autem illo asseverante, *à nemine mortalium (sed à spiritibus illis, qvi sibi apparere, rursumqve disparere soleant, qvi utrum boni an mali Angeli sint, se simplicem idiotam dijudicare non posse, doctis & Sapientibus dignoscendum relinqvere)* inclinabat D. Comes ad eum certis conditionibus dimittendum.

4. Reclamante autem Fiscali, crimenqve læsæ Majestatis exaggerante, & acriorem inqvisitionem urgente, jussus est *M. Mencelius* etiam sisti. Misit ergò ipsum Senatus, additis è medio sui duobus Viris Consularibus: in qvorum præsentia Mencelius capitis fuit postulatus, qvòd mendacissimo calamo suo hominis fanatici abusus simplicitate, Cæsaream atrocissimè læsisset Majestatem, &c. Excusabat ille factum eô, qvod sibi, & Collegæ suo, à Senatu id fuisset mandatum:

qvod

qvod hi asseverarunt. Sed Fiscali ad *Appellationum Tribunal* Pragam provocante, manere Mencelius sub arresto, & sententiam expectare jussus est. Protestati Consules, ministeriis Ecclesiasticis Pastoris sui carere Civitatem non posse: obtestariqve ut dimittatur ad functionem suam: interponere etiam fidem suam, compariturum denuò qvandocunqve reqvisitus fuerit, &c. Tandem ergò eâ cautione impetrârunt ut dimitteretur, sub pignore tamen bis mille aureorum.

5. Fiscalis autem bilem in Kotterum effundens, illum civili honesta custodia exemtum, profundiori carceri, maleficis ad torturam destinato, impingi curavit. Unde rumor emanaverat, illum torturæ subjectum, omnia sua recantasse: sed nihil fuit, præterqvam qvod fame & sqvalore maceraretur ultrà trimestre, donec Deus in foveam deduxisset illum, qvi foveam parabat aliis.

6. Sed præcesserat aliud miræ Dei Providentiæ exemplum. Cognoverant hostes (per subornatos exploratores) apud Fabrum qvendam Sprottaviæ integrum Visionum volumen, ex autographo descriptum, haberi. Hoc ergò tradi mandatum, & Capitaneo Oppersdorfio missum: qvô ille lectô usqve adeò mitescere cæpit ut negotio huic immisceri ampliùs nollet, Fiscalemqve ad civile judicium Urbis Gloganæ amandans, ordinariô juris processu agi svaderet. Permissô etiam, ut Kottero Advocatus daretur ad sese defendendum, si posset. Instituta igitur Forensis actio: Actaqve missa Pragam, & inde (ut jactabat Fiscalis) ad tres Academias Catholicas, Vienensem, Ingolstadianam, & Coloniensem.

7. Venit tandem ab Appellationum tribunali sententia definitiva, Dominica Jubilate 25. Aprilis: qvæ qvalis fuerit non innotuit, divino interveniente judicio. Fiscalis enim (celebratis tum exacta hebdomade cum Virgine Nobili nuptiis) officii qvadam necessitate exigente profectus fuit Saganum: & in reditu pernoctaturus Sprottaviæ, in ipso suburbii ingressu tormina ventris vehementer qveri cæpit, advocatoqve Medico (D. Rumpfio) consilium qvæsivit. Qvi nescio qvid veritus nihil propinare voluit, in crastinum differri svadens, donec qvid morbi esset pateret. Acqvievit ille consilio, sed noctu subitanea exstinctus fuit morte: eo ipso loco ubi suspensos spectare parabat servos Dei, justi divini judicii factus ipse (alter Aman) spectaculum. Terror enim fuit toti Civitati, cùm hic mortis casus seqventi mox mane de Cathedra Ecclesiastica (à concionem tùm habente M. Cnollio, Mencelii Symmysta) denuntiaretur.

8. Casu hoc exterriti hostes, sententiam publicare ausi non sunt, captivumqve ex illo sqvalido loco in Civilem custodiam reduci curarunt: ubi & liberaliore victu sustentatus fuit, & aditus ad eum uxori amicisqve patuit. A qvibus, aut dimissionem aut exeqvutionem flagitantibus, dum qvietem non haberent adversarii, post aliqvot adhuc mensium deliberationes ignominiæ pœna affecerunt tali. Eductum carcere collocarunt ad cippum fori, ferreo adstrictum collari, affixaqve supra caput scheda, cui inscriptum fuit: *Hic est Pseudopropheta ille, qvi prædixit quæ non evenerunt.* Horæ spatio sic spectaculo relictus, per Lictorem urbe fuit eductus, exiréqve patria, nec in Cæsaris ditiones redire sub capitis pœna jussus.

9. Abiit ergò in Lusatiam, tum jam sub Electoris Saxoniæ jurisdictione constitutam: ubi reliqvum vitæ inter amicos (habuit enim nonnullos è Nobilitate pios fautores) tranqvillè exegit, usqve ad 1647. annum, qvô illum ad Dominum migrasse accepi.

10. Etiam verò ibi eum Dominus Revelationibus suis dignatus est, Annô 1629. certò futuram, terribilemqve judicii sui exseqvutionem illi ostendens, luculento illo somnio bino (sed utroque bis immisso) qvæ Appendicis loco Libro ejus annexuimus.

XI.

Adami Pohl, & Abrahami Mencelii, miraculosa liberatio: & ubi eos postremò videre datum.

MOx à Kotteri Silesia egressu perseqvutiones Antichristianæ Silesiam qvoqve vastare cœperunt, *Hannibale Burgravio de Dohna, cum fortissima peditum Legione per Ducatus hæreditarios grassante, omnesqve Civitates & Oppida ad apostasiam compellente.* Ubi qvum Glogoviensem Ducatum (mense Septembri & Octobri An. 1628.) tribularet, qvid miraculi Sprottana in Urbe Deo visum fuerit edere, consignari dignissimum existimo.

2. Fuit inter pientissimos Oppidi Cives supra memoratus *Adam Pohl*, arte Frenarius, Kotteri amicus. Qvippe qvi cognita Christophori egestate, ad qvam redactus domunculam suam, & omnia, divendere habuit necesse, eôqve non suâ culpâ, sed Deo ipsum sic exercente, prolapsum: obtulit illi Domûs suæ beneficium, ad habitandum secum gratis. Qvod insperatum beneficium lubens amplexus Kotterus, cohabitavit ei usqve ad carceres suos, per sesqviennium. Sed visum fuit Deo Adami qvoqve constantiam probare: immisso illi morbo, qvo ille sic tabescere cœpit, ut tandem, contractis artuum nervis, ne consistere qvidem pedibus posset, lectoqve affixus per totum sesqviennium jaceret, ad illum usqve diem, qvo Deus potentiæ simul & bonitatis suæ in illo restituendo admirabile exemplum edere voluit.

3. Eo enim ipso die, qvo cum armatis suis Apostolis Urbem inopinatò invadere debuit Dohnanus, egressa mane cubiculo Uxore adstitit lectulo ejus Juvenis albè vestitus: saluteqve præmissa dixit, *Adame, hæc dies est, qvâ Deus habitatorum Urbis hujus ingratitudinem ulcisci proposuit, Tu igitur in nomine Dei surge, indue te, assumptâqve Uxore & filiolâ* (octennem habuit) *mox hinc egredere! festina!* Ille attonitus Deum orare, moxqve manus & pedes movere, incipit. Tentat & surgere: pedibusqve se consistere videns, Deum adesse sentit, induere tamen se non potest, eò qvod vestes ad sesqviennium jam cistis inclusæ erant. Accedit ergo ad cubiculi januam, aperit, uxorem vocat, accedentem & obstupescentem qvid fiat edocet, vestem poscit, induit: procumbunt in genua, Deumque laudant.

4. Hinc ille, excitatâ filiolâ, & assumtô viaticô, ad portam festinat, Uxorem vero ad M. Mencelium, ut ad se extra portam veniat, mittit. Venit ille, stupescens, interqve lacrymas & suspiria ineunt consilium, non aliò qvàm Gorlicium (ad Kotterum, & qvos ibi Deus excitaverat amicos) festinandi. Festinavit igitur Adamus, sic à Domino roboratus, ut iter illud totum (octo milliarium) pedibus conficeret. Fama rei hujus totam permanaverat Silesiam & Lusatiam: fuitqve miraculum hoc (verè miraculum) impressis etiam chartis celebratum.

5. Dohnanus interim Urbem ingressus (qvam ideo voluit ex inopinato invadere, ut ne

ut ne

ut ne dilabi possent Cives) Apostolatum suum auspicatus est, primariorum Civium domos militibus implens primò.

6. Qvorum pars postridie Parochiam qvoqve ingressa, protervè Pastorem (Mencelium) ludibriis exagitare, mox evaginatis gladiis adoriri: qvorum iste furore perterritus, domo profugit, illi perseqvuntur, elabi tamen portis sinunt. Qvi Adamum seqvutus (amissô etiam pileô) Gorlicium contendit, familiam qvoqve aliqvô post tempore ad se nactus.

7. Ubi eum anno 1629, mense Aprili (occasionem insperatam subministrante Deo) invisens, unâqve cum isto, & *Kottero*, & *Adamo Pohl*, à Nobilissimis qvibusdam Viris in proximum vicum Hennersdorf invitatus, & per biduum sancta conversatione usus, hæc ipsa qvæ bona fide in conspectu Dei refero (sicut & somnia illa duo, qvæ tunc paulò antè præcesserant, & Revelationibus adjuncta sunt) accepi. Qvis non cum Ambrosio exclamet, *Bonum habemus Dominum.* Mencelius paulò pòst ad Sittanæ Ecclesiæ Ministerium vocatus, ibidem Christo per dies vitæ servijt.

8. Ita qvæ de Kottero, rebusqve illius, innotuerunt mihi, sincerissimè in conspectu Dei recitavi: seqvuntur ipsæ Revelationes, eadem fide in Latinum translatæ.



REVE-

REVELATIONUM
CHRISTOPHORO KOTTERO
FACTARUM,

CAPUT I.

[*Prima Christophori coram Senatu de factis sibi per triennium Angelicis revelationibus, relatio.*]

ANNO 1619. die 29. Augusti, comparuit coram Senatu Urbis Sprottaviensis, Magistratu suo, *Christophorus Kotterus*: impetratâqve dicendi potestate, ita orsus est. 2. Agnoscere se, qvòd coram iis consisteret, apud qvos nonnisi vera loqvi sancta jurisjurandi lege teneretur: proindéqve in præsenti peculiari causa, ob qvam compareret, nihil se aliud, qvàm qvod sibi revera evenerit, eveniréqve



soleat, bona fide narraturum. 3. Edisseruit itaqve, Anno 1616, Junii 11. (qvi Sabbati fuit) contigisse, ut Gorlicium proficiscens Neuhammeri pernoctaret.

 Inde

Inde seqventi diluculô egresso sibi, qvùm superata Gorlicensi sylva in apertam planitiem penetrasset, Langenoviam (locum sibi natalem) perrecturus, advenisse à latere hominem qvendam, forma admodum decora, habitu pullô, ocreisqve nigris, indutum: qvem se fuisse Metallicum aliqvem suspicatum, eô qvòd vicinia illa ferrifodinis abundat. 4. Hunc propiùs accedentem, amanter Christophorum salutasse, qvô tenderet, inqvirendo: séqve reddita salute ad qvæsita respondisse: & dùm hôc pactô ad familiares sermones esset deventum, ipsiqve sociatô itinere progredientes integrum ferè milliare inter colloqvia transmisissent, factum, ut ingressis qvasdam viæ angustias comes ille insolentiùs Christophorum alloqvutus (*Tu* dicendo, qvô loqvendi genere Germani, nisi per contemptum, non utuntur) hæc tandem in verba proruperit: *Heus tu, dicendum à me tibi est qviddam, qvod Tu Magistratui, Ecclesiastico & seculari, referre debebis.* 5. Obstupescente ad hæc Christophorô, qvidve fieret ignarô, perrexisse alterum: *Qvòd exarserit ira DEI adversus genus humanum, & ad infligendum pœnas in furore properet, nî resipuerint: punitura imprimis Superbiam, Impuritatem, Deiqve & Divini verbi contemptum.* 6. Hæc ubi loqveretur, devenisse illos ad pratum *Melchioris Franci*: ubi, qvoniam fossa transeunda fuit, Christophoro per ponticulum præcedente, alterum à tergo ipsius evanuisse, ut Christophorus qvorsum devenisset non animadverteret. 7. Se itaqve jam solum perrexisse Langenoviam: inde a. postqvam apud matrem suam pernoctasset, Gorlicium, ad Magistrum qvondam in arte suum: die vero 14. (qvæ fuit Martis) Templum ingressum, concionem ex Esaiæ 1. c. audivisse. 8. Qvumqve ex recenti consternatione perturbatus animus tranqvillari non posset, ivisse animi causa ad Sacellum usqve; qvod *Christi sepulchrum* vocant: ibi personam nuper conspectam rursum sibi apparuisse, repetitisqve iisdem verbis disparuisse. 9. Proximè seqventi Mercurii die, qvùm sacris in Templo manè peractis, & Concione ex Psal. 103. audita, in suburbium rediisset; rediisse eundem illum itineris comitem, & reiteratis, qvæ ante dixerat, evanuisse. 10. Exhinc profectum se Langenoviam, integram ibi hebdomadem apud matrem hæsisse, pedibus ægrum, & multis animi cruciatibus infestatum: sed cùm postea rursus in Civitatem ob negotia sua proficisceretur, personam illam in agro paterno iterum obviam sibi factam, priora illa in memoriam sibi revocantem. 11. Inde qvum domum se recipiens Sagani pernoctasset, manè ad sacra eunti denuò sibi Virum eundem in platea obvenisse, forma eadem, habitu tamen non jam pullo, sed hyacinthino, amictum. 12. Se igitur Concione peracta Ecclesiæ Antistitem, M. Meisnerum, adiisse, rem prout evenerat retulisse, consiliumqve petiisse. Cui tale dederat, ut precibus fervidis ad DEUM fusis, rem hanc aliqvantisper silentio premeret, sibiqve ista qvantum posset animo excuteret; memor illius, *Habent Moysen & Prophetas, hos audiant.* 13. Addidit tamen, se officio suo, hortandi ad pœnitentiam homines, non defuturum; Visionem autem illam, si ab authore DEO profecta esset, redituram. 14. Abiisse itaqve hoc responso impetrato Christophorum, domumqve pergendo Affinem suum (ad qvem ab itinere deflexerat) sicut & domi conjugem suam, totius rei conscios fecisse: utrobiqve tamen ut taceret admonitum, ne delata vel ad Magistratum, vel ad Ministerium, hujus rei fama, periculum aliqvod incurreret. 15. Atqve ex eo tempore neminem se ampliùs in con-

scien-

scientiam rei assumpsisse, propria tamen conscientia perpetuò inqvietatum. 16. Donec rursus 14 Aprilis Anni præsentis (1619) persona illa habitu induta hyacinthino sibi apparuisset: qva conspecta, non modò jam non exhorruerit, sed intimo qvodam & insolito gaudio perfusus fuerit. 17. Interrogatus autem, præmissa salute, num rem sibi mandatam curavisset, qvùm respondere nescius obmutesceret, Virum illum levatis ad cœlum oculis, *Non nobis, Non nobis, Domine, sed homini Tuo da gloriam*, dixisse. 18. Conversumqve ad Christophorum, perrexisse: *Cur verò tu id exseqvi neglexisti? Annon majus qvid DEUS Tuus de te meruit? qvi te creavit, redemit, sanctificavit, & ad vitæ æternæ spem regeneravit?* 19. *Ecce DEUS Tuus tui causâ Filium suum morti tradidit: Tu verò lingvam Tuam ipsi commodare, Teqve ipsius operi Organon præbere, recusas?* 20. *Edico tibi, Ni istud feceris, non habiturum te qvietem in corde tuo: neqve hoc duntaxat, Nomen etiam tuum delebitur de Libro Vitæ.* 21. *Qvid homines metuis, foliis strepitum edentibus leviores? à qvibus triplex qvidem de istis feretur judicium. Minabuntur tibi nonnulli, mirabuntur alii, pleriqve susqve deqve habebunt: sed Tu cave qvidqvam ad ista respicias.* 22. Tùm cæpit ipsum informare Spiritus, Temporum præsentium partim lætam, partim tristem, esse faciem. *Lætam*, qvòd tempora sint gratiæ, qvibus Verbi Divini lux tàm claro fulgore hominibus illuxerit. *Tristem*, qvòd homines lucem hanc videre nolint, sed caligantia erroribus & infidelitate corda retineant. 23. Hæc prolixiùs tunc à Spiritu explicata, sibi tamen non omnia memori mente comprehensa fuisse. 24. Tandem dixisse Spiritum: *Nisi seriò emendatum seipsos iverint homines, Deum igne, gladiò, fame, & peste, graviter eos esse puniturum.* 25. Porrectaqve Christophoro dextera; monuisse porrò, ut metum exueret, nihil sibi mali obventurum. 26. Subjecisse deniqve: *Accelerabo Ego Verbum meum, ut illud faciam:* Hisqve dictis disparuisse. 27. Se autem solum ibi relictum primò stupescentem, tùm in omnes partes oculos circumferentem, ex uno latere Turbam candidam canentium & exultantium; ex altero autem catervam atram, gementium & ejulantium, conspexisse; eaqve Visione attonitum, domum rediisse.

CAPUT II.

[*Videns animatur, 1, 2. Bellorum libido abominatio apud Deum, 3. Trianguli visio, 5. ejusdem explicatio, 8. de Electore Saxoniæ, 13. Friderico & Ferdinando, Spiritus qvædam prædicit, 17. nec non de seipso Christophorum informat, 25.*]

ANno 1620. die 1. Augusti, proficiscenti rursus Gorlicium Christophoro, persona ei toties priùs visa apparuit, qvùm Neuhamro Schönbergam tenderet, hora matutina nona, qværens ex ipso: *Num sibi mandata expediverit? Expedivi*, respondit, *nihil tamen inde præter ludibria retuli.* 2. Perrexit ille, monens, ut nihil ad hæc respectando intrepidè rem ageret: plura enim sibi esse notificanda, non inferioris tantum conditionis homines, sed ipsum Bohemiæ Regem concernentia. 3. Inprimis, ne tanta cum lubentia Principes ad arma proruerent, abstinere potius à sangvine fundendo animum inducerent: vindicem alioqvi habituri DEUM, qvi punire ipsos decreverit, mittereqve Leonem rugientem ad eos vinciendum, & conterendum, ut nec vola nec vestigium superfutura esset. 4. Qværenti autem Christophoro, *Etiamne hæc Fridericum Regem concernant? & Num qvoqve à capessendis armis prohibeatur?* Respondit, *Illum prohiberi, qvem belli libido trahat: aliud qvip-*

pe esse necessitate compulsum bella suscipere, aliud affectatè ea qværere. 5. Interjectis octo diebus, qvum Christophorus Gorlicio se reciperet, egressus jam suburbio, *Triangulum qvoddam, super terram elevatum, in aëreqve pendulum*, conspexit. *Ex qvo tria audivit Horologia, sono uniformi sonantia, singula undecim ictuum*: qvod qvid sibi vellet, tunc non intellexerat. 6. Augusti 26, rursus Gorlicium iter faciens, vidit (inter Malmits & Neuhaus) ad se venientem virum statura perbrevi, stola amictum candida, faciem tamen & sermonem prioris exactè referentem: à qvo salutatus, ut expedire iter suum maturaret admonebatur, qvòd ipsum pòst invisurus esset. 7. Apparuitqve illi postea in reditu (inter Soravam & Langenoviam) de rebus variis informans, qvodqve in utero matris ad exseqvendum sedulo Dei opus destinatus esset, significans. 8. Tum & illud *Trianguli, triplicisqve Horologii undecim sonantis, mysterium* exposuit: Nempe, ut in trina dimensione Trinitatem SS^m. intueretur: ex sonorum autem trini Horologii uniformitate Trinitatis agnosceret unitatem. 9. Undecim horarum numerum innuere, adesse jam tempus surgendi de somno peccatorum, eò qvòd undecima, horarum illa ultima, nunc sit, qva ad conducendum ultimos in vineam suam operarios exeat paterfamilias, confessurus paulò post ad distribuendum operariis mercedem. 10. Porro ut habita trini Horologii ratione multiplicet 2 per 3, exiturum 6: & rursum 3 per 3, futurum 9: qvo innuitur, qvemadmodum patiente Christo, ab hora sexta usqve ad nonam, tenebræ invaserant totam terram, ita undecima hac hora densas spirituales tenebras orbem Christianum occupaturas. 11. Sicut autem visis Christo patiente miraculis Judæorum Pontifices, Pharisæi & Legis-periti, converti debuerunt, nec conversi sunt, sed res hæc ad Ethnicorum penetravit corda; ut alius eorum, aut Deum pati, aut mundi finem imminere, diceret; alius verò Crucifixum cominus aspiciens ad fidem conversus, Christumqve Dei Filium confessus, esset. 12. Ita miraculis jam jam edendis Christianorum corda, præsertim per Germaniam, flecti ad resipiscendum deberent; flectetur autem potius magnus qvidam multorum Regnorum Monarcha, qvi relictis Gentilismi tenebris Euangelii lucem recipiet. Hæc ubi dixerat, disparuit.

13. Septembris 6, Freistadii fuit Christophorus: inde domum redux, Virum illum denuò conspexit, hisce verbis se compellantem: *Tu me homini similem intueris: sed ego in excelsis habito, in terrà viventium.* 14. Simulqve ipsi significavit, Saxoniæ Electorem non ultra 14000 exercitum habere, qvô aliqvid omnino peracturus esset, ad hominum peccata punienda: sed Dominum Dominantum jam ipsi qvoqve præfinivisse terminos, qvos transgredi non poterit; subsecuturam etiam ejus perniciem, nisi resipiscat. 15. Item, qvemadmodum Christus duplex judicium subire necesse habuit: *alterum hominum*, eum cum Doctrina sua abolere proponentium: cujus conseqvens fuit, ut Christus pateretur qvidem, sed mox majore cum gloria, & doctrinæ suæ patefactione, resurgeret: *alterum Dei*, decernens ut in Christo peccata hominum expiarentur. 16. Ad eundem modum præsenti Gentium commotione duplex institui Consilium: *aliud hominum*, qvi Religionem sinceram opprimere & abolere laborant; hoc cum eventu, ut patiantur qvidem multi, Euangelium tamen postea multo clariori luce radios suos sparsurum sit: *aliud Consilium Dei*, qvi hòcce bellò, ceu flagellò, punire peccata hominum parat. 17. Mandavit

davit etiam Christophoro, ut proximô Sabbati die ad Saganum in campo compareret, plura auditurus. Cumqve comparuisset, comparuit & ille qvi hactenus sibi loqvebatur, statura tamen pueri, qvinqve vel sex annorum, assumptaqve stola candida: mandans illi Fridericum Regem adire, moneréqve, ut respiceret *Supra se*, *Intra se*, & *Juxta se*. 18. Qvod sic interpretabatur: *supra se*, ut intueatur Deum, à qvo vocatus sit, & cujus est deprimere, rursumqve erigere. 19. *Intra se*, ut conscientiam suam probè respectando, secundum hanc Regimen suum ad propagandam DEI gloriam administret, tanqvam rationem redditurus. 20. *Circa se*, ut subditos respectet, ad protegendum eos: certus, se à Divina ope non desertum iri. 21. Ex adverso autem concredidit illi tria, nemini prius communicanda qvàm Regi soli, servitura illi *solatio, cautelæ, constantiæ*. 22. De *Ferdinando* qvoqve tunc dixit, dejectum esse Regno non ab hominibus, sed à DEO. 23. *Fridericum permansurum Regem*, si *ad Deum vexilla sua, spesqve suas, direxerit*: qvod eundem qvoqve facere, flexisqve genibus DEUM sæpe invocare, Spiritus contestatus est. Ne Regem metueret, etiamsi fortè austerum obversurus esset vultum, sed animosè & intrepidè exponeret, qvod in mandatis haberet. 25. Tandem exposuit ipsi Spiritus causam, *cur diversâ specie & habitu ipsi apparuerit*: Nempe pullum habitum, & hyacintinum, *duplex Testamentum* designare *Vetus & Novum*: & qvod qvæ à se audiet, non erunt contraria iis qvæ Scripturæ Veteris & N. Testamenti tradunt. Candidô autem habitu, & pusilla statura, erudiri Christophorum, qvod nunc pusillorum indolem induere, Rationem Fidei subjicere, & cum Nicodemo Scholam Christi ingredi debeat: facile sic admissurus ea, qvæ rationi suæ impossibilia videbuntur. 26. De se autem addidit Spiritus: *Ego hic in humanâ consisto formâ: habito autem in excelsis, in terrâ viventium, unus ex eorum numero qvi exseqvuntur jussa Dei, ministerii causâ amissi propter eos, qvi hæreditatem capient salutis.* 27. Ne existimes, *novi qvidpiam tibi obtigisse: factum id sæpè multis, nec ignotum erit posthac.* His dictis evanuit.

CAP. III.

[*Visio Cœli splendidi*, 1. *Oculi, Cordis, Manus, Pedis*, 5. *Septem Militiæ Ducum, loricis & gladiis armatorum*, 11. *Leonis cum septem stellis*, 16. *Exercitûs Meridialis*, 19. *Arboris excelsæ*, 20. *Campana*, 21. *cum admonitione ad servandam Deo Regiqve fidem*, 22. *Nec non de Electore Saxoniæ qvadam*, 26.]

ANno 1620. Septemb. 27. die Dominicô, qvi Festum Michaëlis præcesserat: qvum Christophorus ad negotia sua Saganum iret, nec longè à Lateraria abesset, visus est sibi velut à mente abire: moxqve in virente amœnissimo prato constitutus, vidit *cœlum stellis fulgentibus oppletum, Lunamqve pariter & solem plenô fulgore coruscantes.* 2. Pratum illud pueris erat refertum, lætitiâqve & jubilis tantis, ut verbis exprimi non possit. Audivit præterea Melodiam longè dulcissimam, cujus svavitate, & spectaculi mirifica amœnitate delinitus fuit adeo, ut mundi totius meminisse piguerit. 3. Hæc ecstasis postqvam ipsum reliqvit, vidit se in campis Sprottaviensibus (nomine Starcke Acker) consistere, duobus à Sagano milliaribus, idqve tertia inde die, qvæ fuit Martis: ut diem integrum, duasqve noctes hoc spectaculo frueretur, nec tamen vel famem vel sitim sentiret. 4. Recepto autem sensuum usu, vidit sibi adstantem Spiritum suum, dicentem: *Redi jam domum, & DEO gratias age pro Angelorum custodiâ, qvam & porrò tibi exopta.*

Subje-

Subjecit: *Qvoties nostrô circa homines ministeriô uti vult DEUS, humana nobis induit corpora.*

5. Novemb. 7. [erat pridie cladis Friderici] Saganum tendens iterum, qvum Petersdorfio esset vicinus, apparuit ipsi genius, & *qvonam ire vellet*, quæsivit. Respondenti, *Saganum: Non ibis jam*, inqvit, *tertiâ inde septimanâ ibis.* Qvod interdictum si transgressus fueris, scito te corpore & animâ punitum iri: sed comparebis proximô die Dominicô in campo. 6. Qvùm ergo comparuisset, exhibuit illi spectandum perangustâ in



chartâ depictum *Oculum*; & *Cor* sagittâ trajectum; & *Manum Pedemqve.* 7. Qvæ hoc modo ipsi exposuit: *Oculum* spectando, ut intueretur perspicacissimum DEI oculum, intuentem omnia. 8. *Cor* docere ipsum, qvantoperè peccatis mundi offensus sit Deus Pater; cujus tamen iratum cor, sagittâ dilectionis Filii trajectum esse, ut non misereri non possit: ut ergo lætâ frueretur spe, & cum fiduciâ oraret. 9. *Manum* videns, ut sibi revocaret in mentem, non esse abbreviatam DEI Manum, qvin opitulari possit, & mutare omnia, nec imposituram plus humeris nostris, qvàm perferre possimus. 10. *Pedem* autem significare, qvàm celeriter ad succurrendum properet DEUS, ut qvi nullius adhuc unqvam hominis salutem retardaverit, paratus ad auxilium semper, qvoties id sibi gloriosum, & hominibus salutare videt. 11. Tùm ei mandavit, ut post duas à proximè futura Mercurii die hebdomadas, nempe 25. Nov. ad Witgendorffium veniret, singulare qvid ex ipso auditurus. 12. Factum, comparuitqve etiam Spiritus, Christophorum edocens *adesse tempus, qvô millena millia Eqvitum ab Oriente ad Septentrionem*, & *à Septentrione ad Occasum in superiores Germaniæ Provincias ventura sunt: foreqve Exercitum secundum numerum Ducum septipartitum.* 13. Ex ducibus tres fore trinis loricis armatos: cæteris qvatuor Gladios datum iri in manus. 14. *Primus loricatus*, inqvit, puniet spiritualem & corporalem superbiam. *Secundus*, spiritualem scortationem. *Tertius*, Dei Diviniqve Verbi comtemptum. 15. *Primus gladio armatus* coërcebit injustitiam in superioribus & inferioribus statibus. *Secundus* refrigeratam in filiis hominum charitatem. *Tertius* ebrietatem & intemperantiam, scortationem & immunditiem, donorumqve DEI horrendum abusum. *Quartus* immodicum terrenorum amorem, usurarios, avaros, & qvi terrenis immersi delicias in eis ponunt.

16. His ille audiendis intentus, *conspicit ante se Leonem naturali colore, septem stellis cinctum, tamqve propè sibi adstan-*

ſtantem, ut manum ſuam capiti ejus imponere, idqve ſine metu, potuerit. 17. Mox in occurſum Leoni conſpicit venientem *ſemiformem Lunam: qvam Leo anterioribus pedibus apprehenſam tenebat tam diu, donec perfectam nanciſceretur rotunditatem, plenoqve fulgeret corpore.* 18. Hæc dùm ille aliqvantiſper contemplatus fuiſſet, alius qvidam *igneus mirè lucidus fulgor Leonem & Lunam circumiens* obumbravit, ut ſic in fulgore iſto evaneſcerent omnia.



19. Vix hæc deſierant, vidit à *Meridie venientem Exercitum numeroſiſſimum*, ut exhorreſceret: propiùs tamen adventante Exercitu diſparuerunt præ oculis omnia, ut qvô venerit Exercitus ille neſciret.

20. Tùm vidit ante ſe *Arborem qvandam proceritate miram, virore amœniſſimam, ut ſimilem nunqvam viderit:* Cui aliqvantiſper adſtans, vidit radicitùs evulſam, frondibus & foliis ſpoliatam, tandem & qvaſi exuſtum inutilemqve truncum, alvei ad inſtar cavum. 21. Mox in aëre conſpexit ſtupendæ magnitudinis Campanam, ſuômet motu agitatam, tantumqve ſonitum edentem, ut hunc à toto Terrarum orbe audiri non dubitaret. 22. Ibi demùm ſpiritus eum compellans, ut iſta omnia ad Senatum urbis referret, injunxit. 23. Mandans ſimul, ut ad Regem iter ſuſciperet, eiqve præter tria illa, ſibi priùs concredita, hoc etiam ſignificaret: *Qvamvis jam adverſæ ſorti implicatus ſit, ſi tamen DEO ſupremo Regi, tanqvam ſuo Feudi Domino, adhærere perrexerit, ipſius auxilio emerſurum tandem.* 24. Ad Chriſtophorum autem: *Qvamvis*, inqvit, *Tribulationi magnæ nunc involvemini, qvi tamen DEO & Regi fidum ſe ſervaverit, ipſe ſervabitur.* Ad ſuperandum verò Tribulationes iſtas, opus erit *Pœnitentiâ, Charitate, Prudentiâ, Precibus, Fide, Spe.* 25. Hæc omnia Chriſtophorus 30. Nov. in Sprottavienſi

tavienſi

taviensi Curiâ enarravit, præsente totô Senatûs Conciliô, Judice aulicô, Ecclesiæqve Pastoribus. 26. Interrogatus, nihilne ampliùs de Electore Saxoniæ acceperit? respondit: *Saxoniæ Electorem ab alio, huic operi destinato, monitum iri, ut à proposito desistat. Qvod nisi fecerit, horrendas DEI pœnas sibi cumulaturum ob ingratitudinem, qvod terra ipsius prima omnium Evangelii uberibus lactata fuerit.*

CAP. IV.

[*Examinatur ab Antistite Ecclesiæ*, 1. *Proficiscitur Uratislaviam ad Fridericum*, 7.]

DEcembris primâ accersitus fuitChristophorus ad M. Abrahamum Mencelium, Ecclesiæ Sprottanæ Pastorem primarium, examiniqve subjectus acerrimo: ut si salvam vellet salutem suam, ediceret, unde ista hauriret? ipséne confingeret, an ab aliqvô conficta sub Visionum nomine spargeret? 2. Inculcabatur ipsi, probè consideraret, qvanta essent qvæ susciperet, qvamqve horrendum (si dolus subest) crimen incurreret, qvanto periculo conscientiam suam subjiceret, qvàm Dei & hominum iram in se concitaturus, vitæqve certissimo discrimini conjugem, liberos, pluresqve alios secum involuturus, esset. 3. Ille omnibus exauditis, hilari mente, nihilqve trepidans, respondit: *Suscipere se omnes diras, & optare ut omnia hæc eveniant, si qvidqvam, unqvam, præter ea qvæ vidit, & audivit, & in mandatis accepit, loqveretur.* 4. *Nihil tale sibi unqvam per somnium obvenisse, multò minus à seipso, homine rerum ignaro, confictum, nec etiam à qvoqvam homine horum aliqvid esse acceptum, vel auditum; sed tantummodô sic per visionem omnia ista exhibita.* 5. *Spiritus autem ille bonusne an malus sit, id qvidem se discernere non posse, ideóqve consilium & informationem petere, utrum hìc aliqvid expresso Dei Verbo sit adversans, nec ne?* 6. *Se tamen spiritum illum bonum judicare ex eo, qvòd in excelsis habitare se dixerit, & emitti ad ministerium iis, qvi hæreditatem capient salutis.*

7. Decembris igitur qvintâ Uratislaviam iter suscepit, & 10. ejusdem, operâ D. Wilpreti Regii Fisci (per Ducatum Glogoviensem) Præfecti, ad Regis audientiam admissus, in præsentiâ trium Principum, ea omnia, qvæ mandata habuit, exposuit: Præsertim tres illos articulos (qvos hucusqve interdicti lege nulli hominum revelaverat) hæc in verba: 8. Primò, *ut Rex pacificum pectus suum omnimodè hostibus suis testatum faceret.* Qvod si illi ad pacem flecti noluerint, Deum excitaturum contra ipsos Exercitum ab Oriente ad Septentrionem, & à Septentrione ad Meridiem & Occidentem, in superiorem Germaniam: qvi non futurus est Exercitus Regis, sed Exercitus Dei solius. 9. Secundò, *ut Rex diligenter sibi ab hostibus caveret*, qvæsituris occasionem venenô ipsum tollendi, eôqve etiam modô plenam adipiscendi victoriam. 10. Tertiò, *ut Rex animo suo probè infigeret Jacobi Patriarchæ exemplum, qvi duos habuit hostes, Labanum & Esavum.* Sed qvemadmodum Jacobum mirificè Deus liberavit, qvod ipsi consideret, ita liberaturum qvoqve Regem, si pariter fiduciam suam collocaverit in DEO. 11. Qvibus exauditis Fridericus breviter respondit, *Accipio primum pro Mandato; secundum pro Monito: tertium pro Speculo.*

CAP. V.

[*Nova Novi Spiritus apparitio, illiusque à Kottero adjuratio, 2. Visionum Cap. III. recensitarum explicatio, 10. Novarumque quarundam de Friderico exhibitio, 22. Differentia Angeli & Diaboli, 27.*]

ANno 1621. 9. Januarii, qvùm iret Saganum, apparuit sibi Puerulus, qvasi 6 vel 7 annorum, non eâ tamen faciei formâ, neqve eodem vocis sono, qvem prior præ se tulerat, habitum gerens tricolorem, album, cæruleum, & igneum. 2. Hunc Spiritum adjuravit per Deum vivum, qvis esset? flexisqve genubus adoravit Jesum Christum Dei Filium, *qvandoqvidem ille Salvator esset, qvi contrivit caput Serpentis, venitqve in mundum, ut dissolveret opera Diaboli: ut per misericordiam & meritum suum hac gratia se dignaretur, si hæc visio spectrum aliqvod, aut fascinum Satanæ esset, liberari ab eo ut posset: si autem Dei esset opus, ut id sibi cognoscendum daret, conscientiamqve suam qvietam redderet.* 3. Hâc ad Christum fusâ prece, sensit repente in corde suo solatium gaudiumqve tantum, ut exprimere non posset verbis. 4. Puerulus autem ipsum his verbis compellavit: *Non ego Te abduco à Deo, sed deduco ad DEUM, sicut antea tibi significatum est.* 5. *Imprimis autem Christum tibi monstro, & ipsius meritum, in qvo unicè consistit salus: memento igitur Christi crucifixi.* 6. Qvod autem, qvi sim, certior fieri cupis; *Missum me à Deo scito, unum è septem Angelis adstantibus faciei Dei.* Triplex color, qvem in habitu meo vides, qvid te doceat, attende. 7. *Albus*, designat Angelicam nostram innocentiam: eò qvòd Angeli purissimi sint coram Deo, atqve immaculati Spiritus. 8. *Cæruleus* denotat, nos Angelos in cælis qvotidie stare coram throno Dei, servientes illi. 9. *Flammeus* & lucidus ostendit nos claram cælestem lucem inhabitare, esseqve Spiritus flammeos.

10. Cæpit deinde Spiritus præcedentes Visiones hunc in modum illi exponere. *Leo cum septem stellis*, inqvit, *est unus è Regum præcipuis. Stellæ circa Leonem, Reges alios, Principes & Heroës, designant.* 11. Hic Leo, seu Rex, oppugnabit & perdet illum, qvi in loco cæli & terræ Domini se collocavit. 12. Idem Leo Colaphum infliget Urso: ideò qvòd Dominus iræ suæ calicem infudit Urso. 13. Luna, quam apprehensam pedibus tenebat Leo, donec plenitudinem assequta esset suam, significationem habet duplam: sed hoc manebit mysterium donec impleatur, & seipsum explicet.

14. *Exercitus, qvem à Meridie venientem vidisti, Exercitum designat illum, qvi nunc rabiem exercet in fideles, ipsos devorare cupiens.* 15. Sed qvoniam suomet robore freti efferuntur adeò, *perdet eos Dominus* (hoc peculiari qvadam commotione & zelo expresserat) qvemadmodum periisse ante oculos tuos vidisti, ut qvo devenerint nescias. Deus enim per preces, fidem, spem, donat super hostes victoriam.

16. *Tertiæ Visionis, excelsæ illius & amanæ Arboris, qvam pòst evulsam & corruptam vidisti, duplex est significatio.* 17. *Primùm*, qvòd DEUS præcipuum qvendam Monarcham de terra sublaturus est: idqve ea causa, qvod Monarcha ille plus dilexit & reveritus est illum, qvi se loco Dei collocavit, qvàm Deum ipsum. 18. *Deinde* spirituali modo, qvod qvemadmodum Arbor illa unà cum radicibus suis in terræ visceribus computruit; & in terræ superficie projecta totaliter dispeniit: ita Deus hypocritas omnes, & nominetenus Christianos, non tantùm è terra, sed & à facie sua, disperdet & abolebit.

19. *Qvarto, Qvod in aëre Campanam*

 pro-

proprio motu sonantem, universumqve Orbem personantem, vidisti & audivisti, sic interpretare: Futurum brevi, ut sonus Verbi Divini per totum Mundum se diffundat, & DEUS emittat Verbum suum cum Euangelizantium exercitu. 20. Significavit ipsi etiam Spiritus, præsenti Anno 1621. opimos fore agrorum proventus. Qvamvis enim alicubi erucis, grandine, humiditate & siccitate, damnum accepturi sint, Deum tamen provisurum ut sufficiat. 21. Contrà autem, qvod optimum est, desideratum iri, nempe, Fidem, Charitatem, Spem erga Deum: qvin & erga homines raram fore fidelitatem, dilectionem, concordiam: opus igitur esse precibus, & erga Deum fiduciâ.

22. Posthæc videndam ipsi in Visione exhibuit *Friderici personam, qvadruplici specie:* (1) dormientem, in terra prostratum. (2) Surgentem, tristi & mœrente vultu. (3) Provolutum genibus, orantemqve manibus levatis. (4) Stantem sub Corona & habitu Regio, maxima cum gloria.

23. Hæc ut qvantocyus Regem scire faceret, mandavit: admirandam enim victoriam daturum illi esse Deum. 24. Revocabat qvoqve ipsi in mentem *articulos illos tres, Regi Vratislaviæ propositos,* eosqve *dilucidabat hoc modo.* 25. Sicut articulo primo declaratum est, Deum contra illos, qvi nullas Pacis conditiones à Rege oblatas admissuri sunt, excitaturum Exercitus ingentes, qvorum alter à Septentrione ad Meridiem & Occasum tendet. 26. Eam ob causam Regem Septentrionem versus se recipere debuisse, qvoniam inde primum accepturus esset auxilium: tempus qvoqve jam esse præfinitum felici reditui ejus. 27. Inter hæc dicendum tabellam illi cæruleam exhibuit, cui inscripti erant seqventes numeri: qvos ille partim recensuit, partim scripto repræsentavit.

1
16 21
3
16 30
6
21971
11

28. Numeros istos, ad præteritas Visiones se referens, ita explicuit. 29. Summam numerorum, anni 1621. & 1630. facturam 11. qvod horam undecimam jam præteriisse significet, & incipere duodecimam, ut in visione Horologii edoctus fuerat.

1621
1630
———
3251

Et per additionem iterum,

3
2
5
1
———
11

30. Medium autem inter 1621. & 1630. esse illud tempus, quô futura sit magna illa Spiritualis eclipsis: per quam magnus ex Gentilismo Monarcha ad fidem convertendus, ut dictum supra.
31. Duos in medio numeros, à 1 usque ad 9, in longum computatos (qui in Historia Passionis Christi nominantur, & in explicatione Trianguli, & trini Horologii, expressè sunt positi) cum addito summæ numero 11, qui ex additione annorum (Tabellâ superiori repræsentatâ) prodeunt, facere 21. designareque 21 hebdomadas, ab occupatione Pragæ, qvibus elapsis Praga rursus Friderico cessura sit.

1
3
6
9
1
1
———
21

32. Qvod

32. Qvod autem *secundo articulo Rex à veneno sit præmonitus*, exinde judicare ipsum debere, qvantoperè Fridericum diligat DEUS, ut etiam inimicorum technas ipsi detegat. 33. *Jacobi Patriarchæ Exemplum Regi propositum* esse ideo, qvod sors ejus similis futura sit, atqve olim Jacobi fuerat; ut enim Jacob vigesimo primo anno (à fuga & Patriæ desertione) magnis cum Copiis domum reversus fuit: ita Fridericum post 21 hebdomadas [mysticas] ad pristinam gloriam rediturum. 34. Atqve ex hâc causâ qvadruplici specie ipsi ostensum esse: dormientem, mœrentem, orantem, tandemqve Regali gloriæ restitutum. 35. Ista ut qvamprimùm ad Regem referret, mandavit Spiritus. 36. Tandem Christophoro cælum elevatô digitô præmonstrans dixit: *ad Deum te remitto! rursumqve moneo, Memineris Christum Jesum mortuum esse, & resurrexisse.*

37. Subjunxit etiam: *Angelus & Diabolus* postremas literas habent similes, sed ministerium contrarium. Nos glorificantes Deum benè facimus hominibus: Diabolus contrà homines seducit, & in ruinam præcipitat. 38. His dictis jussit eum abire in pace, disparuitqve.

CAP. VI.

[*Nova Revelatio octuplex: I. de incredulis puniendis, 3. II. De septem Dei universalibus super Genus humanum judiciis, 6. III. De sexti judicii exseqvutore Monarchâ Orientali, & mediis antevertendi furorem ejus, 14. IV. De certitudine harum prædictionum, 21. repræsentatâ per fonticulum in arido scaturientem, 22. perque Solem trinum, 23. & per cælum Lunis plenum, 24. Cum explicatione harum, 25. V. De ratione contemptoribus harum Revelationum respondendi, 30. VI. De Mysteriis passionis Christi, 34. VII. de ætate sua, Kotteri, 44. VIII. de Friderici restitutione, 47.*]

QVùm Martii 20. Saganum iret, amico qvodam comitatus, jamqve Laterariæ vicinus esset, apparuit ipsi prior ille Angelus, adductumqve in Campum separatim interrogavit, *an commissa nuper sibi ad Regem expedivisset?* 2. Ille: expedivi, qvàm optimè potui. Ad hæc Angelus: Scio id probè, alterum jam ad Regem perlatum, alterum in via est adhuc. 3. Conqverentem autem Christophorum raros esse, qvi sibi fidem habeant, ludibriis duntaxat se exponi, consolabatur Angelus: monens, ut nihil ad hæc respectaret, ageret potius qvæ mandantur sibi, etiamsi nemo, vel paucissimi, crederent. 4. Suggerens ipsi exempla Elisæi Prophetæ, & Ducis illius Samarini: qvi verbis Prophetæ (Samariam obsidione & annonæ caritate tàm citò liberatum iri) etiamsi Dominus cataractas in cælo faceret, credere noluit. 5. Sicut ergò huic infideli Duci respondit Propheta, *Videbis, nec tamen frueris:* Ita futurum illis, qvi non crediderunt istis, ut videant oculis suis, nihil tamen inde capiant emolumenti.

6. Posthæc significavit ipsi Angelus seqventia, renovavitqve deinceps, 2. & 3. die, certum in locum sevocato: *Deum à Creatione Mundi qvinqvies jam super genus humanum judicium exercuisse.* 7. *Primò* super Protoplastos, qvos post lapsum è Paradiso [tota cum progenie] exturbavit. *Secundo* super Terrarum orbem qvem diluvio perdidit. *Tertio*, super urbes Sodomam & Gomorrham. *Quartò*, super Pharaonem, submersione illius. *Qvintò* super Populum Israëliticum, urbemqve Hierusalem. 8. Jam venire *Sexti* Judicii tempus, qvod administrabit DEUS tribulando homines per universam terram, gladio, peste, fame. 9. Causas horrendorum illorum Judiciorum fuisse: *Primi*, inobedientiam & transgressionem Protoplastorum. *Secundi*, qvòd coërceri à Spiritu S. noluerint homines. *Tertii*, qvod interdictis divinis adversantes

tes abominanda patrarint. *Qvarti*, qvod noluerit Pharao gloriam dare Deo, contemnens cæli terræqve Dominum. *Qvinti*, qvod Judæi Prophetas & Apostolos ad pænitentiam monitores divinitus ad se missos, ne audire qvidem, nedum recipere, voluerint. 10. *Sexti* autem istius judicii caussam esse: *Primò*, qvod homines à Spiritu S. neque coërceri, neqve regi patiantur. *Secundò*, qvod sint præstò tempora prædicta à Christo: Homines fore impios sicut ante diluvium, & sicut in Sodoma & Gomorrha. 11. De sex istis Judiciis hoc porro subjunxit: *Mundum esse in tria secula, velut in tres partes, divisum*: Primum fuisse vastum, in secundo Legem, in tertio Christum. 12. In primo seculo habita fuisse priora duo Judicia, Ejectionem è Paradiso, & Diluvium orbis. In secundo totidem, Eversionem Sodomæ & Gomorrhæ, & submersionem Pharaonis. In tertio jam unum esse peractum, super Judæos & Hierusalem: alterum & sextum jam qvoqve inchoatum iri. 13. Qvod paulo post conseqvetur magnum *judicium ultimum*, dies ille Domini terribilis.

14. Porrò renovavit ipsi Spiritus ea, qvæ prius dixerat de magno multorum Regnorum Monarcha, *Dominum hunc esse dicens Nationum Orientalium*: Deumqve ipsi virgam præsentis judicii sui tradidisse in manus, atqve ut ipse in bellum proficiscatur, mandasse. 15. Jussitqve Christophorum ad omnes Dominos, Comites, Principes, Potentesqve Imperii referre: si effugere volunt prævalidam judicis hujus manum, nec venire in potestatem illi qvem judicii exseqvutorem constituit Deus, sangvinemqve bibere proprium: ut credant nonnisi duo relinqvi media, ad præveniendum magni illius Exercitûs furorem. 16. Primum, ut agant pænitentiam, & credant Evangelio: qviqve populo præeminent, subditisqve contra primam & secundam Decalogi tabulam præiverunt peccatis (maximè vero contemptu divini verbi) ut rursum illis humilitate & pænitentia præeant: hac ratione futurum, ut dies ille judicii non tam horribiliter ipsos sit obruiturus. 17. Secundum medium, ad restituendam Imperio Pacem, esse, ut Regem Fridericum solio Regali restituant: tanqvam à Deo ipso electum, vocatum, coronatumqve Regem. 18. Interfatus ad hæc Christophorus: *Si Fridericus*, inquit, *tàm pius, & ab ipso Deo electus & coronatus est, eccur igitur tàm impropitium habuit Deum, ut Pragâ fugere coactus fuerit?* 19. Respondit Spiritus: Nisi ipsum hostis expulisset, expelli vel ab unô qvôpiam homine debuit, in bonum tamen sibi: qvia qvantô nunc deprimitur magis, tantô magis extolletur postea. 20. Et ego tibi dico: *Regem hunc, suamqve progeniem, Papæ & Antemuralibus ejus infusuros acerbum Calicem, qvem ipsis bibere grave erit.* 21. Pro confirmando tamen Christophoro, ne has Visiones in dubium vocaret, alias qvasdam videndas præbuit. 22. Primùm jussit ipsum infra se demittere oculos: qvô factô, conspexit scaturientem ex aridâ arenosâ terrâ *Fonticulum*, limpiditate sua crystallum æqvantem: qvi mox in fluentum se diffundens terram irrigabat. 23. Deinde convertere se ad Orientem jussus, vidit *tres in firmamento Soles*, unum in medio maximum, & à lateribus duos, alterum Meridiem, alterum Septentrionem versùs, stantes: Iste, Septentrionalis, stetit qvietus, sed Meridionalis ille Solem medium, radiis suis adversus eum sparsis, totum obumbravit: Qvi tamen paulò post rursùs exoriens, splendidiorem ac unqvam fulgorem edidit. 24. Tandem, ut supra se oculos attolleret, monitus, vidit *Cæli dimidiam partem*



tem oppletam Lunis, cornua habentibus ad Orientem obversa. 25. Hæc dum contemplatus miraretur, Angelus ad ipsum: *Coram tuis*, inquit, *oculis mira sunt ista, sed non coram DEO.* 26. Tum ex ipso qvid sentiret, qværebat: *Unde Fonticulus ille? Soles illi? Lunæ illæ venerint?* Ipso autem respondente, qvòd nullum nisi Deum auctorem istorum agnosceret, perrexit ad ipsum sic loqvi Angelus. 27. Quòd arido in loco scaturientem Dei virtute *Fonticulum* vidisti, hoc te commonefacit, ut in tentationibus super te venturis Deum pro solatio habeas: & à DEO venire omnia ista indubitatò credas. 28. Qvòd autem *circa Solem Soles duos* conspexisti, alterum stantem qvietè, alterum inqvietum: hoc habeto pro signo, Septentrionales constanter Soli justitiæ adhæsuros, Meridionalem autem illum fucatum Solem inducturum etiamnum Soli justitiæ Nubeculam tentationis, sed citò transituram: prodibit enim paulo pòst Sol justitiæ plenô fulgore. 29. *Lunæ* significant Populum qvendam, qvi Christum ejusqve victimam ignorat, miraculosô prorsus modô conversum iri, professurumqve Christi fidem; & nomen ipsius celebraturum. 30. Præterea informabat ipsum Angelus, qvid contumeliosè in has visiones inqvirentibus, easqve contemnentibus, respondere deberet. 31. Si qvis tibi dixerit: *Cur tu talia, te sublimiora, nec eventum visura unqvam, proferre audes?* Respondeto, *Conversatio nostra in cælis est, unde Salvatorem exspectamus Christum Jesum.* 32. Dicent: *Cur tu de cælestibus loqvi non vereris homo mortalis?* Dic tu: Mortalis equidem sum, sed credo Christum mortale hoc corpus reformaturum, & configuraturum glorificato corpori suo. 33. Urgebunt: *Prædictiones tuas esse contra rationem*: Respondebis: Deum sibi subjecta fecisse omnia, nec abbreviatam esse manum illius, qvin opitulari possit: nec tandem esse impossibile ipsi qvidqvam.

34. Hoc Colloqvium suum auxit Angelus

gelus *Concione Passionali*, qvam ad ipsum habuit hunc in sensum (qvantum ipse meminisse & referre poterat.) 35. Tria ipsum circa Passionis Christi considerationem intueri debere. 36. *Primùm Passionis causas*, qvæ fuêre: (1) Generis humani peccata. (2) Magnus amor Dei Patris, Filii, & Spiritus S. (3) Magna & ineffabilis gloria, qvam præparavit Deus ab æterno: qvæ ut vacua non maneret, hominesqve loco Angelorum lapsorum ea perfrui possent, ideò Christum redimere ipsos voluisse. 37. *Deinde, qvid sit passus?* (1) in Horto, spiritualibus & occultis animæ tormentis cruciatus, ad sanguinis usqve sudorem: (2) apud Pontificem, variis contumeliis blasphemiisqve appetitus: (3) in domo Prætoria, coram Pilato colaphizatus, flagellatus, coronatus: (4) in Cruce qvæ perpessus & loqvutus. 38. Addidit, Christum septies sanguinem effudisse: (1) in Circumcisione; (2) in Horto; (3) Flagellatione; (4) Coronatione; (5) in manibus; (6) in pedibus perforatis; (7) ex latere aperto. 39. Si ergò vel qvotidie mortale peccatum incurras (qvod cavendum tibi tamen: nam qvi peccat in spem gratiæ, pœnam severioris iræ sibi consciscit) si tamen id ex infirmitate admiseris, præstò tibi qvotidie erit solatium ex Christi sanguine, ab omni labe vos purificante. 40. *Tertiò, considerandum sibi, qvis Passionum Christi Usus esse debeat? Primo*, adversus Superbiam Spiritualem & carnalem: à qva si illectari contingat, Christum intueatur in Horto sanguinem sudantem, in cruce lamentabiliter clamantem: *Deus mi, Deus mi, qvare me deseruisti?* Perpendatqve etiam, qvid sit illud, *Ecce homo!* 41. *Secundò*, ad patientiam & solatium in cruce: ut sicut Christus patienter omnia tulit, ita ferat ipse, qvidqvid ærumnarum sibi imponatur. Et sicut Christus à Patre sine solatio relictus non fuit, sed ab Angelo cælitùs misso confortatus, ita se non relictum iri confidat, si Christum imitatus Patrem suum cælestem ferventer invocaverit. 42. *Tertiò*, ad lætam indubiamqve vitæ æternæ spem. *Probè ista considera*, subjecit Angelus, *& non inutilis Sanctæ Passionis discipulus eris.* 43. Dixit item: *Adhortor te ad preces, & timorem Dei, & ut reverenter audias Ministros verbi Dei.*

44. *Submonuit etiam ipsum ætatis suæ*, qvod Anno 1585. sub anni finem natus, ætatis annum 35. tum ageret: Ut ergo ad 85. adderet 35. proditurum 120. numerum mysteriorum in scripturis plenum. 45. Rursus si 85 & 35 in summam computet, futurum 21, qvi numerus in Apocalypsi Johannis solennis est. 46. Item $\frac{8|5}{3|5}$ octo & tria facere undecim, numerum nempe horæ undecimæ, jam imminentis, ut dictum supra: Bis autem qvinqve esse decem, eumqve numerum in memoriam revocare debere decem Christi verba: sicuti semel qvinqve, qvinqve Christi vulnera.

47. Significavit etiam ipsi hâc Revelatione Angelus: *Fridericum fore potentem triùm Regnorum Regem.* 48. Et mox in Visione conspexit *Eqvum formosum spadicei Coloris*, vacuo cum Ephippio, cui Corona ad miraculum pulchra imposita erat, Septentrionem versus properantem. 49. Tandem mandavit ipsi Spiritus ut qvùm venerit tempus, qvô Fridericum reportatâ ab inimicis victoriâ gaudentem visurus est, ipsemet eum conveniat, moneatqve, ut gratias reddat omnipotenti DEO, qvi tàm miraculosè ex hostium faucibus ipsum eripuerit. Non autem ideo ut gratias agat, qvod pro reparandâ coronâ tantum hostilis sangvinis effusum sit, sed qvod ipsum DEUS tàm clementer defensum, custodi-

custodiverit. 50. Utqve tunc etiam Regem præmoneat, ne ab inimicis securus sit, qvi varias technas in ipsius perniciem adeo structuri sunt, ut intimos etiam Regis amicos corrumpere, & ex amicis inimicos atqve proditores efficere, tentaturi sint.

[Ad v. 49. Nota. *Qvomodo Fridericum post victoriam adibit & monebit Kotterus, uterqve jam in pulvere terra exsistens?* R. 1. Forsan hoc mandatum sic intelligendum, si res præcessissent primo termino (vide Cap. VIII. v. 13.) 2. Aut sic qvia Deus non est Deus mortuorum, sed viventium (Matth. 22. 32.) & Fridericus illi vivit, h.e. is qvi Ecclesiis Pacem reddet: & Kotterus mortuus etiam loqvitur, sicut Abel & Prophetæ, nos adhuc docendo, monendo, hortando, Heb. 11. 4. Act. 10. 43.

CAP. VII.

[*Visio trium Iuvenum ad Mensam triangulam*, 3. *Mandatumqve mysterium hoc observandi*, 9. *Spiritus hac revelantes qvi & qvales*, 12. *Ecstasis & gaudia*, 14.]

APrilis 10, qvæ vigilia fuit solennitatis Paschalis, seqvens ipsi exhibita fuit visio. 2. Sagano Sprottaviam cùm iret, visus est sibi qvasi ab aliqvo ad lumbos prehensus retro contorqveri. 3. Conversus igitur, *Mensam ante se conspexit tri-*



angulam, *cæruleam*: & huic accumbentes in sellis tres juvenes, habitu candido, porrectisqve manibus se invicem prehendentes, singulis ab angulis singulos: Unum Orientem, alterum Meridiem, tertium Septentrionem versùs. 4. Stabat vero ante qvemlibet in Mensæ angulo *Arbuscula*, ulnæ altitudine, unaqvæqve rosam supra se habens: qvarum folia salignea vel Persica folia referebant: Arbuscula vero meridionalis omnium maxima erat, Rosam supra se habens ejus magnitudinis, ut Arbusculam veluti contegeret, aspectu venustissimam. 5. Tùm accurrens continuò *Leunculus* qvidam, albus & semicæruleus, mensæ insilit, apprehendensqve ungviculis suis Meridionalem Arbusculam, cùm ipsa conflictari, qvassare, concutere: ut cum folia tum & rosa magnam partem deciderent,

decussaqve converterentur in sangvinem. 6. Arbuscula verò ante juvenem Septentrionalem stabat qvieta, sine ulla vel sui vel Rosæ suæ commotione. 7. Orientalis Arbuscula arida primùm fuit, foliis & floribus carens, sed statim ex improviso virorem recepit, & Rosa super ipsam flores suos amœnissimè expandit. 8. Duo juvenes, Septentrionalis & Orientalis anguli, manibus juncti, duas mensæ partes occupabant. Dixitqve Septentrionalis Christophoro: Porrige huc dextram tuam! qvam ille porrectam junctis ipsorum manibus interjunxit. 9. Septentrionalis autem porrò: *Vide*, inqvit, *ut hæc omnia exactè conscribantur, magnæ enim res in istis latent: qvod tibi singulari Visione revelabit Deus.* 10. Inter hæc evanuit Mensa, cum eis qvæ inerant: Christophoro cum tribus illis juvenibus albè vestitis ibidem consistente. 11. Et ait ad ipsum Septentrionalis: *Contemplare nos diligenter! unus enim nostrûm ad te redibit, & qvæ vidisti exponet.* 12. Ad hæc Christophorus, eos interrogans: *Qvinam vos estis?* plus enim qvidqvam proloqvi negat se potuisse. 13. Septentrionalis autem ille: *Nos*, inqvit, *Servi sumus magni illius & terribilis, simul tamen & misericordis, Dei: qvi facit ministros suos flammam ignis, & Angelos suos Spiritus. Propterea fac tu qvoqve, qvæ tibi mandantur, si tibi gratiam magni illius Dei salvam vis*: *statimqve disparuerunt.*

14. Christophorus autem in ecstasin raptus, delatus fuit in locum illum, qvo anno præterito 27 Septembris constitutum se viderat, viditqve rursus & audivit qvæ ante, Solem, Lunam, Stellas, Musicam svavem, gaudium & lætitiam, supra qvàm effari potuit: fuitqve in hac ecstasi per diem & noctem. 15. Cum enim sensus recepisset, vidit se consistere prope Hirtendorfium in campo, circa horam undecimam antemeridianam, ipsâ feriâ primâ Paschatos. Indeqve domum abiit.

CAP. VIII.

[*Computatio hebdomadarum*, 1. *Magnus Dei ab Oriente exercitus*, 12. *Visio monstrosa Belluæ vulneratæ, & tandem occisæ*, 15. *Novus & mirabilis computus*, 24. *Expositio Belluæ illius*, 45. *& Viri eam conficientis*, 39]

QVum 10. Maji rediret Gorlicio (ubi revelata sibi de sextuplici divino judicio, & de duplici iram Dei evadendi medio, juxta mandatum significaverat illis, per qvos ad Electorem Saxoniæ referri debebant) apparuit ipsi Spiritus, & de præfatis 21 hebdomadis seqventia ipsum edocuit. 2. *Primò*, Regem ab Oriente hac ipsâ vigesimâ primâ hebdomade exeunte consilium inivisse de mittenda per mare ad Fridericum Regem Legatione, ab Oriente ad Septentrionem: quæ Legatio ipsi pignus amicitiæ ab Orientali Rege cum magnis muneribus afferet, inter festum Johannis & Jacobi. 3. *Deinde*, cùm vellet qværere Christophorus de sensu illarum 21 hebdomadarum: qvoniam terminus jam effluxisset, qvi de restitutione Regis prædicebatur, nec tamen qvidqvam adhuc appareat? qvæ res scandalo jam esse incipiat multis, ut de Visionum veritate dubitent: 4. Præoccupavit ipsum Spiritus respondendo: *Nihil sibi unqvam Deum per servos suos revelasse inutile: ille proinde qvæstiones inutiles etiam relinqveret, qvum Deus istarum 21 hebdomadarum mysterium singulare sibi reservatum voluerit.* 5. Considerare tamen eum jussit septies septem facere 49: ex qvibus ter multiplicatis prodibunt 147 hebdomadæ; Atqve hunc esse terminum à die præsenti supputando, qvi bello huic terminum afferet suum. 6. His dictis exclamavit: *Fridericus Palatinus Rheni est*

à Deo coronatus Rex! Fridericus Palatinus Rheni, Rex Bohemiæ, coronatus à Deo supremo Regum omnium Rege, qvi Anno 1620 in periculum incidit, ut amitteret qvod accepit, & qvidqvid habuit, omnia rursum recuperabit, & longè plus divitiarum & gloriæ. 7. Monstrando autem illi qvatuor numeros,

1 6 2 1
1 6 2 2
1 6 2 3
1 6 2 4

dixit: Qvatuor isti consummabunt ea, qvæ consilio suo decrevit DEUS. 8. *Et fient tria mira in oculis hominum. Primò*, tentatiuncula superveniet ad explorandos hypocritas. *Secundò*, unus de solio cadet, nec illud recuperabit amplius. *Tertiò*, Papa cum sua colluvie conteretur à Deo, vestimenti instar. 9. *Tres ob causas cadebat hactenus Fridericus. Primò* ob Dei decretum & voluntatem. *Secundò*, ob peccata totius Germaniæ. (10. Ruina enim Friderici medium erit exseqvendi magnum illud altissimi judicium, qvod erit numerò,

1
2
3
4
—
10.

Sub qvo numero 10. occultatur mysterium; quod non explicabitur tibi, sed dabit Deus Spiritum suum cuidam, qvi tempus hoc calculando per 3 & 7 cognoscet.) 11. *Tertia* causa est inscitia & infidelitas illorum, qvos tandem propria convincet conscientia. 12. Rursumqve *tria sunt media, qvibus recuperabit victoriam Fridericus. Primùm*, Divina omnipotentia. *Secundo*, fervidæ preces, qvas ipse fundit, & cum ipso fundunt alii fideles. *Tertiò*, certissimum à Septentrione subsidium: & Exercitus ille magnus, ab Oriente venturus. 13. Dei opus istud erit 601111. (hoc est eqvitum & peditum sexcenta millia, unum mille, centum & undecim.) Qvi si venerint primis 49 hebdomadis, tolerabile erit; si in alteras 49 hebdomadas adventus differetur, gravius: si verò ad tertium usqve protrahetur, tunc veniet terribiliter & horrendè, ardebitqve velut ignis ira Dei. 14. Atqve tunc demum videre incipient incendia, spoliationes, cædes, direptiones, desolationesqve Provinciarum & terrarum, qvæ supervenient. *Aspice, aspice!*

15. Aspexit ergo Christophorus: & ecce *stupendæ magnitudinis Serpens* in longitudinem trium porcarum se extendebat (eratqve id in agro patris sui, Langenovii) cujus tamen caput & caudam duntaxat conspexit, corpore intra sulcum se occultante. 16. Is caudam cum impetu circa se in longum projiciens, contigit Christophori manum, ut ipse perterrefieret. 17. Sed Angelus, ne mali qvidqvam metueret monuit: hæc tantùm ipsius confirmandi causa, in iis qvæ monstrata sibi essent, fieri. 18. Dixitqve porrò: *Vides hîc serpentem corpore abscondito, caput solummodò & caudam ostentantem, sed!* 19. Hoc verbum cum dixisset, *fit in oculis Christophori, è serpente illo velut Asinus*, stans coram ipso qvadrupes. (20. Nulli enim verius animanti se comparare posse dixit atqve Asino, qvoad corporis molem & pilos: nisi qvod adhuc caput Draconinum & cauda Serpentina erat.) 21. Hoc immane monstrum cum aspiceret, venit vir qvidam à Septentrione, statura brevi, securim habens ancipitem, qva cervici Belluæ assiliendo vulnus profundè inflixit, nec tamen abscidit in totum. 22. Propterea se convertens, & securi in alteram aciem vibrata, caudam amputavit, ut in terram decideret, sanguisqve

Kott. VIII. & 5



guisqve proflueret largiter: simulqve mox corpus totum concidit, divaricatis ab invicem pedibus. 23. Et qvæsivit ex Christophoro Angelus: *Num omnia rectè vidisses?* qvi cum affirmaret, ille rursum: *Hoc ergò tibi sit sensibili signo, non tantùm verbotenus te informari, sed & visibiliter oculis tuis commonstrari perditionem illius, de qvo in futurum plura audies:* & ego te brevi domi tuæ conveniam, Visionem qvam vidisti pluribus explicaturus. 24. Posthæc illi Tabellam exhibuit cæruleam, numerósqve seqventes diligenter attendere jussit:

	c b.	
	49	
34	49	21. (e.
	49	
a) 7 ——		—— 7. (a

4	3 2 2 0 2
1	6 2 4
5	9 2 4 6

25. Numeros istos hac serie à Spiritu collocatos & dinumeratos fuisse Christophorus referebat: Primò, septies 7 esse 49. qvæ posuit ter, ut videre est in c b. Deinde ter 9, facere 27: & ter 4 constituere 12. Qvatuor illos numeros (1.2.3.4.) superiori qvoqve Tabella repræsentatos, facere 10. Atqve ex his omnibus in unam summam redactis, prodire numerum 49. 26. Porrò inferiores illos numerós sub linea, ita Spiritus coordinaverat: Primum scripsit 432202. postea illa 3. commonstrans, dixit:

432202. *unum abstrahe à tribus, remanebunt duo;* atqve illud
16 2 4. *Unum* collocavit sub 4: *duo* autem subscripsit notæ secundi binarii; tertio autem binario subscripsit 4. Tandem ostendens trinum illum binarium (cui interposita est cifra, 0.) dixit: *ter duo faciunt sex;* posuitqve 6 sub 3. 27. Infimum illum computum, 59246, ita calculavit. Primum 5 significare qvintuplex, qvod jam peractum est, judicium. Ultimum 46 facere 10: & ex mediis

9
3
—
27
12
—
39
10
—
49

diis illis 92, similiter computatis, prodire 11: Atqve istos binos numeros (10 & 11) characterem esse, designantem numerum Annorum, quibus administrari debebit Judicium sextum, 1621 & 1622: siquidem

		B.	
A	{1621 / 1622}	21	H
			21
C	{3243 / 1623}	24	24
			30
D	{4866 / 1624}	37	G.
	d		33
	a 4 b		666
	2 7 2		
E	3		
	1.		
	c		

11.
66.
22.
12. } in unum collecta faciunt 10. & 11.

28. Porro exhibuit ipsi Spiritus seqventes etiam numeros.

B.	A.	C.	D.
21	1	3	4
21	6	2	8
21	2	4	6
16—21—21	1	3	6
21	1	1	1
21	6	6	6
16—21—24	2	2	2
	2	3	4
147	21	24	37
F			
1290			
1335			
1625			

29. Numerorum istorum rationem hanc ostendebat: Primùm commonstrans numeros (ad A) 1621 1622 dixit, hæc conjuncta efficiunt 21: scripsitque 21, seorsim sub H. Rursum 21 addita, erunt 3, & hæc adde ad 21, erunt 24: Scripsitque 24 etiam sub H. Porrò 24 supputata, erunt 6: adde ad 24, erunt 30. Scripsitqve 30 itidem sub H, dicens, *Isti tres anni*, 1621. 1624. 1630. *sunt anni singulares & admirabiles.* 30. Deinde collocavit numerum 21 (sub B) septies, & subscripsit summam 147, dicens: *istæ 147 hebdomadæ duos annos miros perficient.* Primus annus habebit 84 hebdomadas communes: alter ex 63 hebdomadis constabit. Et nota, vigesimum primum annum in illis 84 hebdomadis terminatum iri: reliqvas 63 hebdomadas exspiraturas Anno 1624. 31. Postea numeros C, (columnâ primâ) ita disposuit. Coaddidit primum {1621 / 1622} prodiitque 3243. Ex binis 3 assumpsit *unum* 1, & hoc adscripsit sub primum 3. Tùm verò 2 & 4 addidit, prodiere 6: qvæ collocavit sub 2. Dixitqve porrò: subtrahe 1 ab 3, remanebunt 2: & hæc scripsit sub 4. Residuum autem 3 subscripsit etiam sibi ipsi hôc modô:

3243 } hos rursum sibi additos pro-
1623. } ducere 24.

32. Porrò numeros D (eâdem primâ columnâ) ita redigebat in ordinem: abstraxit à 4 unum, & hoc collocato sub 4, dixit, unô à 4 abstractô, manent 3. Deinde assumptum 6 (qvod stat penes 8) subscripsit sub 8: & commonstrans 8 dixit, Ter octo sunt 24: Hæc igitur locavit sub 66 dicens: *Consummatio sexti judicii.*

33. Iterum ostendens Facit numerorum C, 3243, cum numeris F ad latus ad-

ſcriptis (qvorum mentio fit qvoqve apud Danielem cap. 12. v. 11. 12.) hoc modo procedebat. A tribus abſtraxit unum, & illud 1 locavit ſub 3, & penes iſtud poſuit remanens 2. Poſtea ulteriores tres cifras (ex numero C) 243 in unum computavit, prodiit 9: qvod adſcripſit, & addidit nullam dicens: *Iſte numerus eſt myſticus, nihil boni portendens.*

34. Alterum numerum (1335) produxit ex numero C, 1623, hoc modo. Primum collocavit, ita ut Tabella oſtendit: Deinde accepit ultimum 3, locavitqve ſub duo: tùm abſtraxit à 6 unum, & addidit ad illud 2, ſic erat 3: qvod ſcripſit ſub 9; reſiduos autem 5 collocavit in fine. Tandem utroſqve numeros ſupputavit per additionem: Delevit tamen è ſuperiori linea 1, & dixit: *Beatus, qvi hunc numerum ſuperſtes attigerit, qvi 25 ſupervixerit.*

1290
1335
———
1625

35. Poſtea rurſus oſtendens numeros D, computavit omnes illos in ſummam, fueruntqve 37.

36. Tùm Numeros 21, 24, 37, (qvi ex tribus illis ſub A, B, C, per additionem prodierant, ita diſlocavit, ut in E videre eſt;

4
8
6
6
1
6
2
4
—
37.

4
272
3
1

37. Primò monſtravit medium 7, & addidit cæteris, ſic:

7 & 4 ſunt 11.
7 & 31 ſunt 11.
7 & 22 ſunt 11.
———
33.

Ita ex Additione prodibit numerus G, 33. Et hic numerus, numerus eſt ille 11, in ſono Horologii triangularis auditus.

38. Dicebat porro:

2 & 1 ſunt 3.
1 & 2 ſunt 3.
———
facit 6.
Deinde
2 & 4 ſunt 6.
4 & 2 ſunt 6.
———
24.

666. qvibus ſi addas ſuperiores $\frac{3}{3}$ prodibit 24. qvi eſt numerus ſexti Judicii.

39. Tandem illum numerum ſub B, hoc modo explicabat: qvòd 21 hebdomadæ (qvarum ſæpè jam facta mentio) in hoc numero lateant, ita: Septies 2 ſunt 14; & ſepties 1 illis additum, facit 21. 40. Abſolutis hiſce numeris cæpit jam ipſi Viſionem illam Belluæ & viri ſecurim bipennem geſtantis, exponere. *Bellua iſta*, inqviens, *Imperium eſt Germanicum, cui qvid futurum ſit, hîc tibi oſtenſum eſt.* 41. De hâc tetrâ Belluâ tria tibi dicenda ſunt: De mediis autem, qvibus perniciem illius promoveri vidiſti, duo: qvæ apud te reſerva, uſqve ad Decembris exitum. Sed numeros iſtos cuivis exhibere, & ſcribere, poteris. 42. Tria ſunt in monſtro illo: 1. Caput. 2. Corpus. 3. Cauda: de qvo tibi affirmo rem terrenô ſenſu eſſe maximam, qvæ tibi per me, tanqvam Legatum ad te miſſum monſtrata eſt. 43. Caput & Corpus, qvod unà cum caudâ qvantoperè excreverit vidiſti, eſt tibi, imò ſit tibi, & omnibus credituris (aut rei veritatem tandem deprehenſuris) infallibile ſignum; quòd callidum ſerpentis caput nihil proderit, neqve venenata cauda liberabit. 44. Magiſqve etiam, qvod magnum corpus illius, qvi non Deo, ſed robori ſuo fiſus eſt, concidet, ecce concidet, caput, corpus, cauda! 45. Vir autem ille ecce notus eſt, & tamen etiam ignotus eſt: unus eſt, & tamen ſunt ſeptem! parvus eſt, & tamen eſt magnus. 46. Dabit enim illi Deus potentiam, ut bipenni ſuâ ſecuri tetrum illud monſtrum, qvantum-

tumvis potens, qvantumvis magnum, qvantumvis callidum, conficiat. 47. Causæ, qvæ tam horrendam ruinam monstro huic adferent, sunt: *primò*, qvòd cæcum sit; *secundò*, sine sensu; qvibus *tertiò* accedet Judæ pænitentia. 48. Vir ille venit jam, & tamen nondum venit, sed veniet citò, manu tenens securim; cujus acies una prætentat, altera verò cædit, & secat, prorsusqve dissecat: Caput, Corpus, & Cauda Serpentis, corruent omnia! Ecce, velociter, & subitò!

CAP. IX.

[*Revelatio Christophoro domi suæ facta, continens Mensæ triangularis dilucidationem*, 2. *Lupus ab Oriente* 44. *Leones à Septentrione tres contra Filium perditionis, qvi describitur*, 45. *Visionibusqve finis imponitur*, 55.]

ANno 1622, Junii 1 & 2, habuit Christophorus domi suæ Visionem seqventem. 2. Trium illorum Juvenum unus, quos Mensæ Triangulari assidentes viderat, cùm mane cubiculi sui fenestras aperiret Christophorus, ingressus per januam salutavit eum: ad mensámqve cum illo considens dixit: *Scribe, qvæ tibi dicturus sum de Visione illâ, qvam videras proximo ante Christi Redemptoris tui Resurrectionis solennem festivitatem.* 3. Ecce enim, ego ille sum, qvi tibi loqvutus fui, sedens à Septentrione, & qværenti tibi, *qvi essemus*, responsum dedi: *Servos esse nos Dei illius magni & terribilis, tibi tamen propitii.* 4. Adhortor igitur te, ne te propter Revelationes tibi factas extollas, néve digniori te esse coram Deo gradu existimes: non enim est acceptio personarum apud eum, sed qvi illum diligit, & in Dei Filium credit, is æternam habet vitam. 5. Scribe breviter, *Qvòd nos tres ad triangularem mensam sedentes vidisti*, id spirituale habet mysterium, cognitu tibi minus necessarium. 6. *Qvod tres fuimus, & coram qvolibet Arbuscula diversiformis, videlicet, Meridiana excelsa, cum foliis virentibus, & rosa magna formosissima, & qvod Leo semialbus & semicæruleus Mensam insiliit*; Regum unus est, vocatus ut esset Rex [N. B.] & veniens tanqvam Rex, continget Arborem illam magnam expansam in meridie, & contactu illam qvatiet, foliaqve ipsius decutiet. 7. *Sangvis, qvem ex decussis foliis stillantem vidisti*, designat profusionem sanguinis ingentem: qvia ingenti suo robori Arbor illa confidit. 8. Summa, *Visio hæc designat Arboris unius interitum, alterius incrementum, tertiæ conversionem.* 9. Diligenter ista conscribe, ecce enim magnum est mysterium, rationem tuam longe exsuperans! ad Deum te remitto, Deiqve Sapientiam Christum, Salvatorem, Redemptorem, Sanctificatoremque tuum, & ad firmum Prophetarum, Christi, & Apostolorum sermonem: & ad Evangelium, potentiam Dei ad salutem credentium. 10. Exinde collige, qvalis ego sim Legatus, tu, & omnes, ad qvorum ista oculos pervenerint. 11. Eqvidem qvi Dei, diviniqve verbi, contemptor jam antè fuit, contemptor porrò manebit: de industria enim neqve Deo, neqve Scripturis, credere volunt. 12. Ego tibi Viæ monstrator sum ad solum æneum serpentem Christum Jesum, exaltatum ad servandum omnes in se credentes.

13. *Attende! jam tibi mysterium illud magnum enarrabo.* 14. Vidisti *Mensam triangulam*, & vidisti eandem sublatam de terrâ, nos autem tres ibi remansisse: cum his te remitto ad Scripturas, nempe, Cælum & Terram transitura, neqve permansura, juxta supremi Domini cæli & terræ decretum. 15. Ultimi autem Judicii dies, & diei hora, occulta sunt:

sunt: qvamvis Satan, tanqvam Spiritus mendacii, permissu Dei ex ipsis Scripturis argumenta petens, diem & horam illius Judicii ostendere conetur, manebit tamen ea res occulta. Christus autem monet: *Vigilate & orate!* 16. *Ecce factum est miraculum! Ecce miraculum aliud fiet brevi! Magnipotens Leo de tribu Juda irrugiet eclipsatam Lunam, qvæ lucet & tamen non lucet, lucebit tamen iterum brevi: & hoc erit miraculum circa mundi vesperam.* 17. *Ista irrugita & lucens Luna, etiam Leo nominari potest: qvippe itidem ex tribu Juda, & sanguine Israëlitico, progenita.* 18. *Hæc irrugiet amore & gratiâ album & cæruleum Leonem.* (Atqve hîc Spiritus signum N. B. apponi jussit.) 19. Et ecce P. & D. exseqventur injunctum sibi opus! & alii duo, etiam P. & D. venerunt jam, nec tamen venerunt adhuc, sed venient statim. 20. *O tu Germania, ô tu confusa Babylon, & spiritualis Sodoma, tu perfida & contumax Jerusalem!* 21. *Ecce Væ unum venit ab Oriente solis! flumen exsiccatum est, & via Regi ab Oriente Solis parata, jam venit!* 22. *Ecce prælium incipit, tres præliantur! unus est Exercitus vocatus, alter Exercitus electus, tertius Exercitus sunt credentes, qvi die nocteqve præliantur adversus magnam latéqve expansam Arborem meridionalem.* 23. *Ecce ingens & validum Diluvium venit ab Oriente Solis, idqve velociter & ex insperato!* N. B. 24. *Et ingens procella à Septentrione, qvâ decutietur elegans & flore superbiens Rosa: móxqve decident & folia speciosè virentia.* 25. *Ecce istud est miraculum illud magnum, ad vesperam visibilis hujus Mundi! qvod Arbor jam primùm se totis viribus latè expandere inceptans concidet.* 26. Ecce concidit jam! & tamen nondum concidit, sed concidet statim! 27. Arbor autem illa Spiritualis non est, sed vult Spiritualis haberi: mundana etiam non est, gladium tamen adhibet, & adhibere cogit. 28. *O tu frigida, sitticulosa, præsumta Spiritualis Jerusalem, non te robusta tua tergemina mœnia servare poterunt, sed concident, & conqvassabuntur.* 29. O tu frigida, falsa Jerusalem, qvæ tibi firmiter stare videris: Ecce venit tempus tuum, qvô concides! horrendáqve mendacia tua, & falsa Scripturarum perversio, & magna impuritas, venient in lucem! Scriptura enim detegit spiritualem scortationem tuam. 30. *O Vos Reges, & Principes, & Potentes, qvi ipsi adulamini, & bibitis vinum impuritatis ejus, & calicem blasphemiæ!* Omnes ei similes sunt, qvi eam ducunt, hypocritæ, ore Christiani, nomine fratres, & Placentini, veritatem obfuscantes. 31. Ecce arida exsuccáqve Arbuscula jam flores extrudere, & virere, rosásqve explicare suavissimè, incipit! Arbuscula Septentrionalis stat immota. 32. *Ecce venit Leo à Septentrione! & alii duo seqvuntur eum ejusdem coloris, qvi radices robustæ illius in Austro Arboris funditùs exstirpabunt.* 33. Magna hæc, ad summum elata & excellens Arbor, fucatam à se spargens speciem, ecce cecidit jam, nec tamen adhuc cecidit, sed cadet mox. 34. O si tu diem Visitationis tuæ agnoscere velles! sed illi sit gloria, qvi facit mirabilia solus. 35. *Tu verò obsigna hæc in nomine ejus qvi fuit, & qvi est, & qvi manet ac regnat à seculis in secula.* 36. His verbis colloqvio eâ die finem imposuit spiritus: postridie autem reversus eosdem sermones iteravit. 37. Tertiò die repetitis iisdem, hoc etiam addidit: *Hebdomades illæ 147, sunt tres hebdomadæ Anni Jubilei, in qvibus magnum latet mysterium, ad eruditos & præ cæteris singulariter illuminatos pertinens. Tu hac de re minus esto sollicitus, sed hoc age qvod tibi mandatum est.* 38. Christophorus ad hæc: Eqvidem agam & exseqvar libenter omnia: dummodò certus esse

esse possim crediturum aliqvem, paucissimi enim sunt, qvi mihi in hisce tam mirisfidem abhibere velint. 39. Respondit Spiritus: *Hoc tu nihil cura, mirabiles enim sunt viæ Domini. Cogitationes & consilia altissimi nemo unqvam assecutus est adhuc: sed confusi omnes qvi sapientiam Dei scrutari voluerunt altiùs.* 40. Ille enim Dominus est cæli & terræ, agit circa res suas arbitratu suo: *tu non necessaria indagare noli: superant enim captum tuum.* 41. Credo ista, dixit Christophorus: Deúmqve me Spiritu suo directurum spero, ut non necessaria non inqviram. 42. Adhæc Spiritus: *Attende, qvæ dicturus tibi sum: Verbo Dei adhære firmiter, Scripturis & Prophetis crede, atqve si aures habes ad audiendum, audi.* 43. Ah qvàm errant obdurati homines, robori & potentiæ propriæ confidentes, dicentésqve: *Nihil est qvod metuamus: sive ab Oriente, sive à Septentrione, sive ab Occasu.*

44. *Ecce Lupus rapax abscondidit se in Oriente Solis!* 45. *Ecce tres à Septentrione Leones confœderati ex consilio Altissimi, veniunt cum robore & potentiâ, ad visitandum malitiam atqve Tyrannidem filii perditionis, qvi se in locum illius, qvi cælum & terram implet, collocavit.* 46. *Homo malignitatis, multarum adversitatum dux, & omnium Scripturæ corruptelarum magister, fur, & prædator honoris & gloriæ DEI,* qvi dixit, *Gloriam meam alteri non dabo, neqve cultum meum Idolis.* 47. *Et qvod majus est: preces suas fundat in sanctorum intercessione, & Missas suas, Vigilias, Bona opera statuit pro remissione peccatorum.* 48. *O vos erronei falsatores Scripturarum! in qvibus se & voluntatem suam vobis revelavit* Deus! *Non est intercessor, non est mediator alius, præter illum qvi & intercessorem & mediatorem solum se esse declaravit,* his verbis: *Amen, amen, dico vobis: qvidqvid petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.* 49. *Nemo propriis operibus cælum obtinebit, nemo salutem promerebitur: sed salus tua unicè sita est in pretioso Christi merito, & satisfactione ejus sanguineâ.* 50. *Non est mediator alius, per qvem justificari possis, præter unicum justum servum, justificantem eos, qvi credunt in nomen ejus: teqve vulneribus suis sanantem, vitamqve & salutem corpori & animæ tuæ conferentem.* 51. *Huic tu Domino & Salvatori tuo immotus adhære,* primò, *tanqvam Advocato, Intercessori, & Patrono tuo, apud Patrem cælestem:* præsertim qvòd ille necessitates & gravamina tua novit optimè, ex iis, qvantacunqve etiam fuerint, liberare atqve eripere potens. 52. Deinde adhære illi *tanqvam Salvatori & Redemptori tuo:* ad qvem te Prophetæ omnes, & Scripturæ omnes, ducunt, sicut & ego, nec ad alium qvenqvam. 53. *Confide* DEO, *& in bonitate ejus lætare! ita superabis tentationes omnes, si orationibus etiam assiduè vacando avidus Verbi divini auditor fueris.* 54. Exibunt enim multi Pseudoprophetæ, ovinâ pelle amicti, qvos tibi ante descripsi, fraudulentos Scripturarum tractatores & perversores. 55. His te commendo Dei altissimi & propitii protectioni. Jam ad te talis Legatus Angelicus non veniet, tu vide, & cave, ne istis abutaris ad superbiam, Altissimi enim est opus hoc, cui redde gratiam & honorem, Amen. 56. *His exivit foras, nec amplius ab illo conspectus est.*

CAP. X.

[*Visiones novæ, Leonis super Lunam*, 3. *& aliorum septem Leonum*, 8. *& Lupi ab Oriente*, 16. *Duorumque omnium*, 19. *Expositio literarum P. & D.* (*de qvibus cap. IX. vers.* 19.) 28. *Et 42 Mensium*, 34. *Conculcator Ecclesiæ*, 37. *Numerus 666 decurrit*, 39. *Væ Germaniæ*, 44. *Pax dimidiæ horæ*, 50. *Solatia piis*, 54. *Tres impuri Spiritus*, 55. *Videntis querela*, 58. *qvi domum redire prohibetur per tres hebdomadas*, 62.]

ANno 1622, Augusti 7, fuit Christophorus negotiorum qvorundam causâ in pago *Weycha*: ubi auditâ concione, rebusqve suis expeditis, Saganum redire constituit. 2. Jamqve pago egressus Nubem ante se in cælo lucidè splendentem conspexit, qvæ subitò se demittens Christophorum cinxit, ut in medio Nubis consisteret, erat autem Nubes intus qvadrangula, magnitudine conclavis justæ capacitatis. 3. In eâ constitutus vidit ante se Leonem naturali colore, pedibus posterioribus insistentem Lunæ dimidiæ, corpore autem pedibusqve anterioribus sursum erectis. 4. Moxqve etiam conspexit ex qvatuor Nubis angulis qvatuor Juvenes, dimidiò tantum corpore prospectantes, à capite cingulotenus, cætera nube contectos. 5. Qvi omnes unâ veluti voce ad Christophorum loqvi cœperunt: *Christophore vidistine hæc omnia?* *Ille*: *Vidi.* 6. Illi porrò: *Scribe*: *Leo iste est Regum unus, cujus fortuna ad lunæ modum variatur: ut enim hæc jam accrescit jam decrescit, ita Regis illius sors est mirabilis.* 7. *Nam Altissimus ita suos ducere solet, ut primum magnam potentiam Potentium confundat: deinde magnam sapientiam & calliditatem in nihilum redigat. Omninò in nihilum rediget omnia hæc Altissimus!*



8. Hoc ubi dixissent, *Ecce septem alii Leones veniunt, & circa illum Leonem consistunt.* 9. Juvenes autem loqvi rursus incipiunt: *Hic ille est Leo, cum septem illis stellis, qvarum tres jam cum Leone Luna insistente sociarunt consilia, & arcto fœdere se colligarunt, ex consilio Altissimi.* 10. Postea ipsi singulas istas stellas, & Leones (qvi Principes per eos intelligerentur) suis

suis exprimebant nominibus: interdicentes tamen, ne cuiqvam revelaret, sed reservaret sibi soli, ad certum usqve tempus. 11. Subindicationem tamen scribi jusserunt, hoc modo: *Leo unus est ad Meridiem, qvi diu deliberat, expectans, donec Sol adultus ad Meridiem ascenderit, tunc ille exsurgens exseqvetur qvod sibi mandatum est.* 12. *Duo Leones Meridiei & Occasui interjacent: unus stans, qvod ipsi laudi & gloriæ cedit, alter cubans, & tam diu deliberans, donec sibi ex uno latere pilos jacendo deterat. Deinde surget, opusqve suum aggressus magnum qvid patrabit.* 13. *Duo rursum interjacent Occasui & Septentrioni*: & hi sunt ex tribus illis, qvi cum Leone in Lunâ stante ferierunt fœdus: *hi duo Leones duos cudunt annulos ad procudendam Catenam, singuli annulum unum.* 14. *Duo pariter Leones Orientem versus jacent, albus & ruber, qvorum socius est Lupus.* 15. *Et hi qvoqve unum cudunt annulum: qvem ubi perfecerint, ferent Leonibus Septentrionalibus, & cingent catenâ illâ Lunam, cui insistit Leo, ut desinat jam minuere lumen suum.* 16. Noctis meridies appropinqvat nunc, densæ tenebræ invalescent: in qvarum caligine *Leo albus exsurget; ruber autem demum diluculò: & Lupus sub Solis exortum.* 17. *Hic est Lupus ille, qvi magnum illum ignem flatu suscitat qvò Septentrionales annuli à rubigine conservabuntur.* (N. B.) *Rubigo enim illos libenter depascere vellet, sed etiamsi se mare effundat super ignem hunc, extinguere tamen eum non valebit*: qvia Dominus illum accendi mandavit. 18. Hæc postqvam de septem Leonibus dixissent: addiderunt: *Per hunc Lunæ insistentem Leonem & septem stellas, qvas vidisti, perficiet Dominus miracula magna in oculis hominum.* Et mox evanuerunt Leones ab oculis ejus.

19. Ille verò ad terram despiciens, vidit *Amnes duos juxta se invicem placidè fluentes*, singulos latitudine qvatuor pedum: qvos instar limitis dirimebat cæspes amænus virens, duorum pedum latitudine. 20. Tunc rursùs ad ipsum Juvenes, junctâ voce: *Infer*, inqviunt, *sinistrum pedem huic virenti cæspiti!* 21. Cumqve id fecisset Christophorus, ecce ille cæspes divisit se, parsqve illius inferior qvasi pede impresso abscissa ferebatur deorsum tacite, sicut & ipsa aqva. 22. Tùm porrò juvenes: *Aqvæ istæ Meridiem versùs feruntur, propellentes lapidem illum magnum, qvem Dominus Angelum suum tollere jussit, inqve turbidum mundi Mare, magno cum impetu projicere mandabit.* 23. *Ah qvanta calamitas, luctus, horrendæqve plagæ, grandinosi lapides, veluti centumpondia jam, partim projectæ sunt, partim brevi projicientur!* 24. His interpositô exigui momenti silentiô, perrexerunt rursùs: *O Babylon pulchra, fucata, fundamentô destituta! fæno & stipulæ superstructa! falsa est Doctrina tua, falsa Vita tua, & Opera tua mala.* 25. *Qvadraginta duo menses jam citò terminabuntur, tres dies cum dimidio jam qvoqve exspirabunt, & Spiritus vitæ revertetur in illos, qvos tu perversa Babylon jugulasti. Menses qvinqve judicii tui etiam finientur jam citò.* 26. *Rex à Meridie semel jam tecum congressus, semel jam tecum descendit in aciem.* 27. Qværenti Christophoro: *Qvis esset ille Rex à Meridie?* Responsum est: *Meridionalem dici, non qvod in meridionali plagâ regiones haberet suas, sed qvod Solis Meridionalis calore labefactatus, viribusqve defectus sit: frigidis tamen Septentrionis aqvis, & vegetò Orientis rore revicturus.* Leo enim est: & Leo unus, una cum septem Leonibus amicè illum respiciunt. 28. Iterum qværenti Christophoro: *Qvis esset sensus literarum mysticarum, in visionibus ultimis, nimirum P. & D?* responderunt: *Primæ duæ literæ exseqvuntur officium sibi demandatum.* 29. P. est

sponsa Diaboli Papa, qvi laborem sibi mandatum exseqvitur, mala malis cumulans: nempe, Cædibus, Afflictionibus, Internecionibus, Adulteriis, Scortationibus, & Idololatriis, Voracitate & Intemperantiâ, Avaritiâ & usuris, & *qvicqvid eam D. Sponsus suus Diabolus & propria caro & sanguis docet.* 30. *Ecce enim Diabolus est, & obambulat inter Christianos & Non-Christianos opus suum velut Sponsus cum Sponsâ exseqvens: sed ad breve tempus.* 31. *Gaudete itaqve Vos, qvi Agni mactati characterem gestatis! Nam ecce aliud P. & D. venerunt, & tamen nondum venerunt, sed venient mox.* 32. P. *sunt horrendæ Plagæ*, qvæ super Sponsum & Sponsam venerunt, nec tamen venerunt adhuc, sed venient velociter. 33. *D. est Detonans Vox* (Donnernde Stimme) *prodiens jam jam à Deo: qvinimò ab Oriente & Septentrione coruscat, & insonat, detonans vox. Nam ecce tempus, & tempora, & dimidium temporis, mox decurrent!*

34. Qværebat porrò Christophorus: *Qvis illorum 42 mensium sensus esset?* Responsum: *Attende! 42 menses habent significationem longam, & tempus breve, & continent tempus, & tempora, & dimidium temporis.* 35. *Menses 12 sunt unum tempus* (id est unus annus:) *24 menses sunt duo tempora: 6. menses sunt dimidium temporis, qvod juxta communem Lunæ cursum facit Annos 3. & ferè dimidium. Et hi sunt tres illi dies cum dimidio.* 36. *Juxta longum autem numerum (Annos 28. pro uno mense numerando) facit tempus unum* 336: *duo tempora*, 672: *dimidium temporis* 168: *in summâ* 1176 *Annos. Et tam diu datum est ad conculcandum Atrium Sanctum, postea Conculcator convertetur.* (N. B.)

37. Christophorus ad hæc: *Qvis autem est iste Conculcator?* Resp. *Præter Diabolum, supremum Ecclesiæ adversarium, sunt alii duo, qvi conculcant & perdunt.* 38. *Alter est, qvi Deum verum non novit, sed mox cognoscet:* tempus enim venit, ut qvi Deum ignoravit agnoscat, *ad promovendum decretum super Meretricem magnam*, sedentem in montibus super mare: *qvæ est alter Conculcator & depopulator* (Ecclesiæ) *cujus memoria venit in Dei conspectum, ad præbendum ei poculum excandescentiæ iræ Dei, pro malitia suâ, jam citò!* 39. *Is non curat Deum: ideò nec ipsum curat Altissimus:* qvoniam tempus jam transiit, terminumqve attingit, qvi est numerus hominis 666.

40. A primo 6. subtrahe. 1. manebit 5. & à 5. subtrahe 2. manebit 3. qvæ adde ad ultimum 6. erit 9: & sic 1629. *qvô tempore* (ab anno 1520 inchoando) *subtrahetur, primùm, ex regno Bestiæ* (sicut supra unum à sex) *Visus & intellectus*: ut non videat, neqve intelligat, qvid de se fiat. 41. *Secundò, adimetur Bestiæ vis, robur, & fastus.* 42. *Tertiò & ultimo, adimetur ipsi gloria & splendor.* Et tunc ipsa cum grege suo ex dolore & malitia linguam suam morsicabit: nec convertetur tamen, aut resipiscet; sed supra Deum se extollere perget. 43. Vulnus tamen profundum nimis est, sanari non sustinet! Cauda abscissa, Sanguis effusus!

44. Christophorus rursum: *An tanta futura est sanguinis profusio?* Resp. *Omninò:* siqvidem Germania intentatam sibi Altissimi Virgam deprecari non vult, sed Eum porro irritat, impletamqve peccatis mensuram superaffluenter auget. 45. Propterea ecce Prælium ingens surget: qvô Diabolo & Draconi magno funus magnum, avibusqve cæli cæna magna paratur. 46. *Ah Væ Cæsari, Regibus, Principibus, Comitibus & Baronibus! Væ Regionibus, & Civitatibus Germaniæ Imperii!* 47. *Hæc omnia venient super vos, Fames, Annonæ caritas, Bellum, & San-*

Sanguinis effusio. 48. *O vos in Germaniâ Potentes, qvi Eqvis benè saginatis, pilentisqve pomposis & fastuosis, vehimini! videte, ne volucres cælestes corpora vestra ingluviebus suis trans maria & flumina differant! Vos autem Civitates & Incolæ videte, ne Vos Perditor disperdat similiter!* 49. Per qvinqve enim menses durat magna hæc afflictio, Calamitas, Fames, Bellum, Sanguinis effusio, Incendium, Direptiones terrarum & hominum, qvibus omnibus perniciosissima Pestis accedit.

50. Interfatus Christophorus: *Atqvi de Pace multi sunt Sermones!* Resp. *Per horæ dimidium erit Pax, postea redibit Bellum, & turbæ, per omnes plateas.* 51. Sicuti jam brevi inter Occasum & Septentrionem, ubi magna illa Draconis cauda jacet, magna vi incipiet, implebunturqve iis locis, qvæ ante multas jam annorum centurias prædicta fuerunt. 52. Qvas Regiones etiam præsentes comminationes concernunt, superqve illas devolventur: nempe, Bellum, Fames, Pestis, & Feræ: non Feræ sylvestres, sed homines, creaturæ rationales, qvorum corda propter infidelitatem ex humanis in belluina, imo bestialia, transierunt: ita ut Christiani atrocius qvàm Turcæ & barbari contra seinvicem sævituri sint in Germania: qvia condemnatio Meretricis magnæ propè est, & certa est. 53. Angelus cum Euangelio æterno jam pridem per medium terræ volavit: Beatos, qvi illud susceperunt! nec spreverunt magnum hunc thesaurum, neqve conculcarunt pedibus? Illis Sol justitiæ clara luce fulgebit, nubesqve illas horrendas ab ipsis sine damno discutiet.

54. Christophorus: *Ergo fideles ab hisce plagis liberabuntur?* Resp. Lætare parvule grex, Pastor tuus te tutabitur! habetis in Scriptura certas & infallibiles certæ liberationis promissiones: habetis & exempla compluria admirandæ & conspicuæ protectionis potentis manus Dei. Remittimus te ad Scripta Prophetarum, & ad Sermones Christi atqve Apostolorum. 55. *Ecce tres impuri Spiritus exivere ex ore Pseudoprophetæ & Draconis à qvibus tibi caveas! & acqviescens vividis Israëlis fonticulis, ne te ad fætidas Ranarum lacunas abduci patiare:* in qvibus Ranæ æstate tantùm calida conspici & audiri volunt, coaxationémqve edentes ingentem, nec verentur qvenqvam, nec metuunt; frigido verò autumno & hieme conticescunt. 56. Tales sunt isti fucosi hypocritæ, à qvibus & eorum similibus tibi cave: qvi itidem frigido tentationum & persecutionum tempore obmutescunt, bonis temporalibus, aut corpori & vitæ suæ, metuentes. 57. Sed & tu etiam miros experiere casus: fidelem tamen si te præstiteris in exiguo, majora tibi impertietur & concedet Deus.

58. Hîc in qverelas resolutus Christophorus, neminem sibi ista crediturum, dixit: seqve per ista jam in paupertatem & ludibria, propter mundi malitiam, devenisse. 59. Illi ad hæc: *Qvi semel admotâ ad aratrum manu retrò respicit, Regno Dei idoneus non est: Tibi magna à Deo contigit gratia.* 60. *Qvi Dei servus esse vult, oportet mundo fœtor fiat: tu vide, ut attendas tibi, neqve cuivis fide.* 61. *Ecce tempus prope est, qvò implebuntur omnia tibi ostensa: noli itaqve celare ista.*

62. Interea domum ne revertaris intra tres hebdomadas [N. B.]: alibi, ubi divertas, tibi prospicito. 63. Et hic erat finis Visionis primæ: Nubeqve cum Juvenibus illis velut ad cælum sublata, ipse in loco priùs nominato se conspexit, & hac die Eckersdorfium se contulit, ibiqve pernoctavit.

CAP. XI.

[*Iteratio ejusdem de Leonibus Visionis sexies repetita, 2. In ultimâ horrendus clamor:* Cecidit Babylon, *cum tremore & fragore cæli & terræ, 12. Visio Leonis cælitùs coronati, 20. cum explicatione, 25. Doctrina vera qua, 29. cum Visionibus hisce quid agendum, 32. Revelatores horum qvi? 34.*]

POstridie ibat Neuhamrium, ibiqve ad Augusti 10 commoratus, exiit, ut Gorlicium peteret. 2. Ut verò appropinqvabat Schonbergæ, in locum, qvô sibi antehac triangulare illud Horologium erat monstratum, ecce Visionem conspexit eandem, qvam ante triduum, cum iisdem Juvenibus, Leonibus, & Nube; ubi & Sermones iidem, cum qvæstionibus & responsionibus iisdem iterabantur. 3. His peractis perrexit Benzikum versùs, ibiqve apud amicum notum pernoctabat, altero die ad Parochum Zodellensem divertens. 4. Sed Augusti 12, Gorlicium jam contendens, eandem per omnia Visionem tertiâ vice conspexit: qvâ transmissâ Gorlicium ingressus, apud Alutarium qvendam cibô sumptô, Langenoviam ad matrem reversus est. 5. Inde 13 Augusti Kolfurtum progrediens, eandem Visionem & Sermones iteratos habuit, qvartâ vice. Asseqvutus tamen Kolfurtum, noctéqve ibi transactâ, post concionem Benzikum abiit. 6. Augusti 15, Langenoviam revertenti, qvinta vice eadem illa Visio objecta fuit. 7. Die 16 Augusti descendit Melnicium (dimidio à Sprottavia milliari) inde autem regrediens, seqventi die, eadem illa inter sylvas sibi apparuerunt omnia, sexta vice. 8. Progressus inde Rauscham, in Aurigas fortuitò incidit, cum qvibus continuato per totam noctem itinere Gorlicium venit, & ibi apud Magistrum olim suum in camera superiori fatigatus se deposuit, dormivitqve ad horam usqve octavam. 9. Experrectus verò (18 Augusti.) cum è fenestra in fluvium Nissam prospiceret, capitis vertigine ita correptus est, ut inniti dolio, qvod ibi fundo inversum stabat, necessum haberet. 10. Interea visum sibi est tectum Domûs apertum, viditqve rursus eandem illam Nubem cum Adolescentibus qvatuor, se autem in medio ipsorum: sed Leonem nullum ampliùs vidit.

11. Qvùm autem Juvenes illi sic in angulis qvatuor, ut antea, consisterent, cæperunt duo ex illis, (qvi transversim sibi oppositi stabant) horrendum clamare, voce tàm sonora, ut præ clamoris illius horrore deliqviô corriperetur. 12. Clamabant autem septies: *Cecidit Babylon, Cecidit Babylon, Cecidit Babylon, Cecidit Babylon, Cecidit Babylon, Cecidit Babylon, Cecidit Babylon, Urbs magna, opulenta, gloriosa! necdum tamen in totum concidit.* 13. *Annus adventat, Mensis nominatus est, dies determinatus; Ah commotio & qvassatio terræ imminet! qvassabuntur & confringentur omnia, terræ fundamenta collabentur, Sol & Luna convertentur in sangvinem! stellæ de firmamento cadent, pulchram meridionalem stellam deplorando.* 14. *O fulgida meridionalis stella, qvomodo ita decidisti? Super tuo lapsu Mare etiam in sangvinem convertetur, & fluvii irrubescent, & præaltæ Rupes formosorum & sublimium sangvinem sorbebunt.* 15. Cum autem illi de terræ istomotu qvassationéqve & fragore loqverentur, auditus fuit æqvè horrisonus fremitus, collisiones & fragor, ut Christophorus non aliud cogitaret, qvam cælum terræ misceri: & tamen tam horrendum fragorem tam splendidus excepit solis fulgor, ut omnia conticescerent. 16. Juvenes autem: *Ecce*, inqviunt, *ista facta sunt jam! & tamen nondum facta sunt, sed fient revera, & certissimè, statim.* 17. *O vos fideles parate vobis canti-*

cum

cum laudis, qvia absqve metu cantabitis brevi, Hallelujah. Et Juvenes qvoqve ter concinerunt *Hallelujah.* 18. Postea jusserunt eum duo illi qvi sic clamaverant, sursum ut aspiceret: Aspexit igitur, viditqve ex nube non longè supra se



elevata, manum deorsum se demittentem, in manu autem Coronam! 19. Et ecce aliæ duæ Manus, è latere Nubis se extendentes, eandem prehenderunt Coronam. 20. Et conspexit ex improviso Leonem prostratum: qvi surgens, & ad tres circiter gradus progressus, capite sub Corona illa substitit. 21. Et imposuerunt tres illæ manus Coronam hanc Leonis capiti: peracta verò Coronatione Manus istæ receperunt se in Nubem. 22. Leo autem ille coronatus, pedibus insistens posterioribus, prehendit anterioribus Gladium (à qvô & qvomodo sibi ministratum non animadvertit Christophorus) eumqve, sic stans erectus, tenuit. 23. Qvem ubi Christophorus intentus contemplaretur, ecce factus est ex Leone *Fridericus, statura & specie sua nativa, coronam capite gerens:* sed Gladium jam amplius non vidit. 24. Iste autem effigiatus Fridericus manus suas manibus Christophori immisit, evanuitqve præ oculis: ita conticuêre rursus omnia.

25. Ille qvamvis Personam illam ex Leone productam benè nosset, qvæsivit tamen ex Juvenibus, *qvis iste Leo esset?* responderunt: *Leo iste est Rex, cui Deus gladium suum in manus tradidit, ad exseqvendum vindictam super Regem abyssi.* 26. Christophorus: *Qvis vero,* inqvit, *est iste Rex abyssi?* Responsum est his verbis: *Impius regnat, qvoadusqve permiserit Deus, sed non perstabit: oportet enim radices excelsæ illius Arboris computrescere, ut vidisti antea.* 27. *Leo autem ex sylva Septentrionali audacter prosiliet: qvamvis pedibus suis Lunæ insistat, Luna tamen non semper manebit dimidiata, sed plenum lumen citò recipiet, & ista Luna imago est Ecclesiæ.* 28. *Per Leonem Deus Pater redemit sibi Ecclesiam: per Leonem Eccle-*

Ecclesiæ fideli opem & victoriam paraturus est.

29. Ad hæc Christophorus: *Qvæ autem est doctrina vera?* Responderunt: *Responsum qvære in Veteri & Novo Testamento: Scripturas scrutare, ad has te remittimus.* Qvicqvid enim contra vel præter verbi Dei tenorem in medium affertur, falsa est Doctrina, fundamentum in Scriptura nullum habens: neqve ornata charitate, novô illô mandatô, qvod suis tradidit Christus. 30 Tùm ei prolixiùs explicabant parabolam Christi, de præcipitato inter latrones, & operę misericordiæ, à transeunte Samaritano illi præstito. 31. Tandem significarunt post dies 8 duos è mediô sui ad Christophorum venturos. 32. Ille autem: *Qvid verò mihi cum istis agendum est, qvæ jam septimò hodie vidi? Sperabam enim me non amplius talibus oneratum iri: qvùm mira nunc sit rerum facies, omnibus iis, qvæ vos loqvimini, contraria.* 33. Responderunt: Tetrum illud Serpentinum monstrum, tibi in certitudinem eorum qvæ mox fient commonstratum, accepit jam profundum in cervice vulnus, & mox etiam longam illam Draconinam Caudam vir à Septentrione veniens recìdet, ex qvô magna sangvinis seqvetur effusio: qvia monstrum istud magnum suum in cauda sua habet venenum. 34. Etiam qværebat ex illis Christophorus: *Qvinam essent?* Responderunt: *Septies tibi jam loqvuti fuimus: Angeli sumus, Legati Dei, ducentes ad Scripturas Divinas, & Christum, qvi verba vitæ in illis deposuit.* 45. Sic transiit visio, & Christophorus ad se rediens, vidit se dolio suo inniti, à prandiô verò mox omnia hæc scripto mandavit.

CAP. XII.

[*Nova Revelatio, in qva Christophoro qvæstiones proponere permittitur. 3. Visio magna Alitis, quam deglubunt Leones, Albus, Ruber, & Cæruleus, 48. Explicatio hujus Visionis, 58.*]

AUgusti 25. (cùm Langenovia Saganum proficiscens Schnelfurto esset vicinus) contigit illum duos Juvenum illorum conspicere, his verbis ipsum compellantes: 2. *Christophore; Dominus Deus noster adhuc morem illum observat, qvi sibi solemnis fuit inde à Mundi exordio, ut mortificet priùs qvàm vivificet.* 3. *Audivit Hi indubiè clamorem nostrum ingentem: ideò nos ceu Legati ad te missi sumus, ut pluribus te informemus de omnibus qvæ vidisti. Qværere ex nobis intrepidè, qvicqvid libet, licet.* 4. Ille ad hæc: Existimabam ego me jam defunctum iis qvæ mihi mandata sunt, nec opinabar tale qvidqvam obventurum mihi ampliùs, eô qvod ultimo dominicæ dictum recepi, talem Angelicum nuntium ad me rediturum nullum: ego verò rursus spe diutiùs suspendor, qvùm tamen nihil inde præter ludibria referam: nec opinor fore qvenqvam, sive amicum sive inimicum, qvi mihi fidem sit habiturus. 5. Responderunt: *Hortamur te ne ista in dubium voces, qvæ per nos & conservos nostros operatur Deus: nos enim Dei tantùm Legati sumus.* 6. *Dubitavit Moses ex durissimâ rupe aqvam erumpere posse, & punitus ob hoc à Deo, ut terram promissam non sit ingressus.* 7. Cave igitur Christophore, ne dubita, ne tibi qvoqve mali qvid eveniat, túqve gratiæ divinæ incurras offensam. 8. Exclamavit ad hæc Christophorus: *Domine Jesu, qvoniam me ab hoc admirabili opere liberari neqve debere, neqve posse video, en committo me totum Deo cui & gratias ago, Spiritumqve illius imploro. Agatur jam de bonis meis, aut vitâ meâ, nihil jam curo aut metuo.* 9. Juvenes: Ne hoc te sollicitum habeat,

habeat, qvòd qvæ tibi contingunt, raris nunc contingant: nam *Elias mox veniet, & Daniel à somno suo in sorte suâ surget: Johannésqve etiam prodibit.* 10. Christophorus: *Eliamne & Danielem rursum venturos? & Johannem proditurum? Resurgentne iterum à mortuis?* 11. Responderunt: Eliæ, Danieli, & Johanni, loqvuti fuerant Angeli, imprimis de temporibus ultimis, ubi Mundo ultima sua instat hora. 12. At non ita carnaliter intellige, qvasi à mortuis resurrecturi sint illi, sed qvòd Deus Spiritum suum daturus sit secundùm mensuram, qvam ipse velut solus sapiens optimè novit, etiam per nos tanqvam Angelos & Legatos suos. 13. *Daniel non intellexit, donec ipsi exposuisset Angelus: neqve Johannes, anteqvam ipsi demonstrasset Angelus: Mundus verò nunc eò sapientiæ progressus est, ut Scripturis etiam non egere se putet.* 14. *Et nos si tibi aliud Euangelium, qvàm qvod Christum prædicat, nuntiaremus, anathemate nos ferires meritò.* 15. Ecce factum est, & fit qvotidie, ut Diabolus in Angelum Lucis falsâ doctrinâ suâ, & fucatâ vitæ specie, se transformet. 16. Christophorus porrò: *Sed inqviunt, habere se Moysen & Prophetas: propterea me & vos rejiciunt.* 17. Responderunt: Hæc est perpetua mundi consvetudo, Divina contemnere, pro Divinis autem habere ea, qvæ mundi sunt. 18. Contemnat qvi volet, Judex vivorum & mortuorum, qvi sedet ad dextram Dei, cujus nos Angeli perpetuò intuemur faciem, ille veniet & judicabit, judicióqve damnabit eos, qvi non credunt in ipsum. 19. *Nos nullum tibi novum dogma, nullum novum adferimus Deum, sed te ad Scripturam ducimus: nec enim ullum est extra Fontes Israëlis solatium.* 20. *Tua & omnium salus non in Angelicis fundata est revelationibus* N. B. *Sed qvi laverit stolam suam, & servaverit munditiem, crediderítqve in Christum, ille salvabitur.* 21. Christophorus porrò: Unum adhuc est, qvod qværam, qvo nimirum tempore ista implebuntur omnia? 22. Responderunt: *Qvàm citò à clamore nostro cælum & terram commoveri vidisti, qvàm tantummodò duorum vox fuerit, tàm citò evenient ista omnia, qvùm vox ab Oriente & Septentrione simul insonuerit: nec enim insonabit solummodò, sed & mox è vestigio seqventur omnia.* 23. Hoc etiam scias: Qvamprimùm frigidus Septentrionalis fluvius, & refrigerans Orientalis ros (qvô fatigatus & valdè labefactatus Leo ex sylva, & in sylva, refrigerari debet) irruet, tam velociter illicò processura omnia: furant licet Sponsus & Sponsa qvocunqve libet modo! 24. Scilicet! si tres illæ manus, (una cælô descendens, duæ ab Oriente & Septentrione) ligari possent!

25. Christophorus rursum: Qvia mihi plures offeruntur qværendi causæ, hoc etiam qværam: *Verane sunt qvæ feruntur, Pacem ab Oriente firmam ratamqve futuram?* Resp. *Jam dictum tibi, Pacem illam duraturam per horæ dimidium, postea dissolvendam esse in universum.* 26. *Ecce irruet velociter diluvies & tempestas magna à Septentrione!* 27. *Lupus etiam rapax in Oriente Solis se abscondidit, qvi acuit dentes, & ungves habet præcutos, cursumqve velocem! irruet & iste ex improviso in Oves & Pastores.* Tu autem securus esse, & Pacem tibi polliceri velis? 28. *O vos Reges, ô Vos Principes & Potentes! Consilia Vestra irridet Altissimus, & Vestri de Pace tractatus risui sunt illi.* 29. *Ad Pacem media non alia Vobis sunt qvàm fuerunt Jerosolymitanis, Pharaoni, aliisqve similibus.* 30. Qværenti iterum Christophoro: *Qvis esset rapax iste Lupus? & num non inhiberi posset?* Responderunt: *Posset, verâ pœnitentiâ & precibus.* 31. Repentè loqvitur Altissimus adversus Nationem aliqvam, aut Re-

gnum, qvòd depopulari, confringere, perdere velit: ſed ſi avertat ſe populus à malo, mox pœnitet Dominum mali, qvod immittere voluit. 32. *Intra dies 40. ſubverti debuit Ninive, nec tamen ſubverſa eſt, qvia egerunt pœnitentiam, & ab impietate ſuâ receſſerunt.* Rex ipſe humiliavit ſe, non dicens ſicut Pharao: *Qvis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus?* Ideo mari rubro hauſtus. 33. *Bellum adversùs Germaniam gerit Leo de tribu Juda, geritqve per Leonem Orientalem & Septentrionalem.* 34. Nec deſunt huic Leoni media infligendi pœnas: cauſas etiam habet multas & validas, ſignificatas jam initio. 35. Nempe, qvòd Magiſtratus, Eccleſiaſticus & Politicus, punire debebat ſuperbiam, impuritatem, Dei & verbi ejus contemptum &c. Illi autem ipſi, Primates in Terra, Scortationes proſeqvuntur, & Potentes in Terra exercent malitiam. 36. Et qvod majus, ſcortantur cum Diis peregrinis, & volutant ſe in omnimodis peccatorum ſordibus, contra primam & ſecundam Tabulam in ſumma injuſtitia, commeſſationibus, helluationibus, charitateqve fucata & omni diſſolutione. 37. Ito in Paradiſum, contemplare inobedientiam Adami! Progredere ulteriùs, & inſpice Mundi prioris nefaria opera! qvomodo regimini Spiritûs S. ſubmittere ſe noluerint. 38. Aſpice porrò Sodomam, Pharaonem, Jeruſalem, Scripturaſqve perpende: & multò nunc indigniora patrari contra Deum, & proximi charitatem, comperies. 39. Adamum mori neceſſe fuit; Mundum priorem Diluvio perire; alios etiam pro æqvitate puniri, & nunc non etiam percutiat Deus? 40. *Conſidera, qvid de temporibus hiſce prædixerint, Daniel, Chriſtus, & Johannes! superventuram nempe Tribulationem, qvalis non fuit unqvam.* 41. Dictum tibi eſt: Niſi reſipuerint homines, Deum Igne, Bello & Peſte, puniturum: ſed dictum, Fidei, Spei, Charitatis futurum defectum. 42. Cauſarum proinde ſat habet Deus, qvi tamen more benigni patris impræmonitos non punit: præmonere qvippe verbi ſui voce, totum mundum perſonante, non intermittit. 43. Ad hæc Chriſtophorus: *Fortaſſis nos punire Deus non intendet, qvos verbi ſui prædicatione beavit!* Reſp. *Servus, qvi Domini ſui voluntatem novit, & non facit, duplo vapulabit.* Qvinimò judicium iſtud eſt, qvod Lux venit in Mundum, Mundus autem Tenebras præ luce amavit. 44. *Si Germania hac luce fuiſſet deſtituta, & non ſic eam contemneret, non tam horribiles pœnas lueret.* His ſermonibus tranſmiſſa eſt Dies.

45. Die verò Dominicô redeunti domum Saganô iidem duo Juvenes obv[illegible] veniunt: & iiſdem omnibus rep[illegible] qvæſtionibuſqve & reſponſionib[illegible] tis, ſeqventes etiam numeros [illegible]

1260		28
1260		28
		28
2520		28
1620	252	28
	414	28
4140		
1620	666	168

46. Subjungunt tandem: *Scrutare Scripturas: ad qvas nos, & omnia iſta Tibi revelata, referimus:* 47. Ito jam domum, & tecum cor Samaritani aſſume! nempe *Cor orans, Cor conſtans, & Cor gratias agens:* qvouſqve prædicabitur Euangelium, ad mundi finem, coùſqve gratitudo ejus deprædicabitur.

48. Notandum, *in hac poſtrema Viſione exhibitam ipſi fuiſſe Avem corporis amplitudine inſignem, alarum pennarumqve magnificentia ſuperbam.* 49. Huic accurrens

primùm



[illegible] unam ex ais [illegible] *Leo ruber*, & [illegible] unam itidem u- [illegible] *Leo cæruleus* ag- [illegible] magnô, êqve [illegible] andem, extra- [illegible] æqvabat polli- [illegible] strepitu terram [illegible] tabat, sed frustra: [illegible] recipere eas nullo [illegible] ab oculis evanesce- [illegible] itidem illi tres in Nu- [illegible] receperunt: de qvibus ita loqvu- tus fuit Spiritus. 52. *Albus Leo* (Germ. Weiß) primam habet literam W, qvæ prima qvoqve est in voce Weh (*Væ*,) datum enim ipsi est desuper insonare *Væ*, super totum terrarum orbem. Atqve iste *Albus Leo* occupabit civitatis magnam partem, & administrabit sapienter. 53. De *Leone rubro hæc accipe*: Rubedinem habet auroræ Orientis similem, siquidem si qvis aliqvandiu in caligine nocturna tristis obambulat, ita Grex fidelium adversa patietur aliqvandiu: sed Leoiste ruber, auroræ rubedinem referens, erit auxilio amatoribus Euangelii, & iste qvoqve magnæ civitatis occupabit partem: qvia illum amat, cæruleoqve cum Rubeo benè convenit. 54. *Cæruleus iste*, Leonum minimus, cæruleus commodè dicitur: erit enim ab iis qvæ fient innocens, donabiturqve divinitus animi Fortitudine, Robore, Gloria, & Viribus contra hostes. 55. Qvem coronari vidisti à trina potente manu. *Manum desuper se demittentem intellige manum ipsius Dei, duas verò à latere venientes, Mediatores duos, qvos huic operi destinavit Deus, ab Oriente & Septentrione.* 56. Atqve hic veniet *Væ* super *A* & *H*. & rursus super aliud *A* & *B*. 57. Qvatuor has literas repentina procella obruet; & præterea literam *I*.

58. Novembris 9. (eodem in loco, qvô 25. Augusti cum duobus juvenibus Sermonem habuerat) vidit qviddam ex nube sensim se demittens, & gyrans, usqve ad locum ubi constitutus erat. 59. Comperitqve esse unum

num


gnum, qvòd depopulari, confringere, perdere velit: sed si avertat se populus à malo, mox pœnitet Dominum mali, qvod immittere voluit. 32. *Intra dies 40. subverti debuit Ninive, nec tamen subversa est, qvia egerunt pœnitentiam, & ab impietate suâ recesserunt.* Rex ipse humiliavit se, non dicens sicut Pharao: *Qvis est Dominus, ut audiam vocem ejus?* ideo mari rubro haustus. 33. *Bellum adversùs Germaniam gerit Leo de tribu Juda, geritqve per Leonem Orientalem & Septentrionalem.* 34. Nec desunt huic Leoni media infligendi pœnas: causas etiam habet multas & validas, significatas jam initio. 35. Nempe, qvòd Magistratus, Ecclesiasticus & Politicus, punire debebat superbiam, impuritatem, Dei & verbi ejus contemptum &c. Illi autem ipsi, Primates in Terra, Scortationes proseqvuntur, & Potentes in Terra exercent malitiam. 36. Et qvod majus, scortantur cum Diis peregrinis, & volutant se in omnimodis peccatorum sordibus, contra primam & secundam Tabulam in summa injustitia, commessationibus, helluationibus, charitateqve fucata & omni dissolutione. 37. Ito in Paradisum, contemplare inobedientiam Adami! Progredere ulteriùs, & inspice Mundi prioris nefaria opera! qvomodo regimini Spiritûs S. submittere se noluerint. 38. Aspice porrò Sodomam, Pharaonem, Jerusalem, Scripturasqve perpende: & multò nunc indigniora patrari contra Deum, & proximi charitatem, comperies. 39. Adamum mori necesse fuit; Mundum priorem Diluvio perire; alios etiam pro æqvitate puniri, & nunc non etiam percutiat Deus? 40. *Considera, qvid de temporibus hisce prædixerint, Daniel, Christus, & Johannes! superventuram nempe Tribulationem, qvalis non fuit unqvam.* 41. Dictum tibi est: Nisi resipuerint homines, Deum Igne, Bello & Peste, puniturum: sed dictum, Fidei, Spei, Charitatis futurum defectum. 42. Causarum proinde sat habet Deus, qvi tamen more benigni patris impræmonitos non punit: præmonere qvippe verbi sui voce, totum mundum personante, non intermittit. 43. Ad hæc Christophorus: *Fortassis nos punire Deus non intendet, qvos verbi sui prædicatione beavit?* Resp. *Servus, qvi Domini sui voluntatem novit, & non facit, duplo vapulabit.* Qvinimò judicium istud est, qvod Lux venit in Mundum, Mundus autem Tenebras præ luce amavit. 44. *Si Germania hac luce fuisset destituta, & non sic eam contemneret, non tam horribiles pœnas lueret.* His sermonibus transmissa est Dies.

45. Die verò Dominico redeunti domum Saganô iidem duo Juvenes obviam veniunt: & iisdem omnibus repetitis, qvæstionibusqve & responsionibus iteratis, seqventes etiam numeros exhibent:

1260		28
1260		28
		28
2520		28
1620	252	28
	414	28
4140		
1680	666	168

46. Subjungunt tandem: *Scrutare Scripturas: ad qvas nos, & omnia ista Tibi revelata, referimus:* 47. Ito jam domum, & tecum cor Samaritani assume! nempe *Cor orans, Cor constans,* & *Cor gratias agens:* qvousqve prædicabitur Euangelium, ad mundi finem, eousqve gratitudo ejus deprædicabitur.

48. Notandum, *in hac postrema Visione exhibitam ipsi fuisse Avem corporis amplitudine insignem, alarum pennarumqve magnificentia superbam.* 49. Huic accurrens primùm



primùm *Leo albus*, pennam unam ex ala sinistra evulsit: Inseqvitur *Leo ruber*, & evellit ex alâ dextrâ pennam itidem unam: Tandem veniens *Leo cœruleus* aggressus est Avem impetu magnô, éqve dorso ejus pennam prægrandem, extraxit, cujus caulis crassitiem æqvabat pollicis. 50. Avis ergò Alarum strepitu terram verberans, subvolare tentabat, sed frustra: viribus enim defecta recipere eas nullo modo potuit, donec ab oculis evanesceret. 51. Leones itidem illi tres in Nubem se receperunt: de qvibus ita loqvutus fuit Spiritus. 52. *Albus Leo* (Germ. Weiß) primam habet literam W, qvæ prima qvoqve est in voce Weh (*Væ*.) datum enim ipsi est desuper insonare *Væ*, super totum terrarum orbem. Atqve iste *Albus Leo* occupabit civitatis magnam partem, & administrabit sapienter. 53. De *Leone rubro hæc accipe*: Rubedinem habet auroræ Orientis similem, sicuti si qvis aliqvandiu in caligine nocturna tristis obambulat, ita Grex fidelium adversa patietur aliqvamdiu: sed Leo iste ruber, auroræ rubedinem referens erit auxilio amatoribus Euangelii, & iste qvoqve magnæ civitatis occupabit partem: qvia illum amat, cæruleoqve cum Rubeo benè convenit. 54. *Cæruleus iste*, Leonum minimus, cæruleus commodè dicitur: erit enim ab iis qvæ fient innocens, donabiturqve divinitus animi Fortitudine, Robore, Gloria, & Viribus contra hostes. 55. Qvem coronari vidisti à trina potente manu. *Manum desuper se demittentem intellige manum ipsius Dei, duas verò à latere venientes, Mediatores duos, qvos huic operi destinavit Deus, ab Oriente & Septentrione.* 56. Neqve hîc veniet *Væ* super *A* & *H*. & rursus super aliud *A* & *B*. 57. Qvatuor has literas repentina procella obruet; & præterea literam *I*.

58. Novembris 9. (eodem in loco, qvô 25. Augusti cum duobus juvenibus Sermonem habuerat) vidit qvidam ex nube sensim se demittens, & gyrans, usqve ad locum ubi constitutus erat. 59. Comperitqve esse u-

 num

num ex Juvenibus illis qvatuor, qvi salute ipsi dictâ de septem illis Leonibus, qvas mundi partes singuli incolant, déqve proposito eorum, eadem qvæ antea referebat. 60. De Ave autem ista sic: *Avis, qvam vidisti alas explicantem, est civitas magna murô carens, qvam occupabunt tres Leones, & inter se divident.* 61. Mox acceptâ (incertum unde) Tubâ, insonuit Angelus, primùm ad Meridiem, deinde ad Occasum se convertens, & sic ad omnes mundi plagas, ad singulas semel. 62. Conversusqve ad Christophorum: *Desiderásne scire, qvid sibi clangor iste velit, qvid portendat?* Eqvidem, respondit, si mihi id obvenire potest. 63. Iterum Angelus: *hôc tubæ classicô convocantur à qvatuor Mundi partibus multæ & diversæ Gentes ad prælium magnum. Ah cædes & strages, depopulationesqve terrarum & hominum, venient.* 64. Ecce procella ruet super *A* & *H*: iterumqve super *A* & *B*. 65. Iterumqve clanxit qvater, sed initiô à Septentrione factô, tùm ad Orientem & porrò: *Hôc,* inqviens, *sonitu convocantur Aves è sylvis, & omnibus qvatuor mundi partibus, ad Cænam magnam.* 66. Plura scrutari neqve tibi convenit, neqve ulli hominum: *tempus calamitatis est præ manibus, tempus lamentabile venit! Calamitates volvuntur tanqvam armatus Exercitus.* 67. Tu qvisqvis es, superior & inferior, si tibi aures sunt audi; si intellectus, expende magnam contritionem Jacobi, & ingentem totius Germaniæ calamitatem. 68. His conclude tristem hanc revelationem: Ego autem ecce te ad Scripturas, Christiqve meritum, remitto. 69. Unus sum ex illis qvatuor, qvos in nube vidisti: Cura, ut hæc describantur diligenter omnia. 70. Jam tibi, & [illegible] tibi injunctum, [illegible]

CAP. XIII.

[*Revelatio Christophoro ægrotanti facta, 1. De Ferdinando, Friderico, Saxoniæ Electore, 6. Episcopoqve Nissensi, 17. Miraculosa Christophori sanatio, 21.*]

ANno 1623. grassante per Silesiam epidemiâ (Capitis contagiô) penetraverat vis morbi ad Christophorum qvoqve & ejus Conjugem, & filiolam, inqvilinúmqve, ut omnes decumberent. 2. Factum autem 11. Martii, sub vesperam, ut unus illorum qvatuor hypocaustum ingressus, ab uxore Christophori etiam conspiceretur. 3. Qværebat enim ex viro, qvisnam esset? qvi esse unum ex spiritibus, qvi sibi apparere soleant, respondit, (ad [illegible] illa parieti se obvertens, nec vidit amplijùs, nec audivit qvidqvam.) 4. Spiritus ergò Christophoro salutem precatus, qvomodò valeret qvæsivit? Ut homo miser, respondit ille, qvem cruce visitavit Deus. 5. Iterum ille: *Bono animo esto, levabit te Deus cruce tuâ. Ecce habes ante te [illegible] longum; Scinde tibi panis buccellas tres, manduca, & assume tria cochlearia cerevisiæ, morbus te relinqvet.* 6. Fecit hoc, & mox in ecstasin raptus in Arcem Pragensem venit: Ubi *Cæsarem Ferdinandum, Fridericum, & Electorem Saxoniæ,* conspexit. 7. Juxtàqve illos vidit Cistulam qvasi rotundæ formæ, & impositam illi coronam, cujus fastigia solum ex cistula prominebant. 8. Fridericus autem Christophoro dixit, ut arrepto bacillo, qvi ad manum ibi fuit, coronam auferret: qvod ille fecit. 9. Perrexit Fridericus: *Impone mihi Coronam istam! Impositàm [illegible] è cistulâ exemptam capiti Friderici.* 10. Mox aspexit Electorem Saxoniæ [illegible] se 6 aut 7 globos [illegible], magnitudine [illegible]. 11. Et exclamavit Elector: *Fridericus est electus & coronatus*

natus Rex, cui jure debetur Regnum Bohemiæ, dictóqve hoc disparuit. 12. Ferdinandus autem accedens, eadem Electoris verba repetiit, addito: *Qvi ex Austriaca Domo ad Imperium Romanum extolli voluit, Meretrici, Morioni, & Sacerdoti verbis blandiri necesse habuit.* 13. Et conversus ad Christophorum rogabat, ut pro se oraret, damnatum enim se esse, nisi precibus pii alicujus Christiani liberetur. Tùm diras imprecabatur Papæ impensè. 14. Christophorus autem subitò se conspexit, unà cum Ferdinando, in confiniis Hispaniæ ac Belgii, viditqve Exercitum Hispanicum castra metantem: qvi tamen insperatò disiectus, dissipatus, totusqve qvasi in nihilum redactus fuit. 15. Ibi *Cæsar ad Christophorum iterum conversus, petiit ut pro se preces funderet*: Ille verò, Miser ego sum & indignus peccator, preces meæ qvid ponderis habebunt? 16. *Ad hoc verbum prostratus in terram Cæsar, ipso inspectante, animam exhalavit.*

17. Iterum Spiritus ad Christophorum reversus, ostendit ei per visionem Episcopum Nissensem (Carolum Austriacum, Ferdinandi germanum) deqve sangvinariis hostium moliminibus multa disseruit. 18. Sed mox in oculis ejus *mutatur persona Episcopi in Calvariam, qvæ instar vesicæ se inflans, in qvatuor dissilüt partes.* 19. Et Spiritus: *Ita Deus confringet magnum illud robur, magnam illam vim, magnumqve illorum brachium, & robustum pedem subvertet. Dominus faciet istud.* 20. Ecce Angelus effudit violam suam in aërem: qvæ sonos, fulgura, tonitrua, & terræ motus producet. 21. His Christophorus ad se redit, valetudine jam integrâ.

CAP. XIV.

[*Visa stupenda Bestia super septem columnas, 1. Quas mox septem subversum eunt; 7. Exercitus concurrentes quatuor, 12. Victori afferuntur Libri duo; 15. quo exultante, 17. Dilucidatio Visionis de Bestia, 27. constituitur Leonis cauda Ape, 32. Certitudo horum, 34.*]

EJusdem Anni 1623, die 2 Aprilis, iter facienti Gorlicium apparuit idem ille juvenis, præmissóqve brevi sermone dixit: *Aspice!* 2. Et ecce conspexit ingentem *monstrosam Bestiam*, duo-

decim aut qvatuordecim ulnarum longitudine, septem incumbentem columnis. 3. Et erat Bestia illa septicolor, *Alba*, *Rubra*, *Cærulea*, *Nigra*, *Lutea*, *Aurea* & *Ignea*: totidemqve inter se mixti colores in septem columnis visi sunt. 4. *Figura Bestiæ hæc fuit*: Caput Meridiei obversum, qvasi displanatum apparebat, cum auribus in formam Episcopalis mitræ acuminatis: Rictus tantô hiatu patens, ut homo ingredi posse videretur; Dentes præacuti; Corpus enormiter magnum, & qvod per hiatum oris introspectum ad instar calcariæ fornacis ardere visum est; Cauda oblonga. 5. *Corpus incumbebat columnis istis septem*: qvarum anteriores duæ crassitie suâ vastissimas æqvabant hydrias, binæ istæ proximæ paulò erant exiliores: Tertiæ binæ primis illis æqvales; postrema autem, cui cauda incumbebat, crassior & validior cæteris omnibus. 6. Hanc Belluam cùm intueretur diligenter, visa est vomiturire, & mox ex ore suo sanguinem cum aqvâ terrô vomitu eructabat. 7. Interea accedunt *viri septem*, primus albô, secundus rubrô, tertius cæruleô colore: reliqvi qvatuor mistos ex albo, rubro, cæruleo, & luteo, referebant colores. 8. Albus ille aggressus columnam mediam dextrám subvertit: Ruber sinistram simili modo dejecit. 9. Atqve sic, qvùm duæ istæ columnæ instar nebulæ evanuissent, cæpit Bestiæ corpus vergere deorsum, tentabátqve denuò vomitum, nisu summo, sed evanido. 10. Accessit postea Cæruleus, evertitqve posteriorem columnam dextram; post hunc cæteri qvatuor, tanqvam coadjutores, sinistram cum duabus mediis: donec tandem omnes ad crassissimam illam sub cauda delati, illam qvoqve tandem magnâ virium contentione subverterant. 11. Atqve hic *demum Bestia cum terræ motu in humum devoluta, exanimis relicta est.* Is fuit visionis finis.

12. Qvum autem 23. Aprilis Gorliciô rediret, eundemqve attigisset locum,



Visio eadem rediit, cum omnibus [illegible] cumstantiis; qvâ finitâ, dixit Spiritus: 13. *Et* [illegible] *subitò à Meridie & Occidente venientes duos Exercitus, plen-*

splendidè armatos & exultantes: qvorum singuli tribus erant signati characteribus, in fronte literâ *G*, in pectore *P*, in tergo *V*, nigro pictis colore. 14. *Iterum vidit alios duos Exercitus, unum ab Oriente, alterum à Septentrione venientes*, & in unum se congregantes. Qvibus conspectis, priores illi Exercitus lætitiam suam mærore ac metu terroréqve & pavore commutârunt. 15. Dúmqve sic trepidant, auditur repentè humana acutè sonans vox: *Ecce jam veniunt Plagæ, & veniunt uno die.* 16. Et juvenis rursus: *Aspice!* Aspiciens ergo vidit quatuor illos Exercitus in aciem colligi, committiqve prælium ingens, qvo cæsa utrinqve sunt multa hominum millia, donec tandem Meridionales & Occidentales dissipati, Orientalis verò cum Septentrionalibus victoria potiti essent.

17. Clade hac peracta, Exercitus illi qvatuor (præter dispersos) constiterunt unà: qvatuor autem Viri egregia statura, luteo & lucidè cæruleo induti habitu, *Librum portantes magnum*, qvatuor marginibus prehensum, venerunt in medium Exercitûs, qvi in Orbem constiterat. 18. Inter quos stabat qvidam proceræ staturæ, mystace promisso, capite *Tiaram Turcicam* gerens, tunicâ longâ indutus, & fasciâ cinctus, acinacem in viridi vaginâ lateri appensum habens, cætera totus luteo & lucidè cæruleo colore, præter fasciam, albo, rubro, & cæruleo tinctam. 19. *Huic Librum aureum tradiderunt Viri illi qvatuor*: Ille verò sub axillam sinistram recondidit. Et qvatuor illi disparuerunt.

20. Iterum exclamavit Juvenis: Aspice! & vidit *viros duodecim albos, qvorum unus ferebat in manu Librum in folio, habentem clausurorum locotria rubra signata.* 21. Qvem postqvam Viro eidem procero (qvi habitum suum jam mutaverat colore albo, rubro, & cæruleo) obtulissent, ille acceptum utraqve manu pectori suo appressit, appressumqve sic aliqvamdiu tenuit. Duodecim vero illi per medium Exercitûs exiverunt. 22. Ipso autem Librum adhuc ad pectus tenente, venit multitudo hominum, senum & juvenum, majorum & minorum, stolis albis induta: & in medio Exercitus coram viro illo constitit. 23. Tunc aperuit Librum, manibusqve suis in conspectu eorum tenuit: & ecce fuit conscriptus magnis characteribus nigris. 24. Cæpitqve tota illa multitudo unà cum Exercitu clara voce concinere septies: *Laudate Dominum omnes Gentes! Glorificate & extollite Nomen ejus: qvoniam benè fecit nobis.* 25. Postea deponebant omnes arma sua, flammantiqve amore ruentes in amplexus mutuos, gaudio replebantur: claudentes omnia repetito hymno, *Laudate Dominum omnes Gentes*, &c. 26. Et mox disparuerunt omnia. Juvenis solus cum Christophoro remansit: cadavera etiam occisorum sublata sunt ab oculis ejus.

27. Et compellans Christophorum Spiritus: Ne mirere, inqvit, ea qvæ vidisti. *Bestia qvam vidisti non est Bestia, sed Bestiæ similis.* 28. Nomen ejus etiam *Mulier, cum qvâ multi Reges, Principes, & Populi, horrendam exercent scortationem. Sedet enim in gloria & pompa, nominans se Reginam, innixa septem columnis suis.* 29. Sed ut septem illas columnas subversas vidisti, ita scito hîc facturum esse Dominum, robore brachii sui. 30. Bestia hæc eructat ex ore suo blasphemias: sed columnæ, quibus incumbit, partim confringentur (tempus est præ manibus, evenietqve qvod oculis tuis vidisti) partim se subducent, eamqve deserent. 31. Christophorus ad hæc: *Qvando autem eventura sunt ista, qvæ oculis conspexi meis*, Responsum:

Tem-

Tempus præstò est. Definitum, & pridem à Deo dimensum tempus, impletum est: Indubitatò & immutabiliter ad exitum ibunt omnia.

32. Dixitqve porrò: *Ecce intuere!* Et conspexit subitò *Avem albam* cum rostro oblongo, sangvinis instar rubente, ante se consistentem: ad qvam albus Leo statura mediocri accurrens, conflictavit cum illa acriter, ut pennæ cum plumis in aërem volitarent. 33. Tandem Leo cervice Avis prehensa, traxit eam per flumen qvoddam latissimum, eousqve, ut à Christophoro conspici non possent.

34. Et dixit Spiritus: *En! tres jam vidisti Visiones, qvarum omnium eadem est significatio*, concernentium ea qvæ eventura sunt brevi. Ideo tibi dico: *Dubitet mundus, judicet ut vult, traducat ut lubet, in oculis tuis hæc gesta sunt.*

CAP. XV.

[*Visio Serpentum nocere neqveuntium*, 3. *Visionis de qvatuor Exercitibus, oblatisqve Libris, expositio*, 7. *Monarcha Bestia inseqvitans*, 44. *Menses magnis præliis destinati*, 50. *Infans annorum viginti & octo*, 51. *Tota spes qvando*, 52. *Visio Circini magni*, 55.]

APrilis 28, proficiscens Sprottaviâ Hertwikswaldum, habuit eundem Juvenem iterum sibi obvium, salutantem se, & resalutanti hoc porrò dicentem: *Exivisti hodie in nomine Dei, & in nomine Dei facies, qvod jam tibi mando.* 2. Octavâ die à crastino deducet te Spiritus Domini in locum qvendam, qvem tu neqve nosse poteris, neqve nominare audebis. *Ne metuas, aspice!* 3. Et mox conspexit *Serpentem magnum, qvi Caudam suam in modum sagittæ vibrans, circulum contorsit, Christophorum unà cum Juvene circo illi ex sese facto includens.* 4. E ventre autem ipsius prospectabat infinita multitudo Serpentum & Reptilium, cum diversissimis Bestiarum, Avium, Piscium, imò & Hominum aliorumqve animantium, capitibus, igneis autem & adversus ipsum sibilanti-



bilantibus lingvis. 5. Dixitqve Spiritus: *Ecce hic est totus Satanæ Principatus, Angelorum & Spirituum malorum! Qvàm parùm tibi isti nocere possunt, tam parùm tibi homines nocebunt, qvi hodie sunt, cras in sepulchrum descendent.* 6. *Deo proinde tu, Deiqve verbo, constanter adhære, sanúmqve admitte consilium. Et si qvod tibi à mundo immineat periculum, à Christo & in Scripturis solatium & tutamen qvære.* His dictis evanuit.

7. Sextâ ergo die Maji, factum fuit id, qvod sibi futurum Spiritus prædixerat. Erat in pago Hermsdorf; unde egressus mane hora qvinta, raptus est in ecstasin. 8. Delatusqve in locum qvendam sibi ignotum, vidit omnes illos Spiritus, qvi sibi hactenus apparere consveverant, nullô prætermissô. Qvorum singuli accedentes dextras illi porrigebant, qvúmqve manum ad se retraheret illorum qvisqve, mutabantur personæ in talem fulgorem, claritatémqve & amænitatem, ut effari non possit. 9. Ultimus autem, unus ex illis qvatuor, qvùm dextram Christophoro porrigeret, compellavit ipsum, inqviens: *Exercitus illi, qvos à qvatuor mundi plagis in unum congregari vidisti, divisos in agmina qvatuor, qvales sint, jam accipe.* 10. Primum & secundum agmen erat à Meridie & Occasu, cum triplici Charactere, *G*, *P*, *W*. 11. *G in fronte*, significat (Gott) Deum, & (Gottslästerung) Blasphemiam. 12. P in *pectore* significat (Plagen) Plagas ingentes, qvibus affligunt traditos ad tempus afflictioni suæ: sed postea plagæ horrendæ ac terribiles in ipsorum capita recident, qvæ sanari non poterunt. 13. *W* in tergo, significat (Weh) *Væ*. 14. *G habent in fronte*: id est, Nomine Dei extrinsecus se contegunt: Dei nihilominùs Verbum fædè blasphemantes. 15. *P in pectore ipsos valdè cruciat*: qvod ipsi sentiunt, ad animum tamen admittere nolunt. 16. *W in tergo sentiunt itidem*, sed nondum ad corda sua penetrare patiuntur: qvia sensus reprobus, in qvem à Domino dati sunt, cordisqve obduratio, facit illos ad pœnas maturos. 17. Tres isti Characteres testimoniô sunt, esse etiam ipsos Exercitum Dei, qvibus pro voto & subitu nunc eveniunt omnia: sed nonnisi ad terminum qvem ipsis jam præfixit Deus. Atqve hi sunt, qvibus Deus postremò plagas immittet terribiles. 18. *G in fronte gerunt*: Albescunt enim extrinsecus, sed nasum habent sangvine rubentem: propterea ipsos in torrentem ultionum suarum conjici jubebit Altissimus. 19. Laborant enim febri Pharaonicâ, & vero Medico se submittere recusant, Scripturas negligunt, neqve qvis tandem malitiæ ipsorum futurus sit finis perpendere, aut prospectare, sustinent. 20. *W habentes à tergo*, illud non intuentur: qvamvis ipsos *P in pectore* (hoc est, conscientia mala) torqveat, & qviescere die noctéqve non sinat. 21. *Plagæ enim horrendæ sunt, & superventuræ omnes unô die: Dies magnæ illorum lætitiæ convertetur eis in diem magni luctûs.* 22. *Nam vox ab Oriente & Septentrione non erit nuda Vox* [N. B.] *sed talis, ad qvam Exercitus uterqve subitò se sistet*, Unde pavor & consternatio proveniet, clamórqve ingens audietur ab ipsis: *Ah jam Plagæ ruunt, & ruunt uno die, Dolor, Sangvis, Mors, Ignis, & omnimodæ Plagæ!* 23. *Dominus namqve visitabit eos, & retribuet ipsis septuplo super caput ipsorum: sicut fecerunt ipsi, ita faciet ipsis Dominus, per Exercitum ab Oriente & Septentrione.* 24. Et ecce qvatuor isti Exercitus in occursum sibi veniunt, committéntqve prælium! Ubi multa interfectorum millia prostrata jacebunt, sicut vidisti: Victoria tamen penes Orientales

& Septentrionales manebit. 25. Et ſicuti partem vidiſti Exercitûs Meridionalis & Occidentalis, ſe Orientalibus & Septentrionalibus jungere, ita *ſcias fore, ut multi è fucatâ illâ urbe Babylon exeant, ubi Satan cum ſodalitio ſuo vicarii ſunt.* Atqve cum his te in Scripturas remitto. 26. Vidiſti etiam poſt peractum prælium, & multam ſangvinis effuſionem (qvæ certò conſeqvetur) virum magnæ proceritatis, ſtantem inter eos, qvi poſt ſtragem ſupererant: ecce myſterium tibi dico! *Hac viſione exhibitus tibi eſt magnus Gentium Monarcha ab Oriente Solis.* 27. Vidiſti porrò viros qvatuor per medium Exercitum magnum *aureum Librum* portantes, qvem portarunt omnes qvatuor, & obtulerunt magno illi Viro, qvi ſub axillam ſiniſtram recondidit: ſignificatio hæc eſt, *Magnum illum Monarcham per qvatuor illos Viros ad Dei notitiam eſſe perducendum.* 28. *Et venturos poſthac reliqvos duodecim, qvi ei Librum offerent, hactenus coram ipſo obſignatum, cordi tamen jam ejus applicatum, donec veniat turba annuntiantium Euangelium.* 29. Ubi illi tria ſigilla per Spiritum Domini aperientur, & hymni vocesqve lætiſſimæ inſonare incipient: *Laudate Dominum omnes Gentes, & glorificate nomen Altiſſimi, qvia Dominus benefecit nobis.* 30. Qvæſivit autem Chriſtophorus: *Cur Viro illi traditus eſſet Liber obſignatus?* 31. Reſp. *Aperientur ſigilla iſta qvæ vidiſti. Primùm*, aperta prædicatione Euangelii, & per Baptiſmum tolletur ſigillum primum. *Secundum* per fidem in Dominum Jeſum Chriſtum: qvem ille non modò Prophetæ magni, ſed & Redemptoris ac Salvatoris ſui nomine venerabitur. *Tertium* ſigillum aperietur per novam obedientiam, & magnam inde promanaturam mutuam dilectionem. 32. *Hoc autem qvod tibi de apertione Sigillorum iſtorum dictum eſt, non priùs implebitur, qvàm Beſtia illa immanis de ſeptem columnis ſuis dejecta fuerit.* 33. Ecce enim Beſtia incumbit ſeptem teſtaceis columnis, ex argilla & luto confictis, & mortalitati obnoxiis. 34. *Ecce terra ſe aperiet! opitulatura mulieri perſecutionem patienti, qvæ eſt Scriptura, Puerulum utero, qvi eſt purum, illibatum, invictumqve Dei Verbum, ad partum geſtans.* 35. *Atqve tum Magni illius Monarchæ converſio fiet, poſtqvam magna Imperii deſolatio finem acceperit: Et vinctus in Septentrione Leo vinculis ſolvetur ſuis, qvem Deus triplici corona coronavit:* Corona *Patientiæ*: Corona *Charitatis*; & Corona *Precum atqve Spei*. 36. Et habet ſimul concreditum ſibi expolitum, exacutum, nitidè coruſcantem & radiantem Euangelii ſacri Gladium, qvi Animam & Spiritum permeat & penetrat. 37. *Vinctus hic Leo Fridericus eſt, cum Progenie ſua, qvi circa decurſum anni ſuis ſe exuet vinculis.* 38. *Ille eſt, qvi ſe illum eſſe non agnoſcit: imò ſe illum eſſe non credit, in cujus gratiam in Germanicis terris prodigia fiunt*: eſt autem ille verè virens ille florensqve ſurculus, multas alias virentes, florenteſqve protruſurus frondes. 39. Chriſtophorus dixit: *An ergò tam horrendam deſolationem priùs venire neceſſe eſt?* Omninò, reſpondit: *Dimidium horæ Pacis jam exſpiravit, & præteriit*: & Menſes qvinqve magnæ tribulationis mox inibunt. 40. Hi enim qvinqve Menſes inchoabuntur circa feſtum Jacobi: continentqve 152 dies, ſecundum numerum hominis. Primus Menſis habet 30 dies; ſecundus 31; tertius 30; qvartus 31; qvintus 30; ſumma 152: durabuntqve iſti menſes uſqve ad Annum 1624. 41. Sed ecce! *Scribe! Tres horas cum dimidiâ durant qvinqve Menſes tribulationis magnæ*: tres horas in hoc anno, dimidiumqve horæ anno ſeqventi 1624: idémqve hoc tempus dividi poteſt in tempus, tempora, & dimidium temporis. 42. Puſillum & perbreve tempus repu-

tari

tari deberet vobis, ô Fideles, magna hæc qvinqve Mensium Tribulatio. 43. Ne pavesce, confide Domino, qvi cælum & terram fecit! Ecce enim ingens etiam ac repentina pestilentia invadet Germaniam, à qva bellica etiam ex parte suffflaminabuntur molimina.

44. *Ecce unus è primariis Potentibus magno involvitur discrimini, ruinæqve & perditionis metus adest: nam onus magnum & ponderosum graviter ipsi incumbit, qvod imposuit ei Dominus: tempus enim Bestiæ ad finem decurrit jam plenè.* 45. *Hic Monarcha Bestiam eqvitat, & Bestia illum: Primùm*, qvia Bestiam audit, & verba ejus, non secus ac si verba Dei essent, cùm sint Verba Belluæ & mandata hominum. 46. *Secundò*, per obedientiam, qvam exhibet Bestiæ, ei se subjiciens, & qvicqvid ipsa vult secundùm beneplacitum ejus faciens. 47. *Tertiò*, tradit gloriam, divitias, robur & potestatem suam Bestiæ, timens eam, acsi verus esset Deus: cùm bellua sit in seipsa, moriatúrqve ut brutum. 48. Atqve sic *Bestia Monarcham illum eqvitat, pro lubitu: rursumqve ipse eqvitat Bestiam, tamdiu, donec ambo in foveam incident, qvam ipsis fodiet Angelus ille, cui Lapidem validum tollere, & cum impetu procellæ in Mare projicere, mandatum est. Ecce id hora una fiet!* [N. B.] *Dominus enim dabit ipsi robur.* 49. Septem columnis insistit, incumbit, & innixa est, Bestia: Septem sunt rursum, per qvos illas everti ac conqvassari oportet: His te ad Scripturas Veteris & Novi Testamenti remitto.

50. Dixit porrò Spiritus, Annum non nominans: *Majus* mensis ad bellum se disponet seriò: sed nondum tempus est. *Junius* etiam ad bellum invitabit: sed ne tum qvidem tempus est. *Julius* demùm furiosè aget, ut multi conjugibus liberisqve valedicant. In *Augusto* nihil à qvatuor Orbis Plagis nisi bella, & bellici rumores audientur. *September* & *November* magnam sangvinis effusionem afferent: *Octobri* autem mense mira videbitis. 51. Atqve *sub id tempus infans erit annos natus* 28, *cujus nutrix erit ab Oriente: atqve hic mira facinora patrabit.*

52. Qvæsivit autem Christophorus: *An ergò Pacis spes in totum nulla est?* Responsum: *Postqvam omnia, qvæ revelata tibi sunt, fuerint impleta, tunc aurea Pax in Germaniæ terras redibit, cantabiturqve cum gaudio: Laudate Dominum omnes Gentes; Glorificate & extollite nomen ejus: qvia Dominus benefecit nobis.* 53. Atqve ita de duplici illo Exercitu, & de albo Leone cum Ave conflictante, jam informatus es: de Rebus nempe futuris, *qvæ omnes eventum sortientur subitò.* 54. Relinqvo tibi ea, qvæ tibi anno 1622 exhibita sunt: simulqve te ad Propheticas & Apostolicas remitto Scripturas, & ad pretiosum Christi meritum. 55. Eadem die, eodemqve loco, contigit ipsi videre etiam Circinum humi jacentem, apertum, magnæ molis: cujus cuspis una versus Occidentem directa Serpentinæ caudæ repræsentabat formam: altera Orientem versus distensi Draconini rictûs figuram. 56. In hoc autem Circino conspexit, *primùm* in ejus angulo, propè circini vertebram, *Virum sedentem* super sedile. 57. Ante qvem stabat *Arbor frondibus destituta*, crassitudine septem Orgyarum (mensurabat enim Christophorus:) Vidit autem *Vermium infinitam copiam*, qvi adrepentes Arborem illam caudis suis pertundebant, donec plena esset foraminum, instárqve cribri transpici posset. 58. *Porrò* in eodem circino conspexit *Virum qvasi lintei volumine cinctum, stantemqve cum trutina, & Personas duas delibrantem.* 59. Vidit item *duas Manus, vinctas cruce albâ duplici.* 60. Nec non *Leones tres simili cruce colligatos.* 61. Tandem *Virum habentem circa se stel-*



las septem, & à lateribus *duas Lunæ medietates:* super caput autem ejus expansam *Coronam Lauream*.

CAP. XVI.

[*Visio præcedentis Circini, cum illius expositorio Libro septifolio, septies iteratur. Folium libri primum*, 2. *Secundum*, 6. *tertium*, 11. *qvartum*, 14. *qvintum*, 26. *sextum*, 31. *septimum*, 44. *Multa millia Spirituum*, 46. *Videntis manus sangvinem stillant*, 49. *Moxqve palmam nanciscuntur*, 50. *Donec ista eveniant, patientiâ opus*, 52. *Secundum Scripturas omnia*, 61. *Revelatores horum qvinam sint*, 76.]

ANno 1623, Octobris 1, venerunt ad ipsum (Saganum euntem) iidem omnes Spiritus, exhibuerúntqve eundem Circinum, cum omnibus qvæ inerant: simulqve Librum septem Foliorum, cum inscriptis diversis numeris.

2. *Primo folio* seqventes exstabant numeri:

1260

360 tempus,
720 duo tempora,
180 dimidium temporis.

3. Et dixit Spiritus: *Ad hunc usqve terminum venenosa Bestia potestatem obtinebit, & Victorias magnas.* Calculum ab illa die inchoando, qva amissa fuit sylva arida, faciet circiter tres annos cum dimidio. 4. Sed post exitum hujus termini audietur vox potentis Angeli: *Jam agedum, Venamini Cervum! cæsim petite Ursum! perseqvamini Onocrotalum usqve ad aqvas, qvæ sunt ad Meridiem*, qvia hic Onocrotalus contaminavit rostrum suum sangvine sanctorum, ipsum itaqve rursum sangvine mergi necesse est. 5. Nam propositum Tuum, & consilia Tua, non ad Dei gloriam directa sunt, sed tantùm ad aliorum afflictionem: cùm tamen Verbum Domini cæli & terræ attendere debebas:

6. *Secundum folium* hos habebat numeros.

2625

750 tempus,
1500 duo tempora,
375 dimidium temporis.

7. De hoc numero dixit: Duo Leones dimi-

dimicant de Corona ferrea, per tempus, & tempora duo, id est 2250 dies: tertius autem Leo pugnabit 375 dies, cùm tempus ipsius venerit: & pugnabit sedens in gloria. Atqve hic est Leo ille, qvi oblivioni jam datus erat. 8. *Tres hi Leones venient usqve in opinione viridem sylvam, nempe Italiam, ad Meridiem.* 9. *Expavesce igitur ô fulgida Meridiona is stella! qvæ Vir es, cujus tempus jam præteriit: & ejulabunt tuâ causâ hypocritæ & pseudo-Christiani.* 10. *O væ vobis Hypocritæ! Væ insinceri! Væ vobis, qvi splendetis extrinsecus, & irrito ore sonitum editis extrinsecum! qvia accipietis mercedem vestram. Fugite, & abscondite Vos in montibus Israël!* qvia jam venit tempus & hora vestra.

11. *Tertio folio* hæc inerant:

958
666
———
624.

Dixitqve Spiritus: *Ecce venit vir, cujus pedes sunt ahenei, & manus chalybea.* 12. *Is percutiet manu suâ femur suum, ut sonus inde ad centum stadia se diffundat: Oculi autem ejus similes Soli, & Corona ejus ex Auro, Adamante & Magnete.* 13. Vir favorabilis, qvi à Domino virtutem accepit cælitùs, & propellit ante se tres albos Leones, qvi metu & pavore currunt in fluvium ad Meridiem. 14. Fluvius iste incensus est zelô Dei magni, & ardet sicut ignis in ligno arido, ut eum extingvere nisi Dominus ipse nemo possit.

15. *Qvarto folio* exstabant:

464 tempus,
928 duo tempora,
232 dimidium temporis.
———
624.

De his Spiritus: *A Christi nativitate ad annum* 1624, *præteriit tempus, tempora, & dimidium temporis: per qvæ tria tempora numeratur numerus Bestiæ*, 666; *ter* 8, & semel 7.

8	
8	888
8	666
7	7
31.	1624.

16. Et hic terminabitur numerus 666; cùm primum 6 in tria disrumpetur, medium 6 deorsum deturbabitur, ultimum autem 6 inversum fiet. 17. Postqvam igitur decurrerint 5 Menses tribulationis, (qvi Anno 1624 exibunt) ab illo jam tempore clamabitur: *Ustulate eam, & inseqvimini gladio, magnæ illius plagæ unâ veniant die.* 18. *Non unâ, sed geminâ tribulatione retribuet tibi Dominus crudelissimam tuam tyrannidem*, & nefandam malignitatem, blasphemiasqve Tuas, qvibus seduxisti habitatores Terræ. 19 *Surgite, si surgitis! neqve jacete ceu exanimes, qvibus vita non inest!* Ah suspice supra te! inspice ante te! circumspice circa te! & ne tam esto cæca! 20. Annon audis Terram contremiscere? Contremiscit ecce, & aperiet os suum, ut absorbeat Flumen, qvod emisisti ô Onocrotale! 21. Pennis tuis nudabere, Montes tui contremiscent, & Aqvæ tuæ insigniter exarescent: Pax tua est gaudium hominis ebrii: inebriasti enim te sangvine turturis, dives facta spoliis: & nomen tuum proprium est *Virga*. In Virgam enim te posuit Dominus, usqve ad tempus, & tempora, & dimidium temporis, h. e. 42 Menses. 22. Sed & super Te jam contexi jubet Dominus Virgam asperam, per Manus duas cum gemina alba Cruce; & Leones tres, qvi etiam geminâ albâ cruce sibi invicem sunt connexi, horrendam super Te contexunt Virgam, & Gladium, & urentem Ignem, ingentemqve Sangvinis e-

I 3 luvio-

luvionem. 23. Libravit te Dominus, ſed levis reperta es. Tuo enim pectori inſculpſiſti: *Meis ſtatutis ego ſto.* 24. Fratrem Tuum etiam librat Dominus, trini temporis tentatione: ſed ejus pectori inſcriptum eſt: *Guſtate & videte, qvàm bonus eſt Dominus.* 25. Vocifera igitur, & fle, ô Tu Onocrotale ſuper filiis & filiabus Tuis! Qvære conſolatores! jam enim periiſti.

26. *Qvintum folium* continebat hæc: *O tu Arbor excelſa, Tempus tuum, & ſolatia tua, jam finita ſunt.* Spes tua innititur illis, qvi opem ferre non poſſunt. 27. *Velles tu qvidem converti, ſed vaſtitas molis tuæ retrahit Te, & non permittit.* At tempus eſt: fructus tui maturuerunt, tempora meſſis venerunt, flumen exſiccatum eſt, in aciem ordinati millies milleni Vermes, qvi advolabunt & caudis ſuis confodient ac perforabunt Te, ô Arbor magna! 28. Atqve hoc erit prodigium in mari & aqvis, cum venerit pluvia, qvam olim prævidit Elias; (Non enim illam ſolùm pluviam, tunc ſuper Achabum venientem, viderat ipſe: ſed ponens faciem inter genua ſua conſpexit etiam hanc ipſam magnam pluviam, qvæ nunc ſuper Germaniæ terras ruet) qvum mitteret famulum ſepties, & ſeptima vice videret nubem latitudine palmi, à qva ſtatim Cæli nigra caligine oppleti ſunt, ille verò Achabo nuntiavit, Junge Currum tuum, & accelera, ne te obruat pluvia. 29. O jungite Currus, vos excelſæ Arbores: & feſtinate! maximum eſt tempus. Ventus ruit ab omnibus Orbis partibus, afferétqve procellam horribilem, cujus ſtillæ ſunt veluti rubigo, gelidans & perdens terram propter peccata hominum, qvorum menſura jam ſuperoppleta eſt. 30. Audite, qvi audire poteſtis! iterum dico, Ne obtura aures tuas ô Germania!

31. *Folio ſexto inerat: Exite, qvi Igne, Aqva, Gladio perire non vultis.* Ne dicatis, ubi eſt Ignis? Ubi Aqva? Ubi Sanguis? Ubi perimens Gladius? 32. Audite fragorem ab Oriente & Septentrione! audite qvomodo Gladius in ſylva jam matura cædat & ſecet! 33. Reſipiſce ô Tu, qvæ in ſævam degeneraſti Beſtiam! *Nam ecce Venator tuus cum caſſibus venit qvibus capieris!* Id qvod tu ipſa tibi acceſſis, Saulis inqvietus Spiritus inqvietat te; Caſſibus, qvos ipſa tibi nexuiſti, implicaberis. Tempus adeſt, 1260 dies tranſeunt: Factum eſt. 34. Atqve hic eſt Ignis ille, qvem in arida ſylva ſuccendit Dominus: idqve in ſeptem annis, nimirum in tempore, duobus temporibus, & dimidio temporis:

2	466
4	932
1	233
7	1631

35. Rurſumqve *poſt tria ejuſmodi tempora à Nativitate Chriſti plena veniet extinctio incendii hujus magni, in qvo multas Arbores, Terras intellige & homines, flamma & fumo exhalare neceſſe erit.* 36. *Sed poſtea revertetur Pax & Gaudium:* qvia Spiritualis Jeruſalem ædificabitur, qvando Rex ab Oriente Solis veniet, & adorabit in monte Sancto Jeruſalem, cujus nomen eſt, *Verbum Dei erit clypeus ipſorum.* 37. Ideò Væ ſummâ celeritate ſuper Germaniæ Terras ruit: nam falſam Spiritualem Jeruſalem dirui, & turpitudinem ejus detegi, neceſſe eſt; qvia ipſa eſt, qvæ Chriſtum crucifixit, ſangvinemqve Prophetarum & Apoſtolorum bibit. 38. Ecce Vir ſtat, habens lucidam Meridionalem ſtellam ſub pedibus ſuis, & alias duas ſtellas ad pedes ſuos: has etiam ſub poteſtatem adeptus. 39. Hi ſunt tres illi Leones: tribus illis deſignati ſtellis: ad qvas ſuffocandum habet idem ille duas dimidiatas Lunas penes ſe,

cum

cum duabus stellis, & in capite suo ex frondibus Lauri coronam. 40. Vir iste fortiter expandens brachia sua, clamat voce magnâ: *En jam tempus percutiendi est! tempus cænæ magnæ jam veniet! contremiscite Gentes ab Oriente & Occasu! Fugite ô homines, & abscondite vos ad latera Meridiei.* 41. *Ejula Tu, qvi sedes in solio aureo & argenteo, magnificus, potens & dives! Sed mulieres, cum qva Principes Imperii scortantur, & bibunt de calice blasphemiæ tuæ.* 42. *Cùm tu sis discipulus ex Schola Satanæ, qvi teipsum super omnia extulisti, qvæ in cælo & terra sunt: propterea nemo auxiliabitur tibi.* 43. *Vespera venit, Ignis succenditur. Ah Væ tibi, tempus tuum venit, turpitudo tua conspicietur.*

44. *Septimi folii* contenta hæc erant: Sed Gaudete, iterumqve gaudete super ipsum! Hîc jacet Vir, filius ille Belial! vir maledictus, & maledicti Regis filia. 45. *Gaudete & exsultate in palatiis Jerusalem illius falsæ! Nec tamen propterea gaudete, qvod sangvis fratrum vestrorum effundetur.* (Id enim si facitis, hypocritæ estis, sangvis iste super capita vestra veniet:) *sed gaudete in Domino, & canite canticum gratiarum actionis.*

46. Hæc omnia, qvæ 6 Maji viderat, renovata illi fuerunt (cum superaddito septifolio illo Libro, expositionem illius Visionis continente) à 6 Octob. ad 20, septies. 47. Cùm autem ista septima vice (20 Octob.) spectaret, prodierunt è numero Spirituum illorum, qvorum multa millia fuerunt, duo, his verbis eum compellantes. 48. Ecce in similitudine septifolii Libri repræsentata tibi sunt ista septies! Conscribe igitur hæc diligenter: & qvisqvis Scripturas cum attentione lectitat, ille hæc probè intellectu asseqvetur, vaticinariqve de rebus miris, in futurum eventuris, poterit.

49. Dixerunt porrò: *Distende manus tuas, & collide rursum cum invicem.* Qvod cùm fecisset, tantum sangvinis è manibus suis effluxit, ut horresceret. 50. Dixeruntqve iterum: Distende rursum manus tuas, rursúmqve eas complica. Fecitqve, & mox in manu sua conspexit amænissimam virentemqve *Palmeam frondem*: qvam sic nominabant. 51. Dicentes: Ecce tam horrenda & terribilis futura est in terris Germanicis sangvinis effusio, priusqvam Pax revertatur! Vidisti, ne igitur celes.

52. At ille: *Citone admirabilium istorum finis erit?* Revelationes, qvæ sibi de istis fiebant, intelligens. 53. Responderunt: *Ad Scripturas te remittimus. Patientiam habe, & pensita Ezechielis Prophetæ exemplum*: qvi non modò per aliqvot dies uni continuò incumbere lateri à Domino fuit adactus, sed aliqvot hebdomadas. Atqvi jam antè tibi diximus futurum ut mirè tecum agatur. 54. Bono esto animo, susceptoqve onere Tuo ingredere cubiculum tuum, januaqve per patientiam, precationem, & spem erga Deum, occlusa, *absconde te, non modò ad exiguum, sed ad totum vitæ tuæ tempus*: ita te non attinget ira Dei. 55. Ad extremum rursus te ad Scripturas hortamur, in qvibus est veritas, & in tenebris lucens lux: maximè tentationum & tribulationum tempore, qvalium magno cum impetu multum à qvatuor plagis mundi adventat. 56. Iterum qvæsivit Christophorus: *Etiamne alii, qvi Deo, Deiqve verbis fidem servant, servabuntur?* Responderunt, Omninò servabuntur. Qvære in Scriptura, illa Tibi & cuivis hominum ostendet. 57. Nam Leo de tribu Juda ait: *Consolabor Vos, sicut consolari solet aliqvem mater sua.* Et qvod majus: Ego, inqvit, *in utero meo gesto te.* 58. Adesto igitur, qvisqvis es, & corde pænitenti pulsa gratiæ portam, qvæ est Christus! Pæniteat peccatorum tuorum, & cave facias qvod displiceat illi. Crede Eu-

de Euangelio, & affer manipulos Euangelii Sancti, in pace & charitate, pérqve patientiam & ſpem ſine fuco: Nec à qvovis tentationis vento agitari te patere. 59. Nos enim ex Scripturis Tibi loqvimur, & ad Scripturas te ducimus: Diſce tantùm patientiam! 60. Lucidus jam fulget Phoſphorus, brevíqve fulgebit lucidiùs etiam, propterea glorificate Dominum!

61. Chriſtophorus: *Ego Scripturas non novi, nec enim illis legendis multum incubui, nec ſi qvando lego intelligo; Deus me porrò juvet.* 62. Reſponderunt: Habes exemplum in Chriſto, & Chriſti diſcipulis: qvos ipſe docuit, illi verò non intelligebant. 63. *Impiis, ſuperbis, ſuperſtitioſis, idololatris, & toti obdurato Pharaonitico ſodalitio, Scriptura occulta eſt, ut non intelligant.* 64. *Sed tibi Chriſtus Scripturas ſcrutari mandat:* in hoc igitur humiliter & ardenter perſevera. 65. *Oratio eſt Scripturarum clavis: Timor autem Dei ſincerus, abſqve hypocriſi, eſt Scripturarum lux.* 66. Secundùm Scripturas Te & omnes homines Vitam conformare neceſſe eſt: & retribuet Vobis ſecundum Scripturas Deus gratiam & miſericordiam. 67. Perrexit ille: *Itane igitur ſecundum Scripturas dirigenda ſunt omnia?* Ita, reſponſum eſt, nec aliter niſi ſecundùm Scripturas. 68. *Qvod enim ſine Scripturis eſt, id falſum & maledictum dogma eſt, ex humana ortum phantaſia, & non habens in ſe mandatum Novi Teſtamenti, Charitatem, qvam eruditæ lingvæ* Magiſter inſtituit, dicens: *Diligite vos invicem!* 69. Atqve hic eſt character habentium genuinum Scripturæ ſenſum, & verum Deum agnoſcentium, colentiúmque. 70. O Tu Vir mortis, qvi in corde tuo dicis, Te ſecundùm Scripturas vivere, & tamen abis, & occîdis Fratrem tuum! 71. Verùm non omnes qvi hypocritico corde, & fucatis labiis dicunt, *Domine, Domine*, introibunt in Regnum cæleſte: ſed qvi voluntatem faciunt Patris cæleſtis. 72. Secundùm Scripturas naſcuntur in mundum homines: ſecundùm Scripturas recipiuntur: ſecundùm Scripturas vivere debent: ſecundùm Scripturas mori neceſſe habent: ſecundùm Scripturas reſurgent, ſecundùm Scripturas coram Domino ſiſtentur, ad dextram vel ſiniſtram. 73. Secundùm Scripturas decreta ſunt omnia: ut Pater (cujus cor ſagitta amoris Filii ſui Jeſu Chriſti transfixum eſt) Spiritum ſuum Sanctum, ceu fæcundùm rorem & pluviam, in univerſa corda effundat. 74. Secundùm Scripturas, non ſecundùm humanas opinatiunculas, omnia evenire oportet, nempe ſecundùm Scripturas Veteris Noviqve Teſtamenti, neutiqvam aliter. 75. Ad Scripturas igitur conſtanter Te remittimus: qvæ Te docent, ducunt, ſolantur: Lætare in Domino, & beneficiorum Altiſſimi ne obliviſcere.

76. Chriſtophorus tandem: *Vos autem qvinam eſtis? ut informare poſſim me interrogantes?* Reſponderunt: Qvæſitio Tua carnalis eſt, reſponſione multâ opus non habet. 77. *Angeli ſumus & Legati Dei, exſeqventes mandata ejus ſecundùm Scripturas: Nos egredimur & ingredimur, contecti in oculis tuis terrenis corporibus, in nobis tamen ipſis ſpiritualis ſubſtantia ſumus, ductoreſqve Exercituum Jehovæ.* Tibi vero in exemplum damus Scripturam, & Mundum, illud eſto Amen! ſic diſparuerunt.

[Ad v. 54. *Abſcondo te ad totum vitæ tuæ tempus & non te attinget ira Dei.*) Subindicatum Kottero, non eouſqve ſuperſtitem futurum ut exitum horum videat.]

CAP.

CAP. XVII.

[Visio Magni Leonis (ab Aqvila confracti, & Aqvilam confracturi) 2. horrendùm rugientis, 10. Et mox humanâ voce loquentis, 11. inque hominem mutati, 18. & de Aqvila dissecanda mandatum accipientis, 37. Ulna, qua fuit mensus, exuritur, 46. Ex illo cinere fit Speculum, 48. divisum, & dimissum ad qvatuor mundi plagas, 52. Non celando hac, 60. Videns ad obseqvium & constantiam animatur, 62.]

SEptimâ Novembris redierunt iidem Juvenes duo, eâdem specie, itérqve facientem Saganum salutarunt his verbis: *Det Tibi Dominus gratiam & benedictionem suam!* Vide ne pavescas, sed attende diligenter! 2. Et ecce Leonem, densâ qvâdam è Nube caput proferentem, moxqve integro corpore prodeuntem, saltu adeò grandi & longo prosilire conspexit, ut attonitus hæreret. 3. Deinde se Leo ille in tantum extendit ut corpore suo Agrum integri stadii longitudine contegeret. 4. Iterum dixerunt: *Aspice, qvid Leone hoc futurum sit,* *attende!* 5. Et vidit, & *ecce Leo ille contorqvens sese caudam ore prehendit, fecitqve ex seipso circum, seu orbem magnum, in cujus medio Christophorus cum utroqve illo Juvene constitit.* 6. Insistebat verò Leo pedibus tam longis, ut omnes illi tres commodè subire, ingredi & egredi possent. 7. Tricolor autem erat; capite albus, corpore cæruleus, & in tergo exstabant literæ A. M. A. L. qvasi in longum depictæ: & juxta has aliæ peculiari serie, Z. B. D. L. G. Cauda deniqve rubri fuit coloris. 8. Qvarum Literarum significationem hoc modo Spiritus interpretabatur, Adlers Macht Adlers Länge Zu Bricht Den Lewen Groß: hoc est *Aqvilæ Robur, Aqvilæ Longitudo, Confringet Leonem Magnum.* 9. Iterumqve: Adlers Macht Adlers Länge Zu Bricht Der Lewe Groß: id est, *Aqvilæ Robur, Aqvilæ Longitudinem, confringet Leo Magnus.*

10. Leo interim caudâ ore prehensâ rugiit tam immane, ut terra tremisceret, benè longam moram. 11. Rugire autem ubi desiit, coepit huma-

humanâ voce loqvi; ſed qvid loqvutus fuerit, ediſſerere interdictum ſibi habuit. 12. Dictum enim illi fuit: Tranſeat priùs dies ille, qvo exuretur flamma ignis magna qvædam civitas: tùm enim implebitur, qvod Leo locutus eſt, cujus verba tu conſigna, ſed tibi interim ſerva. [*Vide mox Cap. XIX.*] 13. Inter hæc veniunt tres Viri, habentes in manibus ſuis Tubas igneas, qvorum primus aſcendit in magni Leonis caput; alter in tergum, ubi characteres erant; tertius in caudæ medium. 14. Et cæperunt omnes hi ſimul tubis canere adeò, ut ignis ex illorum tubis ſurſum in aërem flammaret. 15. Cumqve aliqvantiſper conticuiſſent, mox rurſum eaſdem tubas inflantes clangebant ſvavitate & jucunditate penè ineffabili: Juvenes autem Christophoro adſtantes concinebant ipſis. 16. Et erat Canticum in eadem verba, ut erat illud, qvod qvatuor illis viris aureum Librum adferentibus, & duodecim aliis illis ſuccedentibus, cantabatur: *Laudate Dominum omnes Gentes, Glorificate Nomen Ejus, qvia bene nobis fecit Jehova.* 17. Mox tres illi viri deſcendentes circulum ingreſſi ſunt: unuſqve illorum peculiarem habens ulnam menſurabat Leonem illum ſepties, dictitans: *Tempus, duo tempora, dimidium temporis.* Ad Christophorum verò dixit: *Vide & attende!* 18. *Et ecce Leo iſte, qvamtumvis magnus & admirandus erat, mutatus tamen eſt in Hominem: & inter qvinqve iſtos conſiſtens eadem loqvebatur verba, qvæ loqvutus fuit antè in Leonis forma.* 19. Juvenes autem rurſus interdicebant Christophoro; ne iſta divulgaret, priuſqvam Meretrici, & qvi fornicatur cum illa, hamus in naribus ponatur, & ori frenum aſperius injiciatur. 20. Qvem hamum cum freno ubi ungvibus ſuis arripuerit Leo, ductabit Meretricem, & concubinos ejus, via qva progredi reluctabuntur. 21. Sed tempus venit, imò tranſiit. *Et nos juramus per Deum vivum, qvi eſt cæli terræqve Dominus, & qvi intuetur impietatem maledictæ Jeſabel, maledicti, ſceleſti, adulteri, impii Regis, Filia.* 22. *Juramus Tibi per Deum, qvòd jam adventat versus Jehu, qvi te de feneſtrâ maledictæ ſuperbiæ Tuæ deturbabit, & à Canibus rabiosè dilaniaberis: & diſcerpentur oſſa tua, & ornamenta tua auferentur à Te: qvia nimis longè in feneſtram ſuperbiæ tuæ procubuiſti.* 23. *Ecce Venator venit à Septentrione*, vocatus à Domino! Et juramus Tibi iterum & tertiò, *Venatorem hunc, & alium præterea Venatorem, & duos inſuper alios Venatores ab Oriente venturos, & perſecuturos te ſicut tu perſecutabaris alios.* 24. Circa Occaſum Solis incipit Venatio tui, & durabit uſqve ad Meridiem, ubi Sol altiſſimè conſiſtit. 25. Ecce! ſtella qvæ pulchra eſt in oculis hominum, & implevit totum orbem igneo fulgore ſuo, caliginoſo tamen, qvaſi fumo aſcendente ex fornace Dei, inopinatò cadet, & ſubitò qvaſi à repentino fulminis ictu, à qvo formoſa illa Stella cadet. 26. Hæc eſt Stella illa, qvæ inter Draconis caudam & Solem ſtat, ſui habens indices ſtellas ſeptem, & vocatur Babylonica Draconina ſtella: itemqve *Sol ciliciô obvolutus.* Sol hic in ſangvine ſtat, & cum ſangvine occidet. 27. Pertexerunt: *Attende!* Ecce formoſa Babylonica Draconina ſtella decidet, neqve orietur ampliùs! complevit enim revolutionem Orbis ſui. 28. Hæc ſtella ſubit vices & officium Babylonis, Amaleci & Achabi. 29. *Sed ecce alia lucida aurea Stella oritur, & lucet iis, qvi ſedent in caligine, fulgore ſuo multis millenis gradibus ſtellas omnes, qvæ unqvam fulgere viſæ ſunt, antecellens.* 30. *Et Stella hæc unà cum Sole fulget, cujus effectus erit, ut novum purum aurum à ſordibus eorum purificetur, qvi in Satanæ*

Scholâ Solem & Stellam tenebrosô ciliciô contexerant: hoc est, usurpârant ore suô fœdus Dei, & tamen sancto Evangelio, tanqvam Soli lucido, fœdô tenebrosóqve cilicinô abominationum suarum saccô opprobrium intulerunt. 31. Vide, audi, attende diligenter! *Sol jam ortus est, & tamen nondum lucet:* ideò qvòd cilicinus saccus, & nubes caliginum, violenter Solem opprimere nihilominus contendant. 32. Sed allatum est lignum ex Paradiso, & ignis ex Jerusalem Dei, ex lampade qvæ non extingvitur in æternum. Attende, qvid loqvamur! 33. Ex hoc Paradisi ligno, & Verbi Divini ac Scripturarum lampade, suscitabitur inextingvibilis ignis, saccum & nubes caliginum absorpturus. 34. Saccus comburetur in totum, & per caliginosam nubem prodibit Stella, qvæ cum Sole in æqvilibrio stat: nominatur *Lex & Evangelium.* 35. Væ illis, qvi stellam hanc caliginosâ nube corporis sui obumbrant! & illis, qvi saccô suô cilicinô, qvô minus Evangelium velut Sol Justitiæ fulgere possit, prohibent.

36. Hæc ubi cessârunt loqvi Juvenes, Vir ille, qvi Leo fuerat, habitu atrô lugubri amictus consedit in terram medius inter duos illos Juvenes & tres Tibicines. 37. Sed duo illi Juvenes ad ipsum conversi, *Surge*, inqviunt, *Magna enim tibi exseqvenda sunt. Agnum in tres partes dissecabis*, A. M. A. L. (h. e. secundum explicationem superiorem, Aqvilæ) in pugnam te sistes. 38. Qvia preces filiorum Edom ascenderunt ante Dominum, Magnus Dux Michaël obtulit coram Domino sangvinem Abelis, & seminis innoxii in terra, illorum qvi nondum ex calice abominationum Meretricis bibebant, & lucem ciliciô superbiæ non extingvebant. 39. Hi sunt, qvi nocte diéqve præliantur adversus maledictam illam falsam spiritualem Jerusalem: qvorum Tubæ sursum erectæ clangunt. 40. Igneæ orationes ex ore ipsorum prodeuntes cælos penetrant, nec cessabunt ad septimum usqve diem, qvô falsæ Jerusalem (sicut Jerichuntis) robusta corruent mœnia. 41. *Surge pusille Pastor: Ne paveſce Leonem magnum & Ursum cæcum: robur eorum frangetur, Dominus conteret eos.* (1. Sam. 17. v. 34. 37.)

42. Hos sermones postqvam finierunt Juvenes, *mutatus est habitus illius ater in splendidum, album, & cæruleum.* 43. Et tres illi Tubicines acqvisiverunt triplicem qvoqve colorem, vexilláqve Tubis suis appensa fuerunt lineis tricoloribus interstincta, albis, rubris, & cæruleis: qvales erant & vestes. 44. Et clanxerunt Tubis suis sonorè: *Agite, accingamini nos ad præliandum contra Babylonem!* 45. Et hoc idem resonabant septies, singulis vicibus silentii exiguô interpositô intervallô. Eratqve clangor adeò perceptibilis, qvasi ore loqvuti fuissent. 46. Postea suspensis ad terga Tubis, acceperunt Ulnam, qvâ mensi fuerant Leonem, confregeruntqve in partes tres, & suscitato igne combusserunt. 47. Unde tantus surrexit sub cælo fumus, ac si maxima aliqva urbs deflagraret, steteruntqve omnes isti circa ignem, spectantes conflagrationem illam, ad cineres usqve. 48. Tùm ille ex Leone factus Vir, nactus alicunde Vas mirificè pulchrum aureum, in qvo limpidissima fuit Aqva, collectum manu cinerem infudit illi vasi. 49. Juvenes autem ad Christophorum: *Accede*, inqviunt, *& aqvam hanc limpidam cum cinere diligenter intuere.* 50. Et mox eorum singuli Virgas aureas nacti miscuerunt iis ter aqvam illam in aureo vase. Et dixerunt rursus, *Accede.* 51. Accessit igitur, & mox odor qvidam ex vase illo svavissimè fragrans implevit nares ejus! *Aqva verò conversa est in splendidissimum speculum, au-*

reo qvasi limbo insertum. 52. Et Juvenes assumtâ librâ dispenderunt Vas illud aureum, divisumqve in qvatuor partes imposuerunt Currui qvadriroti. 53. Qvi currus etiam divisus abiit in qvatuor Mundi plagas: pars una ad Septentrionem, altera ad Orientem, tertia ad Occasum, qvarta demum ad Meridiem. 54. Et cum isto Curru discesserunt illi qvoqve Tubicines, sicut & Vir ex Leone factus disparuit: ut Christophorus nihil viderit præter Juvenes suos. 55. Qvi eum interrogarunt dicentes: *Rectene hæc contuitus es omnia? Magna enim in his mysteria involuta latent.* 56. Consigna hæc diligenter, & ne te à ventis mundi hujus dementari patere! Hoc est qvod tibi dictum fuit, Deum tibi res magnas revelaturum. 57. Sed dico Tibi, ne te horum causa extollas, & cilicio maledictæ superbiæ, aut caligine protervæ carnis Tuæ inumbrari te permittas, aut impatientiæ ciliciô te contegas. 58. *Ama vas aureum Scripturæ, & splendidum vitæ doctrinæqve Jesu Christi speculum, & preciosissimi thesauri loco habe Euangelium.* 59. Remittimus Te ad solatium Israëlis, quod est lux totius mundi nunquam occidens. Huic luci adhære, & glorifica nomen Domini cæli & terræ: Scripturas etiam scrutari non desine.

60. Christophorus ad hæc: *Qvid autem de istis sum acturus, posteaqvam conscripsero?* Resp. *Celare ista noli, mysteria enim sunt: qvorum pars jam impleta est, pars implebitur etiam, idqve citò.* 61. Et ecce fax lucida ardet coram Deo mundi hujus, qvam ille extingvere magno nisu laborat: sed fax hæc accendet duas oleas, qvæ flammabunt in ipsius oculos, faciesqve ejus amburetur hoc igne: Ille enim Deus est, qvi se loco illius collocavit, qvi cælum & terram implet. 62. Christophorus iterum: *Qvando verò altera pars horum implebitur?* Ad hoc responderunt: Qvæ de rebus futuris tibi dicta sunt, non juxta humanum modum dicta sunt, sed juxta modum, qvem tu humanâ ratione & ingenio nunqvam asseqveris. *Jehova tempora hæc in potestate suâ habet.* 63. Sed post tempus illud tibi significatum, nempe post exitum 21 hebdomadæ, & post impletionem temporis, temporum, & dimidii temporis, mox deinde hæc omnia evenient. 64. Propterea Tibi dictum est, ne te qvôvis ventô agitari patiaris: h. e. ne attendas, qvid & qvomodo de his judicent & loqvantur homines. 65. Dicimus enim, *nunqvam à mundi exordio irrisores defuisse.* Ne igitur erres, exseqvere qvod mandatum est tibi sine diffidentia, sine reformidatione, sine hypocrisi. 66. *Lubens ego* (inqvit Christophorus) *exseqverer omnia, si modò tam multa pati non cogerer: Et multi ajunt, hæc ad vocationis meæ munus non pertinere.* 67. Responderunt: Abi ad Scripturas, & intuere exempla eorum, qvos unqvam ad peculiares operas Dominus vocaverat: qvid exinde mercedis à mundo, qvid gratiarum retulerint omnes? Parum omninò. 68. Proinde Tibi constanter inculcamus, *ne te ratione suâ seduci, neqve cogitationes ejusmodi in corde tuo nidulari, permittas.* 69. Dictum tibi est, & dicimus iterum, *Mundum pecuniâ, & vanitates illius ne respice. Vocationis Tuæ certus esto sine omni dubitatione: & ad qvod vocatus es munus, exseqvere vividè, in veritate & in charitate: non enim sunt res mundanæ.* 70. *Rideat Mundus, & ista despiciat, qvomodo vult: inveteratus hic est ejus morbus.* 71. Iterùm Christophorus: Qvousqve se vocatio hæc mea extendit? Eousqve, responderunt, ut qvod tibi mandatur exseqvaris. 72. *Multas sciscitationes intermitte: majora enim hæc sunt, qvàm ut asseqvi possis.* 73. *Nos enim servi sumus Dei magni: extra qvem nullus alius est,*

eft, in cælo vel in terra. 74. Attende igitur, qvæ tibi loqvuturi fumus, & animô benè infixa confcribe diligenter omnia, neqve qvidqvam in tua induftria defiderari patere. 75. Et poftqvam confcripferis, tunc abi ad obeunda munia vocationis tuæ: ad hoc enim vocatus es.

[Rev. XVII. v. 12. character temporis datur complementi horum, *Exuftio magna Civitatis*: qvod de Magdeburgenfi excidio (anno 1631) nos intelligere faciebat infeqvutum mox Septentrionale diluvium, fuper totam fefe Germaniam effundens. Sed qvia tunc retroceffio facta, majorqve poftea Civitas, terribilius vaftata fuit, *Conftantinopolis* (in qva Anno 1660, Iulii 24, 25, 26. fupra 70 millia Domorum abfumta funt, vix octavâ Vrbis Parte, & quidem viliore refiduâ) videndum anne huc potius character ifte qvadret. Certè expenfis magni Leonis verbis (hic Cap. XIX. v. 16. & feqq.) & confiderato modernarum rerum curfu, apparebit ab eo tempore valdè res mutari, Orientalium locuftarum approximatione. Nam mox anno feqventi (1661, Aug. 16,) Turcæ *Varadinum*, Hungariæ & Poloniæ clavem, occuparunt: Progreffioneqve inde factâ *Tranfylvaniam*, *Walachiam*, *Moldaviam* fubegerunt, nunc *Hungariam* pulfantes: & qvid porrò futurum fit, Deus novit. Non dormire certè nos, fed judiciis Dei attendere, hæ Divinæ prædictiones meritò docent.]

CAP. XVIII.

[*Explicatio præcedentis Vifionis de velocitate horrendorum Dei Iudiciorum*, 2. *caufisqve*, 7. *Venti divinitùs excitati ad difpellendum Babylonicum turbinem*, 14. *qvibus auxilio veniunt ignita oppreſſorum preces, tanqvam validiſſimus exercitus*, 19. *Litera in Leonis dorfo cur difterminata crucibus*, 30. *Læta poft Babylonis ruinam tempora*, 39. *Varia Kotteri qvæfita*, 44. *Infans 28 annorum qvis*, 53. *Mofes, Iacob, Iefua, qvis*, 60. *De bellis religiofis*, 70. *Bellorum præfentium exitus*, 80.]

M*Agnus Cæli & Terræ Dominus* (dixerunt porrò) *cujus eft potentia & Dominatio qvàm longè fe protendit mare: cujus ille aqvas confervat ad diem illum, qvô afcendere eas jubebit tanqvam eluviones maximas, ad exfeqvendum, qvod Dominus & Rex regnorum omnium propofuit.* 2. *Celeriter, rapidè, ac velociter procedunt opera Domini, neqve impediri poffunt à qvoqvam: ut in magno illo Leone vidifti, qvàm inopinatè ex nube progreffus, tàm magnum ac celerem fecit faltum.* 3. *Æqvè enim celeriter ac repentè profiliet in apertum Leo, qvi in angufto nunc eft, qvam primùm fuerit completum tempus fuum: & deinde fe diftendet, vi ac celeritate fummâ, longitudóqve ejus erit longitudo ftadii.* 4. Nec tamen in hâc longitudine permanebit, fed contorqvebit fe in prodigiofum Orbem: ad hoc enim ipfum excitavit Dominus. 5. Et ftabit fuper præaltos pedes, ut à venatoribus capi non poffit: *qvia in magnum prodigium fub mundi hujus finem illum fecit Dominus.* 6. Vidifti Leonem caudam fuam ore fuô prehendentem, tantôqve furore rugientem, ut terra fub te contremifceret: *Id velociter veniet.* 7. Colorem enim habet, ut vidifti, triplicem: *Caput ejus album eft*, prima rugitus ejus caufa. 8. Albedo etiam indicat robur ejus, qvô profiliens rugitum edet: nutritur enim ficut recens natus infans albi Leonis lacte, cum qvo imbibet robur, fortitudinem, & Venti celeritatem. 9. *Cauda Leonis rubra eft*: alteram rugitûs ejufdem exhibens caufam, effufionem videlicet fangvinis Sanctorum interfectorum: Qvi tamen vivunt, & poft dies tres cum dimidio revivifcent, nunc propter metum Arboris magnæ, & violentiam gladii, fub Altari interfecti jacentes, clamant die ac nocte: *Ulcifcere ô Domine Sangvinem noftrum!* 10. Ad exfeqvendam ultionem hanc fuget Leo ifte lac Leonis rubri: & ex eo robur, potentiam, & celeritatem Venti acqviret. 11. *Corpus ejus cæruleum eft*: cujus caufa itidem eft cærulea, nempe qvia innocens eft, qvamvis noxa illi imputetur, ille verò id patienter tolerat. 12. Et hæc tertia eft rugitûs Leonis caufa: fuget enim etiam de Lacte Leonis cærulei, qvi eft in Septentrione: & ex hoc lacte ac-

cipiet magnum robur & fortitudinem, & Venti celeritatem. 13. Hi tres venti collident se & conjungent: unde magnus ille prodibit Leonis rugitus. 14. *Miraculum hoc attende! Ventus ab Oriente veniet colore albo, exsiccans fluvium ab Oriente Solis, & viam parans rubro prævalido Vento, ut veniat ad Mensem, & diem, & horam, conspiraturus ad exseqvutionem decreti Dei.* 15. Eôdem accurret Leo cæruleus, magnanimitate summâ, qvem detinere laborabunt Venti falsi, exeuntes ex ore magni Draconis, magnos adhuc montes subvertere parati. 16. At verò tres illi Venti magno Leoni, qvem vidisti, inspirabunt spiritum vitæ: *virtute Altissimi fiet hoc.* 17. *Et ille rugiet in procella ista, & in consternatione ista cadent fortes & sublimes.* 18. *Et confringentur eis lumbi, & femur dextrum luxabitur, fugientqve præ horrore, sed inter fugiendum manum sinistram amittent: durabitqve rugitus iste 375 dies, & aures eorum implebuntur horrore, os autem ejulatibus, & vox lætitiæ eorum convertetur in vocem planctûs.* 19. *Ah luctuosa tempora, qvibus falsæ Spiritualis Jerusalem ruina procedet!* qvùm tres Viri cum tubis venient! 20. Advenerunt qvidem jam, nec tamen advenerunt adhuc: & clanxerunt jam igne sanctô, penetrante nubes. 21. *Intellige hoc de precibus trinis:* prima precatio, primúsqve Tubæ clangor, est: *Dominus sit Judex orbis Terrarum.* 22. Secunda oratio, & secundus clangor Tubæ: *Domine fulgur tuum, & Evangelium tuum, dispandat se usqve ad fines Terræ!* 23. Tertia oratio, tertiusqve clangor est, *Domine da nobis videre diem Liberationis tuæ.* 24. Hæ sunt Heroum illorum voces, qvi stantes pugnant contra superbiam Babylonis: hic adversus illam fortissimus Exercitus. 25. Hos seqvuntur Viri Tubis versicoloribus, & vexillis tricoloribus qvorum est eadem cum Leonibus significatio. 26. *Qvod autem nobiscum sub Leone confidenter ingrediebaris & egrediebaris, hoc significat, sub Leone hoc securam fore habitationem.* 27. *Sed diluvium magnum ruit ab Oriente & Septentrione.* 28. Attende & audi! *Veniunt, & adhuc venient à qvatuor mundi plagis multa millena millia, & præliabuntur cum invicem, & se mutuò conficient: ut per multos dies non appareat, penes qvem sit futura victoria.*

29. Atqve tunc erit perditio Terrarum & Hominum: tunc agnoscent Regiones & Civitas una magna, non frustra nos Terras Germanicas ita inclamasse. 30. Luculenter id characteres tergo Leonis impressi ostendunt. Duplex illud *A. A. discerpetur, unà cum suo L. & M.* [id est Aqvila, cum sua Longitudine & Multipotentia:] idqve à Leone, ut alteræ qvinqve literæ ostendunt. 31. Qvæ literæ duplici albâ cruce à se invicem disterminatæ sunt: non qvòd sensu distrahi debeant, sed qvod qvinqve menses magnæ crucis ac tribulationis designant. 32. Nam *sicut cruces illæ duplicatæ sunt, ita & Menses isti duplicati sunt.* 33. Primùm menses qvinqve traditi sunt Leoni, ut nube obvelatus stet, nonnisi inde prospectans. 34. Posteriores autem qvinqve Menses conjicientur in Bestiam, & in adversarium Amalecum, & Agagum. 35. Hoc eundem habet cum illis 666 sensum, ut tibi supra significavimus. 36. Atqve tunc incipient tres lætanter clangere, gratiarumqve actionis hymnum decantare: *Gaudete Terrarum Incolæ! Turris Babel cecidit ad millies millena stadia! exultate Gentes, & plaudite Jehovæ Domino nostro.* 37. *Ulna jam confracta est, magnus sævusqve Leo in hominem conversus, loqvitur ut Homo, nec magis qvidqvam est qvàm homo.* 38. Ulnæ fragmina in ignem conjecta sunt: Ignis jam ardet, Ulnámqve qva mensus est Leo, ter comburi oportet, juxta tem-

tempus, duo tempora, & dimidium temporis. 39. Atqve *ibi Vir ille electus collectum cinerem aureo infundet Vasi, cui limpida Scripturarum sacrarum aqva inest, qvæ Legis & Evangelii virgulis aureis miscebitur.* 40. *Prodibitqve pulchrè splendens speculum, in qvo non tantùm vitam & doctrinam Christi purissimè, sed & varia magna contueri licebit mysteria: Etiam magna illa & abominanda Meretrix propria forma conspicietur.* 41. Nam ulna fracta & combusta est, Leoqve præaltis suis pedibus insistit, sub qvo secura erit habitatio. 42. Vas aureum unà cum Speculo suo divisum Curru aureô ad omnes qvatuor Mundi partes differetur. 43. *Hic erit gaudium: cùm currus iste dividi & in diversas Mundi plagas abire spectabitur: hic magna magni DEI mysteria implebuntur!* hic nos etiam sermonis nostri faciemus finem.

44. Christophorus ad hæc! *Ista mihi omnia retinere memoriâ impossibile erit.* Responderunt: Carni & sangvini Tuo impossibile est omninò. 45. Sed dicimus Tibi, vigilans esto, & ora diligenter: docebitqve Te Spiritus Domini ut retinere possis, & conscribere hæc festina. 46. Regessit: *Id qvidem lubenti ac sincero faciam animo, nec te ulla me remorari patiar.* 47. *Sed etiamne Vos ad me porrò venturi estis?* Responderunt: Dictum Tibi jam est, ut mundum nihil respectes, sed Deum Cæli & Terræ Dominum: nihil ergò admitte, qvod te impediat. 48. Promittere autem tibi reditum ad te nostrum, non nostræ potestatis est: suo id ipsius arbitrio reservavit Dominus, cujus mandata exseqventes ministri sumus. 49. Ille iterum: *Cui verò hæc talia concredam? divulgabóne promiscuè omnibus?* Responsum: A nullo hominum ista abscondito, qvia mala & bona insunt. 50. Mala sunt Pœnæ, qvas prædicimus, Deum scilicet propter peccata immissurum Bella, sangvinisqve effusiones horrendas: Bona autem subsecutura ostendit tibi Visio aurei vasis, & aurei currûs. 51. *Sicut enim malum illud, qvod à qvatuor mundi cardinibus advocabit Dominus, ita & bonum illud qvod mittet Mundo, ad qvatuor Mundi cardines sese diffundet.* 52. Qvantum hoc solatium, qvod Tu si perpendas, & Scripturis attendas, percipies.

53. Perrexit qværere Christophorus, informari petens, *Qvis esset infans ille annorum 28, qvi Octobri mense nasci debuit?* 54. Responsum: *Infans ille natus jam est, & qvid juvat qværere, qvisnam sit?* Qvi capit, facilè vel in digitis supputare poterit, qvomodo natus, qvomodo è domo nativitatis suæ prodibit, & cum Baptismate novum nomen accipiet. 55. Sed dies Baptismatis ejus in sangvine habebit initium, in lætitia & jubilis finem. 56. Die illa redibit Jacob, ejusqve benedictionem fallax Laban, & impius Esau, videbunt. 57. Eadem die extolletur Joseph, Jacobi filius, atqve ibi demùm prodigia Ægyptiaca verè incipient. 58. *Pharao namqve Rex potens in rubro jacet mari, jacebuntqve mox etiam Eqvi, & Exercitus ipsius in cumulos acervati:* filii Jacob egressi jam sunt. 59. Menses 42 in deserto jam qvoqve transierunt, Moses mortuus est, Josua mox baptizabitur: Lapides duodecim in monumentum erigit, Sol rursum consistit, Orbem suum emensus: Josua hostes perseqvitur & percutit.

60. Christophorus interrogabat: *Iste Moses, Jacob, Josua, tanta patraturi miracula, qvinam sunt? non enim capio.* 61. Responsum est: Attende & significabimus Tibi. Jacob est ille Vir cui excitandum esse à Domino Exercitum venturum ab Oriente in Septentrionem, & à Septentrione in Occidentem, audiveras. 62. Nam *sicut Jacob duos habuit greges,*

greges, ita iste duos Exercitus: unum ab Oriente, alterum à Septentrione: qvi Procellæ & velocissimi ac vastissimi Diluvii instar venient: qvia sunt Exercitus Jehovæ. 63. *Moses mortuus est:* hoc ita intellige: Moses voluit educere filios Edom, sed illi tantò magis fuere afflicti. 64. *Reviviscet autem Moses citò;* qvia filios Edom potenti Jehovæ dextra educi necesse est. 65. *Atqve is non solùm Moses est, sed etiam Josua, cui omnium Deorum Deus magnum illum ab Oriente Solem sistet, ne qvomodo velit currat; sed qvomodo cæli & terræ Dominus jusserit, ad exseqvendum unà cum Josua unanimitatis opus.* 66. Pro qvo Josua memoriale signum Domino eriget: nempe viros duodecim cum Libro puræ Evangelii doctrinæ statuet, atqve ita duodecim lapides in fundamentum Spiritualis Jerosolymæ ponet. 67. Qvæ tàm pulchrè de novo ædificabitur, ut ne Salomonis qvidem tempora istis comparari qveant, qvamprimùm magna hæc messis finierit. 68. Attende hæc & consigna diligentissimè! Ne tristere, illius magnæ Procellæ, istiusqve horrendi Diluvii, qvæ venient, causâ. 69. Dudum enim antè calamitosa hæc tempora tibi prædiximus: jam autem læta prædicimus. 70. Qvæsivit iterum Christophorus: *Eritne aliqvando in Religione consensus? & pro Fide bellum gerere licetne?* 71. Responderunt: Ad primum qvæsitum tuum responsum habes in Scripturis; à Mundi exordio dissidia Religionum fuisse: nec illis Mundus carebit ad Christi usqve adventum. 72. Sed & ad qvæstionem alteram Responsionem ibidem sufficientem reperies: *Corda & conscientias hominum oppugnare, & gladio ad Religionem cogere, non esse fructus Arboris vitæ, & vitis Christi, qvi caput est & fundamentum Fidei, & omnis Doctrinæ.* 73. *Is palmitibus suis, qvi ex illo tanqvam vite germinarunt, ejusmodi semen non implantavit, sed Pacis studium mandavit.* 74. *Expende qvid mandati Christus dederit iis, qvos cum Doctrina sua dimisit:* & qvomodo Apostolis suis valedicens, *nihil nisi gladium Verbi & Baptismatis tradiderit. Recogita hæc, & qvousqve se Belli religiosi licentia extendat, cognoscas.* 75. Si qvis igitur Christi locum se tenere existimat, is gladium arripere, & conscientias debellare, non debet: si pergit, facinus edit non Christianum, sed Babylonicum. 76. Ecce habes responsum, cui animum adverte! & Scripturas consule. 77. Ille rursum: *Qvando ad hæc tàm mirabilia electum me esse audio, concedatur qvæso mihi porrò aliqvid qværendi libertas.* 78. Conceditur, responderunt: *Cave tantùm, ut ne Qvæstiones tuæ proveniant ex corde hypocritico: informaberisqve à nobis de omnibus.* 79. Alioqvi non benè tibi cesserit: cum simulatio & maledicta hypocrisis malorum omnium sit radix. 80. Qvæsivit ergò: *Qvis qvæso tandem Belli hujus futurus est exitus?* 81. Responderunt: *Prædictionem Christi summi Prophetæ impleri necesse est, impleturqve jam in eo: qvòd insurgunt adversum se invicem Gentes & Regna, temporáqve calamitosa præ foribus sunt, & sine dubio mox finem accipient.* 82. Fietqve qvod scriptum est de illis duobus, qvi in uno decumbunt lecto, ac unâ molunt molâ: *Intellige lectum vanitatis, & molam Mundi hujus.* 83. Ecce fiet juxta Christi prædictionem! *unus accipietur, & alter relinqvetur. Et cum relictus se prorsus putabit relictum, recipietur. Et cùm receptus se putabit receptum, relinqvetur in totum & deseretur. Tempus enim jam præteriit.* 84. Ita finiti sunt omnes isti Sermones, qvæsita & responsa, septimæ diei Novembris: ubi & interdictum accepit de non redeundo domum intra hebdomadas duas.

CAP.

CAP. XIX.

[Sermo Leonis Magni bis prolatus: primò in Leonina, postea in humana specie, (eodem quidem 7. Novemb. Anno 1623. sed quem obsignatum asservare in mandato habuit Christophorus, donec A. 1628 ex carcere exiisset) quò præsentis sexti Judicii cursus Typicè, Solis & Lunæ per Zodiacum cursu, Stellarumqve commotionibus, adumbratur, 1. 2. &c. De Orientalibus tandem locustis, victoriam adversus Babylonem subitò promoturis.]

MAgna Septentrionalis Olla dudum jam ebulliebat fervescentes radios suos in Septentrionali Olla: stare tamen ad certum tempus necesse habet sine ebullitione, donec transierint septem tempora, & primores duodecim operationes suas peregerint. 2. *Primùm*, per falsa prodigia in *Ariete*: *secundò* per falsam *Libram*, & injustitiam: *tertiò* per fucatam *Geminorum* dilectionem: *qvartò* per *Scorpionis* virulentiam & fraudulentiam: *qvintò* per *Tauri* robur & potentiam: *sextò* per *Capricorni* superbam insolentiam. 3. *Septimò* per *Aqvarii* velocem cursum: *octavò* per *Sagittarii* callidas collimationes: *nonò* per *Leoninum* ursino commutatum habitum: *decimò* per *Piscium* in aqvis natatum: *undecimò* per falsam *Cancri* retrogressionem: *tandem* per blandos *Virginis* sermones. 4. *Qvùm istæ duodecim operationes ad finem properabunt, ante horam septimam, anteqvam alia duodecim* (signa operari) *incipiant, veniet magnus qvidam Aqvarius*, refrigeratâ charitate, & effundet frigidam suam in fervescentem Septentrionis ollam, ut ebullientes radios suffocet, nec effervescere permittat. 5. Sed *Aries* qvidam sine prodigiis, & *Cancer* sine retrogressione, & *Taurus* sine robore, & *Libra* cum justitia, & *Leo* cum forti animo, & *Gemini* cum sincerâ dilectione. 6. Et *Sagittarius* cum eximiis collimationibus, & *Capricornus* cum humilitate, & *Scorpio* sine veneno, & *Aqvarius* sine aqvâ, & *Piscis* qvidam prodigiosus. 7. Et deniqve *Virgo* qvædam hilaris demittet se in nubem, unâqve cum illis undecim extrahet Infantem, qvi ad horam usqve septimam in nube febri laborans decubuit, cujus robur Meridiano æstu labefactatum exaruerat. 8. Sed horâ septimâ relinqvet eum febris: æstus autem ille fervidus aget se retrò in rupem illam superbam, invadetqve illam æstus simul cum frigore per celerem bullitum Septentrionalis ollæ, unde malum istud velocissimè ac subitò erumpet, ibitqve magno cum horrore viam suam usqve ad gloriosam Bestiæ sedem, & splendida palatia ejus: ubi illa voluptates suas exercet, non aliter ac terrenum qvoddam Numen. 9. Sed *Solium tuum vacillabit, & habitacula tua contremiscent; Deliciæ tuæ convertentur in tormenta, & lætitia tua in ejulatus.* 10. *Recedet à te subitò & insperatò, viâ illâ qvam Dii credere nolunt: ad Montem illum, in qvo residens meretrix fornicatur cum Diis* (mundi hujus) *eosqve illectat ad expellendos agnos, qvi vocem Agni in monte Sion audire amant, lavantes immunda opera sua in sanguine Agni, ut consistere qveant ad Thronum ejus.* 11. *Qvis credat, Agnum Montis Sion vincere posse, qvi tamdiu tristes oberrare sinit agnellos suos? & eos à viridibus pascuis montis Sion vi depelli permittit?* 12. *Adducet vobis Agnus suavem rorem de monte Sion, qvo recreati vires recipient tres illi viri, ut magnâ voce tubas insonent, & Corpus Leonis accipiat robur & fortitudinem, Cauda ventum & Spiritum, Caput ignem & lucem.* 13. *Vas perstabit firmiter, speculum non ampliùs obumbrabitur à duodecim illis, qvi per P. cursum suum currunt.* 14. Qvia Nubes ex monte Sion obnubilabunt eos, commutabuntqve duodecim illis diem lætum in luctuosam noctem. 15. Et vir qvidam solitarius relinqvetur, vincens tamen

per tempus, duo tempora, & ultra dimidium temporis: donec alii isti duodecim in L ascendant, & cursu suo asseqvantur P illic, ubi se ad aqvas expandit.

16. Ibi Septentrionalis Olla fervere incipiet, & illi P amburentur alæ: *Vir autem in Oriente expergefactus à clangore trium Tibicinum propellet Locustas.* 17. *Qvæ provolantes perseqventur Caput morticinum, & asseqventur illud ad flumen, ubi superba Babylonis aqva tranqvillè consistere, & ranarum instar se multiplicare, proponit.* 18. *Sed Locustæ aqvam istam exsiccabunt, & convertent in sangvinem; Ranæ autem emorientur.* 19. Unde prodibit fætor gravissimus, fugientqve diebus illis homines retrorsum itinere tridui. 20. Et *tunc illis Virgo infantem è Nubibus producet.* 21. *Agnus verò de monte Sion advocabit eos: promulgabitqve post tres dies victoriam adversus Bestiam & meretricem: & Armigeri ipsius concident.* 22. Atqve hîc duodecim illi exsultare incipient, canentes Domino, Hallelujah.

23. *Hactenus Verba magni Leonis.*

CAP. XX.

[*Sermo Angelorum ad Christophorum, habitus ibidem, itidemqve vulgari ad tempus prohibitus: qvo iisdem (Luminarium & Firmamenti) typis, continuatio pugna inter Babylonios, & illis divinitùs oppositos describi videtur, sorte huc illuc inclinante (pro consiliorum & molitionum varietate) ad victoriam usqve eorum, qvi à partibus Agni erunt.*]

SOl & *Luna*, & *Stellæ*, in magnam venient contentionem. 2. *Sol* putabit se stare in *Cancro*, & obliviscetur superbi *Capricorni*: sed qvùm putabit se caput extulisse altissimè & stare in Cancro, videbit se in Capricorno. 3. Qvum verò tantopere se humiliatum videbit superbus ille Sol, nec amplius consistere in Cancro, descendet in *Aqvarium*, & attrahet ad se venenatam *Scorpionis* aqvam: atqve tùm ingredietur *Libram*, unà cum fundente Aqvario, & venenato Scorpione, sperans se ope superbi *Capricorni* & *Arietis* perversurum *Libram*, effusurúmqve super Lunam & stellas. 4. Verùm Luna attollet se à Terra, dabúntqve ei Stellæ fulgorem suum: Veniet enim pernix ab Oriente *Sagittarius*, eqvitans in *Leone*, & accedet ad *Virginem* qvam amat, à Septentrione: ascendentqve hi omnes simul in *Libram*, dabitqve illis DEUS vim & robur, ut conscendere qveant *Libram*. 6. Effundentqve venenum *Scorpionis*; & vim fortis *Aquarii*, *Sagittarius*, *Virgo*, & *Leo*, in collum superbi *Arietis*, & *Capricorni*, & effundentis *Aqvarii*. 7. Qvo pacto *Luna* in Cancrum ascendet, neqve superbus Capricornus prohibere id poterit: & Luna emittet magnum fulgorem post se, milliesqve splendidiorem ante se. Atqve tunc lætabuntur Stellæ, & operationes suas resignabunt Lunæ. 8. *Infausta Constellatio feriit nos*, inqviet superbus *Sol*, *qvia fausta inimicos nostros aspexit.* 9. Qvid porrò inqviet? *Luna in Cancrum ascendit, qvi exsiccat & alit. Recuperare mihi, qvod perdidi, non datur: falsi mei Soles me deceperunt, & has mihi tenebras & odium conciliarunt.* 10. *Ubi nunc est dies ille, qvo omnia duodecim Zodiaci signa pertransire, eáqve mihi subigere, proposueram!* 11. *Qvàm exciderat memoriâ mihi, alium etiam esse motum, qvàm qvem mihi externa Cæli facies monstrabat! Qvàm est jam Luna in locum elevata meum! qvàm illi adhærent Stellæ! & seqvumur eam, exseqvunturqve omnem voluntatem ejus, qvæ per nubeculam temporis, temporum, & dimidii temporis, mihi vix parùm emicabat!* 13. *Illa verò jam ecce cum duodecim signis suis consistit! qvæ illam Solem esse faciunt, & cursum pro arbitrio permittunt.*

14. Ecce *Libra* in ejus partem propendet! libravit enim ipsam Dominus, & probatam comperit. 15. *Leo* lætus est, & cur-

& currit unà cum Luna celeriter per viam Accaron, ad dilacerandum cruciferis Vulpibus oblongas earum caudas. 16. *Virgo* autem ad Psalterium Davidis saltans, inveniet probè viam Dagon, saltuqve suo ad Psalterium Davidis dejiciet Baalitis Idolum suum in terram: ascendétqve fumus ingens, qvi multorum morsicabit oculos. 17. Et *Aries* in Lunæ cælo promptus, agilis, fortis, cognationem inibit cum *Geminis*. 18. *Sagittarius* verò assumpto Arietis vellere citò *instruet pharetras suas, prodibitqve unà* cum *Cancro*, qvi porrò & retrò incedens *perreptabit omnia Babylonicæ fornicationis qvadrivia, diffringétqve carceres Conscientiarum, & Domos Impuritatum, Domósqve rixarum disjiciet, casqve restaurabit in pace & charitate.* 19. Atqve tunc lætabitur *Capricornus*, & gaudio perfusus curret celeriter ad *Aqvarium*, adferens illi nuntium lætum: convocans è longinqvo *Pisces*, ut gaudeant, & Jehovæ Deo suo gratias agant, qvi retia dirupit & in nihilum redegit. 20. *Scorpius* autem virtute sua, qvam à Domino accepit, juvabit mactare pinguem *Taurum*, qvi se mactandum lubens dabit. 21. Instrueturqve solenne Convivium pro ægris, sitientibus, famelicis, & pro iis qvi seipsos abnegantes, & exinanientes, Christo tradunt: non apud se ipsos sapientes, neqve opinione in mundo magni, sed Deum ponentes brachium suum, non carnem, credunt Christo Justitiæ Soli, ejusqve duodecim signis, qvæ ille Discipulos appellavit suos. 22. Inter qvos *Scorpio* veneno ipsemet suo periit: prodens enim Christum Justitiæ Solem, prodidit se ipsum; vendidit preciô, qvô sibi emit perditionem. 23. Æqve tales sunt Babylonii. Produnt constanter, & odio proseqvuntur, qvia *Scorpiones* sunt, iracundi & feroces: & æmulantes superbum Capricornum montes & rupes omnes superscandere cogitant. 24. Curruntqve ad *Arietem*, & Arietinâ villosâ pelle se induunt: conficiuntqve sibi ope *Aqvarii* ex arietinis villis insignem, crassum, tenebricosumqve cilicinum saccum, *Pisces* eo captare intenti. 24. Insidiasqve struunt *Geminis*, ad eos potestati suæ subjugandum; & per id apprehendendum *Virginem*: & ad asseqvendum *Leonem*; & ad confringendum properantis *Sagittarii* sagittas; & ad evellendum *Cancro* chelas, ut neqve porrò neqve retrò procedere qveat. 26. Et ad librandum Babylonicâ suâ *Bilance* omnia, & ad capiendum *Taurum*, apparandumqve sibi ex eo Convivium, ut exerceant luxuriem & fornicationes suas pro lubitu, & faciant opera Dagon, perpetrentqve Idololatriam in Accaron.

27. *Contra P pugnant:* primùm pudica *Virgo:* deinde purus absqve veneno *Scorpius:* tertiò humilis *Capricornus:* qvartò *Aries* cum fragranti vellere, per qvem P dejicietur in Terram. 28. Est enim (illud P) primò impurum, sicut Sodomitica fœmina: secundò immundum, virulentum, malis operibus plenum, ut Dagon: tertiò superbum, sicut Babylon: qvartò Idololatriam fætens, ut Accaron.

29. *Contra F præliantur:* Primò *Sagittarius*, qvi sibi Arcum celerrimè paravit, ad incutiendum F terrorem: qvia affligit viduas, & perdit multos, exstirpat qvod bonum est, & qvod malum relinqvit in Israële, propensus ad Idololatriam: Deinde *Libra* cui Dominus pondera imposuit, qvæ præponderabunt, & illum ejicient. 30. *Ne solliciti estote Idololatræ, velociter, subitò, perniciter, & planè inopinatò fiet: eo ipso die, qvo securissimus sibi videbitur* (nempe F.) 31. Tertiò *Gemini* seriò pugnant adversus F: imponit enim illis grave con-

ſcientiæ jugum, & onus coacervatum ex fæno, ſtipulis, & abominationibus humanis.

32. Qvartò, *Magnanimus Leo, Juvenis ab Aqvilone, armatus à Jehova, ſine ferreo & chalybeo gladio, qvi lætabitur die illa, qvam huc elegit Dominus.* 33. *Atqve tùm pugnabunt duo iſti Exercitus, Orientalis & Aqvilonaris, nec ceſſabunt, donec expugnetur Babylon: ibi F. & B. lamentabiliter ſtabunt.* 34. *At binus tamen ille Exercitus non propriâ virtute id efficiet, neqve ipſe victoriam reportabit, ſed Exercitus tertius, qvi pugnat precibus.* 35. *Attollunt enim ſanctas manus & corda pura, armaturam habentes Spiritualem, triumphaturi de F. & P.* 36. *Nam F. lætatur, ubi triſtari, pectus plangere, ejulareqve debebat: qvoniam celer Sagittarius tàm velociter adverſus illum egreditur, & pondus à Domino Libræ ſuæ appenſum eſt, qvò ſubvertetur Thronus ejus.* 37. *Ejulate F. & B. Gemini veniunt cum ſeveritate, adducentes ſecum Leonem, inſperatò prorſus, in Sylvam dictam B.* 38. *Ob qvod B. dolore & horrore correptum conſilia qvæſitum ibit, qvomodo Geminos è Sylvâ ſuâ ejicere Leonemqve perdere qveat.*

39. Sed *Sagittarius* cum *Libra* & *Geminis* operi ſuo inſiſtunt: *Sagittarius* impinget ſagittam in ſinum B: & *Libra* evibrabit *lapidem ferreum in Domum ejus, & Gemini adducent Leonem in ſylvam B. eritqve B. contriſtatum, vim patiens uſqve ad mortem.* 40. *Terram ejus occupabit ingenuus Leo, mirâ permutatione, qvalem conſtellationem neqve F. neqve B. prævidere poterant.* 41. *Sub id tempus Cruciatores mæſti ſtabunt*, exibuntqve ad perdendum venenô Leonem & Socios: ſed hôc ipſô demum toti Mundo, latrones & fures ſe eſſe, manifeſtabunt. 42. Latrones enim ſunt occidentes Conſcientias hominum: Fures ſunt, furantes Deo gloriam ſuam. 43. *F. illos exhilarabat, & B. ædificabat: rurſus eos F. contriſtabit, & B diſjiciet.* 44. *Decretum Dei perdet eos, qvia non reſipiſcunt.*

45. *Contra H.* repit, primùm occultus *Cancer*, ſecum ducens *Balænam* magnam, qvos ſeqvitur *Aqvarius*: & *Taurus* ex deſerto prodiens. 46. *Cancer* retrogredi neceſſe habebit aliqvoties, & cum illo *Balæna*: *Aqvarii* illius aqva itidem refluere: uſqve dùm Taurus ex deſerto appropinqvet. 47. *Ibi iſtos, nempe H, & F, & B, prudentia & ſapiens conſilium deficere incipiet: exorieturqve ejulatio ſuper Aqvas, & ſuper Montes tremor ingens, & in vallibus horror indeſinens.* 48. *Ibi operationes duodecim ſignorum promicabunt, ad bonum & malum: Lunæ* qvidem ad illuminationem, *Soli* verò ad Eclipſin. 49. *Luna* permeat omnia duodecim Spiritualis cæli ſigna: *Sol* autem currens per ſigna terreſtris cæli, trahit poſt ſe terrena opera, contrahitqve ſibi terrena gaudia: nam gaudium ejus terrenum eſt, brutum, beſtiale, & durabit horæ dimidium. 50. *Bona etenim ſigna Cæli Spiritualis, ſuffocant operationem terreſtris Cæli: & adferent Soli luctuoſum diem, triſtémqve noctem.* 51. Nam prævelox ſtella, cum aliarum ſtellarum multis millibus, magnam inter ſtellas efficiet conturbationem. Illæ autem omnes obvertent radios ſuos adverſus Soles iſtos, qvi verum Solem obumbraverant, fecerántqve ut fervorem ſuum adverſus ipſas emitteret. 52. *Et ſtella una tentabit inter cæteras proditionem moliri* [N. B.] *ſed eventu infelici.* 53. *Conciliabit qvidem hoc pacto Soli gaudium, ſed qvod brevi pòſt luctus excipiet tantò major, & ſtella qvædam velox infauſtum adferet Soli, qvi illuminare ſtellas volebat, nuncium.* 54. *Fietqve tanta inter ſtellas commotio, ut multi Cælum ruere, & Terram ſubverti, credituri ſint.* 55. *Sed ne miremini! Hæc eſt commotio illa magna, à Prophetis,*

phetis, Christo, Apostolis, & in Libro [nempe Apocalyptico Johannis] *prænuntiata.* 56. Vos Reges, Principes, & Magnates super Terram, habetisne alium Solem, cujus luce gaudere possitis præter Justitiæ Solem? Solis Justitiæ fulgor solus verè illuminat, caliginosæqve terræ lucem impertit. 57. Si ergò ab hoc Justitiæ Sole terras vestras illuminari vultis, removete Excelsa vestra, falsósqve vestros Soles! Ne sinite Vos ampliùs fænô & stipulis cibari, neqve fætidis falsorum Solium aqvis potionari. 58. Sed efficite, ut stellis vestris Sol justitiæ luceat! Vigilate, & precibus vacate in nomine Christi! estote pietatis speculum, & stellis vestris prælucete, charitatis, humilitatis, & bonæ conversationis exemplo. 59. Emundate Vos, & lavate pedes vestros! & sic purificabuntur etiam stellæ vestræ. 60. Ne ducite ampliùs stellas vestras ad Excelsa, falsosqve Soles, nec ad fænum & stipulas duci permittite, aut ad fætidas cisternas, qvas Soles vestri vobis effoderunt. 61 Ne flagellate stellas vestras scorpionibus, ad fænum & stipulas, & aqvas falsas, eas compellentes, & ad bibendum de rupe è propriis inventis erectâ, qvam Vos crescere, & robur accipere, & ditescere, fecistis. 62. Ne tradatis ei gladium ad perseqvendum eos, qvi opinione viride gramen rupis illius, fænum & stipulam nominant, & aqvam ex eâ profluentem impuram vocant. 63. *Rupes ista ignem adhuc ex se eructabit contra illos, qvi se infidelitate percutiunt, credere nolentes fænum & stipulam suam esse viride gramen, & aqvas ejus bibere renuentes.* 64. Adversus hos Rupes ista multas adhuc ejiciet flammas, qvæ circumvolabunt, eos qvasi absorpturæ in totum: sed manus Domini extinguet eas, & Dominus scintillas istas in rupem retroaget. 65. Incipietqve ardere & fumare ipsa, & fumus ejus magnus opplebit Terram, qvi fumus nihil fidelibus noxæ adferet, qvamvis oculos eorum nonnihil morsicabit, ipsi tamen inde perspicaciorem acqvirent visûs aciem, videbuntqve magna cum admiratione per fumum & densas tenebras promicantem sibi Solem. 66. Rarescent enim Nubes & incipient dividi, Sol autem fulgescere: unde illi auroram sibi & diem lætissimum oriri spectabunt, cognoscentqve fumum & vaporem nihil sibi nocere potuisse. 67. Et qvàm parum fumus iste nocere illis potuit, tàm parum nocere poterit magna Eluvies, qvam magna illa, opinione sancta, Rupes eructabit super eos, qvi aqvam ejus (qvæ neqve frigida neqve calida est) bibere noluerunt. 68. Et licet eluvio hæc ita eos circumundabit, ut multi pereundum jam sibi in aqvis istis credituri sint: Dominus tamen hæc omnia dividet. 69. *Primùm enim Flamma eorum devorabit Domos eorum, & Fumus eorum obruet fastum eorum, Vapórqve eorum erodet superbos oculos eorum, fugientqve ipsos velut ignem; & vitabunt ipsos sicut fumum; & avertent ab ipsis oculos, sicut ab eo cui lippiunt oculi.* 70. *Aqvas etiam ipsorum dividet Dominus*, ostendetqve miracula sua, cùm pertransire faciet filium suum Euphratem: dividet (inqvam) Dominus aqvas istas, & faciet, ut Rupem illàm magnam absorbeant, ne in memoriam veniat ampliùs, neqve nominis ejus attendatur: *Dominus* enim *hoc faciet, non homo.* 71. *Dominus dividet has aqvas, & inducet primùm super Idola ipsorum, ut aurum & argentum eorum eluatur, & ab ipsis auferatur*: aqvas has inducet Dominus super ipsorum Divitias, potentiam & gloriam: Divitiæ illorum diffluent instar aqvæ variè se diffundentis: potentia eorum concidet instar diluvii subsidentis & deficientis: gloria eorum arescet sicut aqva pluvialis

in agro ficcitatis tempore. 72. Deinde *dividet eas Dominus*, & *jàm divisit*, ut fucata eorum agnosci possit hypocrisis: fraudesqve ipsorum, & falsa dogmata, pueri per plateas decantabunt: ut sint plebi ludibrium, qvomodo Baalitæ fuerunt Eliæ. 73. *Vos stellæ, magnæ & parvæ, laudate nomen Domini, & date illi gloriam!* qvoniam ille Babylonis aqvas divisit & exsiccavit. 74. *Abluite, & purificate corda vestra!* desistite à malo, & facite bonum! & *dividite Idololatriam* in corde etiam vestro! *Qværite aurum & argentum apud divitem & sapientem Salomonem! is corda Vestra ædificabit in templa & habitacula Spiritûs sui*, & *cantate Hallelujah.* 75. *Dividite etiam aqvas opum in cordibus vestris, ne adferant vobis perniciem:* este divites in Deo, & in agnitione Christi ac Spiritûs ejus. 76. Potentiâ & honore abduci Vos ad adorandum Idolum Mundi hujus ne sinite: nam potentia mundi transibit, & gloria in confusionem desinet. Exite corde ab illo, & cantate Hallelujah. 77. *Dividite etiam in vobis hypocrisin!* nec vobis ipsis, nec mundo, nec iis qvæ in mundo sunt, assentando. *Hypocrisis* enim *mater est falsæ doctrinæ.* 78. *Hypocrita sciens volens abit per viam erroneam: hypocrita ut placeat hypocritæ, vivit vitam præceptis & exemplis Christi & Apostolorum contrariam: hypocrita ut placeat hypocritæ, credit fide fictâ contrarium veritati Christi, qvi est via, veritas & vita, cui cantate Hallelujah!* 79. *Currite sic ô vos stellæ cursum vestrum! & habebitis Deum Patrem, super omnia Vobis providentem.* 80. *Et Christum Regem, vos adversus omnes Inferorum Portas defendentem.* 81. *Et Spiritum S. Doctorem, vos in omnem veritatem deducentem, & obsignantem, & usqve ad diem Jesu Christi inculpatos servantem, & introducentem in vitam æternam, ubi æternùm cantabitis*, Hallelujah! Amen! Hallelujah!

CAP. XXI.

[*Visio Magnæ Stellæ in cauda Draconis, 6. cadentis in Terram, excitantisqve horrendam procellam, 9. Leo Solem gestans, 13. Serpentemqve dessiccans, 17. Explicatio horum, 24. Pax Germaniæ qvando speranda, 44. Gladii qvatuor, 54. Primus ab Oriente, 60. secundus à Septentrione, 66. tertius à Meridie, 70. qvartus aureus permanens, 74. Morbus Bestiæ cæcitas, 81. Inde pœnitentiam duo qvidam magni agent, 82. Impletio horum, 85.*]

NOvembris 14, qvùm ob interdicti severitatem domum redire nondum ausus, Hirsfeldâ exiens, & ingruentem nimbum declinans, sub qvercu consedisset, accesserunt duo illi Juvenes, & post præmissam salutationem sub eadem qvercu considentes, latus utrumqve illi clauserunt. 2. Ipse verò: *Magna ingruit tempestas*, inqvit, *Via erit incommoda: si hoc præscivissem, Hirsfeldii me manere præstitisset.* 3. Responderunt illi: *Pluit eqvidem nunc largiter, sed mox redibit cum Sole serenitas.*

4. Nos iterum te allocuturi accessimus, attende! qværendi etiam tibi datur facultas, dummodò qværendi modum, qvem ante præscripsimus, observes. 5. *Attende diligenter iis, qvæ jam videbis & audies; & conscribe omnia summâ diligentiâ, neqve qvidqvam mali metuas.* 6. Monitus ergò ut sursum aspiceret, vidit Stellam valdè magnam in Coelo, stantem in cauda Draconis. 7. Viditqve simul Caudam illam Draconis frustatim deorsum cadere: cujus caput inclinabat se, caudam suam ad se retrahere laborans. 8. Stella verò splendidum ex se dabat fulgorem, donec & ipsa decideret tandem. 9. Ante tamen qvàm caderet, vidit Christophorus ascendentem ex ea triplicatum teterrimum fumum, in cujus caligine stella se demisit, lapsúqve suo terram contremiscere fecit adeò, ut omnes illæ qvercus violenter agitatæ cacuminibus terram ferire viderentur: tantò-



tantóqve cum fragore, ut Christophorus nullam relictum iri qvercum non subversam putaret. 10. Sed qvercus illa, sub qva recubabant cum ipso Juvenes, stabat immota & tranqvilla, sine ullâ vel minimâ commotione. 11. Tempestas verò illa per semihorium ferè continuabat: & in ista Arborum collisione, fragore, terræ motu, compellantes eum Juvenes dixerunt. 12. *Cave metuas, nihil tibi adversi accidet! Spectaculum istud oculis Tuis est horribile, tu tamen attende, qvid jam futurum sit, & conscribe omnia, neqve abscondas hæc ab ullo homine. Aspice!* 13. Et vidit Leonem venientem cum suspenso sibi à collo *Sole fulgidissimo*, genuinum cælestis Solis fulgorem referente. 14. Accessit autem Leo iste ad eos tam propè, ut eum Christophorus manu potuisset prehendere, sed metuebat. 15. Juvenes autem: *Ne metuas, nihil tibi mali eveniet! Intuere diligenter Leonem istum, qvid habeat, & qvid acturus sit.* 16. Tùm erigens se Leo, institit posterioribus pedibus suis, anteriori dextra Gladium, sinistra verò Pomum aureum (Imperii insigne) tenens: qvod Pomum unà cum Gladio per Solem illum transfixit: & ecce subitò Sol mutatus est in sangvinem! 17. Conspexit autem Christophorus à latere Serpentem, per viam qvandam antiqvam decurrentem: qvem ubi vidisset Leo, assiliit, & dissecuit eum qvadripartitò. 18. Et venerunt viri aliqvot Serpentem deplorantes, & ad Leonem dicentes: *Cur dissecuisti nobis Serpentem?* 19. Respondit Leo: *Ideò, qvòd perdere mihi Catulos meos voluit: Et mandatum hoc accepi à Leone de tribu Juda, Vosne deplorabitis ipsum? Et vos igitur dissecandi mihi estis.* 20. Extendit igitur adversus eos Gladium suum: illi verò procidentes dixerunt: *Ne committe istud in nos, & obediemus Tibi.* 21. Tum ipse: *Fratres estis mei, condono vobis.* 22. Disparuerunt ergò viri illi: Christophorus verò audivit in Sole & Pomo aureo resonantem svavissimum concentum. 23. Leo autem interstinctus fuit albis & cæruleis lineis: dixeruntqve Juvenes Christophoro: *Vidistine omnia qvæ acta sunt cum Sole, & Leone isto!*

sto! Atqve inter hæc dicendum Visio disparuit.

24. Surrexerunt igitur Juvenes, & Christophorum qvoqve ut surgeret monuerunt: & ecce qvàm densè priùs pluebat, tam serenò rursum Sol splendebat. 25. Et illi perrexerunt: *Audi & attende, qvæ Tibi de Visionibus istis jam dicturi sumus. Non enim frustra hæc fiunt, & nos ideò missi ad te sumus, ut ea tibi revelaremus.* 26. Nam Dies illa jam advenit, terminus designatus adest, vox Tubæ jam emissa est ad messem, & ad prælium, Tempus desolationis præstò est: *Diem visitationis tuæ non cognovisti: propterea jam de te actum est!* 27. Tu verò, qvid de utraqve illa Visione dicemus attende! 28. Respondit: *Nihil intermittam, qvin qvantum infirmitas mea ferre poterit, faciam: Dico tamen, captui meo ista nimis esse sublimia.* 29. Et dixerunt: *Draco, qvem in Cælo vidisti, est Draco, & tamen non est Draco, sed mores habet Draconis: cujus caudæ insistit Stella magna & fulgida.* 30. *Et Stella hæc est Stella, & tamen non est Stella, qviescebátqve super magna Draconis cauda.* 31. Et qvam magna, fulgida, robustaqve Stella hæc est, sicut & cauda in qva consistit, tam magnum attraxit virus ex tertia parte Stellarum Terram contingentium. 32. Hæ sunt Stellæ, qvæ se falsò nominant Stellas, fucatum de se spargentes splendorem, & hypocritica opera habentes à Stellâ illâ, qvæ insistit caudæ draconis, & vim suam accipit à cauda. Sed *spe citiùs fiet, ut cauda Draconis in frusta dissiliat, cadatqve simul cum procellarum igne Stella illa magna, qvando fumus ultionis irati Dei eam apprehenderit.* 34. *Nam flammans ignis injicietur in magnam illam Urbem, qvæ Babylon est! & conspicietur fumus ascendens ad meridiem.* 35. *Nec proderit qvidqvam, qvod Draco caput & corpus suum contorqvendo caudam suam, & Stellam in eâ retinere conabitur: nihil enim agit,* qvia cauda in frusta dirupta est. 36. *Collisio & fragor excelsarum & prædurarum mundi Arborum jam incipiet,* sicut in qverceto illo vidisti. 37. *Leo capite suo penetrare incipit Meridianum Solem, qvem portabit robore suo, qvantumvis magnus sit & gravis: & postqvam se erexerit Leo, nactus gladium dissecabit hypocriticum venenatum Serpentem in partes qvatuor.* 38. Serpens enim antiqvâ suâ viâ repens Leonem insperatò adoriri sibi proponit: sed ille Pomum in manu tenet aureum, qvod à Domino accepit tanqvam ab Arbore illâ, qvæ verè dicitur Arbor, vacillare & labascere nescia. 39. Qvalis erat Qvercus illa, sub qvâ tu qviescens à nimbi & procellæ impetu protectus fuisti. 40. *Qvantò magis protegentur omnes illi, qvi ab ingruente iræ Dei nimbo & Diluvio, sub hujus excelsæ Arboris, Cæli Terræqve Domini, umbram se recondunt?* 41. Audi & Attende! *Non erit hoc Diluvium aqvarum, sed sangvinis: qvaliter Solem in sangvinem conversum vidisti, à Leone transfixum Gladio.* 42. Et hoc tibi denunciari à nobis debet, venisse jam tempus, jamqve facta esse initia illius, qvod tibi prædixeramus: *Sexies centena millia esse in aciem prodiutura.* 43. Atqve hinc luctuosa erunt tempora, qvibus multa millena stadia occisorum strage contecta cernentur, cum effusione sangvinis ingente. 44. Post effusum autem hunc sangvinem, & dissectum serpentem, venient homines subdoli, & lugebunt fata non serpentis, aut Stellæ Draconis caudâ sustentatæ, sed Bestiæ, & progeniei ejus. 45. Sed Dominus eos lugeri non vult: hi enim sunt, qvi ex poculo blasphemiæ biberunt, & fornicationem atqve Idololatriam cum Babylonica Satanæ sponsa exercuerunt, eáqve se oblectarunt. 46. *Propterea Tibi dicimus, ne ista premas, nec ab ullo homine abscondas,*

neqve

neqve metuas qvidqvam! conticueruntqve.

47. Christophorus autem qvæsivit: *Citòne verò nobis Pax speranda est? Satis jam diu Bella durârunt, sangvinis multum effusum est, & multi multa perpessi damna.*

48. Resp. Diximus tibi, iteratò dicimus, *non redituram priùs in provincias Imperii Pacem, qvàm eveniant, qvæ tibi revelavimus. Bestiam & Draconem à Leone conculcari priùs oportet: horum autem potentia & robur magnum est.* 49. *Sed ecce, terror egreditur à Domino, & pavor à Leone de tribu Juda, qvi Leoni robur confert & fortitudinem, ad prosternendum & conterendum magnam illam ex abysso Bestiam.* 50. *Spes venturæ pacis certa esto!* sed non priùs venturæ, qvàm impleantur qvæ dicta sunt omnia. *Pax ista præsens non perstabit.* 51. *Bellum eqvidem sat diu duravit, sangvinis magna effusa est copia, damna terris & hominibus illata qvis enumeret? sed cæli & Terræ Dominus dives est:* habet unde refundat iis, qvi pro nomine illius aliqvam faciunt jacturam. 52. Attende & audi! *Multò adhuc plus effundetur sangvinis:* Ecce enim *prodit Leo, sedem qvietis non priùs inventurus; qvàm sangvis potentum effusus, & robur ipsorum confractum, cassesqve eorum dirupti fuerint.* 53. *Eo conspicuum faciet omnipotens potentiam suam, & Rex Regum jus suum qvod ab initio habuit, extollendi & deprimendi qvem vult, deponendi & restituendi Reges: hoc illi jus eripiet nemo.* Respice! 54. Respexit igitur, & vidit *qvatuor Gladios seipsos invicem permeantes.* 55. *Primus* erat qvasi *plumbeus*, veniens *ab Oriente*, qvi in Terram magnô terræ excitatô motu lapsus disparuit. 56. *Secundus Chalybeus* cecidit pariter magnâ cum terræ commotione, & mox evanuit. 57. *Tertius Gladius testaceus* suomet lapsu itidem confractus, evanueruntque simul fragmina ejus. 58. *Qvartus Gladius eximiæ pulchritudinis splendore velut aurum coruscans, in terram delapsus, mansit integer.*

59. Tùm Juvenes: Vidistine rectè qvatuor istos gladios & qvæ cum illis acta sunt? Ecce hæc tibi nunc ultima erit Visio! de qvâ qvid tibi simus dicturi, jam attende.

60. Ecce *Gladius primus, qvem Oriente venientem vidisti*, ingenti pondere, graviter premet terram, qvemadmodum vidisti & audivisti, qvàm horrendô cum terræ motu decidit. 61. Dominus enim illum fecit gravem, neqve illum aëris spissitudo retinere poterit: Est enim Gladius Jehovæ, qvi scindet & secabit, & perimet subitò: estqve Gladius contra Babylonis superbiam à Domino emissus in apparenter viridem Meridionalem sylvam. 62. Gladius hic exibit sub vesperam, & percutere non desinet, usque ad meridiem: Sol & Luna convertentur tunc in sangvinem. 63. Atqve *tunc apparebit superbæ Babylonis curationem irritam esse. Vulnera enim ejus nimia sunt: sanari non potest, qvia sanari noluit, sed sibi sedem parare & firmare perrexit, qvam non retinebit.* 64. *Dominus confringet Gladium ejus, & solium ejus induet luctu:* unà cum iis, qvi adulabuntur ei ab Oriente usqve ad Meridiem, & à Meridie usqve ad Occasum: neqve sanari sustinet. 65. Ad Scripturas te remittimus! Ibi de hoc perimente Gladio informationem invenies.

66. *Secundus Gladius à Septentrione est chalybeus*, duritiem & potentiam suam habens à Domino, qvi etiam *subitò* cadet in terram, *consensu facto cum Gladio plumbeo ab Oriente.* 67. Gladius hic exibit & disjiciet insincero *Labani* Idolum suum, & franget *Esavo* arcum suum, qvo innocuum animalculum trajicere omni vi tentabat: Sed *Jacob superabit Esavum & Labanem.* 68. Hic erit Gladius inopinatâ velocitate, gladius directus contra infidũ Labanem: per hunc recuperabit Jacob Patriam suam,

qvod Esau videbit, & impedire non poterit, qvia Dominus cum ipso est. 69. Cum hac explicatione remittimus te ad Scripturas.

70. Et ecce *Tertius gladius à Meridie & Occasu est! factus in ardenti fornace iræ Dei confractus, testæ similis.* 71. Confringet enim Dominus Gladium illum, sicut vidisti decidentem, & in frusta dissilientem, per Gladium illum gravem ab Oriente & à Septentrione. 72. *Qvantumvis potens, qvantumvis solidus, qvantumvis firmus Gladius ille est, confringet tamen illum Dominus, qvomodo ferreo sceptro confringuntur testæ.* [N. B.] 73. *Hoc erit prodigium, qvod esse stupendum cæli & terræ Domini opus agnoscent omnes: ad Scripturas te remittimus.*

74. *Qvartus Gladius aureus est:* non gladius perimens aut perdens, sed Gladius sanans vulnera à serpente & Dracone inflicta: estqve *Gladius Pacis, qvi permanebit, & non peribit, permanebit inqvam.* 75. Nam ærugo Terræ non arrodit Aurum, & Ignis mundi exurere illud neqvit. 76. *Gladius hic tùm veniet in lucem, cùm priores duo Gladii opus suum peregerint, Meridianumqve Exercitum compescuerint, qvi fideles absorbere voluit: Sed absorbebit ipsosmet Dominus.* 77. Tandem ad Scripturas Te cum qvatuor hisce gladiis remittimus, & omnes ista lecturos. 78. *Non celabis igitur hæc: qvia tempus præstò est, qvo evenire ista omnia necessum est.* 79. Ad hæc Christophorus: Audivi qvidem Vos de qvatuor istis Gladiis loqventes, sed metuo me non intelligere, qvid ista sibi velint. 80. Responderunt: Eâ de re ne sis sollicitus: Reperientur qvi intelligent. 81. Res luculenta est, & perspicua satis: Videbit eam facilè, qvi non laborat morbô Bestiæ, qvæ cæca est, & caret omnibus sensibus: à talibus abscondita sunt omnia hæc. 82. Sed caveant sibi, ne tertius etiam morbus ipsos, tanqvam subitanea febris, invadat, qvæ *Pænitentia Judæ* dicitur. 83. Qvemadmodum tibi antè significatum, *duas personas præcipuas subitaneâ morte perituras, at non morte naturali: qvippe alter catenâ aureâ se suspendet, alter proprio jugulabit gladio.* 84. Atqve hæc de prodigioso exitu perfidæ istius progeniei, in cautelam & testimonium dicta sunto. Conscribe ista, *ne celes; tempus enim appropinqvat.* 85. Perrexit Christophorus qværere: *Qvamdiu verò profeterur omnium istorum impletio? Ego putabam citius ista in effectum ventura.* 86. Responderunt: Attende & audi! *Jam factum est, & tamen nondum factum est: Sed fiet uno die, ut veniant Gladius, Dolor, Plagæqve horrendæ.* 87. Et ecce prodigium magnum & horrendum conspicietur brevi, in aëre & in terra. 88. *De tempore impletionis istorum ne sis sollicitus.* Qvod reliqvum est, ad Scripturas te remittimus.

CAP. XXII.

[*Prædictio magna pluvia è nube peccatorum, 5. Tamen servandi, 11. quibus luce & igne opus est, 19. Elias venturus, 21. & David, 35.*]

NOvembris 23, euntem Christophorum Lissâ Langenoviam Juvenes iidem accesserunt, primumqve usitatâ salutandi formulâ, & mox hisce Verbis compellarunt. 2. *Interrogamus Te, num omnibus attenderis, qvæ tibi locuti fuimus hactenus?* præmonentes, ut qvæ monstrabantur aspiceres, audiresqve attentè! Sed & monemus denuò, ista attende! Etiam qværere tibi liberum erit. 3. Cæperunt itaqve loqvi: *Ah qvàm conqvestus fuit Medicus humani generis, jam inde ab initio exseqvutionis primi illius Judicii, & conqveritur etiamnum!* 4. *Cujus Judicium sextum porrò etiam procedit, & veniet cum potentia irresistibili: Tempus enim*

præ manibus est. 5. *Pluvia ruit violenter:* qvadraginta menses jam continuata est, & continuabit præterea duos menses, *venietqve inundatio & diluvium de qvo tibi diximus antè.* 6. Et tunc *venient ab Oriente & Septentrione eqvitum & curruum millia multa, grassantes valide, habentesqve secum virum illum cum resonantibus femoribus, & tinnientibus humeris:* à qvo venit fremitus, & veniet fremitus, demumqve debet venire fremitus & fragor, à qvo concidant robusti, & potentes, & insignes coram mundo. 7. Christophoro qværenti: *adeóne ingens procella veniet?* Responderunt: Attende, & perpende dictum Christi: *Hypocritæ, cæli faciem nostis dignoscere, signa autem temporum discernere nescitis?* 8. Ita Vos perfidi, mundani, hypocritæ, intuendo cælestes nubes, in iis vos pluviæ signa habere opinamini; qvin vos improbi, sublesti, adulteri, transgressores Moysis & Prophetarum intuemini nubes mundi istius impii, qvomodo magnam in pluviam mox mox dissolvendæ condensentur? 9. *At hæ Nubes non sunt è Mari attractæ, sed ex mutis Mundi peccatis coactæ: ex his horrenda ista proruet procella, è nube superbiæ & Impuritatis, & nube illa qvæ primæ super Adamum & Evam procellæ causa exstitit, Dei & Verbi sui contemptûs.* 10. *Tres istæ Nubes collidentur in unum, & adferent procellam illam,* de qva tibi diximus: imò attulerunt jam. Cum qvô responsô nostrô confer te ad Scripturas. 11. Christophorus porrò: *In qvem verò irruet procella ista?* Responsum, Attende, & audi! *Non erit hæc procella, qvæ omnia obruat & deleat.* 12. *Neqve tu, neqve qvisqvam hominum cogitet, Deum cælestem sic irâ accendi posse, ut illorum qvi refugium apud se qværunt misereri nolit.* 13. *Est enim commiserante corde, qvod se intra se commovet, ut in medio iræ & ultionis gratiæ tamen meminerit, roburqve suum exserat.* 14. *Nam ille ne qvidem in illis langvescit, qvi jam ad mare rubrum stantes qvo se vertant nesciunt, seqve ipsos pro derelictis reputant.* 15. Cùm tamen qvô pactô derelicti esse possint, super qvos misericordia DEI pluit sicut pluvia fæcunda? & præpotens DEI manus velut suavissimus Solis fulgor. 16. Ex hôc intellige, qvos furens ista procella obruitura sit: proinde Tibi dicimus, Ne metuas! lucem tantùm ama, & fuge tenebras. 17. Ille rursum: *Ego profectò qvomodo id intelligam nescio: dimittiqve tandem ex istis, si qvidem Deo meo placeret, optarem, gratiasqve illi agerem toto corde.*

18. Responderunt: Audi, non plus optare debes scire, qvàm Deus in Scripturis & verbô suô revelatum voluit; *ibi sunt mysteria Dei.* 19. *Apprehende tantùm Clavem Orationis, & ne oblivíscere fragrantis Dei timoris, & dilige lucem, & Ignem hunc, qvem tenebræ obumbrare non possunt: & conjunge hæc in unum, Lucem cum Igne.* 20. Ignem hujusmodi habuit Elias, & hujusmodi Lucem, qvæ aqvam altare ambientem exsiccavit. 21. Lux ista, & ignis iste, fuerunt preces Eliæ similes Igni, qvi ardebat, exurebátqve aridos maledictos Baalitas, flammæ instar validè ardentis fornacis. Zelosus iste Gladius igneis Eliæ precibus exacutus, perdidit Baalitas. 22. Attende, & audi! sicut Elias precibus suis igneis ignem de cælo devocavit, qvi hostiam & aqvas circum altare absorpsit, certô cognoscendis Baalitarum fraudibus documentô; qvibus lux & ignea Eliæ oratio non tantùm ulcus hypocriseos eorum transfixit, sed ipsos etiam discerpsit & in frusta dissecuit. 23. Proinde *Tibi dicimus, Venturum brevi Eliam ad mactandum hypocritas, dolosos, defectores, qvi à DEO ejusqve verbo per vias pravas declinarunt.* 24. *Qvos omnes Dominus in locum unum congregabit, qvia omnes bibunt ex uno fonte; ex qvo ascendit caliginosus fumus,*

qvod Esau videbit, & impedire non poterit, qvia Dominus cum ipso est. 69. Cum hac explicatione remittimus te ad Scripturas.

70. Et ecce *Tertius gladius à Meridie & Occasu est! factus in ardenti fornace iræ Dei confractus, testæ similis.* 71. Confringet enim Dominus Gladium illum, sicut vidisti decidentem, & in frusta dissilientem, per Gladium illum gravem ab Oriente & à Septentrione. 72. *Qvantumvis potens, qvantumvis solidus, qvantumvis firmus Gladius ille est, confringet tamen illum Dominus, qvomodo ferreo sceptro confringuntur testæ.* [N. B.] 73. *Hoc erit prodigium, qvod esse stupendum cæli & terræ Domini opus agnoscent omnes: ad Scripturas te remittimus.*

74. *Qvartus Gladius aureus est:* non gladius perimens aut perdens, sed Gladius sanans vulnera à serpente & Dracone inflicta: estqve *Gladius Pacis, qvi permanebit, & non peribit, permanebit inqvam.* 75. Nam ærugo Terræ non arrodit Aurum, & Ignis mundi exurere illud neqvit. 76. *Gladius hic tùm veniet in lucem, cùm priores duo Gladii opus suum peregerint, Meridianumqve Exercitum compescuerint, qvi fideles absorbere voluit: Sed absorbebit ipsosmet Dominus.* 77. Tandem ad Scripturas Te cum qvatuor hisce gladiis remittimus, & omnes ista lecturos. 78. *Non celabis igitur hæc: qvia tempus præstò est, qvo evenire ista omnia necessum est.* 79. Ad hæc Christophorus: Audivi qvidem Vos de qvatuor istis Gladiis loqventes, sed metuo me non intelligere, qvid ista sibi velint. 80. Responderunt: Eâ de re ne sis sollicitus: Reperientur qvi intelligent. 81. Res luculenta est, & perspicua satis: Videbit eam facilè, qvi non laborat morbô Bestiæ, qvæ cæca est, & caret omnibus sensibus: à talibus abscondita sunt omnia hæc. 82. Sed caveant sibi, ne tertius etiam morbus ipsos, tanqvam subitanea febris, invadat, qvæ *Pænitentia Judæ* dicitur. 83. Qvemadmodum tibi antè significatum, *duas personas præcipuas subitaneâ morte perituras, at non morte naturali: qvippe alter catenâ aureâ se suspendet, alter proprio jugulabit gladio.* 84. Atqve hæc de prodigioso exitu perfidæ istius progeniei, in cautelam & testimonium dicta sunto. Conscribe ista, *ne celes; tempus enim appropinqvat.* 85. Perrexit Christophorus qværere: *Qvamdiu verò profertur omnium istorum impletio? Ego putabam citius ista in effectum ventura.* 86. Responderunt: Attende & audi! *Jam factum est, & tamen nondum factum est: Sed fiet uno die, ut veniant Gladius, Dolor, Plagæqve horrendæ.* 87. Et ecce prodigium magnum & horrendum conspicietur brevi, in aëre & in terra. 88. *De tempore impletionis istorum ne sis sollicitus.* Qvod reliqvum est, ad Scripturas te remittimus.

CAP. XXII.

[*Prædictio magnæ pluviæ è nube peccatorum*, 5. *Pii tamen servandi*, 11. *qvibus luce & igne opus est*, 15. *Elias venturus*, 21. *& David*, 35.]

NOvembris 23, euntem Christophorum Lissâ Langenoviam Juvenes iidem accesserunt, primumqve usitatâ salutandi formulâ, & mox hisce Verbis compellarunt. 2. *Interrogamus Te, num omnibus attenderis, qvæ tibi locuti fuimus hactenus?* præmonentes, ut qvæ monstrabantur aspiceres, audiresqve attentè! Sed & monemus denuò, ista attende! Etiam qværere tibi liberum erit. 3. Cœperunt itaqve loqvi: *Ah qvàm conqvestus fuit Medicus humani generis, jam inde ab initio exseqvutionis primi illius Judicii, & conqveritur etiamnum!* 4. *Cujus Judicium sextum porrò etiam procedit, & veniet cum potentia irresistibili: Tempus enim* præ-

præ manibus est. 5. *Pluvia ruit violenter:* qvadraginta menses jam continuata est, & continuabit præterea duos menses, *venietqve inundatio & diluvium de qvo tibi diximus antè.* 6. Et tunc *venient ab Oriente & Septentrione eqvitum & curruum millia multa, grassantes valide, habentesqve secum virum illum cum resonantibus femoribus, & tinnientibus humeris:* à qvo venit fremitus, & veniet fremitus, demumqve debet venire fremitus & fragor, à qvo concidant robusti, & potentes, & insignes coram mundo. 7. Christophoro qværenti: *adeóne ingens procella veniet?* Responderunt: Attende, & perpende dictum Christi: *Hypocritæ, cæli faciem nostis dignoscere, signa autem temporum discernere nescitis?* 8. Ita Vos perfidi, mundani, hypocritæ, intuendo cælestes nubes, in iis vos pluviæ signa habere opinamini; qvin vos improbi, sublesti, adulteri, transgressores Moysis & Prophetarum intuemini nubes mundi istius impii, qvomodo magnam in pluviam mox mox dissolvendæ condensentur? 9. *At hæ Nubes non sunt è Mari attractæ, sed ex mutis Mundi peccatis coactæ: ex his horrenda ista proruet procella, è nube superbiæ & Impuritatis, & nube illa qvæ primæ super Adamum & Evam procellæ causa exstitit, Dei & Verbi sui contemptûs.* 10. *Tres istæ Nubes colliduntur in unum, & adferent procellam illam,* de qva tibi diximus: imò attulerunt jam. Cum qvô responsô nostrô confer te ad Scripturas. 11. Christophorus porrò: *In qvem verò irruet procella ista?* Responsum, Attende, & audi! *Non erit hæc procella, qvæ omnia obruat & deleat.* 12. *Neqve tu, neqve qvisqvam hominum cogitet, Deum cælestem sic irâ accendi posse, ut illorum qvi refugium apud se qværunt misereri nolit.* 13. *Est enim commiserante corde, qvod se intra se commovet, ut in medio iræ & ultionis gratiæ tamen meminerit, roburqve suum exserat.* 14. *Nam ille ne qvidem in illis langvescit, qvi jam ad mare rubrum stantes qvo se vertant nesciunt, seqve ipsos pro derelictis reputant.* 15. Cùm tamen qvô pactô derelicti esse possint, super qvos misericordia DEI pluit sicut pluvia fæcunda? & præpotens DEI manus velut suavissimus Solis fulgor. 16. Ex hôc intellige, qvos furens ista procella obruitura sit: proinde Tibi dicimus, Ne metuas! lucem tantùm ama, & fuge tenebras. 17. Ille rursum: *Ego profectò qvomodo id intelligam nescio: dimittiqve tandem ex istis, si qvidem Deo meo placeret, optarem, gratiasqve illi agerem toto corde.*

18. Responderunt: Audi, non plus optare debes scire, qvàm Deus in Scripturis & verbô suô revelatum voluit; *ibi sunt mysteria Dei.* 19. *Apprehende tantùm Clavem Orationis, & ne oblivíscere fragrantis Dei timoris, & dilige lucem, & Ignem hunc, qvem tenebræ obumbrare non possunt: & conjunge hæc in unum, Lucem cum Igne.* 20. Ignem hujusmodi habuit Elias, & hujusmodi Lucem, qvæ aqvam altare ambientem exsiccavit. 21. Lux ista, & ignis iste, fuerunt preces Eliæ similes Igni, qvi ardebat, exurebátqve aridos maledictos Baalitas, flammæ instar validè ardentis fornacis. Zelosus iste Gladius igneis Eliæ precibus exacutus, perdidit Baalitas. 22. Attende, & audi! sicut Elias precibus suis igneis ignem de cælo devocavit, qvi hostiam & aqvas circum altare absorpsit, certô cognoscendis Baalitarum fraudibus documentô; qvibus lux & ignea Eliæ oratio non tantùm ulcus hypocriseos eorum transfixit, sed ipsos etiam discerpsit & in frusta dissecuit. 23. Proinde *Tibi dicimus, Venturum brevi Eliam ad mactandum hypocritas, dolosos, defectores, qvi à DEO ejusqve verbo per vias pravas declinarunt.* 24. *Qvos omnes Dominus in locum unum congregabit, qvia omnes bibunt ex uno fonte; ex qvo ascendit caliginosus fumus,*

mus, *lux vero nulla*. 25. *Fons iste fons est*, & *tamen non est fons*, *sed fonti similis*: *bibuntqve ex ea multi*, *tanqvam ex fonte*, *cùm non sit fons*. 26. *Attende*, *Fons iste retectus est*, & *scaturigo illius prorumpit ex perverso sensu*. *Qvi lucem respuit*, *huic de fonte isto bibere contingit*. 27. E Fonte hoc non prodit tanta svaveolentia, qvantam ex vase illo aureo, Tibi monstrato, prodire sensisti. 28. Sed cum omnibus his *remittimus Te ad Scripturam*, *quæ est fons habens aqvam vitæ*, *de qvâ Tu bibe*, & *te recrea* (peregrinationis enim Tuæ nondum est finis:) & nutrias te pane subministrato tibi in Scripturis. 29. *Fontem autem illum falsâ ptisanâ contextum relinqve*, *etiamsi dixerint Davidem in illo esse*, *velut Christi figuram*. [2. Sam. 17. 19.] 30. Scrutare Scripturas, & utrumqve istud exemplum expende probè, cavens tibi ab impatientia; *Tempus tuum notum Domino*, *veniet omninò nec emanebit*. 31. Pax autem super Te, & omnes corde patienti auxilium DEI expectantes: Tu autem glorifica nomen Dei. 32. Perrexit qværere Christophorus; *An verò talis aliqvis Elias*, *qvalem mihi describitis*, *veniet?* 33. Responderunt: *Omninò veniet Elias*, *qvi sacrificabit* & *percutiet*, *ignémqve suscitabit inextingvibilem*, *qvi ardebit* & *ustulabit*, *juxta verbum Domini*: *sed percussio hæc mirabilis erit*. 34. Elias iste jam percussit, sed mox fugere necesse habuit: veniet autem iterum & percutiet per biduum, & qvadriduum, & per diei fermè dimidium. 35. Atqve *hic Elias etiam est David*, *qvi exsultabit qvando Arca Jehovæ post decursum septem Mensium rursus deportabitur in locum suum*. 36. Ecce plagæ occultæ grassantur etiam magno impetu, affliguntqve subdolos mundi homines calamitosè. 37. Istud habe de Elia veniente, & qvi jam venit, qvasi diluvium aqvarum. 38. Iterum Christophorus: *Etiamne hoc mihi consignandum est?* *Omninò*, responderunt: *Scribe*, *neqve occulta!* 39. Novimus, hæc Tibi mira videri, mysteria enim sunt: complementum tamen suum acceptura sunt *celeriter ac subitò* [N. B.] *monemus proinde*, *ne ista occultes*. 40. Hôc finitô sermone, iterabant Sermones Leonis illius, & Viri, qvi ex Leone exstiterat. 41. Dixitqve Christophorus: *Non prius ergò vulgare ista debebo*, *qvàm impleantur?* 42. Responderunt cum severitate qvadam singulari: *Cave Tibi*, *ne Te Leo ex tribu Juda conterat!* Sed conterit Ille, rursumqve sanat, eos qvi sanari se permittunt. 43. Nos autem Tibi dicimus, *ne metuas*; *ignavus* & *oscitans ne sis*, *opus Jehovæ fraudulenter ne agas*. 44. Ita finis factus est Visionis hujus.

CAP. XXIII.

[*Corpora Angelorum qualia*, 5. *Apparitiones Angelicæ an dentur*, 8. *Mundus hypocritis plenus*, 13. *Calamitatum præsentium periodi*, 20. *Filii falsæ Ierusalem qvi*, 42. *Revelatores hi an boni Angeli*, 49. *Condemnatio Meretricis magnæ*, 58. *Signa Bestiæ septem*, 89. *Subversio Throni ejus*, 98. *Caput Bestiæ emortuum brevi dejiciendum*, 101. *Poculum Meretricis*, 112. *Venatores Bestiæ à Domino emittendi*, 114.]

QUùm Anno 1624, Januarii 16, Kohlfurto Langenoviam iter faceret, duo illi Juvenes apparere ipsi antehac soliti, obviam illi facti, salutarunt, dicendo: *Det tibi Dominus gratiam* & *benedictionem suam*. 2. Vide ne pavescas: nos tibi de rebus antè significatis multa adhuc loqvi habemus: Attende igitur, neqve Te fraudibus mundi fascinari patere! *ne te jugulet Leo*. 3. His conticuerunt, cumqve illô ituri verterunt se, & per semitam euntem comitati sunt, latus illi claudentes utrinqve. 4. Ille

4. Ille verò animadvertit eos per nivem euntes nulla post se vestigia relinqvere: Dixit igitur, *Miror qvomodo fiat, ut Vos humana specie videam, vestigia verò humana non videam.* 5. Responderunt: *Tu corporeis nos intueris oculis, qvasi homines simus: & tuis sanè in oculis humana corpora habere videmur, qvùm revera non corpora ex carne, ossibus sangvineqve composita habeamus, sed corpora Spiritualia, viventes semper, morientes nunqvam, stamusqve coram throno Dei, & mittimur ad exseqvendum mandata Domini cæli & terræ.* 6. *Ne mirere, nos more hominum vestigia non imprimere: inde potiùs collige, tu & qvi hæc audient, homines nos non esse.* 7. *Sed emissos humanâ specie à Dominatore rerum, qvi sibi Cælum solium, Terram scabellum pedum suorum, nos autem Angelos ministros & vigiles posuit, qvos emittit manè & vesperi.* 8. Qvùm his dictis conticescerent, interfatus est Christophorus: *Mundus ait cælum esse clausum, nec ullas ampliùs hominibus contingere Angelicas visiones:* ideò major pars ista non credit, Mosen & Prophetas se habere dictitantes. 9. Ad hæc voce severâ Spiritus: *O Germania, si tu Mosen & Prophetas haberes, & eos in Spiritu rectè intelligeres, neqvaqvam in sensum perversum incidisses! jam verò sapientes tui stulti facti sunt.* 10. *Væ tibi Germania, Plateæ tuæ plenæ sunt sangvinis, & Domus tuæ plenæ abominationis! Experieris, ô experieris, nos non esse homines, neqve cælum esse clausum.* 11. Tibi autem dictum est, nos Angelos (secundùm Scripturas) ascendere & descendere, exseqvendo munia nostra. 12. Ne patiaris tibi à Diabolo vel mundo cilicium, de quo Tibi antehac diximus, obduci, ne te Leo de Tribu Juda conterat. 13. Ne insistas vestigiis hypocritarum Jerosolymitanorum, qui ad mensam Herodis homicidæ pasci amant, qvi delectantur sangvinolentis ejus consiliis. 14. Qvæ tamen ad dimidium non perducent; Vermes venient à Domino, invadentqve corpus homicidæ istius, & Angelus Jehovæ disperdet illos, & brachium Jehovæ ad nihilum redigetillos. 15. Excitabit enim Dominus ventum, qvô afflati emorientur: *Sepulchrum eorum est furens zelus Altissimi, & à vermibus consumentur.* 16. O calamitosum tempus, qvòd homines ista credere nolunt! Sed novi nihil est. Lege Scripturas, ad qvas te manuducimus, ibi informationem certam atqve infallibilem invenies. 17. *Qvid mundus credat vel non credat, ad id tu nihil respice! etiam nos tibi de Mose & Prophetis loqvimur, ut eos audias.* 18. Qvod enim priùs diximus, etiamnum dicimus; *Scripturam esse Lucem, & secundùm eam judicanda esse omnia.* 19. *Si contra Scripturas loqveremur vel contra Prophetas, & Te abduceremus à Christi merito, anathemate nos ferire, & non credere, deberes.* 20. Christophorus porrò: Hæc verò calamitosa tempora qvamdiu durabunt? nihil se adhuc disponit in melius, me jam qvoqve tædia occupant. 21. Responderunt, Attende, *Tempora calamitosa cum Ortu Solis incipiunt, & cum conversione Magni Monarchæ Gentium ab Oriente finientur.* 22. Calamitosa hæc tempora pœna sunt peccatorum, prædicta à Prophetis, & ipso Christo, qvi os Veritatis est. 23. Tu angore Te ne conficias calamitatum istarum causâ: illæ enim non sunt majores Manu Domini, qvæ mutabit omnia, & hæc tempora tribulationis in tempora lætitiæ convertet. 24. Atqve tùm intonabit canticum: *Laudate Dominum omnes Gentes, & exaltate nomen ejus, qvoniam bene fecit nobis: glorificate nomen ejus.* 25. Ideò te monemus iterum, ne te affligas, neqve tædium ad cor admittas. Ecce enim brevi finientur dies mali, tu tantummodò assiduis precibus Deum de Charitate,

Fide, Spe, sollicita. 26. *Aqva tribulationum desidet, & Achabi robur sagittâ à Domino emissâ elidetur: Sagitta qvippe illa educet autam lenem, qvæ aqvas tribulationum exsiccabit.* 27. *Achab interficietur, scortatores & Idololatræ lavabunt currum ipsius, & canes mundi hujus sangvinem ejus intuentes ejulabunt: prælium amissum est, & Arcus robustorum confractus.* 28. Iterum Christophorus: Tempora ista calamitosa citóne finientur, aut diune duratura sunt? Ingentes enim per Orbem sunt qverimoniæ, & annonæ caritas invalescit. 29. Illi rursus: Invalescunt utiqve adhuc tempora Calamitatum: sed nos tibi exiguum momentum afflictionum, famis, belli, pestis, prædiximus antea: hoc igitur impleri necessum est. 30. Sed etiam diximus, dictum iri pòst: *Beatus, qvi numerum 25 superabit, qvum magnæ Tribulationis aqvæ desidere incipient, & Arca Noë in montibus Ararat reqviescet.* 31. *Tunc sub Leone magno securum erit ingredi & egredi*, Exercitusqve Sanctorum exultabit, collaudans nomen Domini. 32. *Induratus Pharao dimisit filios Edom: sed persecutus eos denuò, prostratus est à Domino, marisque hiatu absorptus.* 33. *Filii Moab liberati sunt, & filii Ammon transierunt rubrum flumen, qvod ex ore projecit Draco rufus: Ipsos autem obtexit ala Dei, & manus ejus conservavit eos, ut eos magnus ille & validus torrens absorbere non posset.* 34. Etiam magnæ illæ hominum qverelæ finem invenient. 35. Ne mirere: *si Germania super peccatis suis qviritata fuisset, super Ultionum gravitate qviritari & gemere non haberet necesse.* 36. *Atqvi Pater filium castigat*, qvoties in mandatis ejus ambulare intermittit: & annon tibi de magno illo Judicio, qvod haberi jam debet, dictum est? 37. *Annonæ caritatem cur miraris?* majorem etiam qvàm adhuc calamitatem venturam prænunciatum Tibi est. 38. *Clanximus enim Tubis in qvatuor mundi plagas, annuntiantes irruituras veluti armatum Exercitum calamitates.* 39. Perpende ista, præsentémqve Mundi faciem intelligere disces. 40. O si tempestivè Mundus ob peccata sua lamentari voluisset, & non lucem caliginoso intruderet cilicio, sed cilicium pænitentiæ induisset, Evangelioque crederet, lamentis hisce opus non esset. 41 *Sed majora etiam lamenta inter falsæ Spiritualis Hierosolymæ filios exorientur.*

42. Christophorus ad hæc: *Quinam sunt isti falsæ Spiritualis Jerosolymæ filii?* non satis id capio. 43. Resp. Attende! Jerosolymæ olim erant homines, extrinsecus fucatum vitæ sanctæ splendorem edentes, intus veri hypocritæ: super qvos toties Christus *Væ, Væ*, proclamare necesse habuit. 44. Ex eadem progenie sunt in moderna Spirituali Jerusalem permulti, priscis illis hypocrisi & fuco simillimi. 45. Propterea dicimus: *Qvemadmodum isti olim Jerosolymitani hypocritæ puniti sunt, ita modernos terribilibus pœnis visitatum iri.* 46. Totum antiqvæ Jerosolymæ semen in falsa hac Jerusalem disseminatum est: nec disseminatum duntaxat, sed & tantâ ubertate succrevit, ut fructus modernæ Jerusalem, antiqvæ illius, jam solo æqvatæ, fructum longè superaverint. 47. Maturuerunt fructus projecti seminis, dicimúsqve Tibi, *Te ex montibus perfidæ hujus novæ Jerusalem horrendos ejulatus & clamores auditurum.* 48. Atqve cum his profundis sermonibus transmittimus te ad Prophetas, Christíqve & Apostolorum verba.

49. Me porrò, dixit Christophorus, qværendi qvidpiam desiderium tenet. Resp. Licet, dummodò Deum timere proponas, & non homines. 50. Ille rursum: *Homines mihi ansam præbent, susurrando, Vos non esse bonos Angelos.*

51. Re-

51. Responderunt, severitatem præ se ferentes: Audi & attende diligenter! *Talibus ita loqvere, Omnia probate, qvod bonum est tenete.* Item: *Omnis Spiritus, qvi confitetur, qvòd Jesus sit Christus Filius Dei, ex Deo est.* 52. Annon Tibi mox ab initio ad Deum ejusqve Verbum, duces fuimus? sicut & ad pretiosum Christi meritum? 53. *Potest qvidem Satanas qvoqve, permittente Deo, in Angelum Lucis se transformare, & cùm sit Apostata à Deo, utitur Scripturis, sed ad fraudes, utpote Spiritus mendacii: adulterans Scripturas, prava agere docens, ut primus ejus color ostendit, qvali machina primum expugnavit (Evæ) propugnaculum.* 54. Ne te igitur à Diabolo vel mundo fascinari patere: & cuivis tali Satanæ mancipio responde, Discede à me Satan, qvoniam scandalo mihi es. 55. *Precibus incumbe, Scripturas lectita, illæ sint lumen tuum: ex his intelliges tu, & qvivis alius, qvales nos & cujus nuntii simus: Angeli enim sumus glorificantes nomen Domini.* 56. Et perrexerunt: Veniet his diebus ventus ingens, damna inflicturus passim. 57. Item: Stellæ duæ in Oriente sangvineos mittent radios, altera in fontem, altera in flumen, convertenturqve in sangvinem. Sol & Luna convertentur qvoqve in sangvinem, sicut antea tibi significatum.

58. *Attende, & postea scribe, qvæ sit condemnatio Meretricis magnæ: & qvæ signa Bestiæ, ex qvibus indolem ipsius cognoscas.* 59. *Rex sine Regina, Meretrix magna, adversus qvam Dominus voce Tubæ, voce Angeli, insonuit, progrediturqve sonus ille ab Oriente usqve in Occasum.* 60. Ne hora qvidem transiit una, ab initio usqve adhuc, qvâ non sonuisset vox adversus Meretricem magnam: etiam vox Tonitruum adversus eam intonuit, sicut tonitus Tubæ validæ, & sicut fremitus Aqvarum multarum, & sicut strepitus Venti rapidissimi. 61. Tuba, tanqvam à Domino inflata, frementes aqvæ tanqvam à Domino effusæ, velut imber lætificans, aut ros, & ventus tanqvam à Domino emissus, denunciavit judicium Meretricis magnæ. 62. Audi prodigia, qvæ sub Mundi Vesperam evenient, de Rege illo, qvi per multa jam tempora sese extulit, faciens qvidvis pro voluntate sua, & exaltans honoribus eos, à qvibus tanqvam Rex honoratus fuit. 63. *Facit enim qvicqvid vult, & honoribus mactat eos, qvi se honorant tanqvam Deum: dans cœlum cui vult, & ad infernum detrudens obedire sibi recusantes.* 64. *Hic est ille sine Regina Rex: prohibet enim qvæ præcepit Deus, amorem conjugalem ferre nolens* (cum Deus virum & mulierem pariter ad imaginem suam formârit) *sed amoribus Meretricum, velut Rex sine Regina, se oblectans.* 65. *Corona ejus ex triplici materia, argento, auro, & gemmis, contexta, tripartita est: suntqve tres illius partes tria tempora; Tempus, duo tempora, & dimidium temporis.* 66. *Principium ejus 6, medium 6, finis etiam 6.*

67. *Primùm* 6 designat matutinum Bestiæ tempus, qvô oriebatur Sol ejus, tantum ex se fulgorem emittens, ut ab illo tantùm non omnes sub cœlo stellæ repletæ fuerint: fuitqve fulgor iste tam fervidus, ut arbores etiam profundo langvore prostratæ jacerent ad meridiem usqve. 68. Ubi alterum 6 stat indiruptum, nec dirumpendum vel à Bestia vel à Meretrice. 69. Bestia hæc consilia acceptat à Dracone, sed hæc consilia ab Angelo consilii magni, veluti nebula à Sole, dispellentur. 70. Sunt enim consilia bestialia & belluina: sensum accipientia à Dracone; patrante miracula ex permissu Dei, qvi solus est profunditas & longitudo, & cui soli perspectus est finis rerum omnium. 71. *Tertium* 6, est Vespera Bestiæ, ubi bestialis ejus indoles-

les demum plenè detecta est, Meretrixqve non parum confusa, & Draco suâ spe multum excidit: Flumen enim ejus Terra absorpsit. 72. *Damnationem Meretricis magnæ magnus proclamavit Angelus*, qvem seqvuti alii duo Angeli, unus habens sigillum Dei vivi, qvod fronti Meretricis appressit, & cordi impressit. 73. Unde venit Draconis & Meretricis furor, & data illis est potestas super Angelum hunc, usqve ad tempus, tempora, & dimidium temporis, ut resisterent ei. 74. Sed venit tempus, qvô ultimum illud 6 invertetur (9) ubi Meretrici triplex coronæ suæ materia dissolvetur, & tumida Meretricis Babyloniticæ superbia concidet: qvùm implebuntur dies magni numeri, nempe 2300 dies, à mane ad vesperam numerando. 75. Initium verò horum dierum illud est, qvô Angelus cum Sigillo è qviete suâ evocatus, in distentum Draconis rictum manum immisit, corqve ejus tetigit. 76. Tunc impura illa mulier, tanqvam Meretrix, ad suos fornicatores in terrâ prodiit, & fraudulentiâ fornicationis suæ, qvasi caudâ qvadâm, partem unam & partes duas stellarum post se traxit, inqve Terram dejecit. 77. Angelo autem habenti sigillum magni DEI, dedit Dominus duas alas, avolavitqve in sylvam præparatam sibi à Domino, velut saltum refrigerii: in qvô jacet tanqvam castigatus Leo, cum qvô cæteri etiam Leones lugent, ad tempus, tempora, & dimidium temporis, hoc est 1260 dies; numerando ab ipso fugæ suæ, ex sylvâ aridâ in saltum viridem, initio. 78. Sed finito 21 hebdomadarum termino, (qvæ 147 Septimanis vulgaribus æqvipollent, & in futuro Martio exibunt: finis autem dierum 1260 in Aprili decurret:) initium erit è saltu viridi in sylvam aridam venatum prodeundi. 79. Jehova enim injiciet ignem in Meridionalem opinione viridem sylvam: qvæ qvidem in humanis oculis amæniter viret, sed in oculis Domini sine radice, sine succo, sine foliis, sine tempore jam est. 80. Jam enim septima (id est ultima) contra Meretricem clanxit Tuba: & 6 ejus habet æqvales partes tres, hoc est, tria æqvalia tempora: bis 2 sunt 4; adde 2, erunt 6. 81. Clangit Tubæ sonitus: Exite, ne participetis de damnatione Meretricis: plagæ enim illius magnæ sunt: Plagæ illius venturæ anno uno, Mense uno, die uno, & qvod magis, horâ unâ id exseqvetur manus Jehovæ. 82. Et mox seqvitur Angelus clamans in medio tertii 6: *Cecidit, cecidit!* ubi jam est superbia ejus? 83. *Ecce pars Coronæ illius decidet ab illa! pars altera defringetur! pars tertia eam deseret! hæc est magnæ Meretricis damnatio.* 84. *Postqvam desciverit pars prima, horror invadet potentem qvendam Regem, qvi nihilominus exibit, sed Eqvitatus ejus à magnâ impetetur grandine, & peditatus ejus perniciem sentiet: atqve hæc prima erit potentiæ illius Coronæ ruina.* 85. *Mox succedet partis secundæ confractio, & post hanc desertio Meretricis.*

86. Et exibit Juvenis, habens gladium à Jehova, qvi vocatur *Gladius sanans*, *qvem antecedet præacutus gladius perimens, in manum Occisoris datus*: Et iste Occisor unus est, & tamen septem sunt, unum opus exseqventes unanimiter. 87. Septem isti clangunt per dimidiam horam Pacem, & clangunt etiam ad qvatuor mundi Plagas Bellum, ut detur Meretrici Magnæ Judicium ejus, qvod adversus ipsam tulit Dominus, qvia tempus jam exspiravit. 88. Septem fuerunt, qvi Aqvas suas effuderunt, à qvibus fæcundus factus est thronus Bestiæ: Septem etiam sunt, qvi super thronum Bestiæ effundent phialas horribilium plagarum DEI, plagarum omnium, qvæ scriptæ sunt in Libro.

89. Si-

89. *Signa Bestiæ Septem*: Primum, qvòd sit superba, extollens se super omne qvod in cælo & in terra est. 90. *Secundò* est voluntariè cæca: Lucem enim sacco cilicino violenter intrudit, Scriptura est ipsius Judex. 91. *Tertiò*, non ipsa tantùm ab oculis suis removet lucem, sed & ab illorum Oculis extrudit, qvi Lucis amorem sentiunt. 92. *Qvartò*, imponit velut ingens Bellua minoribus animalibus gravissima, inutilia, cælo nihil profutura onera. 93. *Qvintò*, Mandat invocare eos, qvi juvare non possunt: & adorare illos, qvi à morte liberare neqveunt, & qværere ubi nihil est. 94. *Sextò* adulterat Scripturas, & mandata sua extollit super Divina: spirat altum, & intumescit contra Scripturas, tanqvam ipsissima indurati seminis progenies. 95. *Septimò*, condemnat in infernum, & ex illo rursùm evocat! edicit edictum pro pecunia, canitqve canticum pro pecunia. 96. Nisi Christum & Apostolos audiverint, *Scrutamini Scripturas*, & crediderint hac in vita in Filium Dei, manebunt utique inferno in æternum. 97. Probè id perpende, & lege Scripturas, discesqve Bestiam probè nosse: in Libro Scriptum exstat de ea, de initio throni ejus, & de ruina throni ejus. 98. Ecce enim Thronus ejus igne & gladiô, plagisqve omnigenis, subvertetur à Domino! Tempus calcationis 42 Mensium, sicut & 1260 dierum, citò jam terminabitur. 99. Pariter & qvinqve Menses Tribulationis magnæ, qvibus Leo magnâ cum patientiâ perduravit: intellige universum fidele & patiens Jacobæum semen, qvod sub induratæ illius progeniei potestate, per tempus, tempora, & dimidium temporis, in tentationum igne detentum fuit. 100. At illi biberunt ex Rupe aqvarum copiam profundente, & sanante tentationum plagas: Hæc enim est Rupes proferens solatium, opem, & liberationem. 101. *Ecce Caput morticinum consla vescentibus & contortis crinibus, provolat à Meridiali versus Occasum inclinante plagâ!* intendens potestati suę subigere omnia: sed nihil ejus præter terrorem superest, jam enim fecit qvod debuit. 102. Corpus enim ejus contremiscet, & caput suum de se dejiciet, ipsum verò prostratum jacebit, sangvine se volutans per horas tres cum dimidia: & lugebit Bestia, & ejulabunt, qvi se illi Capiti pascendos commiserant. 103. Caput autem turbinis instar se jactabit, & horrorem multis incutiet: sed paratum illi est sepulchrum inter duas rupes. 104. *In die funerationis ejus ruet Vir quidam in gladium proprium, propterea qvòd eum adversus qvandam innocentem animam evaginavit, & pastus fuit cibô Bestiæ, qvem ipsa evomuerat, pro singularibus habens deliciis: cùm tamen hoc ipso indigesto cibo Bestiæ corpus agitatum fuerit, ut caput suum retinere non posset.* 105. Caput proinde istud mortuum jam est, super qvod Meretrix horrore coram Domino perculsa & obstupefacta stabit. 106. Nam Leo prævalidè adversus caput hoc rugit, qvod pastum Bestiæ suppeditabat, per tempus, tempora, & dimidium temporis: habetqve porrò ad clausulam 2300 dies, postea finis erit, qvi in medium illorum ter 2 (trium æqvalium temporum) veniet. 107. Qvibus adde 2300 (erit 2900) auferqve iterum nullas (0-0) remanebit 29, verum ostendens exitum omnium horum, qvæ tibi dudum loqvuti sumus. 108. Ecce loqvimur sermones difficiles! de magna illa Bellua, recumbente in monte qvodam ad mare sito! 109. Hæc Bellua est, qvia belluinum habet cor, & belluinas fert leges, & vivit ut bellua. 110. Hæc venam è proprio corpore extractam dimisit inter Principes & Magnates, qvasi

N rem

rem sacratissimam: Sed in venâ illâ nati sunt vermes, & nascentur porrò, eamqve perforabunt penitùs. 111. Et derelinqvent hanc Bestiam vires, robur, gloria, pompa, & insignes divitiæ suæ. 112. Bestia hæc, insidensqve illi Meretrix, Poculum habet, ex qvo potum præbet triplici modô: *primò* blandis & mellitis sermonibus; *Secundò*, muneribus & honorariis. 113. Qvi verò duplici hôc mediô ut bibat allici non patitur, is demum qvid illa sciat & possit experiri necesse habet: nempe coactiones, torturas, neces, & alia malignæ bestialitatis facinora. 114. O Tu superba, & supra omnem modum fastu inflata Bellua, Venatores tui à Domino emissi ecce jam adventant! conculcaturi, sicuti tu conculcabas; & territaturi, sicuti tu territabas; & persecuturi, sicuti tu perseqvebaris: & prædaturi Te, sicuti tu prædabaris; & gavisuri super te, sicuti Tu gaudere solita fuisti de aliis. 115. Ecce mysteria, resqve absconditas tibi loqvimur! Consigna eas diligenter, & nos te iterum visitabimus. 116. Sed cave nos qvæstiunculis lacessas, ne te prosternat Leo de Tribu Juda. 117. Utqve certior existas, non malos esse nos sed bonos Angelos, relinqvimus Tibi hoc dictum: *Sic Deus dilexit Mundum* &c. 118. Tùm additô: *Discede in Pace DEI*, disparuerunt.

CAP. XXIV.

[*De Diluvio ira triduanum colloqvium*, 1. *Plenior Bestia & Meretricu descriptio*, 10. *Septem Tubæ clangunt*, 24. *Septemque Tonitrua loqvuntur*, 54. *Interspergentur tria VÆ super Bestiam*, 38, 44, & 79. *Visio Magna Navis, qvasi mergentis, & mox liberata*, 114. *Leonisque quadricipitis*, 122.]

EJusdem Anni, Aprilis 11, Sprottaviâ Saganum tendentem accesserunt iidem, salutem impertiti his verbis: Qvi surrexit à mortuis Christus Jesus, det tibi pacem, gratiam, benedictionem! Tu autem resuscitatum Dominum adora, & diligenter attende! 2. Ventus à qvatuor mundi plagis in unum coëgit validas Nubes, ex qvibus magna fulgura, terribilia fulmina, horrendiqve Terræ motus provenient, & jam provenerunt, à mutis & occultis peccatis Mundi hujus coactas. 3. *O qvanti imbres, & grandines, lapidesqve tanqvam centumpondia, ruent, & irruerunt jam, ruentqve subitò, Gladius, Ignis, Sangvis.* 4. Gladius expolitus & in manum percussoribus datus, percutere debet, multumqve sangvinis effundere. 5. Gladius hic properat in sylvam aridam, cædit ac secat indiscriminatim: ignis verò vim habet urendi, & circa se omnia vastandi, ut diluvium solet. 6. Gladius hic ille est, de qvô jam antè diximus Tibi: & Diluvium hoc illud de qvo diximus. 7. Ab Oriente & Septentrione veniet utrumqve id: nos igitur te ad ea, qvæ supra de his dicta sunt, remittimus. 8. Nunc per tres continuos dies tibi loqvi habemus, cras facturi initium.

9. Ergò Aprilis 12 & 13 reversi (juxta condictum) in campum ita compellarunt. 10. Attende summâ diligentiâ, qvid tibi de Bestia illa porrò loqvuturi sumus. 11. Bestia ex Abysso progressa monstrosa est Bellua: licet bellua videri non vult, est tamen: habens capita septem & cornua decem: qvi septem & decem cornua sustentant. 12. Et Mulier magnæ fornicationis insidens Bestiæ tendit ad abyssum, Poculum abominationis habens in manu sua, in qvod Bestia illa impuram suam aqvam, (sicut impurum pecus) immisit. 13. Ex hoc blasphemiæ poculo, cui Bestia impuram suam immisit aqvam, biberunt Reges Terræ, & inebriati sunt, abieruntqve ut Bellum gererent cum Agno,

gno, & debellarent eum. 14. Sunt enim mancipia Bestiæ, qvibus illa innixa confidit robori suo: hæc sunt septem illa ejus capita & decem cornua. 15. Septem qvoqve Capita sunt septem montes, super qvos Bestia pascitur, ex qvibus accipit robur, qvibus impingvata, eluxuriata, & inflata facta est. 16. Propterea Dominus qvendam emittit, atqve is jam in via est, qvi Bestiam mactabit, & pingvedinem ejus inter pauperes dividet: Ita enim mandavit Dominus. 17. Bibit autem hæc ipsa Bestia de aqvis illis multis, super quas sedet Mulier: sed Jehova excitabit ab Oriente & Septentrione ventos, qvi aqvas illas spatio temporis, temporum, & dimidii temporis, exsiccabunt. 18. Continebit enim Jehova omnem pluviam & rorem per 42 Menses, hoc est, tres annos cum dimidio: eritqve siccitas magna, per qvam etiam impuræ illius Mulieris ubera exarescent, ut Reges Terræ ampliùs lactare, & lacte fornicationis suæ exhilarare, neqveat. 19. *Lac Tuum, ô Bestia, in sangvinem conversum est! Pascua Tua, ô pecus, adimentur tibi jam citò!* 20. *Qvinqve Montes tui subversi, & in vallem Jehovæ præcipitati sunt: in qvibus Tu per tempus, tempora, & dimidium temporis pascua Tua habuisti, & pavisti te usqve ad satietatem & pingvedinem.* 21. *Sed Venæ corporis Tui diruptæ sunt: nemo est, qvi sanare Te possit, qvia vulneravit Te Dominus.* 22. *Unus ex postremis duobus Montibus ad exiguum tempus Te pavit, sed & ipse jam qvoqve in vallem Jehovæ dejectus est: pavit Te, cogitavitqve tibi bene in futurum prospicere, tibiqve offerre Montem alium, qvò pascereris.* 23. *Sed Mons iste ita te amat, ut te ad sepulchrum etiam tuum delaturus sit: pascit enim te pro tuo velle, & omnem potentiam suam tradit Tibi, paramqve cum illo reliqva etiam decem cornua prodire ad perseqvendum eos qvi Agnum seqvi volunt, non exiguo ob id terrore perculsos.*

24. Sed habet etiam Agnus septem cornua, & loqvitur ad septem, ut se præparent celeriter, Tubisqve clangant. 25. *Prima Tuba: Ah Væ, lamenta, & luctuosa tempora!* 26. Primus clanxit, & tamen nondum clanxit, clanget demum super Terram grandinem, ignem & sangvinem: Ab isto clangore tertia pars magnæ Arboris & apparenter viridis graminis, qvasi ambusta reddetur. 27. *Secunda Tuba: Ah Væ, lamenta, & luctuosa tempora!* 28. Secundus etiam clanxit, & clangere demùm debet, à qvo clangore mons qvidam in vallem Domini præcipitabitur & ardebit sicut ignis, mutabitqve aqvas, de qvibus Bestia bibit, in sangvinem. 29. Et morietur juxta Bestiam tertia pars Piscium in mari, qvi reti Evangelii capi noluerunt: similiterqve tertia Navium pars mergetur, qvæ in gratiam Bestiæ navigationes suscipiebant. 30. *Tertia Tuba: Ah væ, lamenta, & luctuosa tempora!* 31. Tertius etiam clanxit demumqve clangere debet, & cadet de cœlo Stella magna, lucem de se sparsura eximiæ facis instar, fulgoreqve suo penetratura fluviorum alveos, & fontium profunditates, convertetqve tertiam partem aqvarum Bestiæ in absynthium! 32. Est enim & vocatur *Stella Absynthii*, & vocatur etiam *Væ*: qvia Væ inducet in thronum Bestiæ, & eos qvi puteum fodiebant Bestiæ, & non Agno. 33. Multi autem sub tempus clangoris istius in grave deliqvium incident: multi etiam ab aqvarum amaritudine morientur.

34. *Qvarta Tuba: Ah Væ, lamenta, & luctuosa tempora!* 35. Qvartus etiam clanxit, demumqve clanget: qvô clangore percutietur tertia portio Solis Bestiæ, & Luna ac Stellæ splendentes tertiæ partis Bestiæ tenebrescent. 36. Et

qvod majus est, neqve nox neqve dies lucebit Bestiæ, tertia pars ita obtenebrabitur. *Ah væ, lamenta, & luctuosa tempora!* 37. *Ah* attende, & audi diligenter! Angelus volavit per medium cæli, clamans voce Tonitrui: Fulminavit jam dudum, extollens vocem suam ad omnes terræ habitatores, Væ, Væ, Væ! 38. *Væ primum*, qvando primum illud 6 (intellige ex illis 666) divisum fuerit, sed divisum jam est, & dividetur citò, in 1, & in 2, & in 3. 39. Divisum jam semel est tunc, qvùm ingressus est Leo in Domum illam, cujus parietes tremunt. 40. Non præviderat enim morsum Serpentis, & qvod à tetrâ illâ Bestiâ perseqvendus adeò esset: ex qvo prodiit Væ super illos qvi Agnum secuti sunt. 41. Sed ille morsum hunc patienter fert, neqve nimios sentit dolores, acceptis refrigerantibus, ab Oriente & Septentrione, emplastris. 42. Hoc est primum illud Væ, qvod se per qvatuor mundi plagas diffundit, etiam super maria & aqvas, & tangit ipsum Solem, Lunam & Stellas, divitesqve hujus mundi. 43. Qvàm mirabiliter implentur mysteria operum Dei! 44. *Væ secundum est*, qvod per Orbis medium transit, tanqvam grave ferreum jugum: & hoc Væ tantum est, qvantum non fuit, ex qvô Terram inhabitare cœperunt homines. 45. Alterum enim 6 locô suô dejici oportet. 46. Istud Væ jam venit, & tamen nondum venit, sed veniet celeriter ac subitò. 47. Nam illud 6 jam per 9, usqve ad 8, & qvod magis à 7 usqve ad 6, dejectum est. 48. Idqve per lapides ingentes veluti centenarios, & velut lapides molares, conterentes omnia qvæ conteri mandavit Dominus. 49. Et veluti per Angelos fortes à Domino potentiam, robur & fortitudinem habentes ad infligendum Bestiæ plagas magnas, qvæ tamen rursus consanatæ fuerunt. 50. Tempora plagarum Bestiæ (infligendarum) sunt hæc: attende!

1329. 1428. 1527. 1626.	circa hæc tempora evenire necesse est, septem annis antè, & tribus annis pòst.

51. Numeri continent singuli 42, hôc modô dispositi:

13	14	15	16
29	28	27	26
42	42	42	42

52. Nunc autem Bestiæ plaga infligetur talis, qvæ sanari non poterit: Juravit enim Angelus non futurum jam amplius tempus, præter tempus unum, duo tempora, & dimidium temporis. [illegible]
audientur Voces, Tonitrua, [illegible]
motus: & Væ secundum ru[illegible]
impetu, nempe evomition[illegible]
poc. 3. 16.) Exite qvi no[illegible]
54. Aspice & attende! *D*[illegible]
tur septem Tonitrua, [illegible]
gnatæ fuerunt usqve ad [illegible]
ra, & dimidium temporis.

55. Tonitru primum: [illegible]
qvit Meretrix: *Sedeo Reg*[illegible]
tem non videbo. 56. Resp. N[illegible]
bi dicimus: Te esse male[illegible]
filiam, sororem Jesabel, [illegible]
meos doces fornicari, & sacrifica[illegible]
lis: ipsa verò in sepulcro adulterii profundè sepulta hæres. 57. Propterea veniet super Te Jehu, qvi servavit fidem mihi, qvousqve non venero. 58. Huic ego virgam ferream dabo in manus, & conteram tibi omnia cornua tua. 59. Cecidisti enim, & cadere habes subitò.

60. Tonitru secundum: *Ego qvicqvid volo possideo*, inqvit Meretrix: *Sedeo enim super aqvas, & lavo splendidè.* 61. Resp.

Ah!

Ah! novi ego ubi tu habites! In Satanæ throno est habitaculum tuum. Habes doctrinam Balaami, compellis edere immolata idolis, & scortaris perpetuò, fucatam agens pænitentiam. 62. Sed Dominus qvi pugnavit contra Te gladiô oris sui, ille idem Dominus gladiô Te prosternet: ille faciet hoc! 63. Qvi vicerit, ei Dominus dabit edendum de mannâ forti, ex qvâ accipiet robur & fortitudinem, & prosternet te humi: qvemadmodum faciebas Tu aliis, ita faciet Dominus Tibi. 64. Tu interfecisti duos fideles Testes, sed ipsi adipiscentur nomen novum, qvod Tu non nosti: Tu enim indurata es, qvemadmodum frater tuus, qvi in rubrô suô lavacrô sibi à Domino paratô, submersus est. 65. Lava proinde Tu tantum splendidè! invenientur qvi te siccabunt, [illegible] veniunt, ab Oriente & Aqvilone. [illegible] onitru tertium: *Ego vivo*, in-[illegible]rix, & *non sum mortua, per-*[illegible]*mate qvem volo, qvis mihi si-*[illegible]7. Resp. Tu vivere te dicis, [illegible]us, & ad mortem ducas il-[illegible]tæ desiderium tenet? hos [illegible] carcere, neqve adhuc pæ-[illegible]is. 68. Sed ecce ego ve-[illegible] Te sicut fur, horâ qvam tu [illegible] etiamsi tu anathemate percu-[illegible]cunqve vis, neminemqve tibi [illegible]milem arbitreris. 69. Qvi viderit, [illegible] dabo stolam candidam, & mittam eum super te, ut cognoscas me esse illum qui te prosterno.

70. Tonitru qvartum: *Ego sum dives, & potens, & nihil est qvod desiderem, abundo enim omnibus.* 71. Resp. Ah divitiæ tuæ sunt sicut gramen Campi, & potentia tua sicut nihil. 72. Qvicqvid enim habes, non tuum est: Cornua tua id Tibi subministrârunt, eadem à te repetent, & te desertam, opibusqve spoliatam, pauperem, nudam, miseram, relinqvent. 73. Tam pauper es Tu, ut dici non possit: & tamen ais, Omnium abundè habeo, cùm habeas nihil. 74. Non enim emisti tibi aurum juxta consilium meum, sed juxta arbitratum tuum: dicis te abundè habere, cùm tibi non emeris aurum perpurgatum ex thesauro meo, sisqve mendax. 75. Propterea detegam pudenda tua, ut ea videant omnes super Terram Nationes, juvenes & virgines: & qvi te sanabant, iidem Tibi rursum vulnera infligent. 76. *Decem cornua Tua excitabo contra te, qvi carnem tuam vorabunt tanqvam rabiosi famelici canes:* qvia noluisti venire ad Cœnam meam, sed pulsas fores illas, ubi nulla est apertio. 77. Ideò te comburam igne, & dabo tibi mercedem, qvam prænuntiari Tibi jussi per Verbum meum. 78. Sed tamen inunge cor tuum, & protere oculos tuos Scripturis Propheticis, Christi, & Apostolicis: hoc tibi à me sit consilium.

79. Audi jam *Væ tertium*, quod venit & tamen nondum venit, sed veniet subitò: qvia inversio tertii 6 appropinqvat validè. 80. Væ habitantibus in Meridie! Væ montibus illis, super qvos pasta fuit Bestia, quibus immisit impuram suam aqvam! Væ montibus illis, Væ & ipsi Bestiæ! 81. Excitabit enim Dominus montem unum adversus alterum: septem cornua Agni perforabunt montes istos magnos, perdenturqve & peribunt Bestiæ pascua sua. 82. Magnusqve Agni mons exsiccabit magnas istas Aqvas, super qvas Meretrix sedet: nempe magnos Populos, & Gentium multitudinem, qvas conturbabit Dominus, ut cæpta exseqvi non possint. 83. Nam præ manibus est tempus, ut invertatur tertium 6: & tunc fient Fulgura, Grandines, & ingentes Terræ motus. 84. Aqvæ enim, super qvas se-

qvod majus est, neqve nox neqve dies lucebit Bestiæ, tertia pars ita obtenebrabitur. *Ah væ, lamenta, & luctuosa tempora!* 37. *Ah* attende, & audi diligenter! Angelus volavit per medium cæli, clamans voce Tonitrui: Fulminavit jam dudum, extollens vocem suam ad omnes terræ habitatores, Væ, Væ, Væ! 38. *Væ primum*, qvando primum illud 6 (intellige ex illis 666) divisum fuerit, sed divisum jam est, & dividetur citò, in 1, & in 2, & in 3. 39. Divisum jam semel est tunc, qvùm ingressus est Leo in Domum illam, cujus parietes tremunt. 40. Non præviderat enim morsum Serpentis, & qvod à tetrâ illâ Bestiâ persеqvendus adeò esset: ex qvo prodiit Væ super illos qvi Agnum secuti sunt. 41. Sed ille morsum hunc patienter fert, neqve nimios sentit dolores, acceptis refrigerantibus, ab Oriente & Septentrione, emplastris. 42. Hoc est primum illud Væ, qvod se per qvatuor mundi plagas diffundit, etiam super maria & aqvas, & tangit ipsum Solem, Lunam & Stellas, divitesqve hujus mundi. 43. Qvàm mirabiliter implentur mysteria operum Dei! 44. *Væ secundum est*, qvod per Orbis medium transit, tanqvam grave ferreum jugum: & hoc Væ tantum est, qvantum non fuit, ex qvô Terram inhabitare cæperunt homines. 45. Alterum enim 6 locô suô dejici oportet. 46. Istud Væ jam venit, & tamen nondum venit, sed veniet celeriter ac subitò. 47. Nam illud 6 jam per 9, usqve ad 8, & qvod magis à 7 usqve ad 6, dejectum est. 48. Idqve per lapides ingentes veluti centenarios, & velut lapides molares, conterentes omnia qvæ conteri mandavit Dominus. 49. Et veluti per Angelos fortes à Domino potentiam, robur & fortitudinem habentes ad infligendum Bestiæ plagas magnas, qvæ tamen rursus consanatæ fuerunt. 50. Tempora plagarum Bestiæ (infligendarum) sunt hæc: attende!

1329.
1428.
1527.
1626. } circa hæc tempora evenire necesse est, septem annis antè, & tribus annis pòst.

51. Numeri continent singuli 42, hôc modô dispositi:

13	14	15	16
29	28	27	26
42	42	42	42

52. Nunc autem Bestiæ plaga infligetur talis, qvæ sanari non poterit: Juravit enim Angelus non futurum jam amplius tempus, præter tempus unum, duo tempora, & dimidium temporis. 53. Jam audientur Voces, Tonitrua, Terræqve motus: & Væ secundum ruit valido cum impetu, nempe evomitionis tempus. (Apoc. 3. 16.) Exite qvi non vultis evomi. 54. Aspice & attende! *Diebus istis loqvuntur septem Tonitrua, qvorum voces obsignatæ fuerunt usqve ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.*

55. Tonitru primum: *Non timeo*, inqvit Meretrix: *Sedeo Regina, & Viduitatem non videbo.* 56. Resp. Nos autem Tibi dicimus: Te esse maledicti Regis filiam, sororem Jesabel, qvæ servos meos doces fornicari, & sacrificare Idolis: ipsa verò in sepulcro adulterii profundè sepulta hæres. 57. Propterea veniet super Te Jehu, qvi servavit fidem mihi, qvousqve non venero. 58. Huic ego virgam ferream dabo in manus, & conteram tibi omnia cornua tua. 59. Cecidisti enim, & cadere habes subitò.

60. Tonitru secundum: *Ego qvicqvid volo possideo*, inqvit Meretrix: *Sedeo enim super aqvas, & lavo splendidè.* 61. Resp.

Ah!

Ah! novi ego ubi tu habites! In Satanæ throno est habitaculum tuum. Habes doctrinam Balaami, compellis edere immolata idolis, & scortaris perpetuò, fucatam agens pænitentiam. 62. Sed Dominus qvi pugnavit contra Te gladiô oris sui, ille idem Dominus gladiô Te prosternet: ille faciet hoc! 63. Qvi vicerit, ei Dominus dabit edendum de mannâ forti, ex qvâ accipiet robur & fortitudinem, & prosternet te humi: qvemadmodum faciebas Tu aliis, ita faciet Dominus Tibi. 64. Tu interfecisti duos fideles Testes, sed ipsi adipiscentur nomen novum, qvod Tu non nosti: Tu enim indurata es, qvemadmodum frater tuus, qvi in rubrô suô lavacrô sibi à Domino paratô, submersus est. 65. Lava proinde Tu tantum splendidè! invenientur qvi te siccabunt, jamqve veniunt, ab Oriente & Aqvilone.

66. Tonitru tertium: *Ego vivo*, inqvit Meretrix, *& non sum mortua, percutio anathemate qvem volo, qvis mihi similis est?* 67. Resp. Tu vivere te dicis, cùm sis mortua, & ad mortem ducas illos, qvos vitæ desiderium tenet? hos tu detines in carcere, neqve adhuc pænitentiam agis. 68. Sed ecce ego veniam super Te sicut fur, horâ qvam tu non nosti: etiamsi tu anathemate percutias qvemcunqve vis, neminemqve tibi esse similem arbitreris. 69. Qvi vicerit, ei dabo stolam candidam, & mittam eum super te, ut cognoscas me esse illum qui te prosterno.

70. Tonitru qvartum: *Ego sum dives, & potens, & nihil est qvod desiderem, abundo enim omnibus.* 71. Resp. Ah divitiæ tuæ sunt sicut gramen Campi, & potentia tua sicut nihil. 72. Qvicqvid enim habes, non tuum est: Cornua tua id Tibi subministrârunt, eadem à te repetent, & te desertam, opibusqve spoliatam, pauperem, nudam, miseram, relinqvent. 73. Tam pauper es Tu, ut dici non possit: & tamen ais, Omnium abundè habeo, cùm habeas nihil. 74. Non enim emisti tibi aurum juxta consilium meum, sed juxta arbitratum tuum: dicis te abundè habere, cùm tibi non emeris aurum perpurgatum ex thesauro meo, sisqve mendax. 75. Propterea detegam pudenda tua, ut ea videant omnes super Terram Nationes, juvenes & virgines: & qvi te sanabant, iidem Tibi rursum vulnera infligent. 76. *Decem cornua Tua excitabo contra te, qvi carnem tuam vorabunt tanqvam rabiosi famelici canes*: qvia noluisti venire ad Cœnam meam, sed pulsas fores illas, ubi nulla est apertio. 77. Ideò te comburam igne, & dabo tibi mercedem, qvam prænuntiari Tibi jussi per Verbum meum. 78. Sed tamen inunge cor tuum, & protere oculos tuos Scripturis Propheticis, Christi, & Apostolicis: hoc tibi à me sit consilium.

79. Audi jam *Væ tertium*, quod venit & tamen nondum venit, sed veniet subitò: qvia inversio tertii 6 appropinqvat validè. 80. Væ habitantibus in Meridie! Væ montibus illis, super qvos pasta fuit Bestia, quibus immisit impuram suam aqvam! Væ montibus illis, Væ & ipsi Bestiæ! 81. Excitabit enim Dominus montem unum adversus alterum: septem cornua Agni perforabunt montes istos magnos, perdenturqve & peribunt Bestiæ pascua sua. 82. Magnusqve Agni mons exsiccabit magnas istas Aqvas, super qvas Meretrix sedet: nempe magnos Populos, & Gentium multitudinem, qvas conturbabit Dominus, ut cæpta exseqvi non possint. 83. Nam præ manibus est tempus, ut invertatur tertium 6: & tunc fient Fulgura, Grandines, & ingentes Terræ motus. 84. Aqvæ enim, super qvas se-

det Meretrix, circumfuderunt eam, & ipſa implevit eas ſcortatione ſuâ, & eò deduxit, ut ſuſciperent prælia contra Agnum, animo debellandi Eum & ſemen ejus. 85. Mulier hæc ineqvitat Beſtiæ decem cornuum, qvorum robori innititur: ſed Cornua illam deſerent, vaſtabunt, perdent. 86. *Ibit tamen adhuc Mulier, reliqvias ſeminis Agni oppugnatum, ut eas perdat: Venientqve adhuc tericula qvædam ſuper eos, qvi Agnum ſeqvuntur.* 87. *Sed Agnus habet invicta ſeptem cornua, & ſeptem Oculos:* (1) Dominus & Rex Regum omnium. (2) Dominus cujus manui incluſa ſunt omnia. (3) Dominus juſtitiæ. (4) Dominus roboris. (5) Dominus qvi verax eſt, implens ea qvæ revelat ſervis ſuis. (6) Dominus Admirabilis, plenus ſapientiæ. (7) Dominus omnipotens, horrendus robore, potens facere, qvæ vult, omnia. 88. Habet etiam Agnus *Septem Oculos*, qvibus aſpicit humiles, & erigit pauperes, & intuetur omne qvod elatum eſt coram mundo, ut confundat illud. 89. Aperit & *Septem ſigilla*, recluditqve myſteria magna. 90. *Prodigium in Terris magnum! Agnus cum Septem Cornibus vincit Beſtiam cum decem Cornibus.* 91. Majus adhuc prodigium! Draco emiſit ignem velut torrentem ad abſorbendum mulierem habentem puerulum innocentem, cum qvo profugit, geſtata ſub alis Jehovæ, in locum, ubi Dominus viduæ cuidam alere ipſam mandavit, ad tempus, tempora, & dimidium temporis. 92. Redibitqve, geſtata alis Jehovæ, in Domum illam cujus parietes tremunt. Ideò calamitates valido impetu ruunt adhuc.

[N. B. Hæc loqvuti fuêre Juvenes, totidem verbis, 12 & 13 Aprilis: qvæ autem ſeqvuntur, tantum decimâ tertiâ.]

93. Attende porrò, & audi tres illos, qvi adhuc Tubis clangere debent.

94. *Qvinta Tuba!* Primus eorum clanxit: & ecce miræ magnitudinis ſtella decidit in Terram, attulitqve multitudinem vermium, ad pungendum & affligendum homines Menſibus qvadraginta duobus. 95. Multiformis hæc afflictio, qvam attulit ſtella, deſcribi non poteſt: plagæ enim, de qvibus Tibi antea dictum, jam venient cum impetu.

96. *Sexta Tuba!* Secundus clanxit: & à clangore illius ſolventur qvatuor illi Angeli ad magnum flumen Euphraten ligati. 97. Nam cingulum & vinculum illud, qvô ligati fuerant, computruit: En jam liberi ſunt, jam prodeunt in ſuperficiem terræ, parati ad horam, & diem, & menſem, & annum, ad opus unanime cum Sep[illegible] ſeqvendum: qvia [illegible] thronum Beſtiæ [illegible] de & audi! Pri[illegible] licet Tubæ) ad[illegible] ſecundus (ſex[illegible] adventabunt [illegible] bus prædict[illegible]

99. *Septim*[illegible] Vos, qvi ſeq[illegible] enim tertius, [illegible] gat, & audian[illegible] gnus, qvi vicit, [illegible] ſapientiam, robur, [illegible] riam in Terris. 100. [illegible] tis! Vicit Leo, qvi aperire [illegible] 7 ſigilla, & effundere jubet 7 phialas iræ ſuæ.

101. Tonitru qvintum: *Ego ſum ſtella inſignis, qvis deturbabit me?* 102. Reſp. Jehova id faciet robore ſuo, ab Oriente & Septentrione. Hi enim ſunt ſervi mei, exſeqventes mandatum meum. 103. Qvamvis Tu Tibi ſedem altè poſuiſti, deturbari tamen debes: qvamvis Tu ſuperba ſis, docebunt Te tamen humilitatem ſervi mei. 104. Gladius enim expolitus eſt & exacutus, & cædit in ſylva

sylva ut securis ligna: ab Ortu, Occasu, Meridie, & Septentrione, resonat Gladius, instar Tubæ tonantis. 105. Trajicientqve se invicem illi qvatuor Gladii ita, qvomodo ventus turbinis pulverem trajectat, Orientalis tamen & Septentrionalis gladius reportabunt Victoriam, juxta verbum Domini.

106. Tonitru sextum: *Pavesco stellam istam magnam:* (vox est Ecclesiæ.) 107. Resp. Ne paveas! Ego stellam hanc, qvantumvis magna & potens sit, impetuoso turbine deturbabo. 108. Pugnabo enim adversus illam, & mittam super eam ignem furoris mei, & conteram illam sicut conterere solet prædam suam Leo: & perseqvar eam, sicut Venator perseqvitur feram, consternationem & metum immittam ei. 109. *Qvi eam fulciunt, hos ego dementabo, & confundam, & permutabo ipsis claves, & percutiam ipsos cæcitate, ut non videant Venatorem, qvem super eos mitto.* 110. Maledictus sit qvi servit Idolis, & non agit pænitentiam.

111. Tonitru septimum: *Exultate jam cæli: Stella amisit fulgorem suum.* 112. O Tu splendida stella, qvomodo sic cecidisti? qvomodo amisisti splendorem Tuum? Qvomodo stella vespertina facta es, qvæ priùs fulgida, meridionalisqve stella eras? Ecce Dominus deturbavit Te! 113. Atqve cum istis Sermonibus eòdem Te remittimus, qvò antè. Cras autem plura Tibi significabimus.

114. Postridie igitur (Aprilis 14) reversi ad ipsum dixerunt. *Ne metuas, nihil Tibi mali eveniet.* 115. Et mox eò momentò delatus est Christophorus (cum utroqve illo comite suo) in Navim



qvandam in[illegible], [illegible] citate summa ferri, nihil præter aqvam circa se videns. 116. Cum autem Navis illius magnitudinem admiraretur, in- [illegible] se in aqva cingulotenus stantem conspexit, adeò multum aqvæ Navis hauserat. Ille autem de siccandis rursum vestimentis sollicitus esse cœpit. 117. Sed

ecce

det Meretrix, circumfuderunt eam, & ipsa implevit eas scortatione suâ, & eò deduxit, ut susciperent prælia contra Agnum, animo debellandi Eum & semen ejus. 85. Mulier hæc ineqvitat Bestiæ decem cornuum, qvorum robori innititur: sed Cornua illam deserent, vastabunt, perdent. 86. *Ibit tamen adhuc Mulier, reliqvias seminis Agni oppugnatum, ut eas perdat: Venientqve adhuc tericula qvædam super eos, qvi Agnum seqvuntur.* 87. *Sed Agnus habet invicta septem cornua, & septem Oculos:* (1) Dominus & Rex Regum omnium. (2) Dominus cujus manui inclusa sunt omnia. (3) Dominus justitiæ. (4) Dominus roboris. (5) Dominus qvi verax est, implens ea qvæ revelat servis suis. (6) Dominus Admirabilis, plenus sapientiæ. (7) Dominus omnipotens, horrendus robore, potens facere, qvæ vult, omnia. 88. Habet etiam Agnus *Septem Oculos*, qvibus aspicit humiles, & erigit pauperes, & intuetur omne qvod elatum est coram mundo, ut confundat illud. 89. Aperit & *Septem sigilla*, recluditqve mysteria magna. 90. *Prodigium in Terris magnum! Agnus cum Septem Cornibus vincit Bestiam cum decem Cornibus.* 91. Majus adhuc prodigium! Draco emisit ignem velut torrentem ad absorbendum mulierem habentem puerulum innocentem, cum qvo profugit, gestata sub alis Jehovæ, in locum, ubi Dominus viduæ cuidam alere ipsam mandavit, ad tempus, tempora, & dimidium temporis. 92. Redibitqve, gestata alis Jehovæ, in Domum illam cujus parietes tremunt. Ideò calamitates valido impetu ruunt adhuc.

[N. B. Hæc loqvuti fuere Juvenes, totidem verbis, 12 & 13 Aprilis: qvæ autem seqvuntur, tantum decimâ tertiâ.]

93. Attende porrò, & audi tres illos, qvi adhuc Tubis clangere debent.

94. *Qvinta Tuba!* Primus eorum clanxit: & ecce miræ magnitudinis stella decidit in Terram, attulitqve multitudinem vermium, ad pungendum & affligendum homines Mensibus qvadraginta duobus. 95. Multiformis hæc afflictio, qvam attulit stella, describi non potest: plagæ enim, de qvibus Tibi antea dictum, jam venient cum impetu.

96. *Sexta Tuba!* Secundus clanxit: & à clangore illius solventur qvatuor illi Angeli ad magnum flumen Euphraten ligati. 97. Nam cingulum & vinculum illud, qvô ligati fuerant, computruit: En jam liberi sunt, jam prodeunt in superficiem terræ, parati ad horam, & diem, & mensem, & annum, ad opus unanime cum Septentrionalibus exseqvendum: qvia Poculum iræ super thronum Bestiæ effusum est. 98. Attende & audi! Primus clangor (qvintæ scilicet Tubæ) adferet lamentabiles plagas: secundus (sextæ Tubæ) nihil boni, qvùm adventabunt illa millena millia, de qvibus prædictum Tibi est.

99. *Septima Tuba!* Sed nolite tristari Vos, qvi seqvuti estis Agnum! Clanxit enim tertius, venitqve tempus ut clangat, & audiantur voces, & accipiat Agnus, qvi vicit, potentiam, divitias, sapientiam, robur, honorem, & gloriam in Terris. 100. Proinde ne metuatis! Vicit Leo, qvi aperire potest 7 sigilla, & effundere jubet 7 phialas iræ suæ.

101. Tonitru qvintum: *Ego sum stella insignis, qvis deturbabit me?* 102. Resp. Jehova id faciet robore suo, ab Oriente & Septentrione. Hi enim sunt servi mei, exseqventes mandatum meum. 103. Qvamvis Tu Tibi sedem altè posuisti, deturbari tamen debes: qvamvis Tu superba sis, docebunt Te tamen humilitatem servi mei. 104. Gladius enim expolitus est & exacutus, & cædit in sylva

ſylva ut ſecuris ligna: ab Ortu, Occaſu, Meridie, & Septentrione, reſonat Gladius, inſtar Tubæ tonantis. 105. Trajicientqve ſe invicem illi qvatuor Gladii ita, qvomodo ventus turbinis pulverem trajectat, Orientalis tamen & Septentrionalis gladius reportabunt Victoriam, juxta verbum Domini.

106. Tonitru ſextum: *Paveſco ſtellam iſtam magnam:* (vox eſt Eccleſiæ.) 107. Reſp. Ne paveas! Ego ſtellam hanc, qvantumvis magna & potens ſit, impetuoſo turbine deturbabo. 108. Pugnabo enim adverſus illam, & mittam ſuper eam ignem furoris mei, & conteram illam ſicut conterere ſolet prædam ſuam Leo: & perſeqvar eam, ſicut Venator perſeqvitur feram, conſternationem & metum immittam ei. 109. *Qvi eam fulciunt, hos ego dementabo, & confundam, & permutabo ipſis claves, & percutiam ipſos cæcitate, ut non videant Venatorem, qvem ſuper eos mitto.* 110. Maledictus ſit qvi ſervit Idolis, & non agit pænitentiam.

111. Tonitru ſeptimum: *Exultate jam cæli: Stella amiſit fulgorem ſuum.* 112. O Tu ſplendida ſtella, qvomodo ſic cecidiſti? qvomodo amiſiſti ſplendorem Tuum? Qvomodo ſtella veſpertina facta es, qvæ priùs fulgida, meridionaliſqve ſtella eras? Ecce Dominus deturbavit Te! 113. Atqve cum iſtis Sermonibus eòdem Te remittimus, qvò antè. Cras autem plura Tibi ſignificabimus.

114. Poſtridie igitur (Aprilis 14) reverſi ad ipſum dixerunt. *Ne metuas, nihil Tibi mali eveniet.* 115. Et mox eô momentô delatus eſt Chriſtophorus (cum utroqve illo comite ſuo) in Navim



qvandam in[illegible], [illegible] citate ſumm[illegible] ferri, nihil præter aqvam circa ſe videns. 116. Cum autem Navis illius magnitudinem admiraretur, in[illegible] ſe in aqva cingulotenus ſtantem conſpexit, adeò multum aqvæ Navis hauſerat; Ille autem de ſiccandis rurſum veſtimentis ſollicitus eſſe cœpit. 117. Sed

ecce

ecce conspexit se cum Navi suâ ad ipsissimum littus, supra littus autem Rupem horrendam, & circa illam hominum multitudinem, supra & infra illam cædentium, magnaqve saxa devolventium. 118. Donec & ipsa tandem Rupes suffossa undiqve in Aqvam caderet, tantô impetu, ut se prorsus unà cum Navi subverti Christophorus putaret: Sed ecce mox se littori expositum vidit.

119. Ab hac ecstasi sibi redditus vidit se ad Saganum constitutum (tribus à priori loco milliaribus) idqve manè Aprilis 15, circa horam qvartam. 120. Et dixerunt ad ipsum Juvenes: *Qvalis in Navi conditio Tua fuit, talis erit, cum ingens illa & dura Rupes in profundum cadet: qvæ inter cadendum tantum excitabit terrorem, ut multi exanimentur, jam demùm perire se putantes.* 121. *Sed eô ipsô Navicula hæc, qvam obruendo mergere tentabat Rupes, liberabitur. Perpende hæc qvæ vidisti!*

122. Et mox rursum conspexit *Leonem* qvadricipitem, in cujus capite primo stabant *tres arbusculæ*, speciosos ferentes pomorum fructus. 123. In secundo stabant *tres Herbæ*, aspectu amænissimæ. 124. In tertio rursum *tres Arbusculæ*, cum pulcherrimis rosis. 125. In qvarto capite visi sunt *tres tori graminis*, tantâ amænitate, ut Christophorus aspectu eorum satiari non potuerit. 126. Hac enim cum Visione dies & nox inobservatè transmissa sunt, ut nullum noctis transeuntis indicium animadverteret.

CAP. XXV.

[*Visio trium Columnarum, 1. & Domûs magna, foris quidem speciosæ, intùs verò Serpentibus scaten[illegible] repurgata, 20. Et ab Ado[illegible]inata, 25.*]

M[illegible]unt ambo, illi dicen[illegible] Christophore, & nihil me[illegible] Et subitò vidit tres colu-



mnas: unam ante se lapideam, duas ad latera illi habentes Rosas aspectu valdè pulchras. 3. Et dixerunt illi: *Tange Rosam illam in columnâ sinistrâ.* 4. Qvod cum

cùm feciſſet, mox Roſa illa cæpit circa Columnam currere, magni Solis inſtar, idqve velociſſimè: ſed Roſa alterius columnæ ſtetit immotè. 5. Media verò Columna ſtabat ante illum cum appenſa ſibi Tabula, depicta per margines characteribus Latinis undiqve. 6. Supremè ſtabant hæc verba: *Magnus eſt Dominus, qvi eam judicat:* Infimè; *Ego tibi trado poculum iræ;* ab uno latere, *Sangvinem, Ignem, Gladium;* ab altero, *Sulphur, Mortem, & Interitum.* 7. Mediæ ſuperficiei Tabulæ inſculpti viſebantur homines adorantes Idola, ſimulacra, Beſtiaſque tetras, ceu cacodæmones. 8. Illo verò iſta intuente, & perpendente, venit inſperatò procella venti, qvô Tabula iſta in alteram partem converſa eandem planè repræſentabat ſui faciem. 9. Durante hoc ſpectaculo dicebant illi Juvenes vel ſepties: *Aſpice, & diligenter attende!* 10. Cumqve ſeptimâ vice id repeterent, venit proceſſoſi venti impetus, Columnamqve evertit funditùs. 11. Qvæ cùm caderet, mihi non aliter erat, qvàm illam me obtrituram eſſe: Vertit ſe tamen, & recidit in Meridiem. 12. Et mox ab illâ exiit nebula & fumus ingens, ad cælos uſqve aſcendens: reliqvæ autem duæ columnæ ſtabant immotæ. 13. Juvenes autem ad me: *Seqvere nos, nihil tibi mali accidet.*

14. Deduxerunt itaque me in Do-



mum qvandam magnam & amplam, tamqvè extrinſecùs ſpecioſam, ut verbis explicare neqveam. 15. Sed intus tantâ ſcatebat ſerpentum, ranarum, aliorumqve reptilium, etiam mihi ignotorum, multitudine, virulentoqve ab illis prodeunte halitu, ut langvorem animi, deliqviumqve pati viderer. 16. Sed illi ambo dextras ſuas fronti meæ impoſuerunt, & recepi vires. 17. Conſpexiqve Serpentes illos mutatos in Homines habitu diverſô, Eccleſiaſticô & Politicô. 18. Habueruntqve inter ſe Libros qvaſi inverſos, & in medio Librum pecu-

culiarem, albô & cæruleô involutum linteô. 19. Super qvô altercabantur tam diu, donec ad verbera veniendo se invicem morderent, ac laniarent ut canes: duravitqve conflictus ille in Domô illâ extrinsecùs speciosâ, horas circiter tres. 20. Et venit Leo, virgam habens ferream, percussitqve eos in universum omnes, ut prostrati jacerent semimortui. 21. Nonnulli tamen recollegerunt se: & qvia ibi Serpens erat humano capite & pectore, geminaqve cauda, accesserunt eum, accusantes Leonem. 22. Serpens ergò erecto capite emisit velociter sangvineum flumen. 23. Sed Leo saltu se transtulit post Arborem qvandam triangulam, cujus anguli gladiorum instar acuti flumen intercidebant, ut Leonem attingere & lædere non posset. 24. Arbor verò illa excrevit subitò in proceritatem magnam: Leo itidem factus major discussit Serpentis caput, geminamque illius caudam discerpsit. 25. Et Adolescens qvidam formosus per medium Domûs volans illuminavit eam intus totam. 26. Mirabar autem incredibilem ejus (Adolescentis) formositatem: nec minor erat Domûs ipsius majestas: quæ jam intrinsecâ facie exteriorem illam speciem longè superabat. 27. Tum ad me Juvenes: *Attende, quæ de Visionibus hisce Tibi dicturi jam sumus!* 28. Tempus enim præteriit, & ad exitum properant omnia: & utriusque hujus Visionis sensus idem est: Factum est, nec tamen adhuc factum est, sed fiet brevi. 29. Cras ad te ex Altissimi consilio redibimus, loqvuturi Tibi de Mysteriis in hisce Visionibus absconditis. 30. Tu verò ne differas omnia hæc consignare, ut ne virulentus halitus Te qvoqve corripiat: & ora in Christi nomine, per quem exauditurum se promisit Pater, ut gaudium tuum compleri possit: & glorifica nomen Dei. His dictis à me discesserunt.

CAP. XXVI.

[*Explicatio Visionis trium columnarum, de diversitate Religionum inter Christianos, 2. qvomodo se non tolerent, licet Deus toleret omnes, 3. Pii omnes ubiqve (per columnam primam, constantem, repræsentati) placent Deo, 18. Vertumni displicent, purgandi tamen ab Apostasia & levitate sua, 20. Columna media Babylonicas abominationes detegit, horrendumqve in eos judicium Dei, 28. Eqvus ferox Babyloni succurrere cupiens transfoditur, 65. Vrsus & Echinus, 71. Nuncius cum sigillo magno, 73. Infans ad Baptismum invitatus, 78.*]

MAne igitur seqventi (13 Maji) reversi hortabantur seriò: *Audi qvæ sumus dicturi!* nihil audies enim contra Scripturas, sed ex ipsis Scripturis. 2. Lege Scripturas, & implora Spiritum Sapientiæ, & cognosces, qvid sint tres istæ columnæ, sicut & Domus illa hypocritarum, qva Domo ferè omnia sunt obvelata, qvæ Spiritualis Sodomæ nomine veniunt. 3. Dominus totius Terræ Judex facit Solem suum lucere super justos & injustos, & pluviam suam pluere super bonos & malos. 4. Tres etiam istas columnas stare permittit, & confert unicuiqve proprium robur, insistendi fundamento suo: utqve stent penes se invicem, & altera alteram ferre necesse habeat, volens nolens. 5. Dicimus proinde, miseriam super omnes miserias hanc esse sub Sole, qvòd Cain Abelem tolerare non vult, sed prehendens clavam procurrit in campum, patratqve parricidium. 6. Sed heus tu! Te & fratrem tuum creavit Dominus! Te & fratrem tuum redemit Dominus! Te & fratrem tuum sanctificavit Dominus! & in Templum ac habitaculum Deo Spiritui Sancto ædificavit; ideò Tu id destruere noli. 7. Nam ecce sanguis Abel clamat ad me! & ego exaudiam, Tibi verò Judicium dabo pronuntiatum verbo meo. 8. *Scribe!* Impiis omnibus Scriptura sententiam edicit,

eit, ut bibant ex calice iræ & furoris Domini Exercituum. 9. *Scribe etiam!* Qvisqvis ad Dominum Exercituum se converterit, non ejicietur. 10. *Scribe!* Qvisqvis ad Dominum Jesum venerit, huic ille dabit potestatem, magnam secum cœnam celebrandi: ubi apponetur incorruptibilis Manna, qvam nec tineæ, nec vermes, arrodere & corrumpere poterunt: & ubi apponetur purissimè limpida aqva ex fontibus Israëlis. 11. Ad cœnam hanc admittetur solus is, qvi constanter in Evangelii veritate perseveraverit, (sicuti columnam dextram sine motu stetisse vidisti) immoto suo & fidelium omnium fundamento, Christo, (qvi rupes immota est) innixus. 12. Cœna hæc non tantùm est cœna, sed & Jentaculum & Prandium. 13. *Scribe*! Jentaculum fide peregerunt Sancti ante Diluvium Patres: Prandium habuerunt David & Prophetæ, Abraham, Isaac, ipseqve Christus: Cœnam Apostoli post effusum Spiritum Sanctum. 14. Atqve hæc Cœna diebus & horis singulis celebratur adhuc ab iis, qui firmum sermonem propheticum tenent, & qvi surgentes egrediuntur, ne fiant participes Plagarum, qvas mittendas esse super Meretricem Babylonicam in libro scriptum exstat. 15. Scribe! Lætam habebunt Cœnam omnes, qvi perseverabunt: Cœna enim magna est, claudi & manci sanati sunt. 16. Scribe! Sani in oculis mundi claudi sunt, & hypocriticam agunt pænitentiam. 17. Scribe! Sani sunt ægroti, nolunt venire ad Cœnam: Nam abierunt intra sepes hujus Mundi, & occultarunt se intra vepreta, & jacent in plateis Civitatis magnæ, qvæ dicitur spiritualis Sodoma. 18. Scribe! Cæci visum receperunt, Christus enim est lumen illorum, & stella Jacob orta illis est, & jubar auroræ excitavit eos, & Sol justitiæ collustravit eos: ideò prospexerunt, & contemnunt tenebras hujus mundi. 19. Scribe! Ad hanc Cœnam non veniet Ismaël, utpote irrisor, qvia spinæ hujus mundi, & divitiæ ejus magnæ, retrahunt eum, & Civitas magna eum tenet dementatum. 20. Qvæ tamen cum fumo transibit, & sicut fænum ac stramen igne absumetur, unà cum omnibus iis, qvi repræsentati sunt per sinistram Columnam. 21. In qvâ Rosam æqvè ut in alterâ vidisti, sed qvam simul atqve tetigisti, mox se agitabat, tandem tamen constitit. 22. Significat hoc, remansuros esse homines, qvi à fornicationibus suis & veneficiis resipiscent: & hi sunt illi, qvi in aqvâ hypocriseos lavarunt. 23. Sed Dominus inqvit: Novi Te optimè, & scio hypocrisin tuam optimè: & qvid redoleas, sentio optimè. 24. Delatus enim est ad me infamis de te rumor, & ego revelabo turpitudinem tuam, & abluam calcem fuci & hypocriseos tuæ, qvâ incrustatus es, veluti incrustatus dealbatusqve paries; Abluam dico pluviâ & rore. 25. Et mittam Ego JEHOVA lotores meos super te, & tradam illis smegma verbi mei in manus, & lavari te mandabo: cognosceſqve me esse JEHOVAM, qvi qvidqvid dico fit, & qvicqvid jubeo comparet. 26. Et Ego JEHOVA excitavi ventum meum adversùs Columnam mediam, & Tabula ejus invertit se: utrobiqve tamen, ut vidisti, sui similis. 27. Nempe, *Magnus est Judex qvi judicabit Eam, mercedemqve illi dabit secundum merita sua*: digna enim est, qvoniam non vult resipiscere, sed antiqvum obtinet, nec recedit ab Idolatria sua. 28. Audi & attende! qvid tibi de media ista Columna narraturi sumus: qvia magnum mysterium illud est magnæ Urbis Babylon, & magnæ Meretricis, ejusqve Judicii. 29. Columnam hanc æqvaliter cum cæteris stantem vidisti, sed in ea figuram Tabu-

læ qvadratæ, cum inscriptione magni Judicis: *Magnus est Dominus, qvi judicabit eam.* 30. Magnus est Dominus hic ab initio, & extra illum nihil est magnum: Magnus ipse est, & habet vias mirabiles, qvas observat. 31. Permittit admodum crescere (usqve ad tempus, tempora, & dimidium temporis) Columnam illam mediam, qvæ se expandit longè latéqve, nec videtur ruere posse. 32. Sed ruet, dicit Dominus, magnus ille Judex, qvi manu sua Columnam illam tenet mediam, & judicabit eam manu suâ, & prosternet ad Terram per Angelum fortem, qvem emissurus est. 33. Ille Te, ait Jehova, velut turbine venti præcipitem dabit in mare: & Mare, ait Jehova, claudet super te os suum: Conturbabo enim illud contra te, nec illud qvisqvam poterit tranqvillare, nisi Ego, dicit Jehova. 34. Nam tum demum, qvum exseqvuta fuerit manus mea qvod decrevi, tranqvillabo illud: qvia Mare meum est, & Balænæ sunt in manu mea! 35. Secundò, Magnus est Judex iste ideò, qvia magna esse facit in hominum oculis ea, qvæ ruitura sunt: postea verò pronuntiat sententiam contra id qvod magnum est, & hoc magnum coram magno Judice confundi, & in ludibrium Mundo universo sisti, necesse est. 36. Magnus est Judex ille, qvia qvod parvum est in oculis hominum, magnum facit. 37. Et iste Judex pronuntiat ex alto sententiam super Meretricem, ut detur ipsi mensura Calicis, qvem infudit ipsa sibi, qvemadmodum vidisti lateri Tabulæ inscriptum: *Ego Tibi trado Calicem Iræ.* 38. Calicem hunc ipsa sibi plenum infudit per homicidia, adulteria, Idololatrias, & afflictiones aliorum: ex hôc potionabit eam Dominus, ex calice Iræ. 39. Duos enim calices habet in manu sua Judex ille magnus, calicem Gratiæ, & calicem Iræ ac Furoris. 40. Ex illo hauriendam dat gratiam & misericordiam omnibus sui timentibus, sibiqve confidentibus. 41. Ex altero verò potionat homines Ille primus & ultimus, eo potu, qvem ipsi sibi infundunt: qvod quis serit, hoc ipsum metet: qvia secundum meritum cujusqve sententiam feret cuiqve magnus ille Judex. 42. Sicut ab altero latere Tabulæ vidisti, *Sangvinem, Ignem, Gladium:* ita ecce subitò effundet Dominus iræ calicem! & edicet sententiam contra Babylonem, & homicidas in falsa spirituali Jerusalem. 43. Gladio fundi oportebit sangvinem eorum: & sangvis eorum per plateas sangvinolentæ Pharisaicæ Jerusalem undæ instar fluet, & Eqvi maculabuntur sangvine, in sangvine morientur Eqvus & Eqves. 44. Et disjicientur in escam avibus, & Eqvos ab avibus ut sylvestres feras devorari necesse est, sicut scriptum in Libro. (Apoc. 19. 18.) 45. Et ecce Babylon stabit in sangvine: fietqve citò ac velociter, ut Babylon ita circumfluitet sangvine, ut à nemine possit adiri. 46. Propter ingentem fornicationem mittam super eos Gladium, & propter ingentem Idololatriam effundetur sangvis eorum. 47. Et qvemadmodùm ipsi lambebant sangvinem in terra, nec permiserunt fructificare Arbores, sed suffodiebant eas, & vineam Domini aprorum instar vastârunt, tyrannicè multos ad mortem condemnantes. 48. Ita jam audi, tu falsa Jerusalem, & superba Babylon! *Sangvinem tuum vicissim terra sorbebit.* 49. Audi tu Babylon, & tu falsa Jerusalem! *Ego Jehova pronuntio adversus te, ut subvertantur mænia tua!* 50. *Et conspicient fumum tuum ascendentem ex te, sicut fumus aridæ & succensæ Terræ, qvem restingvere nemo potest, nisi Ego Dominus, rore ac pluviâ.* 51. Hæc est prima adversùs te lata sententia, *Sangvis, Ignis, Gladius.*

52. Se-

52. Secunda est secundo Tabulæ lateri inscripta, *Sulphur, Mors, & Interitus*: & hæc est terribilissima sententia, æternùm interminabilis pœnæ. 53. Qvæ veniet primùm super omnes induratos Pharaonis fratres, Mosen & Prophetas audire renuentes: qvibus qvicqvid audiunt & vident, pro nihilo reputatur, ne qvidem firmissimo Prophetico sermoni & Evangelio credentibus. 54. Deinde ferit sententia hæc omnes eos, qvi se Idololatriâ ingurgitant velut aqvâ: qvos tibi repræsentabant sculptæ in medio Tabulæ imagines & idola, variarum teterrimarum Animantium. 55. *Ah! adorare idola & spiritus demortuos horrenda gentilisqve abominatio est!* Ecce tamen Babylon, & falsa Jerusalem, cum Ethnicorum abominationibus consensum fecerunt! 56. Propterea dicimus: Cùm Babylon ruet! convertendos esse populos Gentiles, qvia & ipsi Babylon sunt! 57. Et dicimus, Qvisqvis non vult audire sibi sententiam, *Sulphur, Mors, & Interitus*, is Babylone exeat, resipiscat, Evangelio credat: ut ne participet de plagis ejus, sicut scriptum est in Libro. 58. Tertia sententia est *Conversio Tabulæ in columna*, sicut videras: *Conversa qvidem est, sed reperta ex altera parte æqvè sui similis*. 59. Atqve hæc est sententia super columnam hanc à Cœli Terræqve Judice lata: Qvia inversa est, & in Idololatriâ suâ mansit, sicut antè, ideò non diu manebit, tempus enim ejus transiit. 60. Propterea *Ventus ecce venit, & ruet cum impetu in columnam istam: qvæ cùm casum minabitur, multi se ab eâ conterendos putabunt, qvemadmodum tu putasti, cùm eam cadere videres.* 61. *Dominus tamen avertet eam aliò, & procella à Domino ingens prosternet eam, ut licet in Septentrionem cadere, & conterere omnia cogitet, in Meridiem tamen cadere habeat necesse.* 62. Et conspicietur fumus illius ascendens in terris Meridialibus, neqve impedire id poterunt robusta meridiana brachia: qvia Omnipotens Dei manus exseqvetur hoc, per procellam ab Oriente, & à Septentrione. 63. Hic conticuerunt paululum: & mox rursùm. Ecce jaces ô tu Columna magna! qvantumvis magna & robusta fuisti, magnitudo tamen tua cum fumo ad cœlos ascendit, nebulæ instar: qvia omnipotentia Dei confudit te. 64. In diebus illis implebitur proverbium: *Amisit mulier amasium suum.*

65. Per eosdem dies *Eqvus qvidam abjiciet soleas suas.* 66. *Velociter enim cursitans fumum & ustriginem magnæ urbis Babylon colligere, & Babylonem reædificare qværet.* 67. *Sed in præveloci illo cursu & saltu insiliet cuspidato cuidam præacuto stipiti: cui infixus seipsum transfodiet, ut viscera effluant.* 68. *Nec tamen morietur, sed consanescet, & Babylonem non curabit ampliùs.* 69. *Venient enim ad eum Juvenes duo, lagenas ferentes duas, unam vinô, alteram oleô plenam, qvibus illum sanabunt.* 70. *Et revalescet, glorificans nomen Dei.*

71. Iisdem diebus, cùm ruere incipiet Babylon, prodibit *inflatus Ursus, & aculeatus Echinus*, dicentes: *Nos Babylonem reædificabimus, & gloriosam efficiemus.* 72. Sed Urso præcidentur ungues sui, & Echino confringentur aculei sui, Babylonqve solo æqvata manebit nec reædificabitur unqvam. 73. *Et advolabit per eosdem dies celer nuncius cum Sigillo magno, Babylonem jam se tueri non posse: eò qvod Dominus ipse pugnet contra eam.* 74. *Qvo audito qvidam consternatus, cadet de Solio, cervicéqve fracta jacebit exanimis.* 75. Veniet & in castra illorum, qvi Babylonem oppugnant, nuncius, dicens: *Is qvi Babyloni succurrere proposuerat, mortuus jam est, corpusqve humi jacet, neqve sepeliri honorificè præ terrore poterit.* 76. Prælium enim invalescet, & horror ingens obruet omnes

O 3 Baby-

Babylonis propugnatores. 77. Et Terra, & Ignis, & Aër, & Aqva, pugnabunt adversus Babylonem: Dominus enim concitabit ea: & qvoqvò se vertent omnia videbunt præliari contra se. 78. Et *celer mittetur in diebus illis nuncius ad Infantem, literas ipsi hunc in sensum ferens: Veni, & Baptismum suscipe.* 79. *Ipse verò cunctabitur, nec statim veniet: tempus enim ipsi præfinitum veniet paulò post.*

80. Tu verò abi viam tuam, & ista conscribere memento.

CAP. XXVII.

[Visionis Magnæ Domûs explicatio, 1. Reptiliumqve in ea conspellorum, & altercantium de Libris, 14. & Leonis istos castigantis &c. 32. Tres pueri ascendunt tres faces, 43. Domus Babylon repurgabitur, 66. Babyloni 42 menses adhuc dantur, 78.]

Diebus 14 & 15 Maji explicabatur mihi Visio excelsæ illius domûs hunc in modum. 2. Dies illa magna est, & gloriosa valdè: Dies qvidem luctûs & afflictionis magnæ, Dies tamen magnæ lætitiæ futura. 3. Nam Phosphorus ortus est, statqve jam in medio cœli à latere dextro, Sol autem & Luna à sinistro. 4. Attende & audi! Dies omnes coram Domino Deo nostro magnifici sunt, & dies diei enarrat majestatem ejus, & Nomen Dei per totum terrarum orbem decantabitur. 5. Fietqve, ut qvi invocaverit Nomen Domini, salvus fiat, & splendidus in illo orietur Lucifer, & lucida stella Jacob præcedet eum instar lampadis, fulgebitqve ipsi Sol die & nocte, saccus autem cilicinus igne devorabitur: igne nimirum Spiritûs & S. Euangelii. 6. Hi conteguntur Sole justitiæ sicut stola magnifica, & progredientur magno animo calceati præparatione Euangelii, & conculcant Scorpiones & Aspides. 7. Togam enim habent à morsu immunem: Dominus qvippe servat ipsos sicut pupillam oculi sui, & supra vires tentari non permittit, sed contegit, ne nocere illis qveant Scorpionum dentes. 8. Multo minus Serpentum virus, qvo inficere semen Mulieris, & imitatores Agni conantur. 9. Hi Serpentes & Dracones unanimes sunt, & conjurantes summo furore effundunt virus contra Lunam, cui pedibus suis insistit Mulier. 10. In eadem Luna steterunt primi duo homines, & per breve tempus in plena ejus luce ambularunt. 11. Manè in plena stabant Luna, circa Meridiem autem venit Satan, qvi dicitur serpens antiqvus, & circumvenit eos mendaciis tenebrarum: hinc Luna sub pedibus eorum tota ferè obtenebrata est, & ingens Solis æstus urebat ipsos. 12. Videruntqve corpus suum serpentino veneno esse infectum, & timor invasit eos, & horror perculit, pavitaruntqve se morituros: & subrepentes salebras abscondere se ab ira Dei voluerunt. 13. Cor enim proprium jam ipsos condemnaverat: sed gratiam Dei nondum cognoverunt, & vox Evangelii abscondita ab illis fuit adhuc, sicuti thesaurus magnus. 14. Attende & audi! Tibi enim loqvimur simplicissimè: illud autem qvod loqvimur, est magnum mysterium cœlestis & terrestris Adami. 15. Adam terrestris à Creatore vocatus, dixit: *Metuebam, qvia sum nudus.* 16. Jesus cælestis Adam, dixit: *Consummatum est*: atqve cum hocce Mysterio remittimus Te ad Scripturas.

17. Audi & attende! Qvantò Luna propius accedit Soli, tantò lucet minus. 18. Adam & Eva cogitarunt per Lunæ lucem pervenire ad splendorem Solis justitiæ, qvi est æterna Dei Sapientia; sed hæc investigabilis est, manetqve in æternum, nec principium habens nec finem,

finem, & dominatur omnibus. 19. Adam & Eva ſtabant pulchrè, qvamdiu ſuper plenam Lunam ſtabant manè, cùm eis colloqvens æterna Dei Sapientia oſtendebat omnia qvæ fecerat fuiſſe valdè bona. 20. Adam imponebat Animalibus nomina, vocans unumqvodqve ſecundùm genus ſuum: Cæleſtis Adam vocat omnes, nominatqve ſingulos nominibus ſuis, memor eorum qvæ loqvutus erat iis. 21. Non animalia vocat, ſed homines, rationalem creaturam, dicens, *Venite ad me omnes qvi paſci cupitis! Ego vobis ſatis dabo Panis vitæ, & Aqvæ immenſum, ſcaturientis ex fonte vitæ, & humectantis ad obedientiam & obſervationem mandatorum Altiſſimi per charitatem.* 22. Adamo ſubjecta erant omnia animalia, ut eis dominaretur (Deus enim illa ſubjecerat ei:) Cæleſti Adamo Deus ſubjecit omnes Homines, deditque in hæreditatem Gentes, ut omnibus in ſe credentibus daret vitam æternam gratis. 23. Adam dominabatur animantibus, quæ illum metuebant: Chriſtus dominatur Vitæ & morti. 24. Mortuis dominatur inclementer Judex eorum factus, ad judicandum & condemnandum omnes qui non credunt in nomen ejus: Credentes verò beandum gratia ad ſalutem, qvæ parata eſt à conſtitutione Mundi. 25. Adam fuit Dominus etiam piſcium maris, & volucrium cæli, omniumqve terrâ repentium: Cæleſtis Adam Dominum habet Maris & Aqvarum, nec ſe ab illo abſcondere poteſt ulla Balæna, ad qvam cæleſtis Adami vox non penetret: nec eſt ullum in Terra animal, qvod non obtemperare debeat illi: nec in Aëre ulla volucris, qvæ alarum pernicitate effugiat (manum) ejus. 26. Adam dominabatur illis tanqvam ſervus: Cœleſtis Adam dominatur illis tanqvam Deus, & Dominus cælis altior, poteſtate ſibi data à Patre ſuper omnia in cælis & in terra. 27. Et dominatur hominibus etiam tanqvam ſervus, qvia exinanivit ſeipſum formâ ſervi aſſumptâ, ſervitutemqve ſuam in cruce conſummavit. 28. Ut ſervus luctatus eſt, prævaluit, vicit: diſſipatâqve peccati, mortis, & inferorum poteſtate, poteſtatem dedit fieri Dei filios, per charitatem, illis, qvi credunt in nomen ejus. 29. Terrenus Adam delicias habere debebat, & habebat, in animantibus terræ, qvòd ſuæ obſeqverentur voluntati. 30. Cæleſtis Adami deliciæ ſunt cum filiis hominum, ad habitandum cum illis, & in illis, qvi diligunt eum, & mandata ejus ſervant, & ambulant in charitate, & penetrant per patientiam vi victoriæ fidei in Chriſtum, qua ſuperatur Mundus, & mortificatur vetus Adam, per Chriſtum fidei authorem & conſummatorem. 31. Adamum Deus poſuit in horto, ut eum coleret atqve cuſtodiret: Cæleſtem verò Adamum poſuit in Cuſtodem omnium, ad ſervandum & colendum eos qvi ſe non tradiderunt vanitati, ſed euntes colli ſe patiuntur per renovationem Spiritus S. in Chriſto. 32. Qvicunque membra ſua tradunt ad alacriter obſeqvendum per patientiam, eos ille colit, & cuſtodit ne cadant, & mundus illis ne noceat. 33. Nam poſuit Dominus firmum lapidem, ſuper qvem eos fundat & exædificat, ut nulla irruens pluvia aut ventus ſubruere eos qveat. 34. Adamo Deus dedit adjutorium, ut eſſet cum eo, quâ ille acceptâ agnovit eſſe carnem de carne ſua, & os de oſſibus ſuis: atque hoc eſt profundiſſimum illud myſterium, quod in Veteri & Novo Teſtamento reperitur. 35. Cæleſti Adamo etiam adjutorium dedit Dominus, totum Humanum genus: ut celebrent nomen Jehovæ, & ex ore infantium & lactentium ut perficiatur laus. 36. Mihi de-

hì debetur honor, inqvit Dominus: usqve ad fines Terræ omnia, qvæ spiritum vitæ habent, laudabunt me: Mecum erunt, & ego cum illis, usqve ad finem seculi. 37. Eva debuit esse cum Adamo, & Adam cum Eva: similiter tu cum Domino & Salvatore tuo, Jesu, esse ac manere debes, per fidem illi & dilectionem, & patientiam, adhærens, ut Adam & Eva sibi adhæserunt ad mortem usqve. 38. Adam dilexit Evam, ut carnem & sangvinem suum: ita Christus te diligit, & dilexit usqve ad mortem crucis. 39. Adam cognovit Evam, ejusqve infirmitates toleravit: sicuti cælestis Adam te qvoqve cum infirmitatibus tuis tolerat. 40. Eva attulit Adamo solicitudinem & ærumnas: tu cælestem Adamum peccatis tuis occupasti, & laborare fecisti animam ejus usqve ad mortem. 41. Eva (namqve) mandatum Domini transgressa, & serpenti obseqvuta, extendit manum ad Arborem scientiæ boni & mali: Adam verò dilectione erga illam etiam de fructu illo edit, transgressusqve & ipse manducavit mortem, atqve ita Eva cum Adamo transgressi mandatum Domini amiserunt gratiam Domini. 42. Sed cælestis Adam obedientiâ suâ (obediens factus usqve ad mortem) reduxit amorem Dei: ut gratia Dei in Christo Jesu jam regnet super omnes in Christum credentes. 43. Adam manducavit mortem: tu crede in Adam cælestem, & ambula in charitate, & habebis vitam æternam. 44. Adam & Eva extenderunt manus ad fructum vetitum: cælestis Adam extendens manus in cruce dixit, *Consummatum est*. 45. Qvô in cruce verbô timorem Adami, & omnium fidelium, delevit: iisqve liberatis, obscuratæ (prius) Lunæ splendorem suum restituit. 46. Et sic justitiæ Sol iterum lucet clarè, & Lunæ splendor iterum est tam serenus, ut nulla curiosa Eva excusare se ampliùs qveat, nec ullus Homo ratione suâ. 47. Qvantumcunqve alta vel profunda est humana ratio, sine Sole tamen justitiæ tenebrosa est, nec aliud qvàm periculosa pomi morsicatio. 48. Mysterium hoc magnum est: ideóqve adhære Christo, & ejus Ecclesiæ! & scrutare Scripturas, qvæ de hoc mysterio testantur.

49. Ecce (tamen) de hoc mysterio plura etiam tibi dicere habemus! qvia qvæ fuit in prima & media mundi ætate rerum facies, eadem circa mundi vesperam futura est. 50. Vesperam enim mundi præ foribus esse omnis creatura testatur: eorum inprimis malitia, qvi hypocriticam sanctitatem vitæ præ se ferentes obtegunt iniqvitates suas, cum Adamo latibula qværentes: & vocati etiam à Domino, ut Adam, non audiunt tamen. 51. Serpens enim sub vesperam mundi nihil industriæ intermittens, venit, effuditqve virus suum inter filios falsæ Jerusalem: id qvod tibi in similitudine peramplæ illius Domûs significatum fuit, extrinsecùs valde speciosæ. 52. De hoc tibi dicimus, non tantùm Jerusalem, sed & Babylonem, speciosam esse in hominum oculis, qvi eam in mente suâ sibi tam speciosam pingunt, ac si cadere deberet nunqvam. 53. Sed Jehova dicit: *Cadet*. 54. Clamavi enim dudum adversus te: sed ipsa noluit mundari intrinsecùs. 55. Et qvamvis Ego Dominus Jehova nuncians illi mandaverim, ut mundaret se, illa tamen rejecit Verbum meum, & adversus servos meos virulento odio & Babylonica malignitate spiravit, Legatis meis Ethnicô retribuens more.

56. Vidisti porrò Serpentum, Ranarum, Bestiarumqve multiformes species, sibilantes & spirantes undiqve contra te tantâ virulentiâ, ut te deliqvium animi occu-

occuparet: De qvibus ita accipe. 57. Tres impuri diabolici ſpiritus exeunt, & ab ipſo jam initio exivêre, pleni venenô, qvod inter Reges, Principes atqve Magnates diſpergunt. 58. Sicubi Spirituum iſtorum unus exierit, ſeptem alii ſuccedunt in locum ejus. 59. Atqve inde prodiit magna calamitatum turba, ærumnęqve multæ: in ſpecioſo hypocritico Jeroſolymæ foro per omnes plateas magnæ Babylonis, qvæ tamen Babylon haberi non vult, ſed Sponſam Chriſti ſe nominat. 60. Qvùm tamen veſtem illius nunqvam induerit, ſed pallium ſponſi ſui vi à ſe rejiciat; non amans Chriſtum ut ſponſa ſua, neqve Chriſtum timens ut Sponſum ſuum, neqve invocans Patrem Sponſi; ſed adulteria patrans concinnat ſeſe, & contegit gentilis idololatriæ palliô, lucemqve tenebris intrudit violenter.

61. Vidiſti teterrimas illas animantes in homines converſas, ſuperqve Libris ſuis inverſis, & ſuper involuto illo Libro, in magnum deveniſſe certamen. 62. Et vidiſti fuiſſe Spirituales ſecularibus mixtos, poſtqve longas altercationes ad verbera deveniſſe, ac momordiſſe ſe invicem in morem ferarum beſtiarum. 63. De hôc tibi dicimus: Factum id eſſe jam, nec tamen factum adhuc plenè, ſed futurum, & fervere actu ipſo. 64. Nam tres ranæ & Diabolici immundi Spiritus, luto ſuperbiæ ſe referſerunt, & inebriarunt, diſcumbuntqve per ripas apricando, commoditatibuſqve ſuis gaudent pro lubitu: donec ſubitò ſuperveniat ille, qvem vidiſti, cum ferrea virga, Leo. 65. Vidiſti corruentium ſtragem, qvi Virga Leonis coërciti mortuis ſimiles jacebant: Surrexiſſe tamen, & ad Draconem refugiſſe, qvem vidiſti figurâ ſemihumani corporis cum bifurcata cauda. 66. Tùm & conſpexiſti, qvomodo ad ſerpentem accuſarint Leonem, & qvomodo ille ſe erigens ingente furore flumen ex ore ſuo emiſerit in Leonem: Sed Leo receſſit poſt arborem triangulam immunis, ut vidiſti. 67. Et vidiſti Leonem rurſum prodeuntem, Serpentiſqve caput & corpus diſcerpentem. 68. Similiter & Arborem illam excreviſſe in proceritatem magnam, ſicut & Leonem ipſum. 69. Tandem vidiſti volantem per medium Domûs formoſum Juvenem, à qvô Domus ipſa illuminata eſt, & Beſtias illas multiformes non vidiſti ampliùs.

70. Ecce Viſio iſta Viſio eſt falſæ Jeruſalem, & Viſio Babylonis, cui *confuſæ* nomen eſt! 71. Hæ ambæ uniformi ſemine conſitæ ſunt, uniformes proferunt fructus, & maturuerunt jam ambæ, adeſtqve tempus meſſis, juxta verbum Domini. 72. Ah nullam planè Dominus complacentiam habet in litigiis Jeroſolymitanorum! nam propriam ſectantur gloriam, & ſepulchris Prophetarum inducunt ignominiam, & cruce perſecutionum crucifigunt. 73. Ne dicas Tu temeraria, ſuperba, falſa Jeruſalem: *Non eſt ſalus extra me! qvia nos habemus Chriſtum.* 74. Chriſtus enim mandavit prædicare Evangelium, eiqve credere, & pœnitentiam agendo ambulare in novo charitatis mandato, ſine qvô fides eſt mortua. 75. O ſuperba Babylon, deſine qvæſo ſuſceptis inniti moliminibus tuis! Paululum enim ædificaberis adhuc, qvùm ſubitò diſperget ædificatores Tuos Dominus, eoſqve reddet ſtultos.

76. *Veniet tempus, & jam adeſt, qvô tres Pueruli accensâ face ſinguli Babylonem tranſibunt, perſcrutantes eam.* 77. Et poſtqvam perſcrutati fuerint ſecundum Verbum Domini, tùm collocabit unuſqviſqve facem in locum ſuum: ardebuntqve faces illæ indeſinenter juxta

P Ver-

Verbum Domini. 78. *Unus* facem ſuam collocabit in meridiali ſylva, qvæ in oculis hominum viridis eſt. 79. Sed Dominus injiciet ignem in ſylvam hanc, & flammabit ex vallibus in montes, & ex montibus rurſum in valles: comburetqve ignis iſte Arbores, ut ſtramen. 80. *Secundus* facem ſuam ponet eô locô, qvem deſtinavit Dominus, ut ardeat: ardebuntqve faces iſtæ duæ ſimul. 81. Hæc enim fax vehementer ardet, nacta ventum à Domino, curritqve ab Occaſu ad Meridiem cum furore ingenti: Dominus enim injecit ignem, ut deſtruatur Babylon. 82. Et *tertius* facem ſuam ponet in mari, qvod vitrô ſuperinductum ſcatet beſtiis & canibus hujus Mundi, velut ingentibus & terribilibus balænis. 83. Qvi ab hâc luce perculſi fugiunt retrò ferarum inſtar, ſed in ipsô mari, qvod vitrô inductum eſt, concident, & ſpoliabuntur ære ſuo, reſorbebuntqve priores vomitus ſuos. 84. Sed Dominus mandavit puero illi, ut accensâ face colliqvefaciat vitrum in mari: piſceſqve magni à magno iſto igne aſſabuntur, & aves devorabunt carnem illorum, & beſtiæ tunc lugebunt, canes autem horribiliter ejulabunt, dicentes: *Actum eſt de Babylon! falſa Jeruſalem non perſiſtet ampliùs.* 85. Nam dies Judicii venit, Dominus injecit ignem, viamqve in Domum paravit Leoni, & ille percutit atqve conterit virgâ ſuâ ſine numero. 86. Jam erant ut mortui, ſed receperunt ſe tamen, ſtantqve coram Dracone die ac nocte, accuſantes Leonem, ut nece conficiatur. 87. Et Draco attractam ex utraqve cauda ſua aqvam in Leonem ejaculatus eſt, necem intentans ei. 88. Sed trina acies magnæ Arboris, Domini cœli & terræ, ſub qvam ſe Leo recondidit, undarum furorem prohibet: qvô nocere ipſi neqveat. 89. Arbor enim hæc magna eſt, & anguli ejus præacuti cingunt Leonem tanqvam robuſta mænia, qvæ perfringi non poſſunt. 90. Nam ſi Draconis aqva potens eſt Leonem obruere, Dei omnipotentia millies major eſt, potentiam Draconis præcîdere, ſicut præcîdi ſolet filum. 91. Si Serpentis Sapientia magna eſt ad circumveniendum Leonem, Dei Sapientia multis millenis vicibus major eſt ad convertendum Sapientiam eorum in ſtultitiam; Sapientia illorum erit ſicut pulvis in turbine: Sapientia Dei æſtuans inſtar Solis illucet glaciei Serpentis, qvam ſibi ipſe calliditate ſuâ paravit. 92. Omnia eorum conſilia redigentur in nihilum, & pudore ſuffundentur præ ſapientiâ Dei, dicentis: Non delector conſiliis ſangvinolentis, & cor meum non eſt cum ipſis. 93. Draconis miſericordia magna eſt erga confugientes ad ſe, cùm tamen ille opum causâ duntaxat amet, & commiſereatur auri amore motus: Miſericordem ſe dicit, & proclamat gratiæ plenitudinem, interea tamen virus & robur ex ſe projicit adverſus Leonem, charitatis ac miſericordiæ oblitus. 94 Sed miſericordia Arboris magnæ magna eſt, intercîdens immiſericordem ac frigidam Serpentis aqvam, ut refrigerata ſua charitas Leoni nocere neqveat. 95. Et non nocebit utiqve immiſericordia ejus; ſed favente ſibi magnæ Arboris miſericordiâ prodibit rurſus, contereтqve virtute Omnipotentiæ Dei, & virtute imperſcrutabilis Sapientiæ Dei, Miſericordiæqve Domini cœli & terræ, caput pariter & caudam Serpentis. 96. Atqve ibi Arbor illa excreſcet ante oculos hominum: Arbor, qvæ magna eſt manetqve à ſeculo in ſeculum, faciens Leonem qvoqve magnum. 97. Magnus erit hic Leo die illo, qvô litigioſi illi pudore ſuffundentur, qvi ſuper ſuis perverſis Libris alter-

altercantes, pulchrum illum involutum Librum intactum relinqvebant. 98. Ejusqve loco deglutiebant Librum Angeli fortis, ex qvô in stomachis eorum tormina excitata sunt, qvæ ad cor usqve illorum ascendebant, ut rabie agitarentur sicut rabiosi canes, contra illos qvi implicatum Librum illum replicare, Legem & Evangelium venerari, doctrinam & vitam Christi speculi loco habere, Mosenqve & Prophetas audire, voluerunt. 99. Demortuorum verò prædicationes audire, leges illorum æstimare, Angelo forti adulari, Meretrici Babylonicæ abblandiri, cum illa in septicipite Bestia equitare, & ad structuram Babylonis lapides congestare, noluerunt: quin imò lapidibus Babylonem impetunt, & adversus Babylonem gladiò spiritûs sese instruunt: illi perstabunt, & non peribunt.

100. Et *domus Babylon expurgabitur ab Adolescente qvodam, cui Dominus viam parabit, ut Domûs ejusdem medium pervolet, Babylonemqve immundam mundet, & illuminet, ad stuporem omnium in Terrâ habitantium: in illo die lucebit Sol, & Luna non obtenebrabitur amplius.* 101. Adolescens iste jam venit, & nondum venit, & adventat jam: & consilia Jerusalemitarum & Babylonitarum non nocebunt ei: jam enim serò est: & cum ipso est manus Dei: cumqve illis, qvi eum seqvuntur. 102. Attende! Duplici gladio judicat Babylonem Dominus, & jam judicavit, sed nondum plenè judicavit: Gladio Spiritus, qvi semper adversus Babylonem fremuit, rapidi instar torrentis. 103. Et Gladio interfectionis, qvi jam Meretricem Babylonicam ex lecto adulterii sui depellet, & pavore percellet omnes, qvi ad ipsam tanqvam Virginem incorruptam sese receptabant. 104. Sic dicit Jehova: O Tu magnæ fornicationis mater! qvæ mihi veneficiis Tuis terram meam implevisti, ecce ego contra te Gladium latum profero! excitaboqve adversum te Eqvitem celerem, qvi te prosternet. 105. Et dabo Corpus tuum devorandum avibus, & Domos tuas comburam igne: Argentum & aurum tuum diripient Piratæ, & cimelia tua distrahent, atqve te nudam & pauperem relinqvent. 106. Qvid autem lamentamini Babylonis causâ, Meretricis perfidæ? 107. O Babylon, ne innitaris qvæso robori tuo! & lubricæ felicitati tuæ, qvæ te oppressit, ut ebrium somnus. 108. O Babylon, ne te id securam reddat, qvòd Gladius tuus vicerit! neqve gloriare, qvòd metam tetigerit Sagitta tua! 109. Etiam Jerosolymitanis prosperè cadebant consilia: dùm Christum infensissimum hostem suum, qvi veritatem eis loqvebatur, sub potestatem nacti interfecerunt, & sepulchro incluserunt: Discipulos autem ejus detruserunt in angulum, nonnullosqve trucidârunt, fortunâ eousqve usi. 110. Sed post elapsos 40 annos qvid illis factum? Successus eorum, & felicitas, in maledictionem conversa est. 111. Babylonitæ ædificaverant etiam, & compararunt sibi nomen: sed cùm descendisset Dominus, & confudisset lingvas eorum, ludibrio exstiterunt mundo universo.

112. *O Babylon, memento qvid intra 42 menses de te futurum sit!* prouti de exsiccandis uberibus matris fornicationum tibi dictum fuit antea. 113. Ah qvàm multi speciosam illam Domum ingrediuntur, cantantes Meretrici hymnum, & in ejus gratiam dicentes: *Actum est de illis* (scilicet fidelibus.) 114. Sed audi Babylon, Non actum de illis est: de te actum erit mox. 115. Excitabo enim Gladios tuos adversùs se invicem, & erunt contra se invicem, & mactabunt se invicem ut Barbari: & mit-

mittam ſuper eos pavorem, fugientqve etiam ubi nemo perſeqvetur. 116. Propterea tu Meretricem Babylonicam averſare! 117. Tribulatio adhuc in terrâ invaleſcit, qvia homines à Spiritu Dei argui non ſuſtinent: Tu tamen ne metue, terricula hæc tantum eſt explorandi cauſa immiſſa, & gratioſæ viſitationis dies.

118. His abierunt à me.

CAP. XXVIII.

[*Babylon duplex*, 2. *& Babylonis pœna*, 19. *Germania ſpoliationibus ad tempus exponenda*, 25. *Super illius ruina lamentatio*, 30. *Pſittacus peperit ova ſeptem*, 41. *Qvorum excluſit ſex, ſeptimum non poterit*, 52.]

REverſi ad me 10 Julii ſalutarunt, dicentes: Attende, qvæ de duplici Babylone tibi ediſſeremus. 2. Babylon enim eſt generalis & ſpecialis: & utraqve adeò exſtructa, ut utriqve innitantur omnes ſuperbè confiſi ea: ſed ecce Jehova confundet eos, & pudore afficiet. 3. *Babylon in genere omne illud eſt, cui homo innititur, congerens eô ſibi lapides.* 4. Dicunt enim homines in corde ſuo: *Qvis nos ſubvertet?* ſed fruſtra inſultant! ſpe enim innituntur, qvæ ipſos confundet, qvippe fundata in rebus tranſitoriis, qvæ vaneſcunt ut fumus, & exareſcunt ut aqva in terra ſitibunda. 5. Hæc ecce eſt in genere Babylon, fundare ſe in illis ſuper qvæ Deus diſpenſatorem conſtituit hominem, ut ſibi ſerviant. 6. *Scribe!* Maledictus, qvi ſpem ſuam ſuperſtruit vanitati, & innititur rei evanidæ! Pecunia & Opes, Robur & Potentia, favor & Mundi iſtius Amicitia, eſt Babylon. 7. Enimverò iſta ſunt velut umbra, qvæ tranſit; & velut ſtramen, qvod comburit ignis: qvia Potentia Dei ignem injicit in Babylonem illam, cui qvis confidit. 8. Tibi igitur dicimus, Exi è Babylone iſtâ corde totô! & audi qvoqve jam de Babylone ſigillatim. 9. *Duplex eſt magna Babylon: Altera, qvam qvis ſibi ipſe exſtruxit*, per commenta cordis ſui, per ſuperbiam, per inordinatam concupiſcentiam. 10. Ita Rex magnus erigi ſibi curavit magnam auream ſtatuam, adorari eam mandans ſub capitis pœna: hæc fuit Babylon propriô excogitata cerebrô: & cum eô te remittimus ad Scripturas Propheticas. 11. *Altera eſt Babylon exſtructa ab aliis*, per exhibitum vanæ rei honorem Divinum: ut qvùm maledictus ille vanus homo, qvi aurea ſplendeſcens veſte honorem Divinum ab aliis ſibi oblatum acceptavit, & caliginoſam faciem ſuam fulgidæ Dei faciei comparari, atqve ſic Babylonem ex ſe fieri permiſit. Cum iis Te ad Scripturas Novi Teſtamenti remittimus. 12. Attende diligenter! Ecce Imaginem ſuam erexit Rex ille ſine Reginâ, & venerari mandavit imaginem ſuam unà cum falſo Deo Maozim, faciem ſuam caliginoſam pro facie Dei proclamari permittens. 13. Dicenſqve in corde ſuo: Ego ille ſum, habitu indutus aureo, ſedens in throno, & projiciens in fornacem ſuccenſam eos, qvi characterem meum recipere, & imaginem meam adorare, gratia mea gaudere, hymnos meos cantillare, & mandata mea exſeqvi, meqve colere recuſant; eos ego excommunicationis fulmine percutio. 14. Nam ſeipſum magnificat, & magnificari vult ab aliis: & iſtud eſt Babylonem ædificare, & ædificandam curare, per falſam doctrinam & idololatriam. 15. Falſa Doctrina Babylonis fundamentum eſt, Idololatria verò Babylon fundamento huic ſuperſtructa: & utrumqve iſtud velut inutile lolium creſcit ad meſſem uſqve illam magnam, ubi falſi doctores pudefient, & Idolorum ſervi ejulabunt. 16. Nam Idola ipſorum combuſta ſunt, & veritas accuſat

cusat eos, & falsum dogma eorum condemnat eos, secundum Scripturas. 17. Falsa doctrina est Babylon, & agnoscitur per preces tanqvam Scripturarum clavem: Scripturæ enim Propheticæ & Apostolicæ Judicem agunt falsorum dogmatum: Christus autem Judex est omnium, qvi & Babylonem jam condemnavit, confractô super illam baculô, & pronunciata sententia. 18. Repandite aures, & audite clamorem contra Babylon! qvia exercitus annunciantium Euangelium clamant contra Babylonem.

19. *Et ecce, attendite! Duos cataphractos Eqvites expedivit Dominus adversus Babylonis fastum.* 20. *Unus venit ab Oriente*, instructus arcu & sagittis, qvibus feriet juncturas loricæ: & dissiliet fundamentum Babylonis, Babylonqve ipsa concidet. 21. *Alter à Septentrione veniet* subitò, scutum in manu gerens trifidum: proditqve fulminis instar, cum fulgure & terræ motu, & terrore ingenti. 22. Scutô unô percutit, alterô perseqvitur Venatoris instar, tertiô ad se rursum allicit: *qvia est affabilis progeniei, & optimi Viri filius.* 23. Ah terrorem! ah metum! qvi super Babylon venit! 24. *Super Babylonis ruinâ universa Mundi Regna in magnam inqvietudinem devenient per totum terrarum Orbem.* 25. *Et qvod magis, Germania tradetur in prædam, usqve ad tempus illud, qvô Electus Jehovæ tria scuta sua in excelsâ qvadam Arbore suspendet, ejusqve latè expansas frondes destruet, partem qvoqve illarum igni exuret.* 26. O Babylon, qvin aspicis & auscultas! Aspice, qvàm latus Gladius, qvàm præceps Gladius! 27. Aspice, ô Babylon, Dolium, qvod blasphemia & idololatria tua ad summum implevisti! Ecce jam emitto Virum illum, qvi epistomium illius extrahet! etiamsi tu illud lapide magno, velut centumpondio, obsignaveris: Operculum etiam orificii in dolium cadet, & robusti circuli tui rumpentur, neqve contineri poterunt, & ascendet fumus tanqvam incendii magni. 28. Epistomium extractum est, Operculum excidit, Circuli carie consumpti sunt: *venit id horâ unâ, ut torrens aqvarum; & diffundit se die unâ, & defluit instar ingentis diluvii mense uno.* 29. Et Babylon mox corruet, & vastabitur: aurea statua patescet, in clibano persecutionum propudium facta, & de spatioso suo campo pulsa. 30. Et Vir ille in solio sedens aureo vermes in ventrem nanciscetur, aureaqve vestis sua vertetur in lugubrem, & fætor ab illo prodibit instar cadaveris: qvalem edidit Cain cum sectatoribus suis, & hypocritica Pharisaica progenies Hierosolymis. 31. Babylonem, statuam auream, & Virum insidentem solio glorioso, deplorabunt Viri tres, & multi Terræ Reges, qvi Babyloni sunt loco muri; eritqve hæc ipsorum lamentatio, *Væ, Væ, Babylon cecidit unâ horâ!* 32. Nam fornicati sunt cum ipsâ, ideo ejulant miserabiliter super ipsam, qvi de poculo blasphemię biberunt.

33. *Similiter deplorabunt eam Nautæ, cantantes næniam: Væ, iterumqve Væ! unâ horâ cecidit Babylon! Nam de longinqvo eam adnavigabant, fastum & luxum ejus visuri, transigentes apud ipsam tempus in voluptate, Dei & charitatis obliti.* 34. *Mercatores etiam lamentabiliter ejulabunt, clamantes: Væ, terqve qvaterqve Væ! Cecidit Babylon, qvæ nos ditabat mercimoniis suis.* 35. *Ecce jacet! ecce vastata est: qvia Dominus judicavit eam, exsecutus super eâ sententiam scriptam in Libro.* 36. Attende & ausculta! statua, Babylon, & Vir sedens in solio, tria ista corruent. 37. Statua aurea est; habet enim multum auri & gemmarum, ditata à Regnis hujus Mundi. 38. Statua hæc est Mulier, Babylon est Bestia, cui Mulier tanqvam aurea Statua ineqvitat. 39. Vir autem il-

le Rex eſt, Rex tamen non unus ſed multi, qvi biberunt ex calice fornicationis. 40. Ecce Mulier hæc jam demum eqvitandi pruritu agitatur, demum ſibi Beſtiam pro arbitrio inſternere proponit. 41. Sed Dominus concutiet Babylonem & confundet, & qvaſſabitur ingenti procellâ: Mulier autem decidet, neqve illi Vir opitulari poterit, Reges nempe Terræ. 42. Nam eos vermes ab Oriente & Septentrione infeſtabunt, venientes agminibus magnis ut locuſtæ: qvia exſeqvi debebunt Verbum qvod locutus eſt Dominus per Prophetas, & id qvidem ſubitò.

43. Ecce Pſittacus avis ſeptem ova poſuit! ex qvorum ſex jam pullos excluſit. 44. Primus prodiit *Accipiter*: excellere enim ſibi videtur, & excellit apud infidelitatis filios, & apud eos qvi Libros inverſos habent: ſed tu Accipitrem iſtum ne magnifacias, id enim blaſphemum eſt. 45. Secundò excluſit *Serpentem*, & is habet caput callidum & caudam venenatam: calliditate capitis ſui effingit millenas ad propagationem dogmatis falſi & idololatriæ ſuæ, aſtutias. 46. Et qvos Idololatriæ voluptas trahit, eos ipſe venenatis ſuis caudis ad ſe pertrahit. 47. Et vis illarum ingens eſt, & multi formidantes eas bibunt ex fontibus venenatis, Verbumqve Domini deſerunt: & Scriptura S. abſcondita eſt ab ipſis, qvi Serpentem magnifaciunt: *Tu ſerpentem fuge, adhærens Propheticis & Apoſtolicis Scripturis!* 48. Tertiò *Corvum* etiam Avis iſta excluſit, qvæ eſt magna illa caligo: Niger enim perdurat ſemper, neqve mutari poteſt; capit & rapit qvidqvid poteſt violenter, neqve ulla in eo eſt amabilitas. 49. Atqve hæc eſt avis turpiſſima omnium, qvam excluſit Pſittacus: ab illâ igitur cave tibi nocte dieqve; nulla enim illi eſt qvies. 50. Qvartò excluſit *Cuculum*, qvi ſe ipſe, nomenqve ſuum, inceſſanter clamando prodit, & magnum qvidpiam præ reliqvis avibus videri vult. 51. Sed pullis ſuis gloriari non poteſt, non enim illos excludit. 52. Et habet avis hæc definitum tempus proclamandi nomen ſuum, poſtea conticeſcet. 53. Sed ſcriptus eſt dudum jam Liber: propterea coccyzationem ejus ne audias. 54. Porrò excluſit qvinto loco *Noctuam*, monſtroſam avem, ad qvam aves cæteræ gregatim convolant: Ita ad hominem hunc hominum turbæ confluunt, & monſtroſitatem ejus ſpectant, donec ſui obliviſcantur, ipſum circumſtando. 55. Tandem poſtremò *Philomelam* excluſit, tam dulce canentem, ut multi ad mentis uſqve deliqvium deliniti, Noctuæ abominandam monſtroſitatem non animadvertant, aut dicant: Fæda qvidem eſt Noctua, ſed cantus Philomelæ jucundus! at Tu ſubſiſtere, & fraudulento Philomelæ hujus cantui attendere, deſiſte! 56. *Septimum ovum Pſittacus non excludet*: Dominus enim ignem in nidum ipſius conjiciet, & nidus igneſcet, & amburentur ei pennæ, manebitqve nudus, & ovum diſſiliet, fætoremqve contrahet: diſſiliit jam, & nondum diſſiliit, ſed brevi diſſiliet. 53. Et qvicunqve illud continere tentaverit, diſſiliet ipſe qvoqve, qvantumvis magnus fuerit: Magnus enim eſt Dominus, Terræ univerſæ Judex. 58. Propterea dicimus, Avem hanc ne aſpicias, neqve progeniem ejus! ſed adhæreſce alis Gallinæ tuæ, Jeſu Chriſti, is te tutari poterit. 59. Satan enim in filiis contumaciæ (*tantùm*) potens eſt. 60. Aqvæ tribulationum volvuntur violenter ſuper Terram, tu tamen ne metue!

Seqvun-

Seqvuntur Visiones in Mense Septembri, per dies 10 continuatæ; ubi ei domum redire ultra tres hebdomadas interdictum fuit.

Dies I. Cap. XXIX.

Visio ingentis ignei Circuli, & atra fulminantisque Nubis.

DIe 13 Septembris ambo illi Juvenes ad me redierunt, dicentes: Ne metue, sed rei qvæ Tibi exhibebitur, attende! 2. Et conspexi ante me subitò Circulum qvendam, magni Solis instar, rubrum, ac velut sangvineum: in qvô lineæ fuerunt, seu maculæ, albæ & atræ, tantâ mixturâ se invicem variantes, ut jam nigrarum, jam albarum major cerneretur numerus: duravitqve spectaculum istud per justum spatium. 3. Et cùm ad me dixissent; *Aspice! Attende! nihil metue! nihil tibi accidet mali!* 4. Ecce fulmen tribus vicibus exiguo temporis intervallo sibi succedentibus intonuit, tàm horrendè & terribi-



liter, ut totus obrigescerem. 5. Circulus autem ille stabat porrò coram me, maculæqve albæ à nigris disjungebant sese: & circulus accessit tam propè mihi, ut manu tangere potuissem. 6. Fuit autem tàm speciosus, ut toto vitæ tempore amœnioris rei speciem nullam viderim: & maculæ albæ adeò candidæ ac jucundę, ut admirationis modum non invenerim. 7. Sed atræ illæ maculæ à nube qvadam horribiliter caliginosa ablatæ sunt: in qva nube tristem audivi ejulatum, etsi viderem neminem. 8. Verba tamen ejulatus & lamentorum fuerant, benè perceptibilia, hæc: Væ nobis, qvi nos caliginosæ nubi permisimus abstrahi à rotundo Divinæ gratiæ sangvine rubente circulo, qvô nos Dei gratia in Christo dilectissimo Filio suo comprehensos concluserat. 9. Miserere nostri! ignosce nobis! & largire nobis lumen Verbi tui! & imple nos Spiritu

ritu Sancto Tuo! eripe nos rursum ex hac caliginis nube in circulum æterni fæderis tui, fæderis Gratiæ, & impertire nobis verba vitæ æternæ! 10. Et audivi vocem in Circulo illo rotundo (tam sonoram, ut similem nunqvam in vitâ audiverim) clamantem. 11. Venite & bibite de aqva vitæ! *Misericordia enim Dei permagna est, qvi omnium misereri decrevit!* 12. Mox autem alia Vox, grandiore etiam sonô insonuit: Si qvis esurit, veniat citò: & saturabo eum Pane vitæ, & sortietur partem hæreditatis in Regno Dei, nubesqve caliginosæ non nocebunt ei: Lux enim mea lucerna est, & Verbum meum veridicum. 13. Et ecce vocem utrâqve illâ priore clarius intonantem audivi: Venite, & qværite, & invenietis, gratiam atqve misericordiam! Venite & pulsate, & aperietur vobis vitæ æternæ Porta! Venite, & attollite manus puras & corda sancta, & orate in fide & accipietis! 14. Ego autem Circulum illum speciosum coram me spectavi adhuc. 15. Insuperqve multa millia formosissimorum hominum, sed staturæ exiguæ, qvi valdè jucundis vocibus concinebant Psalmos, & frondes gestabant manibus suis amænissimè virentes, atqve ita progrediebantur: turba eorum tanta, ut numerari non possent. 16. Juvenes autem ad me: Aspice, & attende! Et vidi multitudinem hominum magnam, ex atrâ illâ nube egredientium, qvi ecce in rubrum illum circulum redibant, eoque admissi, unâ cum existentibus ibi cantabant. 17. Gloria, laus, honor, & benedictio sit illi, qvi est à seculis in secula, Hallelujah, Amen, Hallelujah, Amen, Hallelujah, Amen. 18. Cantabantqve Psalmos etiam, tantâ vocum suavitate, ut qvô id describam aut exprimam modô, non reperiam. 19. Et qvùm ista aliqvandiu intuerer, & magno cum stupore & solatio attenderem, disparuit visio. 20. Me autem inde paulò recedentem comitati sunt Juvenes, dicentes: *Multa Tibi à Nobis dicenda* restant, qvæ Tu peculiari libro conscribes omnia. Simulqve disparuerunt.

Dies II. Cap. XXX.

[*Explicatio præcedentis Visionis, Fulminisqve primi, 19. & secundi, 37. & tertii, 42.*]

Mensis ejusdem die 16, redierunt ad me, monentes, ut qvæ dicturi essent, auscultarem attentè: Conscribe, (inqviebant,) diligenter hæc omnia, & ora fervidè, ut ne te qvoqve obumbret caliginosa nubes. 2. Ecce attende! Visio illa, qvam in figura Circuli vidisti, significationem habet Gratiæ Dei, qvâ universum humanum genus ambiendo amplectitur. 3. Qvicunqve igitur per Charitatem & Patientiam huic misericordiæ Dei circulo, qvam Ille humano generi Propheticô annunciari verbô mandavit, & in Filio suo reapse exhibuit, sese incluserit. 4. Et qvicunqve per Charitatem sangvineo circulo Passionis Mortisqve Christi sese incluserit, qvâ Ille universum genus humanum redemit, sanctificavit, justificavit, & hâc viâ credentes omnes introduxit in Circulum Amoris, Gratiæ & Misericordiæ Dei, qvam super hominum Genus velut rorem & pluviam fætificantem Deus Pater effudit, eosqve ad fructificandum habiles fecit, ut essent liberi Dei verè liberi, in rubro illo sangvineoqve circulo Amoris sui permanentes. 5. Illi inqvam omnes ingredientur in Regnum Cœlorum, nec ulla vis, aut ulla tenebricosa Nubes à charitate Divinâ illos abripiet. 6. Qvemadmodum vidisti nigras & albas maculas sibi invicem permixtas, albas tamen in Circulo permansisse, terribili illo fulmine necqvicqvam abster-

abſterritas, neqve abripi ſe paſſas à Nube illorum, qvi in Babylone caligantes aliunde etiam atras maculas ad ſe pertrahere laborant. 7. Vide, audi, perpende! 8. Albi hoc in Circulo ſunt illi, qvi multas perferendo Tribulationes in humilitate & charitate conſtantes perdurant, & in fide per Chriſtum anteſignanum ſuum ad mortem uſqve decertant. 9. His ſeſe commiſcentes, & cum iis collidentes nigræ maculæ, nocere nil poſſunt: illi enim ſtant incluſi præpotenti Divinæ manui, ex qva eos eripiet nemo. 10. Non illi pertimeſcunt Mundi hujus fulmina, qvamcunqve validè intonent: Non pertimeſcunt, inqvam, ſed tutelæ Dei ſe committunt, & vincunt. 11. Habent enim in manibus ſuis Lignum Vitæ, & in Circulo Amoris Dei ſeſe continentes fulmina Babylonis ſuſqve deqve faciunt, & Nube Babylonis ſe abripi neqvaqvam permittunt. 12. Sed permanentes in Verbo Dei cantant Domino in cordibus ſuis, neqve blandiuntur fulminibus Babylonis, geſtantes Lumen in cordibus, Lumen illuminans mundum & diſpellens nubes caliginoſas: ut penetrare qveant illi, qvi clamantes ad Dominum nocte dieqve veniunt ab Oriente, & à Meridie, & ab Occaſu, & ab Aqvilone. 13. Egrediuntur itaqve cum Potentia, & Dominus ducit eos in robore ſuo, per ipſas caligantes Nubes ex denſis fætidiſqve Babylonitarum ſentinis aſcendentes. 14. Ecce, educi ſe multi ſinunt! qvi Verbo Dei attendunt: attentéqve vocem Dei vivi, viventis à ſeculis in ſecula, audiunt. 15. Ille enim ait: Venite ſitientes, & potabo vos, bibendamqve dabo Vobis aqvam vivam, & cibabimini cœleſti mannâ, pane Vitæ. 16. Qui eſurit, veniat, & de pane vitæ comedat! & ſaturabitur, perdurabitqve dies 40 tentationis hujus, profectæ ab impia Jeſabel & Achabo, inſtar denſæ & caliginoſæ Nubis. 17. Sed multi in hac Nube manent, nec egrediuntur. 18. Nam non qværunt cum Charitate & patientia, ideò non veniunt; non pulſant, ideò non aperitur eis; non orant in fide, ideò neqve Verbum Gratiæ accipiunt, ſed in nube Perverſitatis & Idololatriæ permanent, & humanis commentis ebrii titubant. 19. Propterea nec in laudem Domini cantant *Hallelujah*, neqve dicunt *Amen* in Domino: ſed tria illa vehementia fulmina timent & moriuntur in tenebris ſuis. 20. Sed qvicunqve ex Nube illâ caliginoſâ (qvò ſe pertrahi patiebantur) rurſum fuerint egreſſi, hi cum gaudio in magni Dei laudem cantabunt ſvaviſſimum *Hallelujah*, verumqve *Amen*. 21. Verbum namqve Domini verax & certum eſt. 22. Deus enim attraxit, & Chriſtus ſanavit eos, qvoniam ſanari voluerunt: nec ampliùs expectant aqvæ commotionem, qvæ fit per Angelum fortem. 23. O Beatos, qvi ſanari ſe à Chriſto paſſi, non regrediuntur in Nubem caliginum Babylonis, ſed perdurant in Circulo amoris & miſericordiæ Dei, qvo univerſum genus humanum aggregatum complexus eſt. 24. Feriat fulmen aut fulgur! aſcendant coactæ ex Babylone nubes! nihil tamen hoc eis nocebit. 25. Qvia unicus cœli terræqve Dominus manu ſuâ comprehendit omnia: ille ipſis exſtruet & conſervabit habitationem ſecuram, per Verbum ſuum, qvod ſufficiens eſt adverſus trinum Fulmen. 26. Et qvamvis album cum atro mirè ſe miſcendo micandoqve hominum oculos præſtringat, ut etiam album ab atro ſuperari, veritaſqve verbi Dei tenebris ceſſura videatur. 27. Hîc tamen demum inchoabitur verè Pſalmodia, Verbiqve Divini divulgatio, prout vidiſti & audiviſti.

28. Audi jam qvoqve de tribus illis

Fulminibus, qvæ audivisti: qvæ tamen vana sunt. 29. *Primum fulmen est magnum eorum Robur & Potentia cui innituntur.* 30. Sed potentia eorum similis est ictui fulminis, qvi subitus est, & terrorem incutit ingentem: eodem modo illorum potentia, qva impetere volunt Verbum Dei, nihil nisi terror est. 31. Fulmen simul atqve emicuit, evanescit subitò, à se ipso depastum: sic & tu hostis Verbi Domini Cæli & Terræ, teipsum consumes, ut ab igne stramen consumitur. 32. Exultate, qvi Vos in Circulum sangvineum recepistis! Fulminis hujus percussio vos non feriet, irrita res est Potentia illorum. 33. Jehova rumpet funes, qvibus Vos colligare proposuit: *Jehova ducit Leonem ex sylvâ Septentrionali, qvi casses à potenti illo fulmine vobis tensos dirumpet.* 34. *Eô ipsô, qvô vos capere constituit, capietur ipse, atqve irretietur sic, ut auxiliari illi nemo possit.* 35. Propterea tu vane vanum ne timeas, & caliginosa Babylonis Nube abstrahi te non permittas. 36. Neqve cuncteris exire ex hac Nube in exiguum coram humanis oculis circulum: qvi tamen infinitis modis major est, qvàm magni illius Fulminis potentia.

37. *Secundum Fulmen magna illorum & prodigiosa Fortuna est*, qvæ permultos prosternit, ut è sangvineo circulo excidant, & fulminis vanæ fortunæ ductum seqvantur. 38. Cùm tamen nihil sit nisi tonitrus qvidam, & qvasi scintillæ igneæ ex officinâ ferrariâ: qvæ coruscantes altum aëris petunt, & nemo novit qvò deveniant. 39. Nam oculos duntaxat splendicando perstringunt, virium & durabilitatis nihil habent: talis prorsus est felicitas mundi hujus, maximè verò Babylonis. 40. Tu proinde ne patiare te lubricæ hujus fortunæ fulmine in Babylonem abripi: ne egrediare sangvineo circulo Tuo! ne dementari Te permitte eorum exemplis, qvi fortunæ illius magnæ cupidine in tenebras Babylonis transierunt; æternas sibi in Babylone sedes polliciti, dicentes, Nunqvam Babylon labascet, perstat firmiter, ut murus. 41. Tu itaqve Fulmen istud ne respicias, vanum enim est. Nam qvi domum suam fortunæ fundamento inædificat, & non Domino, seipsum decipit: qvod facit Babylon.

42. *Tertium Fulmen sunt Divitiæ, Honores, Gratia, & Favor.* 43. Væ illis, qvi hôc Fulmine absterreri se patiuntur, circuloqve egressi à caligine Babylonis absorberi se sinunt: volutantqve se in deliciis Babylonis, & maledictis opibus ejus se pascunt, inqve platearum ejus angulis procumbentes honorari amant. 44. Et favorem atqve amicitiam Babylonis pro magno thesauro habentes in corde suo dicunt; Divitias, Honores, & Favores, largiri nobis potest Babylon. 45. O Væ tibi, qvi talibus divitiis pasceris, & oblivisceris verbi Domini! 46. Qvia omnes divitiæ mundi hujus peribunt: Honor autem & favor Babylonis vanus est: sed Verbum Dei nostri manet in æternum. 47. Propterea Tu cave, ne vana hæc fulminatio te ad ruinosam Babylonem convertat. 48. *Fundamenta enim ejus labefactata jam sunt, & procella veniens prosternet eam, & divitiæ ejus fient spolia, & gloria ejus in fœtorem convertetur.*

Hic sermonum finis fuit eâ die.

Dies III. CAP. XXXI.

[*Qvo Sermones de Babylonicâ statuâ continentur.*]

SEptembris Vigesimâ reversi dixerunt: *Attende qvæ loqvuturi sumus diligenter!* 2. Ecce statua ingens, præcelsa, lata, stat in locô, qvô stare non debuit, statqve ita, ut multi ad eam se convertentes

tentes adorent, delectati Tubarum & fistularum sonitu ipsam magnificiant, honoribusqve mactent. 3. Præcelsa enim est, *habens 60 Principatus & Regna*, per qvæ magna & terribilis facta est, ut jam existimet mundum universum sese adorare, & sibi honorem exhibere debere. 4. Est enim supra omnem modum jactabunda, & ambitiosa, & superba: non respiciens, se statuam duntaxat esse, cæcam & surdam. 5. Neqve aspiciens fundamentum cui innititur, sed tantummodò altitudinem suam, cui confidit; audenter clamitans: Altitudo mea est decies sex, hoc est, magna sum & excelsa. 6. Danielem cum sociis suis in Tribulationis fornacem conjeci, fornacemqve munivi fortibus excubiis: debet mihi comburi, cum sociis suis universis; qvia me adorare noluerunt. 7. Sed ô Tu cæcum idolum, videsne Excubitores tuos partim combustos, partim fugatos? 8. Danielem verò & socios suos vivere, prodireqve ex fornace indemnes & intactos! eritqve cùm Te irridebunt, Deum autem suum laudabunt, & in palatiis Tuis spatiantes in Domino exultabunt. 9. Rex enim magnus amicus ipsis existet, & humanitate illos excipiet. 10. Tempus tuum decurtatum est, ô cæcum idolum! dies tui defluxerunt aqvæ instar. 11. Hoc non vidisti Tu, qvia altitudo Tua excæcavit Te, neqve latitudinem tuam spectasti, qvæ est tantùm 6, breve tuum tempus. 12. O abominabile Idolum, dies tuos abbreviavit tibi Dominus, & dies tuos Tibi admensus est ille, qvi altior cælis omnibus sedet: & confringet Te qvasi in tempore, temporibus, dimidioqve temporis. 13. Baculus enim amænitatis sat diu fractus fuit super te: sed tu robustis cornibus tuis repulsasti eum, & admittere noluisti, sed rejectasti à te Verbum meum, & mandata mea deseruisti. 14. Confecistiqve tibi baculum ex ligno putrido alium, cui innixum incedis tanqvam cæcum, & viam tibi muniisti, qvæ te deducat in Akkaron ad Beelzebul, & in Azot ad Dagon, in Idololatriam. 15. Et non pateris te informari à verbo meo, dicit Dominus, & mandata mea conculcas pedibus, & extollis te in altum, distribuis mandata, & doces somnia falsasqve Visiones. 16. Et descendens in convalles Israëlis, conqviris oves, ut eas mactes, lanamqve deglubas, qvâ te contegas. 17. Et incedis insolenter, ut mulier superba de domo Jesabel, & incitas Achabum, ut Nabothum ad cedendum vineâ & vitâ ipsâ compellat. 18. Tu superba es statua, ab Auro & Honore traxisti colorem: altum occupas, sed alta non es. 19. Statua enim es & discutieris penitùs: Tempus adest, jam citò clamabunt, qvi adorarunt statuam, & coluerunt eam: Venite, fugiamus! ne asseqvatur nos Daniel cum sociis. 20. Dominus enim (inqvient) confregit super nos baculum devincientium, & brachium Jehovæ intolerabile nobis esse incipit. 21. Beati, qvi motum sentiunt intra se, non gravidati à statuâ istâ Babylonicâ. 22. Beati, qvi Statuam istam uberibus suis non lactarunt, nec uberibus ejus lactati sunt. 23. Væ autem illis, qvi ex hâc statuâ impraegnati abortiri nolunt, sed manent impraegnati, tametsi nihil sentiant. 24. Ejulabunt hi tempore partûs lamentabiliter: dolor enim obruet eos, & pavor à Domino provolvet se super eos velocissimè: qvia Tempus abbreviatum est, prolongari à nemine hominum poterit. 25. *Qvippe nisi abbreviati essent dies statuæ illius, introire non posset multitudo Gentium, & plenitudo filiorum Jacob.* 26. Væ illis, qvi lactârunt Statuam, & qvi fuerunt Nutrices ejus, præbentes illi ubera sua, & necdum ea retrahentes: sed pergunt lactare u-

 beribus

beribus suis statuam, ejusqve opes, potentiam & superbiam, promovere. 27. Hi nisi fugâ se eripuerint, afflictionem non evadent, qvæ ventura est super Statuam, Afflictio tanta, ut describi neqveat. 28. Eadem verò sors erit amasiorum ejus: qvi necdum aversari statuam volunt: sed descendunt de tectis, & ad ubera illius accurrunt. 29. Qvin imò è campo redeuntes expandunt statuæ ubera sua: neqve recogitant, qvid de illa jam factum, & futurum sit brevi. 30. *Tempus enim abscissum est: qvis erit super terram, qvi eam sustentare valeat? Nec vis juvabit nec robur: nec eripiet eqvus, nec armiger; non album nec atrum.* 31. Ergò qvisqvis fugere potes, fuge totô pectore, adulari cave! Non te remoretur vel nix vel pluvia. 32. Nihilqve ad id respecta, qvòd apud illos frigus sit, qvi Idolo blandiri nolunt, neqve ad id, qvòd dies solemnitatum in dies tristitiæ illis conversi sunt. 33. Audite Vos, qvi uberibus vestris statuam Babylonicam nutritis: Ecce istis brevi effulgescet Sol, & cessabit imber, & illucescet lætitiæ dies! qvia non assentabantur statuæ: propterea illis neqve imber nocere qvidqvam potest, neqve nix. 34. *Fietqve non multò post, ut rursum celebrent solemnitates suas, confluentes congregationibus magnis, & exultantes Jehovæ Deo suo, & psallentes in cordibus suis, & concinentes canticum Moysis Servi Dei.* 35. Et fiet brevi, ut statuam hanc nemo curet ampliùs: Danielem enim cum sociis suis extollet Deus, qvi statuæ huic aurum adimet, *eritqve in prodigium toti mundo, maximè verò Germanico Imperio.*

36. Nos autem hîc desinimus: Tibi si qværere qvidqvam ex nobis libet, licebit, cùm reversi fuerimus. 37. Ita disparuerunt: ego autem perrexi iter meum.

Dies IV. Cap. XXXII.

[*De Pseudoprophetis.*]

REversi 23 Sept. ad me dixerunt: Cave aliqvid fucatô qværas corde: hoc enim abominatio est apud Deum. 2. Attende & audi! *Ecce Pseudoprophetæ exierunt multi & seduxerunt multos!* 3. *Contegebant enim toties mensas suas, Cœnam apparare magnam tentantes.* 4. *Qvorum unus offerebat Vinum ex botris, qvos collegerat ipsemet; cogitabat enim parare Cœnam splendidam & vino suo inebriare homines.* 5. *Alter ex pluribus vinis potum commiscens, singulari sapore commendare, & homines inebriare tentabat.* 6. Atqve hi ambo sunt Pseudoprophetæ, alter fraudulentiam suam ex seipso habens, alter ab aliis: Exeuntqve ambo & exierunt jam. 7. *Prior* traditus est à Deo in sensum reprobum: qvoniam in infidelitate ac perversitate incedens, tanqvam cæcus, sanari à Christo renuit: Sed cæcus ex utero matris existens suamet cæcitate semet oblectat, Lucemqve, qvæ Christus ipse lux Mundi est, à se amovet. 8. *Alter* haurit ex puteo vacuo aqvam, convivium instruens è vino alieno, quod differt nationibus super Terram: qvibus apparandi cænam magnam potestatem sibi arrogans, proclamat, *Hic est Christus!* & seducit plurimos. 9. Clamitat enim: *Christus est in penetralibus! Christus in deserto!* 10. Ecce qvantum est Pseudoprophetarum! contemnitqve & condemnat alius alium: seipsos enim duntaxat respiciunt, non Christum. 11. *Prophetæ iræ sunt omnes: propterea nihil aliud qvàm criminari & condemnare norunt.* 12. *Non introspiciunt in se ipsos, sed circumspectant tantùm alios, fratrem in Christo animi malignitate, vindictæqve cupidine, vituperan-*

perantes, reprehendentes, condemnantes. 13. *Hi sunt verè Pseudoprophetæ, genuina viperarum progenies, plena virulentæ malitiei, qvam adversus omnes ipsos audire, & Christum in latibulis aut deserto qværere nolentes, effundunt, velut ignem; Jesabel verò mortem illis minitatur: Sed Jehova in omnibus illis auxiliatur.* 14. Conticescentibus paulisper illis interfabar ego: *Vellem & ipse mihi à talibus cavere.* 15. Ad hæc illi: *Ante omnia*, inqviunt, pete à Deo Spiritus S. præsentiam, qvam promisit Christus omnibus Patrem implorantibus. 16. *Deinde*, ora corroborari fidem tuam: idqve non alio qvàm Christi nomine, ejusqve promissione fretus. 17. *Tertiò*, Pseudoprophetas istos semper contemne, qvi non contenti unicâ viâ Christo, vias varii generis extra Christum qværunt. 18. Qvùm Pseudoprophetarum multivia vides, mitte eos, & Christo adhære: Ipse enim via est, nec via solùm, sed & veritas. 19. Si Mundus de veritate contendit & litigat, Tu Christum tene, ipse Veritas est: intricari te autem tricis Pseudoprophetarum ne patere; qvi litigant, & nesciunt qvare. 20. Rejiciunt enim salvificum Gratiæ Verbum: & qvod majus, adhærent tantùm mortuæ humanarum doctrinarum literæ: Christum autem vitam ipsam foris relinqvunt. 21. Perpende ista diligenter, & facilè tibi erit falsos discernere Spiritus, nec tibi nocere poterunt qvidqvam.

22. *Cur autem tantus est Pseudoprophetarum numerus?* qvæsivi ego. 23. Resp. Multum utiqve est hypocriticæ istius progeniei, & seducunt multos, adeò ut electi etiam, si possibile foret, seduci possent. Sed audi. 24. Etiam à tantâ ipsorum multitudine electis nihil est periculi: illi enim credunt in Christum, per qvem adoptati sunt in filios & hæredes æternæ vitæ: neqve offenduntur multitudine eorum, qvi se decipi sinunt. 25. Conservat enim sibi Dominus semper sua septem millia, qvi neqve corda neqve genua sua Pseudoprophetis incurvant. 26. Credunt enim in Christum: ideoqve salvabuntur, & ipsi, & domus ipsorum universa. 27. Qværenti mihi: *Nunqvamne verò veniet tempus, qvô desinant Pseudoprophetæ?* Responderunt: *Attende: Pseudoprophetæ nunqvam desinent ante Mundi finem: sed Deus Spiritum suum impertitur propter Christum, omnibus in illius nomen credentibus.* 29. *Et fiet, jamqve factum est, ut verè credentium unicus omnibus Pseudoprophetis resistere sufficiat, etiam ab omnibus qvatuor Mundi plagis consurgentibus.* 30. *Qvemadmodum unicus Dei Propheta (Elias) qvadringentis Pseudoprophetis resistebat per verbum Domini.*

31. *Qvo autem charactere cognoscere illos debeo?* 32. Resp. *Si nosse illos exactè cupis, lege humiliter Christi, Prophetarum, & Apostolorum Sermones, ex his illos cognoscere disces.* 33. Nam si corde suo iram fovent, non dilectionem, verè *Pseudoprophetæ sunt.* 34. Si ore suo verba sua, & non verbum Domini circumferunt, *Pseudoprophetæ sunt.* 35. Si externa pietatis specie coram hominibus nitent, coram Deo in conscientiis suis dissoluti, *Pseudoprophetæ sunt.* 36. Si propriam qværunt laudem, & non Christi gloriam, *ipsissimi Pseudoprophetæ sunt*, in seipsis, non in Christo, se fundantes. 37. Si Mundum amant, & amant magni audire Domini, nec se ad Christi patientiam demittunt, paupertatemqve ipsius & humilitatem externis tantùm, non cordium internis oculis, aspiciunt, *Pseudoprophetæ sunt.* 38. Si vim & oppressionem exercent, edictis & condemnationibus, carceribus & afflictionibus, necibus & proscriptionibus, *non est in illis Christi Spiritus*, qvi aliud longè filios

docuit ſuos. 39. Talibus falſis, hypocriticis, parricidioſis Prophetis, plenus eſt mundus. 40. Talis fuit *Saul*, ante miraculoſam converſionem ſuam: mirificè enim oblectabatur necibus Diſcipulorum Domini, putans ſe hâc ratione placiturum Deo. 41. Tales ſunt omnes Pſeudoprophetæ: qvia ſecundum literam externam judicant.

42. *Veros autem Dei Prophetas his characteribus cognoſces:* Adhærent firmiter verbo Dei, & Doctrinæ Chriſti: non ſunt vaſa iræ, ſed filii gratiæ, utpote imitatores Chriſti. 43. Vivunt in timore Domini, & legem ipſius rimantur nocte dieqve: aguntqve pænitentiam & credunt Evangelio. 44. Vita ipſorum non eſt hypocriſis, neqve cor eorum duplex. 45. Non gloriam ſuam, ſed Chriſti qværunt. 46. Non in ſeipſis fundati, neqve apud ſeipſos ſapientes. 47. Non diligunt Mundum, neqve id qvod in Mundo, ſed Chriſtum reſpectant: cujus paupertas ipſorum ſunt opes, cujus manſvetudo ipſorum ſpeculum, cujus doctrina ipſorum via, cujus ignominia ipſorum gloria, cujus triſtitia ipſorum ſolatium. 48. Cujus paſſio ipſorum libertas; cujus dolor ipſorum relaxatio; cujus clamor ipſorum ſilentium (qvia afflictiones mundi non curant) cujus ſilentium ipſorum clamor (clamant enim nocte dieqve ad Dominum Deum ſuum;) cujus Crucis mors ipſorum vita, cujus ſepulchrum ipſorum reqvies. 49. Cujus Reſurrectio ipſorum æternæ vitæ ſpes; cujus Aſcenſio ipſorum ſuper hoſtes univerſos victoria. 50. Omnes enim inimicos pedibus ipſorum ille ſubjecit, & lætantur in Domino, & Spiritus Domini confortat eos in fide Chriſti, contra mundi Tyrannos. 51. Honori ducunt à mundo contemni, & odio haberi: honorem autem mundi omnem nihili æſtimant, & divitias mundi pro excrementis, potentiam mundi pro vanitate habent. 52. Maledicentibus ſibi benedicunt, & ægrè ſibi facientes ſine murmure tolerant. 53. Perpende iſta, & diſcernere diſces Pſeudoprophetas à Prophetis Domini veris, verbis Domini cœli & terræ attendentibus. 54. Ecce ubi modeſtia eſt, ibi humilitas; & ubi humilitas, ibi charitas; & ubi charitas, ibi ſpes certa. 55. Chriſtus te tolerat, & amavit priùs qvàm tu amaſſes ipſum: tu proinde qvoqve tolera proximum, retinens charitatem & ſpem erga Chriſtum, petenſqve in nomine ejus Spiritûs S. gratiam: ſic tibi Pſeudoprophetæ nihil nocebunt. 56. His dictis diſparuerunt ab oculis meis.

Sermo Diei V. CAP. XXXIII.

[*De Regnis Mundi nunc adverſus invicem concitatis, 1. Vanitas Babylonica deſcribitur, 9. Deus Maoſim, 31. Locuſta ab Oriente, 45. & 56. Aries & Caper mactabuntur, 48. &c.*]

POſtridie (24 Septem.) reverſi ad me continuarunt Sermonem ſuum, dicentes: *Audi & attende.* 2. *Regna Mundi concitata jam ſunt adverſùs invicem, & arietant inter ſe velut Arietes petulci, convellentes ſe invicem veluti feroces Galli.* 3. *Alius de alio ſententiam pronunciant, dicentes ſinguli in corde ſuo: Ego prævalebo Tibi, extendi enim tibi caſſes, capturus te, ſicut feram venator capit.* 4. *Sed ô tumidi Galli, ô laſcivi Arietes, qvorſum iſta jactationes veſtræ? Jehova omnia regna in manibus ſuis habet.* 5. *Qvis veſtrum eſt, ô Reges, qvi dicere audeat: Corona eſt in manu mea, Terra eſt in poteſtate mea? Nemo me deprimet, qvia magna eſt potentia mea, & robuſta manus mea: qvis mihi Coronam auferet de Capite meo? qvis Terram meam in ſpolia convertet?* 6. *Aut, qvis reſponſare audet mihi, qvaſi me id qvod ago agere non deceat? Ego enim poteſtatem*

tem habeo dividendi terram; ad distribuendum munera dives sum, qvis me impediet? 7. Sed tu audi, & scribe! *Regna Mundi undiqve contra se invicem insurrexerunt, qvia falsis spiritualibus ventis nubium instar cogi se permiserunt, & castra metati sunt adversus se invicem tanqvam nivium acervi.* 8. *Sed liqvescent, tanqvam Glacies à calore, & diffluent tanqvam nix à Sole, & exarescent à vento Jehovæ, tanqvam gramen succisum, & folium arboris, & non perstabunt: vanitas enim sunt omnes.* 9. *O miseram vanitatem*, qvæ se projectat super omnia, & suomet motu sursum evolat instar pilæ vento inflatæ. 10. *O vanitatem miseram*, qvæ se in altum tollit, sicut extolli solet pilum in mortario. 11. *O miseram vanitatem*, qvæ contra Deos mundi hujus fulminat terribilia verba! 12. *O miseram vanitatem*, qvæ Deum Patrum suorum non curat, neqve Deum Altissimum, neqve amorem mulierum. 13. Et qvod majus est, misera hæc vanitas super omnia se extollit. 14. Et misera vanitas colit Deum, qvem nesciverunt Patres ejus, Deum *Maosim*: & misera vanitas auro & argento mactat cultores illius Dei sui, & dividit inter eos Terras tanqvam Rex. 15. Sed ô Vane misselle homuncio, *qvi fœda & monstrosa ineqvitans Bestiæ præ qvovis Rege superbis, Reginam non habens!* 16. O misera transitoria Vanitas, *qvid inflaris adeò, & ventosæ instar pilæ te projectas? & vani hujus mundi colludunt tecum, teqve insequuntur, ementes à te, qvod ipsa non habes.* 17. *O vane, vani hujus mundi te inseqvendo defatigati sunt, jam mandabo, ut cursitare & emptitare desinant: Tu autem in oblivionem venies, sicut pila tempore brumæ.* 18. *Mercatores tui è longinqvo stabunt, velut tempore pestis.* 19. *Qvia pestifera hulcera tua erumperunt, & in apertum prodierunt, halitumqve virulentum emittunt, ut omnes te jam aversaturi sint.* 20. *Jehova te confundet, qvoniam impletum est tempus, & jam exspiravit: non jam tibi ampliùs prosperè cedet, nec effereris aut extolleris ampliùs.* 21. *Jehova enim auferet libramenta tua, qvæ te sursum attollebant veluti pilum ad pinsendum.* 22. *Sed jam libramenta tua aliud attollere debebunt pilum, qvô tu ipse contunderis, & conqvassaberis, ut extolli neqveas ampliùs.* 23. Ecce Vocem magnam intonare faciam contra te! qvæ & ante semper insonabat tibi. 24. Sed Tu per potentiam Regnorum Terræ obturabas aures, audire nolens: inclamanti autem Te incîdi curabas venam, bibens sangvinem ejus. 25. Qvô inebriatus necdum oculos adaperire potes: multò minùs audire vocem prodeuntem ex civitate Dei magna, habente duodecim fundamenta, & portas 12, nempe vocem Evangelii, potentiam Dei ad salutem credentibus. 26. Per hanc vocem superbæ tuæ voces, contra Deos hujus mundi emissæ, manifestabuntur. 27. Et tametsi Tu distendas fauces Tuas, & os tuum maledictum aperias, & lingva tua præcox sit ad Blasphemandum: Dominus tamen distenso gutturi tuo funiculum præducet, eiqve appendet libramina gravis ponderis, & strangulabit blasphemam tuam lingvam in faucibus tuis. 28. Et conticesces, & obmutesces, & non effuties ampliùs blasphemationes, superbaqve verba contra Deos mundi hujus: sed illi loqventur adversus Te, & consiliis decernent de Te, & venient super Te instar Diluvii, qvô suffocaberis, nec jam aufugies. 29. Non aufugies autem ideò, qvia non curasti Deum Patrum tuorum, & Altissimum non dilexisti, neqve coluisti corde tuô, sed ore duntaxat. 30. Amorem qvoqve mulierum neglexisti, sed abominanda patrasti: & efferens te super omnia, & subjecta tibi esse volens omnia, dicebas:

bas: *Rex sum, facio qvod volo.* 31. Et fabricasti tibi Deum *Maosim*, qvem aurô, argentô, & gemmis coluisti: ditans & honoribus cumulans eos, qvi honorare tibi Deum tuum auxiliati sunt & distribuisti inter eos terram. 32. Et excreverunt tecum, & regnant tecum, adhærentes tuo illi *Deastro*, cujus tempus exspiravit, & mensura ejus impleta est. 33. Tu qvidem te Deum tuum prævalidæ inclusisse munitioni existimas, & prospexisse illi optimè, ut inexpugnabilis sit. 34. Sed *Jehova convocat Reges ab Aqvilone contra munitissimam urbem Tuam; & ecce jam veniunt, Gladium ferentes latum & acutum contra te, qvi discutiet mœnia tua.* 35. *Adigent enim te ad incudem tuam, & attollent Malleum, qvo contunderis.* 36. Et experieris, me Jehovam esse discutientem tibi Deum tuum Maosim: & cognosces, nihil tibi profuturos ejulatus tuos: adjutor enim nullus erit. 37. Et adducam super Te *Monarcham magnum multorum Regnorum*, qvi veniet super Te cum furore magno. 38. Ah Væ! tempus jam adest, jam venit! 39. *Regna Mundi clangore tubarum concitata sunt, & primores Terræ dati in sensum reprobum, nesciunt, neqve credunt, Babylonis adesse ruinam, neqve jam adesse finem falsi Dei Maosim.* 40. *Sed camillant cantilenas Pacis, & enarrant sibi invicem novellas de rebus prosperis.*

41. *Exsurgite Reges!* accingite vos contra fictum Deum Maosim ad prælium! tempus illius exspiravit, jam *Fuit!* 42. Ah! Ecce geminum incipit prælium! interficiunt se invicem, sangvis funditur multus! 43. *Meridiales & Occidentales* instruunt aciem ad exeundum in furore, & complendum voluntatem suam, & exseqvendum qvod decreverunt, & ut prævaleant inimicis suis omnibus die unô. 44. Sed hæc Turba festinat ad diem infortunii sui: qvia jactantes ingentem potentiam suam *sternentur ab Orientali & Septentrionali Exercitu.* 45. *Qvod nemo credet, nisi tùm cùm videbunt qvasi Locustas ab Oriente & Septentrione advolantes.* 46. *Atqve tunc multi in desperationem incident: qvia magnâ velocitate res fiet: nec eam robusta Meridiei brachia impedire valebunt.* 47. *Verbum enim Jehovæ in exsecutionem ire necessum est.*

48. Ecce *Aries & Caper* procurrunt unà! 49. *Aries* allidet capite, & Vir qvidam pavore perculsus curret, perterrefactus valdè: sed non diu: recipiet enim solatium. 50. *Caper* arrodit Arborem qvandam fructiferam, qvæ ad tempus sine foliis stabit: sed rursùm revirescet, fructumqve proferet, & valdè excrescet, eritqve in admirationem magnam incredulis. 51. Et *Aries*, & *Caper*, habent ante se longinqvam viam: sed hæc ipsis obruetur nive. 52. Et mactabuntur: Vir autem ille redibit lætabundus; & Arbor illa protrudet folia & fructus: & hæc adferent læta tempora. 53. *Rumor invalescet, adversùs Septentrionales & Orientales locustas confœderationem fecisse multos Reges, Principes, & Potentes, Imperiumqve futurum in pace, & jactabunt ingentem potentiam suam.* 54. Sed hi postea semetipsos invicem prodent, & instar luti ferro admisti dissilient. 55. Id autem propterea, qvòd consilia duntaxat inibant ad debellandum eos gladiô externô, pænitentiam verò non egerunt: ideò inimicis suis tradentur in manus.

56. *Locustæ ab Oriente etiam in discrimen venient. Involabit enim eas Avis magna, & damnis ingentibus afficiet.* 57. *Ipsa tamen cum robore magno venient, & facient qvod sibi habent injunctum, mandatumqve Altissimi exseqventur, sicut scriptum est in Libro.* 58. Atqve hic Sermonum finis fuit eâ die.

Dies

Dies VI. Cap. XXXIV.

[Mundus prodigia contemnit ut Pharao, 2. Comparatio moderni Ecclesiæ afflictoris cum Pharaone, 4. & Saule Rege, 25.]

SEptembr. 28, redierunt ad me ambo, & salute præmissâ dixerunt: Attende nobis diligenter, & animum adverte! 2. Infidelis mundi progenies signa expetit & Miracula, cùm tamen miracula pro miraculis agnoscere nolint, sed Terram tantùm respectent, & non opera Dei. 3. Sicut Bos nil nisi gramen circumspectat, ita Mundus nil nisi ea, qvibus oculos pascat & ventrem: opera Dei circa se nullius pensi habens. 4. Sicut Pharao non considerabat miracula Dei, sed brutis tantùm oculis aspiciens dixit: *Qvis ille Deus est, qvi per Vos mihi populum dimittere mandat? Ego hæc prodigia parvipendo: Sangvis est sangvis; Reptilia sint qvicqvid sunt; Pestem pecorum & tenebras non curo; Grando & Ranæ nihil sunt novi; Ulcera & Locustas in prodigiis non numero.* 5. Sic ecce prodigia susqve deqve habuit Pharao, & suæ confidens potentiæ dimittere Populum noluit, donec tandem Deus omnes ejus primogenitos percussisset, tunc demùm dimisit. 6. Cæcitas tamen & induratio non recessit ab illo: qvapropter surgens persecutus est Populum cum universo robore suo, assequi eos, & prorsus internecioni dare intendens. 7. Atqve sic priorum oblitus miraculorum, non cogitavit, qvemadmodum aqvæ in sangvinem conversæ erant, ita sangvinem suum cum aqvâ maris commixtum iri, sibiqve cum universo Exercitu suo in aqvis pereundum esse. 8. Propterea ille anteacta contemnens in sensus sui perversitate progressus est, usqve in sepulchrum suum. 9. Atqve ibi perierunt Eqvi, & sessores, totusqve Exercitus ejus in aqvis; Populus autem Jehovæ pede sicco pertransiit: sed exercitus obdurati Pharaonis submersus est. 10. Prodigium hoc magnum fuit: cui prorsus simile prodigium eveniet nunc. 11. Superbus enim, obduratus, cæcus Pharao non aspicit ulla prodigia, interitum suum sibi præsagientia: sed omnia omninò contemnens pro nugis habet, donec in perversitate sensus sui ad locum sibi destinatum venerit. 12. Dicit enim in corde suo: Qvid prodigia hæc aliud sibi volunt, qvàm qvòd victoriam mihi de inimicis meis reportandam prænunciant? 13. Consurgam igitur, & eos perseqvar: cincti enim sunt potentiâ meâ velut montibus arduis, qvos superare non poterunt: & robur meum coram illis est ut mare profundum, qvô absorbebuntur. 14. Non evadent manum meam: delebo eos omnes: id enim jam dudum apud me decrevi, & robusta est manus mea. 15. Atqve id propterea faciam, qvia rejiciunt mandata mea, & parêre nolunt verbis meis, neqve Deum meum Maosim colere, sed dicunt, *Deo nostro, Deo vivo*, serviemus. 16. *Sed audi, & attende: ô Tu superbe & indurate, sine Regina Rex!* ô tumide, oculis capte, ad mortem destinate, qvi levamen apud te implorantibus afflictionem addis, & jugum ipsis aggravas, & propellis eos in campum, ad colligendum stipulas, & tolerandum calamitosum exilium. 17. Sed hoc illis eô proderit, ut tantô ardentius die noctéque clament ad Dominum; qvi eis Liberatorem mittit, qvi eripiet eos ex tyrannide tua: hoc tibi prodigia, qvæ nunc in Mundo facta sunt, & fiunt adhuc, præsagiunt. 18. *O Vos fideles Christo confisi Israëlitæ*, attollite cum gaudio capita Vestra! & cernite appropinqvantem Redemptionem vestram. 19. Nolite sangvinea pertimescere prodigia: hæc enim vobis

diem prænunciant, qvô educemini è servitute vestrâ. 20. Montes magni nihil obstabunt, & abyssum maris dividet Dominus, superqve inimicis vestris concludet. 21. Hoc erit miraculosum factum, per universam terram deprædicandum. 22. Ecce de tribus prodigiis tibi dicere habemus! 23. *Primò, Pharao hujus temporis potentiam colligit ingentem*, qvâ instructus exibit cum agminibus multis & insperatò præcipitabitur in mare, ejiciendus in littus, unà cum copiis suis. 24. Nemo erit, qvi ei opem ferat: qvia contempsit prodigia interitum sibi suum prænuntiantia. 25. *Secundò, Saul hujus temporis vibravit hastam suam in adolescentem, qvi est in Septentrione: sed fefellit eum ictus, & fallet:* Aufugit enim sicut David, & Magnus Dux Michaël in auxilium illi veniet, & vincet. 26. Auferеturqve corona, & pileus, & sceptrum, de capite Saulis; & imponetur capiti adolescentis, & sceptrum dabitur in manus ei: & subjiciet sibi montes & valles. 27. Atqve hoc erit prodigium, qvod stupescet mundus: recogita id probè. 28. *Tertium prodigium: Saul hujus temporis nuncios expediet, & jam expedivit: sed isti omnes prophetabunt ipsius interitum.* 29. Qvin & ipsemet proprii interitus Propheta sibi existet: & qværet visiones falsas, & consilia apud mortuos implorabit. 30. Sed hôc ipsô complebit tantùm mensuram peccatorum suorum, & conscendet in montem desperationis: imò jam est in monte desperationis. 31. Nam armigeri ejus adversâ utuntur fortunâ: Dominus mittet super eos tremorem, terror à Jehova invadet eos sicut terror cervi juvenis à venatoribus, & sicut horror infantis à feriente fulmine: hoc erit prodigium! 32. Factum est, & tamen nondum factum est, sed fiet brevi, die unô. 33. His finierunt sermonem.

Dies VII. Cap. XXXV.

[*De exsuperantibus in mundo iniqvitatibus; Corporali, 145. & spirituali, 44.*]

SEpt. 30, reversi ad me denuò dixerunt: *Diligenter attende, & qvæ tibi dicturi sumus scriptô excipere nihil formida.* 2. Ah cæcitatem deplorandam, & caliginem profundam, cui involuta major mundi pars jacet, & consurgere non vult, neqve removere à se iniqvitates horrendas. 3. Sed peccatis oppleti cubitum eunt, & cubitu surgunt, delectationem habentes in facinoribus malis: ut premat alter alterum, fratrem frater, à mane ad vesperam. 4. Attende & audi! Qvi veritatem Dei non cognovit, delectatur iniqvitate, & pervertit Justitiam in amarum absynthium, & judicium à se rejicit. 5. Et lingva ejus præceps est ad efferendum iniqvum judicium; & manus præcoces ad inferendum vim orphanis & adolescentibus qværentibus justitiam Dei, contegentibus se byssô candidâ, & cingentibus se cingulô justitiæ, utpote firmô amoris & justitiæ Dei vinculô. 6 Nam veritas lumen est, & justitia lampas in tenebris & umbrâ mortis lucens, & educens ex injustitiâ in Justitiam, qvæ habitat in Israël. 7. Joseph autem plantat illam veluti arborem fæcundam: per dilectionem & mansvetudinem erga fratres suos. 8. Qvamvis illi non curant, se ex ignorantia suppressisse justitiam: Justitiæ Dei ne semel qvidem recordati, donec compulsi fame qværerent Justitiam, illucentem terram tenebricosam, & illuminantem eos qvi habitant in tenebris. 9. Et Joseph fratribus suis cognoscendum se præbet, & de illis sollicitus dividit inter eos Terram: videntqve illi gloriam ejus, qvâ pollet. 10. Hæc probè considera, & conscribe diligenter.

ter. 11. Ecce enim tempora illa præstò sunt, de qvibus prædixerat magnus Propheta, multiplicatum iri iniqvitatem. 12. Et hæc iniqvitatis tempora fuerunt, & sunt in Terra diluvii instar: *multiqve Regum, Principum & Magnatum, mergentur magnis iniqvitatum aqvis:* qvoniam morantur in aqvis injustitiæ, & ad justitiæ portum appellere nolunt.

13. *Attende & audi!* Una iniqvitas est corporalis, Spiritualis altera: ac utriusqve vinculis constrictus jacet totus ferè Mundus: qvia ubiqve alii aliis iniqvitatem intentant. 14. *Corporalis iniqvitas* tantoperè invaluit, ut nec inter Gentiles fuerit tanta. 15. *Væ potentibus in Terra*, qui oppressis vim inferunt, & pio Nabotho vineam adimunt, audientes esse mortuum, & non habere auxiliatorem. 16. Et qvi non inqvirendo in fraudulentiam scelestæ Jesabel justitiam in ignorantia detinent, & hæreditatem Naboth ad se derivantes lætantur, sicut Achab, & Domos domibus, Agrosqve agris iniqvè accumulant. 17. *Væ exercentibus violentiam & oppressionem.* 18. *Ah Væ illis, qvi iniqvitatem deasciant sicut Cæmentarius lapidem, ad conciliandum illi speciem.* 19. *Ah Væ illis qvoqve, qvi Justitiæ duntaxat libros inspiciunt, non etiam Charitatis libros, in seipsis.* 20. Talibus vinea Nabothi parùm adferet fructus, sed judicium Achabi manebit illos: Arcus enim à Jehova intensus est adversus eos, Sagitta Altissimi impetet eos. 21. Confusionem magnam incurrent coram Judice Justitiæ, in cujus ore nihil est doli, & cujus oculi fulgidiores sunt Sole, ad perspiciendum qvasvis totius Mundi impietates, & producendum in lucem omnes iniqvitates ejus. 22. Proinde iniqvus esse in alterum nemo debet: imò qvi Christianæ conversationis habere vult testimonium, is ne inimico qvidem injuriam inferre, qvinimò nec in Ethnicum qvidqvam mali cogitare, multò minus reipsâ illi ægrè facere, debebit. 23. Id enim abominatio est coram Deo. 24. Lege Propheticas & Apostolicas Scripturas. 25. Attende & audi! *Justitiam scienter supprimere, peccatum est in Spiritum S.* & nisi resipiscant tales, à facie Divinâ (ex decreto immutabilis Justitiæ Dei) rejicientur. 26. Atqve tunc eorum potentia nihil eos juvabit, qvam in violentiis inferendis usurparunt. 27. Secundò, *Justitiam scienter supprimere, abominanda est Idololatria*, ipsissimiqve Diaboli adoratio: cui sic inservitur in opprimendâ Justitiâ, præbeturqve sic illi in corde domicilium, ad promovendum semper iniqvitatis opus. 28. Tales nisi desistunt, & ad pænitentiam se convertunt, accipient mercedem iniqvitatis, exitium æternum. 29. Tertiò, *Justitiam scienter supprimere, facinus est homicidii.* 30. Nam qvi proximo infert injuriam, vitam ipsi adimit, & mortem ei accelerat, accersito mœrore morbo à qvo moritur, ut ante diem in sepulchrum descendere cogatur. 31. *Audi Tu*, qvi supprimendo Justitiam occidis fratrem! Mors æterna merces tua est. 32. *Audi Tu*, qvi supprimendo Justitiam fratri morbum concilias, conscientiam malam, qvæ pejus omni morbo dolore te cruciabit. 33. *Audi Tu*, qvi fratrem Tuum ante tempus in sepulchrum contrudis! dimidium dierum tuorum non attinges, sepulchrumqve tuum erit infernus, & cruciatus Infernales deliciæ tuæ, & Justitia Dei æternùm manebit super Te, ni resipiscis, & velut ex mortuis resurgis ex iniqvitatibus tuis. 34. *Attende sedulò! Qvisqvis iniqvitatis amans eâ se oblectat, & lætatur in injustitiâ, mortuus est*: qvia Charitatem intra se non habet. 35. Charitas qvippe gaudet veritate: ubi est Justitia, ibi

Charitas eſt; & ubi Charitas, ibi & Juſtitia. 36. Refrigerata Charitas eſt injuſtitiæ ſoboles; & injuſtitia refrigeratæ Charitatis: alterum ex altero promanat, & ſibi invicem ita adhærent, ut in arbore rami, tàm apud fideles qvàm infideles. 37. Perfer igitur patienter injurias, inferre autem tu ipſe cave. 38. Injuria patienter tolerata corpori & animæ prodeſt. 39. Nàm qvi illatam ſibi humillimè perpeſſus eſt injuriam, is ſuper injurioſum videbit igni devoranti ſimilem iram Dei. 40. Ferre injuriam, ſolatium eſt Chriſtiano: ſcit enim ſibi largiſſimè remuneratum iri. 41. Facere injuriam ex Diabolo eſt, Principe hujus mundi, qvi eam faciunt, mercedem ſuam accipient; ſi morientur in peccatis. 42. Viventes in injuſtitiâ dicunt: Exerceamus dolos! qvis dicere audebit nos injuſtè agere? 43. Sed dies Domini patefaciet iſta, & producet in lucem: & tunc finem accipiet potentia veſtra, qvâ ad opprimendum alios abuſi eſtis, ejulabuntqve omnes generationes veſtræ. 42. *Altera magna iniqvitas Spiritualis eſt*, qvam pro iniqvitate agnoſcere nolunt: qvando Juvenes & Virgines detentione violentâ ab acceſſu Juſtitiæ Dei arcentur. 45. Qvinimò ſuffocant eos, gravibuſqve verbis & verberibus conficiunt, qvoties ad juſtitiam Dei accedere, & à Chriſti Spiritu informari, & in templa ac habitacula Spiritûs Sancti ædificari cupiunt. 46. Væ vobis, qvi ſic invehimini, & iram effunditis in juvenes & virgines, vias ſuas ad mandatum Dei, & invariabilem Euangelii normam, formare volentes. 47. Et fremitis contra eos velut Eqvi feri, & non ſinitis eos ire ad Chriſtum, qvi corda eorum tetigit, & in creaturas novas transformavit eos & regenuit. 48. Sed illi magnam veſtram injuſtitiam vident, qvi eos caſſibus detinetis, ſed evadent ex caſſibus veſtris potentes, qvos nexuiſtis ex propriis commentis veſtris. 49. Confeciſtis vobis Rete proprium, ex humanis traditionibus: Rete autem Evangelii rejectum deſeruiſtis. 50. Væ Vobis, qui Juſtitiam Evangelii ſupprimitis, & impetitis eos qvi ſe reti Evangelii captari libenter vellent. 51. Qvin igitur etiam Chriſti vocem ſupprimitis: *Sinite puerulos ut ad me veniant, & nolite eos prohibere, talium enim eſt Regnum Dei.* 52. Illis ecce ab æternâ Dei juſtitiâ adſcribitur *Regnum*: Vos qvid tumultuamini murmurantes? 53. Et juvenes virgineſqve venire, & emere gratis vinum & lac cur non ſinitis? & implère corda ſua oleo Evangelii, qvô fides ſuccenditur, & qvod nunqvam extingvitur, ſed permanet in æternum cur prohibetis? 54. Nam ignem hunc nullùs falſus exſtingvere poteſt ventus: imò ne Satan qvidem ipſe, aut Vicarius ejus. 55. Qvi reprobô ſenſu ductus inſtillat cordibus humanis humanas doctrinas, idqve per vim & oppreſſionem, vendens humanas ſuas doctrinas pecuniâ, & compellens vi ad emendum, atqve inſuper laudibus tollendum merces ſuas. 56. Tu cave, & fervidè ora, ne & tuum cor maledictis illis humanis figmentis inficiatur: ut aut emptum venias, aut emi permittas, vani honoris causâ. 57. Nam ecce diebus his multi ab Euangelio deſciſcent, & juſtitiam ſcientes volentes ſupprimendo ad maledicta hominum inſtituta accedent. 58. Tu autem adhære Deo, & crede Evangelio, qvod eſt potentia ad ſalutem credentibus. 59. Audi Dei verbum, ejuſqve prædicationem magni æſtima: humana verò figmenta ne reſpice: ſunt enim abominatio. 60. Nam ecce Evangelium in iniqvitate ſupprimitur, primò, ſi qvis ei fidem non adhibet, & pro firmo Prophetico ſermone non agnoſcit, Chriſtum ita mendacii

dacii insimulans. 61. Hinc enim est qvod homines ad fontes humanæ doctrinæ confugiunt, & iis ad insaniam usqve se inebriant. 62. Ita Israëlitæ non crediderunt Verbo Dei, sed confectum sibi vitulum adorarunt loco Dei. 63. Nos ergo tibi dicimus: Crede firmiter verbis Domini, & Evangelio, atqve sic te humanarum traditionum virus non inficiet! 64. Supprimitur etiam iniqvitate Evangelium, si qvis viam charitatis deserit. 65. Si dicis, credere te Evangelio, & odio proseqveris fratrem tuum, mendax es, & nondum à Christo didicisti humilitatem, mansuetudinemqve apud eum non qvæsivisti. 66. Nam *Evangelium est mandatum dilectionis: Dilige inimicum tuum, & benefac illis, qvi oderunt te.* 67. Mandatum est, relinqvere omnia, & Christum seqvi: Mandatum est, honorem mundi contemnere, superna tantùm spectare: Novum hoc mandatum Evangelicum est. 68. Attende diligenter! Qvi se Christianum esse jactitat, & humilitatem à Christo non didicit, ut in eâ decenter ambulet, is seipsum decipit, & pacem nullam habet in corde suo, sed anima ejus plena est inqvietationibus. 69. Supprimit enim Justitiam Christi per hypocriticam Pharisaicam justitiam: & humilitas, modestia, mandatumqve novæ Legis, nihil nisi mera apud ipsum sunt hypocrisis. 70. Gloria mundana nimis ipsi adhuc placet, & vanitas mundi adhæret cordi ejus. 71. Ecce tales Væ superobruet, idqve subitò: non enim pertinent ad Christum: qvoniam in charitate Christi non ambulant, sed in amore vanitatum mundi. 72. Qva de re plura tibi loqvi habemus: simulqve hoc dicto disparuerunt.

Dies VIII. Cap. XXXVI.

[*Comparatio Germaniæ, mundiqve moderni, cum priori Mundo & Sodomæ.*]

Tertia Octobris ad me reversi, denuóqve attendere præcipientes, hunc Sermonem ad me habuerunt. 2. Ecce peccata prioris Mundi magna fuerunt! magna & Sodomitarum, ad Deum in cælos clamantia! 3. Primi mundi peccata mercedis loco acceperunt Aqvarum mensuram plenam: deletiqve diluvio sunt omnes, exceptis qvi cum Noä in arcâ servati fuerunt. 4. Sodomitæ verò Ignem retulerunt pro mercede, perditi fumo & flamma, & ipsi & civitates ipsorum. 5. Magna enim erant ipsorum scelera, neqve attendebant tempus gratiæ, sed auxerunt impietates suas, etiam in diebus pænitentiæ; oblatâqve sibi gratiâ ad majorem vitæ dissolutionem, abusi, noluerunt à Spiritu Sancto coërceri. 6. *Audi qvàm similiter jam se res habent! Peccata mundi primi, & Peccata Sodomæ, nunc in Germaniæ provinciis disseminata sunt, succrescendoqve luxuriant, & jam in cælos clamant: nec tamen pænitentiam agunt, similes illis pertinaciâ.* 7. *Prioris Mundi habitatores, ut & Sodomitæ*, homines erant insignes ac celebres, pro magnis se invicem habentes: & per hanc superbiam atqve tumorem suum oblivioni dederunt Deum & mandata ejus. 8. Alter alterius celebritate pascebat oculos, ad Deum verò nemo respectabat, nec ejus verbum pro verace habebant: atqve ita securi, & charitatis obliti, excogitabant sibi vias inserviendi Deo.

9. *Atqve per hoc se præsens Mundus cum Mundo primo cognatione junxit, peccatorum nempe similitudine: sed & hic ipse præsens Mundus frater est Sodomæ: opera enim Sodomitarum patrat.* 10. Magni æ-

stimant alii alios, suspiciendo sese invicem præ tumore & fastu. 11. Dei autem mandata despiciunt, ejusqve verbum pro vero non agnoscunt; vivunt in carnali securitate, operum charitatis obliti. 12. *Atqve hoc est horrendum maximè, sine charitate vivere.* 13. Ipsi sibi comminiscuntur vias ad complacendum Deo, & intuentur celebres in mundo, non Deum. 14. Atqvi Deo nulla talis complacet via, qvæ non per Christum verbô suô monstrata, sed per viros celebres mandata est. 15. *Vanæ sunt viæ istæ; Væ seqventibus eas, & viam Dei deserentibus.* 16. *Deinde*, illi patrabant fædas libidinum & impuritatum abominationes, volutati in adulteriis & idololatria, voracitate & intemperantia omniqve vitæ dissolutione. 17. *O Germania, qvantoperè adversus Te peccatum impuritatis, & scortationis, & adulterii, in cælos clamat!* 18. *Vos in Terris celebres*, patratis scortationes sine pudore, & adulterium pro peccato non habetis. 19. *Vos in Terris celebres* exercetis Idololatriam sine numero: persequentes & interficientes eos, qvi idolis vestris contaminari nolunt. 20. *Vos in Terris celebres*, cur verò tantoperè in comessationibus & vitâ belluinâ deliciamini? & ad ebrietatem ac intemperantiam tàm præcipites proruitis? non recogitantes, hæc primi Mundi & Sodomæ peccata fuisse. *Væ illis, qvi talia committunt.* 21. *Tertiò*, illi colebant terras, alius ab alio cum fraude coëmptas: atqve ita divitias coluerunt pro Deo. 22. Excolebant terras, corda sua in timore Dei excolere obliti: Emebant & vendebant, nec ipsis in mentem venit, ut à Deo qvoqve emerent pro pænitentiâ & conversione gratiam. 23. Divitias habebant pro Deo suo, de ratione in Deo ditescendi nihil solliciti. 24. *Ecce Germania, mundusqve hujus temporis, etiam excolunt terras, & oblivìscuntur excolere timore Dei corda sua!* Emunt & vendunt, fallentes se invicem; à Deo verò per pænitentiam emere negligunt. 25. Divitias qvoqve pro Deo colunt, in Deo autem divites fieri non curant. 26. *Væ illis, qvi talia faciunt! & divites in Deo fieri securè negligunt! Habent mercedem suam.* 27. *Qvartò*, Illi à Spiritu Sancto corripi noluerunt, sed contemnebant minas, & regimen ejus nullum apud ipsos inveniebat locum. 28. Abeuntes non respectabant tempus, quod concesserat illis ad pænitentiam Deus, sed in securitate sua permanentes, de die in diem fiebant pejores, usqve ad diem, qvô Noah cum suis arcam ingressus est. 29. *Ah Væ mundo huic, & Germaniæ! coërceri à Spiritu Sancto non sustinentibus, minas Dei Spiritûs Sancti pro nihilo, & regimen Dei Spiritûs Sancti pro stultitiâ habentibus! dicentibusqve.* 30. *Num iste monstrabit nobis viam Dei? Atqvi vinô inebriatus est* [ipse Noah scilicet & Loth] inqvit progenies infidelis. 31. *Non faciemus qvod iste nobis narrat, sed qvod Spiritus carnis nostræ nobis dictat, & Spiritus rationis nostræ approbat.* 32. *Loqvatur nobis Noah vel Loth, de aqvis vel igne, qvicqvid volunt: sive id dixerit Deus, sive non.* 33. Ita ecce loqvuntur! & omnis de pænitentia sermo ridiculus illis videtur: neqve exeunt ipsimet, neqve se patiuntur educi, sed in impiâ Sodomâ, & præfractâ duritie prioris Mundi permanent. 34. *Et non considerantes pænitentiæ tempus sibi concessum, transmittunt totos 120 annos: neqve respiciunt, qvàm solicitè Noah arcam sibi exstruat, ut aqvas diluvii magni super Germaniam venturi evadere, & corpus animamqve servare possit.* 35. Tu ergo si ab imminente Diluvio servari vis, vitam vites scandalosam (qvæ in terra instar impetuosi diluvii est) doctrinamqve falsam, & constitutiones hominum, (qvæ in terram

terram instar impetuosi diluvii eunt) perqve fidem *ingredere Arcam Noë*, & tempus pænitentiæ cave amittas. 36. Atqve si Bella, Fames, Pestis, & calamitosa tempora venient, nihil tibi nocebunt. 37. Deus enim *Iridem* gratiæ & amoris sui expandet supra te, qvâ te & fideles omnes jam circummuniit. 38. Ideò dicimus: *Si ingruerint mala tempora, tum aspice Iridem gratiæ Christum, qvi per nubes penetrans semper ad auxiliandum præstò est suis fidelibus.* 39. Ne metuas, nihil qvidqvam tibi nocebit, *prodibis rursus ex arcâ* cum gaudio, & Spiritus adferet tibi (in mediô aqvarum tribulationis) *viridantem Evangelii frondem*, qvam asservabis. 40. *Corvos autem dimitte à te*, hoc est falsa dogmata & hypocrises, diesqve diluvii patienter edura, & glorifica nomen Dei. 41. *Ne morare etiam in Sodomâ, sed servos Dei seqvere*, evocantes te verbi Divini voce, non autem voce humanarum traditionum, qvæ nunqvam te Sodomâ educerent, altiùs potiùs immergerent, & intricarent, sicut fera cassibus irretiri solet. 42. Sed Tu ductum doctrinæ Legis & Euangelii seqvere. 43. *Et cave, ne ad divitias deliciasqve Sodomiticas respicias, vanitas enim sunt:* 44. Potiùs te corde toto ad Dominum converte, cum *Abrahamo*, & pro illis, qvi adhuc detinentur in Sodoma, ut & ipsi exire, iramqve Altissimi effugere possint, intercede. 45. *Propterea Tu, ô Germania, & Tu præsens Munde, binum istud exemplum probè perpenditote.* 46. Isti olim, qvùm ad effundendum aqvas & ignem, & ad delendum & perdendum eos cogerentur nubes, & interitus jamjam esset proximus, maximè securi erant, dicentes: *Nihil est periculi.* 47. Similiter Tu, ô secura Germania, dicis: *Nihil periculi est nec ab Oriente, nec à Septentrione.* 48. Propterea Loth quoqve noctem tenebricosam Sodomæ transegerat: manè demùm exortô ad exeundum compulsus est, moxqve vindicta supervenit subitò. 49. *Ecce à Noctis Meridie, circa diluculum, ignis de cælo descendit in Sodomam! ita in te descendet, ô Germania, velocissimus à Septentrione ignis, & ignis lamentabilis inde ubi promicare incipit aurora.* 50. *Securè enim agis, æqvè ut soror tua Sodoma.* 51. *Tu autem maligne Munde, jam maturuisti: Jehova te judicabit, nec remittet, nisi resipueris.* 52. Hic finis fuit ea die.

Dies IX. Cap. XXXVII.

[*Ex Typo Esavi & Iacobi explicatur pugna perpetua inter Pseudochristianos, 4. & verè Christianos, 12. &c*]

QVartâ Octobris reversi dixerunt: *Attende!* 2. Qvemadmodum olim duo illi in utero matris premebant se invicem, & colluctabantur, anteqvam essent editi in lucem; Ita nunc fit: premunt se, & mutuis præliis collidunt in ipso corpore & Regno Christi constituti populi. 3. *Exercitus binus ad dimicandum acie instructus est: alter hirsutus, alter glaber.* 4. *Hirsutus est Exercitus Bestiæ & Pseudoprophetæ*, tantâ vi & robore pollentes, ut glabri pavore perculsi retrocedant: sed illorum retrocessus lætum iisdem adferet regressum. 5. *Hirsuti* autem sunt ideò, qvia se doctrinis Pseudoprophetæ obduxerunt, & saginarunt trium *Ranarum* pingvedine, & roborarunt Spiritibus Dæmoniorum, qvorum sunt venatores, venanturqve feram innocentem. 6. Persequvntur etiam, & affligunt, & dilaniant oves Domini, confisi villis suis, qvibus Ranarum beneficiô exasperata nacti sunt corpora. 7. Nam tres illæ Ranæ, & falsi Spiritus Dæmoniorum, exierunt inter Reges & Principes orbis, etiam in ipsam Germaniam, collegeruntqve tantam copiam

illorum, ut multi isto eorum robore perterriti, & villis istis sese implicantes, eant ad prodendum vendendumqve fratres suos, sicut feram innocentem. 8. Qvin & ipsi sunt hispidi, obducti doctrinis hominum: Hirsutiæ enim vanæ doctrinæ tàm firmiter ipsis adhærent, atqve hirco pili sui, aut arieti villi sui. 9. Qvibus si humanarum doctrinarum pilos forfice Legis & Evangelii detondere velis, arietant illicò procacibus cornibus suis, & luctari seriò incipiunt. 10. Adversantur enim glabris, & eos inseqvuntur, ac perseqvuntur, sicut feram: & qvi dixerit, pilos ipsorum esse pilos humanarum opinionum, ille compellitur ad comedendum istos pilos, insuperqve occiditur. 11. Hic est unus ille Exercitus, libero in campo castra metatus, à qvo tibi cave, prosternetur enim.

12. *Exercitus glaber ii sunt*, qvi purgati ab omni humanâ doctrinâ rejecerunt fædos figmentorum humanorum villos, & abluerunt se in sangvine agni, & candefecerunt stolas suas, per Evangelii lucem. 13. Qvomodo se lavit ac purgavit Elias, & lux Evangelii lucebat sibi ut Pseudoprophetas dignoscere posset: de qvo tibi jam antè diximus. 14. Tali lumine candebant & gaudebant septem illa millia, eorum qvi coram Baale neqve genua neqve cor suum flexerant, qvos tamen nescivit Elias fuisse lotos & mundatos, multo minùs lumine Evangelii illuminatos. 15. *Et sicut Elias numerum illorum ignorabat, ita sibi Deus usqve ad Adventum Christi ad judicium sua septem millia reservabit.* 16. *Numerus enim iste est numerus Septimanæ: Diebus singulis singula millia sibi servavit Deus, qvi glabrè ac nudè sine humanis figmentis coram facie illius comparent, septemqve panibus cibantur: venientes à qvatuor mundi plagis: ab Oriente mille, à Meridie totidem, mille ab Occasu, & à Septentrione itidem mille.* 18. Non tamen hoc ita intelliges, ac si mille duntaxat & non plures diebus singulis Deo serviant: sed numerum finitum poni pro infinito. 19. *Qvòd à qvatuor mundi plagis veniant*, sensus est, qvod neqve Reges à Meridie & Occasu excusare se poterunt. 20. Omnes enim ad convivium Regale invitati sunt: Dominus Dominantium instruxit & apparavit omnia. 21. *Qvòd singulis diebus veniant mille*, sensus est, neminem habere qvod prætendat, ad excusandum se, sive sit juvenis, sive senex, sive pauper. 22 Nihil hîc Moysis aut Jeremiæ excusatio, nihil patris matrisqve sepultura, multo minus iisdem valedicendi, aut veniam impetrandi prætextus juvat. 23. Spontaneum Dominus vult habere Zacheum; qvi de sicomoro illicò desiliens, in Arbore vitæ sese fundare incipiat. 24. Tu itaqve cave, ne sicomorus sis, ut ne maledicat tibi Christus, sed benedicat potiùs, & in gratiæ fædus recipiat; Voluntariè Dominum seqvi, omnia relinqvendo, convenit.

25. *Atqve hi sunt duo illi Exercitus, pugnantes adversus invicem nocte dieqve.* 26. Ab his nunc etiam proveniunt tot illæ strages, cum furore adversus se invicem dimicantium. 27. Et ab utroqve multum sangvinis effusum est, & effundetur. 28. *Bestia namqve sangvinem vomuit, & sangvinem bibere debebit.* 29. Qvia Jehova dabit ipsi bibendum sangvinem, & omnibus qvi in effundendo sangvine operas suas junxerunt. 30. Effundebant qvippe sangvinem velut aqvam: & effundebant absque causa dicentes: *Sangvinem hæreticorum effudimus*: & exultant in sangvine fratrum suorum. 31. Non recogitantes judicium falsæ hypocriticæ fraternitatis Jerosolymitanæ: qvi sitiebant sangvinem, & innocui sangvinis

nis Abel participes se fecerunt, imò omnis sangvinis effusi ab Abele justo, usqve ad sangvinem Zachariæ, inter Templum & Altare occisi. 32. *Ita & nunc multum sangvinis effunditur inter Altare & Templum*: hoc est propter sanctissimum sacrificium Agni Jesu Christi. 33. *Qvin etiam multum sangvinis profusum est Templi causâ:* qvia pugnant super sacrificio, quod est Christus, cujus sangvis effusus est in remissionem peccatorum. 34. Qvi credit Christum esse hoc sacrificium, & ambulat in charitate, is habet vitam æternam: & non opus est eâ causâ induere arma, & dimicare acie, sangvinemqve aqvæ instar profundere: Væ id facientibus, & sangvinem effundentibus! 35. Deinde, pugnant etiam, & sangvinem aqvæ instar fundunt Templi causâ: qvo nomine multus jam fusus est, fundeturqve porrò, sangvis. 36. Ecce istud est patrare neces inter Templum & Altare, & fieri participem Abelitici sangvinis. 37. At hoc non est Christi, sed Babylonis character. 38. O Sangvinolente homicida, qvisqvis talia patras, inspice in Novum Testamentum, ibi te non ad effundendum sangvinem, sed ambulandum in charitate instrui reperies. 39. Atqve hic cessatum fuit hâc die.

ACTA DIEI X.

[Magna & multa sunt (ideoqve nobis in Capita tria divisa) qvæ hâc die Kottero vidisse, & audisse, datum fuit, verè gloriosa omnium ei Revelatorum corona.]

CAP. XXXVIII.

[*Visio monstrosa Bestia, concisa, & ab avibus direpta,* 2. *Trium Boum in prato pascentium,* 19. *inqve homines conversorum,* 30. *Et confluentium undiqve Exercituum,* 38. *inter qvos Orientalis victor,* 43. *voce Evangelii sanatur,* 45. *reditqve domum cum gaudio,* 122. *sicut & Septentrionalis,* 127.]

SExtâ *Octobris* redierunt ad me Adolescentes mei, & me contra metum animantes, diligenter attendere, conscriberéqve omnia, jusserunt. 2. Subitò autem conspexi coram me terribi-



lem *Bestiam* [illegible] non nimis altam, [illegible] [illegible] pili erant colore castaneo ad nigrum vergente. 3. Stabat

bat capite Orienti, caudâ Occidenti obversâ; corpore autem ad Meridiem deflexô, & caudâ extremâ sui parte contortâ, collô oblongô, & capite bovillo simili, excorni tamen. 4. Corpus totum formam referebat semicirculi, & qvasi semiformis Lunæ. 5. *Et ecce collo ejus inflictum erat valdè profundum vulnus!* & vidi *Viros tres vulneri huic, qvô consanesceret, emplastra applicantes.* 6. *Sed* & vidi *vulnus illud semper profundiùs fieri, sangvinaréqve incipere; tres autem illi cum emplastris disparuerunt.* 7. *Qvorum unus totus erat ater*, thecam habens atram cum ungvine atro. 8. *Alter erat ater & albus*, ungven etiam habens simile, in theca simili. 9. *Tertius albus & ruber*, ejusdem gemini coloris thecam cum cataplasmate gestans. 10. *Tunc venit vir qvidam staturâ exiguâ, cingulo præamplo cinctus, suspensumqve à collò habens linteum, more seminantis in agro, in linteamine verò illo gestans acuta ferramenta varia, qvæ sparsim ejecit sub corpus Bestiæ.* 11. Bestia ergò reclinare se in terram volens ferris illapsa est, & ab iis horrendè compuncta atqve concisa, jactare sese tantoperè huc illuc cæpit, ut videretur terra diruptura: cruor autem ex vulneribus manabat undiqve. 12. Et vidi caudam suâ sponte in multas partes dissiliisse, ex qvâ etiam copiosus profluebat sangvis. 13. Corpus verò & caput tremebant veluti à febri, & caput qvasi furibundum sub corpus se projecit; Corpus autem tàm horrendè huc illuc se jactabat, ut starem attonitus. 14. Videbatur namqve me jam jam obruiturum. 15. *Sed Juvenes ad me:* Bono esto animo, ne metue, nihil tibi eveniet mali! & attende, qvid porrò futurum sit! 16. Et vidi Bestiam in multas partes dissiliisse, qvas partes ad se attrahebat aër. 17. Subitò autem advolarunt multa millia avium varii generis, majorum & minorum, qvæ carnem Bestiæ istius diripientes tam citò consumpserunt, ut qvò devenerit non posset animadverti. 18. *Ita & Bestia & aves disparuerunt.*

19. *Et dixerunt ad me Juvenes: Iterum aspice!* Et ecce vidi magnum præam-



plumqve

plumqve *Pratum* tàm altô & luxurianti gramine virens, ut demirarer. 20. Et vidi venientes ad Pratum istud *Boves duos*, alterum post alterum, qvibus magnitudine & pingvedine similes nunqvam vidi. 21. Qvi paululum ab invicem digressi pascebant se gramine, suô qvisqve locô. 22. Et accurrerunt *Catelli qvidam* allatrantes Boves istos: qui nihil id curantes pascebant nihilominùs, & ne respiciebant quidem. 23. At catelli latratu suô se fatigabant ad mortem usqve: Boves autem pergebant pasci. 24. *Tùm ad me Juvenes: Vide ut hæc omnia conscribas diligenter: Hæc enim Visio eorum est, qvæ fieri debent paucis abhinc annis.* 25. Et cùm rursus dixissent: *Aspice!* Ecce *Bos qvidam speciosus aureo cornu insignitus* adventabat in idem pratum, transiitque inter duos illos medius, in medium usque prati. 26. Ad hunc me deduxerunt Juvenes: Illi autem duo Boves circumsecùs pascentes, etiam ad hunc auricornem accesserunt, qvi ad pratum properando spinam aculeatam pedibus suis infixerat: qvam illi Boves isti duo lingvis suis extraxerunt. 27. Ipse autem valdè excrevit, simulqve cornu ipsius aureum in tantam se extendit longitudinem, ut pratum totum contegeret. 28. Et ecce *Canes venatici* magnâ copiâ venerunt, Bovemqve illum circumsilientes allatrarunt, & conculcarunt multum graminis. 29. *Sed Bos ille magnus magno suo Cornu illos feriit*, ut in Pratô disjecti jacerent mortui hinc inde magno numero. 30. *Tres autem isti Boves conversi sunt in homines: sed oculi mei non agnoscebant eos.* 31. Et ecce posita est ac instructa *Mensa qvædam* splendida & magnifica, à *Viris septem* mihi qvoqve ignotis: & Mensæ illius majestatem ne verbis qvidem describere possum. 32. Stabant autem ibi etiam *Viri qvatuor* decenti staturâ, loricis aureis muniti, habensqve super loricam qvisqve *Lunam dimidiam*, stantes paulo à mensa remotiores, tacitè. 33. Tùm accubuit Mensæ *Vir ille ex Bove magno factus, indutus habitu albo & cæruleo*, albis & cæruleis lineis sibi invicem intermixtis, mirâ ad aspectum amænitate. 34. Sed & reliqvi duo eidem postea Mensæ assederunt, qvos nihil aliud loqventes audivi, præter laudes Dei. 35. Illi autem qvatuor (loricati) propiùs mensam accedentes ministrarunt, cantantes Psalmos tàm svavi melodiâ, ut longè diutiùs audire optassem, si licuisset: qvamvis tres horas duraverit solum hoc spectaculum, præter illud prius de Bestiâ illâ. 36. Stante verô sic locô suô mensâ, cum assidentibus, dixerunt ad me Juvenes: *Seqvere nos.* 37. Deduxeruntqve me in montem qvendam, & dixerunt: *Circumspice ad omnes Mundi plagas.* 38. Et conspexi multa millia hominum ab omnibus mundi partibus: *ab Oriente* veniebat Exercitus ingens, & castra metati sunt adversus invicem. 39. *Illos autem ab Oriente vidi omnes esse obtorto collo, facie in tergum obversâ: ibantqve ita contortis capitibus contra Meridialem exercitum.* 40. Tùm vidi *Meridionale agmen ab Orientali absorptum*, ut qvò devenerit non animadverterem. 41. *Orientales* autem perrexerunt, & expugnarunt civitates multas: discubueruntqve postea in campo. 42. Tunc advenerunt qvidam Eqvites & colloqvebantur cum illis. 43. *Exercitus autem Orientalis dixit: Adsumus in nomine Jehovæ Dei vestri omnes nos: qvia Jehova intorsit nobis facies nostras, & nescimus qvid nobis faciendum sit.* 44. Et mox vidi, & *ecce Vir totus albè indutus veniebat, patinam manu gestans, sangvinis instar rubentem, cui similiter rubebat illud qvod in patinâ fuit: transiensqve per medium exercitûs*

inungebat rubrô illô singulos: & facies eorum conversæ sunt directè ad Orientem. 45. Et Vir ille dixit ad eos: Ego dicam qvid vobis faciendum sit: *Agite pænitentiam, & credite Evangelio Christi, & salvabimini.* 46. Et audivi Concionatorem insistentem Columnæ aureæ, cujus

Concionis hoc fuit Exordium.

47. Si qvis sitit veniat, & ostendam illi fontem vitæ! si qvis esurit, veniat, & ostendam illi panem vitæ! 48. Si qvis amat colligere vindemias, veniat, & ostendam illi vitem Christum: si qvis sanari cupit, veniat, & ostendam ei Medicum verum. 49. Si qvis prospicere desiderat, veniat, & ostendam ei lucem: Si qvis habere Spiritum Sanctum optat, veniat, & ostendam ei Virum, qvi Spiritum Sanctum promisit, nec promisit duntaxat, sed & dat omnibus dari sibi petentibus. 50. Si qvis salvari cupit, veniat, & ostendam illi Viam, & non tantùm Viam, sed & Veritatem: qvæ Veritas Vitam etiam ipsam donat, qvæ est Christus. 51. Si qvis orare vult, veniat, & ostendam illi qvem adorare, & cujus in nomine manus sanctas & corda pura attollere, qvidqve solatii pro firmanda exauditionis fiducia habere debeat.

52. Hæc ubi dixisset, orare cæpit: *Pater noster qvi es* &c. & totus ille Populus procidit in genua, levatisqve sursum manibus orarunt.

53. Oratione finita, recitabat Vir ille dictum istud: *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qvi credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*

54. Super qvod dictum Sermonem habebat talem. 55. *Præparate corda Vestra, ut ingrediatur Rex gloriæ.* 56. Instruite animas vestras, Spiritum, & corpus, per charitatem, & per fidem in Christum, & per spem, qvâ non confundemini, qvo ad Vos ingrediatur Rex Gloriæ; & effundatur super Vos Spiritus Sanctificationis & Veritatis, instar fætificantis pluviæ ac roris, ad humectandum terram aridam, ut fæcunda fiat ad protrudendum fruges, & edendum fructus, & comedendum panem. 57. Propterea præparate corda vestra, ut Rex gloriæ vos qvoqve glorificet! Honorate eum ex toto corde: qvi ipse honoravit vos in Filio suo, & per eum velut Dominum gloriæ gloriâ suâ frui Vobis dedit. 58. Nam si credideritis in Nomen ejus, gloriam ipsius spectabitis, nec spectabitis solùm, sed & eâ perfruemini, animâ & corpore. 59. Ille enim Rex Gloriæ, & Dominus Majestatis, desponsavit Vos sibi in justitiâ, & Dominus gloriæ tradidit seipsum Vobis in æternum. 60. Propterea tradite Vosmetipsos per pænitentiam eidem Regi gloriæ, ad beneplacitum suum; & conformate vias vestras omnes ad gloriam & honorem Regis gloriæ, & sistite omnia membra Vestra ad serviendum Regi gloriæ, Deo vivo, obedite illi qvi est, & qvi fuit, & qvi erit in æternum. 61. Jungite Vos per fidem Gloriæ Domino, qvi Vos sibi junxit in æternum: & cujus fides & misericordia sine fine est, expandens se à mari usqve ad mare, & extollens super omnes sui timentes. 62. Qvi Dominum timent, non sentiunt defectum ullius boni: Rex gloriæ Rex illorum est clementissimus, & Dominus gloriæ Dominus illorum est & Magister misericors; ad succurrendum illis ubiqve, & eripiendum eos ex omni calamitate, animæ & corporis. 63. Misericordiam enim suam effudit super eos, qvâ superfluunt, velut ungventô preciosissimô perfluebat barba Aaronis; ita superfusa est Misericordia Domini Gloriæ omnibus qvi timent

timent Eum, & Dominus Gloriæ inungit eos oleo lætitiæ, & oleo Spiritus sui, qvem accipiunt plenâ mensurâ, Spiritum gratiæ, Spiritum precum, & Spiritum spei, ac fiduciæ in misericordia illius, non confundente in tempore malo. 64. Dilectio enim Dei tanta est, ut nullius hominis lingvâ describi, & nullius hominis penicillo depingi possit. 65. Lingva Moysis tarda nimis est ad loqvendum de Amore Dei! & tametsi esset calamus scribæ velociter scribentis, pervestigare tamen Dei Amorem, eumqve, qvantum dignum est, deprædicare nunqvam posset. 66. Tametsi scriberent præceleres Davidis manus, rudes tamen essent nimis ad scribendum de Amore Dei. 67. Et tametsi Salomon universam Sapientiæ suæ excellentiam, qvanta qvanta est, in evestigandum Amorem Dei impenderet, omne illud nimis parum esset. 68. Ideò suos Jehova ducit per diem in columnâ Nubis, & per noctem in columnâ Ignis. 69. Hoc est, in luce Dei ambulantes inumbrat Deus nube caliginis, qvia in imperfectione ambulant omnes, & illuminatio eorum omnis inchoata hîc tantùm atqve imperfecta est: ne fulgorem superbiæ incurrentes proprio fulgore condemnentur: propterea eos interdiu in Nubis columnâ ducit. 70. At ingruente aliqvâ caliginis nocte, reddit eis Deus Nubis locô igneam columnam lucentem. 71. Progrediuntur igitur nocte, æqvè ac interdiu lucidè: perqve umbram mortis & qvævis deserta comitatur eos Jehova Deus eorum, & vestis eorum non atteritur, qvia Jehova contexit eos, & stolâ justitiæ induit eos. 72. Calceamenta qvoqve illis non deteruntur: qvia Jehova Angelis suis mandavit, ut in manibus suis eos portent, ne fortè ad lapidem offendant pedem suum. 73. Et Jehova cibat eos Mannâ de cælo, & non morientur, sed vivent: vescuntur enim Mannâ cælesti, & saturabuntur ad vitam æternam. 74. Et Dominus deducet eos ex hoc deserto in veram promissionis terram, qvæ est Terra viventium, ubi plenitudo gaudii, & voluptatum torrentes, ad dexteram Dei in æternum. 75. Et ducit eos Dominus de regione mortis in Terram viventium, è domo luctus in domum exsultationis. 76. Nam in domo Domini gloriæ mansiones sunt multæ, Dominus gloriæ paravit eas: Et nisi id esset, credite, qvod iturus denuô esset Dominus gloriæ, & pararet vobis locum. 77. Duodecim portæ novæ Jerusalem apertæ sunt, & duodecim lapides in fundamentum positi: Viæ sunt munitæ, exæqvatæ semitæ, complanati campi! Venite & ingredimini Jerusalem per fidem in Christum, nihil dubitantes. 78. Christus enim ipse omnibus duodecim portis manus exporrigens, fideles omnes ad se in Jerusalem cælestem trahit, & oculi ejus duodecim fundamentis obversi sunt. 79. Illis qvi insistit, eum videt Dominus gloriæ, & Rex majestatis audit eum. 80. Et illi progrediuntur super his 12 fundamentis Apostolorum & Prophetarum per verbum Christi, qvi est Porta ducens rectà per seipsam in cælestem Jerusalem, ubi neqve dolor est, neqve clamor, neqve ejulatus, neqve mors, sed priora transierunt. 81. Hæc est gratia super omnem gratiam, qvòd Deus ex hacce hypocritica, falsa, transitoria Jerusalem, in Jerusalem cælestem, non transeuntem, inconcussam, æternùmqve permanentem, deducat. 82. *Sic* enim Deus dilexit mundum, ut ipsi Filium suum unigenitum daret: 83. Tanta est hæc dilectio Dei, ut qvicqvid in mundo nominari potest, exsuperet: nec possit qvidqvam hoc in mundo comparari gratiæ Dei. 84. Nihil enim eorum qvæ mundus habet, separare nos à gratia Dei

potest, nullus Gladius, nulla persecutio, nulla nuditas, nulla paupertas, nullus Angelus, nullus principatus, nulla fames, nulla sitis, nulla potentia, nullæ divitiæ. 85. Qvippe nec frigus, nec æstus, nec tenebræ, nec lux, potest & debet nos sejungere ab immensâ, infinitâ, immutabili dilectione Dei, mundo per Filium suum manifestatâ. 86. Qvem misit in salutem, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur, & in lapidem scandali. 87. Gratia enim Dei salus est illis, qvi in dilectione, fide, & patientiâ illi adhærent, ei confidunt, eam pro salute suâ in vitâ & morte habent; salutemqve illam Israëlis, dùm adhuc propè est, qværunt, ne sit illis in signum, cui contradicitur: talibus erit Dominus lux & salus. 88. Nihil proinde metuite Diabolum, multoqve minùs mundum! nocere enim vobis neqveunt, qvia Gratia Dei talem vobis Salvatorem dedit, qvi Salvator est, vincens & superans, & ad pedes suos prosternens inimicos suos omnes. 89. Nam qvemadmodum ille vicit, utpote Salvator, ita vincetis Vos qvoqve: omnes inimici vestri confundentur super Vos. 90. Dicit enim gratia Dei, Salvator vester: Ero Mors tua ô Mors: ero exitium tuum ô Inferne. 91. Qvippe Ego, qvi sum Gratia Dei, repellam à Vobis, qvidqvid Vobis adversatur: Ego Vos sanabo, qvia ego sum Medicus & auxiliator, imò Auxiliator auxiliatorum, qvi ex morte eripio. 92. Ego, Divina Gratia, non tantùm salus, sed & resurrectio sum in Israël. 93. Qvi offendit ad lapidem offendiculi, is veniat per fidem ad me gratiam Dei, ego enim sum fortitudo, ne metuite, etiamsi lapis offendiculi per totum ferè mundum sese dilatavit. 93. Qvi offendit ad lapidem offendiculi, is à Rege gloriæ trahi se permittat, & Dominus gloriæ non ejiciet eum. 95. Dominus enim Gloriæ rogavit Regem Majestatis, & Pater Domini nostri Jesu Christi exaudivit ipsum: & oravit etiam pro illis, qvi ex ignorantiâ ad lapidem illum offenderunt. 96. Qui per fidem resurgunt, & ad Gratiam Dei se recipiunt, illi vitam æternam habent. 97. Qvi ex infirmitate & ignorantiâ lapsus, & gratiâ Dei in lapidem scandali abusus est, is hodie se convertat, & pænitentiam agat, & credat Evangelio. 98. Hodie si vocem Domini audieritis, nolite indurare corda vestra! nam hodie Dominus gloriæ Vos omnes ita compellat: *Sic Deus dilexit mundum.* 99. *Deus* Vos dilexit, & non homo: *Deus* Vos dilexit, non Rex: Deus *Vos & totum Mundum* dilexit! Dilexit *omnes*, ut excusare se posset nemo. Qvia sic Deus dilexit Mundum, ut ipsi Filium suum unigenitum donaret. 100. Qvid magis solabile dici aut cogitari potest, qvàm qvòd Deus Vos dilexit, & totum Mundum? atqve ita suam erga Vos & mundum universum declaravit & demonstravit gratiam, missione Filii sui dilectissimi: qvem dedit nobis, ut esset Redemptio nostra, & Justitia nostra, & Sanctificatio nostra. 101. *Sic* Deus dilexit Mundum, ut unigenitum Filium suum daret *in Redemptionem*: illius enim vulneribus sanavit nos, & redemit, & ab omnibus peccatis, Satanæqve vinculis, liberos asseruit. 102. Sic dilexit Mundum, ut unigenitum Filium suum illi daret *in Justitiam.* 103. In Justitiam Deus Filium suum dedit: qvia castigatio nostra ipsi imposita est, ut nos haberemus pacem. 104. Sic Deus dilexit Mundum, ut donaret ei suum unigenitum Filium! Servus tuus justus, Jehova, justitia sua justificabit multos. 105. Hic ille est Justus, qvi vobis tribuit

buit Justitiam; ita justus, ut à nemine ullius criminis argui possit: Ille solus tribuit justitiam, qvæ valorem habet coram Deo: Illius Justitia injustitias nostras tollit omnes. 106. Sic Deus dilexit Mundum, ut daret ei Filium suum unicum *in Sanctificationem:* ad Sanctificationem nostram misit Eum Pater sanctissimus. 107. In Mundum venit propter Sanctificationem sanctitate destituti populi sui, & propter reductionem eorum in Sanctum Sanctorum, in qvod Sanctissimus ingressus est, & Sanctissimus orat pro non sanctis: Sancte Pater, sanctifica eos in veritate Tuâ, & conserva eos in veritate Tuâ usqve ad finem. 108. Istud ecce est diligi à Deo, & ab ejus amore comprehendi! 109. In Amore autem & Gratiâ Dei perseverare, & Gratiæ Dei fieri participem, efficit ut omnis in ejus nomen credens non pereat, sed vitam habeat æternam. 110. Gratia Dei patefacta est in missione Filii sui: per fidem id asseqvimini, qvò sine Deus dilexerit Mundum. 111. Nempe misisse Mundo Filium ideò, ut omnes credant in nomen ipsius: & hi omnes, in nomen ejus credentes, ut ne pereant, sed habeant vitam æternam. 112. Fides est Victoria illa, qvâ vincitur Mundus: Fides est lux illa propter qvam perire non potest homo. 113. Fides est medium illud, per qvod si qvis ex infirmitate erravit, & Pastorem atqve Episcopum Animæ suæ perdidit, servari iterum potest, ut si solummodò credat, non pereat, sed vitam accipiat æternam.

114. Annuncio itaqve Vobis: si salvari, & vitam æternam habere vultis, Credite in Dominum Jesum, & salvabimini Vos, & universa progenies vestra, & non peribitis, sed habebitis vitam æternam. 115. Approperate igitur, & reverti ad Patrem vestrum ne cunctemini: qvia Jesus est frater vester in gloria magna. Ascendit enim ad Deum suum, & Deum vestrum: Patrem suum, & Patrem vestrum. 116. Venite proinde omnes, & credite in nomen ejus! & non peribitis, sed Vitam æternam obtinebitis. 117. Nam sicut Moses in deserto exaltavit serpentem, ita dilectissimus vester Jesus exaltatus est in ligno crucis, ut omnes qvi credunt in nomen ejus, æternam habeant vitam. 118. Properate, & ne retrocedite. Frater enim vester habet verba æternæ vitæ. 119. Huic adhærete, nec ad dextram nec ad sinistram declinantes: & ambulate decenter in curriculo Evangelii, usqve ad diem Jesu Christi fratris vestri, qvi Vos amplexus ad se deducet, & ceu Frater vester æternum vobiscum manebit, & lacrymas vestras omnes ab oculis deterget vestris; tùm demùm vos gratiâ Dei perfusi plenè gaudebitis. 120. Dominus autem & Deus vester custodiat Corpus, Animam, & Spiritum vestrum: & conservet vos ad vitam æternam! Amen.

121. Post hæc iterum recitabat Orationem Dominicam. 122. Tùm Populus ille universus perrexit viam suam Orientem versùs, unà cum viris illis ambobus, qvi ungebat eos, & qvi perorabat eis. 123. Similiter illi, qvi eqvitantes advenerant, receperunt se Septentrionem versùs. 124. Et Juvenes iterum ad me: Aspice! Et vidi Exercitum ingentem, in plagâ Occidentali Meridiem versùs, dispersis tamen copiis, propter metum Septentrionalium. 125. Anteqvam tamen dispersus fuisset, profusum fuit multum sangvinis: vidiqve sangvinem illum in terræ superficie fluentem. 126. Sed uterqve iste Exercitus attentè se invicem primò intuebantur: & Juvenes ad me conversi: Audi nunc vocem, qvæ loqvetur. 127. Et audi-

audivi vocem, Septentrionalem Exercitum insonantem: Revertimini jam, & servite Bovi illi cum Aureo cornu in prato, qvi conversus est in hominem, unà cum sociis, & sedet ad mensam in gloria magna. 128. Vidiqve eos redeuntes, donec mihi ex oculis dispáruissent. 129. Ita finita fuit Visio, propè Saganum mihi exhibita.

CAP. XXXIX.

Trina illius Visionis Explicatio.

ET cœperunt mihi Juvenes Visiones istas hoc ordine exponere. I. Visionem de qvaterno Exercitu, à qvatuor mundi plagis coacto. II. Tùm de Prato illo, & Bobus tribus. III. Tandem de Bestia, & qvæ cum illa acta sunt.

I. *De qvatuor Exercitibus dixerunt.*

2. Vide, ut magnâ diligentiâ attendas. 3. Qvòd à qvatuor Mundi plagis multa hominum millia concurrere vidisti, significationem habet, qvòd tempore horribilis ruinæ Babylonis ab omnibus mundi plagis Regna omnia in se invicem irruent, mordebuntqve & vorabunt se invicem velut rabiosi canes. 4. Et gladii eorum penetrabunt seipsos invicem, qvemadmodum sangvineas illas maculas sibi invicem permisceri vidisti: ita se Regna Terræ cædibus mutuis conficient, ut totis fluminibus sangvis passim perfluat. 5. Vidisti porrò ab Oriente numerosissimum Exercitum, retortis faciebus, interrogatos à Septentrionalibus, qvid isthic agerent? respondisse: In nomine Dei vestri adsumus: Jehova enim intorsit nobis facies nostras, neqve scimus qvid faciendum nobis sit. 6. Tùm vidisti ingentem qvoqve Exercitum ascendere à Meridie, & adversus Orientalem illum aciem moliri, sed ab illo esse absorptum: significatio hæc est. 7. *Orientalis exercitus exibit æger, sed domum redibit sanus.* 8. Sentient enim Jehovam sibi facies intorsisse, dicentqve ex animo: Dominus offert nobis gratiam suam! & permittent se ungi, agentqve pænitentiam, & credent Evangelio. 9. Exercitus Meridionalis exibit cum opinabili falsa sanitate sua, sed Orientalis devorabit eum: hoc est, ægrescent ab amaris illis, qvas potarunt, aqvis, æstuante meridiano Sole amaritudine infestis. 10. Propterea eos Dominus devorandos tradet Exercitui Orientali, ut qvò tanti Exercitûs potentia devenerit, ne animadverti qvidem possit. 11. Orientalibus autem dabit Dominus robur ad expugnandum urbes magnas: pergentqve in perversitate sensus sui ad locum usqve, qvô devenire eos vult Dominus, ut ibi eos convertat. 12. Tunc enim mittet illis Virum amictum candidissimô sericô, qvi Exercitui huic Orientali offeret sangvineum Christi meritum, & illi resipiscent, credentqve Evangelio, & facies eorum reflectent se ad Orientem, sicut vidisti. 13. Hoc est, Sol Justitiæ orietur in caliginosis illorum cordibus, à cujus fulgore falsus Meridialis Sol deturbabitur cælô Ecclesiæ. 14. Et annunciari illis faciet Dominus magnalia sua, & nomen Domini gloriæ gloriosum existet in illis, & Dominus prædicari illis faciet ex aureo fundamento Israëlis: & illi attendent verbo Evangelii de Christo, & res gloriosæ prædicabuntur eis, ut pænitentiam agant, & Evangelio Christi credant. 15. Faciéntqve fructus dignos pænitentiæ, & audient custodientqve verba gratiæ, & fructus adferent in pæniten-

nitentia, & audient attentè verba illa, qvæ illis annunciari jubebit Dominus ex fundamento aureo. 16. Qvod porrò Virum Columnæ aureæ insistentem vidisti, & prædicantem Verbum de ingenti Gratia & Misericordia Dei audivisti. 17. *Erubescite Vos vanitatis Prædicatores*, qvi tantùm opinamenta vestra loqvimini, qvi aureum fundamentum deseruistis, & rejecistis, & fundatis vos in fæno & stipulis maledictæ doctrinæ humanæ. 18. Et per hoc induxistis Mundo *diem cæcitatis*, & Soli justitiæ caliginem, unde *dies discordiarum* & ingentium bellorum prodiit: ut cæcus cum cæco colluctaretur, & in cæcitate suâ protervè perdurarent omnes, & Scripturas inspicerent oculis cæcis, externisqve duntaxat rationis oculis. 19. Unde prodiit dies tertius, *dies magnarum Iniqvitatum*, dies Impietatis & horrendi Epicureismi, dies blasphemiæ & seductionis. 20. O Tu excæcate & tenebricose Munde! ô Tu pugnax, litigiose Munde! ô tu impie, iniqvitatibus scatens Munde, plenus oribus blasphemiæ! 21. *Prospicite vel jam tandem & videte, qvàm magna Regi ab Oriente Exercituiqve illius prædicantur!* 22. *Prædicatum est eis, necdum tamen prædicatum, sed prædicabitur brevi.* 23. *Tempus enim adventat, & advenit jam, qvo Cælum & Terram commovebit Cæli & Terræ Dominus, & prodibit Vox tanqvam vox multarum millium Tubarum.* 24. *Jubilæus etenim gloriosus Domini gloriæ rursus incipit: lapis abjectus, qvem abjecerant cæci ædificatores, repertus est iterum.* 25. Magnus Regnorum ab Oriente Dominator est Vir, & justitia ejus præcellit justitiam sangvinolentæ illius, falsæ, & hypocriticæ progeniei. 26. Eorum, qvi in falsa Spirituali Jerusalem sedentes in solio Moysis, effodiunt mandata, & aggerant cumulos onerum humanæ doctrinæ compellendo homines ad credendum, ubi nihil fide dignum est; & ad sperandum, ubi nihil sperandum inest; & ad qværendum precibus, ubi nihil invenietur in æternum. 27. Audivisti Virum illum dixisse: *Dicam Ego, qvid Vobis facto sit opus, Agite pænitentiam, & Credite Evangelio de Christo, ac salvabimini.* 28. Agere pænitentiam, mandatum est: Credere Evangelio de Christo, est ingredi vitam novam, sanctam, Deo placentem, ad ambulandum in Charitate. 29. Attende: sine charitate pænitentia est irrita pænitentia: sine Fide & Charitate impossibile est placere Deo: sine Fide, Charitate, Pænitentiâ & conversione ad Deum, nemo potest illud, qvod ex fundamento aureo profertur, audire, multo minùs capere. 30. *Vir autem ille, qvem audiveras perorantem*, non est Vir unus, qvi docere debebit Orientalem exercitum de rebus magnis, sed *erit Populus Evangelistarum, qvi ipsis convertent facies suas.* 31. *Qvos illi diligent, & in Terram suam secum abducent, & prædicabunt veritatem Dei, agentqve sancti omnes Domino Dominantium gratias.* 32. *Et omnes infideles consternabuntur: & fidelium multi consurgent & prodibunt adversus Septentrionalem Exercitum, & cum Exercitu Occidentali ibunt ad prælium, profundeturqve ab utroqve Exercitu magna sangvinis copia, prout vidisti.* 33. *Sed Septentrionalis reportabit victoriam, & perstabit conjunctus, donec vocem sibi insonantem audiverit:* Revertimini, & servite Bovi in Prato insignito aureo cornu, jamqve in hominem transmutato, & cum sociis suis convivanti magnâ in gloriâ.

II. De tribus Bobus.

34. Vidisti Pratum amplissimum, amæno vestitum gramine. 35. Pratum istud est *Regio qvædam, in qva sibi multi spem inanem insignis alicujus & magnæ Pacis faciunt:*

faciunt: existimantes hostes suos omnes jam ad Terram esse prostratos, & non cogitant, qvòd Rex Regum omnium pugnet contra ipsos. 36. At iste Regum Rex mittit subitò, velociter atqve insperatò, Boves duos in pratum illud, qvemadmodum vidisti. 37. Et æqvè subitò, velociter atqve insperato venient Tui, ô Babylon, hostes, & impetent te in viridi tuo Prato. 38. Potentia verò Tua, qvam magnam æstimas, erit sicut gannitus catulorum: Dominus enim prosternet eos ad terram, & venient in oblivionem, sicut canis mortuus. 39. Et Boves pascunt nihilominus, Boviqve illi viam præparant securam, qvem vidisti aureo cornu insignitum, in pratum properanter accurrisse, & in medio constitisse. 40. *Tres illi Boves sunt tres annuli catenæ, de qvâ Tibi suprà dictum fuit.* 41. Bos ille magnus cum cornu aureo, est *Vir qvidam forâs ejectus, qvi cùm ejiceretur, confregit cornu suum aureum, & in magnum contemptum devenit in oculis osorum suorum.* 42. *Sed Jehova magnum illum faciet, & cornu ipsius aureum excrescet velut novellus Palmæ surculus, succrescetqve, & robur accipiet, & extendet se expandetqve robore manus Jehovæ, donec & contegat totam Prati illius* superficiem. 43. Vidisti etiam duos illos Boves ad magnum illum venisse, & exemisse è pedibus ejus spinas: *hi sunt fideles ejus fratres, qvos excitavit illi Dominus.* 44. Vidisti porrò stantem cum sociis suis duobus Bovem illum, & mox accurrentem canum vim, gramenqve in uno Prati illius loco conterentem: qvos tamen Bos magnus extensô cornu suô confecit & disjecit. 45. *Canes isti magni, sunt magna hostium vis, qvi in illum proruent, ex prato rursus depellere volentes: at ille prosternet ipsos robore Dei.* 46. *Dominus enim per illum & socios ejus, tanqvam per organa sua, operabitur, & illi obtentâ pace stabunt penes invicem conversi in formam humanam: qvemadmodum vidisti stantes juxta se invicem duos illos colore atrô, magnum autem illum albô & cæruleô.* 47. Attende tamen & audi! Multa prælia, & effusiones sangvinis, & terrarum urbiumqve desolationes præcedent, atqve tùm demùm comparebunt *septem illi, adornaturi mensam.* 48. *Qvorum pars ex infensissimis ejus hostibus erunt, mutatâ inimicitiâ in amicitiam.* 49. Et accumbet hic *Vir prodigiorum*, & gloria ejus erit magna, & hostes ejus mordebunt lingvas suas, qvando qvatuor isti aureis in loricis ministrabunt ei. 50. Ille verò cum sociis suis incipiet cum gaudio cantare, & magnificare nomen Dei: & consecrabitur festum Dominô Dominorum omnium, & Exercitus à Septentrione sistet se ad serviendum illi. 51. Nam *Bos magnus homo factus est*, hoc est, nihil horum adscribit sibi ipsi, sed Gratiæ Divinæ omnia, extendenti se ad extremitates cælorum. 52. Atqve ibi erit exultatio, Psalmorum decantatio, lætaqve gratiarum actiones.

III. De Bestia.

53. Bestia, qvam vidisti, & *Spiritualis & Secularis* est. 54. Est Bestia magna, & aspectu horribilis, caput habens Orienti obversum. 55. In ejus cervice vulnus vidisti profundum: sed unde id acceperit non vidisti. 56. *Accepit autem unum vulnus à Gladio Spiritus, qvi est Verbum Domini: Secundum vulnus accepit à Gladio terreno.* 57. Vulnera hæc consanare tentant Viri tres, propriis suis ungventis. 58. *Sed qvid te occupas emplastris Tuis Tu ater! atqvi nihil proderit ista curatio. Dominus enim sanatam non vult Bestiam.* 59. Ater iste Vir cum Pyxide suâ *est commune vulgus: qvi indesinenter*

nenter emplastra conficiunt & Bestiæ applicant, ut consanescat, frustrà tamen: Dominus enim eam non vult sanatam. 60. Niger iste & Albus *sunt Magnates, qvi summâ cum diligentiâ ungunt, & emplastra vulneribus applicant, sed frustrà: Dominus enim ea non vult sanata.* 61. Albus iste & ruber *evacuabit totam ferè magnam & amplam pyxidem suam unctioni Bestiæ, ut parum ipsi remaneat; Bestia tamen non sanabitur.* 62. *Qvin imò vulnus illius magis magisqve invalescet, demumqve multum sangvinabit.* 63. *Ecce omnes isti tres summo cum studio vulneri mederi volent, sed nihil efficient: Tempus enim exspiravit.* 64. Corpore suo meridiem versus se reclinat, qvod magnum est, ideoqve huic confidit & *constituit componere se ad qvietem, ejecto vero illo, qvi in nidum ipsius ignem conjecerat.* 65. *Sed iste denuò redit: Dominus enim succinxit illum cingulo virtutis suæ, & suspendit ipsi linteum album, & cæruleum, plenum spiculis; qvæ substerni mandavit corpori Bestiæ.* 66. *Atqve tùm demùm Bestiæ subsultationes & furiæ orientur.* 67. *Magna qvippe ejus est adversus virum illum ferramenta sibi substernentem rabies: incumbere tamen ferramentis illis, & ad interitum usqve conscindi, necesse habebit.* 68. *Ac saltum qvidem faciet ingentem, sed frustrà: Cauda enim ejus dissiliet, & sangvinis multum deperdet.* 69. *Qvia sangvinem lambendo bibebat sicut aqvam: propterea sangvis ipsius rursum effundetur sicut aqva.* 70. *In isthoc autem furore Bestia caput suum sub corpus projiciet, & unam adhuc, eamqve ingentem, commotionem excitabit: sed irrito prorsùs conamine.* 71. *Qvippe hâc ultimâ commotione jam dividetur, qvemadmodum venator feram dividit, & in partes dissecat.* 72. *Horror eqvidem & tremor ingens præcedet: magna nihilominus tamen vis, gloria atqve robur Bestiæ, in ventos ibunt, & Aves mundi hujus diripient ista.* 73. *Hi erunt ista millena millia exterminatorum, qvos Dominus diversâ atqve ignotâ specie emittit.* 74. *Atqve tùm demùm tres illi intelligent, qvàm nihil profuerit ipsorum sanatio, qvantumvis in Emplastris sanandi multum consumpserint studii.* 75. *Qvorum qvidam in Bestiam odium concipient, eamqve persеqventibus operam jungent: alii dolebunt & plorabunt ex animo, sicut tibi antea dictum.* 76. Attende porrò, & audi! Bestia hæc non qvidem est Bestia, sed Bestiæ similitudinem speciemqve gerit. 77. Spirituales induunt personam Bestiæ, dum Bestiali atqve crudeli potentiâ suâ evellere zizania volentes è medio tritici, triticum evellunt, evertuntqve multos spirituali potestate suâ, qvam sibi sine Scripturis arrogant. 78. Et Angeli videri volentes, præ mero spirituali fastu, zizania eradicandi, colligandi, è terra ejiciendi, munus sibi tribuunt. 79. Reges terræ etiam se in Bestiam transformant, dùm arrogatâ sibi eâdem Angelorum potentiâ, vi & gladio zizania evellere, persеqvutionumqve vinculis ligata exterminare volunt, qvemadmodum fecit Saul. 80. Sed ô Reges Terræ, qvi persecutionibus cum Saulo inhiastis, audite jam qvoqve cum eodem vocem Christi & Dei, & Scripturas Veteris & Novi Testamenti observate. 81. Qvæ Vos aliud docebunt, ostendentqve Vobis patientiæ viam, & mansvetudinis semitam, qvæ est Christus.

82. Tandem dixerunt ad me: consigna Visiones has diligenter, eo qvo vidisti ordine: explicationem verò earum aliqvantisper tibi reserva. 83. *Mandabit autem tibi Hominum qvidam, ut eas exponas* [Fuit Elector Brandeburgicus, An. 1626.] qvem tu ne metue, homo enim est: & cave exponas aliter, qvàm à nobis exposita accepisti. 84. Et qvicqvid per decem hosce dies vidisti, & audivisti, vide ut omnia consignes diligenter.

CAP. XL.

[*Concio Angelica de excellenti trino Christi titulo.*]

ATtende porrò animum atqve aures! Qvæ jam Tibi loqvemur, scito non esse Sermones vulgares, sed qvos Tu perpendere debebis cum diligentia, neqve committere vento, sed excitata ponderare mente.

2. *Ecce sto ad ostium*, inqvit VIR SAPIENTIÆ. *Ecce sto ad ostium*, inqvit LEO DE TRIBU JUDA. *Ecce sto ad ostium*, inqvit ille, QUI STAT MEDIUS INTER SEPTEM ECCLESIAS, QUI TENET SEPTEM STELLAS MANU SUA. 3. Ille unus est, trino tamen nomine insignitus, & nominatur *Primus & Ultimus*, *habens claves inferni & Mortis*, *vivens in secula seculorum*, *vincens & superans Mortem & infernum.*

4. Attende diligenter ad PRIMUM NOMEN! 5. VIR SAPIENTIÆ stans ad ostium pulsat: Huic qvi aperuerit, Sapientiam ab ipso conseqvetur, Sapientiam qvæ venit desuper: qvæ Sapientia Sapientiam Mundi confundit. 6. Nam Sapientia Mundi transit, & est stultitia: Sapientia autem, qvæ donum est Viri istius, Sapientia interminabilis & immortalis est, qvæ reperitur nullibi, præterqvàm apud hunc Sapientiæ infinitæ Magistrum, qvi agit sapientissimè, & eminet altissimè. 7. Hic ipse pulsat affabili ore suo, & gratiæ pleno corde suo: & interna ipsius misericordia finem habet nullum apud eos & super eos, qvi sibi aperiunt. 8. Ipse pulsat amabiliter, & invitat humaniter, & loqvitur voce svavisonâ, *Venite huc ad me charissimi mei palmites, qvi mihi per fidem estis insiti, qvi ferre debetis fructus in honorem mihi.* 9. Ego Vos honorabo in Patre meo, & Pater meus dilexit Vos per me, qvi sum dilectissimus Patris mei, diligentis Vos, qvi recordatur eorum, qvæ de vobis locutus est, & viscera ejus commoventur super Vos, mei charissimi Palmites, in me, ceu Vite vera, permanentes. 10. Qvi manet in me, is fructus multos adferet, & suscipiet Regnum Sanctorum, lignum vitæ manibus suis gestantium, qvod crescit in Paradisi Arbore, qvæ est Profunditas, & Altitudo, & Latitudo, & Longitudo. 11. Propterea nocere illis neqvit ulla Profunditas: qvia Arbor vitæ tam profundè fundata est, ut omnem profunditatem, & altitudinem omnem, erubescere præ illa oporteat. 12. Altissimè supra omnes cælos posuit sedem suam, & dies profunditatis ejus enumerabit nemo, & menses altitudinis ejus nemo Sapientum Mundi percensebit, neqve annos ejus evestigabit. 13. Qvia ab æterno in æternum solus Ille est & profunditas, & altitudo, & latitudo, & longitudo. 14. Ille expandit manus suas in longum & in latum, & distendit tentoria sua in medio profunditatis & altitudinis, & stationes suas à mari usqve ad mare. 15. Et Omnipotentia sua promicat sicut impetus procellæ, & Exercitus ejus sicut flamma ignis; & furor ejus sicut fulminis fulgor penetrat in medium hostium suorum: sive illi sint in profunditate, sive in altitudine; sive se in longum sive in latum expanderint. 16. In profunditate super eos adducit tremorem, & in altitudine eos perseqvitur terrore, in latitudine qvietem inveniunt nullam, & in longitudine evanescunt coram illo. 17. Proinde Vos palmites vitis Christi ne metuite! Ne respicite profunditatem, neqve altitudinem: ne pavescite latitudinem, neqve longitudinem viperinæ progeniei: nihil enim Vobis

nocere

nocere poterit. 18. Ita enim Vir Sapientiæ: Nemo, inqvit, eos eripiet è manu mea. 19. Profunditas ne capillum qvidem capiti vestro adimet: & qvod altum & magnum est in hominum oculis, vobis non nocebit! nec erit qvidqvam, qvod Vos ab amore vitis vestræ separare possit. 20. Castra metentur contra Vos in longum atqve in latum, Principatus & Angeli, nihil tamen vobis nocebunt, nec à Capite vestro separabunt, qvantumvis ingentem capitibus suis furorem, qvantumvis terribile caudis suis venenum foveant. 21. Eructent ignem ex rabidis faucibus suis, & venenum ex caudis suis: nihil tamen istud est nisi ira Principis, & Virus Angeli magni! 22. Caput ejus Sol esse debebat Mundo illuminando; crura ejus in occulto sunt (fulcimina) falsi Solis: Distendit fauces suas, nec aliud vult tempus, qvàm qvod ingenti potentia sua proclamavit. 23. Proposuit Abrahamo piam suam Saram subtrahere, & sibi vendicare: venustate enim captus est; opimus Abrahami fundus oculos ipsius fodicat: cogiturqve Sara relinqvere Abrahamum, & scelesto huic adduci. 24. Sed non nocebit ei: Dominus enim plagis occultis percutit ipsos, qvæ est conscientia ipsorum mala: videntqve ipsimet Abrahamum Saræ proprium esse fidelemqve maritum, & annonæ gravitatem Abrahamo nonnisi benè cedere: Saram verò dimitti, & Abrahamo restitui oportere. 25. Ipse enim cum ea jocatur & ludit, & per fenestræ cancellos perspiciens videt cor idololatrici sine Regina Regis: nam ille fraudes eorum videt, & hypocrisis eorum cognita est illi: Ille enim est *Vir Sapientiæ*. 26. O Vos Viri, qvi vos à Christo habere sapientiam gloriamini, ejus tamen Discipuli fieri recusatis! 27. Qvi Christi Discipulus est, & non Pharisæus hypocrita ex hypocriticâ Jerusalem, is necesse est obedientem se exhibeat, & fructus adferat in patientiâ: Inimicos suos diligat, & non prosеqvatur odio, pro inimicis oret, & iis ex corde remittat culpas suas: non perseqvatur, non trucidet, non affligat, neqve habitu inimicorum se induat, & super innocentis Josephi togâ exsultet, neve ipsum Diabolico ungvento, lingva mendaci, incessat, & in carcerem detrudi juvet. 28. Non Christi discipulus talis est, sed Satanæ assectator: Christi discipulus debet Spiritum suum toto ex corde commendare in manus Patris, non in manus eorum, qvi de nobis nesciunt; nec in sinum eorum qvi nos non nôrunt. 29. Christus obediens fuit Patri suo, & in afflictionibus fuit patiens, in cruce oravit pro inimicis suis, & Spiritum suum commendavit in manus Patris sui.

30. *Ecce sto ad ostium & pulso!* Pulsat ostium cordium nostrorum Obedientiâ suâ, & Patientiâ suâ. Aperite illi vestrâ rursum Obedientiâ & Patientiâ! 31. Aperire per Obedientiam, est resipiscere: per Patientiam, credere Promissionibus Evangelii, certamqve habere fiduciam, qvòd Christus iverit ad Patrem nostri causâ, nobisqve hac via salutem, lucem, & filialitatem æternam comparaverit. 32. Ille vobis aperuit januam, qvùm occludere posset! Aperite Vos qvoqve corda vestra, & nolite occludere ab ipso per inobedientiam, neqve occluditote animas vestras per impatientiam: sed pænitentiam agite cum obedientia, & credite in Christum cum patientia. 33. Aperuit ille qvoqve januam per charitatem: Dilexit enim vos, cùm inimici adhuc sui essetis: Inimicos ille suos dilexit, & pro iis oravit: Aperite vos qvoqve illi per charitatem erga Deum & fratres vestros; & ambulate in charitate. 34. Aperuit Ja-

nuam, qvùm commendaret spiritum suum in manus Patris: Aperite vos qvoqve similiter Spiritum vestrum, commendantes Patri, qvi fuit, & qvi est, & qvi manet in æternum. 35. Non eas commendate manibus demortuorum, neqve qvi resurgere ex mortuis & æqvè ut vos venire in judicium, atqve à Judice vivorum & mortuorum sententiam audire debent. 36. Pulsat vir iste porrò Humilitate suâ: Proinde humiliamini Vos qvoqve sub potenti manu Dei. 37. Ipse enim sapientiâ suâ confundet superbam Babylonem, ut perficere neqveant opus qvod proposuerunt, ad erigendum sibi nomen, & comparandam celebrem in orbe famam. 38. Magna illorum est sapientia, qvâ Babylonem ædificant: Sapientia tamen Dei disjiciet universum opus illorum, qvia sapientia Dei, qvâ confundere & funditus evertere potest Babylonem, infinitè superat illos qvi sapientiâ suâ Babylonem conservare laborant. 39. Gloriantur eqvidem habere se Sapientiam Jesu, cùm non à Christo discant, sed Christi palmites conculcent: Gloriantur se esse operarios in Dei vineâ, cum tamen sibi ipsis, non Patrifamilias fructum colligunt. 40. Sapientia sua excogitat ipsis tesseras, & ratio ipsorum erigit monumenta: cùm tamen Sapientia Dei suis tesseram dederit charitatem, & monumentum erexerit sangvinem suum. 41. Mementote igitur Christi Jesu crucifixi & resuscitati; & hunc esse viam vestram, veritatem & vitam, agnoscite! 42. Hæc enim est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & qvem misisti Jesum Christum. 43. A Christo discere, & Scripturarum manuductioni sese submittere, Christumqve audire solum convenit: Ita enim mandavit Pater, *Hunc audite!* 44. Qvippe ille est Doctor eruditæ lingvæ! & Vir ille, cujus nomen est Admirabilis, & Angelus magni consilii, & Victor cum Gladio stricto dimicans pro Ecclesiâ suâ Heros, Arbor virens florensqve, obediens & morigerus: qvi in scalâ apparuit, & adhucdum intuetur timentes se, & servantes fœdus suum. 45. Hic est ille Vir Sapientiæ, pulsans & stans ad ostium: qvi aperuerit, cum eo ille jentabit, & prandebit, & cœnabit consolabiliter: manè orietur illi stella Jacob, & meridie consistet ei Sol, & vespere cęnabit cum eo, atqve ibi finietur nox, & illucescet dies salutis & gaudii, cui non erit finis.

NOMEN SECUNDUM.

46. Ecce sto ad ostium, utpote verus LEO DE TRIBU JUDA! & pulso corda lugentia atqve lacrymantia, & annuncio illis verbô meô, ut ne plorent neqve derelictos se existiment. 47. Ego, ego vici, velut Leo De Tribu Juda, & ego aperui Librum. 48. Propterea gaudete Vos flentes, ego vos inscripsi Libro vitæ, Ego vos insculpsi cordi meo, & nomina vestra sunt coram me velut memorialis character, & in manu Patris mei consignavi vos, & ille non obliviscetur vestri, nec qvisqvam vos ex manu ipsius eripiet. 49. Nam Pater major me est, & ego faciam qvod vult Pater: & ipse, Pater, facit qvod Ego volo, & cor nostrum plenum est misericordiæ, & voluntas nostra est esse nos propitios. 50. Ego sano qvod sauciatum est, ego præligo qvod fractum est; ego reduco qvod erroneum: & qvod infirmum est, ego corroboro; sitientes ego poto & refrigero; mortuosqve reddo vitæ, ego solus. 51. Propterea enim rugiebam in horto Oliveti, ad sangvinis usqve sudorem, ut mortuos revivificarem: maximè

ximè autem in cruce rugitum edidi, ut excitarem mortuos ad vitam, Deus mi, Deus mi, qvare me dereliqvisti? 52. Derelictus fui sicut leæna parturiens, ut derelicti reciperentur per me. 53. Et ego rugio contra Mortem, Diabolum, & Inferos: & rugiebam super eos, *Consummatum est*: Rugiebam & commendavi Spiritum meum, & Spiritum omnium in me credentium, in manus Patris. 54. Ejulate Vos impii & idololatræ! ejulate Vos hypocritæ & larvati coram mundo! ejulate Vos superbi Spiritus, & vos defectores à Deo ejusqve Verbo! 55. Leo de Tribu Juda vicit, aperuitqve Librum: Impietates vestræ expansæ sunt ante Vos, sicut Liber apertus, & Idololatria vestra in Librum inscripta est, & stat ante Vos sicut Sol splendens ipsô meridie. 56. Lustrate & perqvirite diligenter! & ejicite fædum ex corde vestrô simulacrum! & ne estote hypocritæ & sanctuli in oculis hominum: sed oculos cordium internos attollite, & inspicite Librum, qvem aperuit Leo de Tribu Juda, pulsans eô corda vestra: aperite (igitur) illi, ut ingrediatur ad Vos sicut Leo magnanimus, & corda vestra solatio Israëlis exhilaret. 57. Atqve hic foràs exeat Spiritus superbiæ: & ne respicite defectores à Deo ejusque verbo, sed attendite sedulò voci Leonis rugientis de tribu Juda, qvi sic rugiebat, ut Rupes dissilirent, & Terra contremisceret, velamen Templi rumperetur, & Sol obtenebraretur, & mortui resuscitati in urbem irent. 58. Leo fortis de tribu Juda rugit hodieqve, & ecce rupes magnæ & robustæ dissiliunt, & ille coram eis aperit Librum omnipotentiæ suæ, & rugit adversum illos, & illi disperguntur ut pulvis à vento, & fideles resurgunt, prætereuntesqve securè Tyrannorum rupes ingrediuntur civitatem Dei, ubi limpidissimi fluunt Scripturarum sacrarum rivuli. 59. Leo de tribu Juda rugit adhuc, ut Terra tremat, aperiensqve Librum omnipotentiæ suæ coram illis, efficit, ut pavescant & contremiscant in robore suo: sunt enim terra & pulvis. 60. Surgite vos sancti, & introite in civitatem Sanctam! Nam Leo de tribu Juda rugiit, & velum Templi disruptum est, & Leo de tribu Juda librum aperuit, ex qvo magna Solis Eclipsis cognosci potest. 61. Infantes diligenter scrutentur Librum istum, qvem Leo de tribu Juda aperuit. 62. Attollite corda & voces vestras, & gratias agite Patri, qvi Leonem de tribu Juda misit, & librum obsignatum aperiri permisit. 63. Proinde vos infantes ne flete, sed gaudete & exultate Jehovæ Deo vestro! Nam Leo de tribu Juda vicit, & aperuit librum. 64. Leo de tribu Juda pulsat, aperite ei; & jentabit apud Vos cum Viro Sapientiæ, & sistet vobis in meridie Solem, & ad cænam afferri curabit vinum deliciarum, & mensæ magni Patrisfamilias oppletæ sunt. 65. Contra Urbes autem Homicidarum rugiet Leo de tribu Juda, & aperiet coram ipsis Librum (roboris sui,) & disperdet eos, & Urbes eorum comburet: & necibus conficiet homicidas istos. 66. Lætamini, & ne pavescite gladium, qvi sic circumcirca sylvam cædit & secat passim: Lætamini Vos, qvi Mensæ magni Regis accumbitis, tametsi ignis in sylvâ erumpat violenter. 67. Nam ardebit velut torrens impetuosus, qvem sufflaminare nemo potest: qvia Leo de Tribu Juda irrugiit eos, & Libros Meretricis Babylonicæ aperuit, & ecce ibi Decretum: Gladius, & Mors! 68. Adhæreto igitur Leoni de Tribu Juda: Ipse enim vicit, & vos vincetis. 69. Ille enim magnus est, robustus, fortis, magnanimus; Magna sunt

coram

coram ipſo ſicut nihil, & robuſta ſicut vapor. 70. Inclementia rugit contra infideles, gratia verò erga fideles ſuos. 71. Solatio fidelium aperuit Librum, ut eos inde ſolaretur, tædiaqve ipſorum levaret: Fidelibus enim Liber ſolatiorum eſt, Infidelibus Liber formidinum. 72. Fideles ex rugitu Leonis de tribu Juda refrigeria accipiunt, infideles horrorem & metum.

NOMEN TERTIVM.

73. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, Ego* STANS IN MEDIO SEPTEM ECCLESIARUM, *qvi recipio ex ſeptem Eccleſiis id qvod infirmum eſt, qvodqve ſeipſum pro forti non æſtimat:* Ego debiles fulcio potentiâ & robore meo. 74. Gladius ex ore meo exiens, eſt Gladius perimens, & Gladius ſanans, Gladius formidinum, & Gladius Conſolationum; Gladius Mortis, & Gladius Vitæ; Gladius tenebrarum, & Gladius lucis. 75. Hic Vir expandit manus ſuas ſuper ſeptem Eccleſias, & continet dextrâ ſuâ ſeptem ſtellas, in terrorem & ultionem omnibus iis, qvi in ſeptem Eccleſias neqve frigidi ſunt neqve calidi, qvippe qvi ne auram qvidem tepentem intra ſe poſſident, ſed in totum refrigerati atqve indurati ſunt, & contemnunt caſtigationem illius, qvi ſtat in medio ſeptem Eccleſiarum. 76. Et patrant abominationes Sodomiticas, & faſtum exercent propalàm omnibus, & effuſi ſangvinis eos nihil pudet, neqve id crimini ſibi ducunt. 77. Et non reſpiciunt, qvis ille ſit, qvi ſtans in medio ſeptem Eccleſiarum, manus ſuas ſuper cuſtodientes verba patientiæ & timoris ſui expandit: expanditqve eas in amore & gratiâ, tenens ſeptem ſtellas dextrâ manu ſuâ in tutelam & ſolatium eorum, qvoniam Ipſum ex animo qværunt, orant pulſantqve ex animo. 78. Ita enim inqvit, qvi ſtat medius inter ſeptem Eccleſias: Qværite & invenietis. 79. Qvi gratiam qværit, gratiam inveniet: qvi qværit odium, inveniet odium: Qvod enim qvis ſeminat, idipſum & metet, benedictionem aut maledictionem, mortem aut vitam. 80. Qvi pulſat, illi aperietur, & dabitur abundantia panis, panis vitæ, & veriſſimi animarum cibi. 81. Et fons vitæ obturari illi non poterit: & rivuli ovibus qvoqve profluent nemine impediente: & erunt vivaces, producentqve fœtus ſuos, qvia bibunt ex fontibus Iſraëlis aqvam limpidam, ſcaturientem ex rupe. 82. Et ſitientes rogant, & accipiunt: & recipiunt ſalutarem Gratiæ theſaurum, qvi concreditur ipſis, ut eos cuſtodiat uſqve ad diem Dei magni, qvô impii omnes videbunt qvem pupugerint. 83. Væ illis, qvi ceſſant amoliri ſaxum, & ſitientes Rachelis oviculas potare non juvant! qvin potiùs ſaxo Idololatriæ obſtruunt fontem Iſraëlis, & contendunt ſuper fonte, relinqventes interea ſitibundas & aridas oviculas inopiâ confici. 84. Obſtruuntqve violenter rivulos etiam, ex qvibus bibere poſſent oviculæ: abducentes ſic eis pretioſam aqvam, ex pretioſo profluentem lapide, qvem in Iſraële poſuit Dominus, qviqve Gentibus etiam ipſis innotuit, biberuntqve aqvam iſtam pretioſam ex pretioſo Iſraëlis lapide. 85. O Vos fraudulenti ædificatores, qvi lapidem hunc pretioſiſſimum rejicitis! & ſtatuitis lapidem alium à vobis inventum loco illo, qvo ſtare non debuit! 86. Væ illis in Terra, qvi ad hunc lapidem oves compellunt, & ex eo potionant! Hic Lapis enatus eſt ex Beſtia, & aqva ejus ex poculo eſt Meretricis Babylonicæ. 87. Ecce Viri ſunt ad Ortum Solis, Orientalibus in regionibus, qvi lapidem iſtum explorabunt,

imò

imò jam explorarunt, & aqvam ex hoc lapide effuderunt in fontem Israëlis, & aperuerunt rivulos, & fluent ipsis aqvæ limpidæ, puræ, salubres. 88. Nam seqvuntur stellam Jacob, & percutiunt rupem fide, & erumpet eis aqva vitæ, aqva sapientiæ, aqva intelligentiæ, & aqva similis crystallo, lucidior ipso Lucifero: hoc est, possident veram Dei notitiam in simplicitate & charitate. 89. Qvin imò præcellunt cognitione Dei omnes in solio Moysis sedentes & proclamantes cum vociferatione & violentiâ, *se esse, qvi soli habent clavem Scripturarum, & Notitiam Dei.* 90. Sed os ista loqvitur, opera inficiantur: cognitionem Dei violenter volunt per idola & simulacra hominibus intrudere: sed abeunt inde, sicut vir faciem suam in speculo spectans, & speciem suam mox rursùm obliviscens. 91. Cognitio namqve Dei non patitur hominibus extrinsecùs intrudi, sed legi & exponi Prophetas, potentemqve Spiritûs S. accedere operationem, necesse est. 92. Prædicari oportet septem Ecclesiis ex Scripturarum SS. fundamento: Dominus autem corda aperit, & non aliqva humana vis. 93. Beatos, qvi in septem Ecclesiis pauperes sunt spiritu! nam Vir ille cum septem stellis attribuit talibus Regnum cælorum, virtute Gladii, qvem ore suo gerit. 94. Beatos qvi corde sunt puro! Deum enim videbunt. 95. Vir ille cum septem stellis & Gladio, stans in medio septem Ecclesiarum, stat pulsans ostium fidelium & infidelium, dextrâ & sinistrâ manu suâ: propterea stabat sublatus inter duos latrones medius. 96. Resipiscenti extendit dextram suam, qvæ nunqvam abbreviata est ad ferendum opem, & porrexit illi manum suam, cum digitis qvinqve: nempe digito Amoris, digito Misericordiæ suæ, digito Tolerantiæ, digito Precum, & digito magnæ Gloriæ suæ. 97. Digito Amoris eum ad se trahebat; Digito Misericordiæ recipiebat; Digito Patientiæ erigebat; Digito Precum offerebat eum Patri; & Digito magnæ Gloriæ suæ attribuebat ei æternam Gloriam suam. 98. Qvæsivit eum, ideò invenit: pulsavit, ideò apertum est ei: petiit, ex animo pænitentiam agens, ideò in gratiam receptus est. 99. Commendavit enim se, & tradidit totum, Amori Christi, & Misericordiæ suæ, & Tolerantiæ suæ, & Intercessioni suæ: propterea gloriæ suæ factus est particeps. 100. Atqve talem se Christus exhibet hodie & heri erga illos omnes, qvi in pænitentiâ ad Eum se convertunt, ut in gloriam suam illos recipiat. 101. Sed qvi convertere se ad illum negligunt, eos à se rejicit, & Gratia sua convertitur illis in Iram, & Misericordia in Formidinem, & Tolerantia in Furorem, & Oratio in Vindictam, & Gloria in Contumeliam sempiternam. 102. Nam & erga illos extendit manum, sed sinistram; & qvinqve digitos suos ostendit ad rejiciendum eos à se: qvoniam sangvinem ejus conculcant, & Voluntatem ejus contemnunt, & mandata ejus rejiciunt, & facinora impia perpetrant septem Ecclesiarum, & non respectant illum, qvi stans in medio septem Ecclesiarum novit bonum à malo, sanctum à non sancto, purum ab impuro discernere; & qvi emittit Gladium suum ancipitem, Legem & Evangelium. 103. Ipse enim Evangelium Regni Dei annunciavit, Legem verò implevit & dilucidavit; Mandatum de Charitate suo exemplo fundavit, & pro mandato novo promulgavit, qvoniam & seipsum ex amore tradidit, & in medium septem Ecclesiarum se collocavit inter bonos & malos, & distribuit bona sua. 104. Vi-

cit enim mortem & infernum, & annunciavit Victoriam, lætumqve Jubilæum proclamari jubet. 105. Propterea ftetit in medio, qvia mediator eft, & ftat hodieqve in medio feptem Ecclefiarum, pulfans. 106. Si qvis illi aperuerit per pænitentiam, cænat cum ipfo; & qvi refipifcit, cænat cum Domino fuo per fidem in obedientia. 107. Talem cænam habuit David, cùm agnito peccato fuo pænitentiam fibi perfvaderi paffus eft: Talem & Manaffes, qvi multum Sanctorum fangvinem effuderat. 108. De taliter pulfando, & per pænitentiam aperiendo ac cænando ubiqve loqvitur Novi Teftamenti liber, ad qvem Te conftanter remittimus. 109. Proinde pulfa Tu qvoqve, & januam aperi pænitentiâ & fide in Chriftum! fic non ibit contra Te Gladius, non judicabit Te, fed ibit Tecum, & velut armatura tua Te comitabitur in vitam æternam, & admitteris ad cænam magnam celebrandam cum Chrifto & univerfis piis fanctifqve, electis ex feptem Ecclefiis, in fecula feculorum.

110. *Ad extremum fignificamus Tibi, nos non amplius humanâ fpecie Tibi apparituros.* 111. *Tuum erit affiduis incumbere precibus, & non contriftare Spiritum S. qvi Te porrò illuminabit & magna docebit myfteria.* 112. *Et ne fuperbus fias in corde Tuo, hæc enim eft Idololatria, deducens in fenfum reprobum, & in exitium.* 113. *Laus verò Dei nunqvam recedat ab ore Tuo.* 114. Hæc ubi dixiffent recefferunt à me in luce præfulgida, cui fimilem nunqvam vidi. 115. Ego autem domum me recepi.

FINIS.

APPENDIX PRIMA,

Revelationum Chriftoph. Kottero per Vifiones nocturnas factarum.

I.



NNO 1625, in Augufto Vifio mihi obvenit per fomnum, fexies ordine, talis. 2. Vidi Palatinum ambulantem Hagæ Comitum per aqvas, geftantem manu Librum non adeò magnæ molis, qvi Liber excidit illi in aqvas. 3. Qvem deglutivit Pifcis qvidam ingens, perniciqve natatu penetravit Conftantinopolim, eundemqve Librum in Imperatoris Turcici, elevato folio fedentis, gremium exfpuit. 4. Qvem ille cum admiratione intuitus, juffit à fpurcitie repurgari. 5. Qvumqve lium aperuiffet, dixit: *Ego huic Libro nomen dare nefcio: Ferte illum, & jubeto baptizari.* 6. *Eft enim Liber, qvi errantibus oftendit Viam, & cæcis Lucem, ægrifqve Medicum, qvi fe fanet.* 7. Cæpitqve orare:

Domi-

Domine aperi oculos meos, ut videam magnalia Tua! Domine solve mihi lingvam, ut rectè loqvar, & annunciem laudem Tuam! Magnus enim est Dominus in cælis, & Viæ illius admirandæ. 8. Addidit: *Sanctificate Vos omnes inhabitantes Terras meas! qvia magnificavit Nos, & glorificavit, sub vesperam Mundi hujus Dominus, ostendendo nobis Librum Fæderis.* 9. Et audivi totum Populum, qvi circumstabat, dicentem: *Hallelujah, Hallelujah, Hallelujah! Benè omnia fecit! Laus, honor, gloria & benedictio, Hallelujah, Hallelujah, Hallelujah.*

II.

ANno 1629, Februarii 28, & 29, utrâqve nocte prope diluculum, vidi & audivi seqventia: Primum tres *Voces*; deinde tria *Nomina*; tertiò tria *Judicia*; qvartò tres *Plagas*; qvintò tres *Ejulatus*; tandem, tres *Luctuosos dies.* [N. sexies 3, facit 6. 6. 6.] 2. Prima Vox veniens ab Oriente, ex Aqvâ magnâ: *Audite Aqvæ! Colligite Vos, & subruite terno illi Nomini fundamentum suum!* 3. Et ad Aqvam dixit altera vox: *Surge, lacera Bestiæ viam!* Et aliam audivi vocem ex magno igne ad Septentrionem: *Surgite, exurite Meretricis solium!* 4. Et audivi vocem tertiam ex validissimi venti sonitu: *Surgite, surgite, & iterum dico surgite! Nam Babel maturuit! Confringite illi falsum fundamentum, qvod Bestia posuit per magnam potentiam suam!* 5. *Surgite! Confringite tria Judicia Meretricis in solio sedentis.* 6. Et vidi Folium, cui inscripta erant Judicia, qvæ legebat vox qvædam septies intonando: *Væ, Væ, Væ, Væ, Væ, Væ, Væ, tribus Nominibus!* 7. Et audivi alterum judicium, qvod itidem vox qvædam legit, clarè: *Tu Vir ab Oriente, extende manum Tuam, & perage mandatum Domini! Tange dextrum Uber Meretricis, qvo habet Lac honorum, ad honorandum & extollendum eos, qvi adorationem Bestiæ promovent.* 8. *Acriter eam pertrecta! ut ne qvis ampliùs ab ea honorari aut extolli qveat.* 9. *Sinistrum uber igni à Septentrione exure! qvod brevi accendetur, ad faciendum Tecum opus unum, & auferendum ab Uberibus ejus divitias: ut ne qvem ampliùs ditare qveat, sicut in nuperis iræ meæ diebus.* 10. Audiviqve iterum vocem magnam: *Festinate, Festinate confringere judicium tertium, Meretrici* (afferens) *exitium!* 11. Et hæc vox legit ista verba: *Audite omnes Nationes! Accipite ignem, & exurite Meretricem! Nolite honorare ampliùs Meretricem Bestiæ ineqvitantem! Judicium meum explete, citò, velociter, festinè!* 12. *Nam Arcum meum paravi, sagittamqvè illi meam imposui, Manum à Septentrione: cui dixi ut Cor Meretricis tremere faciat, & Bestiæ foveam paret.* 13. *Non ampliùs eqvitabitur à Meretrice Bestia: qvia finem illi faciam ego Jehova, superinductis illi tribus Plagis, tribus Ejulatibus, & tribus perluctuosis diebus.* 14. Et audivi promulgari tres illas plagas, sic: *Plaga permagni Terroris! Plaga prævelocis gladii! Plaga celerrimæ Devastationis!* 15. Et mox: *Ejulatus super magnum ejus Honorem, qvem amittet! Ejulatus super magnas ejus Divitias, qvæ in prædam ibunt! Ejulatus super magnam ejus Potentiam, qvæ evanescet!* 16. Hæc omnia proferebantur voce unâ: sed insonuit alia vox: 17. *Ah luctuosa dies, qva Musici Tui cessare debebunt! cantûsqve loco conclamitare plagas tuas, qvæ te obruerunt.* 18. *Ah luctuosa dies, qvâ tibi oppessulabuntur Molæ tuæ, ad non ampliùs molendum, tuisqve maledictis Negotiatoribus Tabernæ suæ, ad suas & tuas falsas merces, imposturarum & mendaciorum, non ampliùs vendendum.* 19. *Transfluxit tempus tuum, ut a-*

ut aqva: pro gloriâ habes ignominiam, pro opulentiâ nuditatem, pro potentiâ conculcationem. Altitudini Tuæ hæc judicia dixit Dominus. 20. *O perluctuosam diem, qvæ super Te venit! Reges & Principes desinent amplexari Te, conspuent te, nec magis attendent mendaciis tuis: nam Agnus mactatus in monte insurrexit in Te.* 21. *Morde linguam! & iterum dico præmorde mediam, præ dolore & luctu, maledictam illam & mendacem linguam Tuam!* 22. Et conspexi virum magnum tenentem dexterâ Crucem, & prodeuntem inde geminum Gladium: alterius cuspis erat alba, alterius cærulea, cum inscripto magnis literis,

AD EXURENDUM IGNEM, ET AD SUBMERGENDUM AQUAS!

23. Factum tanqvam in lucido igneo radio.

III.

EOdem annô, 3 & 4 Aprilis, vidi ante me stantem admodum formosam, & luxuriosè aurô & purpurâ ornatam fæminam, gestientem, lætitiâqve manus expandentem. 2. Fronte ejus exstabat pictum 6; ubere sinistrô itidem 6; sicut & dextrô, 6: interqve hoc geminum 6 & 6, per pectus deorsum, *Væ Væ Væ Meretrici! Væ Væ Væ Babyloni! Væ Væ Væ Bestiæ!* 3. Mox audivi vocem, *Hodie, hodie fit initium! Mensis adest, tempus jam est! Veni Lupus properè! Venite Leones ab Oriente & Septentrione! festinate exseqvi mandatum meum.* 4. Et audivi magis adhuc sonoram vocem, dicentem: *Sic ait Jehova, Finem faciam pompæ & eqvitationis superbæ Babylonis! Babylonem confringam, Bestiam contremefaciam, ornatum Meretricis in direptionem dabo.* 5. *Anni tui exierunt:* & hîc tinniit vox qvædam, *VÆ!* 6. *Menses tui effluxerunt!* & hîc rursùm vox sonuit, *VÆ!* 7. *Dies tui non sunt ampliùs!* iterum vox clamavit, *VÆ.* 8. Et audivi sonitum vehementis venti, & fremitum rapidè volventis aqvæ: & venit Vir cum magno bipartito gladio, manu tenens crucem. 9. Et facta est ad illum Vox: *Surge, perage mandatum qvod tibi do! Percute bipartitô tuô gladiô aërem.* 10. Qvod cùm fecisset, diviserunt se duo isti Gladii in septem, & mox in millenos: & venerunt multa qvoqve virorum millia, qvi Gladios istos inter se diviserunt. 11. Vir autem ille Gladium habuit in manu totum aureum, sed sine cuspide: vestem autem cæruleo-albam, & pileum cæruleum cum redimiculo albo! & à collo suspensam torquem, tanqvam è septem literis, oblongam, sic,

S S W E W D T

12. Ille verò detractum capiti Pileum imposuit gladio; cujus locô Populus iste cum gladiis Coronam ei imposuerunt. 13. Mulier autem adhuc stans in ornatu suo, ut Virum illum coronari vidit, exclamavit; *Fugiamus, summus tempus est.* 14. Sed ecce multitudo ingens populi cinxit eam! & illa pacem promittens, dejerabat per Deum & omnes Sanctos, dicens: *Juro per Deum & Sanctos, non ampliùs me fornicaturam vobiscum.* 15. Et audivi aliqvot centenos Tubicines canere, tàm clarè ac distinctè, acsi ore loqverentur: *Agite, agite! prehendite adulterinam, idololatricam, maledictam Meretricem, Bestiæ insidentem! nec illi ampliùs fidite.* 16. *Implevit enim Mundum mendaciis suis. Disturbate Babylonem! Bestiæ succidite nervos, citò.* 17. Irruerunt ergò in mulierem immaniter, diripueruntqve ornatum

tum ejus, Corpus verò ejus discerpserunt miserabiliter, & ipsam concremârunt igne in pulverem & cineres. 18. Unde natum est ingens gaudium, plausus & jubila: totusqve ille Populus dixerunt, *Venite exultemus Domino cum jubilatione! adoremus & laudemus Dominum Deum nostrum, qvi eam per manus nostras perdidit!* Atqve hîc fuit finis, nihilqve audivi præterea.

APPENDIX SECUNDA.

Paraphrasis Orationis Dominicæ, ab Angelis Kottero dictata.

BEnedic Domino, qvia Sanctum est Nomen ejus: Benedic Domino, qvia gloriosum Nomen ejus (*Sanctificetur Nomen Tuum.*) 2. Dic: O Sancte Pater, Sanctifica me totum: da mihi Spiritum tuum Sanctum, ad efficaciter orandum & sanctissimum nomen Tuum omni angustiâ invocandum. 3. Sanctifica me sancte Pater, & sancta fac omnia interiora mea, ut progerminent velùt sancta & fæcunda radix conscientiæ puræ, operibus sanctis, bonis, Deoqve placentibus, ad serviendum Tibi Deo viventi. 4. Sancte Pater, Sanctificetur nomen Tuum in omnibus nationibus terræ. 5. Sanctum est & potens, validum & forte sanctum nomen Tuum: qvi illud ex corde adorat sine hypocrisi, sanctificatur ipse, ad oppugnandum profanum Satanæ regnum. 6. Potens fiet, validus & fortis, qvi invocat sanctum nomen Domini, ut stare possit adversus omnia machinamenta Satanæ. 7. Nec stare solùm, sed per gratiam sanctissimi nominis prævalere & vincere hostes Divini nominis universos, blasphemantes sanctum nomen Dei, idololatriâ, pravâ doctrinâ, hypocrisi, & inani rixandi libidine, qvibus profanatur sanctum Dei nomen, nec Regnum Dei ad eos venit. 8. O væ illis qvi altercantur de Cælo & de inferno, dicentes, Sanctificetur nomen Tuum! Adveniat regnum tuum! 9. O Idololatria! ô falsa doctrina! ô hypocrisis, super omnes hypocrises Satanæ! Sanctum vocant Domini nomen, & vivunt ut profani idololatræ, doctrinâ pravâ superinducti, & amicti hypocrisi. 10. Apud Eos non sanctificatur nomen Dei, qvia vitam ducunt sanctitate vacuam: neqve ad eos Regnum Dei venit, qvia non vivunt sanctè ut Dei filii. 11. Non faciunt mandata, qvæ data sunt regnum cæleste ingressuris. 12. Et tametsi *nomen Dei Sanctum* clamitent, ipsi tamen ut profani vivunt: Clamant qvidem, *Adveniat Regnum tuum!* sed in viis illis, per qvas nomen Dei sanctificari, & Regnum Dei ad ipsos venire posset, ambulare non cupiunt. 13. Cave autem opera Babylonis! ne sis confusus precando, uti sunt idolorum filii in Babylone, qvi ita confusi suis in precibus, currunt huc, currunt illuc; exspectant hîc, expectant illîc, Dei suiqve ipsorummet obliti. 14. Dei obliviscuntur, qvoniam ei non confidunt, Deum mendacii arguentes, qvi se solum invocari mandavit. 15. Veritatem Christi obscurant, eumqve honore suo spoliant: Intercessiorium munus ipsi adimentes,

Spirituiqve mortuo tribuentes: hôc ipsô profanatur, non sanctificatur nomen Domini, nec propagatur gloria Christi. 16. Hæc est voluntas Sancti in Israël, Invoca me! hæc est voluntas ejus, sancta illa qvæ prodiit è Sancto Sanctorum.

17. Hæc est voluntas ejus, ut preces tuas Sancto Patri offerat, & sic te orare jussit, *Fiat voluntas Tua in terrâ sicut in Cælo!* 18. Ne sinas in te regnare voluntatem Tuam, nec ab eâ te ad malum impelli, sed tu pelle voluntatem tuam divinæ voluntatis vi retrorsum; qvi novit bonum & non facit, voluntatem Dei non facit. 19. Voluntas Dei est, à rebus terrenis in sublime ferri, vanitatem deserere, è mundo exire, & incaminatum se à mundo servare. 20. Voluntas Dei est, non profanare sanctum nomen Domini, operibus tenebrarum. 21. Voluntas Dei est, deponere malum, & opera tenebrarum, & ambulare in luce. 22. Voluntas Dei est, deserere doctrinas hominum, & non communicare commentitiis cultibus eorum. 23. Voluntas Dei est, orare pro inimicis, & benefacere iis qvi oderunt nos, benefacere iis qvi persequvuntur nos. 24. Voluntas Dei est, ut submittamus nos regimini Spiritûs Christi, non autem Spiritûs hujus mundi, & patiamur duci Spiritu charitatis ad sincerum Dei & proximi amorem. 25. Non condemnando alii alios, sed obviando sibi invicem dilectione, patientiâ & devotâ intercessione ad Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi: qvi voluntatem Patris sui fecit, totiqve mundo exemplum reliqvit, ad seqvendum vestigia ipsius, & ambulandum in charitate. 26. Qvi est in charitate, & in charitate perfici de die in diem magis magisqve laborat, is perfruetur generosis fructibus dilectionis in Christo, eorumqve fiet particeps in semetipso. 27. Qvi enim possidet charitatem ex toto corde, omnia possidet, nec deest ipsi qvidqvam, qvia Deus est charitas, & filii ejus habitant in charitate. 28. Mirantur homines calamitosa, proditoria, & bellica tempora: causa est, qvod charitas à terris exulet, amant se invicem sicut Cain Abelem, clavâ ipsum trucidans. 29. Ah qvàm temerè Mundus iram Dei sibi ipsi advocat, cùm plerigve orent, Fiat Voluntas Tua, de voluntate Dei tam parum soliciti. 30. Non recogitant qvid orent, & qvanto cum Domino negotium sibi sit: Orant, ut fiat voluntas Domini, & ut fiat etiam apud ipsos in Terrâ, nec tamen à voluntate Dei duci volunt.

31. Magnum qvid est orare, *Sanctificetur nomen Tuum*; magnum, *Adveniat Regnum Tuum*; omnium maximum, *Fiat voluntas Tua in terrâ ut in cælis.* 32. Hac precatione homo seipsum totus tradit Deo ad serviendum ei soli, & vivendum secundum voluntatem ejus, nec diligendum aliud qvidqvam. 33. Nec obseqvendum alienæ voluntati præterqvam huic, nec implendum voluntatem carnis & mundi, sed in vitâ & morte huic voluntati, qvam adorat, omnia sua, corpusqve, animam & spiritum suum resignandum & patiendum perferendumqve omnia secundum voluntatem hanc. 34. Sive mors, sive qvidvis aliud secundum voluntatem Altissimi de se decretum sit, id omne fit secundum voluntatem Dei. 35. Et per id sanctificatur sanctum Nomen ejus? Regnumqve ejus (qvod nunqvam transiturum est) ad talem corde hilari Deum diligentem venit, ut prægustum habens æternæ vitæ, in voluntate Dei vivat in sempiternum. 36. Æterna enim vita nullius creatæ rei imagine adumbrari potest melius, qvàm dilectione: nec æterna damnatio melius, qvàm refrigerata cha-

tâ charitate in profundè radicatis mundi filiis, & hominibus tenebrarum. 37. Qvi in tenebris jacent irretiti laqveis Satanæ, & vinculis eorum qvi in tenebris ambulant, nec amant lucem, sed tenebras. 38. Affligunt se invicem refrigeratâ charitate, struuntqve sibi per refrigeratam charitatem gradus ad gehennam, devorantes se invicem, & consumentes lucem quam ipsis voluntas divina per Spiritum pacis accendit. 39. Væ talia facientibus, & lucem in seipsis avidè exstingventibus, tales exspectent voluntatem Dei, qvam orant, sibi in supplicium & pœnas, secundum Dei voluntatem & severam justitiam, & in mercedem tenebrarum & damnationis: in qvibus fuit Voluntas ad malum, in voluntate malâ mortuis. 40. Nam talibus etiam sanctificatur nomen Dei in irâ, & Regnum Dei ad ipsos non venit. 41. Qvi autem voluntati divinæ unicè se devoverunt, iis fiet secundum Dei voluntatem in amore, ad ingrediendum in terram viventium. 42. Ubi lux erit perpetua, & amor sine fine in Christo Jesu, eruntqve in ipso, velut palmites veri in vite suâ, & manebunt æternùm. 43. Ibi erit satietas gaudii, ibi satietas amoris, ibi lux æterna sine tenebris; fientqve omnia secundum voluntatem Dei, ad sanctificationem sui nominis in Regno cælorum, laudabuntque omnes nomen Domini. 44. Probè hæc perpende, & oraturus probè te instrue.

45. Ah qvàm insigne donum est Panis terrestris, qvô naturalis vita conservatur, qvô deficiente misera vita est: idcirco te Christus orare jubet, *Panem nostrum qvotidianum da nobis hodie.* 46. Qvam precationem cave de naturali duntaxat Pane intelligas, sed multò magis de cibo animæ: ideóqve primùm qvære Regnum Dei & Justitiam ejus. 47. Qvære primùm summô studiô Christi amore exardescere, téqve Regno ejus tradere ad vivendum illi, & ambulandum in fructibus Spiritûs, nec patere Justitiam egredi è corde tuo. 48. Regnum enim Christi non habet Justitiam qvalem habet mundus: Regnum Christi plenum est thesauris gratiæ, qvos distribuit ut Pater filiis panem suum. 49. In Regno Christi justitia talis est, qvalem ipse Verbo suo patefecit Mundo. 50. Justitia hæc est Panis vitæ, cibus verus in Regno Christi: Si membrum vivum vis esse in Regno Christi, Justitiæ da operam, qvam in Regno suo reqvirit Christus. 51. Hanc qvære, hanc per charitatem seqvere; Preces tuas funde in fiduciâ promissionum Christi, tunc incrementa in te sumet Justitia. 52. *Hodie* para cor tuum, & ne differ in crastinum: Christus enim *hodie* precari tibi mandavit, *hodie* igitur cor tuum præpara, ne te illud *hodie* tuarum precum accuset. 53. *Hodie* expete panem vitæ: & impetrabis *hodie* justitiam, & omnia adjicientur tibi: *Hodie*, *hodie* accipies.

54. *Hodie* etiam ora: *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* 55. Hodie tibi Deus peccata remittit, remitte & tu proximo tuo, *hodie* id fiat, non cras. 56. *Hodie* ora pro inimico tuo, qvia mandavit Christus, & ipse pro inimicis oravit, exemplum tibi relinqvens. 57. Si ergò gratiosæ peccatorum remissionis particeps fieri, nec tot millium precatorum preces in maledictionem tibi cedere vis, iram corde fovere noli, nec Solem occumbere super irâ tuâ sine: hoc enim tentatio est.

58. Ideò precari te Christus jubet: *Ne inducas nos in tentationem!* 59. Et hoc etiam est malum illud, qvod deprecari debes. 60. O tentationem super omnes tentationes! O malum super omne

omne malum, quod malum dici potest. 61. Qvi non remittit delicta proximo suo, invocat contra seipsum judicium & Justitiam Dei, qvæ eum manebit. 62. Si qvis non remittit proximo suo offensam, & in hac carnis suæ tentatione perseverat, pergitqve viam perversam contumaciæ, viam iræ & vindictæ, iram corde fovet contra proximum, is gratiæ fœdere exclusus est: qvia propriis precibus suis Justitiam Dei in vindictam sibi exorat.

63. Ideò tu ex corde ora, *liberari à Malo*. 64. Hoc enim malum illud est, qvod sibi qvis ipse exorat, & pœna qvam postulat; & judicium qvod sibi accersit, & contra se pronunciat. 65. Hæc tentatio est, qva semetipsum qvis decipit, & in extremum salutis periculum præcipitat. 66. Talis orare neqvit *Pater noster*, qvia non manet in filiali obedientia: neqve precari potest *Sanctificetur nomen Tuum*, qvia vivit in profanitate iræ. 67. Neqve potest orare *Adveniat regnum tuum*, qvia vivit in Regno Satanæ: & *Voluntas Dei* bona fit ipsi in malum, & Panis vitæ convertitur ipsi in fel amarum; & *Hodie* illud qvod orat, in maledictionem; & *Remissio* in retentionem debitorum, & *Liberatio à malo* in tentationem. 68. Hæc probè expende, qvoties orare vis, ne preces Tuæ in maledictionem vertant; & lauda nomen Domini.

APPENDIX TERTIA,
HUMANA,

Continens Commentarium qvendam super Kotteri Prophetias generalem, Judiciosi Theologi

JOHANNIS FELINI:

Cui cùm Kotterus de personâ notus, semperqve admirationi fuisset, attendit ille præ cæteris in rerum eventus sic, ut obscuriorum Kotteri locorum, & calculationum, rationem se asseqvi speraret. Qvoniam igitur in his recensendis eò ventum est, ut, qvod ad eliciendum verum de his judicium facere qveat, nihil videatur celandum (si qvomodo ut sqvamæ de oculis nostris cadant obtineri possit) apponam scriptum illud ante sexennium jam (dum adhuc in vitâ esset Felinus) ex Hungariâ ad me missum, integrè.

Annota-

Annotationes conjecturales ex Revelationibus Christophori Kotteri, de qvibusdam prædictionibus ejus impletis & implendis.

(I.)

B*Ellum Germanicum, imò qvoddam universale, prædixit Revelatio* jam Anno 1616, 11 Junii: *cùm adhuc tota Germania & Bohemia in pacatissimo esset statu, neqve Bellum suspicaretur qvisqvam.* (Legatur Revel. ejus cap. 1. v. 5.) Cujus prædictionis veritatem persensit Germania annis 30, & sentiet porrò. Imò qvæ in Europa regio est, qvæ tali pace fruatur qvalis anno 1616 fuit? Nonne omnia ubiqve turbata? Retulit verò hanc Visionem Kotterus apud Magistratum Sprottaviensem, Anno 1619, die 29 Augusti: Bellô qvidem Bohemicô jam exortô, sed qvod nihil ad se pertinere Germania putabat: multo minùs remotiores Gentes ad se incendium hoc perventurum imaginari poterant.

Eadem universalis Mundi perturbatio prædicta est Anno 1620, cùm ubiqve pax esset extra Bohemiam. Vide cap. 3. v. 12. *Adesse tempus, qvô millena millia eqvitum ab Oriente ad Septentrionem, & à Septentrione ad Occasum in superiores Germaniæ provincias ventura sunt: foreqve exercitum secundùm numerum Ducum septipartitum &c.* [NB. De septem illis Ducibus, per septem stellas adumbratis, nihil adhuc conjecturâ asseqvor.] Hæc in genere de Bellis, & Mundi conturbatione.

(II.) *Ostenditur, qvis tandem futurus sit finalis Bellorum istorum exitus. Nempe Deum mirabiliter (juxta misericordiam, sapientiam & potentiam suam) nomen suum glorificaturum, conversione gentium.* (Vide cap. 2. v. 9. & 3. v. 6. &c.)

Conversionis verò hujus initium fore Magnum Monarcham ab Oriente: cujus exemplum (tanqvam in terris eminentissimi) aliæ qvoqve Gentes secuturæ sunt. Propter tamen infirmitatem illius, non duntaxat qvatenus est homo, sed etiam qvatenus adhuc Deum ignorat, Deum plurima miracula præmissurum, qvibus ille perculsus Christo supplex fiet. cap. 2. v. 11.

Utraqve hæc pars generaliter explicatur. Prior, indicans qvid Bellum illud gerentes præstabunt: nempe eorum operâ cingetur Leo & Luna, ut plenum recipiat splendorem, cap. 3. v. 16, 17. Per Lunam verò intelligitur (uti communiter) Ecclesia: & (uti mox explicatur) qvidam præcipuus ejus defensor. Præterea iidem duces miram proceritate Arborem evertent: id est aliqvam Domum aut Principem, hucusqve admirabilem, supraqve omnes eminentem: qvalis arbor Nebucadnezar fuit.

Qvod de conversione gentium paucis dictum, alio emblemate indigitatur, versu 21. Nempe *Campanæ stupendæ magnitudinis, cujus pulsus exaudiebatur in universâ Terrâ.* Id est, Evangelium ubiqve jam gentium prædicabitur: ad Verbum enim Dei audiendum communiter campanarum pulsu convocari solent homines.

(III.) *De Friderico.*

Cap. 4. v. 8. *Revelatio ad specialiora descendit, nempe ad Fridericum electum Bohemiæ Regem.* Ubi NB. qvæ de Friderico dicuntur, non ad illius personam solam esse referendum, sed ad familiam, expressè docetur cap. 6. v. 20. Sive familia sangvinis intelligitur, sive causæ Defensionis Libertatum: cujus *Fridericus fecit initium, posteri continuare debent.* De qvo, inter alia, duo præcipuè sunt notanda, in hoc 8 versu.

1. *Per dejectionem illius, non fuisse futuram pacem in Germania, sed majus bellum excitandum.* Non propter Fridericum: qvasi qvi bellum Germaniæ illaturi erant rem Friderici promovere vellent, sed sua qvæsituri. Nihilominus Dei futurum esse exercitum, per qvem Deus peccata Germaniæ puniret. Qvod factum per *Daniæ Regem*, *Tillium*, *Walsteinium* &c. multo magis per *Svecos*, illorumqve fœderatos. Et atrociùs fiet per *Orientales*, ut infra.

2. *Mandatum*, qvo præcipitur, ut *Rex pacificum Cor suum omnimodè hostibus suis testatum faceret.* Ubi haud obscurè innuitur, *si vel ipse Rex, vel alii ejus nomine bellum suscipiant, id contra hoc mandatum fore, & per conseqvens nihil profecturos.* Impletum hoc, dum *Mansfeldius*, *Durlachius*, *Halberstadiensis*, aliiqve ipsius nomine bellum continuare vellent (imò ipsi ejus filii, *Carolus* & *Rupertus*, in Westphalia) ut omnes ubiqve profligarentur. Exspectandus erat exercitus Dei, & Fridericus pacificum animum suum coram mundo testatum facere debuit omnimodè. (eodem versu 8.)

Fortuna Friderici, qvadruplici specie adumbrata, cap. 5. 22. 1. *Dormientis*, & in terra prostrati. 2. *Surgentis*, tristi & mœrente vultu. 3. *Provoluti genibus*, ac orantis. 4 *Stantis* sub Corona, & Regio habitu. *Prima* species Friderici, nempe *prostrati*, videtur fuisse per tempus illius, liberorumqve ejus exilii, usqve ad compositionem Osnabrugensem. *Altera*, *Surgentis*, *sed mœsto vultu.* Impletum post Osnabrugensem transactionem: ubi filius Friderici aliqvantisper qvidem surrexit, dum illi Palatinatus inferior redditus, & locus inter Electores datus fuit: verùm mœsto vultu. Nam superior Palatinatus ademtus est, in Inferiori nonnulla defalcata, dignitasqve imminuta, dum ex Electore primo factus est ultimus. Et præterea, ab his & illis premebatur &c. *Tertia Orantis.* Qvàm diligenter is qvi jam aliqvantò surrexit, oret, & vita pia Orationes & deprecationes suas Deo probet, qvoniam remotus sum, ignoro: utinam! *Qvarta Coronati*: id qvod expectandum est.

(IV.) *Calamitas Germaniæ, qvam perpessa est per istos triginta elapsos annos, dicitur parva esse respectu illius, qvam ei Orientales inferent, nisi resipiscat*: Cap. 6 v. 14. & seqventibus. Ubi emphatica Oratio: *Deum, Domino Nationum Orientalium Virgam præsentis judicii sui tradidisse in manus, atqve ut ipse in bellum proficiscatur mandasse.* Jussitqve Christophorum ad omnes Dominos, Comites, Principes, potentesqve Imperii referre, si effugere velint prævalidam Exseqvutoris hujus manum, nec venire in potestatem illi, sangvinemqve bibere proprium, &c. qvid faciendum sit (Videatur textus.) Huc pertinet Capitis 10, v. 44, 45, 46, 47, 48. *Væ Cæsari, Regibus, Principibus*, &c. *Venient super vos, Fames, Annonæ caritas, Bellum, & Sangvinis effusio. O Vos in Germania Potentes, qvi eqvis benè saginatis, pilentisqve pomposis & fastuosis vehimini! videte ut volucres cœlestes Corpora Vestra ingluviebus suis trans maria & flumina differant* &c. Itaqve seqvitur, *Qvamvis Germania bello hoc, qvod per annos triginta gestum est, gravissimas perpessa sit calamitates, modicum tamen esse (nî resipiscat) respectu illius, qvod Orientales patraturi sunt.* Bello igitur Svecico præludium tantùm judicii illius, qvod traditum est in manum Regentis Orientalis, fuit. Sveci enim Germaniæ Magnates in dignitatibus suis reliqverunt: sed ab Orientali nullam eorum eminentiæ rationem habendam innuitur, qvod terribile Si Visiones istæ à Deo profectæ sunt, uti multis modis jam probatæ sunt, profectò tempus est seriam agendi pœnitentiam: qvæ aliàs qvoqve semper necessaria est ei, qvi gehennæ ignem effugere velit.

(V.) Per-

(V.) *Perſecutio Religionis ergò, eoqve ſpiritualis Ecclipſis, in Regionibus Auſtriacis prædicta eſt.*

Cap.6, v.23. & ſeqq. *Soles tres Kottero exhibiti.* *Medius* proculdubio Solem verum, Solem juſtitiæ, ejuſqve Veritatem deſignavit. *Meridionalis* turbulentus verum Solem obſcuravit: qvo perſecutio, qvæ poſtea in Auſtriacis Provinciis evenit (ubi Lux veritatis cæleſtis ad tempus intercepta, & qvaſi exſtincta eſt) præmonſtrata fuit. *Septentrionalis* ſtabat qvietus: qvia Septentrionales iſti perſecutioni non erant obnoxii futuri, ſed in ſuo ſtatu, reſpectu lucis Evangelii, permanſuri. Perſecutionem vero illam non fuiſſe perpetuo duraturam, verum ad tempus duntaxat, poſtea tranſituram; Lucem vero multo illuſtriorem ſubſecuturam, prædictum eſt. Rurſum vero Converſio populi Orientalis iterum repetitur, v.29. Cap.7. Triangularis menſæ Viſio, & arbuſcularum, illuſtrant ea qvæ modo de tribus ſolibus indicata ſunt.

(VI.) *De ſenſu numerorum qvorundam in Kottero poſitorum, Conjectura.*

Cap.8. v.1, & 2. *De viginti & una ſeptimanis* fruſtra nunc deſudari, ex v.4. patet, ubi dicitur, *Deum ſibi earum myſterium reſervatum voluiſſe.* Exſpectandum igitur, uſqve dum Legatio illa ad Fridericum conſpiciatur, inter feſtum Johannis & Jacobi. Ad reliqvos numeros in timore Dei accedamus.

Verſu 7, qvatuor ponuntur numeri, 1621, 1622, 1623, 1624. De iſtis dixit, *Qvatuor iſti conſummabunt ea, qvæ conſilio ſuo decrevit Deus.* Et v.8. *Tria mira in oculis hominum fient.* 1. *Tentatiuncula ſuperveniet, ad explorandos hypocritas.* 2. *Qvidam de ſolio ſuo cadet, nec illud amplius recuperabit.* 3. *Papa cum ſua colluvie conteretur, veſtimenti ad inſtar.*

Ubi ad ſenſum iſtorum numerorum percipiendum, tria ſunt ſcitu neceſſaria.

I. *Unde numeratio iſta incipiat?*

II. *Qvomodo inſtituenda?*

III. *Qvomodo tria illa mira* (ordine ſuo eventura) *in qvatuor prædictis numeris contineantur.*

Ad I.) *Unde initium numerationis* (ſeu à qvo anno) *inſtitui debeat*, id expreſsè docetur Cap.5. v.31. nempe *ab occupatione Pragæ*, qvæ accidit ſub finem anni 1620. Ideo ſeqvens annus 1621, primo loco in numeris illis qvatuor ponitur. Hic itaqve terminus *à Qvo* erit: nempe Annus 1621.

Ad II.) *Qvomodo numeratio inſtituenda?* Recordor, nos poſt cladem Pragenſem vehementer hîc erraſſe, putaſſeqve motus iſtos omnes intra qvadriennium unum, nempe Anno, 1621, 1622, 1623, 1624, finem habituros. Et cùm annus 1624 elapſus eſſet, majoreſqve calamitates ingruerent, turbatos fuiſſe nos vehementer. Nec non poſtea cupiditate celerrimæ liberationis qvemvis alium numerum, breviſſimum tamen, arripuiſſe: omnia ſine fundamento, ideoqve exitu ſemper fruſtraneo. Nunc video, qvomodo componendi ſint iſti numeri expreſsè Spiritum indicaſſe, Capite 8. v.10. Nempe, ultimas numerorum iſtorum cifras eſſe addendas, ſic

1
2
3
4
10 *Et in hoc decenario numero latere myſterium dicit Spiritus.*

Spiritus. Id eſt, *is erit inſtar clavis ad intelligendum alios numeros.* Jam itaqve probabiliſſimum eſt, reliqvos iſtorum qvatuor numerorum, eodem modo computandos eſſe (ſicut ultimum 1, 2, 3, 4, decem.)

Penultimus continet,	2, 2, 2, 2	Antepenultimus,	6, 6, 6, 6	Primus,	1, 1, 1, 1
	Facit — 8.		Facit — 24.		Facit — 4.

Qvæ producta (8 & 24 & 4) faciunt 36, & cùm prius monſtratis decem, 46. Bellici itaqve iſti tumultus 46 annos durare debent: qvos ſi addas ad annum 1620, qvo amiſſa eſt Praga (ductu Capitis 5. v. 31.) prodibit annus 1666. *Qvi numerus 666, etiam in Apocalypſi continetur.* Nec inuſitatum eſt, vulgo etiam nobis, maximum numerum tanqvam notiſſimum præterire. (Exempli gratiâ, ſi ex aliqvo qværam, *qvoto anno natus es?* & is mihi reſpondeat *Sexcenteſimo tertio*: mox intelligo intelligi *ſupra milleſimum.*) Idem numerus 666, exſtat cap. 8. v. 28. in tabula ſub litera H. Item verſu 32, numerus 66 cum adjectione, *Conſummatio ſexti judicii.* Item cap. 10. v. 39.

Ad (III.) *Qvomodo tria illa mira eventura, in qvatuor iſtis numeris contineantur, & qvæ hìc proportio atqve harmonia?* Reſp. Notum eſt ex Daniele, & notiſſimum ex Apocalypſi Johannis, Scripturam ſacram in prædictionibus mentionem facere, *Temporis*, *duorum temporum*, & *dimidii temporis*: ſicut & ex Kottero Cap. 10. v. 34. cap. 15. v. 2, 6, 15, & alibi.

Seqvetur itaqve ultimos numeros 1, 2, 3, 4, id eſt 10, deſignare *Tempus unum*: penultimos & antepenultimos (6, 6, 6, 6, 24; & 2, 2, 2, 2, 8) *Tempora duo*; Primum deniqve numerum (1, 1, 1, 1, id eſt 4) *Dimidium temporis*: qvi omnes in unum additi faciunt 46, uti demonſtratum eſt.

Tempus ergò primum ſunt 10 *Anni*: qvi ab anno 1620, poſt captam Pragam, excurrerunt ad annum 1630. Intra hoc primum decennium, primum Mirum (ut ſupra annotatum eſt) evenire debuit: Nempe *tentatiuncula, ad explorandos hypocritas.* Id qvod palàm impletum eſt, qvum per continuas Cæſaris Ferdinandi (toto illo decennio) victorias, per oppreſſiones militares, per incarcerationes & proſcriptiones, variaqve tormentorum genera, innumeri animis fracti à cognitâ veritate defecerunt: qvidam etiam eorum oſores ac perſecutores verè credentium facti ſunt.

Duo tempora, qvæ prodeunt ex additione qvater duorum & qvater ſex (nempe anni 32) indicant qvo tempore iſtud ſecundum Mirum (de qvo cap. 8. v. 8. *Unus de Solio cadet, nec illud recuperabit ampliùs*) impleri debuit: nempe intra 32 annos. Qvorum triginta duorum annorum initium ſumendum eſt ab anno 1630: qvippe in qvo numerus primi temporis, id eſt annorum decem, deſiit. Itaqve anno 1630 incipere debuit qvaſſari, & bello concuti, ſolium iſtius qvi cadere debet, uſqve ad ejus everſionem. Et hæc concuſſio durare per annos triginta duos, nempe per duo tempora. Impletum id, cùm Sveciæ Rex Guſtavus Anno 1630 in Germaniam venit, breviqve pòſt primum validum ictum caſuri illius ſolio inflixit, dum Tillium cum ſuo eouſqve invicto exercitu prælió ad Lipſiam fudit. Hoc ergò Svecicum bellum durare debet (juxta poſitam hypotheſin) triginta duos annos: ut qvamvis pax Oſnabrugenſis interſpiratio-

nem

nem ei daret, non tamen finem adferret. Hinc illa pax *per dimidium tantùm horæ duratura* dicitur, cap. 10. Kott. v. 50. Hoc autem qvantillum est? Per totam diem graviter laborantes, intra horæ dimidium parvam sentiunt refocillationem. Sic Germania non diu pace ista frui debuit. [Concedat tamen eam ex misericordiâ suâ Deus, ego erronei interpretis ignominiam lubens feram.] Et sic juxta hypothesin hanc eversio illius in Solio sedentis incideret in annum Christi 1662. (NB. Occupatio Varadini hoc anno à Turcâ annon novarum cladium initium attulisse videtur?]

Dimidium temporis seqvitur: nempe reliqvi Anni qvatuor, ad 1666 eversionem Papæ, & colluviei ejus destinati. Qvadriennium unum ad tantam rerum mutationem inducendum, Romamqve & alia alibi subigendum, non est tempus longum. Ideoqve non solùm non derogat qvicqvam Apocalypticæ prædictioni, *Babylonem instar molaris lapidis casûram*, sed eam magis confirmat. Etenim rem hanc per homines effecturus est Deus, qvi ad res agendum tempore opus habent: non per Angelos, qvibus ad suos motus non tanto temporis tractu opus est. Sed & Deus ipse operibus suis temporis aliqvod spacium impendit, ut tarditas humana eo meliùs considerare possit. Si ergò tanta potentia & majestas qvanta est Papæ, intra qvadriennium cadat, qvis non obstupescat?

His tribus Miris, parallela esse videntur, qvæ Capite 10. *v.* 40, 41, 42, *exstant.*

1. *Subtrahetur Bestiæ visus, & intellectus.* (Per Bestiam intelligendum esse Imperium Germanicum, expresse indicatur cap. 8. 40.)
2. *Adimetur Bestiæ vis, robur, fastus.*
3. *Adimetur ipsi gloria & splendor:* (h. e. ut nunc loqvuntur *Reputatio.)*

Qvid autem tria hæc sibi volunt? Planum faciam. *Primo tempore ademtus est Bestiæ visus & intellectus:* id est ab anno 1620 & 1630. Impletum id per victorias perpetuas Ferdinandi II. Post victoriam enim Pragensem, qvicunqve se opponebant, *Mansfeldius, Durlachius, Karnoviensis, Bethlem Gabor, Halberstatensis, Rex Daniæ, Dux Wimariæ, &c.* nonnisi victorias ejus illustriores reddebant. Qvibus ille relatus primo Conscientias, & per id Deum, oppugnabat, homines vi ad credendum qvod non credebant adigendo &c. Per qvod plurimorum exacerbati fuerunt animi, ut unicè aliqvem Ducem sub qvo suas Conscientiæ & facultatum injurias ulcisci possent, circumspectarent. Inde fuit qvod nec Mansfeldio, nec Dano, nec aliis, deerant milites. *Alia excæcatio, qvòd anno 1629, de restituendis in Germania Ecclesiasticis bonis Diploma edidit.* Hinc enim *Conventus Lipsensis*, & cum Rege Sveciæ fœderatio. Accessit, qvod in Italia qvoqve bellum susceperat Cæsar: qvo irritatus Galliæ Rex Austriacis hostis factus fuit: insigni excæcationis hujus argumento. Nam si Bohemorum oppressione fuissent contenti, nemo illorum causa bellum movisset, rebus potiti fuissent tranqvillè. Huc pertinet sapientissimi Baronis Moravi, (constantissimi aliàs Domûs Austriacæ sectatoris) judicium: qvi audita Cæsaris ad Pragam (anno 1620) victoria, in hæc erupit verba, *Hoc ruinæ Domus Austriacæ principium est.* Aliis paradoxon hoc admirantibus sensumqve ejus exqvirentibus, respondit, *Novi qvàm insolenter Domus Austriaca victoriis abutetur. Id qvod alii Principes ferre non poterunt: neqve Deus, si victoriis elati Ecclesiam oppugnare suscipient. Scio autem eo tendere consilia.*

Secundo termino (nempe infra duo tempora) dicitur *Bestiæ ademptum iri fastum & robur.* Id qvoqve impletum, per plurimas ab anno 1630 Svecorum victorias.

Tertiò adimetur Bestiæ, sicut & Papæ, jam gloria & splendor: nam sibi mutuo

 ineqvi-

ineqvitant. Id accidere debebit anno 1662 ad 1666, ubi terminus dimidii temporis decurret.

(VII.) *Conseqvens tam diuturni Belli*, Beata Tempora.

Eodem cap. 8. v. 34. In tabella summam duorum numerorum exhibente, 1625, additur, *Beatus qvi hunc numerum superstes attigerit, qvi 25 supervixerit.* Is numerus 1625 eodem modo additus, qvo superiores qvatuor numeri, produceret annos 14. Qvi si ab anno 1666 (à Papæ ruina) incipient, sperandum esset intra istos 14 annos (id est, ad annum Christi 1680) *ædificatum iri novam Hierosolymam, reductis in Ecclesiæ gremium gentibus & populis.* Qvod cuicui videre post tot istas calamitates dabitur, beatus utiqve erit. De qvo plura & gloriosiora apud Kotterum postea seqvuntur.

(VIII.) *Sveci bis venire, duplexqve bellum inferre, debuerunt.*

Id indigitatur Cap. 8. v. 21, 22. Etenim per Virum illum statura brevi, à Septentrione venientem, Svecos intelligendos esse, ipse eventus docuit. Adumbratur hîc eorum conditio per *staturam brevem.* Nam illud regnum usqve in hæc tempora obscurum, neminiqve formidabile fuit. Per *Bestiam* intelligi Germaniam, dicitur cap. 8. v. 40. Per *Caput* Imperatorem Romanum, extra dubium est: qvia ille caput erat Germaniæ, & contra illum Sveci bellum gesserunt. Per *Securim* ancipitem duo præcipui Sveciæ Reges intelliguntur, qvi magna efficere debuerunt. Per *duplicem ictum*, duplex bellum. *Primo bello*, & primo ictu (acie securis prima, *Gustavo Adolpho* administrante) petebatur Caput, id est Imperator, cui grave vulnus (tot cladibus qvæ adhuc in memoria vivorum hærent) inflictum fuit. Caput tamen non amputatum: hoc est, Imperator in sua Majestate mansit. Sed iterato bello (ictu altera securis parte præfigurato) non in caput jam sed in *caudam*, diversum qvid tentare debuisse Svecos innuitur. *Qvid autem per Caudam intelligendum veniat, nondum aliqvid certi conjicere possum.* Posset forsan aliqvod Germanico Imperio annexum Regnum (ut *Polonia* vel *Dania*) intelligi: aut ex Domo Austriaca ultimus. Aut qvia apud Esaiam per caudam propheta docens mendacium designatur (cap. 9. 15.) *Papa ipse:* qvo sensu res in religiosum bellum exiret, contra falsos prophetas. A qvibus utinam se divellat Domus Austriaca! Conferatur Jes. 9. 15. & Apoc. 19. 20. cum hac prophetia, patebit esse Papam.

(IX.) *Conjectura de Francofurtensi, ad Imperatoris Romani Electionem conventu, Anno hoc* 1658. Ex Revel. Kotteri Cap. 20. 1. & seqq. [NB. Hæc enim scribebantur durante Conventu illo.]

Sol & Luna, & Stellæ, in magnam venient contentionem. Sol putabit se stare in Cancro, sed cùm putabit se caput extulisse altissimè, & stare in Cancro, videbit se in Capricorno. Ubi seqventia notanda.

1. *Solis, Lunæ, aliarumqve Stellarum* (per qvas Principes sine dubio intelligendi sunt) Congregatio futura erat, & inter illas contentio. Observandum ergo, an hoc non fiat in Conventu Francofurtensi? Contentio certè inter Principes auditur multifaria.

2. *Domus*

2. *Domus Austriaca* inter alios Principes, *Sol est*: ideoqve non simpliciter ut alii *Duces*, sed *Archiduces*, nominantur. Gradus ejus summus (qvi in Zodiaco est Cancer) Imperatoria fuit dignitas.

3. *Luna* designat aliqvem Principem humiliatum. Vide cap. 10. v. 6. Et ut ex aliis locis patet, Domum Friderici. Hæc enim Palatina Domus (repræsentata per Lunam) infima facta est inter septem Planetas, seu Electores. (NB. Septem tantùm Politici hujus Cœli, Romano-Germanici Imperii, numerantur planetæ: qvia qvod octavum attinet Electorem, Bavarum, is pro Meteoro potiùs qvàm vero Planeta, reputandus est. Intervenit nimirum tanqvam *Cometa* inter *Planetas*, ad aliqvam tempestatem ciendam: qvo peracto peribit.)

4. *Stellæ*, sunt Principes Imperii, adhuc in suo statu manentes, donec Regens ab Oriente veniat.

5. *Sol*, id est Princeps Domus Austriacæ, humiliatum se videbit, id est vel non conferetur ei Imperatoria dignitas, vel illâ brevi excidet. Itaqve bellum movebit ad conseqvendam, aut retinendam eam, sed frustra.

6. *Lunæ dabunt stellæ fulgorem suum.* Nempe, Principes alii, humiliatum illum Principem (aut aliqvem illi succedaneum Libertatum Vindicem) extollent & glorificabunt, inqve locum ubi antea Sol erat, collocabunt; ut explicatur eodem Capite, v. 11, 12, 13.

7. *Veniet pernix ab Oriente Sagittarius, & accedet ad Virginem à Septentrione*, eodem cap. 20. v. 4. Per Orientalem Sagittarium probabilissimum est Turcam intelligi: per Virginem Septentrionalem Svecos. Hi forsan tandem sese jungent, variô rerum tumultu prævió.

Conclusio. *Si qvis accuratam & chronologicam haberet rerum à clade Pragensi historiam, fortassis pleriqve in Kottero numeri, qvi nunc non intelliguntur, intelligi possent.* Sufficiat autem innuisse, nihil frustra prædictum.

Verumenimverò *ut de Prophetiarum eventibus pronuntiare discamus cautiùs, tres apponam observationes.*

1. *Primam Chrysostomi, qvi non omnes prophetias ad sensum impleri*, non uno loco scriptum reliqvit. Ex. gr. Enarratione in cap. 2. Jes. (Oper. T. 1. c. 735.) *Jacob tot à patre acceptis benedictionibus, ne unâ qvidem fruitus est. Ipsi enim pater prædixerat affuturam exuberantem copiam proventûs annui, qvodqve fratri suo Esau dominaretur. Atqvi huic vix etiam necessaria suppetebant, familiamqve conductitiâ alebat mercede. Tantùm insuper abfuit ut dominium obtineret in fratrem, ut sibi etiam malè metueret ab illo, extremèqve periclitaretur: ac semel duntaxat magno cum timore factus illi obvius, magnopere optabat posse fugâ consulere suæ saluti. Ad hæc igitur qvid nobis dicendum? Qvòd mendax sit prophetia? Absit. Sed qvòd mos sit Prophetis, ut dicant qvæ eventura sunt aliis subjectis, abutanturqve aliorum nominibus pro aliis: id qvod in Chanaan factum cernitur.* Neqve enim *videmus illum servivisse fratribus: nec tamen ob id inefficax fuit, aut intercidit, patris in illum maledictio, exitum sortita in Gabaonitis, ex genere Chanaan prognatis. Atqve istius generis permulta exempla nobis suppetunt, qvæ nos docent, qvòd non pauca eorum qvæ dicta fuerunt de aliis, in alios reciderunt: qvodqve nominibus abutantur Prophetæ. Propriis enim & vulgariter notis nominibus acqviescunt ac immorantur perlibenter, tali prætextu personæ suas obscurantes prophetias.* Similia habet alibi: ut super cap. 5. Jes. c. 778. &c.

2. Altera observatio est *Hugonis Grotii*, qvi *propter qvædam non impleta non esse*

esse in dubium vocanda clarè impleta, monet libro de Verit. Rel. Christ. cap. V. his verbis: *Opponi solet à Judæis, qvædam de temporibus Messiæ prædicta esse, qvæ nondum conspiciantur impleta. Sed qvæ adducunt obscura sunt, aut diversam recipiunt significationem: propter qvæ non debent deseri qvæ sunt manifesta.* Et nos igitur apertè impleta videntes multa, de latentibus adhuc sub nodo aliqvo ne altercemur: patientiæ nostræ hunc laturi fructum, qvòd dum eventus rerum in dies plura detegent, non de claris tantùm tutò, sed & de obscuris tandem innoxiè, pronuntiare didicerimus. Præcipitantia ut nullibi laudi est, ita circa res divinas periculi plena.

3. Tertia est ipsius Dei, *de judicio in rebus divinis non præcipitando, etiamsi qvod Prophetia prædicit futurum nusqvam appareat; expectandum tamen esse in spem contra spem*, *Habac.* 2. 3, 4. Hinc piè nos ad Patientiam disponens pius Theologus, ita discurrit. *Si olim suas habere poterat consilium Divinum ambages, ut ad decretos eventus non etiam secundùm positos jam, voceqve ipsius Dei promulgatos terminos, veniret, potest & nunc habere: ob qvos tamen pios turbari non convenit, nedum negare Deo fidem, aut abjicere spem. Multa & varia habemus in Historia sacra exempla: luculentissimum in utraqve populi Judaici, ex Ægypto & Babylone, liberatione. Illic enim post tot inaudita prodigia, & varias animorum populi inter spem & metum reciprocationes, & absorptam mari totam hostilem potentiam, & exhibitæ præsentiæ divinæ non per columnam nubis & ignis solùm, sed è cœlo ipso tremendæ majestatis signa, & initum firmatumqve fœdus, totos adhuc 40 intercessisse annos, anteqvam promissam ingredi possent terram: multosqve denuò annos, anteqvam debellassent hostes, & optatam impetrassent qvietem, constat. Hìc autem, post debellatam Babylonem, & excitatum divinitùs Cyri animum, & factam populo in patriam redeundi potestatem, & redditam supellectilem sacram, & inchoatum præclarè ædificandi Templi & Urbis opus, impediri rursus hostium machinationibus qvadraginta septem annis opus, res mira est. Qvemadmodum ergò ibi, qvi immotâ in Deum fide ac obseqviô perstiterant (Caleb & Josue) terrâ melle & lacte fluente potiti; hìc autem qvi patientiâ inter remoras, prudentiâ inter insidias, labore inter adversitates, perdurârunt (Zorobabel & Josua) Templi fastigia cum lætitia intuiti sunt: ita nunc & semper, soli qvi heroicâ fide obseqvia sua commendant Deo, laudantur, bonitateqve ejus tandem perfruuntur.* Heb. XI. p. t.

Psal. 72. v. 18. 19.

Benedictus Jehova Deus; Deus Israel, qvi facit mirabilia solus. Et benedictum nomen gloriæ ejus in seculum: impleaturqve gloriâ ejus omnis terra! Amen, iterum Amen.

Dan. 2. v. 20, 21, 22.

Sit nomen Domini benedictum à seculo usqve in seculum, qvia sapientia & potentia ejus est: Ipse mutat tempora & ætates, transfert regna & constituit reges; dat sapientiam sapientibus, intelligentiam intelligentibus. Ipse revelat profunda & abscondita: novit quod in tenebris est, & lux cum eo habitat.



CHRISTINA PONIATOUIA DE DUCHNIK.

Nata 1610, prophetavit annis 1627, 1628, 1629: Obijt 1644.

Act. 2. 17.) *Et erit novissimis diebus, prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ.*

Christina Visione XLII N. 5. *Eccur tu me ad talia elegisti! eccur mihi peccatrici tot & tanta mysteria revelasti! Quomodo te laudabo satis!*

REVELATIONES CHRISTINÆ PONIATOVIÆ

Annis

1627, 1628, 1629,

factæ,

Fideliter ex proprio Virginis manuscripto Bohemico in Latinum translatæ; interspersaqve rerum istarum historicâ narratione illustratæ, & denuò recusæ,

ANNO M. DC. LXIV.

Joel 2. v. 28 &c. Act. 2. 17.

Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt Filii *vestri &* Filiæ *vestræ:* Senes *vestri somnia somniabunt, &* Juvenes *vestri Visiones videbunt:*
29 *Sed & super* servos & ancillas *diebus illis effundam Spiritum meum.*
30 *Et dabo* Prodigia *in Cælo & in Terra, & sangvinem, & ignem, & vaporem fumi.*
31 *Sol convertetur in tenebras, & Luna in sangvinem: antequam veniat* DIES DOMINI MAGNUS & HORRIBILIS.
32 *Et erit omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit: quia in monte Sion & in Jerusalem erit salvatio, & in residuis quos vocaverit Dominus.*

ATtendite habitatores Orbis moderni, in qvos fines seculorum devenerunt, qvid de novissimis Mundi temporibus prænuntiarit Magnus ille seculorum præses, cui nota sunt ab æterno opera sua! velle se *adducere Diem magnum & terribilem: diem iræ ac tribulationis & angustiæ, diem calamitatis & misteriæ, diem tenebrarum & caliginis, diem procellæ & turbinis: qvô tribulabuntur homines, & ambulabunt ut cæci qvia Domino peccârunt: qvô sangvis effundetur ut pulvis, & corpora hominum erunt ut stercora: qvô igne zeli Dei devorabitur tota Terra, qvia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitatoribus Terræ* (Soph. 1. vers. 14. &c.) Præmissurum tamen esse Deum signa & prodigia, in Cælo & in Terra; & inter hæc *effusurum Spiritum suum super omnem carnem, resuscitatumqve iri in Ecclesia Prophetiæ donum per Visiones & Somnia, senum & juvenum, filiorum & filiarum, servorumqve & ancillarum.*

2. Si ergò nos Christiani ultima Mundi adesse credimus tempora, si appropinqvare Judicii diem existimamus, si Prodigia in cælo & terra conspicamur, si dies viæ ac tribulationis, procellarumqve ac turbinis (ab universali qvadam gentium adversus gentes concitatione) experimur: meritò etiam reliqva illa divinitùs prænuntiata circumspectamus signa. *Ubi ergò est Spiritus ille fatidicus, qvi se circa eadem hæc tempora effundere tam copiosè (etiam super servos & ancillas) debuit? Ubi sunt filiorum & filiarum Prophetiæ? ubi senum Somnia? ubi Juvenum Visiones?* Non deesse illa qvoqve, vident qvibus oculi ad videndum non desunt.

3. Qvi autem videre se negant, dicunt Joelis vaticinium impletum esse Apostolorum tempore, ad Petri verba provocantes Act. 2. vers. 26. Enimverò Petrus non dicit totum hoc vaticinium esse tunc impletum, sed impleri cæptum: extendit enim impletionem illam usqve ad tempus terribilis adventûs Domini (vers. 20.) Notandumqve est, non sine causa Joelis phrasin à Petro mutari: ut ubi ille simpliciter *Et erit post hæc*, dixerat, hic *& erit in novissimus diebus*, dicat. Ita enim Spiritus S. verba Prophetæ per verba Apostoli declarat, ut de toto cursu Ecclesiæ novæ intelligi necesse habeant. Sicut & res ipsa testatur, vaticinium Joelis non ex toto tunc fuisse impletum, sed partem

tem ejus duntaxat. Qvippe Apostoli effuso super se Spiritu S. nulla Somnia aut Visiones acceperunt, sed internam cordis illuminationem tantam, ut omnium Divinorum mysteriorum rationes illis patescerent illicò: qvod aliud qvid, longéqve sublimius est, qvàm Prophetica pati somnia, aut Visiones. Somnia igitur Prophetica, & Visiones, alibi qværenda sunt in N. T. qvàm in prima illa super Apostolos facta effusione: nempe in Agabo, filiabus Philippi, Apocalypsi Johannis, & deinceps.

4. Nostro tempore (appropinqvante illo terribili, adversus novam Christianorum Babylonem, Judicio, cujus initium non immeritò in annum 1613. ponitur, ut qvem solæ numerales Latinorum literæ J. U. D. I. C. I. U. M. exprimunt, id qvod jam tum non nullis observatum, sed malè acsi mox eodem anno absolvi deberet explicatum fuit) primus inter Viros Prophetas *Christophorus Kotterus*, prima inter Fæminas Prophetissas *Christina Poniatovia*, fuit: uterqve à CHRISTI Domino nomen habens, utpote ad annuntiandum Ecclesiæ ingruentia jamjam Christi cum Antichristo prælia, & de hoc victoriam, delendumqve Antichristi fraudum & tenebrarum regnum, explicandumqve jam inter omnes sub Cælo gentes & populos Sanctum & goriosum Christi Regnum, electus, cæterisqve pòst excitandis, & idem annuntiaturis, præmissus.

5. Cognita igitur jam *Christophori* historiâ & Prophetiis, restat ut pii *Christiani* qvæ circa *Christinam*, *typicam Christi Sponsam*, gesta esse, & per illam Ecclesiis nuntiari, Deo placuit, cognoscere aveant.

6. Eqvidem inter Kotterum & Poniatoviam alii duo intercesserunt, qvos revelatione futurorum (nominatim imminentis illius super Babylonem Judicii) dignatus est Deus: Martin Dräscher *in Silesia*, *&* Johann Kregel *in Palatinatu superiore*. Ille vir simplex & rusticus fuit, incola pagi Goglauw in Ducati Swidnicensi: cui suo in agro operas exercenti Angelus Domini Anno 1625 (sicut & dehinc multoties hinc intra biennium) apparuit, & de accensa adversus Mundi peccata ira Dei, venturisqve plagis, disseruit. Hic autem fuit Juvenis, arte Sartor, cui (ab anno 1625 ad 1628 usqve) vox qvædam illum sæpe circumsonans futura revelabat, scriptôqve signari mandabat, simillima Kotterianis: stylo qvidem humiliore, & magis concîso, puro tamen & elegante. Demum illi valedicturus exhibuit se visibili specie Angelus, præmissis istis verbis: *Qvia me videre adeò desideras, tametsi naturâ sim invisibilis &c.* Qvæ Kregelio factæ Revelationes typis qvoqve descriptæ sunt, & adjunctæ Revelationibus Kotteri Germanicè, in Octavo.

7. Nos autem ad Christinam nostram veniamus.

CAPUT

CAPUT I.

Revelationum occaſio & initium, primæ, ſecundæ, tertiæ.



QVum proſcripti è Regno Bohemiæ Ferdinandi II, Cæſaris mandatô (Anno 1624) Evangelii Miniſtri paſſim adhuc apud piam Nobilitatem, vel inter plebem, latitarent: Anno verò 1627 (3 Aug.) in ipſam Nobilitatem idem proſcriptionis fulmen vibraretur, excedendíqve omninò ingrueret neceſſitas: factum eſt ut Illuſtriſſimus Moraviæ Pro-Marchio, D. *Carolus de Zerotin*, unum è Miniſtris Pragæ eatenus latitantibus, *Julianum Poniatovium* (gente Polonum, proſapiâ Nobilem, religione Pontificium, profeſſione Monachum, illuminatum tamen poſtea divinitùs, ſuperſtitionéqve deſertâ fidelem V. D. Miniſtrum factum, ſed propter ſtructas ſibi in patria inſidias in Bohemiam tranſlatum) ad ſe vocaret, ut converſatione Viri eruditiſſimi, Bibliothecarii nomine ſibi adjuncti, frueretur.

2 Is igitur Viduus factus filiam natu majorem, *Chriſtinam*, virgunculam annorum 16, piè honeſtèqve educatam, ſvaſu matronarum qvarundam miniſterjis addixit Baroniſſæ Zarubianæ, Dominæ *Engelburg de Zelking*, ortu Auſtriacæ, virtutum pietatiſqve vivo exemplari.

3 Qvæ menſe Octobri Anni 1627, in arcem *Branna* (propè fontes Albis) per ipſummet parentem adducta, Baroniſſæqve tradita, menſe mox ſeqventi inuſitata qvædam, morbos ſcilicet, ecſtaſes, Viſionéſqve & Revelationes extraordinarias, pati cæpit: de inſtante horrendo Perſeqvutionum turbine, Perſeqvutorúmqve tandem tragico exitu, & mirabili Eccleſiæ liberatione, atqve glorioſa refloreſcentia.

4 Fuit autem Viſionum factum initium corporeis oculis, 12 die Nov: (erat feria ſexta poſt XXIII Dominicam Trinitatis) qvùm juſſu Baroniſſæ prodiiſſet qviddam allatum. Levatis enim oculis vidit ſuper Arcis aream in cœlo colligatam virgam, veluti ſcopas: cujus manubrium obverſum erat Septentrioni, cuſpis autem Meridiei. Expavefacta hôc ſpectaculô, currere cæpit ad evocandum alios, ſed mox in oculis ejus evanuit. Qvô illa perterrita, triſtis eſſe cæpit, octiduôqve pòſt (19 Nov:) morbô gravi correpta, de vita deſperabat ſua, ſicut & alii.

5 Baroniſſa tamen nihil non egit pro reſtituenda illius valetudine, evocato (è Civitate proxima *Arnavia*) Medico, *Michaële Libavio* (*Andreæ F.*) qvi tentabat qvæ potuit, tertium uſqve in diem. Cùmqve morbus nullis remediis cederet, miſit ad evocandum è vicinia Baroniſſam *Sadoviam*, *Eſtheram de Wchynitz*, cum Paſtore ſuo *Iohanne Stadio*: cujus nimirùm Paſtorali curæ D. Julianus filiam commiſerat ſuam.

6 Abfuit autem *Stadius* peregrè; ſed fortè fortunâ aderam ego (*I. A. Com.*) ad prædiſponendum ea, qvæ migrationi noſtræ in Poloniam præreqvirebantur à

 Socero.

Socero (*Iohanne Cyrillo, Consistorii Pragensis Seniore*) præmissus. Me ergò sibi comitem deposcit Baronissa: ego autem, nullam habens officium hoc absente fratre negandi causam, annui, tametsi Virgini eatenus (ut & Baronissæ *Zarubia*) ignotus.

7 Ut *Brannam* venimus, narrant nobis pridie vesperi ægram, nullô vitæ indiciô, jacuisse per horæ qvadrantem, ut exstinctam crederent, rediisse tamen ad se. Ingredimur, Christianisqve alloqviis eam (pro more) ad patientiam & divinæ benignitatis fiduciam erigimus.

8 Ecce autem illa in conspectu nostro angores primùm cordis qveri, tùm doloribus inusitatis opprimi, cæpit. Subseqvutus membrorum rigor, respirationisqve cessatio, ut animam agere crederemus: eôqve in genua provoluti, eam commendaremus Deo. Illa verò erigens sese in lectulo, oculisqve tanqvam in qviddam eminus situm defixis, & faciei rubore contracto, *Sponsus, Sponsus*, ingeminat: nobis inusitatæ rei spectaculo attonitis. Redit illa paulò pòst ad se, profundâ emissâ respiratione, seqve iterum resupinat: interrogataqve qvid esset, langvorem tantùm qveritur.

9 Nos interim ad cœnam vocati, varia inter nos qvid rei esset (nec enim qvisqvam nostrum ecstasin unqvam viderat, aut hîc suspicari poterat) disqvirimus: præsertim cùm ancillæ nuntiarent Virginem sibi duo postrema libri Apocalypseos capita prælegi, & cantica de Vita æterna cantari curavisse. Rogant ergò Baronissæ (cœnâ peractâ) ut ad eam reversus *Num fortè aliqvid vidisset, & qvidnam, exqvirerem.* Feci, rogavi, illáqve mihi rem totam (heri & hodie visam) & qvòd ad crastinum nova qvædam spectatu majora promissa essent, explicante, nec aliter tamen, qvàm se ad cœlestes nuptias evocari interpretante, Baronissis renuntiavi.

10 Mane factô (24 Nov.) regredimur ad illam, eamqve eadem nobis narrantem audimus: decretúmqve est non solùm nos eâ die manere, sed & Medicum, Libavium, Pastorémqve Dominæ *Zarubianæ, Georgium Lohmüllerum*, advocari.

11 Prædixerat verò horam vespertinam septimam. Qvâ appropinqvante iterum animi angoribus, corporeísqve doloribus discruciari, cæpit, per horæ qvasi dimidium. Sonante autem septimâ abrepta est, consedit in lectulo, prospectavit qvendam ad se venientem, dexterâqve porrectâ excepit. Tùm svaviter velut subridens, & qviddam auscultans, alióſqve inusitatos gestus edens, omnes nos in stuporem dedit. Medicus etenim oculis & manibus omnia pertentans, nullámqve respirationem videns, neqve arteriæ pulsum, neqve oculorum nictationem, & tamen faciei colorem svavissimum (qvalem vix ullus exprimere posset Pictor) actionésqve intus administratas observans; ad me tandem & *Lohmüllerum* conversus, *Hic mea ars cessat*, inqvit. Baronissa verò *Zarubiana* (velut præ cæteris extra se rapta) obambulans, & palmas sursum tendens, altâ voce, *Deus mi, Deus mi, gratias Tibi ago, qvòd me in mortalitate hac æternæ vitæ imaginem contemplari facis.* Duravit hoc stupendum nobis spectaculum horæ dimidium: ubi eam dextrâ exhibitâ alicui valedicentem, mox oculis nictare incipientem, demùmqve ad se redeuntem, & in lectulo se reponentem, vidimus.

12 Manè visa sibi nobis enarravit, communíqve nostro consilio ut ea consignaret monita (omnes enim ista esse majorum præludia judicavimus) consignare cæpit, tribus illis Visionibus manu suâ descriptis, formalibus istis, ut in Latinum translata sunt verbis.

REVELATIO I.

[*De Corona Vitæ.*]

ANno 1627. Novembr. 22, oppressit me inusitatus langvor, qvô ego sensibus fatiscere mihi visa, & extra me rapta, ingressa fui Ædificium qvoddam speciosissimum: ubi Mensa stabat constrata pulchrè, superqve illam qviddam viridi contectum fronde. 2 Id cùm intuerer, apparuit super eadem Mensa infans formosus, albô amictu, qvi frondes illas amovit: & ecce ibi mirandæ pulchritudinis auream Coronam! 3 Qvam intuenti mihi puerulus dixit, *Corona hæc tibi cedet, si in fide qvam dedisti perseveraveris.* 4 Simulqve cum dicto illo disparuerunt omnia: ego verò ad me redii.

REVEL. II.

[*De Nuptiis Agni sub Mundi finem.*]

POstridie (23 Nov.) circa vesperam redierunt ingentes dolores, qvibus in ecstasin acta sum, visáqve mihi per profundas nives, aqvam, lutúmqve, operosè contendere ad qvandam pulchram Civitatem, è qva venientes obvios habui multos. 2 Portam ubi attigi, clausam vidi: solicita, num aliqvis si pulsavero aperturus esset mihi. 3 Sed mox apertam conspexi, ingressáqve vidi ante me plateam formosissimam: per qvam ad oppositum usqve Urbis latus progressa, audivi svavissimam ubiqve Musicam. 4 Et factus mihi est obviam Senex qvidam, nive candidior, manu scipionem gestans: qvi me salutans dixit, *Novi te anteqvam nata esses.* 5 Admirata sermonem hunc ego, qvæsivi, Qvô id fieri posset modo? Ille autem, *Ne id qværas: Vide potiùs ut te dignis ornes modis! Nuptiæ enim hæc in Civitate parantur, qvalium similes Mundus ab exortu suo nunqvam vidit.* 6 Et dixi: *Cujus illæ Nuptiæ?* Ille respondens, *Seqvere me:* introduxitqve me in Palatium, in cujus medio stabat Mensa albè contecta, cui assidebat qvidam solus unus, formosissimus ad aspectum, & è cujus facie lucis promicabant radii. 7 Qvæsivi ergò: *Qvis hic est?* Respondit Senex, *Sponsus ille.* 8 Qvem ego intuita, dixi: *O qvàm formosus est!* Senex autem, *Cras formosior etiam erit.* 9 Sponsus verò ille adeò me fixis intuitus est oculis, ut ego fulgorem faciei ejus ferre non valens, dicerem: *Qvantus hic fulgor vultûs ejus!* responditqve Senex, *Oculi ejus millies clariores sunt Sole.* 10 Ego rursum: *Annon hic est Filius Dei?* Ille, *Est:* ego itaqve adoravi illum. Et mox disparuerunt ab oculis meis omnia, ego autem ad me redii, doloribus valdè debilitata.

REVEL. III.

[*Sponsi formositas, 7. & 11. Calix iræ effundendus, 14. Coronatio Sponsi, typicaqve Sponsa, 17, Liber Vitæ, 4, 9, 20*]

TErtio hinc die (24 Nov.) abrepta, veni in adeò arctum angiportum, ut rectà incedere non possem, sed per latus

latus me premendo, víxqve tandem angustias eluctando, amœnissimum in hortum veni. 2 Sed hunc postqvam lustrassem, ad exeundum reperire nullo modo potui januam: murum tantùm inferiorem, qvem ubi transcendissem, devenisse me vidi in nubes qvasdam. 3 Ubi me hesternus ille Senex, obvius mihi factus, dexterâ datâ excepit, dicens, *Seqvere me.* 4 Et abductæ mihi per aliqvot passus ostendit Librum prægrandem, apertum, rubro textu conscriptum: extendensq; digitum ostendit locum qvendam, legere jubens: sed non poteram. 5 Reduxit ergò me inde, & mox reliqvit solam, ut essem anxia qvid acceptura essem. 6 Sed ille brevi post regressus est, habitu non albô, sed cœruleô: & scipionis loco manu gestans virgam illam sangvineam, qvam corporeis antè oculis super Arcis areâm conspexeram; dicens, *Diligenter specta, & attende, qvid visura sis.* 7 Et mox ad nos venit qvidam Eqvo vectus, veste terram versùs demissâ, totus ardens flammâ, sicut & Eqvus ejus: transibátqve me penes tantô fulgore, ut splendorem ejus ferre neqvirem. 8 Qvæsivi autem ex Sene: *Qvisnam ille esset?* & respondit, *Non dicam nunc: redibit enim formosior etiam.* 9 Prehensâqve manu meâ, reducebat me ad magnum illum Librum, iterum ostentans, (non jam digitô, sed Virgâ illâ) eundem locum: sed æqvè ut priùs nihil potui legere. 10 Deduxit ergò me in aliam Nubem, ubi me iterum relictâ, ad horæ qvadrantem abiit, reversúsqve me ad preces & attentionem hortabatur. 11 Et ecce ille prior Eqves; Curru tamen præalto vectus, præjunctis Eqvis duobus igneis, sicut & Currus fuit, ipse verò fulgens ut Sol! qvi postqvam me attigit, substitit, ad se conscendere jubens. 12 Sed qvia nimia Currûs altitudo fuit, non potui, manus tantùm extendebam: qvibus Ille me prehensam attrahere cæpit, sed rursum dimisit, & dextrâ solùm mihi porrectâ pertransiit. 13 Senex verò utrâqve meâ manu prehensâ duxit me inde ad passus sex, jubens me orare; & attendere. 14 Et mox venit Senex alius, togâ talari candidâ, manu Calicem tenens, de qvo (nobiscum consistens) edixit: *Calix iste continet iram, super eos qvi nunc electis nocent, effundendam:* qvod ego vehementer admirata, tacui tamen. 15 At ille Calice super Mensam repositô, rediit ad nos, méqve alterâ manu prehensâ, alterâ Senex alter (qvi è cœruleo itidem mutatus fuit in album) duxerunt me ad pulchram illam Mensam, ibíqve me sedere jussâ, abierunt. 16 Sed mox reversi adduxerunt Adolescentem illum formosissimum, candidissimâ veste indutum, cui ego assurgens exhibui honorem, oblatâ dextrâ. 17 Qvi postqvam mihi assedisset, exierunt senes, redibantqve mox afferentes super linteum Coronam: qvam imposuerunt Mensæ primùm, mox Adolescentis capiti, tandem & meo; sed rursum depositam tradiderunt manibus meis tenendam. 18 Et postqvam paululùm Mensæ adstiterant, vocârunt qvendam. Et ecce puer albè indutus venit! cui Senes traditâ Coronâ, ad me dixerunt; *Apud hunc tibi servabitur Corona tua, sed ostendetur tibi tamen priùs etiam.* 19 Cùm autem omnia ista disparuissent, conspexi eminùs Sponsum, me ad se vocantem; ego surgere volens, diu non potui, surrexi tamen tandem, & veni ad illum, excepta ab illo dextræ porrectione. 20 Se-

nex autem iste primus accedens, duxit utrumqve ad magnum illum Librum: ubi Adolescens eundem mihi commonstrans locum, qvem antè Senex, quid scriptum esset reqvirebat. 21 Ego, diutiùs frustra intuita, ignorantiámque denuò fassa, indicari id mihi petii. & Ille, *Me & te coronatos esse, Nomina nostra en hic exstant!* 22 Ubi ego procidens, adorabam eum: & ille dextrâ mihi oblatâ, *Abi nunc*, inqvit, *redibis postea.* 23 Senex igitur prehendit me, & abduxit, auscultare jubens Musicam, svaviter undiqve resonantem. Et rogavi ut me in hortum reduceret. 24 Introduxit ergò, & mihi Vale dicto abiit: & ego angiportum illum iterum transgressa, incidi in profundum aqvæ & luti, eluctaríque non valens clamavi clamore magno. 25 Et rediit antiqvus Ille, extraxitque me, & in viretum deduxit, dicens: *Qvod vidisti, tibi habe, tuo solatio.* 26 Sed redibis, & plura tibi ostendam: nunc abi in pace.

CAP. II.

Historia Visionis qvartæ, qvintæ, sextæ, & qvæ circa illas contigère, à 25 Nov. ad 4 Dec.

Redierat interea *Stadius*, rogatusque à Baronissa *Zarubia* ne discederet (me cum D. *Sadovia* recedente) mansit, spectatorqve fuit Ecstaseos qvartæ, qvæ 25 Nov. obvenerat: tametsi Medicus (adhuc dubius, & si hæc à morbo essent sistere laborans) remediorum nonnihil propinasset. In qva Visione illi jejunium fuit injunctum, eò qvod majora illi revelanda essent.

2 Seqventi die tabellarius in Moraviam cum Literis (*Baronissæ & Stadii*) expeditus fuit ad D. Julianum, ut qvid filiæ suæ fieret ne ignoraret, venireque festinaret.

3 Virgo interim triduò toto cibo omni abstinens, à morbo & doloribus immunis fuit: præ langvore tamen surgere non valens. Demum 29 die ipsâ meridiei horâ, postqvam ab assidentibus de fine jejunii sui esset interrogata, & ignorare se dixisset, subitò fuit profundò mersa somnô, & ab Antiqvo dierum (qvi se Æternitatem appellabat) de qvibusdam monita, etiam ut se cibô potuqve recrearet. Experrecta cum totius corporis sudore, tantam sensit esuriem, ut moræ impatiens (dum vel jusculum apparari posset) panem posceret, magnamqve portionem avidissimè absumeret.

4 Iterum 3 Decembris senex (per somnum rediens) bono esse animo, & in precibus perseverare, jussit: multa enim sibi esse revelanda, justis in solatium. Qvod etiam consignavit, exstatqve sub N° Revelationis VI.

5 Postridie (Saturni erat dies) aliqvoties dixit: *Jam Pater meus quid mecum fiat scit, sed nihil horum credit.* Item: *Diem Lunæ metuo, dolores iterum subeundos esse mihi:* sicut & factum.

REVEL. IV.

[*Schola cœlestis, 3. Corona Vitæ iterum conspecta, 7.*]

POstridie (25 Nov.) circa idem vespertinum tempus (septimam enim horam adhuc sonantem audiebam, orans) veni in exstasin, ingressa mox Nubem qvandam, ubi neminem videre fuit. 2 Progressa igitur, veni in alteram Nubem: sed nec ibi qvisqvam fuit, méqve solicitudo habuit, qvomodo inde egressura essem. 3 Sed mox venit Senex ille, & me in tertiam introduxit Nubem, amplam valdè, & plenam lucis ac splendoris: ubi conspexi turbam magnam, innumeram prorsus, senum, juvenum, infantúmqve albè indutorum: in medio autem sedebat eminenti candido solio qvidam, docens eos voce magnâ, cui attenti erant omnes: sicut & ipsa ego, sed qvæ nihil intellexi. 4 Cúmqve me senex interrogaret, *Audísne sermones istos?* *Audio*, respondi, *sed non intelligo.* Ille, *Tempus tuum nondum venit: qvum venerit, intelliges omnia.* 5 Et qvæsivi, qvisnam esset ille, qvi concionem haberet? Respondit, *Cælestis Doctor, Rex gloriæ, qvi te ab æterno adamavit.* 6 Hoc dictô, reduxit me in Nubem priorem, spectare jubens & attendere. 7 Et mox ingressus est ad nos *Puellus ille cum Corona:* Senex verò ad me, *Specta Coronam hanc & oblectare, sed nondum tibi dabitur, donec consummatum fuerit.* 8 *Ne tamen solicita sis, tibi servabitur; Nunc abi, hôc tempore non amplius huc reditura.* 9 *Sed jejuna, à cibus abstine, orationibus invigila:* exhibitâq; dextrâ valedixit mihi, & ego ad me redii.

REVEL. V.

[*Triunitatis Mysterium innuitur.*]

QUartô (29 Nov.) postqvam omni cibo potu & abstinere cœpi die, sensi esuriem, neq; tamen sumere aliqvid, propter interdictum, ausa, incidi (ipsâ meridiei horâ) in somnum, vidísqve ad me venientem Senem illum prehendentem me manu, & dicentem: *Ne metuas! Ego is sum qvi fui, & qvi sum, & qvi ero, in secula.* 2 Et ego rogavi, ut mihi nomen suum indicare vellet, qvi respondit, *Nomen mihi est ÆTERNITAS.* 3 Ego verò perrexi rogare, ut id aliô mihi explicaret, qvô capere possem, modô, dixit; *Sufficiat tibi nunc scire te qvinam sit Cælestis ille Doctor, Rex gloriæ, & te Illum vidisse.* 4 *Crede enim, qvi Illum videt, videre etiam secundum & tertium, atqve sic UNUM.* 5 *Bonô proin esto animo, & te cibô potúqve recrea; eorum qvæ vidisti & audivisti, non immemor.*

REVEL. VI.

[*Virgo ad majora esse parata jubetur.*]

FEriâ sexta (3 Decemb) post I Dom. Adventûs, horâ qvartâ, venit iterum per somnium Senex, & dixit: *Compara te, & promta esto! Nam vocabo te, & tibi multa ostendam, tibi & omnibus justis solatio futura.* 2 Iterum dico, *Parata esto, & in orationibus persevera.* 3 Simulqve cum hoc dicto à me discessit.

CAP.

CAP. III.

Patris ad Virginem legatio, & literæ, cum responsoriis. Illa fit muta, rursumqve lingvæ usum recipit: ad 13 Decemb.

LUnæ die (6 Dec.) horâ pomeridianâ secundâ, accesserunt prædicti horrendi dolores, qvibus parturientis instar agitabatur, ad qvartam usqve, ubi in ecstasin abrepta est. Viditqve (in cœlum rapta) insidentem Throno, & adstantem turbam innumeram, è qvorum numero prodiit qvidam Calicem iræ super impios effundere; alius eos gladiô exscindere; alius sagittis prævelocibus opprimere, paratus. Sed jussi omnes parumper adhuc expectare. Visio hæc ab ipsamet descripta est numero VII.

2 Ab hac ecstasi (qvæ horam ferè duravit) reddita sibi loqvi non potuit: cujus causam cùm non intelligerent præsentes, poposcit tabellam, & scripsit, *Ligata mihi est à Deo lingva: orate ut mihi solvatur.*

3 Postridie (7 Dec.) Visionem habuit horâ 4 matutinâ non per ecstasin, sed per somnium: ubi perseverantiæ admonita fuit, si ad cœnam Agni vellet invitari. Paulò vero pòst venit in ecstasin: redditaqve sibi post horæ dimidium denuó. Qvô trinô raptu qvid vidisset consignatum est sub titulo Revelationis VIII.

4 Decembris 8 meliori aliqvantô usa valetudine, Psalmos sibi qvosdam (ut 57, 139, 143, 119) prælegi jussit, semper adhuc muta. Cùm ut Visiones præteritas, anteqvam exciderent memoriâ, scriberet moneretur, poposcit chartam & scripsit: *Ne metuite qvidqvam oblivione posse deleri. Omnes apices & literas, ne dum verba, firmâ memoriâ teneo.*

5 Eadem die vesperi Tabellarius è Moravia rediit, comitatus Ministro V. D. *Mathao Theodoro Xrokoczinsky*, qvem Baro de *Zerotin* Domini Juliani loco Brannam ire, omnibusqve exactè cognitis ad se & Julianum patrem referre, jusserat. Illa Patrem ipsum non venisse cognitò, lacrymari ac lamentari, chartâqve arreptâ scribere; *Dum me meus derelinqvit Pater, de aliis qvid sperabo?* Sedatisqve non nihil lacrymis, epistolam ejus, sibi redditam, legit: perlectâqve longè effusiùs flevit. Cùm solatiis erigeretur, respondit scriptô: *Non ideô ploro qvòd non venerit; sed qvòd scribit, nolle se agnoscere me Prophetissam.* Et paulò pòst iterum: *Rogo Vos orate Deum, ut mihi lingvam solvat meam, ad enarrandum mirabilia ejus. Ah qvàm anxiô sum corde, qvòd mihi silentia imperet pater! Ego verò tametsi non Pater solùm, sed Mundus universus, tacere me jubeat, tacere non possum: qvia magnalia Jehova per me qvoqve enarrari necesse est.* Erant autem verba epistolæ illius, inter alia, hæc. *Pete à Deo ut pristina valetudini restituaris, inusitatóqve illô libereris morbo. Restituta verò tibi cave Visiones ullas, ex corrupta phantasia venientes, enarres. Tibi satis est in Catechismo Visionum, ut Fidei articulos intelligas, & ad Verbi divini præscriptum vivas, Prophetissam*

phetissam te nolo: novos enim Prophetas, qvos non intelligo, non magni facio! Cùm te restituerit Deus, scribe ad me &c.)

6 Seqvens biduum (9. & 10. Decemb.) jejuniô & precibus transmissum est: & qvia loqvi non potuit, prælegebatur illi è Scripturis, præcinebaturqve ex psalmis & hymnis, qvicqvid ad rem visum. Jam enim perpetuò Pastores duo, tres, qvatuor, aderant, ita Baronissâ precibus efflagitante: sive qvod adhuc trepidatio, ne qvid satanicæ illusionis sese admisceret, esset: sive ob externum metum, ut precibus perpetuis, adversus omne malum, circumvallaretur pia hæc domus.

7 Descripsit etiam antegressas Visiones tres, 10 Decemb: animadvertensqve præsentes suum qvoqve in usum ea transcribere (Legatum præsertim, Matthæum) poposcit tabellam & scripsit: *Rogo ne meis in Visionibus ullum verbum mutetur aut corrigatur, etiamsi fortè inconcinnum qvid videatur. Formalissima enim verba sunt qvæ ego mihi audita, vel à me dicta, scripsi. Facite videam ea qvæ D. Mathæus scripserit.*

8 Die Sabbati (11 Decemb.) qvia injuncti jejunii qvadriduum exspiraverat, cibum poposcit circa nonam: moxqve viribus refectis epistolam exarabat ad Parentem, his verbis.

Gratia Dei cum omnibus nobis, Amen.

CHarissime Domine Parens, Non ignotum jam est Tibi, qvàm magno & prorsus inusitato morbô castigare me Deo meo placuerit: qvo in statu nihil post Deum optabam magis, qvàm ut Te Patrem meum præsentem habere possem. Qvia verò nec preces meæ, nec intercessiones aliorum, permovere Te potuerunt, non habeo qvod dicam, nisi Davidicum illud: Pater & Mater mea dereliqverunt me, sed Dominus suscepit me. Ad qvid me Deus meus adhibuerit, & adhibeat, & fortè porrò adhibiturus sit, id qvidem ego per morbum & langvorem describere non possum, narrare tamen D. Matthæus poterit. Ego me jam in manus Dei resignavi totam, voluntatemqve meam subdidi voluntati ejus, ut qvomodocunqve beneplacitum illi est, de me disponat, nihil ad omnia nisi Amen, *Tua voluntas fiat Domine, dictura. Ubi autem D. Pater à me, ut ne corruptam per phantasiam visa mihi enarrem, reqvirit, obseqvi ea in re non possum.* Primùm, *qvia non ex corrupta phantasia, & morbo, sed ab ipsomet Deo, & ex ipso Deo, hæc veniunt.* Deinde *qvia mandatum mihi est, nihil horum qvæ video, & audio, abscondendi à justis, qvò & illi glorificent nomen Dei magnum: plus autem obediendum est Deo qvàm hominibus, tametsi propriis etiam parentibus. Qvod additur, Visionum pro me satis esse in Catechismo, divinoqve Verbo: ita sanè, novi. Si quid tamen ultra hæc aliqvid scire me velit Deus, egóne id prohibere possum? aut dicere, Cur ita facis? Subjungit D. Parens, Nolle se Prophetissam me. Absit à me, ut me Prophetissam vendítem! Qvi enim Prophetam agere vult, futura prædicere necesse habet, nondum facta. Ego verò tantùm ea qvæ in præsens video & audio, enarrare jubeor. Non itaqve Prophetissam me profiteor, sed organon Dei, qvô illi complacuit uti ad occulta qvædam sua piis ac justis revelandum, illis in solatia. Tametsi forsan humanæ rationi videatur alium qvempiam, eruditum, prudentem, sapientem, ad hæc tam singularia debuisse adhiberi: sed qvia sic placuit, & placet Deo, qvid dicemus? Nam qvod stultum est in oculis Mundi, hoc eligit Deus, ut confundat sapientes. Nescio qvid agam, nisi ut me subdam voluntati Dei, faciendo qvæ mandat*

dat & dicendo: Benè omnia fecit, & facit, Dominus Deus noster! Nomen ejus in aternum sit benedictum. Vale Pater dilectissime.

Filia tua humillimè obseqviosa,
& ad mortem usqve serva,

Christina P.

9 Hâc epistolicâ scriptione finitâ, cœpit doloribus tentari circa secundam pomeridianam, qvi vehementissimi erant circa qvartam. Horâ verò qvintâ tabellæ inscripsit (preces pro se flagitans) *abituram se à nobis horâ sextâ*: ut & factum Cum ultimo enim horæ ictu proripuit se, in lectulo consedit, manus complicavit, gestusqve alios edidit, donec & (post horæ tres qvadrantes) sibi esset reddita. Qvid vidisset & audivisset, nec sermone explicare potuit, adhuc muta; neqve consignare scripto, ob oculorum aciem ab immenso Cæli Cælorum (in qvod fuit rapta) splendore læsam. Qvinto demum die (toto qvadriduò neqve Cœli neqve lychni lumen ferre valens) consignavit verbis illis qvæ Revelatione IX, hîc mox seqvente, leguntur.

REVEL. VII.

[*Visio Dei Iudicis pro tribunali sedentis*, 3 *A qvo petunt super impios ultionem, primùm qvidam Ira calicem effundere paratus*, 4. *alius Gladiô omnes perversos exscindere avidus*, 6. *tertiúsqve sagittas in sceleratos emittere gestiens* 11. *sed expectare adhuc jubentur*, 12. *Schola iterum Cælestis*, 14. *Electorúmqve signum*, 17.]

FEriâ secundâ (6 Dec.) post secundam Adventûs, rediit ægritudo mea, cordísqve inexplicabilis anxietas, ut qvò me verterem nescirem per horę dimidium: mox autem rapta extra me, vidi & audivi seqventia. 2 Pertransibam primùm ponticulum peranguſtum, super flumen qvoddam amplum & profundum: qvô superatô, veni in campum virentem, spatiabárqve: & ecce Senex accedens, dextrámqve porrigens, salvere me, séqve seqvi, jussit. 3 Seqvuta ergò illum veni in Nubem, ubi multitudo ingens populi stabat. Unus autem insidebat throno candido, cujus vultus ut fulgor splendebat: dixitqve Senex ad me: *Attende diligenter, qvid hîc futurum sit.* 4 Ecce autem prodiit unus è turba, vestitu albô, manu suâ gerens Calicem, dicensqve ad Illum qvi insidebat throno: *O Domine, effundámne ex hac Phiala Vinum horrenda ira Tua super omnes impios?* 5 Ille autem respondit: *Exspecta, nondum enim completa est ira mea.* 6 Recessit ergò ille, & prodiit alius, itidem albè indutus, manu gerens *Gladium permagnum*, ut horrore corriperer: sed Senex ad me, *Nihil metuas! neqve tibi neqve cuiqvam Electorum nocebit qvidqvam.* 7 Et clamabat iste in manu sua gladium habens: *O Domine, descendámne ut exterminem Gladiô hôc omnes perversos?* 8 Respondit insidens throno: *Exspecta, nondum enim tempus destinatum venit.* 9 Recessit igitur ille qvoqve, & ego admirata id sum vehementer: prodiitqve tertius, similis duobus illis, manu gestans *Sagittam pracelerem*, à qva mihi itidem timui. 10 Sed Senex iterum: *Cave metuas, jam tibi dixi, neqve tibi neqve Electorum cuiqvam nocitura hac*

ra hac esse qvidqvam. 11 Clamavit autem ille tertius voce magnâ: *O Domine, emittámne Sagittas terribilis iræ tuæ in omnes sceleratos?* 12 Et respondit sedens in throno: *Expecta, nondum enim venit dies ultionis, sed veniet brevi: Væ malignis eâ die! Ecce exsurgo, judiciúmqve meum mecum!* 13 Et exclamavit tota illa multitudo voce magnâ, *AMEN!* & disparuerunt omnia illa, remansiqve sola ego cum Sene, qvi ad me dixit: *Veni, ostendam tibi porrò qviddam.* 14 Introduxitqve me in aliam Nubem, ubi rursum innumera fuit turba, Senum, Juvenum, Infantum; unus autem assidebat Mensæ candidæ. 15 Interrogabam igitur, qvid istuc esset? Respondit, *Schola.* 16 Et qvis iste est Mensæ assidens: Ille, *Doctor & Magister est omnium absolutissimus.* 17 Ego iterum: Et qvinam isti sunt, qvi stant ante illum? Ille: *Sunt signati hoc signô, qvòd servi sint supremi Regis.* 18 Ego: Utinam mihi qvoqve signum detur, me servam illius esse Regis! 19 Respondit ille: *Qvid? signum petis?* Respondi, Qvomodo Tu Domine vis? 20 Ille autem: *Ecce ligatam habebis Lingvam, sed qvæ solvetur iterum! Bonô esto animô, nihil hoc tibi nocebit.* 21 *Qvos hic stare vides, signa super frontes suas habent: sed tibi tale signum nondum dabitur, donec venerit finis, & tu in cœlestem translata fueris Scholam.* 22 *Abi nunc: sed jejunii & orationum memor.* 23 Porrectáqve dexterâ dixit: *Pax tibi sit! Ego enim tecum semper sum, usqve in æternum.* 24 Hôc dictô disparuit, ego verò ad me reversa sum, inter qvartam & qvintam vespertinam.

[Persequutoribus Ecclesiæ B. vindicta jam parata nuntiatur, sed adhuc differenda: argumentô simillimô cum Capite 8 Jesaiæ. Ubi (post prædictas ultiones) *ligari mandatur Testimonium inter Discipulos* (v. 16) *in silentióqve Dominum exspectari, qvi abscondit faciem à domo Jacob* (v. 17 &c.) Ita enim qvoqve hìc, *permissô Persequutoribus adhuc dominiô piis occulta Christi Schola, crucis & lucis, ostenditur* (v. 13 — 17.) *Adimitúrqve Videnti lingvæ usus per dies septem, indubiè ad vocis Evangelii in patria silentium præfigurandum.* Cum solatio, redituram qvidem Doctrinæ vocem, at non tàm citò: qvippe Vidente priùs in Scholam cœlestem translatâ: v. 21.]

REV. VIII. *(ter unâ die)*

[*Dilectio super omnia DEI ab Electis reqviritur,* 1. *Ad DEUM non venitur, nisi ope DEI,* 4. *Tabula mortis pro malitiosè peccantibus.* 12. *Visa & audita hæc non celanda,* 20. *majora tamen his promittuntur.*]

POsterô die iterum mihi Senex apparuit per somnum, dicens: *Diligisne super omnia me, ex tota anima, totáqve mente, & omnibus viribus tuis?* Respondi, *Domine Tu nôsti.* 2 Ille: *Persevera in bono ad finem, & invitaberis ad Cœnam Agni.* 3 A qva ego voce tanta concepi gaudia, ut cor exsultaret meum, & à somno expergefierem. 4 Paulò pòst abrepta in ecstasin, vidi Senem meum longinqvè stantem, & me ad se vocantem, dicendo *Veni ad me!* Ego autem respondi, *Non possum.* 5 Ille rursum: *Cur non potes?* Ego, *Propter aqvam ingentem qvæ interjacet.* 6 Ille, *Perge tamen;* Ingressa ergò sum aqvam, sed ita in illam demersa, ut exitum non reperiens, voce sublatâ clamarem, *O succurre, succurre!* 7 Adveniens itaqve ille dixit, *Cedò manum!* Extendi itaqve manum dextram, qvâ ille me prehensam extraxit, dicens: *Audivi te clamantem!* 8 *Beati, qvi reperti fuerint in bono! Decorabuntur enim in cœlis gloriâ ineffabili, qvæ ab illis non auferetur in æternum.* 9 Atqve hic disparuit, & ego redii ad me, horâ antemeridianâ decimâ.

10 Sed post horæ mediæ interstitium relapsa in ecstasin, vidi me in pulcherrimo

mo qvodam Palatio constitutam. 11 Accedénsqve Antiqvus ille, dixit: *Veni, veni mecum, & ostendam tibi qviddam.* 12 Introduxitqve me in conclave, in cujus medio stabat Mensa permagna, rotunda, & super Mensam Liber prægrandis, ubi assidebat qvidam manu suâ tenens calamum, & inscribens qviddam Libro isti. 13 Qvæsivi itaqve è Sene meo: *Qvid Libri esset istud?* respondit, Sunt *Tabulæ Mortis.* 14 Qvod ego admirata iterum, *Qvis ille Scriba esset*, rogavi? respondit, Est ille qvi magni hujus Libri potestatem habet. 15 Ego: *Qvid autem scribit?* Ille, *Inscribit omnia Impiorum peccata.* 16 Admirata ego hæc, *O si scirent impii*, dixi, *conscribi peccata sua, fortassis non peccarent, resipiscerent potiùs.* 17 Respondit iste Libro assidens, & inscribens: *Illorum qvi hic annotantur nemo convertetur ad pœnitentiam, sed peribit, qvia malitiosè resistit DEO & sanctis ejus.* 18 *Sed sunt alii, qvi huc non consignantur, qvorum peccata non tàm æstimantur, qvia ex ignorantia DEO & sanctis ejus adversantur: hi convertentur, contristati ad resipiscentiam, propitiúmqve habebunt DEUM.* 19 Hæc ego cùm mirarer, disparuerunt omnia: Senex duntaxat mecum remanens, interrogabat me, *Audivisti qvæ hic dicta sunt?* Audivi, dicebam. 20 Ille rursum: *Ne igitur qvidqvam eorum, qvæ vides & audis abscondas à Iustis, ut illi qvoqve glorificent nomen Jehovæ, qvod magnum est.* 21 Nunc abi, ab orationibus nihil remitte, qvadriduum jejuna & qviesce, die autem qvintâ cibo te & potu refice: iter enim magnum habes ante te.

REVEL. IX.

[Videns conscendit Montem præaltum, 2. indéqve transfertur in Cœlum ad thronum DEI, 6. Videt clamari vindictam, 9. & qvendam accingere se ad vindictam, 16. Tum proclamari vindictam, 20. & determinari eam ab Aqvilone & Oriente venturam, 23. Exsultatio Ecclesiæ super hac Dei consolatione, 28 Tandem Ira Dei apparatus Videnti ostenditur.]

SAbbatô (11 Dec.) ante tertiam Dominicam Adventûs (cùm me qvadriduô exactô recreassem cibô & potu) supervenerunt mihi dolores ingentes, qvorum similes experta fui nunqvam, perdurantes à pomeridiana secunda ad sextam, cum cujus ultimæ sonô abrepta fui extra me. 2 Ibámqve per viam angustam, asperam, & salebrosam valdè, Montem altissimum adeóqve præruptum versus, ut recidere horrerem perpetuò. 3 In cacumen ejus delata circumspectabam, an Senex meus sicut aliâs venturus esset ad me. 4 Tolléns-qve insperatò sursum oculos, vidi paulatim Cœlum adaperiri, & Senem inde prospectantem me intueri, & dicere, *Ascende huc ad me.* 5 Respondi, non possum Domine: Ille, *Porrige mihi manus tuas!* Exporrexi igitur manum utramqve. 6 Et ille me attraxit è Monte illo in Cœlum usqve, salutationéqve factâ dixit mihi, Ora sic: *Apta, ò Domine, Cor meum, omnésqve sensus meos, ad percipiendum mirabilia Opera tua!* 7 Hâc prece finitâ, vidi turbam ingentem, locúmqve ubi consistebat amplum valdè, lucísqve tam plenum, ut præ fulgore intueri vix possem. 8 Qvæsivi itaqve à Sene, Qvis iste tam spatiosus & clarus esset locus? Qvi respondit: *Est solium, thronus, & majestas DEI vivi: attende igitur diligenter!* 9 Et mox prodiit è Turba qvidam albô vestitu, alas habens à tergo: qvi corripuit se, petiit altum, subliméqve volitans clamabat voce magnâ: 10 *Ah Domine juste, citóne consurges ad vindictam super*

super eos, qvi ignominiâ afficiunt nomen gloriæ Tuæ? Citóne effulgebis in magnitudine fortitudinis Tuæ, ad finem imponendum sceleribus impiorum? 11 *O exsurge jam, & ostende Te illum esse, qvi ab æterno fuisti, & permanes in æternum, & cujus anni non deficiunt.* 12 *Ostende, Te esse sub cujus potestate sunt Cœlum & Terra, omnisqve Anima, & præter qvem nullus est alius æqvè fidelis ut Tu.* 13 *Et exsultabunt in Te Fideles Tui, videntes fortitudinem Tuam, & ultionem sumptam de hostibus suis & Tuis, dicentes: Magnificetur Jehova DEUS fortis à seculis in secula.* 14 His verbis prolatis demisit se, constititqve pedibus suis, & siluit: ego itidem steti attonita. 15 Senex verò ad me: *Iterum attende!* Composui me igitur ad attentionem. Et ecce Ventus obortus est procellæ similis, Fulminúmqve continuatus fragor personabat, ut Cœlum tremeret, metuqve trepidarem ipsamet. 16 Tum venit qvidam totus armatus, cujus Caput erat ut ignis, & ab ore illius prodibat flamma: Venit inqvam & constitit, & unus è Turba attulit Gladium magnum, traditqvè Armato illi in manum ejus dextram. 17 Et loqvutus est ille Gladium habens in manu sua dextra, dicens: *Hoc robur meum, & hac Dextera roboris mei, isthôc Gladiô meô, disperdet Omnes eos qvi adversantur mihi.* 18 *Ecce exsurgo jam, veniámqve insperatô, die qvem non opinantur scelerati! die inqvam illô qvem nesciunt refractarii.* 19 *Tunc veniam, reddámqve unicuiqve prouti meruit: Finem faciam omni iniqvitati, & in ira mea conteram omnes infideles, nomen & memoriam illorum exscindam de Terra viventium.* Hîc cessavit loqvi. 20 Qvi autem priùs volitabat, sustulit se denuò, volitánsqve clamabat iterùm voce magnâ: 21 *Væ, Væ, & iterum Væ, & plusqvam Væ, illis, qvi potentissimo illi Regi adversantur! Væ illis qvi immortali huic Regi perfidè rebellarunt! Væ & illis, qvi præpotentem hunc Regem deseruerunt! nam & ille eos deseruit ac deseret, cum eos repellet à se, ne videant faciem ejus in æternum.* 22 His dictis, volare destitit, pedibus iterum consistens suis, tacuitqve, me attonitâ. 23 Sustulit autem ille Armatus iterum vocem: *Ecce jam accelerabo verba mea, & judicium meum, ut illud exseqvar citò!* 24 *Priùs tamen efficiam rem admirabilem: Ab Aqvilone & ab Ortu provolvet se multùm mali super omnes habitatores Terræ. Convocabo enim omnes Nationes Regnorum Aqvilonarium & Orientalium, ut venientes Gladiô oppugnent, & expugnent, omnes mihi superbè adversantes: Fortitudo autem mea, & robur brachii mei, cum illis erit, ut eos sustentet, neqve permittat labi.* 26 *Lætabuntur tùm Cœli, & exsultabit Terra, tonabítqve Mare, & hilarescet omnis Creatura, qvum videbunt admirandam potentiam & auxilium Domini gloriæ.* 27 His dictis, disparuit in oculis meis. Qvi autem bis antè volaverat, subvolans iterum clamabat: 28 *Exsultate justi in robore præpotentis hujus Regis! Iam enim brevi exsurget ad Vobis subveniendum: multiplicabit lætitiam cordis Vestri magnitudine potentiæ suæ! consolabitur Vos & exhilarabit eximiè: pusillùm tantummodò patientiâ utamini! JEHOVA DEUS exercituum faciet id.* 29 Hæc proloqvutus cessavit volare, disparuítqve, sicut & omnis illa turba: ego autem demirabar hæc valdè. 30 Senex verò ad me: *Perge mecum, ostendam tibi porrò qviddam.* 31 Perrexi igitur ad qvatuor gressus: & conspexi ingentem numerum Machinarum fulminearum, seu Tormentorum bellicorum. 32 Cúmqve interrogarem, Istud qvid esset? respon-

ſpondit Senex, *Eſt furor DEI irati, emittendus jamjam brevi ſuper omnes qui patrant abominationes: ſed nondum completa eſt menſura ejus.* 33 *Malitia qvoqve impiorum nondum implevit menſuram, ſed feſtinant eam implere, feſtinant impii, ut tantò puniantur atrociùs.* 34 Qvi ſermones miri qvoqve accidebant mihi: Senex autem dixit, *Vade nunc in pace, poſtea redibis.* 35 Porrectâqve dextrâ valedixit mihi, & diſparuit: ego autem ad ſenſus meos reverſa ſum.

CAP. IV.

De Patris ad Virginem adventu, & cum illa expoſtulatione: ſecum autem ipſo varia lucta.

POſtridie M. Theodorus (poſt factam Revelationum iſtarum deſcriptionem) diſceſſit, Patri ejus qvæ audiſſet & vidiſſet renuntiaturus: Illa verò 13 Decemb. loqvelæ uſum recepit, qvod ita factum. Peragente cum ea preces veſpertinas Joh. Stadiô, ſub ipſum Orationis Dominicæ finem, illa qviddam contremiſcens, manuum palmas faciei admovit, oculos fricavit, ſeqve reſupinavit. Ille Oratione finitâ qvid fieret rogavit, an forte dormire vellet? Reſpondit, *Fortaſſis.* Ille, *Atqvi jam loqveris, laus Deo.* Illa, *Splendor qvidam circumfulſit me, neſciò ubi ſim.* Ita illa lingvæ uſum, per ſex dies eô privata, recepit: alii autem gaudiô adventantes, laudârunt Dominum.

2 Diebus ſeqventibus tranqvilla circa eam fuerunt omnia. Interrogata an iterum eſſet Viſionem habitura, reſpondit: *Qvieſcere me faciet Dominus, ſpero, per dies feſtos* (Chriſti natales) *intereaqve Pater veniet meus.* Atqve ita fuit, nihil ſingulare ad 26 Decemb: uſqve evenit. Eâ enim die dixit: *Hodie Pater meus veniet, cras autem videbit manum Dei ſuper me, Viſionem habebò.* Unus è Miniſtris (*Johannes Chryſoſtomus*) negabat fieri poſſe ut veniat: eò qvòd Fr. Matthæus (illius legatus) vix adhuc domum rediiſſet. Illa: *Ego tamen illum expecto.* Atqve ita fuit, venit: qvia non expectatô legatô profectus fuit, obviumqve habens, epiſtolas & de omnibus informationem accepit.

3 Ingreſſus ad eam, mox aſperioribus verbis inobedientiæ accuſavit, irreverenter ſcriptam exaggerans epiſtolam, qvaliter piam prolem non deceat: & qvòd plus fidei phantaſiis ſuis, qvàm admonitioni paternæ, habeat. Illâ modeſtè ad omnia reſpondente, & ad ea qvæ poſtridie viſurus eſſet provocante: ille, *Qvid ergò videbo?* Illa, *Manum Dei ſuper me vermiculum.* Ille tantò magis inſtare, *Excuteret iſtas imaginationes, nihil futurum &c.*

4 Verùm poſtridie, cùm præviis illis angoribus illam diſcruciari videret, ſtetit optimus Vir totus attonitus, nihil ampliùs qvod diceret inveniens. Cùm autem illa, *Pater mi, pater mi, cur viſcera obduras adverſum me?* exclamaret, ille ſibi

hæc audiens illacrymavit, ſpectaréqve diutiùs non ſuſtinens exivit. Sed illâ paulò poſt in ecſtaſin abreptâ, abit Stadius illi ſignificatum. Sed reperit conclave proximum (in qvod introductus erat hoſpes) oppeſſulatum, exemtâ clave: introſpicienſqve per ſeræ foramen, videt ſuper faciem humi ſtratum. Pulſat tamen, & filiam eſſe jam in ecſtaſi docet. Surgit ille, lacrymas detergit, aperit, tacitus inſeqvitur, tacituſqve (& ad inuſitata ſpectacula obſtupefactus) omnia qvæ fiunt intuetur. Duravit ſpectaculum hoc, ipſi novum, ultra horam: Virgo autem qvæ viderat ipſo Patre præſente & ſtupente, nec ampliùs obloqvente in ſcriptum refert, legendumqve illi tradit: ſicut exſtat Revelatione X. 23. Decembris.

5 Secunda ſub illius præſentiam Viſio fuit 29 Decemb. mox ab illa qvoqve ſcripta, uti Revel. XI. exſtat. Cæpitqve mox ab hac ecſtaſi prædicere, ſe Calendis Januarii valetudinem & vires recepturam. Qvod ad infringendam Parentis diffidentiam factum putatur: ſicut & ſeqventes Viſiones qvatuor, modô eatenùs inuſitato adminiſtratæ, qvemadmodùm patebit.

REVEL. X.

[*Altaris, Candelabri, Candelæ ardentis, hujúsqve exſtinctæ, iſtius confracti, illius exuſti, viſio. Tum Gladiorum DEI trium, ab Aqvilone, ab Oriente, & de Cælo, 11. Dehinc dejectio cujusdam Superbi de ſolio, 16. & reſtitutio cujusdam Humilis, prædicitur. 17. Triumphus in Cælo de judiciis Dei, 22.*]

TErtiâ (23 Dec.) Nativitatis Chriſti feriâ, ſupervenerunt mihi dolores & cordis anxietudo valdè acutè. 2 Rapta dehinc in ecſtaſin, veni in hortum peramœnum, acceſſitq; ad me Senex ille, uti ſemper, ſalutationéq; factâ dixit, *Veni mecum.* 3 Et introduxit me in Domum qvandam perelegantem, Conclavéqve pulchrum, ubi ſtabat Menſa, in Altaris formam ſpecioſè contecta: ſuper Menſam autem ſtabat Candelabrum magnum, aureum, candelam habens itidem magnam ardentem. 4 Dixit verò Senex mihi, *Attende!* Et ecce venit qvidam albè veſtitus, tanqvam irâ valdè accenſus, qvi dixit: *Sic ait Jehova magna virtutis, Ecce ego exſtingvam Candelam hanc! qvia lux ejus non eſt lux, ſed tenebra.* 5 Extinxítqve illam, additô: *Hoc etiam dicit Præpotens ille, Ecce ego movebo Candelabrum hoc magnum locô ſuô, & confringam id! qvia Candelabrum hoc fallax & præſtigioſum eſt, extrinſecùs tantùm ſplendens, intùs plenum impuritatis & perverſitatis.* 6 Et mox prehenſum manu deturbavit Menſâ, alliſitqve tam violenter Terræ, ut hæc commoveretur, Candelabrum autem in fruſta diſſiliret. 7 Ille verò ſtans adhuc, flammam emiſit ore ſuo, qvæ corripuit Menſam, & dehinc Domum, qvæ incendiô hoc deflagravit. 8 Cùm autem diſparuiſſet Vir ille, à qvo prodierat incendium, qvòd ego ſpectabam attonita, dixit ad me Senex; Recollige animum, & auſculta! 9 Subauſcultans igitur audivi vocem magnam: *Ecce jam emiſi horrenda ira mea ignem, nec tolerabo ampliùs abominationem in loco ſancto meo.* 10 Senex iterum ad me, *Veni mecum.* Ibam itaqve, & deducta ſum in Cœlum qvaſi, ubi lux erat ingens, & ſplendor magnus. 11 Ille autem denuò, *Vide!* Et mox advenientes

adventabat qvidam Adolescentis formâ, talari albâ veste indutus, *Gladiósqve ferens duos, alterum dextrâ alterum sinistrâ.* 12 A qvo timere cæpi vehementer: Verùm Senex, *Noli timere,* inqvit, *atqvi tecum sum, ora potiùs.* 13 Adolescens itaqve ille, qvùm ad nos usqve venisset, dixit: *Ecce ego faciam rem miram! Hos gladios duos mittam super inflatos illos & feroces, qui adversantur mihi! hos ego longinqvè adducam, alterum ab Aqvilone, alterum ab Oriente: Gladius verò tertius, Oris mei, ibit inter illos medius.* 14 *Hic oris mei gladius interficiet qvemvis impium, omnésqve mihi superbè adversantes exstirpabit radicitùs.* 15 *His ego Gladiis delebo omnem impietatem, omnéqve maleficium, perversitatem, & abominationem, cum Idololatria, omnia ista tollam penitùs.* 16 *Deturbabo & superbum Illum, perversum, injustum, de elato solio suo: faciámqve in loco ejus sedere Servum meum, qui me timet, & viis inceäit meis.* 17 *Huic ego Sceptrum dabo in manum ejus! sed & Gladium, ut ne permittat regerminare flagitia: super hunc reqviescet Benedictio mea.* 18 *Hic reget Populum meum sic, qvomodo eum regi volo: eritqve similis illi de qvo scriptum est in Libris, fuisse Virum secundùm cor DEI: huic inqvam similis erit ille qvem exaltabo ego.* 19 *Disponam & pacem atqve lætitiam Populo meo, qui adhæret mihi: nec ampliùs effervescam contra populum meum, nec ejus obliviscar, qvippe qvem in manibus sculpsi meis.* 20 *Beati qvi fidem servant mihi! nam & ego servabo illos, faciámqve ut accumbant mensæ meæ in Regno meo magno in omnem æternitatem.* 21 Ista proloqvutus obtulit mihi dextram, dicens, *pax tibi sit semper.* Et disparuit ab oculis meis. 22 Senex autem dixit: *Veni adhuc.* Et progressa sum cum illo ad tres passus: ubi ille, *Attende!* 23 Et mox vidi ingentem innumerámqve Hominum turbam, unum autem super eos eminentissimo sedentem solio. 24 Interrogavi ergò Senem, Qvis ille solio insidens esset? qvi respondit: *Est Rex omnium Regum eminentissimus & potentissimus; is ipse qvem dejicientem vidisti Candelabrum magnum in Terram; & in cujus manibus vidisti Gladios.* 25 Qvæ ego dum iterum mirarer valdè, multitudo illa tota procidit adorans, & voce magnâ clamans: *Laus & honor, & potentia, & gloria sit illi, qvi fuit, est, & erit, in æternum.* 26 Et oblituerunt omnia: Senex verò me in hortum reduxit, valedicénsqve dixit: *Abi nunc, sed revertere citò.* 27 Ita à me discessit, & ego ad me redii.

REVEL. XI.

[*Visio Exercitûs Cælestis, ad oppressæ Ecclesiæ vindictam festinè se præparantis,* 2. *Videnti, non ampliùs in Cælum esse rapiendam, nuntiatur.*]

Biduô pòst (Dec. 29) circa pomeridianam qvartam, iterum rediêre acuti dolores, & cum illis animæ raptus, in Cœlum usqve. 2 Factusqve iterum mihi obvius Senex, excepit me dextrâ, auscultare jubens: & audivi mox sonitum & strepitum qvasi populi multi. 3 Interrogánsqve dixi: *Qvis ille tantus strepitus, qvem audio?* Respondit, *Ne qvære, vide potiùs.* 4 Et vidi Populum numerosissimum, arma induentem præfestinè. Admiranti hæc mihi Senex; *Iam videbis qvid futurum sit, attende solummodò.* 5 Ordinabátqve se magnus ille Populus, qvomodo in aciem solent, armatus accinctis lateri gladiis, de humeris autem dependentibus prælongis bombardis. 6 Ordinatâ sic acie totâ, venit

nit qvidam armatissimus qvoqve: sed cujus arma dissimilia fuerunt reliqvorum armis, candentia ignis instar, ejaculantiaqve à se stricturas, ex ore autem illi exibat Gladius immanis flammeus. 7 Hic præcessit, Exercitus verò Illum seqvutus est, me præteriens. Et mirata sum, qvalis iste Exercitus esset? 8 Audivi autem mox vocem magnam: *Ecce magnus Dominus, DEUS exercituum, cum Sanctis millibus suis venit ad ulciscendum impios: Non enim jam diutiùs spectare potuit perversitatem, injustitias, crudelitatémqve & injurias, qvæ sui timentibus fiunt.* 9 *Admisit ergò clamores, gemitus, ejulationésqve pauperum suorum ad commiserans cor suum, excepitqve Voces illorum aure suâ: eòqve jam consurrexit ad finem imponendum impiis, erigendúmqve qvi se diligunt.* 10 Dum hæc diceret, evanuit Exercitus ille totus: ego autem mirabunda Senem, Qvorsum Exercitus ille venisset, interrogavi: at ille, *Non dicam tibi nunc*, respondit. 11 Sed iterum qværenti, Qvisnam ille ignitus, ore suo Gladium emittens, esset, respondit: *Ille est qvi oris sui Gladiò interficiet omnem impium, & omnes adversum se superbè insurgentes perdet funditùs.* 12 *Exercitus qvem vidisti est Exercitus cœlestis; sed ostendetur tibi postea Exercitus alius, at non hoc in loco. Tu enim ampliùs huc ad me non adventabis, sed ego ad te.* 13 *Parata igitur esto semper: nam tibi porrò etia*[illegible] *ta ostendam. Recede nunc, &* [illegible] *cum sit semper in æternum.* [illegible] mihi dexterâ porrectâ [illegible] verò ad me redii.

CAP. V.

Prima sine præviis doloribus, & vocalis, Visio, [illegible]

EAdem die cùm à cœna ad illam reversi circumsedissent, colloq[illegible] nam usqve continuarent, illa super lectulo sese arrigens, & qvasi [illegible] prospiciens, *Videtisne, videtisne? Auditisne, auditisne?* clamare cœpit. [illegible] qvid fieret non intelligebant primò: demum gestus videntes, manibusqve [illegible] trectatis, cùm rigere membra viderent, abreptam esse animadverterunt. Cùmqve sermones continuari viderent, uni è medio sui arripere calamum, verbaqve ab ore illius profluentia consignare, mandârunt. Qvod postea jam semper, qvoties vocales id genus obveniebant Visiones (erant autem seqventes pleræqve) observatum fuit. Perrexit ergò ecstatica sic loqvi.

2 *O Corona! Corona Vitæ!* Et paulò post: *Qvid: Vestem? prouti placitum est tibi.* Iterum: *Cum ire neqveam*: qvod ter protulit. Et mox: *Gaudium, gaudium, inenarrabile gaudium. Non sum vobiscum.* [Notandum verò, non continuò voces has fuisse prolatas, sed per silentii intervalla. Aliqvando enim patuit eam alteri cuipiam loqventi attendere: aliqvando ipsammet loqvi, sed tacitè, nobis imperceptibiliter: aliqvando demum clarè, ut verba intelligi & scribi possent, scriptaq; sunt.]

Agnus Dei! Increata Sapientia! Tu me formasti! Tu elegisti, Tu mihi benefecisti. Qvid? Tua merx ego sum? Tu me redemisti? Frater meus es? Animam pro me posuisti? Induas me?

me? Vestes dabis? Hæc omnia ex intervallis, & cum gestibus lætitiæ supraqvàm verbis exprimi potest.

4 *Non possum intueri splendorem fulgoris Tui, ô Angelica gloria! Cras venies? Cras ad te veniam, parata esto. Veniemus ad Te.*

5 Atqve hîc cæpit cantare: primùm Psalmi 38, mox 90 melodiam. Tum ex Psal: 34. ℣. 8. (*Castra metantur Angeli Jehovæ circa timentes ejus, ut eos eripiant*) Et ex hymno Ecclesiastico *de Christi ad pios in ipso mortis articulo adventu.* Item ex alio, *Qvod ad contemplationem Dei nonnisi per Christum veniatur.* Ex alio iterum: *Ibi Deum faciem de facie videbimus.* &c. [NB. Hoc sibi ad conspectum Matris suæ in beatorum choro cantatum, postea narravit.] Item, *Ibi voluptatum torrentes, gaudiorumqve satietas in perpetuum.* Demum ex Psalmo iterùm 34. ℣. 19. *Propinqvus est Jehova fractis animo, humiles spiritu salvabit.* &c.

6 Hîc ad se reversa est, sonuitq; undecima, ut bihorium totum ecstasis hæc duraret: præsentesq;, peractis ad Deum laudibus & oratione, ad qvietem se contulerunt.

7 Postridie Virgo ea qvæ consignata fuerunt, exhiberi sibi jussit: revidensqve illa, si qvid vel minimum aliter scriptum qvàm dictum fuit, emendabat. Qvod & stea semper factitavit, nullum verbum addi, demi, mutarive, permittens. Unde immeritò hîc etiam mysteria inesse, ad apicem usqve, colligimus.

CAP. VI.

isio XV, secunda sine doloribus & vocalis. 30. *Dec.*

tridie manè, cùm post peractam Psalmodiam & preces, Pater cum aliis ei ssiderent, sermonesqve miscerent, abrepta iterùm est ab illis insperatò: argensqve se cum gaudio loqvi cæpit.

2 *Qvid venistis? venistis? Qvis me vocat? Seqvi debeo? Jam, ire debeo? Me accersitum venistis? Sumne vobiscum? Jam ibo; jam. Me accersitum venistis? Qvoniam neqveo. Méne vocat? Vos misit? Etiamne ipse veniet? Veniet? Qvia ipsa non possum, auferte me, auferte! Ad vos venire debeo? ecqvando? Amen, Amen.*

3 *Novi te, novi. Accipies me? accipies? Plena plenitudo. Me qvoqve venistis accersitum? Qvinam Vos estis? Servi Altissimi? Qvis autem ibi est?* Atqve hîc excepit qvempiam adorabunda: & cum illo jam colloqvi cœpit.

4 *Ubi Tu eris, ero. Tecum habitabo. Ain? regnabo? Qvando verò Tecum regnabo? En offero dexteram! Tu æternus es, non mutabis hoc. Mane hîc mecum: manebisne? Semper Tu mecum es? Jam ego qvoqve Tecum ero. Qvomodo vis.* Atqve hîc rubore faciei contractô vultum submisit, manibusqve amplexans dixit, *Verba tua sunt Vita.*

5 Paulò post: *Ne differas. Nondum abeas, nondum! Redibis? Potiùs me tecum assume, assume, assume! Diligo, diligo Te, diligo! Hodie adhuc redibis? Et me tecum assumas? Ut jam tecum sim semper? Fidelis Tu es. Qvid? etiam illi venient?* (Angelorum nempe myriades qvos sibi conspectos narravit.) *Omnes tecum gaudia continuabimus in æternum.*

nit qvidam armatissimus qvoqve: sed cujus arma dissimilia fuerunt reliqvorum armis, candentia ignis instar, ejaculantiáqve à se stricturas, ex ore autem illi exibat Gladius immanis flammeus. 7 Hic præcessit, Exercitus verò Illum seqvutus est, me præteriens. Et mirata sum, qvalis iste Exercitus esset? 8 Audivi autem mox vocem magnam: *Ecce magnus Dominus, DEUS exercituum, cum Sanctis millibus suis venit ad ulciscendum impios: Non enim jam diutiùs spectare potuit perversitatem, injustitias, crudelitatémqve & injurias, qvæ sui timentibus fiunt.* 9 *Admisit ergò clamores, gemitus, ejulationésqve pauperum suorum ad commiserans cor suum, excepitqve Voces illorum aure suâ: eòqve jam consurrexit ad finem imponendum impiis, erigendúmqve qvi se diligunt.* 10 Dum hæc diceret, evanuit Exercitus ille totus: ego autem mirabunda Senem, Qvorsum Exercitus ille venisset, interrogavi: at ille, *Non dicam tibi nunc*, respondit. 11 Sed iterum qværenti, Qvisnam ille ignitus, ore suo Gladium emittens, esset, respondit: *Ille est qvi oris sui Gladiò interficiet omnem impium, & omnes adversum se superbè insurgentes perdet funditùs.* 12 *Exercitus qvem vidisti est Exercitus cœlestis; sed ostendetur tibi postea Exercitus alius, at non hoc in loco. Tu enim ampliùs huc ad me non adventabis, sed ego ad te.* 13 *Parata igitur esto semper: nam tibi porrò etiam multa ostendam. Recede nunc, & Pax mea tecum sit semper in æternum.* 14 Atqve sic mihi dexterâ porrectâ valedixit, ego verò ad me redii.

CAP. V.

Prima sine prævijs doloribus, & vocalis, Visio, 29 Decemb.

EAdem die cùm à cœna ad illam reversi circumsedissent, colloqviaqve ad nonam usqve continuarent, illa super lectulo sese arrigens, & qvasi longinqvum prospiciens, *Videtisne, videtisne? Auditisne, auditisne?* clamare cœpit. Præsentes qvid fieret non intelligebant primò: demum gestus videntes, manibusqve contrectatis, cùm rigere membra viderent, abreptam esse animadverterunt. Cùmqve sermones continuari viderent, uni è medio sui arripere calamum, verbaqve ab ore illius profluentia consignare, mandârunt. Qvod postea jam semper, qvoties vocales id genus obveniebant Visiones (erant autem seqventes pleræqve) observatum fuit. Perrexit ergò ecstatica sic loqvi.

2 *O Corona! Corona Vitæ!* Et paulò post: *Qvid: Vestem? prout placitum est tibi.* Iterum: *Cum ire neqveam*: qvod ter protulit. Et mox: *Gaudium, gaudium, inenarrabile gaudium. Non sum vobiscum.* [Notandum verò, non continuò voces has fuisse prolatas, sed per silentii intervalla. Aliqvando enim patuit eam alteri cuipiam loqventi attendere: aliqvando ipsammet loqvi, sed tacitè, nobis imperceptibiliter: aliqvando demum clarè, ut verba intelligi & scribi possent, scriptaq; sunt.]

Agnus Dei! Increata Sapientia! Tu me formasti! Tu elegisti, Tu mihi benefecisti. Qvid? Tua merx ego sum? Tu me redemisti? Frater meus es? Animam pro me posuisti? Induas me?

me? Vestes dabis? Hæc omnia ex intervallis, & cum gestibus lætitiæ supraqvàm verbis exprimi potest.

4 *Non possum intueri splendorem fulgoris Tui, ô Angelica gloria! Cras venies? Cras ad te veniam, parata esto. Veniemus ad Te.*

5 Atqve hîc cæpit cantare: primùm Psalmi 38, mox 90 melodiam. Tum ex Psal: 34. ℣. 8. *(Castra metantur Angeli Jehova circa timentes ejus, ut eos eripiant)* Et ex hymno Ecclesiastico *de Christi ad pios in ipso mortis articulo adventu.* Item ex alio, *Qvod ad contemplationem Dei nonnisi per Christum veniatur.* Ex alio iterum: *Ibi Deum faciem de facie videbimus.* &c. [NB. Hoc sibi ad conspectum Matris suæ in beatorum choro cantatum, postea narravit.] Item, *Ibi voluptatum torrentes, gaudiorumqve satietas in perpetuum.* Demum ex Psalmo iterùm 34. ℣. 19. *Propinqvus est Jehova fractis animo, humiles spiritu salvabit.* &c.

6 Hîc ad se reversa est, sonuitq; undecima, ut bihorium totum ecstasis hæc duraret: præsentesq;, peractis ad Deum laudibus & oratione, ad qvietem se contulerunt.

7 Postridie Virgo ea qvæ consignata fuerunt, exhiberi sibi jussit: revidensqve illa, si qvid vel minimum aliter scriptum qvàm dictum fuit, emendabat. Qvod & postea semper factitavit, nullum verbum addi, demi, mutarive, permittens. Unde non immeritò hîc etiam mysteria inesse, ad apicem usqve, colligimus.

CAP. VI.

Visio XV, secunda sine doloribus & vocalis. 30. *Dec.*

POstridie manè, cùm post peractam Psalmodiam & preces, Pater cum aliis ei assiderent, sermonesqve miscerent, abrepta iterùm est ab illis insperatò: arrigensqve se cum gaudio loqvi cæpit.

2 *Qvid venistis? venistis? Qvis me vocat? Seqvi debeo? Jam, ire debeo? Me accersitum venistis? Summe vobiscum? Jam ibo, jam. Me accersitum venistis? Qvoniam neqveo. Méne vocat? Vos misit? Etiamne ipse veniet? Veniet? Qvia ipsa non possum, auferte me, auferte! Ad vos venire debeo? ecqvando? Amen, Amen.*

3 *Novi te, novi. Accipias me? accipies? Plena plenitudo. Me qvoqve venistis accersitum? Qvinam Vos estis? Servi Altissimi? Qvis autem ibi est?* Atqve hîc excepit qvempiam adorabunda: & cum illo jam colloqvi cœpit.

4 *Ubi Tu eris, ero. Tecum habitabo. Ain? regnabo? Qvando verò Tecum regnabo? En offero dexteram! Tu æternus es, non mutabis hoc. Mane hîc mecum: manebisne? Semper Tu mecum es? Jam ego qvoqve Tecum ero. Qvomodo vis.* Atqve hîc rubore faciei contractô vultum submisit, manibusqve amplexans dixit, *Verba tua sunt Vita.*

5 Paulò post: *Ne differas. Nondum abeas, nondum! Redibis? Potiùs me tecum assume, assume, assume! Diligo, diligo Te, diligo! Hodie adhuc redibis? Et me tecum assumas? Ut jam tecum sim semper? Fidelis Tu es. Qvid? etiam illi venient?* (Angelorum nempe myriades qvos sibi conspectos narravit.) *Omnes tecum gaudia continuabimus in æternum.*

6 Hic diutulè auscultabat: tùm ad latus conversa, & adventante qvopiam conspectô, dixit: *Non erit ille tecum? Ah! qvare id? Va illi, non erit Tecum.* [NB. Adducebantur illi in conspectum qvidam, ut colligi potuit, apostatæ, pro qvibus intercedebat. &c.]

7 Aliô conspectô dixit: *Etiam ille? Etiam ille non novit Te? Va. Va. Va illi qui Te deseruit! Non erit tecum. Beatus qvem Tu elegisti. Dices mihi qvidpiam?* (Numeransqve aliqvid in digitis, dixit) *Non possibile est?* complicatísqve manibus orabat: dimissisqve rursum, *Iam Tu isthac non mutabis, qvia Tu nunqvam mutaris. Misericordia & Justitia. Vidi cùm scriberet.* Complicatísqve iterùm manibus orabat, *Converte illos, qvia potes. Non fieri potest? Atqvi es misericors. Propter Temetipsum fac hoc. Iustitia non permittit Tua? Si fieri potest.* Auscultabátqve tacitè, & manibus complosis, *Non potest* (inqvit) *si ita est. Frustra jam sunt omnia! frustra sunt omnia!*

8 Tertius adducebatur qvispiam, qvem intuita exclamavit: *Etiam ille? etiam non adhæsit tibi? Va! Non videbunt faciem tuam. Ah si potest! propter Temetipsum, ah, ah!* (Hoc ter dixit, complicatis sursúmqve expansis manibus.) *Converte eos, converte! & convertentur. Non pro iis mortuus es? non eos redemisti?* (adhuc expansas tenens manus.) *Non Te nôrunt? Possent nosse, sed nolunt. Fac ut Te agnoscant! Fieri non potest? Propter misericordiam Tuam, qva supergreditur omnia peccata! Non potes!* Hic manus demisit, orareqve desiit.

9 Tùm conversa dextrorsum auscultabat, rursúmqve collisis & sursum tensis manibus suspirabat, gemebat, lacrymas ubertim fundebat. Rursum attendebat, & denuò: *Non debeo orare? Orare non debeo? Aliter jam esse non potest? Ah, ah, ah!* Perrexit tamen, manibus iterum compactis orare: donec manu Domino porrectâ dixit, *Qvare Te deseruerunt? plus Mundum diligendo qvàm Te: Ah, ah, ah!*

10 *Adhuc indicabis?* aureqve attentâ excipiebat. Tùm, *Etiam hi? Ah va, va, æternùm va! Non debeo intercedere? Si potest. Non propter me, sed propter Te. Non potest? Ah, ah! Atqvi es misericors. Tuus tantum es misericors? Non debeo lugere? Ita est, sibi serunt & metent.*

11 *Ah qvanta Tu mihi concredidisti? Non dicam dum vivam:* (obtulitqve dextram) *Abis jam? Sed redibis: statim redibis? multa indicabis? multa? Veni, veni citò, citò veni Domine Iesu.*

12 Hic cum complexa tenuit, plena exultationis: paulòqve pòst ad se rediit. Duraverat ecstasis bihorium ferè.

CAP VII.

Visio XVI, tertia Vocalis, eôdem argumentô, eâdem die.

POmeridianâ qvartâ, iterum fuit abrepta, per septem horæ qvadrantes. Ubi rursum qvidam in conspectum ejus adducti, noti ei, antea DEI timentes, pòst defectores & Apostatæ: pro qvibus cùm ardentissimè intercederet, nihil nisi propriæ salutis confirmationem obtinuit. Se itaqve abdnci cum DOMINO petiit: sed

sed monita nondum esse tempus, ecqvando igitur erit qvæsivit, horamqve mortis sibi revelatam, nemini alii revelandam, accepit, &c. Clarè audita ex ipsa hæc fuerunt. 28.87.

2 Iterumne reversi estis! Et cur Dominus ipse non venit? Veniet? Citòne; Ecce jam venit!

3 Jam ecce venisti! Qvàm Tu me diligis! *Et post benè longam aurium attentionem,* Etiam iste? Ah, ah, ah! *complicatisqve manibus orabat.* Atqvi multus es miseratione. Non potest? non potest? Ah væ, væ, væ! Si potest? Non potest?

4 Etiam isti duo? ah, ah etiam? ah æternè! Atqvi Te hic timuit. Non timuit? ah, ah! Noveram (*eum*) noveram. Abnegavit Te? ah abnegavit. Extrinsecùs tantùm, ah, ah! *complosisqve manibus*, Non Tecum erunt? repelles? Non potes misereri? Ah, ah!

5 Etiam hos delevisti? (*de Libro Vitæ*) Hos etiam? Non eos convertes? Non potest fieri? ah, ah, ah! Non debeo tristari? ah! Væ illis. væ illis. Væ, væ illis! ah! In finemne illis misericordiam negas?

6 Hic etiam repelletur à Te? Novi illum, novi. Neqve ille Tecum erit? Væ, væ illis! Non convertentur ad pœnitentiam? Non? Qvare? Nunqvam ergò in Libro Tuo scripti erant? Torqveri? Væ, væ, væ illis, qvia peccàrunt! Eccur verò nati sunt? Etiam? ah! Non vidi. Non ergò eorum misereberis?

7 Sed mihi non irasceris. Qvomodo irasci qveas? (*visaqve est brachiis eum amplecti*) Mecum eris semper? Gratias ago. Adhuc me hic relinqves? O sume me (Tecum) sume! Adhuc Tibi expectandum est (*hoc ceu μιμηλικῶς dixit admodùm mœstè.*) *Rursumqve illi obversa:* Ah assume me, assume. assume! Nondum? Ecqvando? Postea? ecqvando id? Citòne? O assume tamen jam! (*hæc lacrymabunda*) Frustra sum, si aliter neqvit.

8 Non pro illis orare audeo? Non erant? profitebantur ore, nec erant? Qvis hic est? Neqve hic Tecum erit: In prosperis Te seqvutus, in adversis negavit? Væ illi, ah, ah! Non videbit gloriam Tuam? Væ illi, pœnitentiam non faciet, peribit.

9 Ego Tecum accumbam mensæ Tuæ! Illi etiam! Gaudebimus in omnem æternitatem (*hæc totô exultante corpore protulit.*) Sed assumesne me jam Tecum? Ah sume, sume, sume! *Ubi auscultabat, terminumqve in annos aliqvot proferri audiens, profusè flevit, ingeminans,* Diu id foret, nimis diu: ego jam Tecum ibo. Non conqveri debeo? Redibis? Citóne? Citò. Ergò me tecum non assumes modò? Ah diu! Aderis mihi semper? Gratias Tibi ago. *Hæc gaudiô exultabat, brachia velut ad amplexum offerens.*

10 *Sed mox rursum:* O si me jam Tecum sumas! Etiam si nolis, ego tamen seqvar: *strataqve amovens lectulo se proripiebat. Prohibita, perrexit tamen:* Etiamsi nolis Tu, ego tamen Te comitabor: non repelles me, sat scio. Ibo, ibo: *perrexitqve se proripere. Sed mutavit gestus, & faciei colorem: apparebat enim amplexu Sponsi excipi, & erubescere. Addebat tamen:* Qvàm Tu fidelis es! qvàm Tu me diligis. Ego Te qvoqve diligo.

11 *Et mox:* Ah nimis diu foret! Si me non assumis, ego ad Te curram, non me repelles. Ita sanè: Tu mihi verus amicus es, & manebis in æternum. Benè mihi facies in æternum, & ego Te laudabo in æternum. Assume tamen me modò: atqvi promisisti. Diu id foret: ego volo statim. Non vis? Curram ipsa.

12. Iamne

12 Iamne abis? Ah mane adhuc, mane! Diligo Te, ah diligo: mane mecum! Non potes? *Hic valdè tristis visa: sed mox iterum,* Redibis? multa ostendes? Citóne? mox? *rursumqve hilarescens, manusqve complodens,* Etiam illi Tecum venient? (*nempe Angelorum exercitus.*) Non obliviscar, non obliviscar: festina tantùm redire, rogo Te. *Et cum hoc verbo ad se rediit.*

CAP. VIII.

Visio XVII, Vocalis quarta (31 *Dec.*) per horas qvinqve continuata, *terribilibus ostensis. Sex enim impii, sublimioris conditionis, adducebantur illi judicandi, qvibus damnationis denuntiabat sententiam.*

ULtimâ die anni hujus, matutinâ octavâ, venit in ecstasin. *Ubi primùm nihil loqvuta, lecto se proripiebat tantâ vi, ut à ministrantibus ancillis vix agrè cohiberi, & in lectulo detineri potuerit. Tranquillior facta, Sponsum suum cantu excepit:* O dulcissime Iesu qvàm admirabilis est amor Tuus! qvos diligis præ aliis, castigas præ aliis.

2 *Mox eum alloqvens iterum auferri petiit:* O si jam, *inqviens.* Nimis id foret diu: ego tamen ecce jam venio! *prosiliebatqve iterum lecto. Sed prohibita:* Si modò possem, currerem ego, aut saltem irem pedetentim, *inqviebat. Mox:* Ibo tamen, ibo: scio qvòd me non repelles, non repelles. Tu nosti Cor meum, qvomodo Te diligam!

(*Primus judicandus.*)

3 *Tum qvendam respectans, & ad Dominum conversa,* Assume hunc ad Te qvoqve! *complicatisqve manibus orabat pro eo. Sed mox:* Ah cur Te deseruit? Etiam! Norunt, norunt. Possibile ne est? Ubinam est? Væ tibi, væ tibi! Non ambulas in luce, sed in tenebris. Vide Solem justitiæ, maledicte in æternum! Hic tibi jam non lucebit. Etiamsi invoces, non te exaudiet. Cur istuc declinasti, ó abominabilis? Ecce ecce, ego tibi dicam, attende! *Tum illi enumerabat delicta. Deinde:* Non audies tu istud, Venite benedicti, possidete Regnum Patris mei. Audi adhuc! *Atqve hic eum torvè intuita, manum intentavit: rursumqve qviddam enumerans,* Hoc ecce tu audies, ó maledicte, æternùm maledicte, ó, ó, ó. *Denuóqve illum intuita* ó detestande, cur hunc deseruisti? (*manu ostentans Dominum.*) Ille tibi reddet, ecce jam reddet. Abi maledicte! abi diris devote! *Et ad Dominum conversa.* Abeat Domine! Omnia Tu rectè facis in misericordia & justitia. Noluit gratiam. *Rursumqve ad lævam conversa:* Abi maledicte, non habes partem mecum. Non novit te Dominus. Ploras? Scin' qvid tibi dicam? Credo, qvæsivit cum lacrymis, sed non invenit. (*Nempe Esau, Hebr:* 12. 17.) At tu illo pejor es. Erubesce! Non potes tu intueri Solem justitiæ. Scilicet. conscientia tibi est Vermis corrodens. Non te intueri possum. Repelle eum Domine, repelle.

II. Alius

(II. *Alius judicandus.*)

4 *Domino iterùm obversa, & auscultans,* Ubi est? *inqvit.* Hicne est? *Tum ad istum qvempiam:* Ideóne Te Deus evexit, ut tantâ dignitate abutereris? O maligne, væ tibi in æternum! Magnâ illâ die cum quo tibi pars erit? *Ad Dominum verò conversa,* Indicabo hoc illi? *digitôqve ad lævam minitans.* Certum habe, *inqvit*, nullam tibi restare misericordiam: qvid tu ad hæc? Non tempus est intercedendi: satis temporis habebas. Consilium ut tibi dem? qvale consilium? Nihil proderit: superârunt te jam peccata. *Atqve hic lacrymans, & pectus manu plangens, clamabat:* Ah, ah! Doleo tuam vicem. Sed qvid dicam? Tempus abiit. Cordolium mihi est de interitu tuo (*flebatqve amarè*) sed juvare neqveo. Non te talem credidi: (*detergebatqve lacrymas.* Qvid frustra orem? non audeo. Ah qvis talia persvasit? qvis? Vana mundi gloria. Speras adhuc? frustra. Scisne peccatum in Spiritum Dei, Spiritum sanctum, non remitti? Omne peccatum condonabitur, hôc exceptô. Qvid? resipisces? Si tibi hic dederit: (*manu in dextrum extensâ commonstrans Dominum*) Fideles Me fidelem, perversi perversum experiuntur (*ex Psalmo* 18. 26.) Apage te!

(III. *Tertius judicandus.*)

5 Etiam tu venis? Simulabas metum Dei: ecce autem qvomodo nunc patescit? Non omnes id de Te sciunt? Audi: cùm novissimus venerit dies, terribilis tibi, facinora tua patebunt omnibus. Ibi pudor, ibi confusio! Ne unum qvidem tuum peccatum manebit indetectum. Ora pro te ipse: alienæ orationes non proderunt. Cur non orasti dum tempus erat? Non possum, non possum: abi potiùs: Recede, recede, recede! *trudebatqve eum à se, addens:* Postea te hic (*Dominum commonstrans*) amandabit ad gehennam. Apage, non possum: *avertebatqve faciem. Et iterum:* Emenda si potes, non prohibeo. Scilicet, prohibeo! Non me ora, sed hunc (*Dominum ostendens*) Apage, abi, abi!

VI. Qvartus judicandus, cum qvo actio prolixa. (Videbatur fuisse Princeps de Waldstein.)

6 *Tacitè cum Domino colloqvuta, dixit tandem:* Ubinam est? Hicne Perseqvutor ille est? istene est? O perseqvutor, qvid egisti? Tu injuste, impie, perverse, scelerate, crudelis, eho, vide! Sanguis innocens vindictam clamat. Qvando cum fuderis? Expecta, narrabo tibi. Tunc & tunc. Qvid? nescis tu hæc? *Tum obversa Domino auscultabat, rursumqve ad illum:* Ausculta igitur diligenter Tyranne! audi ô Tyranne! *Tum elevans manum ter & vicies pulvinar percussit, addens:* Jamne nosti? Qvid dicis, non te solum esse in culpa, alios etiam? Hocne excusationi tuæ serviet? Benè, benè. Qvid? Non noveras? Noveras, noveras, sed non faciebas. Non putabas ideò Deum irasci? Nesciebas Deum impio irasci qvotidie? Tibi impie, tibi. Et nondum te submittis? indignus es commiserationе. Abscede! *Trudebatqve illum à se manu.* Qvid illud excusat, qvæso Te? Ne loqvere. Abi: nihil jam qvidqvam tibi proderit.

derit. Cur verò huic non loqveris (manu Dominum ostendens.) Loqvere, loqvere! Nescis qvô qvis peccat puniri eôdem? Qvi gladium accipit perire gladiô? Videsne terribilem gladium? Non vides? Videbis. Terribilis gladius oris ejus penetrabit tibi ad Cor: ah! radicitùs te evertet. O Tyranne, ne memoria qvidem tui reliqva erit. Ne loquaris: abi! Times eum? Cur non mala patrando timebas? Qvomodo autem timebis judicii die? dic mihi? Ibi audies: Abite maledicti in ignem æternum! Expavisti? credo, terribilis tibi erit. Rectè dicis: Præstitisset non nasci. Qvid? sciebas, sed non faciebas. Propriæ iniqvitates te condemnabunt. Scisne, unum qvemqve propriis è verbis condemnari? Ego te non condemno: Domine, ipse illi loqvere! Tu verò audi, audi! Ut ne loqvatur? ne moriaris? Ne metue, non morieris; non morieris in æternum. Sed benè est: non audies hunc Dominum, ne moriaris: ego tibi loqvar.

7 Etiam me pavitas? Dicam qvid egeris. *Et postqvam tacitè protulisset multa, addidit:* Recordarisne? *Tum: digitis enumerabat* 15. *& in decimo qvinto consistens dixit:* Hoc utiqve meministi. Sed mane adhuc (*Et conversa ad Dominum, rursumqve ad hunc*) Mitte excusationes. Non etiam istud meministi? revocabo tibi: Tunc, & tunc, factum est. Non cor tuum fastu se extulerat? Non cogitabas potentiorem te esse neminem? Fatere verum. Vides? Sed expecta adhuc. (*Acceptaqve à Domino informatione perrexit:*) Hac in re nonne tua fuit culpa? O non sufficit! Tua me perditio non oblectat, dolet potiùs: Vide autem (*rursum enumerabat* 15) Pavescis? Credo: sed nondum hîc totum, *numeravitq;* 25. Etiam hoc tibi dicam: nisi id in peccatis non reputas? Qvid? rectè id fuisse factum? Non pudet ista proferre in conspectu hujus? Ita te coram isto Domino humilias? Nostine illud (ah apage!) si confessi fueritis peccata vestra, ille fidelis est? Miserescebat me tui: sed non ampliùs. Futilissime, levissime! Non mirum foret si tibi terra dehisceret. Abi, abi! *avertebatqve faciem.*

8 Mane tamen, nondum omnia. Domine, loqvere illi: Tu verò ausculta! Egone ut loqvar tibi? Audi ergò (*Hic rursum digitum prehendens diu tenuit*) Tenesne? *inqviens.* An tu eâ potestate ad prava debebas abuti? ad immanitatem? *Rursum enumerabat* 27: *qvi Pragenses martyres fuisse videntur.* Vidi peccata tua inscripta ibi. Qværis ubi? In regesto Mortis. Erantqve magna. Ibi autem qvicunqve inscripti sunt, à misericordia exclusi sunt. Non credis? Etiam expostulabis cum Deo? Contendes cum eo? Atqvi tibi ad mille verba ejus non unum suppetet. *Tum ad Dominum conversa:* Loqvere illi Domine, Te enim alloqvitur. Egò respondere debeo? *Vertensqve se rursum ad illum à sinistris stantem:* Scisne, neminem redimere fratrem suum? Tu malè egisti, tu responde.

9 Intercedere debeo? Frustra oras: qvod semel statuit hic Dominus, non mutat. Dicis. Qvis scit an te morti addixerit? Qvid? non credis mihi? Exqviram igitur (*Qværebat, rursumq; ad illum:*) Addixit, addixit, ecce habes! Pœnitentiam ages? Non erit vera, non erit. Qvid autem hoc? (*in alio ostendens digito*) Venitne in mentem tibi malum esse factum? Loqvere ista huic! (*Dominum ostendens.*) Ego te nec salvare possum nec damnare: sed hic animam tuam mittit in gehennam. Corpus tuum

& an-

& animam tuam occidet, mittetqve in gehennam. Qvid tu adhæc? Ut orem pro te? Non orabo: Abi. O qvàm tu exsecrabilis es! Tu cogitabas Deum non attendere, qvid tu agas: Ille autem ecce minima etiam, nedum maxima! Et qvia ferre non potes ut Ille loqvatur tibi, ego tibi adhuc dicenda habeo. *Numerabatqve iterum 40. additò:* Ne sic qvidem omnia sunt peccata tua: die magni judicii plenum eorum numerum severè exqviret Dominus. Pollebas potentiâ, verum est; sed debebas: Qvomodo autem de hoc reddes rationem? (*narrabatq; iterum tacitè*) Eja responde! Qvòd tremiscas? Credo. Si nihil aliud esset, hoc: (*tacitè iterum 12 numerans.*) Meministine?

10 Hæc jussa sum à Domino edicere tibi: responde jam! Atqvi me loqvi voluisti, responde! (*Hæc omnia qvasi per ludibrium.*) Ecce nullum verbum tibi est! ecce! Tu semper tantùm ut pro te orem. A tuis hæc dedicisti. Adduc qvæso tuos sanctos, ut pro te orent! adduc citò (*ridebatqve svaviter.*) Erga qvem eorum maxima tibi fuit fiducia? dic mihi qvæso? Illumne delegeras? Jube illum adesse, Tecum una obmutescet. *Et ad dextram versa:* Domine, veniat ille cui iste fidebat, ut videamus. *Rursumqve ad sinistram:* Ora illum ora, ut pro te oret. Ubi verò est ille tuus Deus? (*Iterum ridens svaviter. Et mox:*) Hic te non agnoscit, nunqvam se Deum tuum fuisse dicit. Hocne est Deus tuus? Hoc ipsum, hoc: ne nega. Ita tu mandati memor vixisti, Non habebis Deos alienos coram me? Habuisti & alios Deos, aureos, argenteos, æneos, lapideos, ligneos.

11 Qvid dicis, Desperaturum te? per me licet, ut Cain, ut Iudas. Tantò citiùs locum tuum invenies. Non possum orare pro Te, impossibile est. Qvid autem hoc, hoc, hoc? Credo præoptare te mortem: sed eam non invenies. Abi jam, abi, omnia sunt frustra. Peccata tua innumera sunt, qvæ tu pro peccatis non habebas, tametsi voluntatem Dei noveras. Ex ignorantia peccati peccata non ita imputantur. Tu autem noveras: Væ tibi in æternum! Jam abi, satis jam audivisti. Abi, abi: *retrudebatqve manu.* Omnia jam serò. Latronem in cruce allegas? Verum id, sed nihil ad te: aliter illi erat, aliter tibi. *Hic ter displosis manibus, percussoqve pulvinari,* Sic edicit ille (*Dominum monstrans.*) Habes? Abi, abi, abi.

V. Qvintus judicandus. (Carolus Princeps de Lichtenstein, Regni Bohemiæ Gubernator, fuisse videtur.)

12 Ubi est? Accede propiùs, tu caput rerum! Vidistine illum, qvi discessit modò? Eja Dispensator, qvomodo dispensationis tuæ reddes rationem? Loqvere, audio. Vel mavis cùm hoc loqvi? Etiam tu justus Pharisæus fuisti? Si subsistes, per me licebit. Fuistine etiam misericors? (*Tum eum acriter intuita*) Ora, salvaberis. Sed & contra te non unius Abelis sangvis innocens clamat, non unius. Egone ut id indicem tibi? Non tu facta tua melius nosti? (*Tacitèqve illi multa narravit: rursumqve clarè.*) Habes: abi. Iam finem inveniet crudelitas tua. Abi, abi, *retrudens eum à se manu.*

 (VI Se-

(VI. *Sextus adducitur.*)

13 *Sextò, qvi sibi adducebatur, conspectò, manus complicavit*, Domine huic propitius esto! *clamans. Ad illum verò:* Tui me miseret! novi enim te, novi. Ah converte, converte, converte, converte illum Domine! *Conversaqve ad lævum:* Non possum tibi auxiliari. *Rursumqve ad dextrum:* Atqvi dixisti Domine, Qvâcunqve horâ conversus fuerit peccator, gratiam inventurum. Propter misericordiam Tuam! *Rursumqve ad sinistram:* Non possum te juvare. Ah emenda vitam, qvære Deum! (*Hoc bis iterabat, ubertim lacrymans:*) Sed seriò id facias necesse est. *Iterumqve se ad dextram vertens, & manus complicans*, Remitte illi! atqvi misericordia Tua major est peccatis totius Mundi. Non fieri potest? Si potest, fac id propter gloriam tuam. Novi id, novi: jam Tu decretum non mutabis. Abi ergò, abi. *Abeuntemqve oculis & lacrymis proseqvuta, inclamabat adhuc:*) Dixeras te pro Deo relinqvere omnia paratum: qvid te transversum egit? Jam mutari non potest. *Manuqve projectâ eum dimisit.*

De Dei erga suos benignitate.

14 *Conversa verò ad Dominum, devotè admodum, dixit:* Qvàm terribilis Tu es malis! nobis autem qvàm benignus! *Hilarescensqve vultu, & offerens dextram:* Mihi qvoqve benignus es? *Auscultansqve tacitè sermonibus ejus, miram præ se tulit exsultationem. Tum:* Venies? Illi etiam venient? (*Angeli*) Missitabis eos ad me? Multa mihi ostendes? Narrabo omnia? Iustis tantùm? Qvæ prohibes eorum nihil dicam. Audio qvæ mandes, audio. Magna hæc sunt: non dicam qvæ prohibes, dum vivam! (*obtulitqve dextram.*)

15 Iam abibis? Mane adhuc. Qvando redibis? Assume nunc etiam me tecum! Non? Ego tamen ibo (*Moliebaturqve magnâ vi procurrere lectulô, ut ægrè cohiberi potuerit.*) Diu esset: ego jam volo. Cur non possim? Non permittis? Quando ergò me abductum venies? *Hic illi rursum vitæ terminus detectus: illa verò lacrymis prorumpentibus iterabat.*) Ah diu, nimis diu! Ego jam Tecum ibo. Curram, non Te dimittam. Dixeras: Ubi ego sum volo ut mecum sint: ecce autem me non vis! Et tamen promisisti. Deinde? Nolo deinde, jam statim volo. Assume me, rogo Te, assume! *Prensabatqve illum tam vehementer, ut lectus strideret & frangi videretur: donec & abeuntem sursum oculis comitata mitesceret, ad se mox reversa.*

16 *Durabat Visio hac ab octava matutina, ad pomeridianam primam, horis qvinqve.*

CAP. IX.

De miraculosa Virginis restitutione, Patrisqve ejus (memorabili cum valedictione) discessu.

PEractâ cœnâ, & vespertinis sacris, inviserunt adhuc eam Pater cum Pastoribus, & Baronissa. Aliqvo illorum qværente, *An surrectura esset novo cum Anno, sicut præ-*

prædixisset? Illa, *ita sibi esse dictum: nondum tamen ullam mutationem persentiscere.* Domina ergò (piâ curiositate) erigi eam, superqve pedes statui jubet, experimenti causâ an incedere posset. Sed illa ne qvidem pedibus consistere valens, *Ne tentemus Deum,* inqvit: *cùm tempus aderit, fiet qvod volet Deus.* Reposita itaqve est, omnesqve sibi invicem felicia precati ad qvietem abierunt.

1 *Januarii* 1628.

2 Manè factô Verbi Minister, Johannes Chrisostomus, matutini voti & precum causâ ad Virginem ingressus, videt eam vestitam & per conclave spatiantem. Attonitusqve in ipsa janua subsistit. &, *Tenè Virgo an spiritum tuum conspicio?* inqvit. *Me vides,* respondet illa: *Det tibi Deus bonum manè, felixqve novi Anni auspicium!* Ille: *Omnipotentiæ itaqve divinæ in te video exemplum! speroqve simile specimen in Ecclesia sua editurum Deum, ut æqvè insperatò à lapsu & ruina sua resurgat.* Illa, *Surrexitne Parens meus?* cognitôqve curriculô per gradus ad superiora conclavia cucurrit, & ad illum ingressa insperatum attulit gaudium. Unde simul ad Baronissam progressi, illi qvoqve lætitiæ & laudum Dei obtulerunt materiam: demumqve sacra Concio habita, illâ qvoqve præsente, prandio cum cæteris accumbente, valetudineqve firmâ perfruente.

3 Qvô visô Pater ejus, perqve dies qvinqve cum illis adhuc moratus, solatiorum jam plenus domum redire constituit, Januariiqve 6. viæ se dedit: sed præmissâ memorabili valedictionis formâ, qvæ talis fuit.

4 Petebat convocari omnes conscios; *Baronissam nempe cum filia, Pastores, & famulas Virgini ministrantes, cum Aulæ Magistra, & Medico.* In qvorum præsentia duo hæc egit. *Primùm*, ignorantiam suam priorem circa hoc Dei opus confessus, & ad filiam sermone conversô, hortatus eam est: ut qvandoqvidem Deo ipsam sibi hac in re in organon eligere placuisset, non tantùm morigeram se præberet Deo, sed & fidelem per omnia: nihil de suo addens, nihil demens, nihil immutans. Respondit Virgo: *Dilecte Pater, nihil hâc parte subest periculi. Ego enim dum calamum sumo, nescio qvomodo citra meam curam omnia in chartam effluunt: ut addere aut demere, vel mutare aliqvid, non sit arbitrii mei.*

5 *Alterum* qvod monere animum induxerat D. Julianus, omnes eos concernebat. Periculum ipsis ponebat ob oculos, qvod incurrere possent: si hæc emanarent in vulgus; aut etiam saltem ad aulam *Principis Waldsteinii,* in proximo habitantis (per milliaria qvatuor Germanica) venirent. Rogare itaqve & obtestari omnes, ut summam velint adhibere cautionem, ne qvid vel scriptum efferri, vel rumore communicari, paterentur, &c.

6 Egit pro hac tam utili admonitione gratias Baronissa: agnoveruntqve omnes summè necessarium, seqve ad fidem & circumspectionem cohortati, mutuò veluti juramentô ad silentia obstrinxerunt: demúmqve ille itineri suo, tanqvam rebus undiqve rectè constitutis, animô tranqvillô se dedit.

7 Qvid autem humana hæc prudentia potuerit, patuit brevi pòst, cùm 21 Januarii

nuarii Virgini ad Principem (à cujus diritate imprimis metus fuit) epiſtolam exarare, ipſamqve met Gitſchinium (Principis ſedem) deferre, mandatum fuit. Cujus rei narratio paulò pòſt ſeqvetur.

8 Nunc aliud interponere libet, ſcriptum D. Juliani Poniatovii; qvod ille, hoc ſua in filia editum Dei opus ſpectans, concinnaverat, propriâqve illius manu conſignatum à morte ipſius (qvæ in ſeqventem mox menſem Februarium, illiusqve diem 16 inciderat) repertum & ad nos transmiſſum eſt, his formaliſſimis Latinis verbis. (NB. Conceperat id tanqvam non ſuô, ſed alicujus alterius nomine: Manus tamen ejus, & ſtylus Latinus, & omnia, illius eſſe oſtendunt.)

CAP. X.

Argumenta qvibus ad credendum convincor, Revelationes Chriſtinæ Poniatoviæ eſſe divinas: hoc eſt, divinitùs patefactas.

P*Rimum & præcipuum ducitur à FORMA ſeu Revelationis modo, qvi firmam revelatorum fidem adſtruit. Forma* enim ut commune & veriſſimum confirmat axioma, *dat eſſe unicuiqve rei.* Neqve verò illotis qvod ajunt manibus; ad Revelationes acceditur: ſed antecedit admirabilis, eáqve triplex, ſeu tribus conſtans diverſis partibus, præparatio. Appropinqvante enim tempore Revelationis, *primò* præmittitur magna anxietas, gravedo cordis, ingens tædium, ad conſternationem uſqve: qvæ ut plurimùm conſolationibus ex Verbo Dei deſumtis, piis precibus, Pſalmorum ejuſmodi negotio convenientium cantu, jucundis & devotiſſimis colloqviis, ſuſpiriis, votis, ab adſtantibus mitigari ſolet. Simile qviddam videtur in Elia Propheta, qvem cum Jehova turbine in Cœlum ſublaturus eſſet, ſcimus præ nimiâ (ut credibile eſt) anxietate ac tædio hinc inde diſcurriſſe, jam Gilgalem, jam Bethelem, jam Jerichuntem, jam Jordanum acceſſiſſe, cupiviſſeqve fideliſſimum famulum ſuum Eliſæum à ſe removere. Durat porrò hæc anxietas in Chriſtina, circiter integrarum duarum horarum ſpatiô, ut ego obſervavi, & ultra. *Deinde* ſeqvuntur dolores & cruciatus acutiſſimi & intenſiſſimi, qvi inſtar ignis æſtuantiſſimi, & turbinis impetu magnô irruentes, anxiam & tædiô laborantem excipiunt & corripiunt: qvoad externam ſpeciem æqvantes, ſive ſuperantes, parturientium acerbiſſimos dolores. Multos eqvidem vidi acutorum morborum paroxyſmos, triſti ejulatu, horrendis convulſionibus, aliiſqve miſerabilibus ſignis, qvantam adferrent afflictionem conteſtantes, nihil tamen ſimile me unqvam conſpexiſſe, bonâ fide teſtari poſſum: ita ut præ admiratione ſtuperem, verbaqve qvibus afflictam conſolarer, me prorſus deficerent. Durant hi acerbiſſimi cruciatus unius horæ qvadrante, vel paulò ultra. Poſt graviſſimum hunc agonem in momento ſeqvitur qvies, in qva nulla anxietas, nulla cujuſqvam gravedinis, nulla tædii, nulla dolorum aut cruciatuum apparent indicia: ſed ſimilitudo qvædam videtur tran-

qvillè

qvillè dormiturientis, & placidissimè animam agentis. Nam manus à digitorum extremitatibus factô initiô sensim frigescunt, sensus omnes paulatim deficiunt: ita ut respiratio qvidem (sine qva vita hæc mortalis non agitur) animadverti posset, pulsus tamen arteriarum, tum motus cordis, aut nullus, aut vix tactu etiam accuratè excitato perceptibilis, cujus rei testis est Michaël Libavius, M. D. qvi interfuit, & diligenter omnia exploravit. Qvin etiam mihi visus est color ipse faciei mutari, & in locum vividi, pallidus, mortuis potiùs ac vitâ functis, qvàm vivis similior succedere. Et hæc est illa de qva dixi triplex præparatio, sive unius præparationis tres diversæ partes: qvæ nulla humanâ arte aut fraude, nullâ simulatione, aut ad imponendum circumstantibus fictione, perfici adornarìve possunt.

Seqvitur has præparationes velut plena mortificatio animalis hominis: per qvam illa ex hac mortali vita erepta ac liberata qvodammodò videtur, omni auditu corporali destituta, similiter visu corporali carens, tactu corporali privata, ita ut nihil prorsus sentiat, dum manus ejus contrectantur, dum oculi velantur, dum nomen ejus inclamatur. In tali autem mortificatione repentè evolantis instar exsurgit, & velut obrigescit, dextram porrigit, oculos ad spectandum intendit, aures arrigit, manus veluti precibus intenta complicat, & omnia hæc, qvæ postea scriptô consignat, sibi in hoc raptu revelata, dicta, audita, visaqve esse affirmat. Atqve hoc argumentum à tam admirabili modo desumtum, apud me est validissimum. Si enim sensus in sua haberet potestate, suspicarer aliqvam esse technam, seu fictionem. Nunc cùm ferè vitâ hac corporali absolutam, ex eaqve qvodammodò subtractam viderim, & certissimis experimentis deprehenderim: idqve, ut credibile est, eô fine, ut spiritualibus ejusmodi actionibus, tàm exercendis qvàm recipiendis, aptior reddatur; aliter judicare non possum, qvàm totum opus illud esse supernaturale ac divinum. Hîc verò occurrerunt mihi in mentem verba Mosis, qvæ de Balaamo Propheta. *Num.* 24 capite scripta reliqvit. Vocat enim ipsum *Virum apertis oculis, qvi sermones Dei fortis audit, & visionem Omnipotentis videt, Excidentem seu retectum oculis.* Qvæ qvidem verba si secundùm literalem sensum intelligenda sunt, ut inter omnes interpretes constat, nunqvam magis expressam istius *Excisionis*, sive *animalis hominis interitûs, Oculorumqve ad spectanda cœlestia retectionis*, cogitari posse imaginem arbitror, qvàm qvæ in hoc spirituali raptu nobis exhibita, propositaqve fuit.

Visionibus finitis redit spiritus vitalis in corpus, redeunt eôdem momentô omnes vitales functiones. Nam ad se reversa, magno cum anhelitu, velut ex deambulatione fatigata, respirat, sermonem recuperat, aurium oculorumqve munia exercet, cæterisqve vitæ actionibus & sensuum exercitiis fungitur: licet ad aliqvantum temporis intervallum adhuc debilitata labore videatur, sui tamen jam compos nullis ampliùs affligitur doloribus. Durat hic raptus spiritualis tantô fermè tempore, qvantô durârunt maximi illi & inenarrabiles cruciatus. Summa dictorum in brevem hunc Syllogismum commodè reduci potest. *Qvod homo pius extra se raptus, & vitâ animali usuqve sensuum corporalium privatus, de rebus divinis ac cœlestibus*

bus se vidisse, audivisseqve sanctè affirmat, illud necesse est Deo authori tribuere. Res verò in proposito negotio omninò sic se habet. Itaqve hoc alteri tanqvam principali & supremo agenti transcribi non potest.

II. Secundum Argumentum petitur à MATERIA, hoc est, *rebus ipsis revelatis, & congrua verborum gravitate expositis.* Nam res sunt Majestate & gravitate plenissimæ, captum ingenii humani transcendentes. Ut (1) qvòd persequvutores Ecclesiæ Christianæ gravissimæ maneant pœnæ; id qvod tùm Symbolis, tùm apertis verbis declaratur. (2) Qvòd Corona Vitæ æternæ constantibus & perseverantibus in fide Christi, parata & reposita sit. (3) Qvòd gaudia cœlestis ac beatissimæ vitæ sint ineffabilia. (4) Qvòd Deus electos suos anteqvàm nascuntur, optimè novit, eorumqve paternam curam gerit. (5) Qvòd Christus Filius Dei, speciosus formâ præ filiis hominum, sit solus Ecclesiæ Sponsus. (6) Qvòd nomina credentium in Christum, in libro vitæ scripta sunt. (7) Qvòd ex destinata malitia adversùs Deum peccantes, æternùm sint damnandi: & alia plurima, his similia. Ex qvibus manifestum est, nihil his Revelationibus contineri, qvod puritatem Fidei lædat; qvod aliqvem Christianæ Religionis articulum evertat; qvod Scripturis S. contradicat; qvod bonos mores subvertat, Pietatiqve damnum aliqvod inferat. Qvin potiùs omnia revelata cum Scripturis Propheticis & Apostolicis optimè consonant; peccatores ad agendam pœnitentiam monent; afflictos propter Verbum Dei spe liberationis à Deo destinatæ consolantur. Neqve verò hæc obscurè aut ambiguè exposita sunt, sed simplicibus & claris verbis, accedente typorum, qvi res ipsas concinnè declarent, non ineleganti similitudine, prout unicuiqve has Revelationes legenti, & diligentiùs expendenti, manifestum esse potest. Qvæ omnia tàm sublimia, tàmqve abstrusa, nonnisi authore Deo revelari, extra omnem dubitationem apud omnes pios positum videtur.

III. Tertium Argumentum ducitur à SUBJECTI, seu Personæ cui revelatio fit, qvalitatibus. Nempe Virgo hæc à teneris piâ institutione ab omni specie mali abhorrere edocta est. Vitam hactenùs innocentem, piamqve egit, in qva nulla ad vafritiem, fingendos dolos, aut ad mendacia comminiscenda, proclivitas deprehensa est. A superstitionibus, in Religionis professione, animô est alienissima. Nunqvam lectioni fabulosarum revelationum, fictarumqve historiarum, vacavit. Ætatis teneræ, & rerum imperitæ, utpote annum 16 ætatis agens, qvæ talibus rebus fingendis, ac talibus verbis naturali ingenio formandis, omninò inepta est. Insuper temperamenti secundùm naturam non est Melancholici, sed magnâ parte sangvinei cum phlegmate; in qvam crasin ejusmodi imaginationum & phantasiarum ludibria & spectra non cadunt. Qvin etiam extra hos ecstasium paroxysmos ab omnibus agnoscitur hilaris, affabilis, & in tota conversatione familiarissima. Neqve verò ulla cogitari, aut saltem fingi potest causa, qvâ ad simulandum ejusmodi revelationes inducatur: sed potiùs gravissimæ reperiuntur rationes, quibus si possibile esset ad abhorrendum ab hujusmodi Visionibus impellitur. Primùm, Parentis metus, qvem illa novit ejusmodi revelationibus extraordinariis non delectari, illis non favere, & nisi apertissimis confirmentur argumentis, & cum Dei Verbo, Scri-

ptis

ptis Propheticis & Apostolicis comprehenso, concordent per omnia, pro suspectis ac nulla fide dignis habere: qvi certè si fucum aliqvem olfaceret & deprehenderet (qvod ipsi in ea qvâ præditus est ætate, & mediocri hujusmodi rerum experientia, non esset difficilè singula accuratè observanti & expendenti) non solùm indignissimè ferret, sed graviter ulcisceretur, tantamqve illusionem impunè abire non sineret. Accedit timor antecedentium cruciatuum, & gravissimorum dolorum, ut supra dixi: qvi doloribus mortem accelerantibus, qvâ tamen nihil est terribilius, æqvantur. Sine his omnibus esset, illisqve jucundè careret, nisi ad has revelationes tali (sapientissimo licet & inscrutabili Dei judicio interveniente,) disponeretur apparatu. Nec desunt ipsi graves Parentis admonitiones, ut in Catechismo potiùs intelligendo, in Psalmorum lectione & cantu, in Verbi Dei diligenti auditu, & seriâ ex vera fide promanante obedientiâ, occupetur, qvàm in occeptandis aut scribendis Visionibus. Illa enim via certa, ejus vocationi conveniens, sexui & ætati accommoda, piorum omnium communis, & Verbô Dei commendata approbataqve: hæc per extraordinarios Enthusiasmos periculosa, personam ipsius minùs decens, inusitata, & paucis tantùm concessa, qvæ in hac extrema mundi malitia nescitur qvàm multa post se tractura esset incommoda & pericula. Cumqve diceret idem Parens, se nullam inde capere voluptatem aut lætitiam, sed potiùs non exiguæ tristitiæ sibi subministrari materiam, dum aspiceret filiæ dolores & cruciatus, dum videret illius ad expediendos vocationis labores indispositionem, dum animadverteret ad præstanda Dominæ (in cujus curam tradita est) debita officia ineptitudinem; dum insuper expenderet varia hominum judicia, qvæ ipsi effugere impossibile est, ut alia plurima silentio involvantur: Qvare ex officio Paterno diligenter admonuit ad ferventes ad Deum preces, ne inducatur in tentationem: Tentationem enim potiùs & probationem qvàm revelationem id totum, dixit se arbitrari. Ipsa modestissimè respondit: Neqve se ejusmodi Revelationes expetere, aut unqvam expetiisse, utpote Verbô Dei scriptô contentam: sed qvando Deo aliter de ea disponere videtur, an reluctari, aut se subtrahere, possibile sit? An Creatura Creatori parere non cogatur? Leone rugiente qvis non timeret? Deo qvi omnium est absolutus Dominus edicente, qvis non prophetaret? Ad extremum illud certissimum est, illam nunqvam integrè sacra Biblia legisse, ut ex variis locis Scripturæ talia concinnare potuerit. Neqve Kotteri Revelationes, qvæ multorum in illo angulo manibus teruntur, unqvam vidit, aut legit, licet multorum de illis sparsos & jactatos sermones se audivisse confessa sit. Unde ergò illi tantorum mysteriorum revelatio? Unde de tam abstrusis, & insanienti mundo incognitis rebus, gravis oratio? Non nisi profectò à Deo id provenire fateri necesse est. Cumqvè Pater ipsius fusiùs disseruisset de Verbi Dei scripti perfectione, in omnibus, qvæ salutis humanæ necessitatem concernunt, sufficientissima, & de maximis consolationibus, qvæ in eo veluti divite promptuario adversùs omnes afflictionum impetus depositæ sunt (à qvo proinde neqve ad dextram, neqve ad sinistram declinare liceat, sine præsentissimo salutis periculo: dum ad hoc solum Christus, ad hoc Apostoli, ad hoc Prophetæ, nos remit-

mittunt) illa se qvoqve non aliter credere, animatámqve esse, respondit. Absit enim ut salutis suæ certitudinem aliunde qvàm ex Dei Verbo petat: istis tamen revelationibus in ea certitudine, qvam per fidem ex Verbo Dei hausit, se corroborari & confirmari. Plurima alia à Patre ipsius dicta sunt, qvæ referre longum esset, qvibus illa se omninò consentire constantissimè professa est: promissione additâ, se nunqvam admissuram ullis revelationibus à Verbo Dei, per Prophetas & Apostolos tradito, abduci. Hoc argumentum non exiguam apud me vim habet, maximè cùm & Paternam bonitatem Dei erga pios, eumqve seriò timentes considero, & promissiones fideles, qvibus protectionem adversùs hostes spirituales, & qvasvis tentationes pollicetur, expendo. Non enim deseret inqvirentes & invocantes nomen suum.

IV. Qvartum argumentum sumitur à MIRACULIS, seu eventis miraculosis, & communem natura in agendo modum superantibus, qvibus ejusmodi Revelationum veritas evidentissimè obsignari videtur. Miraculosum enim dicere non vereor, (1) Juvenculam integris præditam viribus, subitò privari pedum usu: eóqve per integras sex hebdomadas ita destitui, ut ne consistere qvidem ad momentum potuerit: & mox prout ipsi in visione dictum erat, absqve ullis medicamentorum remediis, usum pedum vel in continenti recuperare, qvod illi Calendis Januarii contigisse, multi non sine admiratione viderunt. Scio per dolores podagricos, itemqve per convulsionum acerbitatem, multis repentè usum pedum adimi: sed in hoc de qvo agimus negotio, nulla istarum causarum locum habere potest. (2) Miraculosum judico subitò privari lingvæ officiô, & sermonis usu, qvô defectu per octiduum afflicta est, ita ut nutu, vel scriptô ipsam indicare oportuerit, si qvid volebat: repente tamen rursum lingvam solutam habere, ac rectissimè loqvi. (3) Miraculosum censeo repentè destitui Auditu, nullâ antecedente hujus morbi causâ, adeò ut si qvid adstantes ipsi significare vellent, in tabula id scribere necesse fuerit: & rursum liberationis accedente periodô confestim optimè audire, qvod me præsente contigisse negare non possum; & ante adventum meum idem accidisse, indubitatæ fidei testes affirmant. (4) Miraculosum arbitror, anxietates, cruciatus (de qvibus supra) ex improviso irruere, miserámqve torqvere, ita ut nec ulla videatur qvietis spes, nec ullus reperiatur locus, ad mitigationem dolorum commodus. Et contra in momento ab iisdem omnibus malis ecstasi veniente liberari. (5) Imò verò qvis negare potest miraculosum esse, vitâ in instanti, ut supra dixi, privari: & mox post peractam & exhibitam revelationem, vitæ sensibusqve restitui? Hæc certè vix aliqvis credere potest, nisi qvi coram oculis hæc conspexit, & manu qvod ajunt palpavit. Superant enim communem naturæ cursum, superant vires, superant usitatum agendi modum. Non enim natura suas operationes in instanti exseqvitur, sed successivè: non sine justis & convenientibus mediis, sed per media, qvæ in hoc negotio nulla prorsus adhibentur: non saltat ab uno extremo ad alterum, sed lentè & per intervalla progreditur. (6) Neqve verò secundùm naturam esse existimo, tanto tempore lecto fuisse affixam, nempe integris sex hebdomadibus: tot graves & acerrimos sustinuisse paroxysmos, nullum tamen ex ægritudine pallorem, nullam in decenti corpulen-

pulentia macredinem, nullam in colore faciei & juvenili elegantia (exceptô tempore paroxyſmi ecſtatici) diminutionem, mutationemve, experiri: ita ut videatur multò nunc habilior & ſpecioſior, qvàm ante hunc tàm admirabilem morbum, ſi morbus dicendus eſt, fuit. (7) Inſuper non ſecundùm naturam eſt, qvadriduanum in æſtate tolerare jejunium, absqve omni cibi potusqve uſu, & tamen nullam ex tanta inedia debilitatem, nullam in facie mutationem, ſentire. (8) Somnô adeò exiguô toto hoc tempore uſa eſt, ut vix per noctem unâ, rariſſimè duabus, dormierit horis. Inde tamen nulla capitis gravedo, nulla corporis indiſpoſitio, ſeqvuta eſt. Hæc ergò omnia dum conſidero, non dubito miraculoſa appellare. Non enim temerè aut caſu accidere credibile eſt: ſed ſapientiſſimo conſiliô à Deo præter ordinem naturæ communem infligi, effici, præcipi, proponiqve, ut tantò probabilior Revelationibus concilietur fides.

V. *Qvintum argumentum deduco ex METHODO praxi divinæ convenientiſſima: qvæ multis exemplis in Scripturis S. declarata eſt, & ex iisdem Scripturis confirmari poteſt.* Revelationes enim divinæ incipiunt ut plurimùm à terrore qvodam & conſternatione, ut homines per id ad pœnitentiam & veram humilitatem coram Deo, excitentur: Finis verò earum eſt, jucunda lætitia, inenarrabilis voluptas, & conſcientiæ tranqvillitas. Contrà, Diabolicæ initium ſumunt ab illecebris, blanditiis, & momentanea voluptate: deſinunt autem in luctus, tormenta, & cruciatus acerbiſſimos. (2) Deinde actiones divinæ, in ejusmodi inſtitutione, à minimis communiter notis omnibus inchoantur, paulatim verò ad altiora & majora fit aſcenſus, uſqve dum ad ſumma & abſtruſiſſima perveniatur. Qvod non ideò fit, qvaſi Deus, cui nihil eſt impoſſibile, non valeat in ictu oculi hominem ſummæ & abſolutæ perfectionis capacem reddere, & nonniſi per gradus ad deſtinatam myſteriorum ſuorum cognitionem ſuos perducere qveat: ſed qvia hac etiam in re ſapientiſſimè & clementiſſimè infirmitati & modulo noſtro ſeſe accommodat, ſecreta ſua prodigi inſtar non profundit, ſed ad juſtam neceſſitatem inſtillat, in debita humilitate hoc modo continere dignatur: & deniqve per revelationem eorum qvæ magis obvia videntur, ad expetendam ſublimiorum notitiam, pium accendit deſiderium. E contra mendacia plerumqve ordiuntur à rebus ſummis, & tandem in fumos, ſeu potiùs nihilum, rediguntur. (3) Divini moris eſt primùm mortificare, deinde vivificare, deprimere & erigere, atterere ac ſanare, & ut piè canit Anna Elkanæ uxor, 1 Regum 2. *Jehova morte afficit, & in vitam reſtituit: demittit in ſepulchrum, & educit.* Dei adverſarius Diabolus contrariam omninò amplectitur viam. Nam vitam primò promittit, ut mortem acceleret: alta oſtentat, & elatos immittit ſpiritus, ut perpetuum deprimat: robur ſe ſuggerere ſimulat, ut confidentiâ virium in æternam conjiciat infirmitatem: in ſumma, Cœlum pollicetur, in Infernum autem, unde nulla redemtio, detrudit. (4) Deus plerumq; humiles & abjectos coram oculis mundi aſſumit, ut eos myſteriorum ſuorum conſcios efficiat. (*Humilia* enim *reſpicit, & alta à longe cognoſcit*, ut inqvit Pſalmiſta. Nam *ſtultitia Dei ſapientior eſt qvàm homines, & infirmitas Dei validior qvàm homines*, ut fusè docet Apoſtolus 1 *Cor.* 1. *v.* 25.) Contrarium obſervat modum Satanas, mundi hujus Princeps ſuperbiſſimus: qvi aſpernatur humiles, inflatis autem & tumidis ſpiritu favet, eorumqve mini-

ſterio in exſeqvendis pravis ſuis conſiliis apprimè delectatur; ut videre eſt in Tyrannis, Sophiſtis, & Hypocritis. Ita ut qvemadmodum iſti duo contrarii ſunt Domini, ita contrarias in ſuis operibus obſervent methodos. Qvod ſi qvis hæc omnia ad examen harum, de qvibus ſermo eſt, Revelationum, adhibeat, animadvertet divinam praxin: tùm in toto hoc revelationum exercitio, tùm in ſingulis ſpiritualibus raptibus. Nam initium totius hujus negotii factum eſt ab adſpectu Virgæ cruentæ, in Cœlo apparentis, unde magnus tenero animo impreſſus eſt terror & conſternatio. Singuli raptus à doloribus maximis ſumunt exordium: qvos poſtea in Viſionibus exhibitis, maxima ſeqvitur lætitia. Præcedit mortificatio, non ſine ingenti metu & pavore accedens: comitatur vivificatio ſingulari revelatione myſteriorum Dei ornata, & donorum Dei gratuitorum prærogativâ, inſignis. Admirabile profectò eſt, Virginem omnia ea qvæ mortuæ ſimilis viderat (ignara prorſus utrum in corpore an extra corpus ſit) recentiſſimâ tenere memoriâ; longas orationes in raptu auditas, ſine ulla verborum mutatione, & qvæ ipſa dixit & qvæ audivit, referre. Ea qvæ Spiritûs & interni hominis ſunt exactè noſſe, qvæ autem ſunt corporis, ſeu exterioris hominis, & ad animalem pertinent vitam, prorſus ignorare. Qvis obſecro tantæ taliqvè inſtitutioni, præter Deum, par eſſe poteſt? Methodus divina eſt, non à Verbo ſuo avocare, ſed illius illuſtriorem largiri effectum, qvemdmodum antiqviſſima eſt ars Diaboli, Verbô Dei in ſuſpicionem & dubitationem adductô, pernicioſa ipſius conſilia amplecti. Admiratus ſum in his ipſis Viſionibus Pſalmorum cantum, Scripturarum ſacrarum commemorationem, integrarum ſententiarum allegationem, de graviſſimis fidei noſtræ capitibus. Nempe *de Chriſti merito, & noſtra per ejus ſangvinem emundatione, de Creatione, Redemptione, Sanctificatione, de Amore Dei erga Electos; de Pœnitentia, qvòd donum Dei ſit gratuitum: De fidelitate Dei in promiſſis: De admirabili Dei conſilio, exercentis pios in hoc mundo variis afflictionibus; & plurimis aliis Religionis Chriſtianæ dogmatibus.* Dicta verò Sciptur æ tàm aptè negotio de qvo tractabatur accommodata erant, ut ab exercitatiſſimo Theologo aptiùs id præſtari vix eſſet poſſibile. Et qvæ ſui compos vel præ pudore, vel præ ignorantia, de tàm arduis rebus, vix verbum proloqvi poſſet; extra ſe rapta, & ſenſuum uſu privata, ac in Schola cœleſti erudita, accuratiſſimè de illis diſſeruit, ſcitiſſimè exceptiones ſolvit, graviter abſtruſa judicia Dei enuntiavit. Qvis hîc non divinam vim, admirabilemqve inſtituendi *methodum* cernat, agnoſcatqve? *Si ſimplicitatem, ſi ætatis teneritudinem, ſi ſexûs infirmitatem qvis objecerit;* tantùm aberit, ut à concepto judicio propter hæc me dimoveri patiar, ut potiùs tantò admirabiliorem Dei ſapientiam, in tanta imbecillitate ſeſe exſerentem, magis magiſqve agnoſcam: qvi infirma mundi eligit, ut pudefaciat valida: & qvæ ignobilia ſunt in mundo, & pro nihilo habita, eligit Deus, & ea qvæ ſunt aboleat, ut non glorietur ulla caro in conſpectu ejus.

VI. Sextum Argumentum eſto à CONCOMITANTIBUS. Nam multa à præſentibus illi obſervata ſunt, qvæ multo tempore anteqvam facta eſſent prædixit: qvibus veritas ita fidem approbavit, ut à nemine prorſus negari cum ratione poſſint. *Primùm* præſcit & prædicit ſuarum ecſtaſium periodos accuratiſſimè, qvando,

do,& qvanto cum præcedente dolore,ſunt obventuræ: qvapropter indicat(vel ſine dolore,vel cum dolore majoreaut minore) ſe ab adſtantibus amicis abituram. Deinde Parentis ſui adventum prædixit, adeò ut triduo ante ipſius Tremeſnam adventum, Generoſa Domina Zarubia hac de re cuidam ex amicis nuntiatoriam ſcripſerit epiſtolam. Et cùm multi dicerent, impoſſibile eſſe in tanta itinerum malitia,tàm brevi tempore longum ex Moravia in Bohemiam iter confici. Illa reſpondit, ſe certò ſcire illum jam in itinere eſſe, & 26 Decemb. venturum, qvod & factum eſt. Adhæc triduo anteqvam è lecto ſurgeret, & uſum pedum recuperaret, prædixit ſe officio pedum Kal: Jan: uſuram, & viribus ſuis ſine ſuſtentatione cujusqvam, ad alterum hypocauſtum abituram, communemqve cum aliis menſam acceſſuram. Qvod ne qvis fortè leve arbitretur, operæ pretium eſt ſcire, eam multoties inqviſiviſſe, qvando feſtum Circumciſionis celebrabitur? magnô enim deſideriô diem hunc exſpectabat, affirmabatqve ſe eo die è lecto ſurrecturam, ſanamqve inceſſuram. Cum omnibus nobis id impoſſibile judicaretur, illa (ſolâ revelatione ſubnixa) à ſua affirmatione dimoveri non potuit. Venit tandem ultima dies Decembris qvâ illa erigi ſe lecto, & in pedes conſtitui jubet, exploratura numqvid virium aliqvid ad ſubſiſtendum in pedibus adſit: ſed mox advertit adeò ſe imbecillem, ut ne ad momentum qvidem pedum officiô uti valeret. At qvando dies Calendarum Januarii illuxit, nullô juvante ſurrexit, inceſſit, ac qvaſi nullam unqvam ſenſiſſet pedum infirmitatem, qvocunqve libuit, liberè ambulavit, imò diſcurrit, non ſine maxima ſpectantium admiratione. Generoſum D. Wenceſlaum Zarubam, qvem nunqvam antehac viderat, in ſomnio conſpectum, ita filiæ ipſius (qvalis eſſet, qvantæ ſtaturæ, qvalibus uteretur veſtimentis, & per omnia alia corporis & adjunctorum lineamenta) deſcripſit, ut vivis, qvod ajunt, coloribus clariùs & expreſſiùs depingi non potuerit. Qvare, præter omnium ſpem & exſpectationem, ingredientem Muſeum, in qvo ægra decubuit, ſine ullo monitore agnovit & ſalutavit. Dicitur & mortis ſuæ diem revelatum habere, ſed ne cuiqvam propalaret, ſibi eſſe interdictum. Ego qvidem, ut verum fatear, nihil ab ea ſciſcitare volui, ne fortè in gratiam mei aliqvid comminiſci aut fingere videretur: ſed qvibuscum paulò familiariùs converſatur, multa talia admiranda ab ea prædicta commemorant, qvibus exactiſſimè eventa reſponderunt. Qvod qvidem, ut ego arbitror, humani ingenii captum ſuperat, nec alteri qvàm altiori cauſæ (qvæ omnia ſcit,omnia novit, omnia poteſt, & cui vult futura revelat) adſcribi neceſſe eſt.

VII. Septimum Argumentum peto ab ADVERSIS, *hoc eſt, graviſſimis Satanæ tentationibus, qvæ ægræ non exiguam luctandi & feliciter eluctandi occaſionem præbuerunt.* Circuit adverſarius humanæ ſalutis Diabolus tanqvam Leo rugiens, qværens qvem devoret. Nuſqvam deeſt ut opera Dei calumnietur, & piorum erga Deum confidentiam labefaciat, vel infringat. Deus verò ſapientiſſimè permittit, ut ſonticus hoſtis ſuam adverſùs credentes expromat malitioſam artem: tum *ne magnitudine revelationum extollantur*, qvemadmodum & Apoſtolus de ſemetipſo ſcriptum reliqvit (*2 Cor.* 12.) tùm ut tentati tantò manifeſtiùs cognitâ ad reſiſtendum propriis viribus imbecillitate, ſi præſentiſſimum Dei abſit auxilium, tantò ardentiùs

 opem

opem implorent. Hinc illud Apostoli: *Super hoc ter Dominum rogavi ut abscederet à me* (scilicet Angelus Satan;) *sed dixit mihi, sufficit tibi gratia mea, nam potentia mea per infirmitatem consummatur.* Tùm deniqve ut per fidem pugnantes, & resistentes, gloriosam ex certamine reportent victoriam: *Non enim coronabitur, nisi qvi legitimè certaverit.* Si deesset adversarius, deesset pugna; si deesset pugna, deesset victoria, deesset corona. Qvare & hoc ipsum, qvòd tentantur & pugnant, diligentibus Deum cooperatur in bonum. Non deerat itaqve & huic divino, in Virgine supra nominata instituenda, exercitio Angelus Satan. Nam cùm per dies plures sermone privata esset, & vehementer hâc cruce affligeretur (ita ut adstantium imploraret communes ad Deum preces, ut lingva ipsius solveretur, qvâ enarrare posset mirabilia opera Dei) cùmqve sibi indictum qvadriduanum observaret jejunium, commodam ratus se nactum occasionem Diabolus, dicitur eam accessisse, à præceptorum injunctorum observatione avocare voluisse, *vana hac omnia esse qva illi revelantur, & promittuntur, persvadere conatum.* Illâ verò instantiùs orante, & Dei clementiam ne induceretur in tentationem invocante, tandem effusô cachinnô Satanam risisse, & cum indignatione claris & intelligibilibus verbis dixisse: *Tu jam es muta, sed mox efficieris surda & caca, ut te miserabilius nihil sit futurum.* Cùm autem illa soli Deo confisa, ardentissimis precibus ejus sese protectioni commendaret, & in ejus paternam bonitatem semet resignaret, confusus evanuit tentator. Alterâ vice, adeò magnum orandi obrepsit fastidium, ut nec Orationem Dominicam pronuntiare, nec libros precum & Psalmorum, qvos ad manum semper præstò habet, legere, imò ne aspicere qvidem valeret, magnô qvodam & inusitatô (extra præparationis ad Visiones tempus) exortô tædiô, etiam pios cantus, & sanctas qvæ suggerebantur consolationes, audiendi. Qvod ipsa adstantibus confessa est, obnixè rogavit ut pro ea apud Deum intercederent, qvô ab hac molestissima tentatione liberaretur. Cùmqve id factum esset, statim hilarior reddita, se ab impio hoc fastidio liberatam agnovit. Nec dubito inter tentationes, velut surculos carnis, adscribere sæpiùs occurrentes ploratus, qvorum causam vix reddere potest; anxietatésqve repentinas (præter ea momenta qvibus ad capiendas Revelationes disponitur) velut ex improviso irruentes; nonnulla impatientiæ indicia, ex multorum acerbitate obrepentia; & alia qvædam his similia, qvæ tamen adstantium, & sedulam operam præstantium (in suggerendis efficacissimis consolationibus, in Psalmorum cantibus, in ferventibus precibus, & piis colloqviis) diligentiâ mitigantur; ac ipsius ægræ in Christum fide, & assiduâ oratione, superantur. Hoc argumentum, utut leve cuiqvam videatur, apud me tamen non exiguum habet pondus: qvi tùm ex sacris Scripturis, tùm ex probatis Sanctorum exemplis, tùm ex propria experientia didici, ex tentationibus & spirituali lucta, longè magis divina opera posse agnosci, qvàm ex contrariis juxta se positis certam probatámqve veritatem elicere. *Qvi enim tentatus non est, qvid scit?* Unde illud qvoqve: *Vexatio dat intellectum.* Sed qvi tentationem permittit, etiam ad superandum & eluctandum vires, invocatus, subministrat.

VIII. Octavum Argumentum sumo ab EFFECTIS, *ex qvibus (si rationis ductum seqvi non recusamus) infallibile de causa judicium ferri potest.* Effecta verò duplicia hoc in nego-

negotio advertere licet. Qvædam enim immediatè ad interioris hominis ornatum & perfectionem spectant; ut quæ *Voluntatis* affectum & desiderium, *Mentis* illuminationem, *Memoriæ* fidelem tenacitatem, concernunt. Qvædam etiam *in exterioris hominis membra*, sensibus omnium exposita, admirabili modô resultant: ut manus, faciem, lingvam, oculos, aures, adeòqve totum ipsius Corpus.

(1) In *Voluntate* adverto ingens desiderium perpetuæ cum Christo conjunctionis, & inseparabilis unionis, verbis & gestibus declaratum. Huc enim refero sæpiùs repetita verba: *Veni, veni citò Domine Jesu! Assume me tecum, assume quæso, ne differas! Libenti & hilari animo tecum abire sum paratissima. Mane mecum*; & multa his similia. Hoc idem testantur gestus, qvibus magnô cum conatu velut exire, & obstacula impedientia perfringere adnitebatur: ita ut multorum robustorum vires fatigaret, sine tamen ulla propria lassitudine. Deinde tædium magnum præsentis vitæ, ut meliore frui posset. Hoc testabantur verba ad Sponsum prolata: *Adhuc cogor exspectare? Ah væ! assume quæso nunc! Nimiùm protrahis! ò utinam nunc me assumas! Etiamsi renuas, ego te seqvar; scio me repulsam à Te non passuram. Ego nunc Te seqvi volo, non postea.* Qvando verò de rebus hujusmodi sermones habuit, vidimus vultum ejus hilarem, os ad jucundissimum risum compositum, manus ad salutationes & amplexus decenter aptatas, & totum corpus lætitiâ qvâdam inenarrabili circumdatum. Qvemadmodum qvando ei significabatur adhuc longior in hac vita mora, vidimus lachrymas ex oculis ejus profluentes, faciem mœstam, sæpiùs iteratas voces: *Longum id tempus erit, longa erit mora*; prout ex concisis illis verbis, qvæ in visionibus protulit, & fideliter ab adstantibus excepta sunt, manifestè constat.

(2) *In Mente & Intellectu*, admiror supernaturalem illuminationem, ad cognoscendum qvæ & qvanta electis à Deo in vita illa beata præparata sunt bona, ad quæ consideranda alios qvoqve svaviter adhortabatur dicens: *Videtísne? videtísne? Auditísne? auditísne? Corona, Corona Vitæ. Vestis, vestis! indues me? Dabis vestimenta? Lætitia, lætitia inenarrabilis. Tecum æternùm regnabimur, & lætabimur, &c.* Item revelationem secretorum qvorundam, & abstrusorum Dei judiciorum, de nonnullorum salute, & aliorum rejectione; ut cùm diceret, *Non erit tecum? Non novit te? Væ illi qvi te dereliqvit, & tecum non erit! Beati qvos tu elegisti*: & alia multa in eandem sententiam. Qvando verò de ejusmodi rebus humanæ cognitioni absconditis loqvebatur, aspiciebamus ipsam aliqvando orantem, ut qvibusdam misericordia exhiberetur, ut converterentur & salvi fierent: *Converte* (inqviebat complicatis manibus) *nam omnipotens es. Utiqve misericors es. Propter temetipsum fac id, si possibile est. Propter tuam misericordiam, qvæ superat omnia peccata.* Aliqvando admirantem, aliqvando dolentem, & iram deprecantem: aliqvando condemnatos indignabundâ facie aversantem: excusationes removentem, voluntatem suam in omnibus divinæ conformantem, ut cùm ajebat: *Non debeo orare? Non debeo contristari? Jam actum est*: qvibus verbis pronuntiatis, etiam plausum manibus excitavit.

(3) *De Memoriæ tenacitate admirabili* tàm in iis qvæ antè ex auditu Verbi Dei, Psalmis, & piis cantionibus didicerat; qvorum ne ecstasis qvidem minuit reminiscentiam: qvàm his qvæ ipsi in revelationibus videnda audiendáqve proponuntur, jam

jam ſupra nonnihil dictum eſt. Certè exercitatiſſimis in pietatis palæſtra, & à teneris in piorum Librorum lectione aſſiduè occupatis, magnam illud movet admirationem, qvòd verſus Pſalmorum, cantionumqve inſignes periodos, rei præſenti aptiſſimè convenientes, licet ſui impos eſſet, nec ſenſuum externorum poteſtatem haberet, abſqve ulla hæſitatione recitaverit, cecineritqve.

(4) Qvod *ad externa corporis membra* attinet, de his ex dictis ſatis conſtare poteſt. Nam aſpicere licuit in facie adeò eleganter per intervalla rubentem colorem, ut pingi fingiqve vix exqviſitior poſſit. Manuum agilitatem, & robur ſupra communes ejus ætatis & ſexûs vires, admirati ſumus. Ut interea omittam, qvòd ad cœleſtia videnda oculos corporeos intenſiſſimè direxit, & nonnunqvam in viſu qvaſi ab aſpectu luminoſiſſimarum rerum debilitatem contraxit. Aures corporeas ad audienda verba, qvæ ſecretò revelabantur, intendit. Manus in qvibus ex tactûs experientia, nihil vitalis ſpiritûs remanſiſſe videbatur, vi naturam ſuperante movit. Totòqve corpore qvando in raptu ſpirituali conſtituta erat, dum horrendas res, gladium, ſagittam, & his ſimilia, conſpexit, velut ictûs periculum fugiens, declinare videbatur. Qvæ omnia non ſine cauſa à me effecta, ſeu externa ſigna revelationis internæ, appellata ſunt. Ex qvibus qvid de cauſa ipſius revelationis ſentiendum judicandumqve ſit, unius cujuſqve cenſuræ Chriſtianæ liberrimè æſtimandum relinqvo. *Utiqve enim amor Dei & proximi, deſiderium perpetuæ cum Chriſto conjunctionis & unionis: certa ſpes obtinendæ per Chriſtum promeritæ coronæ: faſtidium præſentis vitæ: Agnitio & confeſſio illuſtris ſalutarium Dei beneficiorum: Illuminatio mentis ad judicia arcana Dei intelligenda, & alia plurima* (qvæ tùm verbis, tùm geſtibus teſtata fuit cùm ſui impos eſſet, & nec viſum nec auditum in ſua poteſtate haberet) *neqve à carne & ſangvine revelantur & donantur, neqve à mala cauſa ſuggeri qveunt.* Relinqvitur itaqve à ſolo Deo, Patre luminum, à qvo omnis donatio bona, & omne integrum donum ſupernè deſcendit, originem trahere. Ita ut meritò qvidam pii ex adſtantibus, omnia hæc ſpectantes audienteſqve, ac animô diligentiùs expendentes, uſurpârint has ſacræ Scripturæ ſententias: *Iſti ſunt luſus & deliciæ Sapientiæ Dei cum filiis hominum, in Orbe terrarum habitabili. Amores tui meliores vinô: Trahe me poſt Te, curremus,* &c.

Atqve hæc ſunt, ni fallor, præcipua Argumenta, qvibus hæ Revelationes à ſuſpicione ſiniſtra, ſive impoſturæ, ſive illuſionis, ſive corruptæ phantaſiæ & alterius cujuscunqve vitii, vindicari poſſunt: non in hoc collecta, ut velut præjudicium qvoddam libertati aliorum, in cenſura de illis ferenda, opponantur. Per me enim unicuiqve in hoc negotio ſuo ſenſu abundare licebit. Neqve hac de re cum qvoqvam contendere, aut in arenam controverſiarum deſcendere, animus eſt: ſed ut & meum de illis teſtarer qvale qvale judicium, & viſis auditiſqve (qvæ attentiſſimè admiratus ſum, obſervavi, notavi, expendi, prout geſta tranſactaqve ſunt) fidele perhiberem teſtimonium. *Si cui hæc non ſufficiunt, illi plura coacervare congerereqve ſupervacaneum videtur.* Si qvis verò his, utpote nec levibus nec aliunde petitis, ſed ex ipſius negotii de qvo agitur, naturâ deſumtis, acqvieſcit, hic pluribus non indigebit. Itaqve hæc breviter de illis dicta ſufficiant.

CAP XI.

Novæ Virginis probationes, ademtô aurium & lingvæ usu: cum Visionibus tacitis duabus.

BRevi à parentis discessu cœpit Virgo animi tædiô laborare, conclavéqve suum ingressa, precibus sese tradidit. At Baronissa solam relinqvere nolens, in suum eam conclave reduxit, sibiqve assidere jussit: alloqviis eam, cum filia sua & Medico, exhilarare (cùm â naturali parentis desiderio provenire crederent) conati. Illa verò in medio eorum obdormiens, *Visionem habuit duodevigesimam*: Experrecta, & ad interrogata respondere non valens, auditum sibi ademtum significavit.

2 Post horæ qvadrantem surrexit, januámqve adiit, illis eam (qvônam ire vellet sollicitis) inseqventibus. At illa conversa fenestram adiit, móxqve iterum alium conclavis angulum. Demum illi gestus attendendo, membráqve rigida contrectando, in ecstasi esse vident, qvæ *decima nona Visio fuit, per sesqvihoram durans*. In qva nihil loqvuta, mirari tamen subinde qviddam animadversa, & qviddam sibi traditum ore excipere, visa fuit.

3 Reddita sibi, cùm loqvi non posset, tabellam poposcit, & se jam qvoqve lingvæ usu privatam, sermonémqve sibi (eô, qvod comedere jussa fuit) ademtum, docuit.

CAP. XII.

Vigesima Visio, sonora, 10 Januarii: ubi ei Serenissimus qvidam, & alius illustris, tertiúsqve Nobilis beneficus, judicandi sistuntur.

QVadriduô totô vegeta (præterqvam quòd muta & surda esset) 10 Januarii mane doloribus tentari cæpta, octavâ autem horâ extra se rapta fuit, per horas duas cum dimidia. Ubi qvæ visa & audita fuerunt ita consignata sunt.

2 Sellâ surgens obviam ivit cuidam, qvem adoratione exceptum sic alloqvuta: *Ecce iterum venisti! Qvàm verax Tu es!* Et post longam auscultationem: *Id verò Tibi soli convenit: solus Tu Judex es. Fiat tamen, dum ita vis. Ubi est? Atqvi jam illic est. Adhuc illi qviddam dicere habeo? atqvi nuper id jam factum.* Ubi qvendam adventantem torvùm spectabat, manu motâ consistere jussit, tacitèqve illi nonnihil loqvuta, tandem clarè; *Accede propiùs! Qvodnam tibi nomen est? Novi, novi* (hoc subridens) *Qvàm iratum habes hunc?* (Dominum ostendens) *Invictum te dictabas. Vince igitur*

iram hujus, vince! cùm sis invictus. Etiam te Serenissimum appellari voluisti; sed ecce, gloria Dei serenissima est. Coram Mundo serenissimus fuisti, coram Deo tenebræ. (Hîc ad Dominum conversa, auscultabat qviddam: tum denuò ad illum, enumerans qviddam in digitis, tandem:) *Apage te, apage Satana! Qvid? Loqvere, & audiam. Ah, ne nega, ne nega!* (Tum auscultans diu, lacrymari cœpit: & mox) *abi, abi! frustra me oras!* (retrudebatqve à se) *Amove te, Domine ne intueare illum! Serò deprecaris, serò: priùs id facto fuit opus. Non possum te juvare: miserescit me tui.* (habebatqve plenos lacrymarum oculos.) *Abi, abi. Nec te intueri, nec ampliùs de tuo interitu dolere, possum.*

3 Ut ille abiit, venit alius. Qvô illa conspectô; *Hic nondum adfuit. Adesto! Tu qvoqve unus de Grandibus es. Eodem loco res tuæ sunt qvô prioris illius, crede mihi. Tace! ego jam loqvar, tu postea. Qvàm annis obsitus es! Diu vixisti: sed multane bona in vita egisti? Ecce finis avaritiæ tuæ venit! Nummi tui te non juvabunt: qvorum qvantum coacervasti! Sumesne eos tecum? Redimes te illis! redime qvæso. Fiducia tua in illis fuit reposita: Deus tuus illi erant! à Deo verò abduxerunt te. Non aliud peccatum tuum in mentem revocabo tibi nisi unum. Id erat propositum tibi, tametsi clàm hominibus. Nunc autem ecce manifestavit mihi occulta tua hic* (Dominum commonstrans): *deinde autem manifestabit Mundo. Non perpetrasti hoc? sed voluisti. Potentes potenter exqvirentur. Oculi Jehovæ intuentur omnia: qvi Solem suum lucere facit justus & injustis, pluviamqve suam pluere super bonos & malos. Etiam tibi luxit, licet indigno. Fortè.* Tùm enumerabat 40: projectâqve manu; *Abi*, dixit. *Qvid intercedere debeo? Nulla in judicio intercessiones juvant, sola hic severitas justè regnat, &c.* (pars est hymni Ecclesiastici) *Miserebor cujus miserebor, inquit Dominus. Convertat te is in cujus manu cor tuum est!* manuqve illum à se abegit.

4 Mox alium venientem intuita, *Etiam tu hoc in censu es?* inqvit. *Tu erga me qvoqve beneficus fuisti, pro te orabo.* Complicatisqve manibus orabat: tandem tamen cum suspirio: *Ah non est reliqva pro peccatis hostia! sed horrenda expectatio judicii, & ignis fervor consumturus impios. Abi, abi: adhuc mihi de te spes est si emendaveris. Humilia te coram Deo, svadeo; humiles enim, & contritos corde respicit oculus ejus. Abjice opera tenebrarum, & indue arma lucis. Abi, abi!*

5 Tum obversa dextrorsum, *Jamne abis? Ne abeas. Aut me Tecum assume. Statim redis? Adhuc ostendes? Ne ostendas; potiùs me assume. Vel tantisper: redibo enim Tecum. Ego Te currendo inseqvar.* Cucurrit etiam ad parietem: eumqve (tamqvam portâ exclusâ) subinde pulsans ingeminabat: *Aperi! rogo aperi! Veni, veni, aperi!* donec inter pulsus & clamores istos ad se rediret (post ecstasin $2\frac{1}{2}$ horarum) surda & muta ut antè.

CAP. XIII.

Visio XXI, qvâ illi (eâdem die) decem impii Magnates sistuntur judicandi.

HAbuit Visionem vesperi novam, ultra bihorium durantem. Præcesserant dolores, ut antehac: cum sonitu autem horæ sextæ abrepta, gaudiiqve edens signa sur-

surrexit, obviam ivit, Dominum venerabunda excepit, hoc modo alloqvi orsa:

2 *O qvàm Te diligo! Tu me qvoqve? Non irasceris mihi? Cur irasceris?* (hoc dixit tota exultabunda.) *Tu semper adventas. Et illi Tecum. Ah qvanta eorum multitudo! Illi tibi ministrant noctesqve diesqve. Millia millium, & decies centena millia millium. Plena illorum omnia. Mane cum illis apud me.*

3 *Qvid? Ostendes iterum! Ne ostendas qvaso.* Audiebat tamen Dominum qvædam sibi mandantem: illisqve adventantibus obversa, numerabat eorum decem, addens: *Omnesne adestis? Etiam ille?* Tum obversa Domino, *Quid illis dicendum est?* auscultabatqve.

4 Demum ad qvendam eorum *Tu es Clericus, excusari potes, non autem hic. Tu non aliter fuisti doctus, putabas te recto insistere tramiti. Orabo pro Te: non pro illo. Numerabatqve* 10. *Abite Vos cæteri; pro vobis non orabo. Tu, audi!* numerabatqve 6. *Habes: abi! Tu seqvens adesto!* annumeravitqve illi 8, & dixit: *Abi jam qvoqve. Tu seqvens accede!* numeratisqve illi 10 trusit manu, *Apage!* Tum qvarto numerabat 12, qvinto 11, Sexto 21, Septimo 18: cum qvo, discedere nolente, multum habuit negotii, qvod sic annotatum est.

5 *Recede, recede! Qvid? hocne prætexes? Non sufficiet. Assume nunc tibi auxilio sanctos tuos! Qvid? mortuos esse? Cur ergò invocabas eos? Qvibus maximè confidebas? Multosne habuisti? Tot duntaxat? Satis, satis. Ede nomina! Qvomodo vocantur? Franciscus? Franciscus?* (hæc cum risu) *Qvis præterea? Michaelis? Sume utrumqve.* [N B. Ita clarè dixerat, *Michaelis.* Cùmqve qvi excipiebat *Michael* posuisset, illa inter revidendum restituit *Michaelis.* Monita, non rectè sic dici, respondit; *Ego Grammaticationes non intelligo, Michaelis me dixisse scio.*] *Qvem habebas tertium? Deiparam? Assume igitur eam qvoqve, juvet te! Omnes tres assume, juvent se invicem!* Risitqve abundè, & à se illum tandem vi retrudens *Abi, abi,* inqvit.

6 Tum ad alium: *Adesto tu etiam! Tu animam tuam vendidisti, Tu, tu: ah!* annumerabatqve illi 20, addito, *Væ tibi! Qvomodo Te jam liberabis? Multos habes aureos: ideò anima apud Te tam parva ratio. Abi, abi.*

7 Tandem accersito ultimo (qvi primus ille fuisse videtur) dixit: *Vidistine qvid illis actum? Nolui orare pro illis, pro te orabo. Tu Vir Ecclesiasticus nescivisti aliter.* Tum auscultabat qviddam, & rursum: *Dicebas te quoties liberet creare posse Deum. Fiduciam ponebas in operibus bonis, aliosqve docebas idem: nec sciebas qvid esset meritum Christi. Ne nega, ita docuisti: Bonis operibus promereri posse vitam æternam.* Atqve hîc ad Dominum conversa orabat: rursumqve ad illum, *Tu converti adhuc poteris, fac tantùm qvod proposuisti. Exi è medio illorum. Id si feceris, converteris. Abi jam.*

8 Tum ad Dominum, *Jam omnes absolvi: qvæso mihi plures ne ostende. Atqvi solus Tu constitutus es Judex, Tu eos condemnabis. Væ deserentibus Te!*

9 *Tu verò jam abire vis?* prehensâqve unius ex nobis adstantibus veste: *Ecce teneo Te, non dimittam,* inqvit. *Nihil Te separabit à me. Mane, rogo Te mane! Qvia manere non vis, ego Tecum ibo. Vos omnes præcedite!* (Hæc ad Angelos.) *Ah qvantò sunt numerô! Proculne adhuc habemus? Qvid profunda aqva hic est? Ne sinas me cadere!* Tum qvasi prolapsa, & mergens, *Succurre Domine, succurre!* Erepta verò, *Abibis jam? qvando redibis?*

redibis? Mox adoravit, sursum abeuntem oculis prosequuta: rediitque ad se, cùm paulò ante sonuisset octavam.

CAP. XIV.

Visio XXII. Januarii 11: in qua Decretorum Dei Liber ad legendum illi primò fuit oblatus: sylváque Antichristianarum abominationum ad exurendum ostensa. Primi ejus Epileptici morbi.

POstridie (11 Januar.) langvida fuit, ut plus decumberet qvàm obambularet. Qvintâ vespertinâ inopinatò abrepta lectulò se proripuit, trésqve adventantes dextrâ porrectâ excepit, sic eos alloqvuta.

2 *Venistiúne? Salvete. Dominus autem ubi est? Vos misit? Ecqvid fertis? qvid prægrandis libri est? Qvid? legendus mihi erit? Mandavitnè Dominus?* Accedénsqve ad Mensam, *Huc eum ponite, aperite.* Postqvàm primam legisset paginam, titulum, complosit manus: in seqventibus autem ad qvendam locum veniens, *Hoc non intelligo*, inqvit, *explicate mihi. Prohibuit Dominus? Ipse mihi exponet? Vos explicandi hæc potestatem non habetis? Ipse habet, verum est.* Iterúmqve duobus evolutis foliis, *Mira hæc sunt. Tollite jam librum: túqve cum illo præcede, hi duo me ductabunt.*

3 Incessit ergò tanqvàm à duobus illis sub axillis prehensa, & comitata: & mox prospectans, *Qvid Sylva hic est? Pertranseundáne nobis? Nimium densa est, non penetrabimus, tenebricosa ibi omnia. Tenete me! Terribilis est Sylva hæc.* Cæpitqve sursum & deorsum, & ad latera spectando, jam recedere, jam resilire, vociferans: *Ah, ardet, ardet, exuremur! Qvia meus abest Dominus exuremur. Vos me conservare non poteritis. Qvid? perrumpendum nobis est? Impossibile, non transibo, non transibo. O utinam meus adsit Dominus! Uror, peruror!* torqvebátqve se mirè, tota tremens. Paulò pòst: *Qvàm cadunt arbores illæ! Obruent me, obruent, non possum transire.* Et post aliqvod intervallum: *Ecce magna illa arbor jam qvoqve flammis corripitur! jam ardet; jam cadit!*

4 Denuò post moram, circumspectationémqve variam: *Hocnè Arbores illæ significant? Qvid autem Ignis? Iram Dei viventis? Ah, ah! Qvàm pauca sunt reliqva! Adibo jam, spectabo, desiit ardere.* Paulùmqve progressa: *Qvàm terribilis est ira Dei viventis! Qvàm multa absumta sunt! Cinis solùm superest, qvem dissipabit ventus. Verè sunt palea qvàm ventus projicit. Hæ residua qvàm pauca sunt! Super has jam ira Dei non veniet, non veniet. Ne metue pusille grex, dicit Dominus! Complacuit Patri Vestro dare Vobis Regnum.*

5 Tum obambulans, pedibúsqve calcans, *Cinis, Cinis*, clamabat: additô, *Ita eos conculcabunt. Atqvi æternùm exuri digni fuistis. Regnastis, donec terminus venit.* Tùm acie humi fixâ: *Torris iste de magna illa Arbore reliqvus est, exurendus qvoqve.* Demitténsqve se sustulit, & in ignem projecit: *Ecce qvàm ardet, ultima etiam ista ejus pars!* Obambulánsqve insufflabat, pedibus calcabat, tandémqve manibus complosis dixit,

dixit, *Jam actum est de te & reliqvis tuis, ó magna Arbor, ac si nunqvam fuisses!*

6 Progressa iterum substitit, *Qvid aqvarum hic!* clamitans. Recedendóqve, & manus pressando, *Ah qvantus Serpens! qvàm caput attollit! O si Dominus meus adesset, ille eum occideret: Vos non poteritis. Ecce qvàm sese erigit, aculeúmqve exserit! Hocnè disignat Serpens?* Mox tacitè loqvi, manus dispandere, digitis numerare, cœpit: primùm 60, deinde 15: tum pugnô percutiens, *Actum est*, inqvit. *Terra illum absorpsit.* Accurrénsqve advolvebat foramini lapides, ne fortè rursum exire posset.

7 Regressa inde substitit denuò: *Ecce serpens minor!* inqviens, *Hunc ego ipsamet occidam. Metuo tamen: ecce, jam factus est major! Expectate, percutiam eum.* Sublatóqve humi lapide, percussit: sed mox resiliens, *Eheu*, clamavit: discursánsqve manum agitavit, digitos spectavit, sangvinem profluere qviritavit. Paulò pòst: *Mortuus tamen est. Ambo jam deleti. Vos autem jamnè abitis?* Hîc manu illis porrectâ eos à se dimisit, totáqve tremebunda ad se rediit, post bihorii ecstasin.

8 Qvia verò sibi qvoqve reddita digiti à serpente admorsi vulnus ostendebat, (loqvi nondum valens) & igne uri innuebat (fuit etiam externè inflammatus visus) applicatum fuit à præsente Medico emplastrum, dolórqve transiit.

9 Paulò tamen pòst (ex tot illis qvos in ecstasi perceperat terroribus & tremoribus) epilepsia eam invasit, & prostravit, totámqve noctem tenuit. Non qvidem adeò vehementer, mane tamen invaluit, & per diem ac noctem inseqventem plus qvàm 70 paroxysmis ita debilitavit, ut nullum ampliùs membrum movere posset, cadaveri qvàm corpori vivo similior.

10 Visionem ipsam conscribere prohibita fuit, donec in Poloniam translata fuit, descripsit autem his verbis.

REVEL. XII.

Anno 1628. 11 *Ianuar.*

[*Visio prima Angelorum, cum Libro Decretorum DEI ad legendum sibi divinitùs misso* 2. *Tùm Sylva magna, cælitùs accensa, exusta, dissflata*, 6. *reservatarúmqve arborum pulchrè regerminantium*, 15. *Dehinc Serpentis magni occisi*, 24. *alteriúsqve minoris, inter moriendum etiam mordentis.* 33.]

VEsperi, qvintâ promeridianâ, vidi per ecstasin seqventia. 2 Primùm ad me *Angeli tres*, specie Adolescentum, venerunt. 3 Qvorum unus Librum gestabat prægrandem, qvinqve qvadrantum ulnæ longum, tres latum & crassum. 4 Aperuítqve illum Angelus, qvi attulerat, jubens me perlegere folia tria. 5 Cùm perlegissem, clausit iterum, tolléńsqve eum dixit, ille & reliqvi duo, qvasi ore unô, *Veni seqvere nos.* 6 Seqvebar igitur, ducta ad Sylvam qvandam admodum magnam, densam, tenebrosam: super qvam vidi magnum, cœlitùs se demittentem, & mox cum impetu ruentem, & huc illuc per sylvam, & supra illam, volitantem, ac jaculorum instar dispergentem, Ignem. 7 Interrogavi ergò Angelos, *Cujusmodi esset Ignis ille tam vastus?* qvi responderunt: *Est horribiliter inflammatus implacabiliter irati DEI furor.* 8 *Sylva verò qvam vides, est tota Antichristiana satanica factio, tam densè idololatria, fraudum, deceptionúmqve inqvinamentis oppleta, intricata, & obtenebrata, ut præ nimia errorum cæcitatísqve caligine, in tam denso abominationum impietatúmqve saltu, luminis nihil*

videre sit. 9 *Ideò nunc jam emissus est plenè ignis ira magni* DEI, *qui diutiùs jam teneri & cohiberi non potuit: qvia pramodum excanduerat & exarserat supra hanc peccatorum, errorum, idololatriarum, injustitiarum, crudelitatum, omnigenarúmqve impietatum, plenam sylvam.* 10 *Emissus verò jam est Ignis hic non eò fine, ut Antichristianam illam satanicam colluviem perterreat solummodò: sed ut pestem illam penitùs absumat, simúlqve cum toto suo impietatum & perversitatum nido exurat, ut ne vestigium qvidem ullum, aut memoria relinqvatur.* 11 *Impossibile enim est Sceptrum impiorum diu qviescere super sortem justorum: ut ne debilitati pii manum extendant ad iniqvitatem.* 12 Hæc eloqvuti, jusserunt me spectare: Et vidi Sylvæ illius Arbores densè cadere, inqve cineres redigi. 13 Sed una illarum cæteris omnibus grandior, consumi diu non potuit; donec novus de nube cadens ignis eam fortiùs urgeret, penitúsqve exureret. 14 Consumtâ verò Sylvâ totâ, exstinctôqve incendiô, exortus est validissimus Ventus, flatu tam vehementi, ut cinis Sylvæ totius adeò fuerit dissipatus, ut ne vestigium qvidem ullum ullius Arboris remaneret. 15 Dixerunt tamen mihi Angeli: *Prospice denuò.* Et vidi Arborum ab igne servatarum partem adhuc stantem, regerminantem pulchrè, virentémqve, & latissimè ramos explicantem. 16 Et qvæsivi: *Ha Arbores eccur non cum cateris pariter deflagrârunt?* 17 Responderunt Angeli: *Super hos jam non veniet ira* DEI, *qvia puras servârunt animas suas, fructúmqve attulerunt in patientia, etiam maximis in persequutionibus, Domino suo.* 18 *Hi sunt qui non incurvârunt genua sua Baali, neqve Mens illorum declinavit ad Idola.* 19 *Hic est pusillus ille Grex, cui dare cœleste regnum complacuit Patri.* 20 *Hi sunt justi illi Lothi, in qvorum gratiam, & propter clamores, gemitus, oppressionésqve eorum, abbreviavit Dominus dies malos, eósqve abduxit ad latus, cùm terribilis ejus ureret ignis, ut electi, fideles electi ejus, ne perirent cum sceleratis impiis.* 21 *Nunc autem, cùm abiit tribulatio, cùm pertransiit ira, cùm procella, nimbi, grandines, fulminationésqve in tranqvillum desierunt, reduxit eos tanqvam in Terram promissionis Dominus.* 22 *Hic capit annus Jubilaus; hic jam dememinerunt afflictionis propter gaudium, qvô replevit corda illorum Dominus.* 23 *Hos Dominus multiplicabit, his benedicet* DEUS *Jacob, benedictione suâ temporariâ & aternâ: his dabit videre tempora pacata & lata: ut sine motu hostium alacriter serviant Domino* DEO *suo in secula.* 24 Hæc ubi dixerant, denuò ad me, *Veni nobiscum porrò etiam.* 25 Ivi ergo, donec ad aqvam venissemus amplam, in qva permagnum conspexi Serpentem, huc illuc sese jaculantem. 26 Et interrogavi, *Serpens ille qvid sibi vellet?* 27 Responderunt: *Hic ille est, qvi adversatur* DEO *& sanctis ejus: in locum aqvitatis & judicii ponens iniqvitatem & oppressiones: locóqve puri* DEI *cultûs promovens errores, & idololatriam, impietatémqve omnem.* 28 *Jam itaqve appropinqvat illius ruina & interitus; nam Cor ipsius extulit se in superbia, & gloria potentiáqve sua obcacavit illi mentem & oculos, ut in obduratione cordis sui miserè perire necesse habeat.* 29 *Veni igitur ut videas interitum ejus!* 30 Ivi & conspexi Serpentem illum aqvâ prorepentem, & in plaga meridionali super gramina sese dispandentem, aculeumqve magnum ita vibrantem, ut terrori esset. 31 Sed Terra dehiscens absorpsit eum: ego autem tollens lapides duos grandes admovi

loco illi qvi eum hauserat: ut expedire se ac exire non posset. 32 Et dixerunt Angeli: *Nunc exitium vidisti magni Serpentis, sed postmodum videbis ruinam propriæ illius personæ, qvam tibi Dominus ipse monstrabit.* 33 Inde digressi vidimus alium Serpentem, minorem, in terra jacentem, & se mirè huc illuc jactantem, usqve ad locum illum ubi prior perierat. 34 Ego autem, sublatô lapide, occidere illum tentabam: 35 Sed ille mihi se objectans, lapidem in manu mea dextra circumplicavit, digitumqve morsu ita pupugit, ut mihi ab ecstasi qvoqve redditæ valdè doleret. 36 Mortuus nihilominus tamen est Serpens iste, eodem in loco ubi prior. 37 Angeli verò postqvam valedixissent mihi recesserunt, & ego ad me redii.

CAP. XV.

Visio XXIII, Januarii 13. In qva illi Eqvus biceps, Aqvila nido præalto, Arbor expansissima, Domusqve superba à Leonibus destructa, fuerunt exhibita.

TErtio à Branna lapide, habitabat pientissimus *Baro Georgius Sadovius*, Tremesznæ, deducturus jamjam in Poloniam Pastorum qvosdam. Is à Baronissa Zarubia de miserrimo Virginis statu edoctus, visendi eam adhuc inivit consilium, meqve (sibi ante alios jam præsentem) invitavit comitem. Venimus Brannam horâ decimâ, Baronissamqve & Pastores duos mœrore plenos reperimus: Virginem autem, ad eam introducti, vivam an mortuam incertum. Qvia tamen oculis paulùm adapertis videre nos videbatur, nos alloqvi eam neqveuntes (cùm adhuc surda & muta esset) Tabellæ inscribimus, *dolere nobis qvòd ejus visendæ gratiâ huc appulsi, colloqvi neqveamus.* Qvibus illa perlectis, rescribendi desiderium prodidit. Datur illi in manum creta, admovetur tabella, scribuntur ab illa hæc: *Hodie dabit Deus auditum recipiam, vobisqve colloqvar.* Nos gaudiô pleni, iterum scribimus, *Qvando id?* Illa, *Secundâ pomeridianâ.*

2 Qvâ spe nos læti ad prandium (ipsâ meridiei horâ) abducimur, rursumqve primâ reversi terribilia spectamus. Primùm enim eam epilepticus invadit insultus horrendus: & mox secundus, & tertius, ut jam velut exanime cadaver jaceret. Nos pleni horrore qvid esset futurum, secundâ jamjam instante, pavescimus. Ecce autem qvartus paroxysmus inexplicabili verbis terrore nos implet, miseræqve membra ita distorqvet, ut præ horrore ego, *Sancte Deus, si nos curiositate aliqvâ nostrâ talium occasionem damus, miserere nostri, huic autem misellæ Creaturæ tuæ parce!* exclamarem.

3 Vix ea eloqvutô me, sonat secunda; cumqve ipso secundo ictu Christina se arrigit, renidet, lectulo prosilit (ut ægerrimè illi à ministrantibus ancillis toga circumjici, subcingiqve posset) in occursum currit, procidit, adorat, hæc & illa loqvitur & agit: quæ pro more calamô excipiuntur, consignataqve hunc in modum exstant.

4 *Venisne?*

4 *Venisnè? Venire te gaudeo.* (adoravitqve exultabunda) *Venisti, ah fidelis!* Tum tacitè qviddam per semiqvadrantem horæ loqvuta, numerabat 22. Conversáqve ad sinistrum, *Ecce ille qvoqve venit, excipiam illum!* cucurrit, adorabundáqve iterum excepit. *Assideamus hic*, inqviens: expansisqve manibus qviddam ostentans, *Cur tam diu non venisti? Ego ecce!* ostendebátqve os & aures.

5 Cùm auscultasset qvidpiam, addidit: *Ostendes? Eamus ergo!* Móxqve consistens, *Serva me Domine, serva! Qvid mihi ostendis? Qvid Leonis hic est? Ecce alter ab Ortu! Qvantos gerunt gladios!* Tum oculos velut eminus proferens, *Qvid ibi est? Eqvus biceps: qvam terribilis! Ecce ecce! jam eum discerpserunt, jam & devorarunt, Leones!*

6 Post exigua silentia sursum spectans iterum, *Qvid hoc rei? qva illa in sublimi avis? Aqvila? ecce biceps est! Videte qvàm Leones Arborem illam qvassent! Decidet illa. Non diu tu ibi sedebis! Ecce jam decidit! Qvàm discerpitur à Leonibus! Jam & devorata est, sicut & Eqvus.* Auscultabat iterum, ridénsqve & palmas complodens dixit, *Citoné? Tam citò? Amen fiat, fiat!*

7 Morâ interpositâ: *Adhuc ostendes? Eamus. Qvàm expansa est Arbor ista! Qvid sub ea faciunt? Confringunt, ah! Ecce jam convulsa cecidit! Etiam radices evellunt, & in præterfluentem projiciunt, ut nihil maneat reliqvum. Idné est Arbor illa? Jam eversa est radicitùs.*

8 *Progrediamur ergò. Ah qvanta hæc Domus!* (Spectabátqve in altum & longum.) *Videte, jam tres adsunt Leones, jam Domum illam subruunt! Qvanti roboris sunt? Unde illis tertius ille accessit? Itanè? Ecce jam ruit Domus illa, ruit! Recedo ne me obruat* (recessitqve) *Jam ecce diruta est! licet tanta fuerit: Ne vestigium qvidem ejus superest. Qvid Leones isti rugiunt? Idem dicere debeo? Qvando jubes.* Cœpitqve clamore magnô, *Cecidit, ah cecidit, Babylon, cecidit magna Domus Austriaca!* Qvô hactenus inauditô enuntiatô nos omnes vehementer perculsi, attoniti hæsimus. Illâ tacitè Leonum istorum specificam nomenclaturam recitante, *Turca, Hungarus, &c.* plicatisqve manibus, pro eis ut per manus eorum opus Dei procederet, orante.

9 Prece stando peractâ, obambulare, & cum Domino colloqvi, cœpit. *Aderant mihi. Librum legi, sed non omnia intellexi: nolebant mihi exponere, negantes id licere sibi. Tu es æternus ille interpres. Dic mihi ea qvæ legi. Ah res mira! Tantus Liber qvando perlegi poterit? Totus mihi legendus est?*

10 Tùm ad sinistram respectans, *Ille jam abit?* porrectâqve dextrâ adoravit, dicendo *Gratias ago.* Abeuntémqve oculis proseqvuta, rursúmqve ad Dominum conversa prehendit eum, *Qvantopere Te diligo! Tu sapientia æterna es!* A qvo complexu excepta, rubore suffundebatur. Rursúmqve illi judicandus aliqvis (tametsi deprecaretur) oblatus. Tandem Dominum in nube sursum abeuntem fixis oculis spectabat, donec ad se rediret; adstantium manibus (ne langvore concideret) excepta, & in lectulum reposita, sonante horâ qvartâ.

11 Mox tamen adstantes alloqvi, auditúmqve & loqvelam sibi reddita significare cœpit. Unde factum, ut hymnô decantatô laudes fierent Domino. Surrexit postea Virgo, cæterisqve accumbens cœnam sumsit, summô omnium gaudiô.

12 Nos manè cum Barone Sadovio discessimus, ad alios in Poloniam comites festi-

festinando. Virgo autem qvomodo hîc sibi exhibita manu suâ descripserit, videri potest Revel: XIII.

13 Seqventi triduô redibant qvidem Epileptici insultus, lenes tamen: ut sine convulsionibus magnis, rigidis tantùm & ceu emortuis membris, horæ qvadrantem, aut ultra, jaceret; sine dolore aliàs, animóqve vegeta. Revelatio hac Visione sic ab ipsamet descripta est.

REVEL. XIII.

[*Videt* Dominum, *Sponsum suum, ad se venientem,* 1. *& mox Antiqvum dierum,* 3. *à qvibus sanitati restitui petens, solatiis erigitur,* 4. *Visio dehinc mirabilis, duorum Leonum,* 15. *Et Eqvi bicipitis ab illis discerpti,* 18. *& Aqvila nidô dejecta ac devorata,* 23. *& Arboris latè expansa, radicitùs exstirpata,* 30. *& Domûs magnifica, penitùs destructa,* 32. Cecidit Babylon, *à Leonibus cantatum cum inaudita applicatione,* 38. *Omnium horum uberior explicatio,* 43. *Eqvus, Aqvila, Arbor, Domus qvid,* 44. *Leonésqve contra istos emissi, qvasnam Gentes disignant,* 45. *Virgini (in signum Omnipotentia* DEI) *Aurium & Lingvæ usus restituitur.*]

JAnuarii 13, venit ad me primùm *Dominus*, visendâ specie, dexterâqve mihi porrectâ dixit. *Benedictio mea tecum sit semper omni tempore.* 2 Iterum dixit, *Veni mecum.* Ibam igitur in qvendam viriditate amœnissimum Hortum. 3 Ubi ad nos Senex accessit, méqve similiter dexterâ datâ salutavit: spatiatiqve fuimus eodem in horto, *Dominus à dextris, Antiqvus à sinistris*, me comitati, ego verò in medio, manibus ab illis ducta. 4 Ibi ego afflictionem meam Antiqvo sum qvesta, qvòd octiduô totô Aures obturatas, Lingvámqve ligatam haberem, petens mihi Aurium Lingvæqve usum restitui: qvoniam Dominus id recusaret, dicens eandem Antiqvum habere potestatem, qvùm sibi æqvales sint. 5 Ad hæc Antiqvus: *Eccur ita es impatiens? cur ita qvereris?* 6 Ideò, inqvam ego, tædiô afficiebatur animus meus, qvia id credebam signum esse iræ adversus me, punitionísqve peccatorum meorum, qvam eqvidem merui, in tempore & æternitate. 7 Ille iterum: *Unde illa in Auribus tuis, & Lingva, signa, ira mea fuisse indicia conjectabas?* 8 Respondi: Causam me, cur sic judicarim, reddere non posse, nisi qvod cogitarem aliqvid ejusmodi subesse, cùm mihi cur id fieret, indicatum non esset. 9 Ad qvæ ille: *O tu vas gratia mea, cur te talibus intra mentem occupabas? à me nuper id in signum, qvod supremi hujus Regis* (manu ostendens Dominum) *serva sis, nacta: & qvòd nolim irasci tibi in aternum.* 10 *Oblitáne es, Me immutabilem esse, & Verbum à me prolatum non retrò ire?* 11 *Non ira hoc fuit indicium, averte has ab animo cogitationes: sed fuit opus meum, ad ostendendum potestatem mihi esse, tecum & alius disponendi pro arbitrio.* 12 *Tum & ideò tibi Lingvam ligavi, Auditúmqve ademi, ut loqvendi & audiendi exuta facultate, tantô diligentiùs, vigilantiùs, ardentiùsqve meditareris opera mea, & gratiam tibi exhibitam.* 13 *Animô igitur esto liqvidô, & tranqvillô: & veni mecum, ostendam tibi qviddam.* 14 Prehensâ igitur alterâ manu meâ, alterâ verò Dominus, duxerunt me in certum Horti illius locum: 15 Ubi ecce *Leo qvidam accurrens, ex qvadam Horti parte, aliusqve ex alia, congressi in eodem loco.* 16 Erant autem staturâ insignes, ad horrorem mihi, colore alter cœruleô, alter rubrô. 17 Tenebántqve anterioribus pedibus Gladios magnos

magnos,& ungves præacutos & longos; consistentes posterioribus duntaxat pedibus, anterioribus verò tenentes gladios. 18 *Intende oculos!* dixit Antiqvus. Sustuli igitur oculos, & ecce *Eqvus albus, stupendæ magnitudinis, bipes qvoqve incedens, habénsqve Capita duo, & pedibus anterioribus Globum tenens ferreum ignitum, prunæ instar candentem.* 19 Incessus illius fuit impetuosus, terrámqve calcabat adeò fortiter, ut tremeret: Leonibus tamen propinqvans lentè ire cœpit, qvasi eos pavitaret, aut retrocedere vellet. 20 Leones autem animosè ex adverso sibi consistentes, aliqvando capita conferebant, susurrando sibi qviddam: interimqve tamen Eqvo illi nihilominus attendentes. 21 At Eqvus, Leonibus jam prope junctus, jecit ignitum illum Globum inter ipsos: qvasi futurum sperans, ut dum illi de Globo decertarent, ille salvus transiliret. 22 Sed Leones Globô missô, Eqvumqve aggressi, primùm utrôqve capite eum truncârunt, mox corpus totum frustatim dilacerârunt, & illicò devorárunt: iterumqve aliqvid colloqvuti, Globum illum à se rejecerunt.

23 Dixitqve mihi Antiqvus, *Tolle rursum oculos!* Sustuli, & vidi Arborem proceram & latè patentem, stantem inter Leones, eósqve obtegentem ramis suis, adeò patula fuit. 24 In summo autem Arboris cacumine, vidi sedentem Aqvilam magnam, habentem Capita duo, & alas qvatuor, pedésqve qvatuor & caudas duas. 25 Et audivi clangentem Aqvilam voce magnâ valdè: sed vocem clamoris ejus intelligere neqvivi. 26 Et qvæsivi ex Antiqvo, *Cur, & qvid, clamat, Avis, ista?* 27 Respondit: Avis hæc ita clamat: *Ecce sublimè sedeo super alios exaltatus! Qvis tam confidentis animi est, ut veniat, & me hôc excelso meô locô emoveat? Nemo est, nemo erit.* 28 Illô conticente, accesserunt Leones, prehensâqve anterioribus pedibus Arbore qvassabant adeò fortiter, ut Avis decideret. 29 Qvam dilacerârunt, similitérqve ut Eqvum illum frustatim devorârunt.

30 Iterum dixit Antiqvus: *Veni, porrò qvædam visura!* Et duxerunt me ad qvandam aqvam diffusam, in cujus ripa iterum stabat Arbor valdè magna, latè sese explicans. 31 Ubi Senex ad me: *Vide!* Et mox venientes iidem Leones, cædebant, secabant, frangebant, Arborem illam fortissimè, radicésqve illius eradebant ungvibus, injicientes omnia in aqvam: complanantes rursum ipsam terram, ubi radices fuerant, ut ne vestigium qvidem ubi Arbor steterat, notari posset.

32 Iterum Antiqvus ad me, *Veni adhuc ut videas finem!* 33 Ivi & conspexi amplam valdè, præaltam, ad omnem ornatum decoram Domum, structam ex lapide qvadrato totam, undiqve splendentem. 34 Et interrogavi Senem, Qvæ illa esset tam speciosa & magnifica Domus? Respondit: *Domus hæc est Domus rebellis, præfracta, & obdurata; splendens extrinsecùs & nitens, intùs verò plena omnimodarum impuritatum, abominationum, perversitatúmqve & impietatum.* 35 *Est Babylon illa magna, cujus ruina jam appropinqvat: nam impossibile est diutiùs consistere Domum hanc, qvia peccata & iniqvitates ejus in Cœlos pertingunt; attende igitur qvid futurum sit.* 36 Et mox venerunt Leones illi priores; atqve cum illis Leo tertius, albus ut nix. 37 Accedentésqve hi tres Leones ad Domum istam, demo-

demoliri cœperunt, & subvertere funditùs, operam fortissimè conterente albô illo Leone: donec tota Domus concidisset, & in minutam arenam dissiliisset. 38 Leones autem pedibus calcantes arenas istas clamârunt voce magnâ: *Cecidit, cecidit, Babylon! Cecidit magna Domus Austriaca!* 39 *En destructa est superba illa & elata Domus, neqve readificabitur unqvam!* 40 *Destructa est penitùs abominabilis illa & propudiosa Domus: non tamen virtute nostrâ, sed virtute fortissimi Leonis de tribu Juda.* 41 Et digressi sunt Leones illi ab invicem, alter huc alter illuc: simúlqve tertius ille evanuit. 42 Ventus autem coortus impetuosissimus dispersit arenam istam, ut ejus nihil superesset.

43 Dixit ad me Senex: *Vidistine qvæ facta sunt?* Respondi, Vidi Domine: sed rogo doce me, qvid per istum Eqvum, Aqvilam, Arborem, Domúmqve, intelligere habeam? 44 Ille: *Per Eqvum istum & Aqvilam, & Arborem, & Domum, non aliud intellige qvàm Ferdinandum & Papam, totámqve illam Diabolicam Antichristianam synagogam, qvæ jam propediem perqvàm velociter disperdetur ac delebitur.* 45 *Leones verò sunt Hungarus, Turca, Tartarus, Svecus, Danus, Belga, Angli, Galli, Veneti, Saxo, & Vimariensis.* 46 *Per hos vastabitur & evastabitur, subruetúrqve & subvertetur, Antichristus, Babylon, & satanæ Regnum, ut vidisti.* 47 *Præsertim autem Domus illa magna: qvam convellere & evertere non potuissent ipsimet, sed auxiliô venire oportuit Leonem de tribu Juda: atqve is qvàm seriò juverit, spectasti.* 48 *Hic illis robori erit, & fultura, ut in Virtute roboris ejus vincere qveant semper.* 49 *Jam à te discedo, sed rediturus propediem. Auditum & loqvelam tibi reddo.* 50 Pro qvo beneficio cùm egissem gratias, ille, dexterâ oblatâ, dixit; *Pax sit tecum*; & abiit. 51 Dominus autem paululùm remanserat: cui de Libro illo ab Angelis allato, & qvæ in eo legissem, narravi, qvædam mihi elucidari petens, qvod & factum. 52 Atqve hîc Ille à me, *Vale* mihi dictô, abiit, egóqve ad me redii.

CAP. XVI.

Visio XXIV, Januarii 17: qvâ illi Leones duo, à Septentrione & Ortu, cœlitùs armati, & qvid agendum esset instructi, exhibentur.

DIE Lunæ (17 Januarii) horâ matutinâ 4. obvenerunt illi langvores & angores, horâ verò sextâ venit in ecstasin, observatáqve sunt & consignata, seqventia.

2 Tribus manu datâ exceptis: *Iterum Tu Librum refers?* inqvit. *Aperi, aperi!* Evolutísqve tribus foliis, *Hîc cessavi*, dixit, legeréqve perrexit, subinde mirabunda. Deinde, *Hucusqve: qvanta adhuc restant! Qvorsum autem ibimus?*

3 Mox autem: *Hem qvid est? Ecce à Septentrione! Ecce ab Ortu! Mi Deus! Nuperi Leones isti sunt.* Tum stetit fixô vestigiô, ultrà horæ qvadrantem: jam sur-

ſum ſpectans jam deorſum attentiſſimè, nihil tamen loqvuta. Qvid fuerit narrabat poſtea, deſcriptumqve exſtat Revel. XIV. Digreſſuris demum ab invicem Leonibus clarè dixit, *Benedicat illis Deus! Res mira! Jam ſibi valedicunt: jam diſcedunt! alter huc alter illuc.*

4 Mox autem, *Qvi! iſtuc?* reſiliebátqve pavefacta. *Credebam nuper occiſum, ille autem piſces vorat.* Occiſum verò (per Angelos ſerpentem) gaviſa, ſubſtitit, attendens qviddam: numerabátqve digitis, primùm 6, deinde 5, & ſic porrò uſqve ad 115.

5 *Qvando ad me Dominus meus veniet? Cras certò? Dicite illi, rogare me ut — Sic dicite: me expectaturam — Dicite etiam, me illum non dimiſſuram. Dicite: exqviram ego. Deambulemus adhuc! Hic ego meo cum Domino ſpatiari ſoleo. Qvàm pulcher hortus! Ecce floſculus peramœnus!* Qvem ſeſe demittens decerpſit: & mox alios plures, in gremium reponens: ex qvibus ſerto factô, *Dicite Domino meo, me illi Corollam mittere. Tu ſuperimpone eam libro, & defer pulchrè, ſicut & ſerviam hanc.* Valedixitqve illis, & ad ſe rediit, poſtqvam Viſio hæc ultra horam duraſſet: qvam illa poſtea ſic deſcripſit.

REVEL. XIV.

[Viſio (*ſecunda per Angelos exhibita*) Leonum duorum, Aqvilonaris & Orientalis, 6. *Nov ſatis ſe intelligentium*, 7. *Ad qvos Cœlô decidit*, primùm Liber, *Voluntatem DEI eos docens*, 9. *qvem illi perlectum dividunt & devorant*, 11. Deinde Cos ignita, *qvâ Gladios ſunt acuunt*, 13. Tertiò Loricæ duæ, *qvas induere jubentur*, 19. Tandem Catena candens, *qvâ ad Unanimitatem colligantur*, 31. *Viſio item* Serpentis piſces vorantis, *& occiſi*, 41. & Tritici naviculâ aliô *vecti* (*in exilium*) 49. *cum ſolatiis ad diſperſos*, 55. *Tum ipſi Videnti, contra temeraria Hominum de Viſionibus his judicia, datum ſolatium*, 60. *& cur DEO nunc hâc extraordinariâ viâ uti fuerit allubitum*, 64.]

DIE Lunæ, (17 Januar.) horâ veſpertinâ ſextâ, Viſionem habui ſeqventem. 2 Venerunt ad me Angeli priore formâ, Librum ferentes eundem, manibúſqve mihi datis dixerunt: *Pax DEI noſtri tibi ſit.* 3 Apertóqve Librô, juſſerunt me legere tria duntaxat folia. 4 Factô hôc, clauſerunt eundem, & ad me dixerunt: *Veni, oſtendemus tibi, qvæ ut oſtendamus mandavit Dominus.* 5 Ibam igitur, eos ſeqvuta, per juſtum ſpatium Horti illius, in qvo plerumqve Viſiones hæ mihi obveniunt. 6 Et mox *vidi LEONES duos magnos*, venientes cum Gladiis; alter ab Aqvilonari, alter ab Orientali Mundi plaga. 7 Congreſſi autem Leones illi, primùm tanqvam colloqverentur quiddam, ita ſe ſibi obvertebant: mox autem tanqvam inter ſe non convenirent & jurgarentur, ita geſtus præ ſe ferebant. 8 Et *vidi Cœlum ſe aperire ſubitò*, directè ſupra locum ubi conſiſtebant Leones. 9 Et ecce *Liber Cœlô decidit* inter Leones iſtos, pulcher valdè, totus aurô obtectus, formæ triangularis! qvem ut conſpexerunt Leones, qvaſi expavefacti ſtabant, ceſſantes contendere. 10 Et mox audita eſt vox de Cœlo magna; *Mittite, mittite curas, & contentiones inutiles, ô Vos amentes! & negotia Veſtra componite ad normam Voluntatis Jehovæ Dominatoris, qvam Vobis hôc Librô detegit ac manifeſtat!* 11 Acceperunt itaqve Leones, Librum anterioribus pedibus ſuis, apertóqve illô, legerunt totum, perlectumqve clauſerunt. 12 Et diviſô illô in partes duas, alter comedit ſemiſſem Libri unum, alter ſemiſſem alterum.

13 Et Angeli, denuò ad me: *Attende diligenter!* Et ecce rursum de Cœlo Cos decidit ingens, ignita, in medium Leonum, cum Voce tali: *Acuite, acuite, & roborate Gladios Vestros, ô Vos qvibus in nomine Jehovæ Exercituum strenuè agendum est contra hostes!* 14 *Jehova enim faciet, ut Gladii vestri sint chalybei & robusti, tincti venenô terribilis DEI irati.* 15 *Gladii ex adverso hostium Vestrorum erunt tanqvam è ligno mollissimo, fragilissimóqve: quod qvisqvis volet franget.* 16 *Vos tamen ne nitamini robore Vestrô, neqve confidatis fortitudini exercitatorum Eqvorum Vestrorum: sed fidite immensæ virtuti magni Domini, qvi Vos præcedet in prælio, & conculcabit hostes vestros ante faciem Vestram.* 17 Prehenderunt itaqve Leones Cotem illam anteriorum pedum suorum sinistris, dextris autem trahebant aciem Gladiorum suorum, donec ignescerent, carbonumqve instar canderent.

18 Iterum dixerunt Angeli mihi: *Specta porrò etiam diligenter, & repone in memoria qvicqvid ostendetur tibi.* 19 Et mox vidi Cœlô decidere geminam *Loricam*, seu *Thoracem ferreum*; audivisqve vocem talem. 20 *Induite arma hæc, ô Vos ad hoc opus electi, ut per Vos DEUS fortis ultionum conterat suos & suorum hostes! Antichristianumqve seductorium opus, unà cum pseudoprophetis, evertat & perdat.* 21 *Instruite vos ut parati sitis! Nam post exiguum moræ exsurget Rex gloriæ fortis & potens: Iehova potentissimus bellator prodibit ad prælium, Vosqve præcedet, adversus hostes.* 22 *Disperget eos tanqvam Ventus paleam & pulverem, in ira furoris sui, ponens eos in scabellum pedum suorum.* 23 *Sceptrum qvoqve potentiæ suæ dabitur illi de Sion, ut regnet & dominetur in medio inimicorum suorum.* 24 *Jamjam enim appropinqvat tempus, in qvo Christus Regnum suscipiet cui non erit finis.* 25 *Lætamini fideles subditi, qvi immensè gravati fuistis intolerabilibus impii Pharaonis oneribus: jam enim demersus est, unà cum omnibus qvi devorare Vos juvabant, in mari magnæ iræ terribilis DEI.* 26 *Reqviescite jam, & respirate, à gravissimis ærumnis, qvas pertulistis, & qvibus fracti fuistis.* 27 *Nam ecce jam habetis propitium Regem, Dominum, Episcopumqve animarum Vestrarum, qvi sensu afficitur miseriarum Vestrarum! Huic Vos tradite, in hoc spem reponite, huic firmiter adhærete, nec ullius rei gratiâ eum deserite!* 28 *Introite jam in magnifica Palatia Jerusalem, exultate in gloriosa instauratione ejus!* 29 *Dicite; Hallelujah, Regnat Deus noster! Exultemus igitur & lætemur, & gloriam demus illi soli, qvi eâ dignus est à seculis in secula.* 30 Hic conticuit vox illa: Leones autem induebant ignita illa arma prævelociter.

31 Postqvam verò induerant, dixerunt ad me Angeli: *Intuere denuò.* Et vidi *Catenam* de cœlo cadentem, magnam, ignitámqve, super Leones istos, qvâ veluti colligati facti sunt. 32 Simulqve vox insonuit: *Ecce Catenâ hâc constricti este, ô Vos, per qvos Deus opitulari vult afflicto, summéqve jam attrito Populo suo! eò fine, ut voluntate Dominatoris Jehovæ vobis jam revelatâ unum sitis, dilectione, fidelitate, concordiâ, Vobis mutuò colligati, subqve cœlestis Vestri Imperatoris vexillo ad omnem ejus voluntatem fidi & alacres; donec per Vos exseqvatur qvod exseqvi decrevit fortissimus ille Gigas, & Bellator invictus.* 33 *Jam consurgit, jamqve adventat, jam millies milleni & decies centeni milleni, innumerô numerô, eum seqvuntur!* 34 *Ecce jam vicit, jam hostes suos & Populi sui subegit, ille gloriosissimus & inexsupera-*

ſuperabilis Heros! ſed & Vos viciſtis in virtute ejus. 35 *Dicite igitur læti, & proclamate per Orbem univerſum: in TE hoſtes noſtros contrivimus, in nomine Tuo proculcavimus inſurgentes adverſus nos!* 36 *Dies hic dies victoriarum eſt, dies qvem fecit Dominus: exſultemus & lætemur in ea, celebremusqve Jehovam, qvia bonus, qvia in ſeculum benignitas ejus.* 37 Hic vox illa conticuit: Leones vero tanqvam attoniti, & mente alienati, dixerunt alter ad alterum: Ecqvidnam rei hoc futurum eſt? 38 Reſponſabant verò ſibi mox ipſi; *A Domino factum eſt, & eſt mirabile in oculis noſtris!* Atqve cum hoc verbo diſceſſerunt ab invicem, alter huc alter illuc, Gladiis ita ut venerant armati. 39 Angeli verò dixerunt mihi: *Qvid tu ad hæc dicis, quæ vidiſti?* 40 Reſpondi: *Benedicat illis Deus!* Et illi omnes tres velut unô ore dixerunt, *Amen, Amen, Amen!*

41 Iterum dixerunt ad me: *Veni, progrediamur aliô!* Et ivi, à duobus comitata, tertius verò nos præcedebat cum Libro. 42 Et perduxerunt me ad Aqvam, ex qva proſerpebat Angvis, Piſces vorans, qvos extrahebat ex Aqva. 43 Et qvæſivi, *Qvid eſſet Angvis ille?* Reſponderunt: *Hic ille adverſarius eſt DEI & hominum, cui DEUS tantùm permiſit, ut devoraret populum ejus, ſicut iſte Piſces illos.* 44 *At non vorabit diu, nam ultimos jam vorat, & qvicqvid devoravit malè concoqvet.* 45 Dederunt autem mihi Angeli vectem ferreum, jubentes me verberibus Serpentem tundere. Et tutudi, ſed occidere non potui. 46 Angelus itaqve Domini ſumtô à me illô Vecte, percuſſit Serpentem, & occidit. 47 Dixitqve mihi: *Sicut vides Serpentem hunc à me occiſum eſſe; ita ſcias Angelum Jehovæ miſſum iri ad impium illum qvem Serpens iſte deſignat.* 48 Cædétqve illum tam diu, donec occidat, & in aqvam judicii abyſſúmqve juſti judicis præcipitabit, ſubmerſumqve faciet.

49 Duxerunt verò me ad alium Aqvæ illius locum: ubi conſpexi *Naviculam Tritici plenam*, aqvæ innatantem. 50 Qvæſivi ergò, *Qvid ſibi Navicula hæc vellet!* Reſponderunt Angeli: *Navigium qvod vides, figuram habet Eccleſiæ Jeſu Chriſti.* 51 *Triticum autem ſignificat Electos, fida Eccleſiæ illius membra, atrocibus Antichriſtianis perſeqvutionibus ita cribrata & perpurgata, ut qvicqvid palearum & qvisqviliarum, etiam Triticum dici volentium, fuit, ejectum ſit & exploſum.* 52 *Navicula verò hæc ubi conſiſtat non reperit, ſed ſe huc illuc præ metu Tyrannorum, percuſſorum & interemptorum ſuorum, transferre neceſſe habet: purum Domino ſuo cultum præſtare avida; & ne perverſi illi zizaniorum ſeminatores errores ſuos, fraudulentásqve deceptiones admiſcerent, eóqve Triticum DEI corrumperent, metuens.* 53 *Ideò ecce latitare, & procellarum Mundi hujus undis innatare, atqve jactari, & in eo dilectum ſuum Caput ſeqvi coguntur: cui etiam in Mundo ubi caput reclinaret defuit.* 54 *Qvod ergò in ſpecioſa illa viridi Juſtitiæ Arbore factum eſt, in aridis qvid fiet?* 55 *Sed tamen ita dicit Jehova: Noli timere puſilla Navicula mea! jam enim non diu durabit afflictatio tua.* 56 *Nam perdam omnes perditores & oppreſſores tuos! reducamqve te in locum tuum, & mergam radices tuas profundè, plantabo & ædificabo te potenter, & firmabo portas, turres, murósqve tuos prævalidè; ut ne qvis locô tuô movere te poſſit.* 57 *Ibi tu obliviſceris mœrorum præ gaudio: dabo enim tibi Pacem qvam tibi optas.*

optas, tantummodò ſuſtine adhuc paululùm: decurrit enim hora, in momento jam veniet deſideratiſſima liberationis tuæ hora. 58 *Atqve tùm tu ſuſtolles cor tuum ad me, & mihi ſacrificium ſacrificabis ferventius & acceptius ac unqvam antè.* 59 *Ego ero DEUS tuus, & Tu eris delectus, & dilectus, pretioſúsqve populus meus: & nemo te in æternum rapiet de manu mea, dicit Dominus DEUS exercituum.* 60 Tum converſi ad me dixerunt: *Hæc habuimus à Domino in mandatis, ut oſtenderèmus ac revelaremus tibi.* 61 *Tu igitur memento, ut cum aliis glorifices DEUM, magnum illum Jehovam, qvi facit mirabilia ſolus.* 62 *Suſtinebis qvidem varia præjudicia & calumnias, reputabunturqve hæc ut cerebri humani figmenta; & qvod magis, dæmonii nomine traducetur hoc DEI opus.* 63 *Præſertim in loco qvodam, ubi comparere habebis neceſſe: ſed ne metuas, nec te id tædioſam faciat in opere, ad qvod te magnus adhibet Dominus.* 64 *Cui noli detrectare obſeqvium: qvia fieri ſic oportet qvomodo placet Domino, ut qvùm viva Evangelii vox* (hac in Terra) *conticuit, puríqve divini Verbi Miniſtri ejiciuntur, Magnus ille, & ſui per omnia ſemper arbitrii DEUS, per exiguos & obſcuros renuntiet myſteria qvadam ſua, in ſolatium & confortationem populi ſui.* 65 *Tu igitur, gnara ita hæc fieri oportere, morigera eſto & obſeqvens huic Domino, qvi te ad tanta hæc adhibuit, & adhibet: humilia te ſub ejus potentem manum, & lauda de omnibus nomen DEI ſemper.* 66 *DEUS verò Pacis & omnis conſolationis cuſtodiat te ſemper, uſqve in tempora æterna, & det tibi ſanctam ſuam pacem!* 67 His dictis porrexerunt mihi dextras ſuas, omnes tres, & abierunt: ego autem ſenſibus meis reddita ſum.

[NB. Confer verſum 7 hujus Viſionis cum v. 6, 7, 8, Rev. XVI.]

CAP. XVII.

Viſio XXV, Januarii 18, qvâ æterni Sponſi cum Anima fideli deliciæ mirabiliter fuerunt repræſentatæ, cum revelatis nonnullis.

POſtridie ſatis vegeta fuit, præterqvam qvòd prandii tempore paroxyſmus Epilepticus eam perſtrinxerat. Veſperâ appetente juſſit ſe ablui, & veſtibus indui, obviam itura Sponſo ſuo. Simulqve ac ſextam ſonuit abrepta, ſurrexit, obviam proceſſit, dexteram obtulit, adoravit, amplexuqve excepta, & amplexata ipſa (cum verecundia & erubeſcentia) fuit.

2 *Eamus igitur*, inqviebat, *ac deambulemus!* Deambulansqve multa Domino narrabat tacitè, numerans 115, rurſumqve 30. Deinde: *Conſideamus hic ſuper gramine!* ſeditqve. Ubi poſt multa colloqvia & amores, ſumebat qviddam, edebatqve: mox etiam bibebat. Deinde mandatô acceptô exarabat epiſtolas, complicabatqve triangulariter, & obſignabat ſigillô per ſingulos angulos. Denuò numerabat,

bat, primùm 55, deinde 5: iterumqve Corollam è floribus nectebat, capitiqve Domini sui imponebat.

3 Mox ab illo recipiebat induebatqve ornamenta, *Togam*, *Pallium*, *Armillas*, *Torqvem*, *Cingulum*. Tùm pulsabat organa Musica, (ex gestibus notare fuit) *Nablium*, *Testudinem*, *Clavicordium*, *Tubam*, *Cymbalum*, *Tympanum*. Cantabat deniqve varia. Primò Psalmum 150, deinde Psalmi 8 (mirè svavibus coloraturis, ut vocant) versus tres. Tùm integrum 23. Et ex 146 versiculum primùm. Et 103. ℣. 1. & 145, duos: & 19 unum: & 45 unum. De 47 autem versus 4: & de 97 unum. Ubi ad Dominum conversa, *Num continuandum esset* qvæsivit: addiditqve de Psalmo 18 primum & secundum. Psalmum deniqve 117. Qvô finitô complicavit palmas, oravitqve tacitè. Demum surrexit, postqvam eodem loci horas duas, cum qvadrante, sedisset.

4 Deambulabat ergò, manu lævâ ansata, dextrâ Sponsum tenens: qvem & identidem subsistens adorabat: Tum obversa in Ortum, deinde in Septentrionem, attentè auscultabat: Meridialibus verò digitô minitabatur septimùm usqve. Iterum se obvertens Orienti stabat, subridens. Aqvilonem versùs loqvebatur qviddam, cum risu itidem ac lætitia. At Meridiei obversa torvùm spectabat, digitô minabatur, caput jactabat, spuebat. Denuò in Ortum & Aqvilonem spectans manus complicabat, proqve iis orabat. Meridiem iterum respectare cœpit: sed subitò se retrò egit, qvasi eos intueri ampliùs dedignata.

5 Iterum Orienti obversa, numerabat 70, & 12. Septentrioni autem 60, & 10. Occidentales qvòd agere cunctarentur (NB.) gestibus ostentabat: De Meridialibus autem prorsus esse actum, innuebat. Tum Septentrionales ac Orientales ad expeditionem in Meridionales suscipiendum evocabat: illosqve veluti præcedens fortiter terram calcabat, Occidentales etiam manu evocans, ubi 25, numerabat. Rursumqve viriliter grassata, in Meridiales oculis, manu, sputu, minas & contemtum jactabat. Effudit deniqve super eos calicem iræ, sicut Revelatione XV. legere est.

6 Tandem post tranqvillam cum Domino deambulationem, *Nondum abeas qvæso, dixit. Redibis iterum? Qvando? Veni, Veni!* dextramqve porrigens, *Ab redi!* Qvem oculis sursum comitata: ad sensus rediit, lectuloqve illata, valdè debilis. Durabat Visio tres horas: ab ipsamet propriâ manu hoc modo descripta.

REVEL. XV.

[Deliciæ Sponsi æterni cum Sponsa sua Anima fideli (atqve sic Cantici canticorum praxis) repræsentatur: 2. Cujus Ille Cordi Ungventum odoris sui indit, 11 eidemqve Verba sua sic inscribit & obsigillat, ut tolli neqveant, 15 Ornamenta Sponsæ Christi assumere jubetur videns, 23. Dominusqve illi judicia sua contra Babylonem detegit, 25. & Calicem iræ super Meridiales effundere jubet, 30.]

POstridie, (18 Januar.) horâ vespertinâ sextâ, contigit mihi seqvens visio. 2 Venit ad me Dominus, albâ talari veste: datâqve mihi dextrâ dixit: *Pax mea habitet in corde tuo semper.* 3 *Ecce venio iterum tibi! qvia deliciæ meæ sunt habitare cum filiis hominum.* 4 *Veni ergò, spatiemur in horto meo, attende amoribus meis, & impleatur iis cor tuum! nam amores mei dulciores*

sunt melle; & verba oris mei suaviora lacte & vinô optimo. 5 *Ecce ego parabo tibi Convivium in horto meo, & saturabo te gratiâ meâ, & inebriabo amore meô!* 6 *Carpe tibi de suavissimis Fructibus amœni Horti mei, & exsatura te iis, ut vivas in æternum.* 7 *Consideamus unâ & convivemur! Gaudeamus & lætemur! Tu in Me, & Ego in Te. Vescere mecum prædulci Fructu meô, & bibe suavissimum Vinum amoris mei: implevi enim calicem tuum voluptatibus meis, ut exuberet.* 8 Spatiabamur igitur in Horto; deinde consedimus super gramine. 9 Et mox coram nobis apparuit Mensa perpulchra, plena Fructuum recentium: tum & Calix magnus aureus, suavissimæ potionis plenus. 10 Edi igitur de fructibus suavissimis, & bibi ex Calice nectareum qviddam: Dominus similiter edit & bibit mecum. 11 Postqvam verò ad satietatem edissem & bibissem, disparuit Mensa illa ab oculis meis. 12 Dominus autem dedit mihi qvoddam Ungventum mirabilis odoris, dicens: *En Tibi dono Ungventum potentiæ, fortitudinis, præsentiæqve meæ! Reconde hoc in cor tuum: nam ad multa Te utar.* 13 *Sine qvo virtutis meæ Ungvento tu nihil qveas: in me autem poteris omnia semper.* 14 Accepi igitur Ungventum illud à Domino: & mox Cor meum apertum est, cui postqvam ego Ungventum indidissem voluptatem percepi ineffabilem. 15 Iterum dixit ad me Dominus: *Scribe Epistolam, verbis qvæ dictabo tibi.* 16 Et mox stantem ante me vidi, Angelum, tenentem manu suâ Atramentarium, & calamum æneum; tum & Membranam manu alterâ. 17 Accepi igitur de manu Angeli calamum & membranam, & scripsi ea qvæ mandabat Dominus. 18 Spectabant autem mei psam scripti hujus Verba, qvibus erigebar, & firmabar ad operas, qvibus me porrò adhibere placeret Domino. 19 Tum ad firmiùs eorum qvæ mihi revelantur in corde & memoria, impressionem, & ad attentiorem istorũ *Dei* Operum meditationem. 20 Peractâ scriptione hâc jussit me Dominus membranam componere formâ triangulari, & obsignare annulô suô, iterúmqve recondere in Cor, sicuti & de Ungvento erat factum: qvæ omnia feci, prout erat mandatum. 21 Cùm autem epistolam hanc inseruissem cordi meo, dixit Dominus: *Verba hæc remanento in corde tuo semper fixè ac immotè! ne illa vel Satan ullâ fraude & astutiâ, vel mortalis homo ullis suis blandis vel asperis verbis, seu elicere seu extorqvere, ullô modô possit: atqve tuo è corde illa eximere, aut expungere, vel etiam id attentare, non audeat.* 22 *Nam ego Dominus Omnipotens hæc facio: & qvis est qvi potentiæ meæ resistere valeat!* 23 Iterum dixit ad me: *Exorna te, indutâ Veste hâc, qvam ego tibi sanctitate & justitiâ meâ promerui & paravi; & exhibe te in conspectu meo sanctam & immaculatam, non habentem maculam aut rugam.* 24 Et mox ante me vidi pulcherrimas Vestes, ornamentáqve pretiosa aurea, qvibus me mox decorabam, cantans in honorem Domino varios Psalmos & hymnos: organáqve Musica (mihi in manus data) pulsans, & sic meam gratitudinem Domino contestans. 25 Surreximus deinde locô, ubi consederamus, spatiabamúrqve denuò per Hortum: & Dominus mihi monstrabat plagas Mundi, Aqvilonarem & Orientalem, Occidentalémqve & Meridialem: dicens, 26 *Ab Aqvilone & Ortu advolvent se flumina magna, cum multis malis*

super eos, qvi nunc patrant mala. 27 *Iam etenim se accingunt qvi huc destinati sunt, ut Exercitum ducant in Meretricem Babylonicam, incestuosam, ebriam sangvine sanctorum, insidentem Bestiæ magnæ.* 28 *Hi eam in nomine meo perditum ibunt, adimentqve omnem potentiam ejus, & diripient opes & divitias ejus, ipsam verò discerpent, & iræ meæ igne exurent, sicut & magnam illam Bestiam, cujus fiduciâ adeò ferociebat Meretrix.* 29 His ego auditis, benedictionem imprecabar illis, dicens: *Conficiat præproperè Jehovah opus qvod decrevit, ad auxiliandum populo suo, & ampliandam gloriam sancti nominis sui adorandi in secula!* 30 Deinde Dominus Calicem magnum tradebat in manus meas: ego autem qværebam, Qvalis esset iste Calix? 13 Respondit Dominus: *Calix iste est in manu Iehovæ, & in eo Vinum turbidum iræ ejus, plenum mixtione: de qvo infundit Jehova singulis, sed faces ejus bibent, & ebibent, omnes impii Terræ.* 32 *Proin, adesto, & effunde è Calice hoc magnam illam, qvæ inibi est, iram!* Et effudi super plagam Meridialem, qvicqvid Calici inerat. 33 Et mox concussa est Terra, Tonitruáqve, Fulgura, & Fulmina, audita sunt horrenda. 34 Dominus autem dixit: *Ecce effusa est hodie ira hæc super Babylon, & impios habitatores ejus! sicut vides.* 35 *Defessus enim jam fuit Jehova pœnitendo injurias afflictorum suorum: nec diutiùs spectare potuit iniqvitates, & impietates, qvas perpetrant qvi adversantur ei.* 36 *Memento igitur eorum qvæ vidisti, & ea conscribe fideliter: at nonnisi postqvam mandavero tibi.* 37 *Gaude verò etiam, qvòd* DEUS *memor sit populi sui, & contuetur omnia, reddétqve impiis secundùm impia opera sua.* 39 Hic mihi exhibitâ dextrâ valedixit, inqviens; Præsidium virtutis & potentiæ meæ tecum & in te, sit in æternum! Sic à me abiit, & ego ad me redii.

CAP. XVIII.

Visio XXVI, habita 19 *Januarij, qvâ Literæ ad Orbis plagas scriptæ, dispersioqve fidelium è Bohemia, præfigurata.*

ANteceslère paroxysmi epileptici bini, inseqvuta ecstasis, qvâ illa lectulô prosiliens, Angelos cum Libro venientes gratulabunda excepit, librumqve sibi aperiri jussit. Lectione inchoatâ, *Qvid hoc est?* inqvit. Circumspectansqve ad qvatuor Orbis cardines, *Esset opus*, dixit: perlectisqve adhuc foliis decem, Librum clausit.

2 Et obambulans, identidemqve contra Orientem & Septentrionem restitans, Meridiales verò conspuens, obversa in dextrum cucurrit, adoransqve dixit. *Atqvi Tu ipse venis.* Tum manu prehensam, huc illuc ductatam, amplexu & osculô exceptam, erubescentemqve, vidimus.

3 Mox humi considens dixit: *Affuerunt mihi, decem folia perlegi.* Acceptôqve manda-

mandato exarabat epistolas qvatuor, singulas obsignans sigillis tribus. Tum properè surgens, tradebat Epistolas: Septentrionalibus cum singulari lætitia, sicut & Orientalibus ac Occidentalibus: Meridionalibus verò eam projecit, pede fodicavit, minas & sputa superaddens.

4 Regressa Ortum versùs, traxit inde funiculum ad Occidentem, exinde verò ad Septentrionem, rursumqve Orientem (NB.) ut ceu Triangulum fieret. Tradebatqve Orientalibus & Septentrionalibus qviddam, à Meridionalibus (ceu eos nauseabunda) sese avertens.

5 Deambulabat inde cum Sponso suo, floresqve legens Coronam (sic inter deambulandum) nectebat. Acceptumqve à Sponso suo libellum lectitabat, perlectumqve jussu ejus comedebat.

6 Tum dispandebat veluti lintea, congestamqve supellectilem colligabat duabus sarcinis: qvarum priorem humeris assumtam, festinabunda tulit ad Septentrionem, ibiqve deposuit; alteram similiter Ortum versùs, sed majori labore & pavitatione, anhelituqve. Tum compositis manibus orabat.

7 Ac veluti summô qvodam periculô defuncta cum exultatione revertens, exstruebat Domum valdè decoram; & penes illam Hortum, ubi semina spargebat, arbusculasqve plantabat, & rigabat: omnibus mox ita germinantibus & efflorescentibus, ut illa flosculos decerpens odoraretur, Dominoqve odorandos offerret, ingenti gaudiô & exultatione. Cantillabat etiam, è Psalmo 21 versus primos sex: ex 104 primum. Tum hymnum, *Tibi optime Deus laus & benedictio* (de Ecclesia canitur, svavissimam sanctorum consociationem dilaudans.) Psalmi deniqve octavi versus qvinqve.

8 Valedixit postea Domino, & rediit ad se, exactô his spectaculis trihoriô. Pleniùs hîc visa descripsit ipsamet qvando jussa fuit, hôc modô.

REVEL. XVI.

[*Angeli cum Libro*, 2. *Dominus interveniens jubet ad* 4. *Orbis plagas epistolas scribi*, 4. *ad Sept. & Orientales objurgatoriam, qvod nolint intelligere & exseqvi voluntatem* DEI, 6. *Occidentalibus monitoriam*, 9. *Meridialibus maledictionis denuntiatoriam*, 10. *Migratio Exulum præfiguratur, primò ad Septentrionem (in Misniam & Poloniam)* 14. *deinde ad Ortum (in Hungariam)* 19. *Consolatoria ad illos* DEI *Verba*, 21. *cum præfiguratione gloriosa reductionis*, 25.]

JAnuarii 19 Posterô die circa horam itidem sextam vesperi, redibat Visio talis. 2 Tres illi Angeli venerunt ad me, dextrisqve oblatis dixerunt: *Misericordia Jehovæ* DEI *nostri custodiat te in æternum!* Unus verò illorum ferebat manibus suis Librum illum magnum, apertóqve illo jusserunt me legere folia decem: qvô peractô, clausit illum. 4 Et mox ingressus est ad nos in hortum Dominus, exhibitâqve mihi dextrâ dixit: *Pace meâ repletum sit cor tuum semper.* 5 Considénsqve in gramine jussit me assidere sibi, & dixit: *Scribe epistolas ad qvatuor Orbis plagas, singulis prout mandavero tibi.* 6 *Septentrionalibus & Orientalibus inculca porrò etiam voluntatem meam, secundùm qvam actiones suas instituere debeant: nam tantummodò sapientiæ propriæ seqvi volunt consilia, qvæ ratio illorum stultitia est illis.* 7 *Verè sunt ut jumenta; mirabile illis videtur, & impos-*

ſibile, qvod per eos exſeqvi vult Altiſſimus.
8 *Ideò non poſſunt aſſentiri voluntati meæ, donec eos ipſemet in rem deduxero, ac veluti digitô qvid faciendum ſit monſtravero: Ibi demum illi, intellectâ voluntate meâ, argutari deſinent.* 9 *Occidentales monebis, ut etiam atqve etiam deliberent, qvid agendum ſibi ſit.* 10 *Meridialibus verò denuntia maledictionem meam, cum æterno illorum interitu: & quòd pauci jam ſint illorum dies, nec fore qvenqvam qvi velit miſericordiâ erga illos uti.* 11 *Nam peccata & iniqvitates illorum ſcripta ſunt ſtylô ferreô, & ſcalprô lapidis præduri: ut impoſſibile ſit eas deleri, aut venire in oblivionem.* 12 *Nam fumus fœtoris eorum aſcendit usqve ad nares ejus qvi habitat in excelſis.* 13 Scripſi ergò prout mihi erat mandatum, primò Borealibus, dehinc Orientalibus, tum Occidentalibus, tandem Auſtralibus: omnes qvatuor epiſtolas in formam trianguli complicans, tribùsqve ſigillis obſignans: tandem & dedi Curſoribus eô deſtinatis. 14 Iis expeditis, reverſi ſumus cum Domino ad perambulandum Hortum: & Dominus obtulit mihi legendum Libellum exiguum. 15 Ut eum perlegeram, juſſit eundem comedere: qvem cùm ternâ vice deglutiiſſem, ſenſi in ore meo dulcem ſvavitatem, in viſceribus autem roſiones & tormina. 16 Mox ante me conſpexi Veſtium, variæque ſupellectilis, acervum; 17 & Dominus ad me: *Collige tibi ex his rebus Sarcinam, illâqve humeris tuis impoſitâ, abi Septentrionem verſus.* 18 Qvod feci, aſſumptôqve onere meo, ivi Septentrionem verſùs: ubi multum populum vidi, utriusqve ſexûs, orantem manibus cœlum verſùs elevatis. 19 Iterum Dominus: *Collige tibi alteram ſarcinam, & cum illa feſtinanter fuge ad Orientem.* 20 Colligavi itaqve mihi onus novum, cum qvo, humeris impoſitô, graviter & permoleſtè ibam Orientem verſùs: qvô ut veni, non tot reperi ut in Septentrione, depoſitâqve ibi etiam ſarcinâ meâ, abii. 21 Et dixit ad me Dominus: *Ecce ego diſpergam populum meum* [nempe è Bohemia & Moravia] *inter Gentes, & mittam eum in terram alienam! Educam eum ante procellam prævelocis iræ meæ, cùm pluam ſulfure & igne, ut ſerventur illi.* 22 *Ideò ſicuti tu fugiebas, ita fugient illi; multi trepidanter, neſcii qvô ſe vertant: ſed ego illis monſtrabo, nec auferam ab illis miſericordiam meam.* 23 *Daboq; illis ibi abundantiam panis ſpiritualis, Verbum meum ſanctum, ut eô liberiùs, tranqvilliùs, & impræpeditè, ſaturare qveant animas ſuas.* 24 *Addam & panem corporis, neceſſitatéſqve Vitæ, nec eos ullâ re deſeram: ſi modò mihi confidentes, me ſibi refugium facient: Nam turris fortiſſima eſt nomen meum, ad me ſi confugit juſtus, ſervabitur in die mali.* 25 Deinde dixit mihi Dominus: *Veni porrò etiam.* Et ivi, & vidi cæſi lapidis & ligni ſtrues ingentes. 26 Dominus verò ad me: *Conſtrue, & ædifica mihi ex apparatu hoc Domum magnam, in qvam congregem dilectos meos diſperſos, qvi fidem ſervarunt mihi: nam ipſe qvoqve ego jam illis oſtendam fidem meam, compiendo eis fidelia promiſſa mea, qvæ faciebam illis.* 27 Ædificabam igitur Domum illam: & ecce fuit ſplendidiſſima! 28 Ut autem completum fuit Ædificium hoc, dixit Dominus: *Plantemus & Vineam, qvæ mihi fructum ferat!* 29 Et mox vidi ad illam Domum amœniſſimam Vineam; per qvam ſpatiabamur, ego autem diſſemi-

ſeminabam qvædam valdè odorata ſemina, ſerebámqve plantulas: qvæ omnia germinabant vividè, matureſcebántqve fructus & botri, cum ſvaviſſimo totam Vineam fragrantiâ ſuâ permeante odore. 30 Dominus autem iterum: *Veni, ſpecta Domum illam noviter exſtructam!* 31 Ingreſſa ergò ſum, & vidi plenam populi cantantis Pſal. XCVIII. *Cantate Domino canticum novum, qvia mirabilia fecit &c.* cui cantui adjuncta erant omnigena inſtrumenta Muſica ſvavitate inauditâ. 32 Et dixit Dominus: *Ecce jam explevi promiſſa mea Populo meo! redditâ illi Pace, & ſerviendi mihi in ſanctitate & juſtitia occaſionibus.* 33 *Ideò celebra me jam electa Vinea mea, & exalta nomen meum in ſecula.* 34 Prehenſáqve manu meâ, duxit me foras, dicens: *Abeo nunc à te, ſed redibo rurſum cras:* junctâqve dextræ meæ dextrâ ſuâ dixit, *Robur Conſolationis mea tibi ſit!* 35 Atqve cum hoc verbo ſurſum in nubem abiit: ego verò mihi reddita ſum.

[Verſu 9 Prima fit Occidentalium mentio; ut qvia Septentionales & Orientales nolunt intelligere Opus Dei, ut faciant (v.6,7,8.) Occidentales cooperentur. Qvinam verò illi? Galli, Portugalli, Angli, Belgæ, &c.]

CAP. XIX.

Viſio XXVII. Ianuarii 20, qvâ Septentrionalium ſolorum contra Babylonios prælia deſcribuntur, ad Pacem uſqve impetratam: Septentrionaliumqve cum ſpoliis domum reditum.

INcidit in pomeridianam primam, poſt antegreſſos paroxyſmos duos. Ubi procurrens, & venerabunda qvendam excipiens (*Antiqvus erat*) narrabat tacitè qvid heri actum eſſet, & de epiſtolis dimiſſis.

2 Tum proſpectabat, an venirent jam: ſubinde Orientales, ut venirent, manu advocans. Tum Auſtralium cum Aqvilonaribus prælia ſpectans, pavitabat, illacrymabatur, pectus plangebat: eô qvòd illi vincerent, hi vincerentur. Exclamavit etiam, *Ah, pauci jam ſuperſunt, ah!*

3 Tum oculis ſublatis, conſpectôqve de Cœlis adventante Exercitu, exiliens gaudiô, *Jamjam vincent*, dixit. Iterúmqve ſuſpiciens: *Gladius & manus!* Ante ſe verò proſpectans, *Qvàm densè cadunt! ah cadunt! Jam ceciderunt. Qvanta occiſorum ſtrages!* Obambulánsqve & occiſos ſpectans, *Ah qvanta ſtrages!* Qvendam autem inter cadavera conſpectum pede fodicans, *Non tibi hoc prædixi? Euge factum, hoſtes dejecti! Pax, pax!*

4 Ad Antiqvum converſa, *Qvinam fuerunt copiarum iſtarum duces? Sed ecce ipſimet veniunt!* Intuitáqve illos, tacitè enumerabat, benedictionéqve impertiebat, & qvid deinceps obſervare haberent denuntiabat. Tum clarâ voce: *Jamnè omnia?* manibúsqve complicatis, *Benedic illis!* Et paulò poſt: *Illéne Rex erit? Vos nunc recedite!*

cedite! Obtulitqve manum personis septem, additô: *Ille Rex erit: Vos tantùm facite vobis mandata*, D. I. S. (sic interpretor Bohemicum B, S, D. Deus, Jesus, Spiritus) *Vos juvabit. Rex regum, qui in Cœlis est, suscepit causam hanc, Ille Vos juvabit. Sic agite, jamqve abite.*

5 Abiit & ipsa locô istô, deambulansqve cum Sene dixit: *Hic ego meo cum Domino spatiari soleo. O si ille qvoqve veniat! Veniet? qvando? Ergò illi parabo corollam* (demittensqve se carpebat flores, & nectebat.) *Narrabo illi qvomodo res gesta sit. Atqve ecce illum!* procurrensqve celerrimè adorabunda illum excepit: superqve gramine cum illo considens loqvi clarè nonnulla, cœpit, uti seqvitur.

6 *Pavitabam qvatuor vicibus. Deinde cœlestis venit exercitus, Manus & Gladius. Et sic victi sunt. Deinde venerunt Duces, primarii septem, alii multi. Dixi quomodo se gerere debeant. Singulis volui seorsim, non permisit. Deinde abire jussi sunt. O si mihi illum ostendas!* (nempè futurum Regem) *Illum videre gestio.*

7 Tum post longam silentii moram: *Qvod Tu es, hoc Ille est. Tecum tamen mihi svavissima sunt colloqvia. Iterum ea dabis?* (nempe ornamenta) Et paulò pòst. *Atqvi heri scripsi. Iterum sic?* scripsit ergò, epistolamqve qvadratè composuit: sicut & mox alteram, Datum adscribens 1628 (id enim expressè notare fuit.) Tum surrexit, epistolam tradens Orientalibus, cum munusculis tribus: similiterqve Septentrionalibus, ad dextram & sinistram manu monstrans, ut cujus jussu & potestate hæc fierent, ostenderet. Deambulabat inde, jam ad Orientales, jam ad Septentrionales, etiam tandem ad Occidentales visens.

8 Tandem cantum orsa, Psalmi noni cecinit melodiam solùm sine Textu, versus 4: & 140. versus priores duos verbis expressis. Tum Psalmi 101. ℣. 6. & 66. qvatuor: *demum 20 Psalmum hâc serie (NB) Versum primum facie obversâ Orienti; secundum Septentrioni; tertium Orienti rursum; qvartum Australibus minitans illis cum risu; ultimum denuò Aqvilonaribus.*

9 Progressa inde modulabatur qviddam tacitè: & ad Dominum, *Iterum? atqvi jam cecini. Obversáqve Orienti, versum primum Psalmi 20 denuò cantabat, reliqvosqve omnes priori serie. Sed & tertiò jussa eodem ordine eadem omnia: præterqvam qvòd (N B.) versus ultimi partem priorem Orienti, posteriorem Septentrioni occinebat, extraordinariè lætabunda.*

10 *Ostendes eum mihi? Qvando? deinde? Adhuc tibi cantabo. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da honorem, Psalmi* 115 versus primos tres: tum ℣. 5. & 6. Et *Psalmi* 135 versum primum bis: deinde seqventes duos. Et *Psalmi* 103 primos tres submissè: reliqvos clarè ac sonorè. Tum 84 totum, mira cum exultatione; sub finem versus secundi dexteram offerens Domino. Mox seqventem 85 totum: ubi ad illa verba, *Numqvid in æternum irasceris nobis?* ad Dominum versa *Jam non irasceris*, dixit adorabunda. Inter ultima verò (de felici Ecclesiæ post tribulationes statu) verba, miram præ se tulit lætitiam.

11 Cantillans *Psalmum* 23, ad illa verba; *Qvoniam Tu Domine mecum es*, Dominum respiciens svaviter risit. Tum ex *Psal.* 150 duos versus. Et ex Ecclesiastico, de Sanctorum communione, hymno, versum: *Qvàm svave est in hoc consortio esse.*
cum

cum Patre, Filio, Spirituque sancto pretiosam Unionem habere, &c. Et ex *Psal.* 118. versum, *Hic dies est gaudii quem fecit Dominus, &c.* Et ex *Psal.* 119 ultimos 4. Ex 18 primum: ex 14 ultimum: ex 72 duos ultimos. Ex 45 primos duos: ex 33 itidem: ex 34 etiam duos primos, cum ultimo. Ex 146 priores duos. Ex 79 versum qvintum, *Auxiliare nobis Deus salutis nostra*, usqve ad Psalmi finem. Ex hymnis deniqve Ecclesiasticis partes certas: demum ex *Psalmo* 19 versum ultimum.

12 Cantibus finitis dixit, *Tu verò fortè abitum paras. Mane, mane! Atqui tibi cantabam. Adhuc cantabo:* cantabatqve *Benedictus Dominus Deus Israel*, aliaqve ex hymnis. Finitô cantu deambulabant, de Libro mysteriorum verba facientes. Inter alia: *Non dicam nisi qvod Tu permittis. Ah qvanta tu mihi concredis! Tu me diligis. Irasceris? mihi non irasceris. Ne abeas, rogo Te: dabo Tibi corollam. Si manere velles multa tibi adhuc dicerem. Fugis? Non aufugies, asseqvar Te* (hæc cursitans.) *En assequuta sum! Qvocunqve Tu abieris, ego Te qværam. Considamus hîc in gramine!*

13 Post moram: *Satis jam colloquuti sumus. Veniesnè postea?* Tum ornamenta deponens: *Asserva hæc mihi!* dextrâ exinde porrectâ & adoratione factâ, sursum abeuntem oculis proseqvuta est, & ad se rediit, lectulo illata valdè debilis. Duraverat enim ecstasis *horas qvinqve.*

14 Quòd præliorum successum narrans Domino dixit, *Pavitabam qvatuor vicibus* (✝. 6) annon qvaternis vicibus desperatæ Evangelicorum res indigitantur? I. *Post interitum Gustavi & Friderici*, anno 1632. II. *Post cladem Nordlinganam*, 1634. III. *Post factam Pacem exclusis Bohemis* 1648. IV. *Post captam Orientalium cum Septentrionalibus in Polonia conjunctionem dissipatam*, 1656.

15 Visionis hujus contenta priora descripsit ipsamet accuratiùs Revelatione XVII: Cantica qvorum ibi obiter meminit, plenè hîc recensita sunt. Ubi memoratu dignissimum (N B.) *multos istos Cantus nunqvam antea cantasse, aut saltem textum eorum memoriâ non tenuisse. Vigesimi autem Psalmi ne melodiam qvidem: ideoqve in lectulo postea jacens an teneret pertentabat, cantareqve exactè poterat, melodiam & textum, constanter jam.*

REVEL. XVII.

[*Ad bellum contra Babylonem convocantur Gentes,* 2. *Septentrionales faciunt initium soli, præliandoqve jam vincunt, jam vincuntur donec attriti propemodum essent,* 15. *Auxiliô tamen de cælo roborati demùm vincunt,* 19, *& cum spoliis magnis domum redeunt,* 24. *Ducibus eorum denuntiatur Benedictio, si adhuc operam præstent DEO in reducendo humili qvodam DEI servo in thronum suum.* 28. *qvod illi promittunt,* 31. *Interveniens Dominus epistolas scribi jubet ad Septentrionales & Orientales,* 36.]

SEqventi die, (20. Jan.) horâ pomeridianâ primâ veni in ecstasin (qvæ horas qvinqve duravit) vidiqve & audivi qvæ seqvuntur. 2 Primùm ad me Senex venit, vestitu longô albô, datâqve mihi dextrâ dixit: *Fortitudo & Victoria mea tibi sit in glorificationem tuam æternam; Hostibus autem, qvi robore suo freti hodie pervincere tentabunt, in æternam suam ruinam & interitum!* 3 *Veni mecum, & ostendam tibi rem miram. Nam hic dies electus est, in qvo glorificem nomen gloriæ meæ, & exseqvar qvod decrevi.* 4 Et dixit mihi: *Vide attentè, ne qvid visum effugiat tuum! Voluntas enim & potentia mea rapidè ibunt, ut flamma ignis.* 5 Et

mox.

mox conſpexi Montem, in cujus cacumine ſtans Vir qvidam tubâ clanxit adeò ſonorè, ut Terra tremeret, ad omnes Mundi plagas ſeſe vertens. 6 Sonus autem ille fuit articulatus ut intelligi poſſet: audivi enim iſthæc verba: *Congregamini, congregamini Gentes à qvatuor Mundi plagis, ad exſeqvendum qvod gloriæ Domino placet.* 7 Et vidi concurrentem, Eqvis & pedibus ingentem Nationum multitudinem, habitu variô: qvi ſe in agmina certa, feſtinè admodum, colligebant. 8 Et Dominus dixit: *Attende jam!* Et vidi omnia illa agmina in bipartitam, ſibi ex adverſo oppoſitam aciem, ſeſe collegiſſe. 9 Et audivi vocem: *Jam tempus eſt!* Atqve mox ſe colliſerunt cruentiſſimô prælio. 10 Senex autem ad me: *Conſcendamus montem illum, ut omnia videas meliùs.* 11 Conſcendimus igitur eum ipſum Montem, ſuper qvem Vir ille clanxerat: Prælium autem erat infra nos ad montis radices. 12 Rursùm dixit Senex: Hic eſt Exercitus Auſtralis Antichriſtianus, Meretricis & Beſtiæ, intendens digitum in Meridiales. 13 In oppoſitam autem partem: *Hic eſt Orientalis & Septentrionalis, de qvo tibi pridem fuit narratum.* 14 *Recordare itaqve illorum, qvæ tibi de eo venuntiata ſunt, ſicut & de altero; & jam attende qvomodo ſecundùm prædictiones, eventura ſint omnia.* 15 Spectabam igitur diligenter. Prælium verò adhuc durabat, uſqve dum Septentrionalium pauci ſupererant. 19 Ego igitur angebar vehementer, metu, ne clade attererentur penitùs. 17 Sed Antiqvus dixit: *Ecce nunc auxilium veniet de Sion, à throno ſanctitatis meæ, ſicuti ſæpè promiſſum audiviſti!* 18 [VOX JEHOVÆ SILESCERE ME COGIT, ET VERBUM EJUS ENARRARE OPERA EJUS!] 19 *Intuere jam*, dixit Senex. Et vidi Exercitum magnum de Cœlo deſcendentem: cui præibat Vir ignitus ingenti Gladiô. 20 Et aſſociavit ſe Cœleſtis ille Exercitus Exercitui Septentrionali. 21 Senex autem iterum: *Vide, qvid ſupra te ſit!* Suſtollens itaqve oculos vidi Cœlô exſertum brachium ignitum, cruentum tenens Gladium: Fumum item deorſum ſe volventem, & ſuper Auſtralem Exercitum cadentem. 22 Dimicabant itaqve Septentrionales cum Meridialibus denuò, ut hi agminatim caderent, ſtrage magnâ. 23 Ad eos verò qvi ſupererant dixit Senex: *In terram uſqve impacti, & pulveri commiſti eſte, Vos qvi operamini iniqvitatem.* Et fuerunt adhuc occiſi aliqvi, reliqvi autem fugerunt, ut ſupereſſet nemo. 24 Septentrionales autem collectis ingentibus ſpoliis, redibant cum gaudio. 25 Exercitus item cœleſtis redibat per viam, qvâ venerat: Brachium verò & Gladius, qvæ videram, diſparuerunt. 26 Et interrogavi Senem: *Qvinam illi ſunt qvi Septentrionalem Exercitum duxerunt?* Reſpondit: *Oſtendam eos tibi.* 27 Et mox prodibant ſeptem primariæ (generales) perſonæ, inferiores autem plures, à qvibus ductabantur & dirigebantur Septentrionales copiæ. 28 Interim ad me Senex: *Denuntia illis Benedictionem in nomine meo! & indica eis, me adhuc operâ illorum eſſe uſurum, in humiliato meo Servo reſtituendo Regali ſuo throno.* 29 *Nihil ſoliciti ſint, qvomodo id exſeqvutioni dandum erit: Rex enim Regum qvi in Cœlis eſt, auxiliabitur illis.* 30 *Ille hanc tutandam ſuſcepit cauſam: ideóqve eam peraget in honorem*

norem Veracitatis & nominis sui, & in stuporem dandum Operibus suis universum Mundum: Præmium autem laboris, hac in re impendendi mihi, servari illis, neqve interiturum. 31 Hæc postqvam ego illis dixissem, ceciderunt omnes illi super vultus suos ante Dominum, dicentes: *Qvis tibi æqvalis est, ô Jehova! qvis æqvè magnus ut Tu! Tu Omnipotens es, Tu gloriosus, in æternum persistens, solus unus* DEUS, *extra qvem non est alius.* 32 *Tibi increate* DEUS *incurvent se Gentes, Te confiteantur qvi Te priùs non noverant! Qvia Tu solus es unus verus* DEUS: *Idola verò, opus humanarum manuum pereant ut non sint.* 33 Mandabat autem Dominus ut discederent: & mihi dedit qviddam septem papyraceis cucullis inclusum, illis distribuendum. 34 Et feci ita: illi autem acceptis munusculis incurvârunt sese coram Domino, & digressi sunt. 35 Antiqvus verò ad me iterum: *Ecce jam notùm reddetur nomen meum Gentibus universis, & gloria mea exaltabitur super totum Orbem! fietqve ut qvisqvis invocabit nomen meum servetur.* 36 Tum interveniens Dominus dixit mihi, dextrâ porrectâ: *Pax tibi sit, & omnibus exoptantibus eam!* 37 Iterumqve dixit: *Dic mihi, jámne peracta sunt omnia? & jámne satis? an restet aliqvid necessarium?* 38 Ego qvid responderem ignara, dixi; Tu Domine nosti, qvid prædecrevit manus Tua ut fieret. 39 Ille ad hæc; *Ampliùs etiam magnificari oportet gloriam & potentiam meam, ut innotescat abjectissimis etiam Gentibus.* 40 *Tu recense mihi qvid hic actum sit, & qvicqvid vidisti?* Recensui itaqve & Ille dixit: *Epistola tibi scribenda sunt ac dimittenda, prout dictavero.* 41 Scripsi igitur, alteram ad Septentrionales, alteram ad Orientales, cum subscripto Anno 1628: qvia data ibi mandata ad autumnale anni ejusdem tempus, hoc est ad initia ruinæ Bestiæ, sese extendebant. 42 Tradidi ergò epistolas, qvô qvæqve spectabat, cum additis cuiqve tribus cucullis nescio qvid continentibus: non enim mihi explicatum fuit. 43 Tum *Antiqvus dierum* Vale mihi dictô abiit, redire ad me triduò pòst (die Solis) pollicitus. 44 *Dominus* autem remansit, cui ego in laudem psalmos hymnósqve decantavi: tum valedixit & Ille, ego verò ad me redii.

[Qvid interserta (p. 18.) parenthesis sibi velit, dicetur infra Capite L, 5. Qvòd autem hic v. 41. perditionis Bestiæ initium in autumnale tempus Anni 1628 ponitur, ideò fortasse fit, qvia eô ipso tempore à Belgis ademtæ sunt Hispano fortissimæ duæ Urbes, *Vesalia* & *Buscumducis*: Exercitusqve Cæsareanus, qvi duce Montecuculi in Hollandiam irruerat, totus interclusus, partimqve cæsus, partim exarmatus fuit. Argentea item opulentissima Classis Hispanica, ex America veniens, ab iisdem Hollandis in ipso Havanæ portu occupata. Qvæ cumulatissimæ victoriæ (qvarum similes nullæ fuerunt antè) revera Domûs Austriacæ (per Babylonem & Apocalypticam Bestiam adumbratæ) cladium initium erant.

CAP. XX.

Visio XXVIII, *Januarii* 11: *in qva Virgo per angustias ducta, ligata, rursumqve liberata.*

DE mane satis hilarem secundâ pomeridianâ paroxysmi epileptici adorti sunt, durabantqve levi intermissione ad qvintam ferè. Hîc autem illa (in medio paroxysmi) cum risu se erexit, lectô prosiliit, dexterâqve ter porrectâ, *Aperi!* dixit, *hic cessavi.* Tum inter legendum aliqvid mirata, & ad Orbis plagas respectans, postqvam decem perlegisset folia claudi jussit.

2 Dehinc cum illis spatiando Occasui se obvertit, & subsistens, *Qvanta hic angustia*, inqvit, *ah*! Ibatqve tanqvam per extremas angustias sese premendo, manus demittendo & clamando, *Angustia, angustia! Cur verò me huc deduxistis? Dominus me nunqvam ita duxit.* Tum restitans: *Ah non possum!* Qvinqviesqve totum Conclave ita per arctum sese premendo emensa, prosiliit; *Evasimus*, dicens. *Vos transiistis commodè: mihi pressura fuit.*

3 Paulò pòst: *Multum adhuc restat itineris, & jam tenebrescit. Loqvamini tantùm, audio. Jussit hoc nuntiari mihi? Verum est, ille Regis cor in manu habet.*

4 Mox velut ad Ortum ire volens, manusqve post terga ponens, *Qvid me constringis?* exclamavit. *Jussitne Dominus ligari me? Manus & pedes?* progrediendoqve admodum impeditè, suspirandoqve ac gemendo, concidit tandem Trunci instar, ut expavesceremus omnes. Cecidit autem super latus dextrum, capite Meridiem, pedibus Ortum versùs, extensis; jacuitqve sic veluti mortua.

5 Post benè longam moram, *Subveni mihi Domine, subveni! Respice oppressionem meam, respice! Noli differre, noli! Erige me rùrsum, erige! Atqve parata sum glorificare Te. Ah succurre, succurre! Ita oppressa sum, ut movere me neqveam. Respice contritionem meam! Evigila gloria mea, & erige me!* Atqve hîc attollere se cœpit, constrictis adhuc (ut notare fuit) manibus & pedibus: sed recidens, exclamavit, *Iterum me opprimunt, Ah Domine!* Iterumqve ligatas allevans manus, graviter gemuit & suspiravit. Demum alacriter se recolligens, pedibusqve jam consistens, profundè, *Ah*, respiravit: complicatisqve manibus pro liberatione gratias egit.

6 Tum læta obambulans cantavit, primò *Psalmum* 122 integrum: & *Psalmi* 16 partem posteriorem, *Benedicam Jehova* &c: & *Psalmi* 30 versus primos tres, & ultimum. *Ex Psal.* 31 postremos qvinqve. *Ex Psal.* 57 postremos duos (*Evigila gloria mea! evigila Nablium & Cithara*, &c.) Et *ex Psalmo* 116 primos qvinqve. Tum (tacitè priùs aliqvid loqvuta) *ex eodem Psalmo* ℣. 12. *Qvid rependam Domino*, ad finem, *Psalmum deniqve* 117. (Qvibus forma triumphi Ecclesiæ, post liberationem, præscribi videtur.)

7 Demum ad Angelos, *Jam ibitis? Dicite Domino me illi nuntiare* (Hîc tacitè loqvuta.)

qvuta.) *Omnia hæc dicite!* Qvos postqvam (manu singulis porrectâ) dimisisset, ad se rediit, ecstaseos bihorio exactô.

8 Notandum, *Hic illi ab Angelis appropinqvans qvoddam periculum significatum fuisse: ut deprecando id præcautum iret. Item Vincula ista, qvibus constricta fuit, significare Ecclesiæ* (Bohemicæ) *statum, qvalem, post depugnata Septentrionalium prælia expertura esset.* Qvemadmodum id scriptâ etiam Revelatione XVIII. explicuit, hôc modô.

REVEL. XVIII.

[*Angeli cum Libro* (2) *prædicunt Adventum Domini, ad exhibendam Videnti Friderici restitutionem*, 3. *Qværunt de Ferdin. conversione*, 6. *Præfigurant* (*in Virgine per angustias ducta, manus pedesqve constricta, tandem penitùs dejecta*) *Ecclesiæ Boh. lamentabilem conditionem post Septentrionalium in patriam reditum*, 9. *Prædicunt tandem ipsi Videnti pericula.* 26.]

POstridie autem [21 Januar.] (feria fuit sexta) pomeridianâ secundâ visa mihi per ecstasin obvenêre hujusmodi. 2 Accesserunt Angeli tres, priores illi cum Libro, mandantes (post exhibitam salutationem) ut legerem: peractâqve lectione Librum clauserunt. 3 Et dixerunt: *Venimus ad te nuntiatum Tibi, tertiô inde die venturum esse Dominum, & exhibiturum tibi id qvod videre desiderant oculi tui: nempe Fridericum residentem in Throno Regio, & Coronam florentem super frontem ejus.* 4 *Tum & confractum baculum impiorum, & redactam in nihilum potentiam eorum, & conculcatam omnem illorum gloriam.* 5 *Hæc tibi Dominus ipse ostendet: Esto igitur parata & vigila, ut qvamprimùm veniat & pulset, aperias ei.* 6 Iterum dixêre Angeli: *Qvæso dic nobis, qvid sentias de Ferdinando, convertetúrne ille sic, ut pœnitentiam agat?* 7 Respondi ego: Nescio Domini mei, nihil enim hujusmodi hactenus indicastis mihi. Sed ille qvi solus est Rex in potestate habet cor Regis, ad illud emolliendum, & ad se convertendum: Qvod si eum ad judicii diem seposuit, qvis est qvi id avertat? 8 Ad hoc illi: *Ita est, benè qvòd hæc nosti: nam Dominus noster magnus Dominus est, cujus verba & decreta in æternum non mutantur.* 9 Iterumqve dixerunt: *Veni seqvere nos.* Ivi ergò, deducta ab ipsis in qvendam supra modum angustum angiportum, ut vix tandem transire potuerim. 10 Sed ut exivi, unus illorum cinxit me cingulô loreô adeò strictè, ut spirare vix possem. 11 Colligavit deinde manus, tandem & pedes, ut constricta progredi non possem, sed cecidi, velut exanimis jacens. 12 Angeli verò digressi erant â me, & ego sic deserta, & qvid occiperem ignara, clamavi ad Dominum, cum ejulatu; *Fer opem Domine, fer opem! Respice afflictionem meam! ne differ! attolle me iterum! Atqvi te glorificare parata sum! O auxiliare Domine! proculcata sum! movere me ampliùs non possum! Ah respice contritionem meam! Evigila gloria mea! erige me!* 13 Volens autem per meipsam surgere, relapsa sum denuò: sed brevi pòst fulgor qvidam decidit super me, & illicò surrexi, vinculis & loris libera: Angeli etiam comparuerunt iterum mihi. 14 Qvos interrogavi: Qvô fine id factum, ut per tantas angustias me premerê necesse habuerim? & cur ab illis tam graviter constricta fuerim?

erim? desertâqve ab illis velut mortua jacuerim? An periculum aliqvod instet mihi rogare me, ne celent. 15 Illi: *Dicemus tibi, & exponemus hoc. Per angustam illam & arctam viam tuam, vinctionémqve & tristem cubitum tuum, præsignatur tibi status in qvem adhuc deveniet Jesu Christi Ecclesia:* 16 *gravi sub jugo superbi Pharaonis ita pressa, debilitata, constricta, ab omnibus derelicta, sola in angulo velut mortua jacens, nullúmqve Opitulatorem & defensorem videns.* 17 *Qvin & dolenter intueri necesse habens, qvomodo ii, qvi sibi patrocinari, & sese defensare debebant, propter depressionem suam, recedant, existimantésqve ignominiam hanc & contritionem suam æternùm duraturam, miserabiliter sese, eheu, deserant: & qvod lamentabiliùs, nec illam nosse ampliùs volentes, conculcare magis, devorare, dispergere, juvant.* 18 *Ipsa verò qvid agat nescia, continuò tantùm lacrymatur propter sui disperditionem, & qvotidie gemit ac ejulat propter oppressionem.* 19 *Sed Dominus clamorem ipsius exaudiet, ejulatúsqve ejus ascendet in aures illius: qvia ille colligit lacrymas ejus in utres suos, omnésqve fugas ejus numerat.* 20 *Nam sic ait Creator ejus, cujus nomen est Jehova, Redemptor ejus, Sanctus Israel; Ad momentum parvum dereliqui te, sed miserationibus magnis congregabo te: in modica indignatione abscondi faciem meam parumper à te, sed in misericordia sempiterna miserebor tui.* 21 *Iuravit enim Jehova exercituum dicens: Profectò qvomodo proposui ita erit, ut conteram omnes hostes meos, & consolationem capiam de adversariis meis, ultionem sumendo de inimicis:* 22 *dummodò excoxero ad purum scoriam tuam, & amovero à te omnes impuritates tuas: qvod ubi factum fuerit, vocaberis tu Civitas Iustitiæ. & Sion mea fidelis.* 23 *Educam te in lucem, & faciam ut luceat tibi vultus meus blandus ut Sol: atqve tum emicabit illi è tenebris lumen, & circumfulgebit eam splendor gratiæ Capitis sui Christi: porriget enim illi dexteram suam, & sustollet eam.* 24 *Et decident ab illa omnes catenæ & lora, à qvibus respirare vix poterat: illâ deductâ in apertum, & in Vineam amœnam, ubi Myrrha & thus provenient.* 25 *Atqve tum illa è manibus Oppressoris, & à violentia impii liberata, cantabit ex intimis visceribus cordis sui: O desideratum tempus svavissimi nuntii, &c.* (è Psalmo scilicet 127.) 26 *Ita habes interpretationem unam, altera de te posset intelligi: sed qvia de hoc tibi indicando mandatum Domini non habemus, intermittimus.* 27 Ego verò metu mox correpta, rogare non destiti, ut aliqvid saltem innuerent, ad præveniendum qvôqvô modô pericula, & rogandum Dominum ut illa averteret à me. 28 Qvum ergò meam aliqvoties iterassem petitionem, dixerunt mihi: *Qvoniam id tam instanter flagitas, & promittis pericula prævenire precibus, tantùm tibi indicabimus: esse præ foribus, ut in locum periculosum venias, ubi vitæ etiam discrimen incurrere possis.* 29 *Ideò Dominum ora, ut te custodiat: neqve hoc cuiqvam dicito, donec tibi pleniùs ipse Dominus detexerit, & mandaverit.* 30 Ita valedixerunt mihi & abierunt: sicut & ego pariter ad me reversa, tristis admodum.

[Revelatione hâc (v. 9. 15. &c. repræsentatus videtur status Ecclesiæ Bohemicæ, qvalis futurus erat post Osnaburgensem Pacem, Nempe qvòd à toto Imperio & Svecis, sibi tantùm Pacem procurantibus, deserta, & in faucibus Antichristi relicta, extremas oppressiones pati debuit, qvemadmodum & factum est. DEUS tamen se eam non deserturum, tandémqve opitulaturum, promitit, v. 13. 19.

Scio

Scio non deesse, qvi cùm angustias & Pressuras hîc annuntiatas, tùm addita iis Divina solatia, ad totam hoc tempore Antichristianis persequutionibus ubivis pressam Christi Ecclesiam, extendenda putant: neqve negandum est extendi posse. Qvia tamen certum est Virginem hanc Bohemam Bohemicæ, tunc in dissipationem datæ, Ecclesiæ datam fuisse prophetissam, certum etiam sit qvæcunqve de Ecclesiæ statu loqvi & scribere jussa fuit, primariò & literali sensu de illa Ecclesia cujus membrum fuit, & cui suâ lingvâ scripsit, intelligenda esse.]

CAP. XXI.

Visio XXIX. Januarii 23. Ubi Tyrannorum dejectio Regisqve novi substitutio illi ostensa; & ad Pr. Waldsteinium scribere mandatum.

DIe Saturni (22 Januarii) satis fuit tranqvilla, præterqvam qvòd vesperi paroxismus epilepticus obvenit, idqve bis.. Postridie verò, circa tertiam à meridie, rediit qvater: & in ultimo illo (qvartâ sonante) illa se arrexit, lectulôqve exsiliens, in oocursum festinavit, pronaqve *Dominum cum Antiqvo* venientem adoravit.

2 Cum qvibus paululùm spatiata, *Coronabimus illum?* dixit. *Cur illum tàm diu non exhibuisti mihi? Considеamus hic in gramine.* Et consedit, numerans 6, & iterum 6: & exporrectâ manu ostendens *Ortum, Boream, Occasum & Austrum.* Dehinc: *Iterum reddis?* Recipiebatqve & induebat Ornamenta sua: ungebatqve Caput. Dein epistolas exarabat, sub dato 1628. obsignabatqve sigillô Domini sui, semel duntaxat qvamqve.

3 Tum surgens festinatò currebat ad Ortum, tradebatqve Epistolam, exhortans ne tardarent. Similiter ad Aqvilonem: additô, *Succurrite Vobis invicem.* Hinc ad Ortum regressa, iterumqve ad Septentrionem, & iterum ad Ortum: manu Meridiem ostentans, qvòd hi victorias continuarent, dum illi tardant. Iterumqve huc illuc cursitans, *Eja agite! eja!*

4 Mox obversa Meridiei cantavit, ex *Psalmo* 140. *v.* 11. *Cadant super eos carbones, in ignem conjice eos!* Et ex *Psalmo* 144. *v.* 5. *Inclina Domine Cœlos tuos, descende! Immitte fulgur, & disperge eos! Emitte sagittas & funde eos.* Et ex *Psalmo qvinqvagesimo qvinto*, versum: *Præcipita eos, descendant in infernum viventes.* Tum diligentiùs Austrum intuita, manibusque complosis, *Jam cecidit*, clamavit.

5 Et mox: *Ego illi aliqvid dicam.* Et progressa, *Jamnè jaces? qvomodo de sublimi cecidisti?* redibatqve, numerans qviddam 8. *Tu etiam?* numerabatqve 10. *Ad pedes procidebant tibi: ecce autem ipse jam cecidisti! Qvis vos eriget? qvis? Videte, vos cogitabatis æternùm Vos hic regnaturos. Qvàm bellè jam regnatis!* Et fodicando qvendam pede, *Hic fuit Dominus Imperator!* dixit. Aliumqve similiter: *Hic fuit*

fuit Dominus Papa! Resurgite, resurgite! Adesto tu, conside rursum in solio! Visne, collocabo te denuò in throno? Audi, alius qvispiam sedebit: satis tu diu sedem hanc occupabas. Qvem jam pro indulgentiis aditabunt? Adhuc tecum loqvar. Priùs te gestabant, nunc te raptabunt. (hoc jucundè ridens) *Priùs tibi pedes osculabantur, nunc te pedibus conculcant justi: ah! Ita me tui miseret, ut mihi cor non doleat* (iterum cum risu.) *Sat habes!* trusitqve illum pede.

6 Ad alterum verò illum (Cæsarem) conversa: *Tecum ego pridem rationes inibam.* (Videatur supra Cap. XII. § 2) *Ecce ecce! Invictissimus jacet humi! Serenissimus jacet humi! Habes?* trusitqve itidem pede.

7 Progressa inde dixit: *Miserescebat me illorum tamen.* Obvertensqve se Aquiloni, evocabat qvempiam: sicut & ab Ortu. Tum subridens: *Habui eos in conspectu. Malè illis erit: nollem eorum esse loco. Gaudeo ita factum. Omnia illis dixi qvæ mandasti: etiam de Indulgentiis.*

8 Tum Septentrioni obversa, rursumqve Orienti, *Ecce accedit misellus!* porrectâqve dextrâ, *Tibi Deus impertiet benedictionem! Tu es Oliva viridans in conspectu Dei. Jam cecidit* (adversarius tuus) *jam tibi loco cessit! Jam produceris in lucem, jam.* Extensâqve manu mandabat Septentrionali & Orientali, *Ducite illum, ducite! Collocate illum in throno! Vide qvàm Te Deus reduxit!*

9 Ad dextrum conversa, *Da illi, da!* dixit. Et ad illum in solio: *Ecce jam redditam habes Coronam! Sceptrum & Gladium! Illum Gladium qvô exscindere debes omnes impios ac sceleratos.* Expansisqve super illum manibus, dabat illi benedictionem: sed tacitè. Clarè autem: *Faxit id æternus Deus! Effundat super te ut rorem Cœlô benedictionem suam!*

10 Iterumqve dextrum respectans: *Debeóne illi accinere?* Et cecinit primò *Psalmum* 20. sed versu penultimô (de ponentibns in Eqvis & Curribus fiduciam) omissô. Dehinc *Psalmum* 21. Et *ex Psalmo* 89, qvæ de Regni perpetuitate promissa erant Davidi. Et *ex Psal.*72.*v.*7. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis,* &c. *Ex Psalmo autem* 63, *v.* ult. Et *Psalmum* 101 totum. Dehinc tacitè illi aliqvid loqvuta, addit: *Ita te gere ut tibi diximus. Deus verò pacis & omnis consolationis tecum erit semper, Amen.* Hîc finivit, porrectâ ei dexterâ.

11 Tum ad Dominum conversa, *Jamnè omnia peregimus?* inqvit, Prospectando verò Ortum versùs, *Pulchra nactus est munera*, dixit. Et rursum: *Tibi etiam id rependet Deus.* Aqvilonaribus autem obversa; *Non frustra laborastis, etiam Vobis reddet Deus. Exhibete Vobis dilectionem! ubi opus succurrite invicem!*

12 Demum (illis dimissis) cum Domino spatiata, retulit per qvas angustias premere se necesse habuerit: additô, *Qvis mihi nocebit, si Tu mecum eris? Fiat, dum ita vis* (detergens oculis lacrymas.) *Qvid mihi mortalis homo faciet?* Atqve cum hoc verbo confidens, flectebat Corollam.

13 Sed oculis sublatis, *Etiam Vos venistis?* inqvit. Surgensqve manum porrexit tribus, & dixit: *Hícne cessavi?* perlectisqve foliis decem, claudi jussit, mœstè obambulans. Tandem, *Ne me derelinqvite, rogo Vos! Maneamus hodie in horto!*

14 Spatiata tamen nonnihil adhuc, valedixit (dextræ oblatione) personis qvinqve,

qve, & reversa ad se lecto illata est. Durabat Visio hæc horas tres: cujus argumentum pleniùs ex iis qvæ ipsamet deinde (post menses novem) consignavit, patescit.

REVEL. XIX.

[*Sacrosanctæ Trinitatis mirabilis adumbratio*, 2. *descriptio Antichristi cum Defensore suo*, 11. *Evocatio Aqvilonis & Orientis ad eos sedibus deturbandum*, 29. *Mandati hujus velox exseqvutio*, 30. *Friderici reductio*, 35, *in Thronum restitutio*, 42. *Coronatióqve* 44: *& Benedictio* 46, 49, 50. *In his tamen perseverans ejus humilitas*, 51, *Videntis super his oratio*, 54.]

DIe (23 Januar.) Dominicâ III. Epiphaniarum, horâ à meridie tertiâ, abrepta fui (ad horas tres) & vidi seqventia. 2 Venit ad me Dominus veste supra modum fulgidâ tectus, ut oculi vix ferre possent. 3 Et mox etiam adventabat Antiqvus, candidâ item veste. 4 Qvos præcedebat persona tertia, staturâ illis similis, ignita tamen tota flammæ instar, qvam nunqvam tali imagine videram. 5 Et dixit ad me Dominus: *Ecce advenimus tibi hodie nos, qvos præ oculis tuis habes! ut tibi commonstremus distinctionem nostram, & tamen unicam essentiam, æqvalitatémqve & potentiam divinitatis nostræ.* 6 *Vides hic personas tres: Hujus nomen est* (senem commonstrans) ANTIQVUS DIERUM: *Hæc* (seipsum monstrans) nominatur VERBUM PATRIS ÆTERNUM: *hæc autem* (flammeam illam personam ostendens) *dicitur* IGNIS COELESTIS, *&* SPIRITUS *ab utroqve procedens.* 7 *Vides igitur tres personas distinctas: tamen unicum, verum, indivisum, unius essentiæ, immortalem* DEUM. 8 *Nam Filius habitat in Patre, & Pater in Filio, Spiritus verò S. in Patre & Filio: atqve ita Unus ille* DEUS *habitat in seipso, prouti se in sacrosancto suo Verbo Vobis mortalibus revelavit.* 9 *Tibi verò ad faciliorem divini hujus mysterii intellectionem exhibentur hæ tres personæ, ut qvùm tres personas vides, videas unum solum* DEUM, *à qvo, per qvem, & in qvo sunt omnia.* 10 *Rursumqve qvùm vides personam unam, ut videas omnes tres personas: qvia illæ indivisæ sunt, & in se invicem habitant.* 11 Prehendens verò me Dominus alterâ manu, alterâ Senex, spatiabamur; & persona tertia, ignea, præcedebat nos. 12 Et dixit ad me Senex: *Hodie tibi ostendentur judicia Domini, & potentia ejus, qvàm ille superbos dejicere sciat de soliis, & eum in locum exaltare humiles. Specta igitur diligenter ea, qvæ jam fient.* 13 Et mox ante me vidi Solium, & sedentem super eo *Ferdinandum.* 14 Ex altera item parte vidi solium elevatum, & super eo sedentem qvendam cum circumstante magna turba: qvorum alii abscedebant, alii accedebant, procidentes ad pedes ejus, & afferentes illi aurum, & argentum, prostratiqve ad genua illius flebant, & osculabantur pedes ejus: ille verò dabat illis chartas qvasdam, & folia, jubens abire. 15 Qvibus ego conspectis, rogabam Dominum, ut qvis iste esset, qvem homines tanti faciant, ut ad ejus pedes procidant, mihi indicaret. 16 Respondit Dominus: *Hæc est illa Babylonica Meretrix, sæváqve Bestia, qvæ sibi prioritatem spiritualem & secularem arrogat, & regimini suo omnia subesse vult.* 17 *Hic est Vir ille, qui inqvietabat Terram, & commovebat Regna, & in desolationem dabat Orbem Terræ, & sibi obse-*

obseqvi cogebat Nationes. 18 *Hic ille est Basiliscus ex progenie viperina! hic Draco ille ignitus, volitans per omnem Terram, cui parere necesse habuerunt Reges: & qvi scintillas spargens suas, concitabat Gentes adversùs invicem.* 19 *Hic est qvi se Pastorem appellans Lupus fuit rapax, fera & portentum immanissimum.* 20 *Vocabat se DEI in Ecclesia Vicarium, & Ecclesiæ caput: cùm esset vicarius Satanæ, adversarius meus capitalis.* 21 *Hic ille est, qvi dicebat in corde suo, Ascendam in cœlum, super astra DEI exaltabo solium meum: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* 22 *Ista ejus verba audivit Dominus, & cogitationes ejus noverat: ideò diutiùs ferre neqvibat Altissimus, sed commovit se in furore suo, ut retribueret superbo huic violatori nominis sui, & non permitteret illi ultra seducere populos Nationum.* 23 *Satis namqve diu seducebat Gentes mendaciis suis: accipiens ab illis aurum & argentum, & nihil pro eo dans nisi chartas vacuas, qvibus ne literula qvidem una meriti Christi inscriptum fuit, & sic mendaciis implens corda eorum, quibus illi credebant.* 24 *O infelix homo, si scias qvid te futurum sit hodie, lamentareris diem nativitatis tuæ!* 25 *O infelix Moab, & tibi jam abscindetur cornu tuum, & frangetur brachium tuum, dicit Jehova: propinqva est calamitas Tua ut veniat, & interitus tuus festinat valdè: jam veniet, jam venit, jam adest.* 26 *Condolete ei omnes circumstantes eum, & qvi novistis nomen ejus, dicite: Qvomodo confractus est baculus robustissimus, virga ornatissima?* 27 *Ejula porta, clama civitas: nam ab Aqvilone ignis veniet, & jam venit super te: nec erit qvi avertere, aut exstingvere possit, dicit Jehova.* 28 *Descendite de gloria, sedete in cinere & sacco, ó Vos qvi æternùm possidere Gentes multas confidebatis! jam enim concutiam Cœlos, & commovebo Terram.* 29 *Adesto AQUILO! Veni ORIENS, ad mandatum meum! Deturbate superbos istos de soliis suis, & confringite solia qvoqve ipsa cum eis: qvia polluta sunt injustitiâ, & crudelitate, & peccatis omnigenis.* 30 Ad me verò dixit Dominus: *Aspice diligenter!* Et vidi celerrimè venientes duos prægrandes Viros, alterum ab Aqvilone, alterum ab Ortu: qvi eos agressi, dejecerunt tantô impetu, ut Terra contremisceret, simulqve solia, qvibus insidebant, confregerunt in minuta frusta. 31 Illi verò volutantes se in pulvere, mugiebant ut boves, clamantes: *Iustus es Domine, qvia nobis retribuisti secundùm opera nostra!* 32 Ego autem vocem audivi, tanqvam Populi magni: *Qvomodo cessavit exactor, qvievit tributum! contrivit Dominus baculum impiorum, sceptrum dominantium! Jam gaudet Terra, jam qviescit, jam tranqvilla est, jam exsultat lætitiâ.* 33 Ad me verò dixit Dominus, & Antiqvus, qvasi uno ore: *Ecce jam reqviescam ab ira mea! qvia satis jam factum est verbo meo, & consilio meo.* 34 *Sile igitur à facie Domini Jehovæ omnis caro! qvia fecit qvod beneplacuit illi, & qvod judicium ejus decrevit ut fieret.* 35 Deinde dixit mihi Dominus: *Contemplare diligenter! jam enim videbis qvod videre pridem desiderarunt oculi tui.* 36 Et mox vidi hos duos Viros, qvi istos dejecerant, redeuntes, & in medio sui Fridericum adducentes! 37 Cumqve venissent ad nos usqve, reviruit Fridericus Arboris instar: qvod ego videns præ lætitia dixi, *Tu es Oliva virens in conspectu Dei!* 38 Iterum Dominus: *Vide!* & vidi thronum spectabilem,

lem, sublimem, candidum. Ad illos verò duos dixit Dominus: *Deducite eum, & collocate super Thronum hunc, in nomine meo!* 39 Fridericus autem ibat gressu lentô, qvasi diffideret, aut hæc ad ipsum non pertinerent, aut sibi novi aliqvid accideret. 40 Dominus itaqve ad illum: *Exi è tenebris & pulvere serve mi! Vidi enim qvomodo te humiliaveris coram me, & qvomodo flexeris in abdito genua tua in conspectu meo, lacrymas etiam cordis tui intuitus ego sum.* 41 *Conside itaqve rursum super Thronum, tibi à multo tempore destinatum, neqve metuas: perierunt enim jam qvi te perditum qværebant.* 42 *Reside jam in throno, qvi fundatus est in nomine meo: & rursum Capiti tuo imponetur Corona, qvæ deciderat, & ob qvam in luctu fuisti, & tamen patienter judicia mea tulisti.* 43 *Jam proferam justitiam tuam, & innocentiam tuam velut auroram: ut omnes Gentes audiant, qvaliter tecum egerit Altissimus.* 44 Insedit igitur Fridericus Throno: Dominusqve ad me, *Vide!* Et vidi Coronam speciosam, demittentem se de nubibus qvasi torqve aureâ, aut funiculô ignitô, super Friderici caput. 45 Qvod videntes qvi adstabant, duo illi Viri, prehenderunt Coronam, dexterâ qvisqve manu, & imposuerunt eam capiti Friderici: dederuntqve Sceptrum in manum ejus, & Gladium. 46 Et dixit rursum Dominus, & Antiqvus ille; *Sic ait Jehova, qvi & instituit & dejicit Reges super Terram, qvòd servo meo in æternum servabo misericordiam meam, & fœdus meum fidum erit ei.* 47 *Oculi mei semper erunt super illum, & manus mea auxiliabitur ei, brachiúmqve meum confortabit eum.* 48 *Misericordia & benedictio mea erit cum illo: illi semper patebit auris mea, & petitio illius inveniet locum.* 49 Interea, dum sic Fridericus sederet sub Corona, exiit à persona illa tertia, qvæ Domino & Antiqvo dierum adstabat, ignea flamma, circumtectusqve fuit Fridericus flammâ illâ veluti nube. 50 Dixitqve Dominus: *Factum est! Lætabor jam in Operibus meis, honorqve & gloria mihi manebunt in æternum.* 51 Fridericus autem surgens è Throno suo, procidit in faciem ante personas illas tres, dicens: *O Jehova DEUS magne & juste, à Te est hæc victoria, & Tua hæc gloria est! ego autem sum servus Tuus.* 52 *Benedictus igitur Dominus Deus Israel, qvi facit mirabilia solus! & benedictum nomen gloriæ ejus in æternum! repleaturq́ Majestate gloriæ ejus tota Terra!* 53 Addidit Dominus, ad me conversus: *Dic Aqviloni & Orienti, qvicqvid hic egerunt, serviturum gloriosa illorum memoria: retributionem autem illis datum iri à Domino, cujus voluntate omnia hæc acta sunt.* 54 Qvæ postqvam illis dixeram, jussit me Dominus cantare nonnulla è Psal. 89, & cecini: sicut & alios Psalmos plures, ut 20, 21, 72. &c. Deinde dixit: *Memento accuratè eorum qvæ tibi exhibita sunt hodie! at scribere ista noli, donec mandavero: sed habe illa interim solatio tuo, deinde verò aliorum fidelium solatiò trade.* 56 Tum valedixerunt mihi omnes tres, & abiverunt: ego autem ad me reversa.

[Apertè hîc Septentrio redire jubetur, coperariqve Orientalibus, (v. 29.) ad celerrimam judicii Dei exeqvutionem (30) qvæ bipartitè describitur: *I.* Ut de cervice populorum dejiciatur jugum Tyrannorum: *II.* restituanturqve pacifici Regentes, in gloriam Dei & salutem Gentium.]

CAP. XXII.

Visio XXX, Januarii 25. Ubi de itinere Gitschinium informatur.

REcitatâ modò Visione etiam Virgini, ut ad Principem Waldsteinium epistolam exararet, Gitschinium proximo die Veneris deferret, & die Sabbati Principissæ traderet, mandatum, epistolæqve argumentum verbis formalibus dictatum, & de complicationis ac obsignationis forma instructio data, fuit. Illa igitur mandatis obseqvium præstitura, multo mane (24 Januarii) surgit, & anteqvam alii venissent epistolam exarat, complicat, obsignat. Baronissa omnium ignara simul atqve surrexit ad eam visit, sedentemqve ad mensam videns, qvid fiat qværit. Respondet illa, & qvid factum sit, cujus jussu, qvô fine, docet, eôqve ipso Baronissæ terrorem incutit. Adsunt mox & Pastores, epistolam jam obsignatam vident, & qvid mandatum sit audiunt, mirantur, stupent.

2 Cùm autem totâ illâ & seqvente die hac de re colloqvia fierent, impossibileqve ab omnibus judicaretur eam istuc ire, salvamqve exire, posse: cùm à prandio reversi (25 Jan.) lectulum circumsederent (pomeridianâ primâ) subitò illa in ecstasin rapta, primùm qvidem tacitè multa est audire & loqvi visa: mox tamen & clarè protulit nonnulla. Nempe seqventia.

3 *Ibo? adversus pericula tu protectio eris? Illa ut me deducat? Rogabo eam, si volet. Mandabis Tu? Eâ ipsâ tamen die proficiscemur? Etiamnè illa nobiscum? Etiam? Principissæ tradam epistolam? Nos fuimus soliciti. Debentnè autem illi tantisper abscedere?* (Nempe Ministri & Pastores: ita enim consilium inibatur, propter metum inqvisitionis.) *Non opus? Illa dixit, si tu jusseris paratam se. Tu qvoqve nobiscum eris? Tot nostrûm erunt. Cùm valdè anxii fuimus ego dicebam, Mi Deus subveni consiliô! Et Tu statim venisti. An tu id audiveras? audiveras? Illa dixit sibi nullum esse metum. Et qvis metuat, Te præsente? O Deus, Deus, Tu nobis benedices! Ecce jam ita faciemus. Sed qvis præterea nos comitabitur? Domina Sadovia? Domina Sternbergia? si fuerit opus? Doctor etiam?* (Hæc mussando qvidem, sed ita ut intelligi posset.)

4 Et mox, post exhibitam dextram, adorationemqve capitis submissione factam, ad se rediit, & pleniùs qvinam comites additi sint docuit, literasqve ad Baronissam Sadoviam, & Medicum Libavium, ipsa exaravit. Qvi post magnam carnis & sangvinis luctam, divinæ voluntati sese submittentes, die Jovis Brannam venerunt, deqve suscipiendo itinere consilia iniverunt. Sola *Sternbergia excusabat*: Currum tamen & eqvos misit.

CAP.

CAP. XXIII.

Profectio Virginis Gitschinum, in eóqve itinere visibilis Angelorum præsentia, cum raptibus sex eadem die, 28 Januarii.

DIe igitur Veneris itineri se daturi, de Virgine ægra soliciti erant: Consiliumqve stetit pilentum esse trahis imponendum, illam cum lectulo inferendam, & ut à ventorum injuriis tuta esset, probè circummuniendam. Sed illa, cùm jamjam insidendum esset Currui, surrexit, vestes induit, Trahisqve unâ cum cæteris insedit, & profecti sunt.

2 Qvia verò Dominus visibilem præsentiam Angelorum illi promiserat, hos illa simul atqve portis egressi erant conspicata, *Num deductores suós videant*, qværit. Docetqve ingentia præeuntium, seqventium, & latera cingentium agmina adesse, candidè indutos omnes, perqve nivem incedentes. Tres autem illos, qvi cum Libro sibi adesse solent, insistere Currui armatos gladiolis.

3 Sed & in ecstasin fuit abrepta sexies, anteqvam Gitschinum (per qvatuor grandia milliaria, Italica nimirùm sexdecim) attigissent: omnia eô fine (ut referebat) ut de præsentia Dei tantò confirmatiores redderentur. Inter alia revelata & mandata, hoc fuit, *ne Principissam eâ die adiret ipsa, sed postridie mane: cum promisso, ibi se qvoqve illi appariturum, Domumqve impiam presentia sua signis perterrefacturum.*

4 Ingressi Urbem igitur, & apud Civem amicum diversati, Baronissæ Arce conscensa Principissam salutarunt, causamqve sui adventûs magnâ trepidatione exposuerunt. *Nempe Virginem sibi Nobilem esse qvæ inusitatos patiatur morbos, qvos ne Medicus qvidem intelligere qveat. Hanc se inscius epistolam exarasse qvandam ad Illustrissimum Principem, & obsignasse sigillis adeò, ut nemo qvid scriptum insit sciat: mandatumqve sibi dicere, ut absente Principe nemini nisi Principissa in manus tradat. Qvod cùm illi dissvaderetur, currusqve negaretur, pedestri itinere commeare huc voluisse &c.* Inaudivisse aliqvid de Virgine, respondit Princeps: cur ergò non venisset? Respondent, *Nolle nisi mane.* Jussi ergò sunt ad octavam adesse.

5 Principissa interim *Patribus Societatis* rem aperuit, consilium reqvirens. Qvi sententiis collatis epistolam recipi svadent, at non manu Principis, metu veneficiorum, sed ut in mensam reponi juberetur.

CAP. XXIV.

Acta Gitschinii, cum Visione trina eâdem die, 29 Januarii.

COmparent ergò ad octavam die Sabbati, facti per ipsas qvoqve plateas (res enim emanaverat) spectaculum publicum. Admissi cùm essent, plenô Principis Gynæcéo præsente tradita est epistola (& qvia manu recipere noluit, super mensam posita) cum petitione, ut in Illustrissimi Principis à Cæsaris Aula reditum asservari, inqve ipsius manus tradi, curaretur.

2 *Benignam se Princeps exhibuit.* Virgini sellam dari jussit, sederéqve (tanqvam valetudine infirmam) coëgit, in multa inqvirens, morbiqve condolentiam testans.

3 *Interim Virgo in mediis sermonibus rapitur.* Qvô visô Baronissæ (attendebant enim, futurum id præmonitæ) nunc esse in ecstasi (inconnivis oculis, respiratione & arteriarum pulsu nullô, membris rigidis, sensibusqve omnibus introversis) docent. Attoniti stant omnes, & exterrefacti, pars etiam illacrymantur: inprimis Aulæ Magistra, matrona nobilis. Summa Visionis fuit. *Apparuit ipsi Dominus, collaudatôqve obseqvio, salvum inde reditum promisit: sed maturare jubens, eô qvòd impia Domus præsentiâ suâ indigna esset.*

4 Reddita sibi Virgo Principissæ valedixit, langvorem causata: permissusqve in diversorium abitus, Matronis illustribus ad prandium detentis, & in aliud Conclave deductis. *Medicô autem Libaviô à Principis Medico Italo variè examinatô.*

5 Interea Jesuitæ literas ut aperire liceret obtinent: perceptôqve argumentô, omnes illos hospites arrestô detineri solicitant, ad Piccardicum illum dæmona deprehendendum. Sed Princeps ut id permitteret, nullô modô persvaderi passa est. Subditos esse, & possessionatos ut loqvuntur: posse Principem Dominum suum de illis disponere, cùm venerit, pro arbitrio.

6 Prandiô peractô (Virgini etiam in diversorium dapes lautæ missæ) festinârunt inde, Deum laudantes qvòd incolumes servasset. Arrestum enim metuebant, eôqve fine pecuniæ nonnihil secum (si includi contingeret) sumserant.

7 Ut suburbiô egressi, mox Angelorum turbæ, currum undiqve stipantes, Virgineis sese denuò exhibent oculis: ipsâqve paulò pòst in ecstasin rapta, & sub vesperam (in via adhuc ipsa) iterum. Inter alia hîc ad eam Dominus: *Nolo Te hic esse diutiùs, Lesnam Polonorum Te transferes.* Illâ, *Qvomodo id possum?* reqvirente: *Baro Sadowsky te deducet*, respondit. *At id non faciet fortè.* Dominus: *Ego illi mandabo, faciet. Atqve ibi etiam tibi parabo amicos, neqve Te deseram.*

8 Venerunt autem ad Villam Ostrauhle, ibiqve apud Nobilem pium, *Carolum Gestribium*, pernoctarunt.

CAP.

CAP. XXV.

Translatio Virginis in Poloniam, cum Visione quadragesima.

MAne *Tremesznam* festinârunt, ad Dn. *Georgium Sadovium*, *Baronem de Slaupna: qui quid illis Gitschinii fieret solicitus, salvosqve redire videns, Deum collaudabat: & de voluntate Domini edoctus, obseqviosum se Deo dedit, Virginemqve in Poloniam deducere in se recepit.*

2 Detinuit autem eos apud se per biduum: Virgine 31 Januarii (die Lunæ vesperi) ecstasin per sesqvi horam passâ. Angeli apparuerant cum Libro, cujus illa foliis 20 perlectis, Corollâqve Domino missâ, ad se rediit.

3 Posterô die reducta fuit *Brannam*, calendis Februarii: tertiô verò inde die Schatzliriam, ubi eam Baro Sadovius præstolatus excepit, sextôqve die (8 Febr.) Lesnam appulit.

4 Non prætereundum silentiô, illam hac in via corporeis oculis aliqvoties columnam Iridis instar versicolorem, è Cœlo ad Terram protensam, & in illa descendentes Angelos currum stipaturos, vidisse. Qvod proculdubiò ad demendum prædonum militum metum, qvibus per eosdem dies itinera undiqve reddebantur infesta, factum. Cæteris comitibus Angelicæ illæ excubiæ non visæ, conspecta semel columna.

5 Omnia verò postrema ista secum in Bohemia acta, suámqve in Poloniam migrationem, illa sic suâ manu consignavit.

REVEL. XX.

[Videns Epistolam ad VValdsteinium Principem scribere (non in ecstasi, sed reapse) jubetur, deferreqve ipsamet in Aulam ejus, 3 &c. qvod illa fiduciâ divinæ præsentiæ fecit, 14. Dominus ibidem illi apparet, 18. Bohemiâqve excedere, & in Poloniam sese transferre, mandat, 21. Qvod itidem factum. 26. 27.]

DIE Conversionis Pauli (25 Jan.) obtigit iterum mihi visio talis. 2 Venit ad me Dominus, porrectâqve mihi dextrâ dixit: *Robur præsentiæ meæ tecum sit.* 3 *Volo autem ut exares epistolam, verbis qvæ audies ex me: scriptamqve complices & obsignes sigillis tribus, atqve deferas ipsamet in Civitatem Gitschin, & tradas rabioso illi cani Waldsteinio.* 4 *Qvod si illum domi non reperies, Uxori ejus reddes, illi ipsi: ego autem efficiam, ut ad ipsius sangvinolenti canis manus veniat omninò.* 5 *Nam ita vivo ego Jehova, ut anima mea non delectatur morte impii, neqve interitum qværit impœnitentis, sed ut convertatur à via sua mala, & vivat.* 6 *Jam itaqve ipse monebo impium illum, & ob oculos illi statuam magnitudinem peccatorum & tyrannidis suæ: si fortè expavescere & resipiscere velit, agnoscens me Jehovam videre opera sua, & novisse arcana etiam ejus, & redditurum (sicut unicuiqve) secundùm merita sua.* 7 *Si emendave-*

daverit, & de commissis pœnitentiam coram me ostenderit, emundaveritqve se ab innocente sangvine, cujus tantùm profudit; adhuc illi misericordiæ fores aperiam, & auferam ab illo culpam, qvanqvam magna est. 8 *Qvod si obduraverit cor suum, & meam admonitionem jocò & risu exceperit, neqve pœnitentiam egerit: ego qvoqve obdurabo contra illum cor meum, tanqvam ferrum & chalybem; & exacuam Gladium meum, intendámqve Arcum meum, & collimabo ad cor ejus: parabo qvoqve mihi sagittas lethales, qvas jaculabor in cor ejus, donec interficiam ipsum.* 9 *Scias autem, nisi ad tempus certum, qvod illi in terminum posui, sese converterit, jam esse destinatum, ut juvencam, ad mactationem æternam: non miserebitur ejus ampliùs oculus meus, neqve illi gratiam faciet.* 10 Tu verò fac ut mando: proficiscere die Veneris Gitschinium, cum personis qvas elegi, ut tibi testes sint: nihil autem metuas tyrannum istum, nec alios qvi nocere tibi possent. 11 Nam tecum ero, Angelosqve meos tecum, præsidio tibi futuros, mittam: non tantùm qvos videre soles, & jam nosti, sed & alios magnô numerô, qvos nondum vidisti; illis te ut igneô murô circumdabo, videbísqve eos corporeis etiam oculis. 12 Istuc autem delata, ne solicita sis qvid loqvaris: ego enim tecum, & in te, ero: neqve tibi qvidqvam facere poterit homo, qvia ego tecum ero. 13 Epistolam verò trades die Sabbathi demum, mane: subsistésqve ibi paululùm, dum tibi comparuero, ad percellendum corda eorum, qvi te videbunt. 14 Feci ergò sicut mihi mandaverat Dominus, scripsi epistolam, obsignavi sigillis tribus, proficiscebárqve cum personis mihi à Domino assignatis [duæ Baronissæ erant & Medicus.] 15 Toto autem itinere tres illos Angelos, ad me mitti solitos, vidi Currui insistentes: aliorum autem, utrinqve Currum cingentium, ingens erat agmen. 16 Dominus verò ipse, sicut & Senex, exhibuerunt se mihi (per ecstasin) ad fiduciam divinæ protectionis me exhortantes. 17 Eô ut ventum est, ego secundùm mandatum epistolam Principissæ in ejus Conclave admissa (Princeps enim abfuit) tradidi, illa verò accepit. 18 Et paulò pòst (in conspectu ejus & totius Gynæcei) in ecstasin veni; ubi apparens mihi Dominus dixit, *Qvàm tuta & salva huc venisti, tàm tuta & salva inde exibis.* 19 *Sed ne diu hic morare: nam impia Domus hæc præsentiâ meâ indigna est: ideò & tu hinc exi.* 20 Et mox datâ mihi dextrâ, abiit: ego autem ad me redii, & surgens, meos ut abiremus hortata sum. 21 Qvàm primùm autem Currum conscendi & Urbe egressa fui, apparuerunt mihi Angeli, & postea Dominus qvoqve ipse, dicens: 22 *Rectè factum qvòd mandata mea peregisti, nam si non paruisses, castigationem meam non effugisses. Qvare nunc etiam parebis, & qvod mandabo facies.* 23 Ego: Parata sum Domine Tua seqvi in omnibus jussa. Ille autem: *Nolo te hic manere, transfer te in Poloniam, Civitatemqve Lesnam.* 24 Et cùm interrogarem, Cum qvo, & qvomodo, transferre me istuc possem? Dominus nominavit mihi personam [Baronem B. G. de S.] qvæ me transferre debuit, mandaturum se ipsi: Ibi autem mihi excitaturum amicos & fautores, neqve depositurum mei curam. 25 Et additurum ad totum hoc iter tutò absolven-

vendum eundem Angelicum comitatum totum, qvem jam circa me viderem. 26 Qvæ omnia qvùm eidem personæ significassem, acqvievit (voluntati DEI) & se qvadriduô post mecum in viam dedit, & me in locum, qvem ostenderat Dominus, deduxit. 27 Totô autem itinere comites nostros invisibiles circa me vidi: atqve sic omnia mihi evenerunt prout mihi tùm promiserat Dominus: Illi gloria in æternum.

[NB. v. 8. Dicitur: *Si admonitionem meam jocô & risu exceperit, &c.*) Factum, excepit. Dixit enim Cæsar Dominus meus epistolas accipit Româ, Constantinopoli, Madridô &c. ego verò ex ipso Cœlo.

v. 9. *Mactabitur*) Factum; Anno 1634 mactatus à Cæsare tragicâ morte periit Egræ, ut notum.

v. 14. *Cum personis assignatis*) Erant Baronissæ duæ, Esther Sadovia de Wechinitz, & Engelburg Zarubia de Zelkin, cum Medico Michaele Libavio. Baro verò qvi eam in Poloniam deduxit, fuit Georgius Sadowsky de Slaupna.]

CAP. XXVI.

Prima in Polonia Visio, numero XLI. Febr. 9.

INter exules Bohemos Lesnæ nemo adhuc erat Politicus (tametsi hospitia jam conducta haberent plurimi) Pastores tantùm qvatuor; *Joh. Cyrillus*, Consistorii Pragensis Senior; *Johannes Decanus*, Consenior; *Georgius Voitus*; *& Joh. Comenius. Cui postremo qvia Baronissa Zarubia filiam suam* (ita Christinam matre orbam solatii causâ compellare sveta) *potissimùm voluit concreditam, accessitqve superiorum voluntas, recepit eam in contubernium suum filiæ qvoqve loco habendam.*

2 Mox autem postridie Visionem habuit: præsentibus aliqvot Theologis, & Nobilibus, aliisqve utriusqve sexûs personis honoratis: ut & postea semper observatum. Qvia enim recedentes Angeli, aut Dominus, rediturae Visionis diem & horam plerumqve indicare soliti sunt, poterant instante Visione commodè satis convenire, qvorum intererat. Et qvia nihil erat cur occultandum videretur hoc in loco tàm inusitatum Dei opus, patiebatur Videntis Tutor interesse qvicunqve optabant; ad hoc illustre Dei opus tantô reddendum testatius.

3 Raptum hunc nonnisi langvor præcesserat, supraqve horam qvadrantem unum durabat. Pauca hîc ad Angelos loqvuta fuit, in Libro tacitè legens. Sed qvæ præterea vidisset & audisset, qvia scriptô consignavit ipsamet, ea huc apponemus.

REVEL. XXI.

[*Angeli nuntiant Videnti morbum & solantur*, 2, 3. *Qvô ordine Gentes adversus Babylonem destinatæ, & evocatæ, prodituræ sint*, 9. 10. *Miserabilis ruina Babylonis*, 11. *&c.*

POstridie mei Lesnam adventûs (9 Febr.) habui Visionem ejusmodi. 2 Venerunt Angeli cum Libro: qvumqve perlegissem qvantum jusserant, dixerunt ad me: *Nuntiat tibi per nos Dominus, ut ne concipias tædium, brevi te visitabit ipse.* 3 *Significamus item tibi, qvod audivimus ex Domino, morbum te exspectare.* 4 *Id qvod tamen noli pavescere, neqve proruere ad impatientiam, neqve*

id ut indignationis divinæ indicium accipias.
5 *Electos enim DEI oportet hic in terra cruci & afflictionibus esse subjectos, ut deinde supra modum sublime gloriæ & voluptatum æternarum pondus accipiant in Cœlis.*
6 *Non enim condignæ sunt passiones hujus temporis ad gloriam futuram, quæ servatur in cœlis ad finem usqve perseverantibus.*
7 *Qvippe non vidit oculus, nec audivit auris, nec ascendit in cor cujusqvam hominis, qvanta gaudia præparaverit iis qvi diligunt eum, fidelésqve perstant illi.* 8
His solatiis te sustenta, & edulca tibi amarissimum etiam calicem, qvem fortè Domino placuerit infundere tibi: atqvi nosti fidelem esse, & nihil supra vires immissurum.
9 Cum verò hæc illi mihi loqverentur, conspexi ego Virum qvendam, habentem in manu Tubam: qvi Septentrioni se obvertens clanxit admodum sonorè, ut resonaret æther. 10 Qvæsivi ergò ex Angelis: Qvis ille esset? & cur ita Tubâ sonaret? Responderunt mihi: *Est Angelus Domini, missus ad evocandum Gentes Septentrionales, Orientales, Occidentalésqve, ut veniant contra Babylonem: Jam enim tempus est, qvod prædestinavit Dominus pridem, ut concidat & diruatur Babylon: jam tempus illud veniet, imò jam venit.* 11 *O qvam miserandum in modum desolabitur Babylon! qvàm horrendè vastabitur Ægyptus! qvisqvis hâc transibit consternabitur, exprimétqve lacrymas præ horrore disperditionis ejus.* 12 *Ecce approqvinqvat annus visitationis tuæ, ó Babylon! sceleratorumqve habitatorum tuorum tecum.* 13 *Fiétqve ut qvi fugiet formidinem incidat in foveam; & qvi ascenderit è fovea, capiatur laqveô; etiam Gladius occidens mittetur super eos, ut superfluant sangvine valles eorum.* 14 *Ah qvàm lamentabiles vociferationes audientur ab his, qvos vastabit Gladius Jehovæ! clamabunt enim altâ voce, O Gladius Jehovæ qvousqve non qviesces? Redi in vaginam tuam, qviesce, subsiste!* 15 Ille autem respondebit: *Qvomodo qviescam? qvùm Dominus præceperit mihi ut Vos devorem? Qvis ergò est qvi avertat extensam ejus manum?* 16 *Ah qvàm multi erunt, qvi cadent alius super alium! Robustus enim cum robusto cadet; & omnium manus erunt remissæ, omniúmqve genua luxata, liqvescent ut aqva.* 17 *Hæc est merces qvæ dabitur inimicis Jehovæ! qvia os Domini loqvutum est.* 18 Hæc sunt qvæ referre tibi à Domino jussi sumus: memineris horum ut ea consignes, sed qvando fueris jussa. Sic mihi dictô Vale, abierunt, & ego ad me redii.

[Huc usqve Orientales cum Septentrionalibus circa Babylonem diruendam occupari jubebantur: jam & Occidentales advocantur v. 10: atqve tum Opus processurum nuntiatur, v. 11. &c.]

CAP. XXVII.

Visio XLII, Februarii 11, qvâ Amoris Dei svavitates mirabiliter repræsentatæ.

DEscripsit qvidem Visionem hanc ipsa Videns, Revelatione XXII, sed qvia compendiosè, nonnisi partem sermonum Domini ad se habitorum: nos qvia plura vidimus & audivimus, consignataqve exstant qvæ pias animas sciri svave erit, eja huc ea transferamus!

2 Disce-

2 Discesserat matutinò illius diei *Baro Sadovius*, cum alijs viæ comitibus: Virgo autem vesperi (circa qvintam) in ecstasin rapta procurrebat, manuqve cum gaudio & faciei rubore, porrectâ. *Ah Domine, Tunè es?* dixit.

3 Mox retrospiciens, *Etiam illi veniunt! An eos venire jussisti? Iterumnè legam? Cur tantummodò Vos tres semper acceditis?* Conversaqve ad Dominum: *Jam ut legam volunt. Qvando jubes faciam. Qvàm ego Te diligo! Tu gloria es mea! Te præsente qvem timeam?* Tum prehensum manu Dominum, duxit ad mensam, sellâqve monstratâ, *Sede hic, sede! Tu autem cedò Librum!* Qvem ceu mensæ impositum volutans, *Jam 70 folia perlegi*, dixit: *hodie absolvam 10, erunt 80. Legam celeriter.* (Nempe qvia Domini præsentia charior, qvàm arcanorum scíscitatio.)

4 Legit ergò: & qvôdam loco hærens, ex Domino qvæsivit: addens, *Illud est?* Ad Angelos verò: *Nihil opus est Vos dicere mihi. Dominus dicet.* Qvem & subinde interrogabat, responsaqve accipiens mirabatur. Perlectis autem foliis 10 Librum claudere festinabat, & ad Angelos: *Abite Vos jam, Dominus mecum manebit.* Qvod cunctari eos videns, iteravit, manuqve porrectâ eos dimisit.

5 Tum ad Dominum: *Jam perlegi 80 folia: Hodie omnia intellexi. Te præsente omnia mihi patescunt. In Te ego omnia possum. Consideamus hîc in gramine! Sede, sede.* Conseditqve ipsa etiam humi: & perrexit, *Qvàm ego præsentiâ Tuâ lætor! Tu es Corona mea, decus meum! Tu voluptas mea. Anima mea exultat in te Deo vivo. Hem qvid sum ego qvam tantoperè diligis! pulvis & cinis. Ah Domine, indigna sum iis qvæ circa me agis! Cùm tamen animam Tuam pro me posuisti, non potes non amare me. Qvomodo autem ego retribuam Tibi Domine? Transfer me ad Te, ut Tibi serviam in æternum. O Domine Zebaoth, qvis mirabilia Tua satis perscrutari poterit? Ex intimis cordis mei visceribus diligo Te Jehova, rupes mea! O sume me Tecum! Ah multinè adhuc dies mei erunt! Eccur Tu me ad talia elegisti? Eccur mihi peccatrici tot & tanta mysteria revelasti? Hæ sunt perpetuæ meditationes meæ. Qvomodo verò Te satis laudabo? Adapta me Rex meus & Deus meus, ut Te dignè glorificare possim. En indigna sum, qvæ tuam sanctissimi Domini faciem intuear! Qvomodo Tu vis: Tua sanctissima fiat voluntas! Ego tibi nectam corollam.*

6 Atqve hîc celeriusculè flores carpens, corollam viebat, & olfactorium hoc illi dans in manum, illam imponens capiti. *Ne adhuc à me recedas!* Atqve hîc rubescebat amplexu excepta, qvod è gestibus patebat. Et mox: *Unâ manu me flagellabas antè, nunc alterâ amplexaris. O ne abeas! ego Te non dimittam.* (Tenebatqve ceu veste apprehensum.) *Ne abeas! aut me tecum sume! Ego post te curram. Tu verò jam surgis? expecta, comitabor te.*

7 Surrexit ergò: & deambulans, *Ah assume me! ego Te non dimittam. Qvando redibis? Educ me isto ex horto! Ne tam præproperè curre! lentè spatiemur!* cursitandoqve plorabat. Tùm lentè incedens, *Ita ecce!* inqvit. *Ecce adhuc mecum manes!* Denuò flebat; mox gaudebat: iterumqve flebat, ter. Tandem abeuntem sursum oculis comitata, *Redi, expectabo Te!* dixit, & ad se rediit.

8 Durabat hæc Visio septem qvadrantes horæ.

REVEL. XXII.

[*Videns, in tempus interitûs impiorum inqvirens, castigatur à Domino, variis cum exhortationibus.*]

BIduo pòst (11 Febr.) venit ipse *Dominus*, & cum illo Angeli ferentes Librum illum, in qvo legere sum jussa folia decem. 2 His perlectis, complicarunt Librum & abierunt: Dominus autem mansit mecum in Horto, residensqve in gramine, assidere me sibi jussit. 3 Et recitavi illi omnia qvæ nuper ab Angelis, de horribili impiorum eversione, acceperam: rogans Dominum ut significare mihi dignaretur, exitium hoc impiorum qvando esset venturum? 4 Respondit mihi Dominus: *Ne qværas, qvando & qvomodo impii peribunt, sed qvare qvando & qvomodo pii servabuntur.* 5 *Neqve eò læteris, qvod interitus impiorum prope est: potiùs plora & lamentare, qvòd ira Omnipotentis ab illis jam averti non potest.* 6 Ego ad hæc: Tu nosti cor meum Domine, non ideò me id scire optare, ut exultem de illorum calamitate; sed ut sciam, num diu adhuc eorum malitia & idololatria, obscurabunt gloriam Tuam. 7 Rogo itaqve saltem mihi signa aliqva ostende, qvibus agnoscam tempus appropinqvare, qvô impleri debet qvod prænuntiasti. 8 Dominus autem dixit: *Compara tempora temporibus, & expende illa qvæ tibi revelata sunt: & intelliges citòne veniet tempus, qvô incipiet Altissimus visitare seculum, qvod ab ipso factum est.* 9 *Nempe qvando videbis commotiones locorum, & tumultuationem adversus invicem populorum, & impios complere mensuram iniqvitatum suarum: tùm scias illud ipsum esse tempus, de qvo tibi loqvutus est Altissimus.* 10 *Atqve tum videbis iram Dei volventem se sicut nubes, & sicut fluctus maris, ad obruendum impios.* 11 *Noluit enim DEUS hominem damnari: sed illi cùm essent Creatura, polluebant nomen Creatoris sui, & ingratitudinem exercebant erga eum, qvi sibi dederat vitam.* 12 *Ideò judicium meum, & retributio illorum, appropinqvant: qvod non revelavi omnibus, sed tibi, & qvibusdam tui similibus.* 13 *Noli itaqve inqvirere in multitudinem pereuntium, qvi se impiè in licentiam effuderunt, & Altissimum abjecerunt, Legémqve ipsius contemserunt, & Vias ejus deseruerunt: Insuper & justos ejus conculcarunt, dicentes in corde suo, Non est DEUS, licet scirent moriendum sibi esse.* 15 *Meritò igitur retribuet illis Altissimus, & super capita illorum rejiciet omnes vias & abominationes suas: ille enim nemini facit injuriam, nec est acceptio personarum apud illum.* 16 *Tu ergò auditis comminationibus meis tremendis, lauda toto cum Israel nomen Domini Jehovæ! & exulta coram ipso, qvòd sibi elegit Israelem, & non aggregavit damnandorum numero Jacobum, sed memor est Jerusalem, ut vexillum erigat in medio ejus.* 17 *Jam à te ibo: sed brevi rursum me tibi ostendam.* 18 Cumqve valedixisset mihi abiit, & ego sensibus meis reddita sum.

CAP.

CAP. XXVIII.

Visio XLIII, Februarii 15, Antiqvô dierum illi apparente.

SEqvente triduô satis vegeta fuit: 14 Febr. tamen (dies Lunæ fuit) matutinâ sextâ epileptici redierunt (ut ab Angelis fuit prædictum) insultus, continuabantqve (exiguâ remissione) per integras 24 horas, numerati supra 50.

2 Cùm adstantes dicerent causam esse datam nimiô frigore, qvô in Templo die Dominico fuisset affecta, respondit, *Nihil hoc est. Sciebam ego jam in Bohemia redituros istos affectus. Indicavit enim Dominus mihi, nolle me hac è castigatione dimittere: tantummodò impetraveram ut in itinere immunis essem.*

3 Factum autem ut mane (15 Februarii) Lingvæ usum amitteret, muta facta. Cùmqve sic debilitata jaceret ad horam decimam, rapta est subitò, erexit se super lectulum, manuqve porrectâ, *O salve mi dilectissime ANTIQVE SECULORUM!* (Starý wěků) *Qvàm dudum Tu apud me non fuisti!*

4 *Ecce me, qvàm doloribus conficior! Tu me visitatum venisti. Si vis Domine potes me sanare. Dic modò verbum & sanabitur serva Tua. Atqvi eadem Tibi est potestas, qva illi: posses me restituere. Dixit nolle se dimittere me.* Tum extensâ manu, *Sede hic, sede!* inqvit. *Si tu mihi adesses, ego non ægrotarem. Elongasti à me procul amicum meum!* (Patrem indigitans, divinô instinctu. Ille enim eâ die agoni approximabat, mortuus postridie, Namesti in Moravia.)

5 *Cur me non ad illum potiùs misisti? Ita est, hic etiam mihi parasti amicos & fautores. Dicebat lingvam ideò ligari mihi, qvòd adversus eum peccassem. Tuum hoc opus est: adversus illum ego non peccavi. Plus debui obedire Tibi qvàm illi. Nunqvam adhuc de illo Tecum mihi sermo fuit. Habebat id pro phantasiis:* (numerabatqve, ridens, 5.)

6 *Qvid, abituris! Ibo tecum. Redibis? citóne? statim? O si ille qvoqve veniat!* (Dominus) *Adfuit mihi* (numerabat 4) *dedi ei corollam. Redi qvaso Te! Nec me tamen restituisti.* Atqve hîc ex Psal. 73. ℣. 25. & 26. cantabat: *Nihil mihi in Cœlis vel Terra est qvò delecter præter Te; vanissimas vanitates esse novi omnia, præter te rupem meam, partem cordis mei.* Et mox itidem: *Qvando illi cum Libro redibunt? Nuper omnia mihi clara erant, Domino præsente. Scibas illum ad me ivisse? Et cur non venisti unà? O si mihi adhuc ad Te venire daretur! Cur ego Te convenire jam non soleo? Tu jam me convenis. Qvid juvat? atqvi sciunt: sed!*

7 Hîc valedixit, & ad se rediit. Duraverat hæc Visio semihoram vel ultra. Simulqve ac sensibus reddita fuit, occupavit eam epilepsia fortis, per horæ qvadrantem.

CAP. XXIX.

Visio XLIV eâdem die.

AB undecima ad primam qvieta fuit: jubebatqve sibi (manu pro lingva utens: adhuc enim, præterqvam in ecstasi, ligatam habuit) certos cantari Psalmos. Paulò verò ante primam rediit *Epilepsia*, eâqve cessante *Ecstasis*. Ubi per horæ qvadrantem tacitè qviddam loqvuta, obvertit se ad latus, torvùmqve spectans qvendam, *Qvid tu tibi vis? invenisti me hîc etiam?* Et ad Antiqvum: *Ego jam his esse finem sperabam* (nempe judiciis.) *Mittamus eum! Ne illum mihi ostende!* Et ad illum rursus: *Apage te, apage!*

3 Post aliqvantulum temporis: *Non qvomodo ego volo, Domine, sed qvomodo tu vis. Nisi venisses, jam cogitassem me rejectam. Nullum superest corporis mei membrum, non attritum dolore. An verò semper jam ita mihi manendum? Ita sanè est: optabam, literas ferens Gitschinum, potiùs incidere in manum Dei viventis, qvàm in manus Tyrannorum. Saltem mihi lingvam solve, oro Te. Cur neqveas, aqvalis illi? Saltem ergò dolores mitiga meos! aut mane mecum semper. Atqvi non qviritor. Scio me dolores meruisse. Saltem ergò signum exhibe, qvô præsentes agnoscant adfuisse Te mihi. Etiam si Tu me occidas, ego in Te sperare non desinam.*

3 *Noli adhuc recedere! Ain'? redibis?* porrectâqve dextrâ, *Expectabo Te. Sed ut ad me reversus, sanitatem mihi reddas.* Caputqve demittens tristis: *Ah!* Rursumqve vultu lætô: *Hoc tamen mihi signo erit? Nuntia Domino meo desiderium meum, ut cras veniat. Illi etiam cum Libro!*

4 Tum recipiebat qviddam volæ manûs impositum, qvô alterius manûs digito contritô inungebat frontis tempora, cor, arteriarumqve in manu pulsum: addens, *Unge ipse unge!* Iterumqve aliqvid accipiens ingerebat ori, & comedebat, bis. Demum hilariter manu exporrectâ, *Gratias! Redi qvæso iterum.* Qvô dicto ad se rediit. Duraverat Visio hæc tres horæ qvadrantes.

5 Præsentes cantu præmissô (ex hymno de Providentia, & admirabili divino suorum ductu) pomeridianas peregerunt preces; & ab illa qvid gratiæ impetrasset exqvisiverunt. Respondit scriptô in tabella: *Immunitatem à morbo hodie, seqventeqve nocte.* De qvo illi Psalmum decantando 116 laudârunt Deum. Virgo autem cibô refecta omnes à se exire jussit, surrexit, vestes induit, obambulavit, cænavitqve, cum cæteris mensæ accumbens, nihil tamen nobiscum (ob lingvam adhuc ligatam) loqvi valens; ad octavam usqve horam, ubi rursum in ecstasin incidit.

CAP.

CAP. XXX.

Eâdem die Visio XLV.

PRomiserat enim reditum Antiqvus, & rediit. Qvem illa honore adorationis exceptum ut assideret oravit. Tum accepto de epistola scribenda mandato, scripsit, composuit, obsignavit: alicui deniqve tradens ita loqvuta est: *Defer istam epistolam, qvam Dominus mandavit, ego scripsi:* Numerabatqve digitis 11, additô, *Esse tibi poteris:* iterumqve 11, *Redire poteris.* Ita ille abiit.

2 Illa verò conspectô alio qvopiam adventante, *Qvid tu vis? Qvomodo, horto occlusô, ingressus es? Hocnè mihi renuntiari jussit* (Dominus)? *Non ergò mei oblitus* (hæc mirâ exultatione.) *Bono ut sim animo? Sum. Citóne cras veniet? Expecta expecta!* Tum se demittens flores decerpebat, num satis odoriferi essent, naribus admovebat, Corollamqve pernicissimo digitorum motu citò nexam ei obtulit: *Trade hanc Illi à me! & illi me nuntiare, ut -- Et citóne ad me cras veniet? Dicito, ut apud me cras diu maneat! Expecta tamen, tecum ad illum curram.* Substitit tamen: & denuò, *Trade illi corollam! Trade, edico tibi. Interrogabo illum.*

3 Rursumqve ad Antiqvum conversa, mirumqve in modum exultabunda, *Cras meus veniet Dominus! Dominus meus, Deus meus, Rex meus! Neminem in Cœlo habeo, neminem in Terra, qvô delecter!* Iterumqve ad Antiqvum: *Indigna ego sum, qvæ Te alloqvar. O veni cum ipso qvoqve! Nondum tamen abeas rogo Te. Dic me illi nuntiasse ut --- Atqvi non qviritor. Dum tu me solaris, qvis est qvi me contristet?*

4 Ita eum dimisit, & ad se rediit, plenâ animi lætitiâ, muta tamen porrò: hæc autem qvæ consignata erant revidit. Duraverat Visio hæc horam ferè.

5 *Summam trium eâ die habitarum Visionum, recensuit illa Revelatione XXIII. nec præterea ullas alias scripsit, ob interdictum:* (qvis divini consilii rationes capiat?) *Qvia tamen mira sunt qvæ posteà etiam illi exhibita, aut ab illa & circa illam acta fuerunt, nos historiam continuabimus, positâ priùs verbis hâc die factâ Revelatione.*

REVEL. XXIII.

[*Morbô afflictata Videns mitigationem petit, obtinetqve: cum intermixtis variis solatiis.*]

TRiduò post (14 Febr.) ægrescere cœpi graviter, sicuti ab Angelis prædictum fuit: postridie autem, morbo invalescente [Nam intra 24 horas paraxysmos epilepticos plusqvam 50 fuit perpessa] Visio mihi contigit trina.

2 Venit ad mè *Senex*, cui ego prostratam meam valetudinem qvesta, restitui me petii; unicum saltem ut diceret verbum. 3 Ille autem respondit: *Christus est Medicus tuus, qvi te corporis & animæ respectu in integrum restituet.* 4 *Cur ita qvereris, & impatiens es? An nescis electis omnia cooperari in bonum? etiam qvæ acerba videntur, aut toleratu impossibilia.* 5 *Annon ipsa hoc elegisti, qvùm potiùs in manus DEI, qvàm in Tyran-*

-norum manus, incidere peteres? 6 *Quid autem si pœnæ, quas impii sustinebunt, idque sine fine, gustandæ tibi forent?* 7 *Hæc autem castigatio non est castigatio iræ, sed gratiæ, & opus Omnipotentiæ meæ.* 7 *Fer igitur patienter, parata etiam majora sustinere, pro voluntate mea.* 8 *Nam pro hac præsenti modica Electorum tribulatione, meâ causâ, apertus est Vobis Paradisus, plantata Arbor Vitæ, præparatum futurum tempus, comparata abundantia, ædificata civitas, probata reqvies, perfecta bonitas, perfectáqve sapientia: radix mali obsignata, infirmitas à Vobis absconsa, corruptio fugit in infernum, transierunt & dolores. Vobis autem ostensus thesaurus immortalitatis.* 9 *Qvis ergò mortalium pro talibus adipiscendis vel maximam hic crucem subire recuset? Ideò tu qvoqve pro valetudine æterna sustine invaletudinem temporariam.* 10 Qvùm rogarem, ut mihi saltem dolores mitigaret, aut redderet Lingvæ usum (ligata namqve mihi fuit aliqvot diebus) dixit: *En mitigo!* 11 Deditqve mihi Ungventum qvoddam mirabilis odoris, jubens eô cor, tempora, & manuum pulsus inungi: tum & qviddam pilularum simile, ad deglutiendum. 12 Valéqve mihi dicto, abiit: ego verò mihi reddita, surrexi, dolores nullos sentiens.

CAP. XXXI.

Visio XLVI, Februarii 16; *Ubi denuò inter æternum Sponsum & Sponsam amores repræsentati.*

AD qvietem abire jussis omnibus, dormivit & ipsa totam noctem. Matutinis demum precibus ab omnibus domesticis cum illa peractis, terribilis eam epilepticus occupavit paroxysmus: ut horrori nobis spectantibus esset, metuentibus inprimis Lingvæ, qvam morderi videbamus. Numerati sunt ad pomeridianam qvartam, cum semisse, aliqvot super triginta paroxysmi. In cujus ultimi medio illa sese proripuit, in occursumqve Domino currens (jusserat enim paulò antè vestes sibi indui) illum adorabunda excepit, obambulareqve cum illo lætabunda cœpit. Sed & loqvi.

2 *Qvantô ego Te desideriô expectabam! Ter mihi adfuit. Rogabam ut me valetudini restitueret. Noluit: dicens, Te solum esse Medicum. Deinde tamen dedit* (manum ori admovens, & temporibus). *Cessaverat ergò morbus: sed & redibat vehementer. Cùm ergò Tu æternus ille sis Medicus, sana me sana! At non externè tantùm, etiam internè.*

3 Mox cepit cantillare. Primò hymnum de Castitate: *Cordium castorum Sponse unice Christe &c.* Dein ex Psalmo 40. v. 6. *O qvantum est operum tuorum, qvibus amorem tuum nobis declaras! qvi eorum subducere qveat rationem nemo est.* Et ex Psal. 111. v. 2. *Gloriosa opera Domini iis, qvi delectantur iis! &c.*

4 Rursum: *Doce me Domine orare! Ego ex me ipsa non reperio verba in ore meo, qvibus Te laudare possim. Cor mundum creà in me Deus, & spiritum firmum renova intra me. Præpara me,*

me, ut vivam non mihi, sed tibi! O Deus gloria mea, Deus salutis mea! O corona decoris mei, qvibus modis dignè enarrabo mirabilia gloria tua opera! Cor meum & caro mea intereunt, anima tamen mea anhelat ad Te Deum vivum. O Deus fortis, Jehova exercituum, qvis eloqvi potest opera Tua? O Rex gloria, Domine sanctissime! ego sum indigna qva Tecum loqvar, ô sancte optime Deus! Consideamus hîc in gramine!

5 Consedit ergò: accipiebatqve Ornamenta consveta. Primùm *Torqvem aureum*, qvem circumdabat collo suo: tum *Cingulum cum aureo pomo*, & *humerale*, & *annulos*, & *armillas*. Tum ungventum accipiens odorabat, frontemqve inungebat. Demum sibi pallium circumdans: *Hoc est pallium justitia, qvô Israelem convestis tuum.* Cantabatqve Psalmi octavi melodiam mirâ svavitate, bis. Dehinc: *Jussit heri epistolam scribi, qvam ita composui* (ostendebat). *Obsignavi tribus sigillis. Redire jussus est intra viginti duos dies:* (iterumqve numerabat 11) *Corollam Tibi heri misi: reddiditnè?*

6 *Ecce illi redeunt! Qvàm illi Te adorant!* Surrexitqve, & eos manu datâ excipiens, *Qvid tam serò venitis?* inqvit. *Scitis adhuc mihi ad legendum restare multa. Huc venite!* (ibatqve ad mensam) *Huc Librum ponite. Aperi! Asside Domine!* Tum- pòst longam lectionem: *Has parabola obscurior est. Nisi Tu adesses, ego non intelligerem. Hoc est? res mira. Ecce iterum nodus!* cumqve aure inclinatâ auscultasset: *Nemo à Te non edoctus hac perciperet. Nondum id antè legeram, hodie primùm.* Rursum aliqvid admirata, *Veracissime Deus! qvàm verè scriptum est, Cogitationes Tuas de nobis esse mirabiles:* (Psal. 40. 6.) Paulò pòst: *Atqvi satis celeriter lego. Cur festinandum est? Hem, ideò? Claudite, claudite! Hodie viginti perlegi. Abite Vos jam: Dominus mecum manebit.* Dimisitqve eos datâ dextrâ.

7 Cùm denuò consedisset: *Qvàm mira fuerunt hodie! Qvarebant ex me, Num omnia qva lego meminerim? Dixi, si mandares, omnia me scribere posse ad verbum. Scribam, si mandabis. Ah, qvare non? Saltem permitte ut hodiernam parabolam eis dicam! Saltem hoc unum! rogo. Qvidni? ut illi etiam dicant, Mirabilis in Operibus suis Deus! Exiguum hoc est. Nihil dixi, nihil: hoc solùm nuper, ITA FIET. Tu scis ex toto Libro ne verbum qvidem me dixisse prater id unum. Manda ergò illis, ne exqvirant. Ego dixi, Qva non prohibeor ea me libenter communicare; qva autem non audeo, non posse: illi tamen.*

8 *Qvarebant etiam, Qvâ te formâ videam? Dixi, Te capite me altiorem esse: enimverò Tu Cœlis altior es! Ah mi Deus, mi Rex, Te laudabo, Te in aternum glorificabo. Qvid? neqve illi hoc enarrare audebo? Ille verò dixit* (nempe Tutor suus) *ut Te pro illis orem, ut eis benedicas.* (Nempe ministrantibus sibi: Compositis ergò palmis orabat.) *Ita mos tuus est, alterâ manu percutere, alterâ amplexari.*

9 *Iamnè abis? Mane adhuc, & me sana! Nondum? Ergò mihi Lingvam solve ut Te laudem. O si me etiam sanes! Nisi terminum vita mea a Te revelatum haberem, jam adesse crederem. Saltem ergò mihi dolores mitiga! Tua sancta fiat voluntas! Cur trister? Beatus homo qvem Tu castigas! Etiam pro hoc Tibi sit laus, honor, aternumqve imperium!*

10 Denuò ad illum, *Ne abeas, Corollam Tibi conficiam:* confectam tamen dare statim noluit, naribus tantùm Sponsi admovit. Tum capiti suo imposuit, demi eam sibi noluit, ne abiret Sponsus. *Ah ne abeas! atqvi dixisti nos esse spatiaturos. Non ibis?*

ibis? Atqve hic flevit: & mox rursum gaudiô exultavit, per vices aliqvoties. Tum deponebat Ornamenta, interloqvens; *Reddes iterum? Hoc mihi relinqves? hoc justitiæ pallium? Gratias Tibi ago. Qvando redibis? Veni, expectabo! Festina! & redde mihi valetudinem meam!*

11 Demùm, postqvam Dominum in nube ascendentem oculis perseqvuta esset, ad se ita ut stabat rediit. Sed qvia langvore lapsabat, manibus adstantium excepta, & in lectulum reposita est. Præsentes genibus flexis laudârunt Deum, præeunte verbis *D. Cyrillo Seniore.* Ut verò consurrexerunt, illa Psalmum 103 incinuit, reliqvis continuantibus ad finem usqve.

12 Interrogata qvid beneficii obtinuisset? respondit, *Qvatuor.* Primum *Lingvam solutam.* 2 *Dolores levatos.* 3 *Membrorum integritatem*, nullô paroxysmo violandam. 4 *Morbum die Saturni cessaturum*: (erat autem Mercurii dies.) Habuit etiam noctem prorsus qvietam: mane redibant paroxysmi, sed admodùm lenes respectu priorum, qvanqvam & illud spectaculum triste fuit. Aliqvando enim per horæ qvadrantem mortuæ instar jacuit, membris rigidis & frigidis.

CAP. XXXII.

Visio XLVII, Februarii 19, qvâ morbis suis momentô liberata fuit.

PRæcedente Saturni diem nocte mediâ indormivit, somnumqve ad matutinam qvintam continuavit: qvem interrupit epilepsia, ad semioctavam durans. Hic illa qvietior facta ardenter oravit, simulqve indormivit somnô tàm profundô, ut, sterteret. Mirabamur qvid futurum esset: Illa verò exclamâvit: *Ah Jehova dominator, audio delectabilem vocem Tuam, ego errans ovicula Tua! Ah ostende Te mihi! Ne sta longè, Deus salutis meæ! Ah ostende mihi Te! ostende! Irasceris-nè mihi? Ah ostende Te mihi! Ostende amabilem vultum Tuum, ut reviviscat cor meum! Ah incomprehensibilis est misericordia Tua, qvam exhibes filiis hominum! An verò fieri non potest, ut Te ostendas mihi? Dominus Deus Israelis, Dominus plenus misericordiâ æternâ dignus gloriâ, qvemadmodum ab omnibus servis suis sic à me vilissimo, indignissimo, miserrimoqve Vermiculo suo, laudetur, honoretur, glorificetur, in secula. Ad mandatum tuum surgo!*

2 Atqve isto cum verbo aperuit oculos, surgensqve, *Vestes date*, dixit, celeriterqve se induit, stupentibus nobis qvi adfuimus. Inter qvos cùm Pastores essent tres, neqve adhuc matutinæ preces à domesticis conjunctim (pro more) fuissent habitæ: decantatus fuit *Psalmus* 138, & post exegesin brevem preces inde conceptæ: finitisqve illis *Psalmus cantatus* 66.

3 Interrogata Qvidnam vidisset vel audisset? Respondit, *Nihil videram, sed audieram vocem, Ego sum qvi occido & vivifico!* Qvæ Vox omnia mea intima penetraverat, & me ad clamores istos concitaverat.

4 Sic restituta, Valetudine usa est integrâ.

CAP.

CAP. XXXIII.

Visio XLVIII occulta, & mox alia more solitô, 23 Febr.

MErcurii postea die, pomeridianâ qvartâ, sternutare ac tussire cœpit: mox etiam lanqvorem conqveri. Paulò pòst accessit syncope, sive animi deliqvium, in qvo (ut postea narrabat) Visionem habuit. Allatus illi fuit Liber, in qvó supra centum folia perlegit, nobis nihil tale (uti aliàs, dum ipsa folia verteret) animadvertententibus. Fuitqve tanto negotio conficiendo nimis breve tempus, vix qvadrans qvadrantis horæ. *Qva res differentiam temporis & æternitatis cogitandi dat occasionem.*

2 Vix sibi reddita, rapta est in ecstasin (& hæc fuit 49 Visio) surgensqve mandatum dabat Angelo accersendi Dominum: *Festina*, inqviens, *dic expectare me, veniat.* Et mox: *Tam subitò rediisti? Ubi est alter & tertius? Dic me expectare. Nondum detulistis Librum? Abi, ego hic expectabo.* ConsEditqve. Sed mox oculis sublatis, *Ecce adventat qvem anima mea diligit!* surgensqve obviam cucurrit, venerabunda excepit, sic loqvi orsa.

3 *Aderat sed eum misi te accersitum. Adfuerunt modò: legebam. Non multa jam restant.* Ubi tacitè qviddam auscultabat mirabunda: demum, *Considamus hic!* Recipiebatqve torqvem, cingulum, humerale. Armillas verò ab ipso Domino manibus ejus adaptari gestus ostendebant: sicut & pallium illi circumdari, qvod illa lætô valdè ac renidente vultu accipiebat.

4 Paulò pòst. *Cur verò te non exhibuisti mihi? Ego Te inclamabam, nec te ostendisti. Maneres tamen tu verax in sermonibus tuis. Sperabam ego te hodie venturum priùs, qvàm illos. Aperi Domine oculos meos, ut videant! Doce me attendere voluntati tuæ! Qva ego sum qvam tu tanti facis, tantamqve mihi exhibes benignitatem?* Cùmqve profundissimum edidisset suspirium, addidit: *Petrus dixit, Recede à me Domine, qvia peccator sum: ego verò agnosco me indignam peccatricem, ne tamen à me recedas oro. Tu es increata illa Sapientia, æterna sapientia! Qvi te oderunt, amant mortem. O qvàm dulcia eloqvia tua, Deus! Jehova Deus fortis Exercituum, enumerare neqveo.* (mirabaturqve aliqvid) *O Creator mi, tu cùm conculcare nos possis, lutum tuum, magnificas, & justitiâ donas! O qvàm fulgidus est vultus tuus! O gloria Israelis, gloria mea, qvônam tandem honore te afficiam? O sancte Amator mi, qvàm anhelat te anima mea, tu nosti. Parata sum, tu nosti. Qvàm primùm tu à me recedis, ego ex me ipsa nihil possum. Asside propiùs.*

5 *Qvàm verè tibi æterni Doctoris nomen inditum! tu es Rex gloriæ! tu Cœli Terraqve Dominus! Cœlum tibi solium, Terra pedum tuorum scabellum est. Qvasi putarent tibi non esse potestatem. Tu hæc vides & tamen toleras! Serenissime Domine, exaltate super Cœlos, qvàm magnus es! Non frustra dixerat te æternum esse Doctorem, gloria Dominum. Verè me ante secula adamasti.* Hic respectans verecundè risit, digitô cùidam

 dam

dam innuens. Tùm assumens qviddam edebat & bibebat, Domino etiam exhibens, & ori admovens. *Tu paras mensam meam, imples calicem meum, impingvas oleò caput meum* (ungebatqve caput.) *Pallium gaudii! Cingulum justitiæ! Sede, afferram tibi fructus.* Surgensqve carpebat de arboribus offerebatqve illi, vescens ipsa qvoqve.

6 Rursum illi assidens: *Jehova Deus, ne auferas ab illis misericordiam tuam! atqvi anhelant liberationem tuam! Ne diutiùs specta iniqvitatem! Ecqvando id! ne reponas eum in diem judicii: potiùs illi ostende qvid mali patret. Justus es Domine, & justa omnia judicia tua: qvomodo hæc spectare potes tàm diu? Atqvi cor tuum plenum est miserationum, cur non admittis gemitus tuorum? Abbrevia dies tribulationis, abbrevia! Multi jam langvescunt. Isti autem apponunt iniqvitatem iniqvitati, ut postea damnentur graviùs.*

7 *Ne abeas adhuc!* confectamqve subitò corollam imposuit capiti ejus. *Ne abeas! Incomprehensibilis Sapientia! Ne abeas!* surgensqve, & dextrâ illum tenens, obambulabat. Tum consistens, *Qvando redibis?* Deponebatqve Ornamenta: sed Pallium justitiæ retinere jussa, *Gratias ago*, dixit: abeuntemqve oculis prosequuta ad se rediit, postqvam ecstasis 7 horæ qvadrantes durasset.

CAP. XXXIV.

Aliæ tres Visiones, 24, 25, 26. Februarii.

PRandio peractô, adhùc nobiscum mensæ assidens, abrepta est, acceptôqve ac resignato, & perlecto epistolio qvodam (à Domino fuisse submissum, hesterni cujusdam mysterii explanationem, postea dixit) nuntium dimisit, & ad se rediit. Duravit semiqvadrantem horæ.

2 Postridiè tertiâ pomeridianâ, iterum inter alios considens, rapta surrexit, tres qvosdam manu datâ excepit, & post horæ qvadrantem iterum dimisit, ad seqve rediit. Perlecta in Libro fuisse 110 folia narravit.

3 Ultimâ demum Februarii, solennior obtigit Visio, numerô qvinqvagesima secunda. Qvintâ enim vespertinâ subitò abrepta excepit Angelos, primùmqve tacitè cum illis obambulabat: deinde ad mensam progressa, *Aperi*, inqvit. *Qvid? ipsène folia versabis?* Legit inde multum diuqve: inter legendum jam Septentrionem, jam Ortum, jam Austrum (sed hîc minaci gestu) oculos obvertens. Tandem tristi voce ac vultu, *Claudite! Eheu!*

4 Tum obambulans tristissima, hæc loqvuta & egit. *Nihil aliud, nisi qvia justus Jehova justitiam & serveritatem exercet in malos, misericordiam autem & benignitatem in suos. Illis bona spes est. Ah qvam terribilis est ira Dei viventis! Sunt inscripti Libro mortis. Clamabunt, sed Dominus voces eorum non admittet ad aures suas: ah!* Hîc manus ejulantis instar complicavit, iterum iterumqve ingeminans: *Væ, væ, Meridionalibus! Ad cœlum elevati sunt, ad infernum deturbabuntur!*

5 Pòst constitit, Angelisqve (se consolantibus) dixit: *Misurescit me interitûs eorum.*

rum. Verum est: non possum tamen non indolere. Hoc mihi Dominus non dixit. Et obversa Meridiei: *O si absqve te esset, tu maledicte, exsecrande!* Ad Angelos rursum: *Scio, indicavit mihi Dominus, Orientales & Septentrionales!* Numerabatqve 80: & latere uno ansata obambulans, mox manus ejulantium in morem iterum complicans, *Nulla erit pax,* inqviebat: *scio ego qvid mandante Domino Septentrionalibus & Orientalibus scripserim.*

6 Cumqve ut denuò scriberet Angeli reqvirerent, illa: *si Dominus mandaverit, faciam. Qvid? mandavit? Dum audivero ipsa. Interrogabo ego Dominum.* Rursum: *Qvaso ne id imponite mihi, qvandoqvidem ego nihil audivi. Ad qvid hoc esset? antea id feci. Causam non video. Et me & vos illius solius mandatis obseqvi par est: relinqvite me vos tantùm. Atqvi scio venturum non esse: ego tamen qvomodo illum alloqvar non ignoro. An vos existimatis tunc solummodò me interrogare illum, qvando mihi adest? Per orationem. Interrogabam illum. Per conscientiam meam. Id verò cura vobis ne sit. Sed expediet omnia Altissimus.*

7 Post hanc cum illis contentionem auscultans qviddam, mitiùs cœpit: *Ain' verò! Ergò* (subridens). *Ita est. Nollem. Ignoscite igitur mihi. Differo tamen omnia in Domini adventum.* Atqve hîc cœpit in gyrum cursitare, vel centies: ut. ne vertigine correpta concideret, metueremus. Illa verò consistens: *Jam ibitis? Si fuerit opus adferte mihi mandatum illud: vel unus saltem veniat. Sed adferte signum aliqvod à Domino! aliàs ego. Dicite nuntiasse me illi, ut --- Et me demissè orare, ut mihi -- Indicate qvàm multum perlegerim. Ita, ita, si opus erit, ut antè dixi: Unus tantùm venire poterit.*

8 Hîc eos (manûs porrectione trinâ) dimisit. Ad seqve reversa, totam vesperam cum inseqvente nocte fletu consumsit (*NB.*) *neminem fando explicare posse dicens, qvàm horrenda sint mala ista, qva persequutoribus Ecclesia impendent.* Decantabantur ergò *Psalmi varij*: illâ tamen solatiorum nihil admittente.

CAP. XXXV.

Aliæ Visiones duæ, 2 Martij: De Ecclesiæ Pace post eversam Babylonem: & qvando id futurum.

EGressa fuit hâc die à prandio, cum aliis qvibusdam, spatiatum, & in medio campo venit in ecstasin. Constiterat primò, mox perrexit, & in illorum medio (non qvò ducebatur sed qvô ducebat) per Oppidi plateas domum tendit, demum in vicinia domûs suæ sibi restituta. Unum ex Angelis sibi apparuisse, adventumqve eadem die ad horam qvintam nuntiasse, dixit.

2 Qvintâ ergò instante, in Syncopen incidit, receptôqve spiritu mox iterum, simulqve in ecstasin. Surrexit enim sellâ, tres illos excepit, post exiguam deambulatiunculam mensæ adstitit, Librum aperiri jussit: Atqve tùm clarâ voce: *Iterumne tu ipse folia vertes? Cur non ego, sicut antehac?* Tum legit, & in lætitiam se effun-

 dens,

dens, *Psalmi* 85. versus postremos (*de reddita Ecclesiæ Pace, reflorescenteqve Justitia & Veritate*) exultabunda cecinit. Addens: *Tunc homines angustiarum obliviscentur, præ gaudio*! Et ex Psal. 72. v. 7. *Temporibus pientissimi hujus Regis orietur justitia, & abundantia pacis &c. Ah supervivamne ego!*

3 Tum Librum claudens: *Hactenus de illa Pace. O desideratissima Pax! Cur hodie tam pauca legi? tantùm* 20 *folia.* Inter deambulandum verò: *Nihilne Dominus de re illa nupera mandavit? Mandavit? Itanè? Ubi est signum?* Recipiebatqve epistolam, qvâ avidè resignatâ, & cum gaudio perlectâ: *Eja, faciam igitur.* Et considens humi, scribereqve inceptans, *Id verò ego scio*, inqvit. Exaratamqve epistolam primam relegit, additô, *Rectè est*: complicatâqve triangulariter, *Nonne annulum misit? Misit ecce!* Accepit igitur, & appressit epistolæ ter, per singulos angulos semel.

4 Mox alteram scripsit epistolam (interserens, *Velociter id fieri necesse est*) similiterqve & complicavit & obsignavit: addditô, *Utiqve id instar imbris veniet. Qvis autem has deferet?* Iterumqve mandata accipiens, dixit: *Vah, ad istos invita scribo.* Scripsit tamen tertiam epistolam: ubiqve annum 1629 (expressissimè id notari potuit) subscribens. Iterum: *Etiam isti maledicto?* scripsitqve qvartam epistolam, interqve subscribendum, *Satana!* dixit. Relectâ verò illâ, *Euge euge!*

5 *Ubi est qvi has feret?* Interqve illa tradendum dixit: *Hac Septentrionalibus debetur. Dic ut ne tardent. Omnia ibi perscripta sunt. Hac Orientalibus: Festinent! ne morentur! de omnibus ibi perscriptum est. Hac ad Occidentales spectat!* Et ad latus respectans submissiùs; *Verum est, aliqvi tamen.* Et mox: *Jam ego scio qvid sit: Elector Saxoniæ.* Qvartam tradens epistolam dixit: *Hanc Meridionalibus defer, illis maledictus! Dic eis, Ventura has esse ut torrentes aqvarum. Ita dic, Detrudendos esse ad infernum, propter elationem suam. Satis jam, satis adversati sunt Deo & sanctis ejus. Intra dies* 40 *redibis. Alter ille nondum reversus est: expecto tamen illum*; numerabatqve digitis. *O exsurget supremus ille Bellator! Destruet illud Satanæ regnum.* Dimittens verò Tabellionem, *Pax tecum!*

6 Dimissô tabellariô deambulare, & cum Angelis dissertare, cæpit! *Educet Deus* (inqviens) *populum suum è medio impiorum, ut ne pereant in subversione illorum. Super istos autem emittet iram ut flammam. Nisi auxilium Dei expectarent, contabescerent in angustiis. Sed diruetur brevi Babylon illa magna! Supra modum velociter! Exaudiet Deus clamores suorum fidelium, suspirantium ad eum dies ac noctes.*

7 Tum de Pace illa Ecclesiæ futura pluribus. *Qvanta hic solatia legi! Qvid qvæso futurum est hostibus in totum sublatis, nec ampliùs res turbantibus? Florebit Ecclesia: regnabunt pii Magistratus: exultabit Mare; lætabuntur Cælum & Terra. Præcedent tamen hæc: Antiqvus ille Serpens, inflatum illud F deprimetur; F humile exaltabitur: Hic erit gloriosus ille Rex, possessurus E. K.* (NB. Duæ istæ litteræ qvid sibi vellent, nemini indicare voluit: nos modò conjecturâ qvadam latinè A. R. vertimus, eventum expectaturi pleniorem.) *Hic est Oliva virens in conspectu Dei. Beatus qvi ad annum* 30 *supervivet* (NB. Si à termino paulò supra determinato, 1629, intelligendum hoc, esset annus 1659.) *Magis verò beati qvi supervivent ad annum*--- (Hîc digitis numerabat tam perniciter, ut nemo asseqvi

asseqvi posset.) *O beatos illos! Tum scient homines narrare mirabilia Dei opera!* [Vide infra LX. 7.]

8 *Tumultuabuntur tamen priùs Gentes* (NB.) Cæpitqve in gyrum agi velociter: tum qvasi lassescens ægrè incedere, pedesqve tanqvam è profundo luto ægrè tollere; tam lentè deniqve progredi, ut pedum motus vix notari posset. Tum constitit, & ceu admirabunda exclamavit: *Eâ die qvam non opinantur maligni.* Iterumqve progredi tentans anhelabat, magis qvàm ante impedita, in gyrum tamen sese agens. Hinc momentô exilire, tripudiantiqve similis lætari.

9 Constitit deniqve, manumqve offerens: *Dicite Domino, rogare me ut veniat citò, Et nunciasse me ut — Et qvòd illi — Et me scripsisse epistolas. Narrate qvæ vidistis. Qvando autem redibitis?* Tum eos ad latus abeuntes oculis proseqvuta ad se rediit, post sesqvihoræ spatium.

CAP. XXXVI.

Visio LV, Martii 6. De ultimo Satanæ à vinculis soluti furore: deliciisqve nihilominus sanctorum cum Christo.

DIes Mundo bacchanalium fuit (feriâ 2, post Qvinqvagesimam) cùm illa pomeridianâ qvartâ syncopen passa, & mox abrepta, tres excepit, ad mensamqve progressa *Librum* deponi & aperiri jussit: ubi lectione inchoatâ, tristè admodum suspirare cœpit. Et mox: *Satis? qvid tam pauca hodie? Claude igitur. Ah ille Satan qvare solutus est?*

2 Cùmqve dixisset. *Dominus meus qvando veniet?* mox cum gaudio, *Ecce adventat!* procurrensqve, *Salve mi desideratissime hospes!* inqvit. *Qvid me tam serò invisis? Imò satis me crebrò convenis: non sum digna. Tu propter me Cœlô descendisti in lacrymarum vallem, meâ causâ homo factus: nunc autem sæpiùs in me descendis, in mentem & cor meum. Venies & in mortis articulo, Animâ recedente à corpore. Tandem venies ad judicandum vivos & mortuos: qvi adventus tuus acceptissimus erit mihi. Nam me statues ad dextram tuam, & deduces ad æterna suavissima convivia. Nunc verò, qvod maximè mirandum, venis ad me, exhibesqve te mihi modô aliis inusitatô, ó gloria excelsa! Dominus gloriæ me præ aliis sæpè visitas, consolaris. Ego ad te venirem sed aliter non possum nisi per preces & orationem. Ah mi dilecte hospes, indigna ego sum visitatione tuâ. Verè tu illa Sapientia es, qvæ ludis in Orbe cordis humani.*

3 Paulò pòst aliqvid admirata, *Jehova rupes mea! Ex intimis cordis mei visceribus diligo te Jehova fortitudo mea.* Iterum: *Tu nosti Domine. Cor contritum & humile, Deus, non spernis. Oculi tui vident omnia: Ascendant gemitus mei in conspectum tuum, & juxta Verbum tuum tribue intellectum mibi &c.* (NB. Multaqve alia protulit, qvæ asseqvi scriba non potuit. In revidendo tamen hæc dictabat denuò, deprehensumqve fuisse ultima *Psalmi* 119 verba, sub Litera *Thau.*)

4 Denuò, *Considеamus hic*! & consedit, continuavitqve loqvi. *Tu vides qvid fiat, taces tamen. O mi Rex; Domine mi, Deus mi! qvàm ineffabilis est gratia dilectionis tuæ! O Domine gloria mea! Nullum humani ingenii acumen percipere id potest. Ego qvidem id jam novi, sed alii nondum videre possunt. O qvàm tu admirabilis, & in eo imperscrutabilis es, qvòd à qvibus maximè te diligi nosti, iis maximè tribulationes immittis.* (Cantus rhytmicus est, ex hymno vernaculo.) *O Christe tui memoria melle totius mundi dulcior*! (itidem.) *Ille in Evangelio rogabat ut oculos aperires ejus: ego autem oro ut cor & intellectum meum aperias, ad capiendum opera tua.*

5 Hic iterum à Domino sua recipiebat *Ornamenta*, ut in aliis Visionibus: rursumqve ad conspectum pallii, *Hoc tu mihi promeruisti, pallium justitiæ.* Mox corollam, floribus decerptis, formabat, tenensqve manu olfactorium dixit: *Hæ sunt Virtutes sanctæ, qvarum tibi gratus odor. Ne recedas à me Domine! qvàm primùm enim recedis, deficio, nihil valeo. In te autem fortis sum, omnia in te possum: nam me confortas.*

6 Hôc dictô surrexit, interqve deambulandum (manu eum tenens, & subinde obvertens oculos): *Assume me tecum Domine, O gloria mea! Mi Redemptor, mi Salvator, qvid tibi retribuam? Gloriosa sunt opera Domini. Exploras fideles tuos tanqvam aurum. Iis qvi te amant benè facis in æternum. Ah væ illis qvi te dereliqverunt.* Tum in specie pro qvopiam intercedens: *Fortassis non novit qvid egerit.* Deinde: *Fiat ergò voluntas tua!*

7 *Ne à me discedas adhuc! ne discedas*! prehendereqve visa ejus togam. *Discedis tamen?* Deponebat iterum Ornamenta, interserens: *Pallium justitiæ remanebit mihi? Jamnè abis?* (hoc dexteram offerens) *Qvando redibis?* (hoc singulari svavitate renidens) *Illi jam abierunt: Tu etiam?* Abeuntemqve sursum oculis proseqvuta diutius ac unqvam. Demumqve ad se rediit. Duravit Visio supra duas horas.

CAP. XXXVII.

Visiones tres, habitæ sub tempus nuntiatæ Virgini mortis Patris ejus, 7 & 10 Martii.

ANteqvam recitatæ modò Visioni esset impositus finis, venerunt è Bohemia Nobiles aliqvot, & cum iis *Johannes Stadius*, luctuosum de obitu *D. Juliani Poniatovii* ferentes nuntium. Eâ tamen die qvidqvam ei dicere veriti, postridie morbum saltem indicârunt. Qvæ tamen statim de morte conjectans, largissimisqve profusis lacrymis lecto se commisit, angoreqve cordis in lipothymiam incidit: inqve medio deliqvio, *Ergò mortuus est? mortuus? Tu tamen id abscondisti à me.* Rediitqve ad sensus, plena luctu & dolore, totâ illa die.

2 Vesperi demum, ante solis occasum, in ecstasin rapta fuit, recepitqve à Tabellario (15 Febr. emisso, & intra dies 22 redire jusso) literas. Qvas perlectas, iterumqve complicatas, Domino tradi jussit: additô, *Tametsi Dominum qvid insit non lateat, trade tamen eas.* Moxqve ad se reversa intra horæ qvadrantem.

3 Se-

3 Seqvens triduum summô luctu & lacrymis transegit, maximè 10 Martii. Ubi pomeridianâ 4 cameram superiorem ingressa, ibi se oppessulavit. Nos ad preces eam ingressam opinati, sivimus transire horæ qvadrantem. Deinde pulsavimus: cùmqve non aperiret, syncopen aut aliud malum veriti, fores è cardinibus emovimus, eamqve ad scamnum in genua prostratam, & ecstaticam, solatiaqve recipientem & gratias agentem, invenimus.

4 Ut enim paululùm adstitimus, loqvi cæpit. *Tu verò verus Pater es orphanorum & viduarum. Tu verus Tutor, qvomodo nos tuearis nosti. Gratias ago pro hoc solatio. Ideò nulla humana solatia poterant aliqvid, ut te solum mœstorum Consolatorem esse, manifestum fieret. Adduces eum huc?* (fratrem nempe suum minorennem & unicum, Paulum, adhuc in Bohemia hærentem, qvem Divinæ commendabat protectioni.) *Et qvando huc veniet?* [NB. Venit postea 13 Aprilis] *Tua sancta fiat voluntas. Qvando tu consolaris, qvomodo tristari qveam? Tibi gloria, honor, & benedictio, in secula seculorum Amen!*

5 Simulqve ad se rediit, exsurgensqve nos circumstantes vidit: ex eo tempore jam animô tranqvillior.

CAP. XXXVIII.

Visio LIX, 13 Martii: qvâ de continuatione scriptionis Revelationum mandatum accepit.

PRohibitam fuisse Revelationes suas in Bohemia factas (post 29 Dec. Anni 1627) scribere, antea significavimus. Continuationem verò scriptionis hâc die accepit, tali modô.

2 Mox ut à prandio surrexit (13 Martii) circumamicivit se, & ad hospitam suam, *Si qvis me seqvi vult seqvatur,* dictô, domô exivit. Illa hæc ad maritum refert: festinantqve illam seqvi, cum sorore uxoris & fratre, asseqvunturqve illam in suburbio, sensibus adhuc suo in statu, sed qvi eam mox deseruerunt.

3 Pergit illa, sic jam ecstatica, in campum: jam per viam rectam, jam per devia & agros, semper ab Oppido longiùs. Nos eam aliqvoties retroagere, ut Civitati rursum propinqviores fieremus, frustra conati, deducimur ab illa usqve prope ad *Swientichoviam*, Oppidum Pontificium. Ubi nos mirè angi, si nos eô introduxerit qvid futurum sit. Illa tamen propè suburbio jam deflexit ad lævam, *Lasoticium* (pagum Lesnensis Comitatûs) versùs, in sylvula demùm qvâdam sibi reddita. Unde nos illam Lasoticium deduximus, unâ cum illa valdè fatigati. Ferè enim tres horas asperis cum ventis, glaciatisqve sub pedius glebis, lucta nobis fuerat. Ibi autem apud loci Pastorem (*Paulum Fabricium*) merendâ refecti, domum curru revehimur.

4 Contenta Visionis hujus erant præcedentium repetitiones qvædam: primarium

rium autem fuit *mandatum* (per Angelos factum) *de Visionibus* 11 *&* 13 *Januarii scribendis*, qvas & postridie mane scripsit, nos autem suô posuimus locô.

CAP. XXXIX.

Visio sexagesima, 17 Martii: in qva ultima sub Gog & Magog tribulatio, lamentabilem in modum repræsentata.

SEmisextâ pomeridianâ, incidit in ecstasin, exceptisqve dextrâ tribus, dixit: *Cur tàm serò venistis? Absolvamnè lectionem hodie? Nondum? Aperi ergò.* Percursâqve lectionis parte aliqvâ, *Quid? eòne devenietur? Dominus tunc non longè aberit adventu suo ad judicium. Qvanta hæc tribulatio erit! Tunc exanimabuntur homines!* emittebatqve suspiria & gemitus tristissimos.

2 Paulò pòst: *Pauca jam restant!* numerabatqve folia. Et ad Angelos (qvasi prohibentes) conversa: *Atqvi non legebam, numerabam tantùm. Legenda tamen mihi sunt illa etiam postea.* Tum jussit Librum claudi, obambulabatqve tristissima, manus à tergo complicans, qvod nunqvam antè. Rursumqve manu una faciei subditâ, obambulabat gemebunda. Et consistens: *Dominus mihi de hoc nihil dixit. Atqvi jam antè id feci, Ecclesiæ statum repræsentavi.* (NB.) *Multa hodie reqviritis à me.*

3 His verbis obvertit se, spectabatqve ad Occasum & Meridiem: tùm longiùs ad Meridiem, rursumqve ad Occasum propiùs. Atqve hîc subsistens considit: & qvidem ita concidit, ut lævo incumbens lateri occiput obverteret Occidenti, faciem Septentrioni, manum verò dextram protenderet inter Occasum & Septentrionem (contrariô situ ac antehac, vide supra XX, § 4.) Qvâ formâ postqvam jacuisset horæ semiqvadrantem, sustulit dexteram, eamqve pugnô clausô cœlum versùs erectam, per horæ qvadrantem ita tenuit, ut nemo eam deprimere (tentabant enim eam corpori rursùm admovere) posset. Tum complicabat manus, qvasi ad preces, easqve sic iterum per semiqvadrantem horæ tenuit.

4 Tentabat inde surgere, magnô conatu & gemitu: sed relapsa concidit. Et paulò pòst denuò; sed relapsa longè graviùs, immota jacuit horæ qvadrantem. Ibi alteri innixa manui caput sustulit, spectabatqve Meridiem versùs: rursumqve concidit, suspiriis ac gemitibus gravissimis, cordisqve singultibus tristissimis.

5 Pòst semiqvadrantem horæ rursum se erexit, considitqve, spectans tristè ad meridiem. Tum compositis manibus orabat: rursumqve ad meridiem prospectabat aliqvoties: demum cœlos versùs levatis oculis subitò lapsa est, jacuitqve tacitè per horæ qvadrantem.

6 Tum exclamavit, *O Deus Jacob respice!* rursumqve post horæ intervallum: *Nondumnè transivit ira Tua?* Tum oravit tacitè: & post horæ qvadrantem considens, suspiciebat primùm cœlos: tum ad Occasum & Meridiem, rursumqve Occasum & Septentrionem. Volensqve sustollere se, & non valens, dixit: *Nullus adest auxiliator!*

7 Ite-

7 Iterum oculos in Cœlum sustulit, rursumqve dejecit. Tum corpore se attollere volens, in genua se sustulit, alterâ innixa manu, sursum eniti volens. Sed manus sub illa convulsæ sunt, ceciditqve facie in terram, & jacuit sic (capite jam Septentrioni obversa) circiter horæ qvadrantem.

8 Denuò se super manus arrexit, magnô labore & gemitu: sed & mox rursum collapsa. Rursum tamen sursum se erigens, eô usqve ut considere posset, manibus tamen innixa, cœlumqve versùs spectans. Concidit tamen denuò supina, manibus à se tanqvam exanime cadaver protensis.

9 Paulò post cœpit graviter suspirare, rursumqve cessavit: iterumqve suspirabat cum fletu & lacrymis. Tum inopinatò caput efferens, *Ecce Filius hominis venit in nubibus cum potentia & gloria magna, qvartò & ultimo adventu suo.* Hisqve dictis surrexit.

10 Obambulans verò cum Angelis, dixit: *Neqve modernis adhuc finis est*: nempe tribulationibus, sicuti hæc revidens dicebat. Qvas & denuò videtur repræsentatum ivisse spectaculô tristi, qvod in oculis nostris eâdem adhuc Visione edebat. Nam consistens cœpit se per angusta premere: tum qvasi in angustiis hæreret, angi ac tremere: adstantesqve (plenum Conclave hominum erat circumstantium) ceu sepem qvandam arctè prensare, potenterqve tenere, & ita sese promovere, graviter tamen & cum anhelitu magno.

11 Exinde (momentò dimissis omnibus) prosilit in medium, celeriter cursans, & lætitiæ plena. Tum grassabatur potenter, ceu hostes conculcans: rursumqve mitiùs. Respexit Meridiem, exspuens in eos. Aversaqve inde complodebat præ lætitia manus, huc illud (curriculô etiam) se circumagens, ut plus qvàm qvadragies Conclave qvàm longùm se extendebat, emetiretur.

12 Ex illo tam citato cursu subitò constitit ad januam (ortum versùs) prospectabatqve illuc justam moram. Tum procurrens ad fenestram (Aqvilonem versùs) diligenterqve istuc etiam prospectans, evocabat qvempiam. Iterumqve ad Ortum cum gaudio, & rursum ad Septentrionem. Denuò ad Ortum, rursumqve ad Septentrionem, porrigens ibi qviddam: iterumqve curriculô ad Ortum.

13 Dehinc lentè incedebat per medium, sed utrâqve manu lateribus subnixa, ceu ansata. Demum subsistens, *Qvando redibitis? Dicite Domino ut -- Cùm autem perlegero qvid agam?* Hîc manu ter porrectâ eos dimisit, abeuntesqve oculis prosequuta ad se rediit.

14 Duravit Visio à semi sexta ultra octavam, per horas ferè tres.

CAP. XL.

Duæ Visiones tacitæ, 22 Martii.

INciderat (20 Martii) in langvorem, qvem paroxysmi aliqvot epileptici sunt

insequuti, ut lectulo affixa maneret. Tertio inde (22 Martii) semi prima pomeridianâ lectulô prosiliit, spatiataqve per horæ medium, ad se rediit: & qvia lapsabat, manibus adstantium excepta, & lecto illata est. Nihil hac in Visione clarè fuit loqvuta, præter hæc verba: *Qvinqve mihi restant folia legenda.* Retulit Senem qvoqve adfuisse, qvem valetudinis restitutionem rogasset, illum verò vesperi reditum promisisse; & factum est.

2 Vesperi enim, propè octavam, venit illa in ecstasin, ivit obviam, Senem veneratione solitâ excepit, deambulandoqve jam qvesta est, jam deprecata: qvod ex gestibus notare fuit. Tum sedit humi, & aliqvid recipiens inungebat pulsus, tempora, cor, manus deniqve ac pedes. Demumqve aliqvid accipiens edit & bibit: interqve reddendum poculum *Gratias ago*, dixit. Tum valedixit, ad se rediit, surrexitqve, valetudine prosperâ.

CAP. XLI.

Visio LXIII, April 3, in qva Libri lectio absoluta, & subscriptione signata: Videns autem in Cœlum rapta fuit.

PEr duas ferè hebdomadas qvieta, hâc die vesperi syncopem passa fuit prævià sternutatione ac tussi. (Notandum, doloribus aut paroxysmo non præeunte, sternutatio plerumqve raptum antecedere solebat.) Simul ac se à deliqvio recepit, momentô rapta est, mensam adiit, Librum deponi jussit, folia residua (qvinqve) vertendo numeravit, tum legit; lectioneqve absolutâ dixit, *Amen.*

2 Et librum illum intuita, *Qvanta molis Liber!* dixit. *Qvid illô jam facietis? Mandavitnè Dominus? Qvomodo ergò?* Tùm in manum calamo ab illis acceptô, & intinctô, subscripsit nomen ad calcem Libri, qvô loco jubebant. Deinde, *Claudite!* juvitqve ipsa pressando. Mox: *Cùm Dominus venerit interrogabo eum, qvid Libro huic faciam. Describere eum optem.*

3 Iterum: *Rogate Dominum ut me ad se assumat. Qvæso Vos rogate, rogate!* (Vocem hanc aliqvoties iterans) *Ego Vobiscum ibo. Rogo Vos assumite me Vobiscum. Qvàcunqve ibitis, ego Vos seqvar. Dominus me lubens videbit. Scio nondum venturum. Dudum jam apud me non fuit. Vos etiam. Cur non venistis citiùs?*

4 *Ecce, hâc die cœpi Librum legere, hâc die absolvi!* (nempe die Lunæ) *Eratqve circa eandem horam, qvùm ad me venistis. Et Tu habebas clepsammium in manu. Hoc nondum cuiqvam dixeram, qvomodo Tu primùm ad me cùm isto Libro veneras in somno. Nolite adhuc abire rogo Vos, ego Vos comitabor. Qvocunqve ibitis ibo. O assumite me! Dicite Domino, me rogare ut --*

5 Cunctabundis illis, dixit ad unum; *Tu, abi cum hac legatione, hi duo mecum mane-*

manebunt, *donec Tu cum Domino redieris. Dic me rogare ut* -- *Qvin festinas?* Tum ad reliqvos: *Vos me assumere noluistis*, *ego autem id exorabo.*

6 Revertentem videns nuntium illum, avidè se illi obvertit, *Qvid dicit Dominus?* subtristiorqve facta, *Rogo Te iterum Dominum adi*, *rogare me ut me* -- Complicatisqve manibus, & oculis in Cœlum sublatis, orabat tacitè. Tum inter duos illos humi considens, eosqve intuens, *Vos duo loqvimini, sed ore unô.* Levatisqve oculis, *Ecce jam redit! Qvid? qvid dicis? Ego ad Dominum? Qvando? statim? Dixit Dominus?* exultabundaqve illis valedixit, *Praite* (inqviens) *statim seqvar!*

7 Statimqve ita sedens, oculos & manus sursum porrexit, eô prorsùs modô ut olim, cùm in cœlum rapi solebat. Et postqvam ita fixè cœlos (per dimidiam ferè horam) intuita esset, rediit ad se, oculorum dolorem qvesta, à læsa splendore Cœli (in qvod è consveto horti loco rapta fuisset) acie.

8 Præsentes precibus peractis (jam enim nona fuit hora) illâqve ac se invicem Deo commendatis, qvietem petierunt.

CAP. XLII.

Visio LXIV, 12 Aprilis.

APrilis 12 (die Mercurii ante Palmarum) prandio peractô, qvesta est langvorem, consedit, indormiit; statimqve rursum expergefacta, surrexit, hospitæqve suæ *Placetnè seqvi?* dicens, domô exiit. Inseqvuti eam tres Viri (*Comenius*, *Jonstonus*, & *Augustinus Stephani Medicus*, recens è Bohemia veniens, operisqve hujus divini videndi avidus) demum in campo eam asseqvuti, eô ipsô momentô in ecstasin raptam.

2 Excipiebat qvosdam adventantes, numerô qvatuor, ab illisqve recipiebat epistolas: *primùm à Septentrionalibus, dehinc ab Orientalibus, tum ab Occidentalibus demum ab Australibus.* Sed horum sigilla iracundè confringens epistolam perlectam concerpsit, humiqve projectam conculcavit.

3 Accessit interea Dominus, cum qvo illa (Angelis dimissis) per aliqvot adhuc stadia (ad ipsam usqve *Neovillanam sylvam* 14 stadiis ab Urbe) spatiata, consedit, corollam nexuit, capitiqve Domini imposuit. Consurgensqve valedixit, & ad se rediit. Duraverat ecstasis hæc horam cum semisse: in qva nihil sermonis auditum.

4 Ut in Urbem rediimus, Boleslavienses Exules 24 curribus venisse cognovimus: atqve cum illis *Paulum Poniatovium*, Videntis fratrem, cujus videndi tantô ardebat desideriô.

CAP. XLIII.

Visio LXV, Aprilis 19, itidem tacita: examenqve horum à Collegio Medico susceptum.

APril. 19 (feriâ 4 ante Pascha) venit eestasis mane: in qva Dominum, & mox Antiqvum, venerabunda excipiens, auscultabat, tacitéqve responsabat multa, per unius propemodum horæ spatium. Tandem ad se redit, nihil loqvuta.

2 Pridie illius diei (18 April.) loci Dominus *Illustriss. Comes Lesnensis Raphael. Palatinus Bolsensis*, magno comitatu è Russia venerat; non tam Lesnam suam (12 annis non visam) visendi, qvàm hospites novos è Bohemia pro Evangelio pulsos, indultu suo jam antè receptos, modò autem agminatim convolantes, excipiendi, & de illis disponendi, animô. Huic postqvam negotium qvoqve Virginis Poniatoviæ (qvam sibi cognatam dicebat: eò qvod avia sua ex eadem stirpe fuisset, qvâ Christinæ mater, Pawlovia) innotuisset, non intermisit in rem totam penitiùs cognoscendam omnimodè inqvirere; *etiam solenni Medicorum examini* (qvùm intercurrerent morbi) *rem illam subjiciendo.*

3 Nempe qvia secum Aulæ suæ Medicum habebat, *Marcum Eugenium Bonacinnam, Italum*; aderatqve Vir arte suâ summè celebratus *Mathias Borbonius Bohemus*, trium Imperatorum Medicus; placuitqve insuper è vicina Urbe Wschowa (Frawstatt) *Mathæum Vechnerum Silesium*, Regis Poloniæ Archiatrum, evocari, ad diem Aprilis 24. Addiditqve illis *Johan-Georgium Schlichting*, Regium Wschowensem Judicem, Comitatûsqve sui Lesnensis Administratorem, cum *Jacobo Wolfagio* Theologo.

4 Comparuerunt illi in Aula, sicut & qvi adesse jussi sunt tanqvam Relatores, *Libavius Medicus, Comenius & Stadius Theologi, & Johan. Jonstonus Med. Cand.* omnium circa Virginem in Polonia jam gestorum conscius, qvi qvid istis in rebus vidissent, audissent, observassent, historicè recitàrunt.

5 *Sermonibus variè habitis, trium illorum Archiatrorum sententia eò inclinabant, naturæ effectui rem hanc esse tribuendam: flava nimirum bili, menstruorumqve* (qvod falsum erat) *obstructioni. Addebatur: ex patre Exule natam, inter Theologos educatam* (illud etiam falsum, in Gynæceis) *procul dubio lectitasse Apocalypsin, vel audivisse ab aliis: aut simulari qvadam, & augeri in majus. Marthæ quoqve apud Thuanum nonnemo adducebat exemplum &c.*

6 Ad hæc cùm responderetur (menstruorum obstructionem esse nullam; bilis atræ, aut flavæ, nulla adesse indicia; lectionem talium librorum nullam intervenisse; impiæ illius apud Thuanum diabolicarum obsessionum simulatricis exemplum huc non qvadrare &c.) conventum fuit, ut Relatores pro divinitate harum Revelationum argumenta conscriberent; D. D. Medici contrà. Fecerunt illi; ab his rationes suas frustra expectavimus.

CAP.

CAP. XLIV.

Visio LXVI. (Aprilis 25.) qvam inseqvuta sunt deliria ægræ, per tres, Epileptici autem paroxysmi per sex dies, continuata.

QUarta Paschatos feria (26 April.) cœpit à meridie conqveri, reposuitqve se in lectulum, & obdormiens habuit Visionem. In qva qvid illi obvenisset, scire non potuimus usqve Saturni die. (Nempe *Antiqvum illi apparuisse, ægritudinemqve per octiduum duraturam denuntiasse, adscriptis in singulos dies paroxysmis epilepticis qvatuor. Præterea, Rationis usum ab illa sublatum iri, ad ostendendum adversariis inter corrupta phantasiæ agitationes, & opus Dei, differentiam. Deinde alium qvoqve accessurum morbum.*)

2 A somno igitur expergefacta, mox epilepsiam passa fuit. Hâc autem cessante delirare cœpit, ridicula & absurda verbis & gestis (nihil tamen pietati & bonis moribus contrarium) proferens: ut attoniti hæreremus, quid fieret ignari. Jam enim ridebat, jam flebat: jam conserebat cum qvopiam manus, jam ostentabat amputatos sibi digitos. Neminem autem adstantium noverat: si qvis aliqvid interrogaret, aut nihil respondebat, aut nihil ad rem, absurdè potiùs aliqvid & ineptè. Aut repetebat interrogationem cantillando; infinitaqve alia, puerilia & ludicra. Unde Medici opinione suâ tantò magis exultare, nobisqve illudere, cœperunt.

3 Vesperi tamen, nobis jam jam cubitum ituris (horâ 9) *cœpit voce clarâ preces ad Deum fundere, verbis admodùm concinnis, gestuqve devoto, sine ullo aberrantis phantasiæ indicio.* Primùm enim recitabat Psalmum 51. & mox Psalmum 13. integrè. Tum ex Psalmo 119 plurima. Dehinc precationem singularem prolixam, verbis exqvisitissimis, serieqve valdè concinnâ. Primùm enim *pro Ecclesia in genere orabat: mox pro Potestatibus secularibus, Pastoribusqve Ecclesiæ. Deinde pro persequutiones perpetiuntibus: tum pro lapsis: & pro dispersis.* (Ubi hæc, inter alia, fuerunt formalia verba: *Congrega ô summe Dux Jesu Christe, sub vexillum Tuum omnes dispersos Tuos, ut ne qvisqvam pereat omnium qvi pro nomine Tuo patiuntur, fiduciam ponentes in Te, &c.*) *Deinde contra Antichristum, ut festinaret Deus disjicere opus deceptionum. Tum pro illis, qvos ad disturbandum hoc Satanæ Regnum elegit, ut illis ope ac benedictione suâ adsit. Demum pro se, ut in ea compleret opus suum, ostendens se esse veracem, gloriamqve suam defendens adversùs blasphemos.*

4 Clausit suas preces verbis Orationis Dominicæ (NB.) primùm simpliciter ordine recitatis, tum paraphrasticè. Resumebat enim qvamlibet petitionem, perqve singula verba (supra qvàm dici potest fervidè ac lucidè) explicabat. Qvod calamo non fuisse exceptum doluimus, spe nostrâ elusi. Sperabamus enim ipsammet postea esse hæc descripturam: illa verò menti restituta, nihil horum

horum meminerat, nec sibi tale qvid accidisse sciebat. Hic autem, precibus in eum modum peractis, ad deliria rediit, totam noctem (sine somno) ineptiis transmittens.

5 Seqventi mane invisebant nos qvidam recens è Bohemia venientes Pastores, qvæ de Virgine audiverant coram cognoscere avidi. In qvorum præsentia illa (abruptis iterum deliriis) hesternô modô preces peregit. Unde factum, ut illorum unus (*Johannes Joram*, qvem adhuc in Russia vivere senem, si non furore belli periit, aut à Domino evocatus est, spero) coram omnibus demum se qvòd scriptæ Revelationes ab ipsamet veniant credere, divinitatemqve agnoscere, fassus fuerit. Sed & mox ipsis præsentibus redierunt, tum deliria, tum paroxysmi.

6 Pomeridianâ prima inviserant nos qvædam generosæ personæ, inter qvas *Baro Sadovius* cum Conjuge: circumsederuntqve lectulum tristi tot absurdarum actionum & sermonum spectaculo. Ubi illa ex improviso: *Attendite nunc adversarii*, inqvit, *qvid sit phantasia, & qvid Omnipotentis Dei opus.* Qvibus verbis ad minimum septies iteratis, subjunxit: *Vestri, vestri causâ id factum est, & fit. Exaudiet Deus orationem meam. Liberrimum agens est Dominus; agit mecum, & qvolibet, qvicqvid placet. Habeo ego qvoqve habitantem in me Spiritum Dei. Sex diebus adhuc decumbam, qvotidie obvenientibus paroxysmis epilepticis qvatuor: deinde aliò etiam morbo. Hodie duos jam perpessa sum, totidem restant, alter gravissimus, mitior alter.* Dehinc orabat: non multis qvidem verbis, sed addidit Psalmum 51, cecinitqve ex Psalmo 35 versus tres primos, contra oppugnatores suos.

7 *Baronissa Sadovia* illam ad rationis usum rediisse rata, amanter alloqvi cœpit; sed frustra, illâ ineptias suas rursum exercente usqve ad 29 Aprilis. Hâc autem die paroxysmus epilepticus rediit circa tertiam, sed tolerabilis: semi septimâ autem terribilior ac unqvam antè. Qvô defunctâ, iterumqve ad nænias reversa, inter alia hoc cantillavit: *Qvater hodie morbô jactata sum, & ita qvotidie erit sex adhuc diebus: noctes autem habebo qvietas.* Atqve ita fuit, cœnulâ sumtâ totam noctem dormivit commodè.

8 Interea Medici suæ illam tradi curæ urgebant, ad videndum num cessante morbo, alter cessaturus sit effectus: differri tamen, donec deliria cessarent, visum.

9 Saturni die (29 April.) antemeridianâ octavâ invasit eam paroxysmus robustus: à qvo sibi reddita, mox se & alios agnovit, horamqve diei inqvisivit. Et mox ingressa est (invisens eam, sicut & pridie) *Illustrissima D. Palatina*, illiqve restitutionem gratulata, significavit in Aulam esse transferendam, melioris commoditatis ergò: & qvia Medici curæ suæ inchoare vellent praxin. Egit gratias: ante diem tamen Mercurii se nihil accepturam, eô qvòd eâ die sibi valetudinem plenam restitutum iri, sciret; ut ne illi Opus Dei suis medicamentis tribuerent. Translata nihil ominùs est mox eâ die.

CAP.

CAP. XLV.

Visio LXVII. (3 Maji) in qva illi sanitas planè restituta, Medici autem confusi.

DIe Martis nuntiavit ægra Tutori suo Comenio, rogare se ut postridie visere se velit, mane statim. Factum, ingressusqve ad illam cum D. *Bonacinna*, & aliis, hæc viderunt. Primùm eam Epilepticus invasit paroxysmus, mox postqvam sonuit sextam: post tres horæ qvadrantes iterum, gravior: & iterum tertius, adhuc gravior. Gravissimus autem omnium horâ nonâ: ubi jam Illustrissima qvoqve, cum Generosis aliqvot matronis, ingressa fuerat. Hic simul atqve remisit, rapta est in ecstasin, qvæ semihorium duravit.

2 Nihil hîc loqvuta, gestus tantùm edidit varios: primùm in lecto confidentis, qvendam manu excipientis, illiqve aliqvid narranti auscultantis. Tum ab eo qviddam cum gaudio recipientis, oriqve ingerentis: & tempora, cor, pulsus, inungentis: deinde gratias agentis, orantis, hospitemqve suum dextrâ datâ rursum dimittentis. Cùm se recepisset, integræ sanitati restitutam vidimus omnes. Vestes enim sibi dari jussit: & postqvam nos Viri eramus egressi, subitò se induit, integrôqve vigore à nobis mox reversis spectata est, summâ omnium (præsertim qvi nondum talia viderant) admiratione. Interrogata qvid vidisset? Respondit, Senem sibi adfuisse, ita se alloqvutum: *Ecce redeo tibi, & sanitas tua mecum! Benè fecisti qvòd castigationem meam patienter tulisti. Jam surge, & valetudine firmâ utere.*

3 Hôc spectaculô attonitus *Bonacinna*, supernaturalia hæc esse fassus est: cùmqve id reliqvis narrasset Medicis, nemo ampliùs medicinam propinare præsumsit. Virgo etiam postqvam *D. Palatinus* (rebus hîc compositis) in Russiam rediit, ad suum Tutorem reversa.

CAP. XLVI.

Visio LXVIII, & LXIX. Ubi muta, iterumqve loqvens, facta. Febris.

MAji 14 inviserant eam amici qvidam, & colloqvebantur. Ubi cùm illa ad qvæsitum de mille annis Apocalypticis, gradibusqve felicitatis Ecclesiæ in his terris (qvod eam in Libro legisse notaveramus) respondisset aliqvid, repentè in somnum incidit, illiqve per visionem lingva ligata: ut ad se reversa loqvi non posset, surgeret, exiret, ploraret. Interrogata deinde, scripsit: *Cur me quæstionibus semper fatigant?*

2 Postri-

2 Postridie in pagum cum aliis exules visendi gratiâ egressa (densè enim advolabant, ut iis capiendis Oppidum non sufficeret, per pagosqve locandi essent) consistit, abripitur, loqvelam recipit.

3 Duas verò post hebdomadas (29 Maji, qvi dies Lunæ fuit ante Ascensionis festum) in febrim incidit, qvæ & die Mercurii ac Veneris rediit: sed hunc illa jejuniô transmisit. Morbum hunc fuisse eum ipsum, qvem Epilepsiæ fore succedaneum Senex prædixerat, April. 26 (ut suo locô XLIV § 1 attigi) ipsamet interpretata est.

CAP. XLVII.

Visio LXX, cum aliis tribus: (die Junii 4, 5, 6, & 20.) Ubi Videns iterum febri, surditate, ἀφωνίᾳ, cæcitate, delirio, exercetur, rursumqve sanatur.

DIe Solis (4 Junii) exspectabat Febrim, ad vesperam usqve emanentem. Ubi ab amicis visitata, interqve alios *de Bethleme* (Transylvaniæ Principe, qvem cum exercitu in procinctu esse fama erat) interrogata, *nondum esse tempus* respondit. Cùm verò ut literarum ad Waldsteinium scriptarum contenta revelaret rogaretur, nec excusatio à prohibitione sumta rogantibus satisfaceret, dixit qviddam, mox tamen se reprimens, & indignabunda.

2 Habitæ interim vespertinæ præces: qvibus nondum finitis illa in animi deliqvium incidit, exindeqve in febrim horrendam, qvam interrupit ecstasis & LXX Visio. In qva illi pœna injuncta: qvam illa cum lacrymis deprecata cùm nihil obtineret, ori & auribus aliqvid ingerere visa est. Verba interea prolata non alia præter hæc audivimus: *Ne me diu in eo relinqvas! ne deseras! Ubi humana solatia nihil proderunt, Tu me consolare, ut ne deficiam.*

3 Sibi restituta, & in lectum reposita, mox iterum passa est syncopen, qvam excepit interrupta priùs *Febris* ingens, hanc iterum *dolores cordis*, ut globi instar convolveretur: tandem *delirium*. Interim muta, surda, & ferè cæca existens: in delirio varii ludicri gestus, nulli inhonesti. Indormiit tamen circa noctis meridiem, somnumqve ad matutinum usqve continuavit.

4 Prope nonam (5 Junii) redormivit, cœpitqve orare, tum & colloqvi. Non plura tamen audivimus præter hæc: *Qvando verò cætera? Cur non hodie etiam?* Paulò post ad se reversa, loqvi cœpit, sed nihil ad rem, varias nugas: præterqvam qvòd cantillando diceret, *Cras mihi auditus & ratio restituetur: Visus non ex toto; Valetudo autem nescio qvando.*

5 Factum verò ita est: restituta illi postridie (6 Junii) fuêre per Visionem in somno, audiendi & ratiocinandi facultas; seqventi autem die deseruit eam febris, revaluitqve penitùs.

6 Sed

6 Sed 20 Junii. cùm audiſſet calumniis ſe & Viſiones ſuas à qvibuſdam lacerari, cubiculum ingreſſa oravit, in ipſa Oratione abrepta. Nos ingreſſi eam genibus procumbentem, & ſenſibus exutam, reperimus. & anteqvam ad ſe rediret, horam ferè expectavimus. Indicavit poſtea Senem adfuiſſe, & ſibi *octo Beatitudines* (ex Matth. 5.) explicaviſſe.

CAP. XLVIII.

Viſio LXXIV. & LXXV. (Iulii 5 & 6.) Ubi Videnti tentationes Diabolicæ immiſſæ, rurſum tamen repulſæ fuerunt: cum Victoria & triumpho.

JUlii 5. pomeridianâ ſecundâ, inter canendum Pſalmos, ita ut ſedens fuit ſomnô abrepta eſt. Ubi Dominus illi, cras veſperi ſe ad eam viſurum, promiſit, priùs tamen illi eſſe anguſtam petranſeundam viam, qvaliter nondum factum. Ad qvod illa (hoc tantùm audivimus) *Tu ó Magne Deus, qvi alias auxiliatus es, hic etiam auxiliare, & me ne deſere!*

2 Expergefacta flevit amarè, inqve lectulum ſe reponens, multis cum ſuſpiriis ac gemitibus, lacrymas emittebat. Cauſam luctûs rogata, reſpondit; *Talia ſibi à Deo imponi, quibus ferendis jam non ſit par futura.*

3 Atqve hîc acceſſit tentator: cum qvo tota die, & inſeqvente nocte, & ad meridiem uſqve, denuò, graviſſimam habuit luctam. *Viſibiliter enim perterrefaciens eam, deſperationem incutiebat, omnia per viſiones Dei dicta & facta in dubium vocans.* Labebatur ſub hoc humana infirmitas: qvod nobis admodùm triſte, adeòqve horribile, viſum. Cùm enim omnia ſua in dubium revocantem, eòqve tentationibus ſuccumbentem videremus, ut ad Deum converſa oraret monebamus. Reſpondit, *Non poſſe: Deum enim ſe non noſſe.* Conveniebant ergò tantò ardentiùs pii, fervidiſſimasqve ad Deum fundebant preces: ut tandem victus eſſet hoſtis.

4 Seqventi enim die (qvi erat 6 Iulii, Johanni Hus martyri apud Bohemos ſacer) poſtqvàm tranqvilla jacuiſſet bihorium (ab undecima ad primam pomeridianam) qvaſi expergefacta Tutorem advocavit ſuum, utqve gratiæ agerentur Deo pro depulſione tentatoris, petiit, ſicut & preces pro ſe: cùm unam adhuc graviſſimam ſuſtinere haberet luctam, dolores ingentes. Promiſimus: precesqve ſtatim cum illa (pſalmodiâ præmiſſâ) egimus.

5 Enimverò brevi pòſt ingentes cordis dolores eam adorti, per trihorium (terribili nobis ſpectaculo) diſcruciarunt. Parturientis enim inſtar gemebat, huc & illuc variè ſe torqvens, opemqve & miſericordiam implorans. *Hoc nempe anguſtum illud fuit iter à Domino prædictum: & à cujus triſti, expectatione tentator Divinam exaggerandi ſeveritatem, ceperat anſam.*

6 In ſummis angoribus hiſce, circa dimidiam ſeptimam abrepta eſt, lectò proſiliit,

ſiliit, duobusqve dexterâ datâ exceptis, ita loqvi orſa eſt. *Salve ó deſiderium cordis mei anxiè expectatum! ſalve auxilium, ſalve gaudium, ſalve ſolatium meum unicum! Ecqvid verò me deſerueras? jam eram in faucibus mortis, jam in profundo ſepulchri! Deus mi, liberator mi, ſalus mea, qvorſum verò igne hoc perurebas me? ad qvid præparabas? explorabas me ut aurum in clibano. Immiſiſti etiam mihi homicidam iſtum: cùm tamen orare ſoleam, ne me inducas in tentationem. Cur verò illi hanc in me dederas poteſtatem? Ecce in dubium mihi magnum illud tuum Opus vocabat! Etiam dicens, Impoſſibile eſſe ut Pax illa, qvam Tu Eccleſiæ promittis, coëat. Se enim tumultuaturum, omniaqve acturum ut ne eveniat. Tu autem dic mihi, oro, ad qvid magnum tantoperè me præparabas?*

7 Tum auſcultabat: & jam ad dextrum, jam ad ſiniſtrum ſpectans, *Atqvi Vos unum eſtis?* inqvit. Et paulò pòſt: *Faciam ita.* Rurſum: *Vides Tu omnia, & noſti ſubſannationes etiam qvas perpetior. Eveniat qvicqvid eveniat! Tu tamen Veritas es, Verbum Tuum verax manebit in æternum. Una res me urebat: ſcis Tu id, dicam tamen. Iudicant ſecundùm externam ſpeciem tantùm: qvi ſint, Tu noſti. Ita ſanè: absqve hoc eſſet, haberent iſta pro figmentis: ſed prouti Tu procedis, poſſunt noſſe.*

8 Tum patientiam promittens: *Ita faciam, ſermones illorum nihil morabor. Sufficit mihi me talem eſſe, qvalem Tu habere me vis. Cùm te habeo, omnia in cœlis & terra habeo.* Et paulò pòſt: *Confirma evidenter, ó Domine, ea qvæ per me & alios revelas, & adhuc* (NB.) *revelabis. Tunc ceſſabit humana ſapientia, deſinentqve opus traducere tuum.*

6 Hôc dictô, carpebat celeriter flores, conſidensqve viebat corollam; & ſe ad ſiniſtram obvertens, *Ecce ille jam abiturit!* dixit. *Deducam illum & redibo. Tu adhuc ſubſiſte!* Surgensqve, Antiqvum aliqvousqve comitata, cum oblatione dextræ adorationeqve dimiſſum, diu oculis Septentrioni obverſis, proſeqvuta eſt. Demumqve reverſa conſedit, auſcultansqve Domino dixit, *Tu regnabis, Tu.* Et mox: *Tam velociter procedent omnia, qvàm velociter auxilium Tuum veniet. Oſtendes Te tuis non absqve potentia.*

12 Poſtea: *Ne abeas adhuc!* Iterumqve: *Si non poteſt qvin abeas, Qvando redibis?* Porrexitqve dextram cum adoratione: & abeuntem in nube ſurſum oculis proſecuta, ad ſe rediit integrâ valetudine, cœnulâqve hilariter ſumtâ dormivit tranqvillè.

CAP. XLIX.

Viſio LXXVI, Julii 13: qvâ illi antea revelatus & perlectus divinorum Decretorum Liber, memoriâ deletus.

ACceptô de Revelationibus in Januariô habitis (ubi ceſſare fuerat juſſa) deſcribendis mandatô (nominatim autem tribus, 17, 18, 19, ejuſdem menſis exhibitis) deſcripſit eas ſeqventi biduô: qvemadmodum legi poſſunt Revel: XIV, XV, XVI.

2 Cùm illis absolutis Librum Tutori suo redderet, ille autem in causam non continuatæ scriptionis inqvireret, nondum sibi permissum respondit. Promisisse tamen Dominum octavo die reditum, & qvid jam facto sit opus indicationem: qvam proinde diem desideriô expectabamus.

3 Venerant interim è Moravia (12 Julii) Viri duo Juvenes, Ministerii sacri Candidati (*Paulus Concordius, & Johannes Dares*) à Generosis qvibusdam ad videndum, num hospitia qvoqve nancisci possent Lesnæ, emissi. Hi audita sibi de Virgine Poniatovia memorantes, rem à fundamento cognoscere avent: intellectóqve Visionem postridie futuram, interesse optant, sed si fieri posset absqve arbitris. Annui, ad qvintam Vespertinam adesse jussis.

4 Veniunt: Virgóqve horâ sextâ (in medio nostri sedens, inter colloqvia) in ecstasin abrepta, surgit, adorat, manum porrigit, obambulansqve Domino tacitè colloqvitur. Tandem sonorè: *Scripsi qvæ mandasti.* Et paulò pòst: *Cur non cras? Rogo ut cras de prælio scribam. Et qvando igitur? Benè ergò.* Tùm obambulans, se scribendas adhuc Visiones probè memoriâ tenere, narrabat.

5 Dehinc, *ut magnum illum Librum exscribendi sibi potestas fieret*, orabat. Auditóqve responsô negativô: *Ad qvid ergò id fuit? Obsecro saltem aliqvid! Hucusqve omnia exactè memoriâ complector, cur ea in oblivionem reduci velis?* Tum lacrymabunda, manibusqve complicatis, *Oro Te mi Domine! Qvem usum ea res habebit, si omnia illa memoriâ deleveris mihi? Fuit LIBER DECRETORUM TUORUM, de rebus abhinc ad novissimum diem gerendis. Gaudium mihi fuit, tantarum rerum notitiam complecti mihi fuisse datum: & nunc illa auferre vis? aliqvid saltem relinqve mihi! vel de Regno Bohemiæ.*

6 Nihil tamen exorare valens, respexit, qvatuorqve advenientes excepit, unum cum adoratione: progressaqve paululùm sedit, diu lacrymabunda. Tùm ante se prospectô, *Qvid juvat*, inqvit, *Vos tam diu ad me itasse? Voluptati erat mihi tot nosse mysteria Dei. Sed qvia Domino ita placet, qvis resistat? Sperabam ego me illum descripturam. Cedò huc illum!* Extensâqve manu utrâqve Librum accepit, in gremio posuit, aperuit, ultimum folium inqvisivit: inventóqve dexteram extendit, calamum accepit, intinxit (omnia hæc ad vivum repræsentata vidimus, sicut & lacrymas largiter profluentes) subscriptionem illam suam bis induxit. Tum Domino (ad dextram sedenti) calamum, ut ille qvoqve induceret, porrexit.

7 Assumebat deinde qviddam à Domino, inungebatqve capitis verticem, & cor, fletu continuô. Tum Librum clausit, Angelisqve reddens dixit: *Auferte illum!* Ad Dominum verò conversa: *An eum alii cuipiam revelabis?* Demùm Angelos dexterâ ter porrectâ dimisit.

8 Rursum ad dextram obversa: *Relinqve igitur aliqvid mihi solatii.* Et mox: *Hoc scio dudum, Te esse Deum meum. Sed donis à Te acqvisitis ita rursum privari dolet.*

9 Tum obversa sinistrorsum, Antiqvo benè diu auscultabat; & ad Dominum, *Nondum abeas oro*, dicens, surrexit. Antiqvo valedixit, denuòqve Domino, *Qvando ad me redibis?* eumqve sursum abeuntem diu spectavit, demùm ad se reversa tristis admodùm. A præsentibus de Libro interrogata, ne verbum qvidem unum recordari potuit.

CAP. L.

Magnum Prælium describi mandatur, & prohibetur: rursumqve mandatur, subitaneò raptu binò.

PRælium magnum describendi magnum illi erat desiderium, qvod ad conscios prodebat, & à Domino ipso expetebat, ut modò dictum XLIX. §. 4: qvi ei diem 24 Julii nominavit. Ubi tamen qvid mirum accidisset, tacendum non est.

2 Accessit eâ die (24 Julii) summò mane Tutorem suum Librum poscens, eò qvòd Prælii describendi dies venisset. Tradidi, illâ mox Cubiculum ingressâ, scriptioniqve se accingente. Convenit interea me *Antistes noster Cyrillus*, negotiòqve cujus causâ venerat confectò, *ubi Christina esset* inqvisivit. Respondi, scriptione occupatam esse in cubiculo. Ille, salutabo eam in transitu: ingrediturqve, me comite. Ecce autem videmus eam indormiisse, calamumqve (qvi manu exciderat) super Librum jacere. Miramur, turbare tamen nolentes, regredimur.

3 Illa paulò pòst Librum mihi reddit. Miror tàm citò rem confectam, avidéqve lego: sed narrationem in medio abrumpi videns, *cur non absolveris* qværo. *Prohibita sum* inqvit. Qvare? *Nescio.* Cur macula ista atramenti (qvæ adhuc in autographo ejus cernitur) addita? *Cùm calamum intinxissem, scriptionem continuatura, momento me somnus oppressit, calamus excidit, maculamqve istam illivit: ego autem continuare prohibita sum.* Tantò igitur magis mirabar (æqvè ut conscii omnes:) cur tamen id fieret, asseqvi poterat nemo. Cùmqve tertium in mensem nullum obveniret eâ de re mandatum, nec Visio ampliùs ulla, nihil erat facilius qvàm omnia silentiò iri sepultum suspicari.

4 Ecce autem 16 *Octobris* ut primùm surrexit, Librum reposcit, prælii continuationem sibi mandatam. Noctu enim evigilasse se, & numerasse tertiam, simulqve abreptam in ecstasin. Postqvàm autem ad se rediisset, reperisse se insidentem Cistæ, sonuisseqve mox qvartam. Unde apparuit, per horam in ecstasi fuisse. Atqve *hac sola una fuit* (NB.) *absqve testibus Visio*, numero 78.

5 Accingit ergò se scriptioni, interpositâ primùm prælii descriptioni transitione, ut jussa erat; *Vox Domini silescere me cogit, & Verbum ejus enarrare opera ejus.* Qvod gratis factum cogitare Divina non permittit Sapientia: qvid autem portenderit, nemo tunc nostrûm asseqvi ullâ conjecturâ potuit, neqve ipsa Videns. Nunc demum intelligere videmur, postqvam eventus arcanum detexit: Septentrionalium nempe atritas præliis vires, & dilatum de Cælo auxilium totos XII. annos, præsignificata fuisse. Nam si Svecorum debilitationem, & retrocessiones, à Gustavi Regis eorum morte numerare incipimus, accidit illa 1632. Nov. 16. A qvo tempore ambiguò Marte pugnabant (deserentibus eos Imperii Principibus) usqve ad annum 1642. ubi Torstensonius, susceptis (à Banieri morte) attritarum admodum Copia-

rum

rum habenis, interceptione Glogoviæ & Olomutii, fusóqve Cæsareano ad Swidniciam exercitu, Victorias reparare cœpit: sed lentô adhuc gradu, ut in æqvilibrio viderentur omnia ad annum usqve 1644, ubi Cæsareani ad Lipsiam ingenti præliô victi, ipsáqve Lipsia (rerum per Germaniam feliciter gerendarum centrum) in Svecorum manus venit. Seqvuta est (anno 1645 in Martio) ingens ad Jankoviam (in Bohemia) victoria: ubi totus Cæsareanus peditatus amissus, Genera les octo capti &c. ut ab illo tempore Cæsareani nihil jam possent, usqve dum tractatibus Osnabrugæ ignominiosam sibi pacem redimere coacti essent. Ita revera XII. anni fuêre dilati auxilii, ab anno 1632 ad 1644: ab hoc autem ad 1648 feliciter pugnarunt, usqve dum ingentibus cum spoliis (ut Revel. XVII. ℣.24. prædictum fuit) domum redierunt, tametsi Ferdinandum & Papam soliis non dejecerint, neqve Fridericum restituerint. Qvippe id novum actum, & novum Septentrionalium reditum, Orientaliumqve accessionem, reqvirebat: ut Visio inde tertia, XIX, ostendit. Adeò in Divinis cogitatis, dictis, factis, nihil frustra esse, & ne jota qvidem unum perire, discimus. Gloria sit illi, qvi mirabilia facit solus.

6 Perrexit autem Videns, ut jussa fuit, & seqventi triduô ultimas Revelationes septem descripsit.

CAP. LI.

Penultimæ tres Visiones, qvibus animo Virginis per dies vitæ duraturus infigitur stimulus.

OCtobris 21. vesperi bis rapta fuit intra horæ dimidium. Secundò ad se reversa, in lacrymas se dedit, & in mœrore summo, jejunioqve, totum triduum perstitit, noctes etiam insomnes agens. Tanta hæc tristitia fuit, ut non solùm nullæ humanæ consolationes in erigenda illa qvidqvam possent, sed etiam tertiâ die in mentis alienationem incideret.

2 Sed ubi tamen Deus non defuit, eamqve jam jam in oculis nostris prostratam erexit, abreptam in ecstasin die 24 Octobris pomeridianâ secundâ (dies Solis fuit, Concioqve habita pomeridiana, ubi eam Ecclesiæ precibus commendaveramus). Ut enim ad se rediit, & mentis compotem, & animô hilarem, Deoqve gratias agentem, vidimus.

3 Interrogata qvid rei fuisset, & qvæ tanti mœroris causa? *Indicare non audere,* respondit: *neqve penitùs ablatum esse qvod inflictum erat, sed stimuli loco relictum, per dies vitæ: ut qvoties recordabitur, toties mœrore suffundi necesse habeat.* Nemini itaqve qvid fuerit constat.

4 Addebat: *Et nudius qvartus & modò, Antiqvum sibi solum adfuisse, illamqve castigationem & immisisse & mitigasse. Promisisse autem post octiduum vesperi reditum, unà cum Domino & Angelis, ibiqve finem impositum iri omnibus.*

CAP. LII.

Ultima per ecstasin Visio, numerò LXXXII. ubi reliqvæ Revelationes scribi prohibitæ, clausula tantùm addi mandata. Octob. 29.

POloniæ Majoris Ecclesiarum Superattendens *Martinus Gratianus*, Vir summus, senectute adactus Ecclesiam suam, Ostroroganam, alteri tradiderat regendam, (*Paulo Paliuro*) reliqvos vitæ dies qvietè transacturus Lesnæ, ubi ædiculas in Parochiali horto exstrui sibi curaverat; conclavi etiam pro Collega suo, Pragensis consistorii Seniore (*Johanne Cyrillo*) Exule, adstructo. Is omnia Virginis scripto consignata legerat, magniqve se facere (præsertim ultima nuperrimè scripta) ostendebat: desiderium etiam ecstasin ipsam aliqvando coram videndi præ se ferens, sed ita ut ne interessent alii.

2 Cui desiderio vel tandem gratificaturus ego, Virginem (vespertinâ concione finitâ) D. Cyrilli habitaculum adire jussi, ipse verò ad Gratianum ingressus, *Reverende Pater ecstaseos instat tempus*, dixi. *Adest Virgo in proximo hic apud D. Cyrillum: nemo præter vos Patres, & domesticos, aderit.* Constitit ille deliberabundus: & mox, *Differam in aliud tempus. Non erit aliud tempus*, dixi: *hodie fore finem indicatum illi est.* Iterum ille deliberat: tandemqve, *Qvia aliàs non intereram, abstinebo nunc etiam*, dixit. (Nempe Vir prudens erat, plus metuens qvàm sperans: atqve si qvando res proderetur, & fortè inqvisitio fieret, ne ad testimonium trahi posset providens. Qvod tamen metuere, si fata sua præscisset, non habebat, brevi post ad Dominum evocatus: ut suo loco dicetur.)

3 Nos ergò uno & altero è Pastoribus (qvi ultimæ interesse Visioni optabant, sed in gratiam Superattendentis excludendi erant) advocato, ipsi ultima hæc spectavimus, verba & gestus (ex more) per unum è medio nostri consignantes: qvæ consignata huc transscribam.

4 *Crepusculò ingruente rapta est, consurgensqve tres manu datâ excepit: & mox duos, adorabunda.* Deinde verbis Domini attentâ aure exceptis, *Qvid audio? inqvit. Ego verò realiter id futurum sperabam, sicut ad Waldsteinium.* Nempe literas ad Fridericum scribendo, qvem sibi epistolâ fore salutandum jam 23 Januarii, die coronationis ejus, promissum acceperat: diesqve hic (Dominicæ XIX à Trinitatis) expressè nominatus. *Concredideram id nonnullis*, inqvit, *sollicitiqve fuimus, mihinè ipsi epistola hæc ad illum perferenda erit, & qvô comite iter illud absolvendum.* Paulò pòst: *Ita sanè, tantundem erit, ac si corporaliter scripta esset. Ergóne jam nunc scribam?*

5 Tum auscultabat dictantis Domini verba, benè diu: demumqve alacritatis plena mensam accessit, papyrum explicavit, scriptionemqve aggressa diutulè continuavit. Tum subsistens nonnihil, scripsit XXX (sic Romano numero tria X. evidentissimè id notare potuimus, exprimens:) Addidit autem: *Hoc ille gaudebit, magisqve*

gisqve cor suum in Deo firmabis. (Nempè auxilium sibi primum ab Aqvilone videns: ita enim interpretabatur, & eventus ostendit, *Gustavo Sveco* Domum Austriacam annô illô primùm bellô invadente.)

6 Paulò pòst scripsit XXXI. Et per intervalla XXXII, XXXIII, & sic usqve supra L, qvasi annis singulis sua pensa assignans, vultu jam læto, jam tristi. Nos numerum eò usqve protrahi mirati, & qvid fieret ignari, eôqve fastidio qvôdam correpti, ne attendimus qvidem qvousqve progressa fuerit, & ubi desierit. Nisi qvod cùm scriptionis finem videretur factura, rursum oculos obvertimus, subscribentemqve audivimus dicentem: *Datum tempore lacrymarum nostrarum.*

7 Complicavit inde epistolam, annulôqve Domini obsignavit, & *Ubinam est qui eam perferet?* inqviens, cùm illi mox adstitisset, Epistolam ei tradidit, additô, *Vah velocem cursorem!* Qvod dixisse ait, cùm fulguris instar volantem videret.

8 Deinde cum Domino & Antiqvo diu tacitè colloqvuta, clarè addidit: *Non audeo interrogare, Cur ita facias.* (Nempe cur reliqvarum visionum scriptionem prohiberet.) Et rursum: *Mirum id mihi accidit: Ego verò sperabam multa adhuc fore. Rogo permitte ut ea scribam! Qvorsum enim ea mihi soli?* Et inter suspiria: *Atqvi nuper habita Visiones peramœna sunt! lubentissimè eas scribam. Qvare non?* Iterumqve suspirans: *Rectè igitur, faciam ut jubes. Qvomodo summam?*

9 Auscultabat inde diu, orabatqve tacitè: tandem clarè, *Adsis ergò mihi ope Tuâ, ut hæc perficere valeam! Inclina Te ad me, & inclina corda bonorum ad me! Qvoniam verò non ampliùs ad me more hoc solito adventabis, ne recedas tamen à me, qvæso, amore, præsentiâ, benedictioneqve Tuâ. Ita eqvidem est, semper ego Te fide verâ videbo.*

10 *Fac ergò maneam Vas gratiæ Tuæ, & sub custodia Spiritûs Tui! Spiritus Tuus bonus ducat me per viam rectam. Si qvando autem peccavero, qvod sæpiùs contigit, ne me derelinqvas, sed recollige me, & opem fer, ut resurgam. Castiga me in hac vita, ut conserver in futuram. Non abusa sum his ad superbiam, sed gaudebam qvòd ad tanta elegeris me. Robora me contra omnes tentationes diabolicas. Ostende hoc esse Opus manuum Tuarum, Opus divinum non diabolicum. Ne patere detrahi nomini gloriæ Tuæ!*

11 Tum ad Angelos conversa dixit: *Vos qvoqve non ampliùs ad me venietis.* Rursumqve ad Dominum lætabunda: *Adhuc in somniis? Ecce me solatii vacuam non relinqvis! Diurnè? sæpènè? Uti lubet. Sed illi hoc non videbunt.*

12 *Jam autem abibis?* Auditisqve nonnullis: *Gratias Tibi pro istis monitis habeo. Juva ut in his reperiar, monitaqve Tua observem.*

13 Ad lævum conversa, surrexit, ad Antiqvum dicens, *Jam abis?* adoravitqve profundè, vultu ad terram usqve demissô, qvaliter nunqvam ante factum: Et abeuntem oculis proseqvuta est.

14 Iterumqve cum Domino colloqvuta, simili profundâ adoratione illum dimisit, directô in cœlum vultu eum proseqvens.

15 Demum Angelos dimittens, dixit: *Qvùm qvid Dominus revelare mihi volet, Vos mihi renuntiabitis.* Tum eos oculis qvoqve proseqvuta, ad se rediit. Duravit ecstasis hæc ultima horam unam.

16 Mane verò illa Revelationibus suis clausulam apposuit talem.

RE-

REVEL. XXIV.

29. *Octob. ejusdem* 1628 *Anni.*

[*Visionum Clausula.*]

DOminicâ post Trinit. XIX apparuit mihi Dominus, vetuitqve reliqvas Visiones (qvarum numero 81 fuerunt) scribi, qvùm pleraqve meam personam concernerent. 2 Clausulam tantùm apponi jubens talem: *Summa omnium qvæ vidisti & audivisti hæc est. DEUM time, & præcepta ejus observa: qvia hoc totum tuum bonum est:* 3 *Qvoniam omne opus DEUS adducet in judicium cum omni re occulta, sive bona sive mala.* 4 *Memento igitur novissimorum tuorum, & non peccabis in æternum.*

CAP. LIII.

De Revelationum Christinæ Exemplari autographo.

UT aliâs fuit solita Exemplar suum non penes se habere, sed Tutori suo tradere; ita hîc (additâ Revelationibus Clausulâ) fecit. Sed *Johannes Stadius* V. D. M. in Bohemia sibi à Virginis Patre datum Inspectionis jus prætendens, sibi illud asservandum poposcit. Cùmqve negaretur, saltem ergò alterum Exemplar ut Videntis manu describi juberetur, postulavit: meliùs etiam ab amissionis metu sic fore prospectum dictitans. Lubens assensi, describendumqve illi exemplar tradidi, illa recepit.

2 Qvid autem fit? Cùm folium scripsisset unum, reviso an rectè. Ecce autem, omnia non lituris tantùm, sed & mendis, plena. Increpo tantam in re tanta negligentiam: lacero illud, scribere jubeo aliud. Sed tantundem fuit, iterùm & tertiò: conscientiam testor. Qvod postqvàm ad alios retuli, expendere cœpimus, *Dictatorem illum qui priùs non adesse:* ideòqve illam urgere destitimus. *Adeò hìc apparuit, qvid intersit Libros propriò ingeniò, & qvid aliô intus dictante, scribi. Primum enim illud Exemplar ex tempore scribebat, tam continuò calami ductu, ut nunqvam (periodum inchoatura vel clausura) respiceret, neqve scriptum qvidqvam relegeret: sed ut Revelatio qvæqve calamo effluxerat, ita mox Librum claudens Tutori suo, aut qvi adstabant, tradebat. Ubi tamen nec liturarum qvidqvam est, nec qvod emendet humanum ingenium, aut Ars Grammatica vel Rhetorica* ((solâ vocum interpunctione exceptâ) *invenit.* Hinc *D. Joh. Cyrillus* sæpè illam Revelationes suas ita scribentem videns, *demum se qvid Libri θεόπνευστοι (divinitùs inspirati) sint, intelligere*, dicere solitus fuit.

3 Unicum ergò illud, primum & ultimum, manu ejus scriptum Exemplar qvia superest, tantò diligentiùs hactenus asservatur: cui qvid ego (post mortem jam *Cyrilli, Stadii*, & aliorum meliùs de his persvasorum, cæterorum judicio à morte mea diffidens) adscripserim, monebo ad annum 1641, Cap. LXIII.

CAP. LIV.

Somnia Virgini (post desitas ecstases) immissa qvatuor.

ANno 1628, Decemb. 11, habuit somnium, qvô *Principem Waldsteinium*, togâ talari sangvineâ in campo spatiantem vidit, sed & mox per scalam qvandam ad nubes ascendentem; ubi scala sub ipso fracta fuit, illéqve ita lapsus, ut terra contremisceret. Ibi jacuit supinus, & dispansus, exhalans ore flammam teterrimam, de Cœlo autem super illum favillæ cadebant, scintillis videlicet mistus cinis. Cùmqve illi pectus hiaret, profluebat corde cruor, pix, toxicum, & nescio qvid fœdum, illô horrendùm rugiente. Et mox cœlô advolavit hasta, rectâ ad cor ejus, qvod transverberavit, illéqve mortuus est: & disparuêre cum fumo omnia. Angelus verò accedens dixit ei: *Hic ille est dies de qvo tibi loqvutus fuit Dominus, impio illi positum fuisse in terminum, intra qvem nisi se converterit, periturum esse sine omni misericordia. Hoc Tibi significare mandavit Dominus, interitum illius jam esse decretum.*

II.

26 Decemb: iterum habuit somnium, qvod totum non narravit, eò qvia seipsam privatam concerneret. Cùm enim dies aliqvot in mœrore esset, apparuit illi per somnum Angelus consolans eam: Inter alia verbis Psalmi. *Devolve in Jehovam viam tuam & confide in eo: nam ipse faciet.*

III.

Calendis Januarii (exorientis 1629 anni) venit per somnium in Vineam, ubi spatiantem reperit Fridericum, botros de vitibus abscindentem: sed cùm de illis vesci vellet, degenerabant in manu ejus in baccas cynosbati, super qvo ille contristatus, eas abjecit. Paulò pòst denuò scidit, & ecce fuit uva bona matura: de qva ille ut gustârat, procidit in genua, sublatisqve oculis & manibus, recitabat verba Psalmi, *Paras in conspectu meo mensam, imples calicem meum ut exuberet.* Hæc ut disparuerant, accessit Angelus dicens: *Monstratum Tibi nunc est, qvomodo electus servus Dei unum adhuc annum* (*) *acerbas edet labruscas, postea verò incipiet illi Dominus infundere calicem gratiæ, donec exuberet.*

[* *Annum unum? Qvalem annum?* Resp. Naturalem. Nam Anno 1630. venit victoriosus Gustavus, Fridericumqve restituere cœpit. Tametsi autem biennio pòst exstinctus uterqve, causa tamen Friderici unà cum Svecorum causa simul acta est, donec anno 1648 Pax conclusa, Fridericiqve progenies restituta. Si verò Friderici nomen oppressam sub illo Ecclesiam significat, annus erit mysticus, qvem tempus deteget.]

IV.

Januarii 9, iterum illi per somnium apparuit Angelus, dicens: *Parata esto! Nam te Dominus castigatiunculâ suâ visitabit, Apoplexiâ prosternetur valetudo tua.* Qvod & eâ ipsâ die factum, ut jam dicetur.

CAP. LV.

Virgo Apoplexiâ proſtrata, deqve imminente morte variis ſignis præmonita.

EJuſdem anni (1629) Januarii 2, cùm diluculi tempore lecto ſurgere vellet, conſpexit adſtantem fæminam qvandam lugubri habitu, peplis velatam, faciemqve palmis ita obtegentem, ut pugni ſub mento concurrerent. Qvô viſô perterrefacta, lectô & cubiculô ſeſe proripuit, & non niſi die tertio per occaſionem, qvid vidiſſet, aperuit.

2 Octiduò pòſt (9 Ianuarii) monita fuit ab Angelo de imminente Apoplexiæ morbo. Qvod ſomnium cùm chartis conſignaſſet (æqvè ut præcedentia) nemini indicavit, ſed mœrore inſolitô diem illam ttansmiſit. Veſperi cùm à cœna ſurrexiſſet, in terram prolapſa eſt. Nos accurrimus, tollimus, in ſcamnum reponimus, qvid accidiſſet rogamus. Illa manu ſiniſtrâ lingvam, manumqve dextram, & pedem dextrum, monſtrat. Collectum inde hemiplexiâ tactam, accerſiti amici, & Medicus, adhibitaqve remedia.

3 Mane proloqvi aliqvid voluit, ſed balbutientem intelligere non potuimus: niſi qvòd preces pro ſe petere animadverſum eſt. Sed meridie approqvinqvante interrogata, *An aliqvid prandere vellet?* articulatè, *Sibi eſſe cibum qvô ſaturetur*, reſpondit. A prandio ſibi Cantiones *de Morte*, *Reſurrectione*, *Vita æterna*, præcini, Scripturæqve loca de iiſdem materiis prælegi (admirantibus nobis qvid fieret) curavit.

4 Veſperi demum accerſito Tutori ſuo, mortis terminum appropinqvare, aperit. Unde id ſciret interrogata, reſpondit, *Nonniſi unicum Vitæ annum adjectum fuiſſe, cùm anno* 1627 *Decemb:* 30. *auferri anxiè petiiſſet*, (Vide Cap. VII. § 10 & 11.) *Heri autem admonitam ſe per ſomnium parata eſſet, Dominum enim eam viſitaturum, primoqve Apoplexiâ eſſe proſternendam: à cujus expectatione ſe ita triſtem fuiſſe. Gaudere interim, qvod jam ad nuptias Sponſi cœleſtis transferenda ſit: rogareqve ne invideamus, & lacrymis moleſti ſimus.*

5 Interrogata, *An ergò per ſomnia Revelationes aliqvas habuiſſet? Utiqve*, reſpondit: reperietis conſignatas in ciſta mea, ut & alia qvædam. Rogabat autem Tabellarium in Bohemiam mitti, Dominæqve ſuæ (*Zarubiâ*) ſtatum ſignificari, atqve ſi ſe adhuc viſere poſſet rogari. Factum ita, tabellariusqve (11 Ianuar.) expeditus: Illâ precibus & lectione morti ſeſe præparante. *Diem tamen qvia ſibi non revelatum dixerat, placuit Domino hunc etiam revelare. Nam,*

6 Ianuarii die 14, mane, referebat ſibi noctu auditum qvendam ſub lectulo ſonum aliqvoties repetitum: dormientibus interea fæminis cuſtodibus. Monita eſt, ſi qvid tale rediret, excitaret nos. Redit nocte ſeqvente, primò conticiniô. Excitantur: hoſpes etiam cum hoſpita. Accenditur lumen, fiunt preces, cantantur hymni. Interim ſub lectulo ægræ fiunt pulſus inceſſanter; jam continui, ut fores

res pulsari solent: jam separati, ut horologiorum ictus. Cùm non cessaret horam integram, excitantur vicini: ut mox adessent tres Ministri, tres Viri Politici, qvatuor Matronæ, præter domesticos. His præsentibus continuatur pulsatio iterum horam integram.

7 Interrogata *qvid putaret id esse?* dixit, *Evocari me credo.* Atqvi manibus compositis subjunxit, *Nosti Domine Jesu paratam esse me, Veni qvando lubet.* Non reticendum autem: qvia conclave hoc supra Gymnasium, & qvidem directè supra Auditorium majus situm erat, monuisse qvempiam, *Annon fortè aliqvis infra sit, qvi tales pulsus edendo nos ludificet?* Descenderunt ergò aliqvi cum lucerna, januamqve occlusam reserârunt, ingressiqve neminem repererunt: sed eosdem pulsus qvos nos supra manentes infra nos audivimus, supra se audiunt, in lacunari aliqvoties repetitos. Redeunt referuntqve: unde factum, ut ab invisibili agente effectus hos produci, dubium non restaret.

8 Nihil autem tetri videbatur pulsus iste, sed jucundum qvid potiùs. Tandem unus è nobis (*Michaël Henrici* Silesius, tùm Scholæ Conrector, postea Rector, mox Civitatis Senator & Consul, adhuc superstes:) *Bis jam ictus numeravi,* inqvit, *tredecim sunt.* Numeramus ergò omnes, deprehendimusqve totidem, sexies numerando. Postea sonuit ter qvatuor, & unum insuper, iterum 13. Mox qvater tria, & unum. Iterum sexies bis, & unum: & bis sex & unum. Verbô, decies octies idem numerus repetitus, conticuit. Tum nos omnes (ut & ipsamet) diem mortis ejus præsagire cœpimus, eamqve in 27 Januarii incidere vidimus, digressiqve sumus.

9 Seqventi vesperâ conveniunt plures, redeuntqve circa idem tempus (horæ nonæ) pulsus: primùm qvasi excitantes nos præambulô qvôdam ter, tùm ictus fiebant 12, novies repetiti. Tertiâ die ictus tantum 11, qvater repetiti. Cùm verò seqvente iterum die plures (Generosæ etiam Matronæ) convenissent, inusitatam rem cognituri, silentium fuit: sicut & reliqvis jam diebus, usqve ad 26 Ianuarii.

10 Interim ægra in dies fiebat debilior, periitqve illi cibi appetitus, ut integris 6 diebus (præter unum & alterum cerevisiæ cochlear) ne micam qvidem cibi admitteret, vel ferre posset. Dieqve 21 ejusdem mensis (Solis erat dies) tempore Concionis vespertinæ, Hemiplexiâ iterum percussa est: & qvidem ita graviter, ut qvamvis Lingva intra horas 26 ad officium rediret, Manus tamen & pes ad extremum sine motu essent.

11 Salutabant verò eam qvotidie varii, piis colloqviis se & illam recreantes. Ubi recurrit qviddam aliqvo forte usu memorandum. Inter visitantes aliqvando fuit *Daniel Tychicus* V. D. M. senex octogenarius, eam ad beatæ hinc migrationis fiduciam pulchrè prædisponens. Qvô à se digressô, illa, ad Tutorem suum (ab illius comitatu regressum:) *Nescit ille bonus senecio, sibi primò inter omnes migrandum ad æternam Patriam.* Interrogata *Unde id sciret?* Resp. *Jam fui cum Domino, vidiqve adventantes Pastores qvi hic vivunt, alios post alios, qvorum ille fuit primus.* Tutor: *Qvosnam Pastores?* Illa ordine recenset plurimos, etiam *Stadium*, qvanqvam cæ-

teris vegetiorem, nec ætate gravatum, roboreqve Leonem visum. Tutor ergò de se qværit: Illa, *Te non vidi, ideòqve Dominum interrogavi.* Qvi respondit; *Nondum venire posse, qvia qvosdam reconciliare habeat.* Factum: prævivit Tychicus, seqvuti alii post alios (etiam Stadius anno 1634, ætatis anno 40.) Cui verò nondum migrandum dixerat, nondum migravit, vivit dono Dei adhuc annis licet ab eo tempore 35 jam elapsis. Qvô autem fine vivat, novit Deus, cujus paternæ voluntati se & omnia humiliter commendat; hoc etiam sic ex vero in conspectu ejus contestatus.

12 Etiam hoc. Cùm è studiosis qvoqve non nulli Philothecas (ex more) offerrent, manum ejus memoriæ causâ asservare cupidi, inscribebat non tantùm nomen suum, sed etiam Scripturæ sacræ dicta: idqve licet sinistrâ (ad literas scribendum nunqvam antè adhibitâ) ita tamen ut à scriptura manûs dextræ nihil differret. Ipso autem obitûs sui die (27 Januarii) Tutori suo Cancionale suum Bohemicum majus mnemosynes gratiâ dono obtulit, frontispicio illius manu sua seqventibus (uti adhuc restant) inscriptis.

Reduc Jehova captivos nostros tanqvam torrentes in Regionem aridam! ut qvi seminarunt cum lacrymis, metant cum exultatione. Jehova benedicat vobis, & omnibus laboribus vestris pro Ecclesia sua! Jehova subdat Antichristum sub pedes vestros, superareqve det portas inimicorum vestrorum! Jehova induat vobis togam salutis, ad frangendum panem pauperibus in Sion abundè! Jehova impleat Cor vestrum triumphô, & os vestrum plenum sit exultationis & risûs super inimicos vestros! Jehova prosperet omnes actiones vestras! & ad qvicqvid extensa fuerit manus vestra, benedictum sit in sancto Dei nomine! Jehova impleat vos dierum qvoqve longitudine, & det vobis videre fructum laborum vestrorum! Jehova pluat super vos omnem benedictionem, stabiliatqve illam propter sanctissimum Nomen suum! Amen.

Hoc in memoriam scripsi Fautori, & in Christo Patri meo dilecto *J. A. Comenio*,

Christina Poniatovia.

13 Cùm 26 Januarii vesperi (à cœna) amicorum qvidam (inter qvos duo Ministri) ad eam viserent, ecce pulsatur janua! aperimus, neminemqve adesse videntes, qvid sit miramur. Ecce autem in ipso jam conclavi, prope lectum pulsus bis repetitus. Arrectis nobis omnibus, fit in ipsa mensa (cui assidebamus) ictus unus, per longiora intervalla qvinqvies repetitus. Illa igitur Cantiones qvasdam concini petit: cantatæqve sunt, Ich hab mein sach Gott heim gestelt/ 2c. Hertzlich thut mich verlangen/ nach einem seeligen End. Item, Wie schön leuchtet der Morgen-Stern/ & Psalmus 86. Omnia Germanicè, qvia qvi tunc aderant pleriqve Germani erant. Qvibus illa inter suspiria & lacrymas elegantissimâ modulatione non concinebat solùm, sed præcinebat.

14 Rogat deinde, ut precibus peractis cubitum se conferat qvisqve: sibi autem relinqvatur lumen, vigiliis se noctem eam transmissuram. Digressis aliis, jubet sibi dari chartam & calamum: exaratqve (manu sinistrâ) 1 *Testamentum*, 2 *ad Dominam*

suam

suam Epistolam, 3 *Illamqve ad Tutorem suum* (de qva modò dictum) *valedictionem*. Reliqvum temporis dat lectioni & precibus. Post mediam verò noctem iterùm audit pulsum, & vocem, *Veni, Veni, Veni!*

CAP. LVI.

Virginis Mors & Resurrectio.

MAne taqve (27 Januarii) adorti eam sunt dolores, cùm hactenùs langvoribus magis qvàm doloribus conficeretur: sed & remiserunt iterum nonnihil. Illa vespertinam qvintam desiderio se expectare dixit, & qvicunqve eam invisebant, omnibus valedixit.

2 Circa tertiam aderant Ecclesiæ Bohemicæ Antistites (*Joh. Cyrillus, & Wenceslaus Cornu*, cum uno & altero Pastorum). Ibi Examen habitum (sic enim visum erat) ipsius fidei, ac spei, conscientiæqve, in negotio potissimùm Visionum: *Num ita se res haberet, qvomodo asseverare hucuqve ausa fuit, verè se à Deo ista habere? Num id certa sit? Num secura satis? fateretur jam in conspectum Judicis æterni itura, qvicqvid sibi conscia esset*. Respondit: *Qvàm verè Deus Deus est, tàm verè hæ Revelationes ipsius opus sunt: qvod reipsâ videbunt oculi vestri, dabit Deus*. Interrogata, *An ergò bonâ fide qvod revelatum habuit consignasset?* respondit: *Qvicqvid audivi, & scribi mandatum est, omnia scripta sunt, ne apex qvidem unus omissus, additus, immutatus. Visa autem expressi ut potui, verbis meis, sed fraude nullâ, Deus novit*. Tum benedictione impertiebat eos &c, habitæqve junctim preces.

3 Post qvartam doloribus cordis vehementioribus iterum torqveri cœpit, sine intermissione jam: mediâ verò qvintâ jussit se è lectulo deponi, clamans subinde, *Domine Jesu miserere mei, & fac finem dolorum meorum*. Confluxerant interim Viri & Matronæ, Nobiles & Generosi (qvantum conclave capere poterat, supra triginta personas): qvibus omnibus qvintâ appropinqvante ultimum Vale (manu sinistrâ, dextræ impotens) dicebat, animam suam ut Christo commendare vellent, orans. Ibi omnes genibus flexis preces peragebant, etiam Cantici Simeonis decantatione.

4 A precibus mox eam stertor lethalis, moribundorum symptoma proprium, invadit, oculi fiunt immobiles, cordisqve palpitatio vehementior, tandem paroxysmus Epilepticus membra occupat: qvô finitô, exspiravit placidè. Præsentes iterùm in genua procidunt, præeunteqve Verbi Ministro gratias Dèo, qvi piam hanc animam evocasset in pace, âgunt: suas pariter animas fido commendantes Redemptori.

5 Finitis precibus digrediuntur (nocte jam appropinqvante) alii post alios. Generosæ duæ Matronæ post alios remanent (Ottia de Los, & Weznikia, utraqve prosapiâ illustris: illa Comitissa de Wchynitz, hæc Baronissa de Riczan) de apparatu defunctæ disponentes, anteqvam obrigesceret planè: jam enim pedes & manus

nus riguerant. Facta sic ad Viduas præsentes dispositione discedunt illæ qvoqve, me illas comitante.

6 Ecce autem dum adhuc intra januam sumus, exclamat altera Viduarum vehementiùs. Respicimus, *mortuamqve super stratum erectam, vestesqve poscentem, videmus.* Exterritæ Illustres Matronæ, *qvid per Deum fit!* clamant. Ego: *Libeat abire obsecro: nescio qvid fiat, Deus nos infatuat.* Comitorqve abeuntes in Gymnasii usqve aream, plenus trepidationis, ut & ipsæ. Abeunt ergò relictis pedissequis, per qvas qvid factum sit renuntiem.

7 Redeo, Musæumqve meum ingredior. Ecce autem mortua induta jam, ad gutturnium stans, manusqve & faciem abluens! Uxorqve mea cum Viduabus istis, eam intuentes. Consisto attonitus, *Mea Christina quid fit, per Deum vivum edissere.* Illa: *Videtis, vivo!* lavareqve se pergit. Ego iterum: *Qvid fit per Dei misericordiam? Satisnè tutò credimus oculis nostris?* Illa, *Vivo. Et manu tua pedeqve integris? Planè,* respondet. *Qvid autem factum est? Jam eram cum Domino meo,* inqvit, *sed regredi jussa sum, ad fruendum bonitate ejus in Terra viventium. Plura ne poscite jam, cras annotabo rem omnem.*

8 Ita cænantibus assedit (cæna nobis verè Philosophica fuit, Caseus, & Panis, qvia cibis parandis tempus non fuit: sed amici aliqvid submiserant): illa tamen cænâ abstinuit, plena alioqvin hilaritate. Veneruntqve (à cæna) viciniores amici, lacrymarum præ gaudio nonnihil effusum, laudatum nomen Dei, sermones habiti varii. Tandem illa Psalmum 116, & 118 cantari petiit, & factum est: demumqve nos qvieti dedimus, lætitiæ pleni.

9 Die verò Lunæ illa totum hoc breviter consignavit, Revelationibusque suis colophonis loco adjecit. Qvod nos ad verbum Latinè sic vertimus.

ANno 1627 Decemb. 30, qvùm gravi affecta morbo mortem optabam, dictum mihi fuit à Domino, nondum esse tempus, sed *ut manerem in hac mortalitate, donec veniret terminus qvem posuit ipse.* 2 Cùm autem mihi qvoqve terminum illum indicari, ad me tantò vigilantiùs morti præparandum peterem, respondit: *Annus adhuc erit Vita tua qvô te ad opera mea adhibebo.* 3 Addebat: *An verò supervivere non optas, qvando Jehova induet robur, & gloriosam majestatem suam? & qvando disperdet hostes suos? & dissipabuntur ab illo potentes? & sic evenient prænuntiata tibi.* 4 Ego adhæc: *Domine Tu nosti, plus mihi dulcescere æternas delicias Tuas præ omnibus illis, qvæ revelas mihi.* 5 Ille verò increpabat impatientiam meam, dehortans me à tædio, sic à me abiit. 6 Totô autem seqventi annô, 1628, nullam Vitæ aut mortis meæ fecit mentionem nisi ultimâ Visione, unum porrò etiam subeundum esse mihi morbum. 7 Deinde 1629 Januar. 9, indicatum mihi fuit ab Angelo, per somnium me à Domino visitatum iri morbô, nominatim *Apoplexiâ*: qvæ & eâdem die venit, vesperi. 8 Ego igitur, qvia annus jam transierat, Visiones jam cessârant, morbusqve ingravescebat, credebam illud ipsum jam appropinqvare tempus, de qvô dixerat Dominus, mêqve hôc morbô jam non exituram. 9 Præparabam

bam igitur me animô & conſcientiâ, deſideriumqve meum fuit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: qvam ſpem ſigna etiam qvædam antecedentia roborabant. 10 Ut erant pulſus qvidam ſub lectulo meo (& ſub propinqva menſa) qvatuor veſperis (præſentibus & audientibus multis me viſitantibus) ita iterati, ut ſingulis diebus uno ictu minor eſſet numerus. 11 Tandem (26 Jan.) unum tantùm ſonuit, & poſtea qvinqve: qvô auditô credebam, ut & cæteri, unicam ſupereſſe Vitæ meæ diem, craſtinô veſpere finem fore horâ qvintâ. 12 Ideò totam illam noctem vigilando, orando, Vitam æternam, & beatum hunc diſceſſum meditando, tranſmittere decrevi; ſed auditâ noctu voce qvâdam, qvaſi humanâ, ter, *Veni, Veni, Veni*, inuſitatô perfuſa gaudiô indormivi paululùm. 13 Luceſcente verò Sabbathi die, qvum vehementiores me opprimerent dolores, non potui non Vocem illam divinam fuiſſe vocationem interpretari. 14 Valedicebam ergò dilectis amicis, totâ die me viſitantibus: erátqve mihi ſemper ægriùs, donec appetente veſperâ, viſus, auditus, memoria, ſermo, tandem & ſpiritus, me deficeret. 15 Senſiqve me Spiritu exire, & inferri Cœlo, ubi magno circumdata fulgore vidi turbam ingentem candidè veſtitam: & Dominus prodiens excepit me amplexu dicens: 16 *Qvicqvid voluit fecit Dominus, in Cœlo & in Terra! nam exaltata eſt majeſtas potentia ejus, & voluntati ejus non eſt conſilium, nec illud recipit.* 17 *Nam qvis cognovit mentem Domini? & qvis ei Conſiliarius fuit?* 18 *Redi ergò in locum unde egreſſa es, & halitus Altiſſimi vivificet te!* 19 *Surge, ambula, vale à morbo tuo, & ſpecta bonitatem Jehovæ in terra viventium, exultans in virtute ejus!* 20 *Nam non mortui laudabunt Jehovam, nec Opera ejus mirabuntur deſcendentes in locum ſilentii; ſed vivi, vivi, benedicent illi, ab hoc tempore uſqve in ſeculum.* 21 *Jehova DEUS habitat in excelſis, & exaltavit dexteram ſuam ſuper omnes Gentes! & facit mirabilia, qvalia illi tempore qvôqve placet: Ille eſt DEUS viventium, qvi etiam è morte educit, & qvi dat vitam uſqve in ſempiternum.* 22 Ego his contriſtata, rogabam, ut qvanti eſſent futuri dies vitæ meæ indicaret mihi: ille autem dixit: 23 *Tempora tua ſunt in manu Domini, Annos tuos ille demenſus eſt, Terminúmqve tuum abſcondidit à te.* 24 *Vive igitur! & fruere bonitate DEI ſuper Terram inter ſanctos ejus: annos autem tuos ſanctifica DEO Creatori tuo, & vive juſtè.* 25 *Merces autem tua, & portio tua, non marceſcet, neqve peribit: ſed invenies eam, & gaudebis de ea, & in ea, in æternum.* 26 *Illud etiam qvod Tecum agit Altiſſimus accepta gratè, & ne adverſare DEO Creatori tuo impatientiâ tuâ!* 27 *Abi jam & revertere! nam Jehova eſt qvi benefacit tibi, & curam habet tui! ideò illi ſacrificium laudis immola, & Altiſſimo tua vota redde.* 28 *Gratias qvoqve illi agens, qvòd ſalutis opus in te agit, & aget, uſqve dum peraget feliciter, in laudem gratiæ ſuæ, tibi autem in honorem.* 29 *Ad opera mea non te ampliùs utar, neqve ad te ventabo: qvia jam ſatis factum eſt voluntati meæ.* 30 *Iam itaqve glorifica DEUM corpore & ſpiritu tuo, qvæ ille tibi dedit.* 31 *Acqvieſce jam corde & conſcientiâ! honoremqve da DEO, qvi hæc omnia facit ad laudem glorioſæ gratiæ ſuæ!* 32 *Pax mea tecum ſit!* 33 Hæc poſtqvam dixiſſet, ego procidens adoravi Eum: ſimulqve in vitam redii, triſtis qvidem,

dem, pleno tamen vigori àc valetudini eô momentô restituta. 34 Magno huic DEO sit honor, laus, & imperium, in secula seculorum, *AMEN.*

CAP. LVII.

De hac Virginis Morte ac Resurrectione, varia variorum judicia.

POstridie (qvia Dominicus erat dies) in Ecclesia Polonica & Germanica gratiæ sunt actæ Deo, pro tàm miraculosa Personæ illius pro qva priùs preces fiebant, restitutione: sed in Cætu Bohemico, cui Virgo intererat, id omissum. Qvia qvi Concionem habiturus erat (*Petrus Welenovius, Consenior*) se id salvâ conscientiâ facere non posse prætendens, nos perturbaverat. Dixerat enim: *se antea fuisse dubitantem, jam autem certò videre ludificationem.*

2 Non defuerunt aliorum nonnullorum haud absimilia judicia, indeqve exsurgentes disceptationes ac rixæ. Unde qvidam metuere, alii apertè jactare, *Diabolum jam finem suum assequi, Dissensiones & scandala Ecclesia.* Qvæ res, ut hæc altero pòst mense judicio totius Ecclesiæ (hoc est, pleno Pastorum Cœtui) subjicerentur, occasionem dedit.

3 Qvi id opus Dei agnoscebant, etiam inter se dissentiebant nonnihil: aliis verè fuisse mortuam, aliis non item, existimantibus. Credebant nempè alii Animam à Corpore reapse fuisse separatam, & in Cœlum translatam, indeqve in corpus remissam: alii oppressam tantùm in corpore, rursumqve virtute Dei resuscitatam. Sed hæc disceptatio inutilis fortè fuit: cùm non nostrum sit omnium Dei operum rationes intelligere. Hoc certum fuit, mortem in oculis nostris fuisse veram: neqve sine interventu potentiæ Dei, & vitam, & valetudinem, & vigorem plenum, unô momentô recipi potuisse.

4 Extranei Theologi (qvorum jam antè de hoc mirabili opere exqvisiveramus judicium, aut illi ipsi Literis ad nos datis inqvisiverant) etiam in ea qvæstione (de mortis & resurrectionis realitate) non idem sentire deprehendebantur. Qvidam ergò in omnes circumstantias curiosiùs inqvirere: omnes tamen tandem eô inclinare, *Verum fuisse miraculum, Christinamqve tanqvam verè redivivam literis salutare & gratulari: etiam ex illa statum Animarum post mortem* (specialibus qvibusdam propositis Qvæstionibus) *cognoscere*, tentabant. Possem è media Germania magnos nominare Theologos, qvorum hoc nomine ad me & Virginem scriptæ flammis perierunt Epistolæ.

CAP.

CAP. LVIII.

Tractatus è Scriptura sacra, de Veteribus & Novis, verisque & falsis Prophetis, concinnatus.

TOt illa diversa de Christinæ Visionibus (tandemqve morte & resurrectione) judicia & velitationes, severiorisqve disqvisitionis desiderium, occasionem mihi dederunt Tractatum scribendi vernaculè. Qvem (qvia animorum statum qvalis tum fuit depingit) integrè apponam hîc ad calcem, titulo XLVI.

CAP. LIX.

Visionum Christinæ Examen solennissimum: & qvid ibi decretum.

BRevi pòst *M. Gratianus, Ecclesiarum Poloniæ Majoris Superattendens* (qvi jam præterito autumno hydropisi laborare cœperat) valedixit nobis 7 Martii: cujus sepulturæ dictus fuit 19 ejusdem mensis dies. Confluxerunt tamen (ita rem disponente *Johanne Turnovio, S S. Theol. Doctore, Thoruniensium Pastore, defuncti autem Collegâ & successore*) triduo antè Pastores è Polonia & Borussia, tanto numerô, ut Bohemis juncti, Synodum repræsentare possent Provincialem: numero ad 50. Ubi qvæ gesta sint, breviter memorari è re erit.

2 Convenerant in unum 16 Martii, die Veneris: ubi consalutatione, cœnâ, precibusqve peractis, indictum est ad seqventem diem jejunium, utqve mane ad septimam in Templo comparerent omnes. Factum.

3 Ibi *Dr. Turnovius* (præmissâ hymnodiâ) præsentis Conventûs causam indicavit binam, nempè honestam τὰ μακαρίτου funerationem: & ut Ecclesiæ scandalis obviam iretur in negocio qvodam insolito, concernente personam qvandam è medio Exulum Bohemorum. De cujus Ecstasibus, & per ecstasin revelatis, longè latèqve fama volitet, & qvidem sententiis in contraria scissis, &c. &c.

4 Qva de re ut formari possit judicium, cognoscendam esse prius rem totam: & ut cognosci possit, suscipiendum scrutinium accuratum. Hoc deniqve ut institui possit legitimè, observandum esse, qvid in tali casu agendum esse Spiritus Sanctus per Scripturas suas doceat. Atqve hic prælegit Apostolica (ex 1. ad Thes. 5. ℣. 19, 20, 21.) verba: *Spiritum ne extingvite! Prophetias pro nihilô ne habete! Omnia probate, & qvod bonum est retinete.*

5 Qvibus pereleganter explicatis, & ad præsens negotium applicatis, hortatus est omnes & singulos, ut id ex dignitate suâ æstimando (sive divinum sit, sive secùs) & suspirent ad Deum pleno zelô, & diligentiam adhibeant in instituendo

Q scru-

scrutinio, ac dehinc judicio, qvantam usqve licet maximam. (Addebat: *Si apparuerit, Deum donô qvoqve Prophetiæ ornasse Ecclesiam nostram, ut laudemus nomen Dei: sin, ut obviam eamus scandalis.*)

7 Et qvia ut Solem sine Sole videre non possumus, ita nec Deum (& qvæ Dei sunt) sine Deo: initium esse faciendum ab invocando in auxilium Spiritu Sancto. Procidimus itaqve in genua omnes, ipsôqve præeunte ardentissimæ ad Deum fusæ omnium suspiriis preces. Demum in rem ipsam itum, hôc ordine.

7 Jussi sunt primùm prodire, qvi ab initio his rebus interfuisse dicebantur, *Comenius, Stadius, Chrysostomus, Krokocinius, &c.* Prodierunt, remqve fide historicâ paucis enarrârunt.

8 Jussus deinde ipse Revelationum (jam obsignatarum) Liber afferri. Allatus est, & an omnia Virginis manu essent scripta (sine maculaturis, alienisqve additamentis) spectatum: neqve repertum qvidqvam secus.

9 Audita etiam historia novissimè actorum, circa morbos, mortem, resurrectionemqve suam.

10 Vocata deniqve Virgo ipsa, audita etiam, varièqve examinata.

11 Qvibus totô ferè die transmissô, exhortatio facta est, ut his de rebus unusqvisqve secum, & inter invicem, maximè autem cum Deo, hoc triduo seqventi deliberet: ut exseqviis peractis iterùm congredi, sententias conferre, & cum Deo certi aliqvid statuere, possent. Qvæ exhortatio fusis iterùm ad Deum votis clausa.

12 Postridie (utpote sacro Domini die) vacatum est publico divino cultui ab omnibus: die verò Lunæ exseqviæ deductæ, concionibusqve funebribus (ex more) piè parentatum: demumqve die Martis, ad continuandum examen & censuram, denuò conventum.

13 Ubi qvia judicia variabant, oblatus est recèns de Prophetis conscriptus Tractatus: & qvia totus legi non potuit (*D. Turnovius* cum *D. Cyrillo*, Antistites, privatim legerant totum) prælecta sunt per partes nonnulla magis necessaria: præsertim characteres Prophetarum, & Pseudoprophetarum.

14 Et qvia ne sic qvidem satis conveniri potuit, *decretum tandem fuit de his rebus silentium:* ut ne fortè si alii hæc (uti jam cœperant) oppugnent, alii propugnent, charitas Christiana lædatur, fraternæqve concordiæ vincula solvantur.

15 Formula denuntiandi hæc Ecclesiæ, privatim pòst ab Antistitibus concepta, manuqve D. Cyrilli scripta, adhuc ad manus est, hôc sensu. *Opus hoc insitatum cum Christina Poniatovia* (erat enim notorium omnibus) *tale deprehendi, ut difficile sit in hanc vel illam partem pronuntiare. Indici proinde omnibus silentium, ut ne alii oppugnando, alii propugnando, in dissensiones prolabantur, donec Deus & dies qvale hoc sit, plenè detexerit: Omnes ergò precibus & suspiriis, qvemadmodum totam afflictissimam Ecclesiam, ita etiam Opus hoc, & personam hanc, Deo commendare ne intermitterent.*

16 Ita tranqvillata fuerunt omnia, Decretô hôc (seqventi Dominico die) in Ecclesia Polonica & Bohemica in populi notitiam deductô.

CAP.

CAP. LX.

Insperata & irrita Virginis in Bohemiam profectio.

TRimestri pôst (Junii 9 ejusdem Anni 1629) accessit me Tutorem suum Christina, ostendens mihi partem mandati, inter remittendum se in vitam (27 Jan.) facti, seorsimqve scripti ac servati, his verbis:

Jam te ad opera mea non adhibebo ampliùs: præterquam unum hoc, qvod ad mandatum meum facies. Die 12 mensis Junii, currentis hujus anni, ibis in Bohemiam, terram illam sanctorum meorum sangvine fœdatam, ad eripiendum ex abominabili Babylone matrem tuam. Jam enim tempus est, ut ad montes fugiant, qvi servari volunt in die iræ. Ecce juro per Sanctitatem meam jam esse tempus, jamqve diem instare tormentorum, elatis simul & contemptis. Nam baculus sententiæ iræ jam fractus est: jam nullum erit tempus gratiæ, neqvidem ultimâ die, qvæ jam non erit. Jam factum est! Et ecce ego vivo, jam factum est! Jam Libri memoriales obsignati sunt, ne punctulum qvidem de illis delebitur: qvia jam semel edixit Jehova verbum, qvod non mutabitur ampliùs. Ideòqve beatus qvi non spectabit plagas Babylonis à Jehova. Tu ergò fac qvod mando: & ego Tibi adero, in me devolve curam.

2 Obstupui ad hæc. Ipsa tamen nihil nisi consilium, qvomodo & quibus auxiliis iter hoc suum ingredi & absolvere posset, celeriter poscente, Antistitem itaqve nostrum *Cyrillum* adii, negotiumqve exposui. Advocat ille ad consilium plures, Politicos etiam Viros: deliberaturqve variè, concluditur tandem *dimittendam esse*, cùm teneri non possit. Conducitur ergò Currus, additur Vir itinerum gnarus, Matronaqve Virginei pudoris custos.

3 Ita illa 12 Junii (feriâ 3 à Trinitatis) viæ se dat, perqve Silesiam & montes Giganteos Brannam rectâ festinans, Baronissæ Zarubiæ mandata exponit.

4 Expavescit hæc, inter parendi necessitatem & varia obstacula hærens. Præcipuum fuit, qvòd maritum haberet (*Wenceslaum Zarubam*) Baronem titulô, re belluam, verumqve Nabalem: qvi aliqvot annis illi non cohabitans, seorsum alia in arce, cum lixis & calonibus vixit, cui præter ventrem nullius rei cura. Hæc tamen anima pia sancta connubii fœdera violare nolens, animamqve (ut Loth generorum suorum) liberare volens, illi hæc detegit, & ut secum exire velit (postqvam tot centeni alii, Deo fidi, patriâ jam exiissent) orat.

5 Advolat Euclio furibundus, fulminat & tonat, neqve ipse comitari, neqve Conjugi discessum permittere, volens: abduci enim mox jussit Eqvos & Currus, & occludi omnia. Virgini verò, & qvi cum illa erant, extrema minitans, exire mox suo in conspectu coëgit: brevi postea Religionis & Dei desertor, pientissimæqve animæ conjugi suæ, ut citiùs mœroribus confecta ad meliorem vitam migraret, causa factus.

6 Rediit ergò Virgo domum sola, salva tamen sub conductu Angelico, 26 Junii. Qvæ res variis iterum judiciis occasionem dedit: neqve nobis qvid diceremus in

 promtu

promtu erat, aut etiam hactenus qvid statuendum sit, satis liqvet. Sufficiatnè plagas illas qvas altero mox annô veniens Septentrionalis procella Bohemiæ, totiqve Germaniæ, attulit, annisqve continuis viginti afflictavit, intelligi: an verò hæc verba majoris in Babylonem furoris Dei prænuntia sint. Iterando nempe certitudinem, de Babylone evertenda, decreti Dei. & non mutatum jam iri: sicuti de Waldensteinio jam anno 1628 dictum erat: (Vide supra LIV, somnio I) cujus tamen interitus sextô demum anno pòst (anno 1634) sed inevitabiliter jam evenit. Etiamnè igitur hîc illud magni Viri obtinebit? *Divina prophetia semper authorem suum redolent: apud qvem mille anni sunt unus dies, & unus dies mille anni.*

7 Qvanqvam & aliud jam incidit: annum fortè ac mensem plenarii eventûs involutè sic indigitari. Dictum enim fuit supra hîc (Cap. XXXV.) illam de reddituta Ecclesiæ Pace exultasse (§ 2.) sed postqvam per accurrentes Gentes dejectum fuerit magnum F (§ 5 & 7.) Ad qvas evocandum epistolas scribere jussa fuit versùs qvatuor Orbis plagas: subscriptô ubiqve *Anno* 1629 (§ 3,) & additô *Beatus qvi ad annum 30 provivet* (§ 7): *Venturasqve Gentes inopinâ celeritate* (§ 5, 6. 7, 8.) An ergò tùm venient? nempe ad 1629 additis 30? Videtur innui. Aut si à mortè Regum (Gustavi & Friderici, 1632) annus erit 1662, qvô Orientales (Turcæ) prodire, plagasqve Hungariæ inferre, cœperunt. Firmat conjecturæ verisimilitudinem phraseos similitudo. Qvippe ibi dicitur, *Beatus qvi ad annum 30 provivet*: hîc autem, *Beatus qvi plagas Babylonis* (coram) *non spectabit*. An sic mysterium asseqvamur, brevi patescet.

8 Posset etiam cogitari, Kottero ultimas suas Visiones duas eôdem hoc anno (sed mensibus Januario & Junio intermediis, Februario & Aprili) exhibitas fuisse, similis argumenti: nempe de judiciorum Dei finali tandem severâ exeqvutione. Videatur Append. Kotteri I. Vis. II & III.

CAP. LXI.

Desponsatio Virginis, & Nuptiæ, 1632.

HÆc postqvàm transiissent, Christinaqve communem jam cum aliis qvartum in annum agens vitam, ad matrimonium à qvibusdam ambiri cœpta esset (nec enim forma, & aliæ virtutes sexum hunc ornantes, defuerunt) deliberatum fuit, an elocanda esset.

2 Prævaluerunt autem rationes pro affirmativa: cùm *Parentibus orba Virgini optimum præsidium sit Nubere castè*. Nec id obstare qvòd eam ad talia adhibuisset Deus, qvandoqvidem maritatas etiam adhibuisse constat: ut *Deboram* uxorem Lapidoth (Jud. 4, 4.) *Huldam* uxorem Sellum (2 Reg. 22. 14.) & fortè alias.

3 Cùm igitur anno 1632 *Daniel Vetterus, Moravus*, Ministerii S. Candidatus (antea Friderici Regis primogeniti Filii, *Friderici-Henrici*, designati Bohemiæ Regis, in Bohemica Lingva Informator, à Principis illius infelici fato functione suâ dimissus) ex Hollandia Lesnam venisset exulatum, ille præ cæteris cui desponsaretur placuit, & factum est.

4 Qvia

4 Qvia verò inciderat Synodus celebris (*mense Octobri*) in qva fuit Pastorum sex (inter qvos ipse *Vetterus*) Antistitum verò qvatuor (inter qvos J A C) ordinatio, visum fuit Christinam, tanqvam Ecclesiæ pupillam, in omnium conspectu (majoris honestatis ergò) Sponso suo tradi. Laboribus ergò Synodalibus finitis, ante ultimam communem cœnam (apud nos enim in Synodis, ut labores ita refectio in publico, & ex publico, fiunt) omnium in præsentia Copulatio *à Laurentio Justino*, recèns ereato Episcopo, peracta, convivioloqve illo Synodali, & omnium apprecationibus bonis, firmata est.

CAP. LXII.

Novum (in Synodo qvidem, sed non Synodale) Visionum examen, & qvid ibi statutum.

ALterò mox mense, Novembri, perierunt duo Reges, qvos Ecclesiæ oppressæ Vindices fore spes erat; *Gustavus Adolphus Sveciæ*, qvi in pugna ad Lützen occubuit 16 Novembris; & *Fridericus Bohemiæ*, 25 ejusdem dysenteriâ exstinctus Moguntiæ.

2 Qvæ res incredibilem attulit non tantùm multis mœrorem, sed & nobis qvi eos ut Liberatores respectare cœperamus, terrorem. Qvi autem è nostris Visionum hostes erant, irridere nos, tanqvam spe nostrâ delusos.

3 Accidit verò ut seqventi Vere (anno 1633, mense Aprili) Synodus celebraretur Ostrorogi: ubi duo Fratrum (alter Bohemus alter Polonus) in Synedrio de præteritis illis vanis Visionibus controversiam movent, condemnariqve (ne aliqvando res hæc, vel apud posteritatem, omnibus nobis jam viventibus malam inurat notam) petunt. Respondebant mitiores, *semel esse decretum silentium, refricari hoc non oportere.* Illi iterum: *Decretum esse silentium, donec Deus & dies qvid statuendum esset, detegeret. Jam autem detexisse, utroqve illo qvem Revelationes istæ nominârant, è vivis sublatô.*

4 Hi rursum: *Ita sanè, tragædiam tamen ipsam nondum finitam. Posse Deo non deesse organa, per qvæ decreta exseqvatur sua: neqve Vaticinia illa ex toto vanitatis condemnari posse, nisi ex toto falsitatis convicta. Qvod erit, si præsens Gentium commotio sine primariis illis prædictis eventibus (1 Antichristi eversione, 2 Turcarum ac Judæorum conversione, 3 Evangeliiqve ad omnes Gentes progressu ac triumpho) sedata fuerit. Nondum ullam Ecclesiam, aut Consistorium, vel Academiam, novas id genus Prophetias penitùs rejecisse, aut condemnasse: nos cur primi esse vellemus?* & qvæ id genus.

5 Illi denuò: *Alios non æqvè propè hæc tangere atqve nos.* Et qvoniam aliqvi nostrûm hæc approbare, exterisqve communicare (aliis non approbantibus) fuissent ausi, hoc ipsum (non approbata hæc fuisse omnibus) referendum esse in monumenta. Nos iterum *ad totam provocare Synodum, cujus hic pars esset tantùm, &c.*

[6 NB. Ut meliùs hæc percipiantur, sciendum est, negotia in Synodis nostris ita fuisse administrata, ut post constitutas Propositiones (de qvibus deliberandum erat) *Antistites Ecclesiæ, Seniores cum Consenioribus, peculiari loco Sessiones suas: tanquam Ecclesiasticus Senatus, haberent: reliqui autem Pastores omnes, Ecclesiam repræsentantes, seorsim, communiter in Templo, suas agerent.* Tandem ad formandas communes ex utrinqve deliberatis Conclusiones, omnes in unum conveniebant. Demumqve qvod ita communibus calculis decretum fuit, Constitutionis vim habuit. Cùm ergò lis hæc nova *de Visionibus condemnandis*, in solo Synedrio mota agitari inciperet, *provocabamus nos ad totum Pastorum Cœtum.*]

7 Qvod ne fieret (novi dissidii metu) medium à prudentioribus repertum fuit tale. *Consignatio aliqva in Synodi hujus Actis ut fieret, absqve condemnatione tamen cujusqvam; aut etiam ipsius rei, Deo adhuc committenda. Hoc tantùm fine, ut si qvid aliqvando secus eveniat, memoria exstet non à tota Ecclesia hæc talia fuisse approbata.* Cui moderato consilio nos reliqvos acqviescere (pacis amore, & qvia sic Deo & veritati nihil præjudicari visum) æqvum fuit.

CAP. LXIII.

A novis præjudiciis remedium qvale qvæsitum.

TEmerarii illi qvorundam in hoc extroardinarium, verèqve admirabile Dei opus, toties repetiti insultus, fecerunt nos timidiores, præsertim qvùm prædictos eventus de anno in annum differri videremus. Qvia tamen fraudis in illo (humanæ aut diabolicæ) nihil intercessisse, necessarióqve hæc ad Deum authorem referenda (qvi nec fallere nec falli potest, suorumqve dictorum & factorum sic vel sic administratorum causas, nobis plerumqve non intellectas, habet) certi fuimus, asservanda hæc putavimus religiosè, seu nostrum seu posteritatis in usum.

2 Ego igitur, penes qvem Exemplar Virginis autographum asservabatur, mortis casum prospectans, & in cujus manus id venire posset ignarus, adversus temeraria ausa id aliqvomodo præmunire volens, adscripsi Exemplaris illius frontispicio, qvæ hucusqvæ exstant, & è vernaculo translata apponi non sine usu hic poterunt.

Lecturis hæc Salutem.

VIsionum *Christinæ Poniatoviæ* Exemplar autographum ipsius manu primùm (nec ampliùs) scriptum, hoc est: qvod ego à completis Visionibus mihi traditum, fideliter custodivi hactenus, ad conferendum prædicta eventibus, qvales Deus & dies ostendet. Fateor me cum aliis horum ab initio fundamentaliter consciis, pro verè divino opere ista agnovisse, & adhuc, sine ulla humani aut diabolici figmenti mistura: tametsi alii aliter, per qvascunqve conjecturas ad opiniones diversas abducti, judicârint. Nosnè erremus an illi, Deus ostendet tempore suô: qvod expectare potiùs qvàm præcipitantiâ peccare, judicioqve nostro divinum antevertere,

qvid

qvid nî tutius sit? *Nam unius cujusqve opus revelabitur: dies enim manifestabit omnia*, ut Apostolus loqvitur. Interim si penes alteram partem error est (sicut alteram falli necesse est) possumus illæsâ charitate nos invicem tolerare, donec res patescat, qvod magni Viri (qvorum usi sumus consiliis) & judicârunt & svaserunt. Enimverò qvia qvorundam, qvicqvid ab ipsorum judicio diversum abit, nonnisi abolere qværentium, intempestivus zelus notus est: volui Exemplari huic, si me vivo aut mortuo in alienas veniat manus, cautionis loco apponere aliqvid. Nimirum *orare me per Deum vivum, ne qvid temerè fiat, neqve qvisqvam sententiam aut exseqvutionem præcipitare festinet: tametsi prædictiones hæ complementa sua, ex toto vel ex parte, non asseqvutæ videantur. Omnium Prophetiarum hæc est proprietas* (inqvit antiqvus Ecclesiæ Doctor) *ut priùs impleantur qvàm intelligantur: meliusqve omnia matura facta dijudicantur, qvàm cruda. Inprimis Ecclesiarum nostrarum Antistites dignis modis oro, ut hæc pretiosi cimmelii instar habeant* (qvemadmodum dilectus Pater *Turnovius* dixit) *si prophetiæ donô nostram qvoqve Ecclesiam dignatum fuisse Deum, apparuerit. Ac tametsi fortè secùs eveniat, ad aliqvid tamen id etiam posteris nostris servire poterit.* Oro & obtestor, sufficiat nos semel ausos, qvod nulla ante nos Academia vel Consistorium tentavit, condemnatoriam de his ferre sententiam. Sufficiat inqvam, & cautioni serviat. *Ego, si me brevi evocaverit Dominus, morte meâ obsignabo, præmonuisse me, ne ampliùs tali modo peccet Ecclesia: & ne sibi unus & alter, vel tertius, potestatem usurpet de talibus statuends, qvæ ad totius Ecclesiæ, adeoqve ipsius posteritatis, judicium spectant. Qvinimò si qvis audeat Librum hunc igni tradere, aut qvocunqve modô abolere, illum ego talem ad Christi Tribunal cito, illic inordinati affectûs sui rationem reddere ut teneatur.*

Scribebam hæc manu meâ, sic dictante corde timoris Dei plenô, Anno 1641. mense Julio.

J. A. C.

CAP. LXIV.

De reliqvo Christinæ Poniatoviæ Vitæ cursu & obitu.

SEx illi è Bohemis & Moravis nuper ordinati Ministri (de qvibus LXI. 4) ut ne in otio essent, pars eorum Polonicis Ecclesiis ministrare jussi fuerunt, pars mittebantur ad dispersos visitandum: *Vettero* jam conjugato, nobiscumqve habitaturo, cessit *Typographei Ecclesiastici* (è Moravia huc translati) *cura*, ad Libros bonos pro tempore hoc necessarios in lucem promovendum. Qva in re industriosum ille se (sicut & Christina in Familia alenda fidam illi adjutricem) præstitit.

2. Vixeruntqve Conjuges hi (placidissimis utrinqve moribus) summâ concordiâ, aliis in exemplum, annos duodecim, mensesqve duos. Neqve thoro illorum divina defuit benedictio; natis ex eo filiis duobus, *Daniele & Georgio*, paternum avitum-

avitumqve referentibus nomen (*Georgius* enim *Veterus*, horum Avus, optimè de Ecclesiis nostris meritus, inter alia eruditionis pietatisqve suæ monumenta, Psalmos Davidicos, felicissimâ paraphrasi & rhytmis, ad Gallicas melodias accommodatos, reliqvit): filiabusqve tribus, *Johanna*, *Sophia*, *Dorothea*: qvos omnes ad mores bonos, & Dei metum honestissimè educare non intermisit. (Ex illis autem qvinqve hoc anno 1664, Georgius & Sophia soli supersunt.)

3 Unum oblivisci non debeo. Ultimô ante obitum ejus anno, veneram è Borussia Lesnam: relatumqve mihi fuit, *Christinam Visiones suas revocare, opprobrioqve ducere, si qvis in memoriam revocet.* Ego veritatis cognoscendæ causâ seorsum eam (remoto etiam marito arbitro, ut liberiùs confitentem habere possem) alloqvutus, exqvisivi diligenter. Respondit, *Mirari se si talibus susurris fidem adhibeam: aliter autem esse de me persvasam. Verum esse, qvibusdam se respondisse silentiô, cùm sciat ludibrii causâ qvæstiunculas moveri &c, &c.* Animadverti ergò illam immeritò inconstantiæ argui: qvod magis etiam ex marito ejus cognoscere fuit, qvi qvalia inter se colloqvia de spe Israelis instituere soleant, retulit.

4 Hoc autem certum est, *neqve illam neqve nos omnes intellexisse tempora & momenta, qvæ Pater in sua potestate posuit* (Act. 1. ℣. 7.) Neqve nos ad convocandas, & cum invicem committendas Gentes, exseqvendumqve sic in magnam illam confusionum nostrarum Babylonem judicium Dei, tantas reqviri ambages, temporisqve tractus, imaginari potuimus.

5 Hoc jam tandem intelligere possumus, *antiqvum hunc esse Dei morem, non apud nos demùm inchoatum, revelare qvidem judicia sua Ecclesiæ, at non ex toto ratione circumstantiarum omnium, temporis præsertim. Idqve eô fine, ut ne diuturnitatis imaginatione perterriti fideles, spem & patientiam abjiciant. Plerumqve igitur promissiones suas ita proponit, ut fideles de ope Dei jamjam ventura persvasi, animosius agant.* Testimonia & exempla è Scripturis adduci possent plurima: sed satis exempli habemus in nobis ipsis. Qvi si hanc exilii & tribulationum diuturnitatem (annorum 40.) præscire potuissemus, omnes fortè in desperationem acti animis defecissemus: qvaliter multis imaginatione tali abreptis, nullaqve solatia (præsertim hœc extraordinaria) admittentibus evenit.

6 Ad historiam revertendo, placuit Deo Christinam ad æternas, dudum adamatas nuptias, tandem evocare. Postqvam enim toto matrimonii tempore bonâ fuisset usa valetudine, cœpit (mense Junio anni 1644) catarrhis & tussi molestari: qvæ invitis etiam Medicis in occultam febrim (hecticam vocant) degeneravit, illiqve 6 Decembris beatam analysin attulit.

7 Funebri super eam (*à Wenceslao Lochario, Boh: Eccl. Pastore*) habitæ, typisqve descriptæ Concioni, apposita est ætatis ejus, primariarumqve in vita mutationum, brevis series, hôc sensu.

Christina Poniatovia, nata fuit Parentibus Nobilibus (patre *Juliano Poniatovio de Duchnik*, matre autem *Sophia Pawlovia de Pawlowitz*) Lescinæ in Prussia, Anno 1610, 4 Martii: Cumqve iisdem Parentibus (persequutionem ob Evangelium in Patria passis) Anno 1615 venit in Bohemiam. Unde iisdem rursum perseqvutionum procellâ

cellâ motis, & in Moraviam concedentibus, illa Generosis qvibusdam Matronis ad servitia, virtutumqve exercitia, concredita fuit: demumqve cum aliis in exilium hoc postremum translata. Matrem amisit anno 1626, Septemb. 27, Namesti in Moravia: Patrem 1628, Februarii 16, ibidem. Ad extraordinarium illud & mirabile Dei opus adhiberi cœpta est 1627, 12 Novembris, Brannæ in Bohemia: qvod cessavit ejus in oculis hominum mortuæ in vitam revocatione, Anno 1629, Jan. 27, Lesnæ in Polonia. Ubi trienniô pôst, Dei & Tutorum voluntate, matrimonio fuit juncta &c. (uti hîc jam recitatum.)

Additum exstat: Ita Lescinæ nata, Lesnæ denata, Vitam exilio orsam, exilio actam, exiliô terminavit, æternæqve Patriæ tandem feliciter reddita est, ad hunc æternitatis portum subitaneæ phtiseos navigiolô delata.

CAP. LXV.

Appendicula de qvibusdam Satanæ ludibriis, Divino circa Christinam Poniatoviam operi oppositis.

LOgicorum canon, *Contraria juxta se invicem posita magis elucescunt*, si verus est, necessariò eveniet, ut qvicqvid Satan ad obscuranda Dei opera molitur, id ipsum ad opera Dei accuratè collatum iisdem magis illustrandis serviat.

2 Apparuit id in qvibusdam Satanæ machinamentis, qvibus divinas Christinæ factas Revelationes nebulis involvere qvæsivit. Non tantùm scilicet in eam ipsam factis tentationum insultibus (ut Cap. X, argumento VII, & Cap. XLVIII, 3, attigimus) sed & *aliorum Pseudoecstaticorum alibi per idem illud tempus excitatione.* Qvi cùm similia similiter annuntiare tentarent, fraus tamen latere diu non potuit, neqve continuari diu, qvin se suis indiciis proderet impostor. Duo attingam, mox anno 1628 patrata.

3 Redeunti à Christina patri illius, *Juliano Poniatovio*, iter fuit per pagum qvendam propè Jaromiri urbem. Ubi ille rusticorum ad Villam qvandam concurrentium agmen conspicatus constitit, qvid fieret percontans. Respondent, *Puellam lipothymicam mira loqvi, persequutiones Ecclesiæ prædicere, ad pœnitentiam hortari, constantiam in fide svadere.* Hæsit ille attonitus: & num fortè plebejæ isti turbæ Deus solatiorum etiam aliqvid submitteret cognoscere avidus, ingredi voluit. Sed cùm eam profundo tunc somno mersam dicerent, viam suam perrexit: rem tamen hanc per literas Brundusiô Brannam scriptas Pastoribus & Baronissæ significavit, eô inclinans ut Deum apud alios qvoqve, & per alios, contestari sese crederet. Verùm fabula hæc in fumum abiit: dum acriori factâ inqvisitione nihil præter frivola qvædam ægræ somnia, aut certè levia satanæ ludibria, fuisse apparuit.

4 Astutiùs rem egit, pluresqve ac doctiores, & periculosiùs, fascinare cœpit æstivis pôst mensibus, Genevæ in Gallia: Revelationes Christinæ pro divinis ibi admitti

admitti ægrè ferens. Sed neqve illud fuit diuturnum: dum Ecclesiæ precibus superatus illusionum opus derelinqvere (impurô post se relictô abominationum suarum fœtore) necesse habuit. Memorabo historiam uti ad nos perscripta, & à reverso ad nos teste oculato narrata, fuit.

5 Vivebat per id tempus Genevæ, studiorum causâ, Iuvenis nobilis Moravus (A. L. W.) cujus mater vidua (Baronissa de Riczan) cùm nobiscum exularet Lesnæ, factum fuit ut ad filium scribendo Christinæ ecstaticæ semel & iterum faceret mentionem. Qvi, re cum Professoribus communicatâ, ipsa Revelationum apographa (uti Virginis manu conscribebantur) sibi communicari petebat: mittebanturqve desideriô illorum etiam Theologorum ea de re cognoscendi judicia. Qvæ benigna erant, dum ex Visionum argumento, circumstantiis, stylo, nihil nisi digitum Dei notari posse, rescriberent: reciprocatæqve fuerunt super ea re complurles epistolæ [D. Deodatus inter alia hoc scripserat: *Mihi antiqvorum, utriusqve Fœderis, Prophetarum Oracula sunt instar Cynosuræ in hoc Persequutionum Oceano fluctuanti Ecclesiæ: Vestra autem Virginis, & aliorum hoc tempore probata vaticinia, instar Phari in proximo portu.* D. Vedelius autem (post longam in utramqve partem disputationem:) *Usus istorum legitimus erit, meô judiciô, si asserventur tacitè, sine jactatione ad hostes & ad imperitos, & sine improvida evulgatione, ad usum arcanum & reconditum Conscientiarum langventium, & suspiriorum jam delassatorum.*] Alii alia piè monebant: dum ecce ludio ille, operum Dei simia, in conspectu qvoqve illorum qviddam inceptat: unde illi primùm tantò magis confirmari, gratulabundiqve ad nos perscribere, mox autem confundi & erubescere.

6 Summa hæc fuit. *Daniel de la Rive Consulis filius, annorum 12 adolescentulus, corripitur morbô, moxqve inusitata loqvi incipit, tandem se illum ipsum spiritum esse qvi in Polonia Virgini Christinæ Leones, & alia mira, certò eventura, ostendisset, asseverat.*

7 Qvæ tametsi primis aliqvot diebus satis concinna, & Poniatovianis consona viderentur (qvô præcoci gaudiô unus Theologorum suâ manu ad nos hæc perscripsit): cùm tamen paulatim ad futilia deflecteret, præsentibusqve duobus Theologis apertè jam absurda misceret, alter illorum, *Satanæ digitum video*, dixit: alterô attonitô, & qvid diceret nondum inveniente: donec continuatis dierum aliqvot ludibriis res prorsus omnibus suspecta redderetur.

8 *Visum ergò Pastoribus & Senatui, solemnes Ecclesiæ cum jejunio indicere preces.* Factum: præmissâqve ad Populum Concione preces ad Deum ferventissimè fusæ. Qvô tempore immundus ille præstigiator variè se torqvere, variaqve tumultuosè agere, cœpit. Inter alia, *Nolunt credere*, inqviens, *me à Deo missum esse Angelum bonum. Ego verò miraculô probabo!* Arreptôqve nescio unde cultro (nec enim id adstantes notare poterant custodes) pectori eum suo impegit, retractumqve (illæsus ipse) in terram projecit, *Ecce miraculum!* clamans.

9 Exsternati illi mittunt è medio sui, qvi hæc patri Consuli (tunc è Templo cum Senatu & Pastoribus egredienti) nuntiaret. Qvô illi auditô Curiam ingrediuntur, deliberant, unanimiqve consensu satanica ludibria esse, tantôqve ardentiùs votis ad Deum pro obsessi liberatione instandum, decernunt. Immundus ergò

spiri-

spiritus exeundum sibi esse videns, demum hospitium suum (corpus pueri) variè distorqvere, ore autem blasphemias & obscœna verba eructare, cœpit: donec Ecclesiæ precibus, virtutiqve Dei cedere coactus, eum reliqvit.

10 Exitus satanicæ hujus tragædiæ is fuit, ut puer vix aliqvot mensium spatio ad valetudinem, sensuumqve & mentis usum, redire posset: nullius secum actæ rei memor aut conscius, & qvamdiu vixit hebes, & ad omnia inutilis, militiæ nomen dedit, ibiqve periit. In tantum ecce opera Dei à satanicis distant! De qvo cogitationes D. Juliani revidere qvæso ne pigeat! supra X. Argumentô VII.

11 Hæc attingere mihi non venisset in mentem, nisi nudius tertius adhuc ex ore docti cujusdam Theologi (mihi amici, neqve causæ inimici) audire contigisset: *Dubitari adhuc posse, esseqve rem disqvisitione dignam, Annon Angelus satan in Angelum lucis sese transformans, eadem omnia posset, qva per Kotterum, Poniatoviam, Drabicium acta sunt?* Ut ergò expendendi occasio sit, volui (præter illa qvæ Tractatu *De veris & falsis Prophetis Qvæst. XLIII.* posui) has etiam duas apponere historiolas: eô qvem primitùs intimavi fine, ut *contraria* juxta se posita magis elucescant.

12 Faxit Deus ut in fine tandem cujus toni hæc sint rectè appareat! Nosqve *num Propheta in medio nostri fuerit* (ut per Prophetam loqvitur Deus, *Ezech.* 2.5.) *cognoscamus: & dum cogitationes cordis sui impleverit Deus, consilium ejus intelligamus*, (Jer. 23. ✝. 20.)

CAP. LXVI.

De veris & falsis Prophetis, è solis Scripturis S. instituta disqvisitio: Una cum applicatione ad moderna, nominatim CHRISTINÆ PONIATOVIÆ.

Dedicatoria fuit ad Wenc. Locharium, Conseniorem.

MEministi fr. dilecte, qvale nobis nuper de re illa inusitata, inter nos hucusqve agitata, colloqvium fuerit: qvid agendum esset, ut ne vel superstitiosâ credulitate, vel obstinatâ incredulitate, in veritatem & Deum veritatis peccetur. Prudenter Tu, mediæ insistendo viæ (utinam omnes moderationem hanc seqvantur!) *doceri Te paratum dicebas, si tibi legenda detur rerum istarum Historia: 2 Pro divinitate illarum argumenta: 3 D. Juliani testimonium, propriâ manu scriptum: tandemqve de omnibus his judicium concedatur liberum.* Annui postulatis: qvid enim æqvius qvàm sic agi? *Servos Christi collatio, non altercatio, decet.* Qvoniam verò in colligendis de re tam obscura (uti multis videtur) argumentis, non hoc agendum erat ut oculis Tuis nebula obducatur (ut qvidam temerè judicia præcipitantes loqvi non verentur, *Nos in qværendis coloribus lauream captare*: qvod avertat Deus! Cum Paulo dico, *Nihil possumus contra Veritatem, sed pro veritate.* Si qvid aliud in corde est, *oblivioni detur dextra mea, adhæreat lingva mea faucibus meis*): sed ut nebulæ,

qvas nobis divinis in rebus carnalis ratio semper offundit, dispellantur; ideò ecce *Lucernam pedum nostrorum, & lumen semitis nostris datum, arripui, Verbum Dei: solis à Scripturis omnia qvæ ibi de Prophetis, veris & falsis, afferuntur colligendo, & in Qvæstiones ita redigendo, ut ea nobis nostra in materia Lydii lapidis usum præstare qveant. Addendo tamen de Prophetis Novi Testamenti antiqvorum Patrum, recentiorumqve Theologorum, testimonia & sententias: ut Ecclesiæ consensui pateat.* Reliqva ex Historia ipsa authoritate oculatorum testium (qvi qvod audiverunt & viderunt, in conspectu Dei & hominum non loqvi non possunt) firmata petuntur: solutis tandem etiam objectionibus, & scrupulis qvos non nulli concipiunt. Vale, Deusqve te discretionis spiritu instruat, ut à Veritatis tramite ne deflectas &c. 9 Febr. 1629.

Tuus in Christo

COMENIUS.

QVÆSTIO I.

QVid est Propheta? R. Est persona Spiritu DEI afflata, è particulari & immediata revelatione arcana qvædam, humanô ingeniô sublimiora, in Ecclesiæ usum proferens. Nunqvam enim libitu hominis allata est prophetia, sed à Spiritu S. acti loqvuti sunt sancti DEI homines (2 Petr. 1. ℣. 21.) Et apud Oseam DEUS dicit: (c. 12. ℣. 10.) Ego sum qvi loqvor per Prophetas, & ego visionem multiplico.

II. *Qvid est afflari à DEO?* R. Est loqvi res & verba, non qvæ propriâ indagine mens conqvirat: (ut fit dum Orator loqvitur, vel Author librum scribit) sed qvæ cordi & ori ingerit DEUS ipse; sive qvidem Propheta hæc intelligat, sive non. Ideò Scriptura: *Et factum est verbum Jehovæ ad N. Et dixit ad eum DEUS, Loqvere, aut Scribe. Et audii vocem de cælo &c.* Atqve ideò appellati sunt *Videntes*, qvòd mentibus eorum videnda exhibentur, qvæ loqvi jubentur.

III. *Qvomodo exhibentur?* Tribus modis: qvod innuit DEUS Num. 12, 6, 8. praxiqve ipsâ ostendit.

1. *Per visionem externam:* qvando sensibus externis talia objiciuntur, ex qvibus Propheta voluntatem DEI agnoscit. Ut cum in pariete palatii Babyloniæ manus qvædam scribebat: Daniel vidit, intellexit, interpretatus est, Dan. 5. *Item:* Cùm DEUS facie ad faciem Mosi se exhibens voluntatem suam edocebat: reliqvo autem populo è nube Tabernaculi &c.

2. *Per visionem imaginariam*, cùm intùs in mente Prophetæ talia effinguntur, unde ille qvid velit DEUS agnoscit. Cujusmodi visiones offeruntur vel dormientibus, & vocantur *Somnia*; vel vigilantibus, & dicuntur *Ecstases, Raptus extra se:* itemqve *Excessus mentis.* Johannes appellat *Corripi spiritu.* Apoc. 1. 10. Ezechiel, *auferri à spiritu* cap. 1. 12.

3. *Per internam immediatam illuminationem*, qvâ fit, ut Prophetæ loqventi aut scribenti divinitùs verba suggerantur. Sic illuminatus fuit Salomon, ut plurima ab ipso DEO edoctus & nosset & scriberet. Eòdem modo David: ideòqve moribundus

bundus exclamavit: *Spiritus Jehovæ locutus est in me, & sermo ejus per lingvam meam*: 2 Samuel. 23. ℣. 2. Ita Esaias, ita Apostoli, internâ illuminatione.

IV. *Seqvetur inde: Omnem internum stimulum aut nutum* DEI, *omneqve somnium significativum, & omne prodigium, prophetiam esse.* Resp. Neutiqvam: Non enim ostentum prodigiosum, aut somnium, prophetam facit, sed afflatus DEI. Et Pharao, & Nebucadnezar, & alii divina somnia habebant, non tamen prophetæ erant, qvia non intelligebant: sed Ioseph & Daniel erant Prophetæ, qvia Spiritu prophetiæ impleti, interpretari ea poterant. Manum in pariete scribentem vidit Belsazar, viderunt & alii, sed qvia soli Danieli divina suggestione mysticus sensus patuit, solus in tanta turbâ propheta exstitit. Sola igitur interna revelatio, sive fiat immediatâ illuminatione, sive per visionem imaginum, semper prophetam facit; qvia nulla prophetia sine afflatu DEI peragitur.

V. *Prophetæ igitur Omniscientiæ divinæ partem habent?* Resp. Absit: nihil enim nôrunt, nisi qvod & qvantum revelatur. Magnus propheta erat Elisæus, & tamen adventante Sunamitide dixit: *In amaritudine est animus ejus, & Jehovah id celavit à me, nec indicavit mihi.* 2 Reg. 4. ℣. 27. Ieremias consiliorum adversus se initorum planè ignarus fuit, donec revelasset DEUS. Ierem. 11. ℣. 18. Samuel uncturus regem de filiis Isaï, erravit in persona septies usqve. 1 Sam. 16. 6.

VI. *Quæ sunt igitur arcana illa, quæ prophetis suis solet manifestare* DEUS? Resp. Varia: omnia tamen sublimia, & ab hominum infallibili præscientia longè abstrusa. Ita enim ad Ieremiam DEUS: *Invoca me & respondebo tibi, ac indicabo tibi magna & abstrusa, quæ non cognoscis.* Ierem. 33. 3. Magna autem & abstrusa sunt, qvæ gloriam DEI & Ecclesiæ statum præsentem aut futurum concernunt: imò & præteritum, qvatenus ea revelari DEI & Ecclesiæ intersit. Potissimùm autem prophetis futura judicia sua revelare solet, qvibus Ecclesiam suam primò, postea verò Mundum impiorum, visitare constituit. Sic Ieremias ad Chananiam, *Prophetæ illi*, inqvit, *qvi fuerunt ante me, & ante te inde à seculo, illi prophetaverunt contra regiones amplas, & contra regna magna, bellum & afflictionem, famem & pestem*, Ierem. 28. 8. Inde nimirum Prophetæ dicti, qvasi *præfatores*, aut *prædictores*, futurorum: qvod munus in qvamcunqve personam collatum fuerit, eidem nomen negari non debet: nisi qvod istorum nonnulli pseudoprophetæ sint, de qvo pôst.

VII. *At cur* DEUS *ea, quæ Ecclesiam scire interest, non omnibus sed qvibusdam duntaxat, revelat?* R. Qvia opera sua ordinata esse vult, non confusa. Et qvòd Veritati ore duorum vel trium testium satis caveri potest. Ideò nil revelat prophetis sibi solis habendum, sed ut vulgênt & proclament. Ita Petrus actos à Spiritu DEI sanctos DEI locutos fuisse (non dicit siluisse) testatur. 2 Pet. 1. 21. Ezechieli ob silentium pœnas minatur DEUS horrendas, c. 33. 8: qvibus se Ionas prædicationem fugiens implicavit. Ieremias cùm sibi silentium imperaret, fatetur verbum DEI instar ignis ardentis fuisse in ossibus suis, qvem sustinere non potuit, Ierem. 20. 9. Et varia extant DEI ad prophetas, de non tacendo qvæ revelantur, mandata. Iubentur enim loqvi, *sive populus audiat, sive desistat*, Ezech. 2. ℣. 21. *& tanqvam buccinam extollere vocem suam*, Esa. 58. 1. *& signare literis*, seu *referre in libros*,

Ierem. 30. 2. & 36. 2, 32. *imò in Tabulas, qvæ publicè in foro & angulis platearum suspendantur, ut vel ab invitis videantur & cognoscantur.* Vide Esaia 8. 1. (ubi testes etiam fide digni adhiberi jubentur) & 30. 8. & Ierem. 22. 30. & Ezech. 43. 11. & Abacuc. 2.

VIII. *Non itaqve in occulto servari vult* DEUS *prophetias? Qvæ ejus rei causa?* Respondet Christus: *Nemo accendit lucernam, ut subter modium ponat, sed in candelabrum, ut splendeat omnibus qvi in domo sunt*, Matth. 5. 15. DEUS igitur qvæ nesciri vult, ea non revelat: qvæ revelat, eò fine ut sciantur revelat. *Cujus divinæ voluntatis has è Scriptura notamus causas.*

1 *Gloriam* DEI. Vult nimirum à mortalibus cognosci solus verè DEUS, solus sapiens, solus potens, solus justus & bonus, cui omnia præterita, præsentia, & futura æqvè nota sunt: cujus curæ ac judiciis omnia subjacent; qvemqve solum revereri, amare, timere, conveniat. Ideò divinitatem suam adversus deastros apud Esaiam hôc argumentô tuetur, qvòd illi nihil futuri, ne qvidem jamjam impendentis, infallibiliter prædicere possint: ipse autem etiam qvæ procul sunt pronunciet. Vide Esa. 41. ℣. 20 ad finem: & 42. ℣. 8, 9. & 43. ℣. 9, 10. 11, 12. & 44. ℣. 7. 8. & 45. ℣. 20, 21.

2 *Ecclesiæ solamen.* Ego sum, (inqvit DEUS Esa. 41. ℣. 27.) qvi Ierusalem evangelizantes dabo. Et ad prophetas: *Consolamini, Consolamini populum meum*, dicit DEUS vester. Esa. 40. ℣. 1. Apud Abacucum verò exspectare jubet promulgatam visionem, etiamsi cunctetur; nam omninò eventura est, inqvit, & non tardabit. Abacuc 2. ℣. 3.

3 *Testimonium reprobis, ut inexcusabiles reddantur.* Vide Esa. 6. 9, 10. *Item*, 9. ℣. 10. & 66. ℣. 4. Ierem. 7. ℣. 13. & 11. 7. Ezech. 2. & 3.

IX. *Qvænam eorum est certitudo, qvæ Prophetis revelantur?* R. Ea qvæ Majestatem divinam decet, summa: tàm respectu futuri eventus, qvàm præsentis impressionis & assecurationis, in mente prophetæ & credentium. *Nam propheta in hoc lumine* DEI *duo hæc distinctè videt.* 1 *Videre & audire se verè, qvæ videt & audit*: sine suspicione fascini aut præstigiarum, aut Imaginationis alicujus evanidæ. 2 *Hoc opus divinum esse.* Hinc Ieremias: *Verè misit me Jehovah ad Vos* cap. 26. 15. Hinc illa omnibus prophetis solennia: *Audite verbum Jehovæ. Sic ait Dominus. Audite Cæli & auribus percipe terra, qvia Jehova loqvitur &c.*

Alii verò, qvi qvæ DEUS per organa sua loqvitur audiunt, pari reverentiâ & fide excipiunt, ac si ex ore ipsiusmet DEI audivissent. Sunt enim verè os DEI prophetæ: Exod. 4. 10. 14. 15. 16. Exempla ejus rei prostant. Israelitæ ad Mosen: *Loqvere tu nobiscum, & audiemus te, & ne loqvatur* DEUS. Exod 20. 29. Succedentibus inde temporibus qvicqvid ab ore ullius prophetæ prodiit, Verbum Iehovæ, sive sermo DEI, vocabatur. 1 Sam. 3. ℣. 1. Hinc Iosaphat ita ad populum: *Credite Jehovæ* DEO *vestro, & confirmabimini. Credite prophetis ejus, & prosperabimini* (1 Chron. 20. ℣. 20.) Inde factum, ut qvidqvid propheticarum visionum, & concionum, imò & historiarum, prostaret, id tanqvam immediatè divinum libro Legis divinitùs traditæ adjungeretur, & pro *Fidei ac Vitæ Regula* acceptaretur à

populo

populo DEI. Qvod Christus expressè stabilivit, ad Legem & Prophetas provocans, Lucæ 24. ℣. 27, 44.

X. *Unde Prophetis tanta illa revelatorum firmitas, ut ad amussim omnia & meminisse & reddere qveant? Resp.* Ab extraordinariâ operatione DEI, qvâ & visa atqve audita illis altissimè imprimuntur, & promenda ore aut calamô spiritûs dictamine suppeditantur, ut etiam inscii, vel inviti (de Balaamo id patet) ea proferant, qvæ spiritus calamo & lingvæ ingerit. Hinc Deus Mosi impeditam lingvam causanti dixit: *Qvis formavit os hominum?* aut qvis *statuere potest mutum & surdum? Nonnè ego qvi Jehova sum? Nunc itaqve i, & ego adero ori tuo.* Exod. 4. 20. Hoc ipsum DEUS signis visibilibus qvibusdam figuravit: ut cum Esaias mittendus, *Vir pollutis labiis sum*, exclamaret, pruna de altari sumta ori ejus admota est, dictumqve ei, *Jam amotam esse iniqvitatem, pergeret ire*. Esa. 6. ℣. 5. Ieremiæ pueritiam prætendentis DEUS manu extensâ os tetigit, dixitqve: *Ecce indo verba mea ori tuo.* Ierem. 1. ℣. 6. 9. Ezechieli omnia qvæ prædicatione vulgare debebat, in volumine descripta fuêre, & volumen deglutiendum traditum, cum mandato: *Abi jam, ut alloqvaris eos verbis meis:* Ezech. 2. ℣. 8. & 3. 1. Apostoli perfectâ illuminatione donandi in specie ignitarum lingvarum receperant Spiritum Sanctum Actor. 2. Iohanni Evangelistæ & Apostolo itidem liber ad devorandum oblatus cum verbis: *Oportet te iterum prophetare coram populis & gentibus & lingvis*, Apoc. 10. ℣. 8. Eqvibus verbis patet, devorationem illam libelli instructionem fuisse, animi & lingvæ ejus, ad opus DEI.

XI. *Multosnè DEUS mundo Prophetas submisit? Resp.* Plurimos hactenus, ut nullus constet numerus. Ieremias enim suo tempore ad Chananiam prophetam dixit. *Propheta qvi ante me & ante te prophetarunt, jam inde à seculo.* Jerem. 28. Ecce jam tum ignorabant undè cœpissent, & qvot essent, prophetæ. Hoc certum est, jam inde ab orbe condito contestatum se fuisse DEUM, revelando qvibusdam judicia sua: ut de Enocho & Noa constat.

XII. *Cui genti mittuntur Prophetæ? Resp.* Ecclesiæ potissimùm, ut Israelitis olim (2 Regum 17. 13. Ierem. 11. 7): & cæteris tamen gentibus qvandoqve, qvia omnium DEUS est. Sic Bileam apud Moabitas verus veri DEI erat Propheta, Num. 22. Ita Sibyllæ illæ Ethnicorum libris tantoperè decantatæ, qvorum testimonia Lactantio, Iustino-Martyri & aliis Patribus validè adversus gentiles profuerunt. Hinc *Augustinus Prophetas trifariam distribuit, in Iudaicos, Ethnicos, & Christianos.*

XIII. *Per qvem vocat DEUS prophetas? Resp.* Per neminem. Cùm enim Prophetarum gradus non sit ordinarius in Ecclesia, sed certis temporibus tantùm (singulari aliqvâ urgente necessitate) mittantur, solus autem DEUS extraordinarias illas necessitates novit, soli etiam sibi id reservavit, qvando sibi visum esset mittere prophetas.

XIV. *Qvis modus est vocandi Prophetas? Resp.* Modum aut legem, aut formam statam, DEUS operibus suis non habet: operatur prout placet. Hoc è Scriptura videmus, vocationem qvorundam cœpisse ab ostento aliqvo, aliorum à somnio, aliorum à voce cœlitùs lapsâ, qvorundam ab ecstasi, &c. Ex. gr. Mosi primò se

DEUS

Ierem. 30. 2. & 36. 2, 32. *imò in Tabulas, qvæ publicè in foro & angulis platearum suspendantur, ut vel ab invitis videantur & cognoscantur.* Vide Esaia 8. 1. (ubi testes etiam fide digni adhiberi jubentur) & 30. 8. & Ierem. 22. 30. & Ezech. 43. 11. & Abacuc. 2.

VIII. *Non itaqve in occulto servari vult* DEUS *prophetias? Qvæ ejus rei causa?* Respondet Christus: *Nemo accendit lucernam, ut subter modium ponat, sed in candelabrum, ut splendeat omnibus qvi in domo sunt*, Matth. 5. 15. DEUS igitur qvæ nesciri vult, ea non revelat: qvæ revelat, eò fine ut sciantur revelat. *Cujus divinæ voluntatis has è Scriptura notamus causas.*

1 *Gloriam* DEI. Vult nimirum à mortalibus cognosci solus verè DEUS, solus sapiens, solus potens, solus justus & bonus, cui omnia præterita, præsentia, & futura æqvè nota sunt: cujus curæ ac judiciis omnia subjacent; qvemqve solum revereri, amare, timere, conveniat. Ideò divinitatem suam adversus deastros apud Esaiam hôc argumentô tuetur, qvòd illi nihil futuri, ne qvidem jamjam impendentis, infallibiliter prædicere possint: ipse autem etiam qvæ procul sunt pronunciet. Vide Esa. 41. ℣. 20 ad finem: & 42. ℣. 8, 9. & 43. ℣. 9, 10. 11, 12. & 44. ℣. 7. 8. & 45. ℣. 20, 21.

2 *Ecclesiæ solamen.* Ego sum, (inqvit DEUS Esa. 41. ℣. 27.) qvi Ierusalem evangelizantes dabo. Et ad prophetas: *Consolamini, Consolamini populum meum*, dicit DEUS vester. Esa. 40. ℣. 1. Apud Abacucum verò exspectare jubet promulgatam visionem, etiamsi cunctetur; nam omninò eventura est, inqvit, & non tardabit. Abacuc 2. ℣. 3.

3 *Testimonium reprobis, ut inexcusabiles reddantur.* Vide Esa. 6. 9, 10. *Item*, 9. ℣. 10. & 66. ℣. 4. Ierem. 7. ℣. 13. & 11. 7. Ezech. 2. & 3.

IX. *Qvænam eorum est certitudo, qvæ Prophetis revelantur?* R. Ea qvæ Majestatem divinam decet, summa: tàm respectu futuri eventus, qvàm præsentis impressionis & assecurationis, in mente prophetæ & credentium. *Nam propheta in hoc lumine* DEI *duo hæc distinctè videt.* 1 *Videre & audire se verè, qvæ videt & audit*: sine suspicione fascini aut præstigiarum, aut Imaginationis alicujus evanidæ. 2 *Hoc opus divinum esse.* Hinc Ieremias: *Verè misit me Jehovah ad Vos* cap. 26. 15. Hinc illa omnibus prophetis solennia: *Audite verbum Jehovæ. Sic ait Dominus. Audite Cœli & auribus percipe terra, qvia Jehova loqvitur &c.*

Alii verò, qvi qvæ DEUS per organa sua loqvitur audiunt, pari reverentiâ & fide excipiunt, ac si ex ore ipsiusmet DEI audivissent. Sunt enim verè os DEI prophetæ: Exod. 4. 10. 14. 15. 16. Exempla ejus rei prostant. Israelitæ ad Mosen: *Loqvere tu nobiscum, & audiemus te, & ne loqvatur* DEUS. Exod 20. 29. Succedentibus inde temporibus qvicqvid ab ore ullius prophetæ prodiit, Verbum Iehovæ, sive sermo DEI, vocabatur. 1 Sam. 3. ℣. 1. Hinc Iosaphat ita ad populum: *Credite Jehovæ* DEO *vestro, & confirmabimini. Credite prophetis ejus, & prosperabimini* (1 Chron. 20. ℣. 20.) Inde factum, ut qvidqvid propheticarum visionum, & concionum, imò & historiarum, prostaret, id tanqvam immediatè divinum libro Legis divinitùs traditæ adjungeretur, & pro *Fidei ac Vitæ Regula* acceptaretur à populo

populo DEI. Qvod Christus expressè stabilivit, ad Legem & Prophetas provocans, Lucæ 24. ℣. 27, 44.

X. *Unde Prophetis tanta illa revelatorum firmitas, ut ad amussim omnia & meminisse & reddere qveant?* *Resp.* Ab extraordinariâ operatione DEI, qvâ & visa atqve audita illis altissimè imprimuntur, & promenda ore aut calamô spiritûs dictamine suppeditantur, ut etiam inscii, vel inviti (de Balaamo id patet) ea proferant, qvæ spiritus calamo & lingvæ ingerit. Hinc Deus Mosi impeditam lingvam causanti dixit: *Qvis formavit os hominum?* aut qvis *statuere potest mutum & surdum? Nonnè ego qvi Jehova sum? Nunc itaqve i, & ego adero ori tuo.* Exod. 4.20. Hoc ipsum DEUS signis visibilibus qvibusdam figuravit: ut cum Esaias mittendus, *Vir pollutus labiis sum*, exclamaret, pruna de altari sumta ori ejus admota est, dictumqve ei, *Jam amotam esse iniqvitatem, pergeret ire*, Esa. 6. ℣. 5. Ieremiæ pueritiam prætendentis DEUS manu extensâ os tetigit, dixitqve: *Ecce indo verba mea ori tuo.* Ierem. 1. ℣. 6. 9. Ezechieli omnia qvæ prædicatione vulgare debebat, in volumine descripta fuêre, & volumen deglutiendum traditum, cum mandato: *Abi jam, ut alloqvaris eos verbis meis:* Ezech. 2. ℣. 8. & 3. 1. Apostoli perfectâ illuminatione donandi in specie ignitarum lingvarum receperant Spiritum Sanctum Actor. 2. Iohanni Evangelistæ & Apostolo itidem liber ad devorandum oblatus cum verbis: *Oportet te iterum prophetare coram populis & gentibus & lingvis*, Apoc. 10. ℣. 8. Eqvibus verbis patet, devorationem illam libelli instructionem fuisse, animi & lingvæ ejus, ad opus DEI.

XI. *Multosnè DEUS mundo Prophetas submisit?* *Resp.* Plurimos hactenus, ut nullus constet numerus. Ieremias enim suo tempore ad Chananiam prophetam dixit. *Propheta qvi ante me & ante te prophetarunt, jam inde à seculo.* Jerem. 28. Ecce jam tum ignorabant undè cœpissent, & qvot essent, prophetæ. Hoc certum est, jam inde ab orbe condito contestatum se fuisse DEUM, revelando qvibusdam judicia sua: ut de Enocho & Noa constat.

XII. *Cui genti mittuntur Prophetæ?* *Resp.* Ecclesiæ potissimùm, ut Israelitis olim (2 Regum 17. 13. Ierem. 11. 7): & cæteris tamen gentibus qvandoqve, qvia omnium DEUS est. Sic Bileam apud Moabitas verus veri DEI erat Propheta, Num. 22. Ita Sibyllæ illæ Ethnicorum libris tantoperè decantatæ, qvorum testimonia Lactantio, Iustino-Martyri & aliis Patribus validè adversus gentiles profuerunt. Hinc *Augustinus Prophetas trifariam distribuit, in Iudaicos, Ethnicos, & Christianos.*

XIII. *Per qvem vocat DEUS prophetas?* *Resp.* Per neminem. Cùm enim Prophetarum gradus non sit ordinarius in Ecclesia, sed certis temporibus tantùm (singulari aliqvâ urgente necessitate) mittantur, solus autem DEUS extraordinarias illas necessitates novit, soli etiam sibi id reservavit, qvando sibi visum esset mittere prophetas.

XIV. *Qvis modus est vocandi Prophetas?* *Resp.* Modum aut legem, aut formam statam, DEUS operibus suis non habet: operatur prout placet. Hoc è Scriptura videmus, vocationem qvorundam cœpisse ab ostento aliqvo, aliorum à somnio, aliorum à voce cœlitùs lapsâ, qvorundam ab ecstasi, &c. Ex. gr. Mosi primò se

DEUS

DEUS in ardente rubo videndum exhibuit, indeqve acclamavit. Samuelem adolescentulum dormientem ter alloqvitur, qvi somno se proripuit, & hero suo Heli accurrit (nondum enim agnoverat vocem Jehovæ) donec ab Heli informatus qvartâ vice respondit: *Ecce mi Jehova, loqvere, qvia audit servus tuus*, 1 Sam. 3. Atqve ex eo tempore familiaris illi fuit sermo DEI. Davidem puerum gregem pascentem, ad ingentes ausus stimulabat Spiritus DEI: post ejusdem se insinuavit animo, suôqve afflatu eum rexit. 1 Sam. 17. 34. Jeremiam sic primò affatus fuit DEUS: *Cùm nondum formavissem te in utero, agnovi te, sanctificavi te, prophetam gentibus constitui te*: Jerem. 1. ℣. 5. Esaiæ vocationem suam tam clarè non indicavit: sed ostendit illi gloriam Majestatis suæ, ad cujus conspectum ille consternatus horrere cœpit. At DEUS illum prunâ ab altari emundari jussit, & dixit: *Qvem missurus sum? qvis iturus est nobis?* Esa. 6. Ille verò jam spiritu repletus; *En ego*, respondit, *me mitte!* Qvod prima facie qvasi seipse ingereret, non vocatus, videri posset. Danielem primò disciplinis philosophicis excoli voluit, addiditqve rerum abstrusarum intelligentiam, qvæ se per somniorum interpretationem præcipuè prodebat, donec & Visiones per somnia & ecstases accessissent.

XV. *Qvem sexum DEUS hâc vocatione dignatur? Resp.* Utrumqve. Qvamvis ad munus Mininisterii soli viri, DEI jussu, ordinantur (inde Apostolus fœminis in Ecclesiæ cœtu ne loqvi qvidem permittit: 1 Cor. 14. 34. & 1 Tim. 2. 12.) in hâc tamen extraordinaria vocatione extraordinariè procedendo, fæminas qvandoqve abhibet. Ut Exod. 15. 20. Maria soror Aaronis prophetissa nominatur. Iud. 4. ℣. 4. Debora. 2 Reg. 22. 14. Hulda, uxor Sallumi: ad qvam à Iosia rege sacerdotes ablegabantur consultum Iehovam. Luc. 2. 36. mentio fit Hannæ prophetissæ viduæ. Actor. 21. 9. qvatuor Virginum prophetantium, Philippi Evangelistæ filiarum.

XVI. *Qvales autem personæ sunt, qvas huic muneri eligit DEUS? R.* Plerumqve juniores, aut simpliciores: ut illustrius reddatur opus Dei. Ita Samuel puer vocatus divinitùs Heli Sacerdoti, hero suo, dura annunciare necesse habuit. David adolescens spiritu heroicô, supra ætatis conditionem agebatur: ut evidentior esset præsentia dextræ Dei. Ita Esaiam, Ieremiam, Danielem, in juventute vocatos constat. Amos verò simplicissimus bubulcus, ut Regibus & Sacerdotibus Israelis loqveretur missus fuit.

2 Eliguntur tamen inculpatæ personæ, ne ignominiâ afficiatur opus DEI: tametsi eos infirmitatatibus humanis non eximat, sed communi sorti subjacere patitur: ut ne excellentia muneris hujus ex illis sit, aut æstimetur, sed ex DEO. Hinc tot exemplis manifestum est, eos æqvè ut cæteros falli & labi posse. V. g. Moses, maximus Prophetarum, cœpit ipse de eo qvod nomine DEI annunciabat, dubitare: ob idqve punitus Terram promissam videre non potuit. Num. 20. ℣. 8. 12. Maria Prophetiæ dono superbivit, ob idqve leprâ percussa, Num. 12. 2. Samuel filios non satis diligenter educavit. 1 Sam. 8. 2. Nathan cerebri sui opinionem pro oraculo venditavit, & recantare coactus est. 2 Sam. 7. ℣. 3, 4. Propheta anonymus senex mentiendo alium Prophetam seduxit. 1 Reg. 13. ℣. 11. Ieremias impatientiâ diem nativitatis suæ execreatus est, Ierem. 15. 10. & 20. 7. 14.

3. Imò

3 Imò verò peccatis ſceleribusqve ſe polluunt. Ut David adulteriô, homicidiô ſuperbiâ: Salomo laſciviâ, Idolomaniâ, plurimisqve vanitatibus; Jonas inobedientiâ, pòſt etiam excandeſcentiâ, & exprobratione DEO lenitatis ſuæ. Unde ſeqvitur, prophetam etiam æternùm damnari poſſe, ſi in tantum abutatur gratiâ Dei: qvod de Balaam manifeſtum eſt: de Sibyllis qvid dicamus non habemus.

4 Conſtat inde, Prophetiæ donum non propriæ ſalutis, ſed publicæ ædificationis cauſâ, conferri: nec ſummum eſſe amoris divini indicium, revelare arcana: qvinimò Chriſtum per fidem & charitatem habitare in nobis majus eſſe omnibus prophetiis (vid. 1 Corinth. 13. 2.) Huc reſpiciens Petrus Martyr ſcripſit: *Non eſt neceſſaria connexio inter prophetiam & fidem juſtificantem.* Item Auguſtinus: *Non movere nos debet*, inqvit, *cùm iis qvorum operâ utitur Deus humanitùs aliqvid accidit. Creatura enim omnis eſt mutabilis, præſertim eò tempore, qvò caro mortalis corruptibilisqve portatur:* (Tom. 4. pag. 64. 3.)

XVII. *Qvomodo verò Deus prophetas tam ſelecta organa ſua tractat? Reſp.* Mirè ſatis in oculis noſtris. 1. Aliqvando percutit eos morbis & doloribus: non ob delicta ſolùm (ut Mariam leprâ propter arrogantiam, Davidem morbis duriſſimis aliqvoties) ſed & ob id ſolùm, ut virtutem mortificantis & vivificantis digiti Dei in ſeipſis primùm experientes, & promptiùs & firmiùs ipſi primùm ea, qvæ aliis per eos denunciat Deus, intelligant & credant. Sic Moſen ire tergiverſantem leproſum reddidit, moxqve iterum ſanavit. Exod. 4. 6. Sic Ieremiam verberari & in carcerem conjici, rurſumqve per Ebedmelechum Æthiopem liberari, voluit: ut captivitas populi & liberatio per alienigenas, Cyrum & Darium, præfiguraretur, Ierem. 38. Ionam, ut figuram Chriſti morituri & reſurrecturi exprimeret, juſſit præcipitari in mare, abſorberi à Balæna, & poſt triduum ejici.

2 *Qvandoqve ipſis viſionibus percellit prophetas, & in morbos dejicit.* Daniel enim cùm freqventiſſimas pateretur viſiones, freqventiſſimos morbos perpeſſus eſt, qvod ipſe fatetur Dan. 7. 15, 28. *Item* 8. 27. *Item* 10. 8, 12, 15. ſe fuiſſe factum mutum: cùm autem ſimilitudo qvædam humana tetigiſſet labra ſua, apertum fuiſſe rurſum os ſuum. Item, qvod in eum irruerint dolores adeò, ut non obtineret vires: & 17. ſyncopen, ſeu animæ deliqvium, qvòd perpeſſus fuerat, innuit. Hæc Daniel. De Balamo legimus, qvòd excidens retectos habuiſſet oculos, ut viſiones omnipotentis videret.

3 *Aliqvando eos miraculosè protegit, nec lædi patitur; aliqvando deſerit.* Ieroboamo enim, cùm prophetam prehenſurus extendiſſet manum, manus illicò exaruit. 1 Reg. 13. 7. Cùm autem Ieremiam verberibus malè multarent, nemini id accidit, Ierem. 20. & 37. & 38. Eliſæo cùm pueri illuderent, egreſſæ duæ urſæ dilaniarunt ex iis 42 pueros, 2 Reg. 2. Zachariam verò in templo lapidanti populo nihil ſimile contigit, 2 Chron. 24. 21.

4 *Qvibusdam autoritatem conciliat in hominum conſpectu* (exemplo ſunt Samuel, Nathan, Gad, Eſaias, qvos polluiſſe authoritate ad populum in evidenti eſt:) *alios riſui & opprobrio eſſe ſinit, fabulamqve vulgi.* Ut Ezechielem, qvem juſſit laterem, Jeruſalem repræſentantem, obſidere, atqve lateri ſiniſtro 390, dextro

S verò

verò 40 dies incumbere, panemqve excrementis coctum comedere: Ezech. 4. Idem caput & barbam novaculâ sibi abradere, & pilorum partem gladiô percutere, partem comburere, partem reliqvam in ventum dispergere, jussus fuit, Ezech. 5. *Qvæ hæ in oculis vulgi gesticulationes?* Oseas jussus ducere uxorem scortum, Ose. 1. ℣. 2. iterumqve aliam conducere mercede, ne scortaretur ad tempus certum, cap. 3. Qvod utrumqve factum, licet suam haberet rationem, probrosum tamen videbatur.

5 *Alios jubebat loqvi tantùm & prædicare, alios verò factis & gestibus variis repræsentare futura.* Esaiam incedere nudum & discalceatum, Esa. 20. 2. Jeremiam jugum ligneum, & postea ferreum, collaris locô gestare, Jer. 27. 2. & 28. 14. Eundem cingulum in terram defodere, & post multos dies corruptum iterum eximere. Ezechieli plura id generis mandabat, ut jam dictum: qvibus accessit muri perforatio, & per foramen illud in conspectu populi fuga: Ezech. 12. Item ollæ cujusdam vehementissimô igne elixatio, donec injecta per spumam efferbuissent (c. 24.) Jussit item eum uxoris suæ mortem prædicere, qvam & extinxit in ejus conspectu morte subitaneâ, lugereqve prohibuit. Propheta alius, Achabo pœnas denunciaturus, percuti & vulnerari ab alio (jussu Dei) voluit: & cùm is recusasset à leone peremptus est, ille autem non nisi vulneratus & pulvere conspersus Achabum adiit, 1 Reg. 10.

XVIII. *Jam mihi dic, semperne & qvovis ævo DEUS prophetas mittit? Resp.* Non. A Mose enim usqve ad Samuelem (prope 400 annis non legimus fuisse, nisi Deboram Iudic. 4.) & anonymum qvendam (Iudic. 6. 8.) Unde scriptum est, temporibus Heli rarum fuisse sermonem Iehovæ, qvia non erat visio aperta, 1 Sam. 3. 1. A Samuele ad reductionem è Babylone (annis 600) freqventissimi erant. Inde ad Iohannem Baptistam (annis 500 ferè) nullus fuit; ut ex lamento Ecclesiæ Psal. 74. 10. patet: hôc solo excepto, qvòd Iaddo Sacerdoti summo (ut Ioseph. lib. 11. c. 8. testatur) cùm Alexander Magnus urbem peteret, Deus in somno apparuerat, & qvid opus esset facto docuerat. Christus novæ suæ Ecclesiæ iterum submisit qvosdam, (1 Cor. 12. 9. Ephes. 4. 11.) Qvorum qvidam nominantur in Actis: ut Agabus, qvatuor filiæ Philippi, Iohannes in Apocalypsi. Ex eo tempore rariores sunt.

XIX. *Potestnè observatione deprehendi, qvibus potissimùm temporibus DEUS prophetas mundo mittere soleat? Resp.* Qvidni, si sacram Historiam percurrentes, temporis & rerum circumstantias attendamus. Deprehendemus enim Prophetas mitti, tùm

1 *Cùm maximè populus Dei Deum deserit, & in Idololatriam prolabitur.* Tum enim Deus, ut se frederis observantiorem demonstret, fœdifragos inclamat per prophetas, ut testatur ipse Ier. 7. 13. Ita factum Iud. 6. 8. Et cùm tempore Regum Iuda & Israelis sæpissimè desciscerent ad cultus gentiles, sæpissimè alios post alios mittebat, totô illo tempore. A Babylone reversis qvamvis vitæ licentiâ & doctrinæ erroribus exorbitarent, qvia tamen ad Idolomaniam non redibant, & se amplius non commiscebant gentibus, prophetas mittere pepercit.

2 *Cùm Sacerdotes insigniter officium negligunt.* Ut tempore pigerrimi Heli, & perditorum filiorum ejus, suscitavit Samuelem. Post reductionem è Babylon. cùm Populus & Sacerdotes in templo restituendo langvidissimi essent, submisit Haggæum, & Zachariam, & Malachiam, qvi stimularent.

3 Plu-

3 *Plerumqve autem cùm insignem aliqvam mutationem immissurus est Deus Mundo, aut Ecclesiæ, præmittit tum ostenta & prodigia varia, tum prophetas. Qvod colligitur ex Amosi dicto: Non facit Dominus Jehovah qvicqvam, nisi revelet prius secretum suum servis suis prophetis.* Amos. 3. 7. & Ioel. 2. 28. 30. 31. Ex. gr. Diluvium immissurus præmisit Noam: Sodomam subversurus Lothum: (sed & Abrahamo consilium detexerat): Pharaonem & Ægyptum puniturus, & liberaturus Israelem, Moysen & Aaron. Reformaturus per Davidem regnum Israelis, Samuelem præmisit; Nathanum verò & Gadum ut Consiliarios eidem adjunxit. Laceraturus idem regnum prænunciavit per Achiam, 1 Reg. 11. 12. 31. & 12. 22. Eversurus idololatriæ deditam Ieroboami domum per eundem, & alterum item, 1 Reg. 13. 1. & 14. 10. Excisurus regnum Israelis, per Oseam, Amosum, Micheam, alios: Regnum Iudæ, per Esaiam, Ieremiam, Ezechiel, Micheam &c. Ninivæ subversionem per Ionam & Nahumum. Reductionem populi Iudæ è Babylone, & Israelis totius ex omnibus mundi plagis, per varios. Verè itaqve dictum: *Nibil facit Dominus qvod non revelet.*

XX. *Omniáne sibi revelata semper intelligebant Prophetæ? Resp.* Qvæ illis per figuras repræsentabantur, ea si specialis declaratio non accessit, non intelligebant: ideóqve sæpè interpretationem poscebant. (Ut Dan. 7. 16. & 8. 15. Zach. 1. 19. Iohannes in Apoc. sæpius.) Aut qværebatur ex prophetis, num intelligant? qvi ignorantiam profiteri non erubescebant (ut Apoc. 7. 13. Dan. 8. 18.) Unde liqvidò constat, qvæ verborum aut typorum involucris proponebantur, à prophetis distinctè cognita non fuisse: adeò ut Petrus testetur, ne vaticinia qvidem de Christo (qvamvis in hoc salutis cardo versatur) perfectè illis intellecta fuisse: 1 Pet. 1. 10. Nec omnium, qvæ per Prophetas loqvitur Deus, intelligentiam, illis conferri, sed reservari qvandoqve aliis, ex eodem Petri loco patet: ubi dicit eos multa non sibi sed nobis administrasse ✝. 12. Qvod Angeli firmatur testimonió Dan. 12. 4. ubi venturô tempore promittit fore, qvi prophetias scrutentur, & cognitio augeatur. Plerumqve autem ab eventu demum prophetia lumen accipit: qvia tarditas nostra id demum, qvod ob oculos geritur, asseqvitur. Ideò Christus infirmitatis nostræ optimè conscius, expressè discipulis suis afflictiones prænuncians, subjunxit: *Hæc loqvutus sum vobis ut ubi venerit hora illa, recordemimini me dixisse id vobis* Iohan. 16. 4. Hinc Theologorum Canon: *Omnium vaticiniorum hæc est proprietas, ut priùs impleantur, qvàm intelligantur.* Addit nonnemo: *Tanta est cæcitas in hòminibus circa prophetias, ut nec repetitas sæpiùs intelligant satis, & ignorent eô ipso tempore cùm implentur.* Qvod exemplô parentum Christi ostendit, qvi admirabantur ea qvæ à Simeone & Anna de Christo dicebantur, licet eadem ab Angelis jam audiissent.

XXI. *Qvis ergò Prophetiarum usus, si tanta obscuritate involvuntur? Resp.* Finem & usum earum Qvæst. VIII. è Scriptura ostendimus. Neqve enim adeò obscuræ aut involutæ sunt unqvam, qvin scopus & res ipsa intelligi possit: sed tempus, locus, modus, veluti ænigmatis teguntur, donec complementô retegantur. Ideò prophetæ qvoqve ipsi, nedum alii, qvô ad circumstantias falli possunt. Sic Samuel sciebat unum ex filiis Isai regem fore (id enim dixerat Deus) sed in persona tamen errabat. 1 Samuelis 16. 6. Sic Daniel videbat ex calculo Ieremiæ libera-

 tionis

tionis annum venisse: at is ipse tamen num jam tum præsens annus esset, an seqventium aliqvis demum, ignorabat, ideò se precibus tradebat: Dan. 9.

XXII. *Si ergò aliqvam Prophetiam, aut prophetiæ partem, non intelligimus, qvid faciendum est? Resp.* Id qvod de Daniele jam dictum, conferendum est tempus tempori, Scripturaqve Scripturæ, & precibus confugiendum ad Deum. Ita enim Petrus: *Scitote nullam prophetiam scripturæ esse propriæ explicationis:* 2 Petri 1. 20. qvia nimirum idem ille spiritus, qvi Prophetas adspirat, prophetiæ clavem habet. Si nihilominus obscurum sit aliqvid, regulam qvam præscribit Moses seqvi consultissimum: *Quæ occulta sunt, penes Jehovam DEUM nostrum sunto: at qvæ revelata, nobis & filiis nostris sunt:* Deuteronom. 29. ℣. 29. Consultum item acqviescere edicto Christi: *Non vestrum est nosse tempora & opportunitates, qvas pater in sua ipsius potestate posuit.* Actor. 1. 7.

XXIII. *Præripuisti mihi illud Christi dictum: prolaturus id eram eò fine, ut Prophetiis & vaticiniis in universum potiùs abstinendum probem: cùm non nostrum sit nosse tempora? Resp.* Sanè, sed integrè verba recita: *Tempora & opportunitates, qvas in sua potestate posuit pater.* Ecce enim non omnia nobis eripit! sed ea solùm, qvæ sibi ipsi reservavit Pater. Et justum est, nos in iis qvæ nos ignorare vult pater cœlestis, non esse curiosos: at qvod offert ultrò, & pandit, id nolle videre (eò prætextu qvod in arcana Dei inqvirere non expetamus) summæ foret ingratitudinis. Nam tametsi Bethsemitæ propter curiositatem in inspectanda Fœderis Arca puniti sint: Achas tamen increpatus, qvòd à Deo signum acceptare sprevisset, Esa. 7. Artifex cùm futuri operis ideam amicô affectu alicui videndam & judicandam exhibet, is autem vel intueri contemnit, an non indignabitur? contemtum certè in se, & artem suam, redundare putabit. Qvomodo igitur Deus Zelô non ardeat, si qvum pro philanthropia sua de imminentibus judiciis suis homines præmonet, illi oculos avertunt? vide Actor. 13. ℣. 40. Mediam itaqve inter utrumqve extremum (curiositatem & stuporem) semitam ostendit Moses: *Quæ occulta sunt,* inqviens, *penes Jehovam Dominum nostrum sunt: & qvæ revelavit, nobis & filiis nostris revelavit.*

XXIV. *Ejusdemnè valoris & autoritatis sunt omnia Prophetarum oracula? Resp.* Ita: Prophetarum nempe Dei. Utut enim diversa sunt dona, idem tamen Spiritus: utut diversis loqvuntur verbis, ejusdem tamen Domini nomine: utut diversæ virtutes, idem tamen Deus sanctorum prophetarum nominatur. Apoc. 22. 6.

Proinde tametsi non omnium prophetarum sermones in canonem relati sunt, omnium tamen referri poterant, si ad manus essent. Et Nathan nimirum, & Gad, & Achias, & Semajas, & Iehu (de qvo 1 Reg. 16. 1.) & Elias, Elisæusqve & Iddo, & Iehaziel, & Azarias, & Hanani, & Micheas filius Iemla, & Micheas Maraschtites, & Uzias, & alii prophetæ qvorum in libris Regum & Paralip. fit mentio, eôdem cum cæteris jure Biblia ingredi poterant: qvia pariter ut illi (qvi prostant) non sui cerebri phantasmata, sed divinitùs inspirata oracula proferebant. Oraculis autem divinis qvâcunqve prolatis, æqvalis debetur reverentia, fides, honor. Ideò factum ut, impii etiam Balami ex afflatu Dei prolata in Canonem relata sint:

sint: Num. 23. & 24. Qvin imò Cajaphæ sermo, licet in unico duntaxat verbo lingvam ejus ad ministerium suum flexerit Spiritus S. Ioan. 11. 50. 51.

Sed DEUS pro sapientia sua, qvemadmodum nullam ætatem contestari intermisit, ita omnes junctim ætates infinitâ librorum mole obruere noluit. Qvælibet ætas ob præsentem necessitatem (si qvando incidat) suos prophetas; per omnes autem durans Ecclesia selectos illos ut habeat, qvibus pro fidei ac vitæ normâ (& si qvando DEUS novarum revelationum aliqvid submittat, aut permittat, pro lydio lapide) utatur.

XXV. *Habitáne est prophetis DEI ab omnibus fides?* *Resp.* Imò à paucissimis: pleriqve semper sunt reperti irrisores & contemtores. Ideò Christus convitia & persecutiones perpessos erigit prophetarum exemplô, Matth. 5. 12. Contemnebant autem & irridebant, imò perseqvebantur prophetas, non tam extranei qvàm domestici, ad qvos mittebantur, Luc. 4. 24. Nec aliqvi de plebe solùm, qvos ignorantia in errorem duceret, sed primores ipsi, Ier. 5. 4. Nec apertè impii tantùm, sed etiam pietatem professi & externè religiosi, Ezech. 20. 3. & 33. 30. 31. Imò qvi clavem scientiæ sibi vendicabant præ cæteris, Iesa. 42. 19. Unicus Ieremiæ fuit Ebedmelech (& is qvidem Æthiops) qvi & credebat revelationibus & patrocinabatur causæ & personæ: reliqvi in tota Ierusalem adversabantur. Nolebant enim adduci ut crederent Ieremiam à Deo missum esse, sed ab illo ita fingi, & à Barucho amanuensi ista ei suggeri; ut expressè illi objiciebant c. 43. ℣. 2. 3. Verbô, qvamlibet ætatem præsentes prophetas odisse, aut neglexisse saltem; seqventem demum in pretio habuisse (adeò ut non scripta solùm reqvirerent: sed & sepulchra colerent) è scriptura observamus. Omnia qvippe è fama videntur majora, qvæ intuitu vilescunt.

XXVI. *Tu de impiis narras, mihi de piis hominibus sermo fuit: utrum illi semper prophetiis habeant fidem?* *Resp.* Et qvis sibi impius videtur? verè etiam pii hîc errant, dum opus Dei non agnoscunt. Inter Crucifigentes Christum multæ erant electæ animæ, aliud in simplicitate cordis sui non reputantes, qvàm seductorem se medio tollere: sic enim à Pharisæis persvadebantur (vide Matth. 27. 20. Act. 2. 23. 37.) Plurimi & Ieremiæ tempore erant, qvi juxta cum Sacerdotibus & communitate pseudoprophetam illum esse suspicabantur, nec prius nisi Babylonem abducti, verè à Deo fuisse missum intellexerunt. Hinc Deus de piis pariter & impiis: *Qvum evenerit illud* (qvod prædico) *tunc scient prophetam fuisse inter eos.* Ezech. 33. 33.

XXVII. *An ergò non semper in evidenti est, qvinam Propheta à DEO missus sit, & ex spiritu DEI loqvatur?* *Resp.* Non est. Nam & per DEI atqve hominum hostem, Satanam, & per homines ipsos, negotium intricatur.

XXVIII. *Qvomodo per Satanam?* *Resp.* Bifariam. 1. Aliqvando insusurrat projectæ audaciæ hominibus, ut prophetas se profiteantur cùm non sint; & nomine Dei proferant, qvæ illis nunqvam revelavit Deus, neqve eos spiritu suô afflavit. Tales erant Achabi Prophetæ, inter qvos impudentiâ eminebat Zedechias, 1 Reg. 22. De talibus conqveritur Deus, qvod currant non missi, Ierem. 14. 14. 15. & 23. 91. 27. 15. Et cap. 28. describitur Hanania, qvàm confidenter in os contradicere ausus fuerit Ieremiæ. Tales Pseudoprophetæ nocentissimi erant Ecclesiæ tum,

cùm Deus prophetas veros emittebat. Qvia enim Deus suis fidem haberi postulabat, & isti se à Deo missos venditabant, fiebat ut multi ab istis præstigiatoribus decepti pro veris Dei legatis eos admitterent, veros excluderent: alii dignoscere ignari animis penderent, aut in utrumqve latus claudicarent. Major tamen pars adhærebat falsis, Ierem. 5. 31: eò qvòd omnia ad palatum carnis accommodabant, Ezech. 13. 18. &c.

2 Aliqvos ingreditur & obsidet corporaliter, ex illisqve proloqvitur & patrat, qvæ in imperitorum oculis mira videntur. Ut factum erat cum puellâ illâ pythonissa, de qvâ Actor. 16. 16. Hoc autem licet faciliùs cognoscatur, ut fraus patescat, homines tamen veri Dei ignari non animadvertunt. Atqve hîc verè Lucifer gloriam & nomen Dei intercipit.

XXIX. *Qvomodo verò homines seipsos hic intricant? Resp.* Duobus, sed contrariis, modis. 1 Alii qvidem indiscriminatim omnia pro divinis arripiendo, undecunqve aliqvid vel fama apportârit, vel corrupta alicujus phantasia suggesserit, aut etiam levidense aliqvod somnium objecerit, aut deniqve Diabolica fraus excogitârit, sine prævio sufficienti examine admittentes. Tales non possunt non decipi subinde: prudentioribus autem de omnibus suspicandi ansa præbetur. Qvod ut fiat, Deus qvidem permittit, ab istâ tamen indiscretâ cujusvis susurrantis aut mussitantis acceptatione ad Legem & ad Testimonium (ad Prophetas veros, Legi suæ testimonium perhibentes) suos revocat. Ies. 8. 19. 20.

2 Implicant se alii, dum ut fraudes declinent, omnes prophetas (& prophetias) declinant. Qvales apud Iudæos erant Saducæi, omnes Prophetas repudiantes, Mose exceptô: apud Christianos Manichæi, Augustinô teste. Sed hæc via non est via prudentum: qvia sic Deus cum Beelzebub unâ ejicitur. Nec unqvam Deus dixit: *Nullis credite prophetis, nullos audite; sed, Cavete vobis à Pseudoprophetis: Ne auscultetis verbis istorum Prophetarum, qvi visionem animi sui loqvuntur, non ex ore meo*, Ier. 23. 16. *Nec cuivis spiritui credite, sed probate spiritus an ex DEO sint.* 1 Iohan. 4. 1. *Prophetiam ne spernite: omnia probate, qvod bonum fuerit retinete*, 1 Thess. 5. v. 20. Hinc Peucerus: *Non omne divinationum genus promiscuè rejiciendum est. Imò scelus esset, & impietas contumeliosa in DEUM, velle ob eas præstigias, qvas operibus DEI adspergit Diabolus, derogare fidem propheticis testimoniis, aut negare qvæ in natura causus habent manifestas.* Peuc. lib. de divin. gen. pag. 6.

XXX. *Necesse itaqve fuerit notas & characteres, qvibus veri prophetæ à falsis dignoscantur explicari? Resp.* Benè mones: qvia enim Deus spiritus probari vult, probationis illius certa criteria exstare necesse est. Ostendam tibi notas alias essentiales, semper infallibiles; alias accidentales, qvæ per se qvidem fallere possunt, prioribus tamen additæ pondus eis addunt. Essentiales notæ optimè desumuntur è scopo & fine, ob qvem DEUS prophetas mittit: qvi (Qvæst. XIX.) triplex est indicatus.

1 *Ut Populus ad Idololatriam prolabens ad DEUM suum revocetur.*

2 *Ut Sacerdotibus & Ministris officium negligentibus, aut legem doctrinâ & vitâ depravantibus, Lex divina in vero suo sensu redintegretur.*

3 *Ut ad imminentes mutationes piorum animi præparentur.* Quæ tria in vero Propheta Dei necessariò concurrunt semper.

NB. *Verus itaqve, & ex DEI afflatu loqvens, propheta est, Qvi*

I. *Ad unum solum DEUM creaturarum mentes convertit.*

II. *Legem verò sensu inculcat, peccata & scelera exaggerat, comminationibus ad pœnitentiam adigit.*

III. *Paternum DEI Cor, in medio etiam irarum furore erga fideles, constans depingit; fideles ipsos patientia & viva in DEUM spei admonet; conservationem & liberationem ejusdem DEI nomine promittit; consilióqve, qvod durante tribulatione, & post, fieri conveniat, instruit.*

IV. *Qvartum tamen his annectendum infallibilitatis signum est* (à posteriori saltem) *Eventuum veritas.* Ita enim Ieremias vaticinii sui divinitatem & Chananiæ vanitatem, validissimè probabat: Ier. 28. 9. 6. *DEUS nempe* (ut Esaias loqvitur) *præstat verba servorum suorum, & consilia nuntiorum suorum absolvit,* Esaiæ 44. ℣. 21. Hinc de Samuele scriptura testatur: *DEUM non sivisse ullum ex sermonibus ejus decidere in terram:* ut inde cognosceret totus Israel, Samuelem stabilitum esse Prophetam Dei. 1 Samuelis 3. 19.

XXXI. *Ergòne omnia semper implentur, qvæ Phepheta veri prænunciant? Resp.* Non omnia. Nam spiritus prophetiæ non semper Prophetis adest: sed accedit & recedit, prout ei visum. Hinc de Prophetis legimus: *Et incessit eum Spiritus Domini. Et factum est ad eum Verbum &c.* Elisæus cùm excitare vellet spiritum prophetiæ in seipso, testudinem pulsari jussit, 2 Reg. 3. 16. Propterea non fuit à Prophetis reqvisitum, ut qvicqvid loqvuntur esset propheticum: sed inqvirebatur ab eis, *Num haberent verbum à Jehova,* Ierem. 37. 17. *aut rogabantur ut consulerent Jehovam, qvid in hac aut illa re facto esset opus,* Ierem. 21. 2. & 2 Reg. 19. 3. & 22. 13. Prophetæ autem poscebant aliqvando sibi aliqvot dies, donec invocantibus responderet Deus, ut Ierem. 41. 7. ubi decimâ demùm die verbum Iehovæ adfuisse sibi testatur propheta. Non itaqve deastros fingamus esse prophetas, sed organa solùm Dei: idqve in certis negotiis, ultra qvæ illis progredi non licet.

2 Observandum est, Prophetas qvandoqve non ex afflatu, sed de suo sensu, loqvi: & tum æqvè ac cæteros falli posse. Ita Nathan inconsultò DEO responsum Davidi dedit, qvod revocare debuit, 2 Samuelis 7. 3. Propheta ille Senex, cùm affabilis esse vellet, finxit revelationem: cui qvia credidit alter, malè illi cessit, 1 Regum 13. Homines itaqve cùm sint, falli possunt. Proinde non omnia qvæ loqvuntur, vel superstitiosè vel captiosè observari, sed qvæ jussu Dei proloqvuntur reverenter haberi, debent.

3 Tandem non omnia etiam Dei jussu pronunciata eventum sortiuntur: qvia Deus cùm sit misericors, iram qvandoqve misericordiâ commutat. Evidens est apud Ionam exemplum, qvi Ninivœ subversionem (post 40 dies determinatè) prædixit: nec tamen factum est. Iesaiæ Deus Hiskiam convenire & mortem denunciare, mandabat: nec tamen fuit mortuus. Ideò Petrus Martyr. *Interdum verorum etiam Prophetarum prædictiones non eveniunt.* (Loc. Com. p. 4.) Absit tamen cogitare

cogitare verbum DEI fallere aliqvando! non in eo, sed in nobis error est: DEUS enim sæpè conditionem interminationibus suis interponit, qvam si non exprimit (habet autem suas causas cur supprimat) nos absolutè eas intelligendo à scopo Dei aberramus, donec eventus decretum ostendat.

XXXII. *Acqviesco: Esto Deus semper verax & sapiens, nos autem cum tenebroso nostro intellectu erroribus obnoxii. Percense jam reliqvos verorum Dei legatorum Characteres. Resp.* Illi sunt, I. *Tempus*, II. *Locus*, III. *Persona*, IV. *Modus*, V. *Objectum*, *Prophetia*. Nam

I. Non semper Deus, nec qvôvis tempore, qvasi per ludum & jocum, hos extraordinarios legatos suos, & per eos extraordinariam suam vocem, mittit: *sed tùm* cùm insignis aliqva Ecclesiæ necessitas id flagitat: ut ad Qvæst. XIX. monitum. Nempe (1) cùm universalis qvodammodo Apostasia Ecclesiam vastat: (2) cùm ordinarium Ministerium per hominum negligentiam, aut Tyrannorum sævitiam, cessat: (3) cùm universales mutationes imminent. Qvæ omnia num sint præsentia tùm, cùm Propheta aliqvis surgit, piis considerandum est.

II. Mittit Deus prophetas ad Populum suum (Esa. 41. 23.) Nec jubet clàm in angulo susurrari, sed proclamari in loco conspicuo, ut sciri possit de qvibus præmoneat Deus (Esa. 45. 19.) *Non clam loqvor, non in loco terra tenebroso.* (Vid. ex Jerem. 7. 2.) Nec plebeculæ ista nunciari jubet, sed primoribus, penes qvos regimen Ecclesiæ est. (Mich. 3. 9.)

III. Utitur DEUS ad hoc opus personis simplicibus, piis tamen & rectis corde, tametsi nævis suis non carentes: eô fine, ut per humanam infirmitatem illustrius reddatur opus DEI.

IV. Modus procedendi itidem simplicissimus est, sine Ceremoniarum apparatu & pompa; qvam Pseudoprophetæ plerunqve adhibent, ut oculos præstringant.

V. Annunciantur à Prophetis veris non ludicra, futilia, aut etiam vulgaria, sed *magna & abstrusa*, ut loqvitur DEUS ipse Jerem. 33. 3. Nec obscurè & ambiguè, sed evidenter, *Qvid*, *Unde*, *Qvando*, *per Qvos*, venturum sit: qvæ etiam si non exactè semper capimus ante eventum, pòst tamen manifestissimè deprehenduntur ab illo solo prænunciata esse, cui ab æterno infallibiliter omnia nota sunt. Vide Ezech. 33. 33. Ezech. 41. 25. & 43. 9.

XXXIII. *Qvæ ergò Pseudoprophetarum nota sunt? Resp.* Eædem, si invertas. Nam. I. *Perpetuò illi à DEO abducunt.* Utut enim nomen DEI lingvâ proferunt, DEUM tamen prætergressi aliò tendunt sive ad Idola, sive ad Superstitionem, sive ad vanam in externis fiduciam. Id qvod ipse DEUS, technarum Satanæ optimè gnarus (Jerem. 23. 27.) testatur. *Hoc agunt*, inqviens, *ut obliviscatur populus meus nominis mei.*

II. *Abducunt à Lege: ea nimirum afferentes, qvæ à scripto DEI Verbo non dissonant solùm, sed ei contraria sunt.* (Etsi enim ad speciem verba DEI usurpare soleat Diabolus, non tamen aliò collimat, qvàm in Paradiso cœpit, ad inducendum Verbi contemtum: *Hem non sic erit, alium ista sensum habent &c.*) Hoc cauteriò Esaias pseudoprophetas signavit cap. 8. ℣. 19. 20.

III. *Non*

III. *Non quærunt homines ad pœnitentiam excitare, sed consopire potiùs in pravis consvetudinibus, & erroribus inveteratis.* Videantur loci Jer. 23. 11. 13. 14. & 7. 4. Et Ezech. 13. 18. Ieremiæ 8. 11. 12.

IV. *Prædictiones illorum non firmantur eventu: qvia non steterunt in consilio* DEI (Ier. 23. 22.) Ut enim DEUS verba servorum suorum præstat, sic irrita facit signa mendacium, & ex divinatoribus efficit stultos, infatuans scientiam eorum, Esa. 44. ℣. 25. 26.

Atqvæ hæ sunt infallibiles notæ pseudoprophetarum. *Sed & circumstantia fallaciam produnt.* Nempe:

I. *Si qvis ad prophetandum se proripiat nullâ id flagitante necessitate: Ecclesiâ benè ordinatâ, à Tyrannis qvietâ, Ministeriô officium faciente.* (Sic Salomonis tempore, cùm floreret Ecclesia, nullum prophetam missum legimus, nisi cùm declinare, & ad Idololatriam prolabi cœpisset, 1 Reg. 11. 29.)

II. *Si Idololatris aut superstitiosis prophetat, blanditiis sese insinuat; aut prophetias cantillat per angulos, lucem fugiens, & qvidem rudi plebeculæ, solidæ veritatis & scientiæ lumine destitutæ. Suos enim prophetas* DEUS (qvod valde notandum!) *semper ad Reges, & Sacerdotes, & Primores populi, quorum fuit cæteræ imperitæ multitudini præire, mittebat.* Evolvamus enim sacram historiam, qvantâ maximâ intentione, non aliud deprehendemus. (Rudibus enim & erudiendis ordinatum est Ministerium: qvod ne per Angelos qvidem, nedum per Prophetas, elevari vult, Actor. 10. 5. Prophetas verò mittit, si ordinarii illi scientes volentes officium non faciant, aut in peculiari aliqvo casu constituti consilium non reperiant.)

III. *Si subjectum prophetans nimis stupidum, aut nimis callidum sit, suspicione qvoqve non vacat;* ibi dementationis diabolicæ, hîc simulationis & figmenti.

IV. *Si Propheta nimis pomposus sit, videri quærat, ceremonias & gestus insolitos adhibeat, excandescat & indignetur fidem derogantibus* (ut Sedechias 1 Reg. 22. 24. *validum est indicium, non à bono spiritu agi, sed à præstigiarum magistro.*

V. *Si nihil affertur quod sciri* DEI *& Ecclesiæ intersit, sed generaliter, obscurè, confusè aliqvid prædicitur;* certum est signum non ab illo DEO *proficisci, qvi magna & abstrusa communicat servis suis* (Jerem. 33. 3.) *neqve ab illo* DEO, *qvi Pater est luminum, &* DEUS *ordinis, & qvi nihil clàm loqvitur.* Esa. 45. 19.

Diabolus enim certè, qvamvis aliqvid prænunciet, non tamen ad speciem it si sapit: qvia infallibiliter futurorum circumstantias non novit. Si videtur aliqvid conari, non nisi verborum ambiguitate ludit, & illudit. Si impudens esse pergit, & specificè determinat, mox fraus eventuum frustratione patescit.

XXXIV. *Statuere videris, nihil eorum quæ Diabolus prædicit evenire. Atqvi* DEUS *à pseudoprophetis præmonens dicit: Qvamvis eveniat signum aut prodigium quod prædixerat &c.* Deut. 13. 2. R. Signum aut prodigium prædicere, non est futurum aliqvod annunciare in Regnorum & populorum mutationibus: (id enim uni sibi vendicat DEUS immotè, nec prophetis mendacibus, & divinatoribus, concedi patitur Esa. 42. 8. 9. 20. & 44. 6. 7. & per totum:) *sed promittere præstare aliqvid* qvod in oculis vulgi mirum videatur, eáqve ratione eos obstupefaciat & dementet (cujusmo-

-jusmodi erant Jannis & Jambris prodigia, qvibus fascinabant Pharaonem) ludibria & præstigiæ diabolicæ. (*NB.* Naturalia qvidem prædicere potest diabolus, cùm Physicus sit exqvisitus; sed & de sublimioribus & abstrusioribus illis aliqvid, qvaliter DEUS judicia sua exerciturus sit. At id non nisi conjecturis generalibus: aut qvia videt qvæ DEUS per vera sua organa denuntiat, arripit de his aliqvid, & per sua mancipia (Simia enim DEI est, facta ejus obscurare qværens) eadem propalat, admixtis tamen mendaciis & imposturis, utpote veritatis æternus hostis, Ioh. 8. 44.)

XXXV. *Qvò tempore potissimùm Diabolus Pseudoprophetas protrudere solet? Resp.* Si attentè Scripturam consulimus, non nisi tùm cum DEUS suos emittit: est enim Satan, id est adversarius, qvi divinis operibus sua opponit, vel apponit, ut similitudine fallat. (Qvod historiæ testantur. Excitavit DEUS Mosen: mox huic ad latus Diabolus Iannem & Iambrem posuit. Exod. 7. A Mose ad Samuelem nulli mittebantur veri Prophetæ; nec de falsis legimus. A Samuele ad captivitatem plurimi erant Prophetæ DEI, vel centeni simul (1 Reg. 18. 4): itidem pseudoprophetarum greges (ibid. ℣. 29.) A reditu ad Christum intermisit DEUS Prophetas suos mittere: intermisit & Satan (nullius enim ulla extat mentio.) Apparuit Christus Messias, prodierunt mox etiam pseudo-Christi. Simon magus. Ægyptius qvidam Ben-Cosba &c. Eusebius etiam ubi veros qvosdam Novi Testamenti Prophetas recenset, pseudoprophetissarum Montani meminit, Lib. 5. 16.)

Liqvet inde Satanam simiam tantùm esse DEI, ejusqve facta perversissimò studió imitari. Tum seqvitur, qvocunqve tempore Satan emissarios suos in theatrum producit, eodem tempore Divinos etiam circumspectandos esse: cui aliàs illi satellites suos opponeret? cui lumini obscurando nebulas suas offunderet? contra ordinarium Ecclesiæ ministerium, habet ille ordinarium suum iniqvitatis mysterium: qvod illi satis lucrosum est aucupium. Extraordinarios non mittit, nisi DEUM mittere videat: qvia illi inter filios DEI illabendi studium (Iob 1. ℣. 6). Expressè etiam Christus docuit, eum zizania sua tritico DEI admiscere (Matth. 13.) Ubi ergò Triticum, ibi Zizania: ubi Zizania, ibi Triticum.

XXXVI. *Eò delabimur ut qværere necesse sit, Durentne in Ecclesia Nova revelationes? Possitne id tutò credi? Resp.* Ambigere qvosdam videmus, imò controversias movere: sed consulamus Scripturam. 1 Evidentissimum est Joëlis vaticinium: *Erit autem post hac effundam spiritum meum, & prophetabunt filii vestri.* &c. Qvod apertè ad N. Test. tempora Petrus accommodat (Actor. 2. ℣. 17.) extenditqve usqve ad Christi reditum.

2 Christus (Sapientia illa DEI) dixit: *Mittam ad vos Prophetas & Apostolos* Luc. 11. 49: ut ergò Apostolos sic & Prophetas misit & mittit.

3 Testatur id Paulus: *Constituit* (inqviens) *DEUS in Ecclesia alios qvidem Apostolos, alios Prophetas, alios Doctores &c.* 1 Corinth. 12 ℣. 28. Et Ephes. 4. ℣. 11. *Cùm ascendisset in sublime, dona dedit hominibus, alios qvidem Apostolos, alios Prophetas.*

4 Lucas in Actis qvorundam meminit expressè: ut *Juda & Sila* cap. 15. 32. Capite verò 11. ℣. 27. ita scribit: *Per id tempus descenderunt ab Hierosolymis Propheta*

pheta Antiochiam. Et ne prophetarum interpretes intelligas, subdit: unus ergò ex illis, nomine Agabus, surgens significavit per spiritum, famem futuram &c. Et annon Johannes Evangelista magnus Novi T. propheta fuit?

XXXVII. *Non benè controversiæ statum percipis. Nemo in N. T. Prophetas fuisse negat: sed hodie non dari. Fuisse enim Apostolorum tempore donum temporarium, ut & miraculorum fides: sed propagatâ & stabilitâ fide cessasse utrumqve. Resp.* Ubi id scriptum est? Ostendant apicem, ego contrarium ostendam.

I *Primò enim promittit DEUS gratiam hanc, apparendi Ecclesiæ, æternam fore.* Cùm enim apud Ieremiam rejectionem Israeli minatur, & ultimis temporibus recollectionem iterum promittit, dicit conversos illos recordaturos esse pristini favoris DEI, qvàm familialiter apparuerit olim patribus (Ierem. 31. ℣. 3.) sed respondet DEUS, *Imò dilectione perpetuâ diligo te.* Et mox (℣. 7.) prodire jubet servos suos & annuntiare Iacobo læta. &c. Qvibus verbis non obscurè DEUS sub tempus ultimæ conversionis Iudæorum (qvæ nondum facta est, sed appropinqvare creditur: qvippe reditus è Babylone Cap. 30. fuit præmissus, hîc autem, Cap. 31, illa universalis recollectio, qvæ post Christi adventum futura prædicitur) extraordinarios legatos promittit.

II. *Petrus Joëlis dictum explicans* (Actor. 2. 16.) *non ad solam tùm præsentem effusionem accommodat, sed ad totum N. T. cursum extendit.* Qvod inde patet. Primò, qvi vocem *posthac*, in has mutavit, *Et erit ultimis temporibus.* Ultima verò tempora, annescimus totum Evangelii cursum indigitare? (2) qvia effusionem illam spiritus super omnem carnem, usqve ad extremum judicii diem extendit (℣. 20.) (3) Parallelô locô id probatur. Qvod enim David Psalmo 2. scripsit: *Quare fremunt gentes,* id Apostoli ad furores hostium sui temporis (Herodis, Pontii Pilati, & Pharisæorum) accommodarunt, Actor. 4. 25. At qvis tam iners est, qvi inde inferre velit, istius Psalmi vaticinium tum impletum, ad tempora seqventium persequutionum (Neronianæ, Decianæ, Antichristianæ &c.) trahi non debere. Imò contra, qvia Apostoli ad tempus N. Test. accommodarunt dictum id, tutissimè nos idem de omnibus ubiqve conjuratis & furentibus Christi hostibus intelligimus. Cur ergò Joëlis vaticinii non par sit ratio? Præsertim (4) cùm Visionum & Somniorum fiat promissio: in effusione verò illâ Spiritus Sanctus non somnia aut visiones erant, sed sublimior, interna puta, irradiatio, qvâ in momento multarum Lingvarum & profundissimorum Mysteriorum gnari reddebantur. *Plus ultrà* ergò vaticinii complementum se extendit, ut nimirum per somnia qvoqve & visiones, Spiritus Sanctus mysteria in N. T. revelet omnimodè. Nihil enim aliud Petrus dicti vaticinii allegatione ostendere laborat, qvàm gratiam revelationum DEI à Judæis ad Christianos jam transferri. Qvod eôdem modô antiqvos Ecclesiæ Doctores intellexisse, mox patebit.

III. *Angelus in Apocalypsi Ioannis, & fratrum ejus prophetarum, conservum sese appellat* (*Apocalypsi* 22 ℣. 9.) eô ipsô innuens donum prophetiæ ita dispensari, ut perpetuum qvodammodo sit in Ecclesia: ut & illi perpetuò conservi nostri esse gaudent.

IV. *Nemo deniqve hactenus doctorum Ecclesiæ, ab Ecclesia prophetiæ donum planè ablatum esse, docuit. Contrarium unanimi penè consensu scribunt omnes.*

Justinus Martyr (in Tract. adversus Judæos) hæc habet verba, *Apud nos huc usqve prophetica extant dona: unde & vos intelligere debetis, qvæ olim in Vestro grege fuerunt, ea in nos esse translata.*

Euseb. lib. 4. c. 17. eundem Justinum citans eidem sententiæ subscribit. Et lib. 5. c. 16. aliûs insignis doctoris Miltiadis librum de prophetis N.T. allegans qvosdam, ut Qvadratum & Ammium, nominat.

August. tom. 9. p. 81. hæc habet verba: *A Prophetiæ dispensatione nulla tempora cessaverunt.* Item tom. 3. p. 139. *Cessavit qvidem veteris prophetiæ donum: loqvitur tamen & nunc futura in sanctis suis DEUS, qvando sibi placet.* Consonant & recentiores.

Luth. in c. 7. Gen. (folio 128 Jenensi) *Revelationes divinæ nunc non nisi in specialibus negotiis, & rarissimè, fiunt.* (Fiunt ergò.)

Ioh. Calvinus locum Apostoli Eph. 4. 11. explicans ait: *Prophetas* vocat, *non qvoslibet divinæ voluntatis interpretes, sed qvi singulari revelatione excellebant qvales nunc vel nulli sunt, vel minus conspicui!* (Non ergo nulli. Præcesserant enim Verba: *Apostoli, Prophetæ, Evangelistæ, extraordinarii sunt: qvos initio regni sui Dominus excitavit, & suscitat etiam interdum, prout temporum necessitas postulat. Calvinus Instit. Religion. Christian.* lib. 4. c. 3. §. 4.)

B. Aretius in Locis Com. 94. *Cur autem hoc donum successu temporis in Ecclesia desiit?* Resp. *Primò, Temerarium est negare in totum Ecclesiæ, etiam hodiernæ, hoc donum propheticum. Et licet obscuriores sint, tamen non dubitandum est qvin sint. Et possent produci piorum virorum oracula planè prophetica, qvæ eventus comprobavit. Rarius tamen hoc donum jam esse, facilè concedi potest.*

P. Martyr. loc. Com. folio 4. *Prophetas hodie in Ecclesia, qvi ita sint θεοδίδακτοι, etiamsi fortè sint aliqvi, tamen non arbitror esse multos. Inprimis enim DEUS initiis nascentis Ecclesiæ Prophetas excitavit &c.* (Qvid autem si & renascenti, & è Babylonica submersione emergenti?)

Et qvorsum plura? Dicant qvi contrarium statuunt, qvâ fiduciâ his Ecclesiæ luminibus præjudicia sua opponere audent?

XXXVIII. *Si ergo Prophetæ non cessârunt, ostende qvinam, aut ubinam, intra hos 1300 annos erant? R.* Qvamvis ostendere neqveam, non tamen inde seqvitur nullos fuisse. Imò evincas licet fuisse nullos, non tamen evinces nullos etiam fore. Qvæ enim conseqventia: *Conticuit aliqvot centenis annis Prophetica vox, Ergò æternum silebit?* Nam & apud Israëlitas jam clariorem, jam obscuriorem fuisse, jam aliqvot seculis siluisse: nihilominus tamen ubi Deo visum rediisse, antè vidimus. Qvid autem mirum si annis 1260, qvibus calcanda tradita fuit urbs sancta gentibus, donum hoc fuit imminutum? (Apoc. 11.) Sed nec difficile esset historias producere, etiam in mediis illis Ecclesiæ tenebris peculiari afflatu qvosdam animatos fuisse, qvi crescenti impietati iram, & pœnas Dei horrendas, denuntiarent, Ecclesiæqve liberationem prædicerent. Qvid autem ad remotiora provocare opus? qvum non desint propiora exempla, qvid nostris his diebus, & nostris in oculis, operari dignatus

tus sit Deus? unde liqvidò satis, philantrophiâs frontem nondum exaruisse, colligi potest.

XXXIX. *Qvò tendas video. At id ipsum controversum est: utrum pro divino haberi debeat? Resp.* Qvicunqve hactenus seriò rem inspexit, & cum timore Dei perpendit, vix dubitat qvidqvam. At cui judicare integrum est anteqvam judicavit, & causâ indictâ decernere tamen, abundare illi qvidem sensu suo licebit: sed veniet Dominus, qui illustrabit occulta tenebrarum, & manifesta faciet consilia cordium: atqve tunc laus erit unicuiqve à Deo (1 Cor. 4). Judæi & Seniores Jerosolymitani, simul atqve novi atqve inusitati aliqvid cum Iohanne Baptista emicaret, miserunt Sacerdotes & Levitas inqvisitum, qvid rei esset: modernis autem Ecclesiæ Senioribus non vacat inqvirere &c. avertunt oculos & aures. Hoc unô priscis illis similes, qvòd novo spiranti flatui non intermittant obsistere, dicendo *Cur baptizas?* cùm tamen qvæstio *Tu qvis es?* præmitti debeat.

XL. *Desine zelare: potiùs in lenitate spiritûs mihi argumenta, aut rationes, qvibus revelationes illas novas à fuco & errore vindicari posse putatis, ostende. Resp.* Qvia charitas jubet, imò cogit, causæ bonæ non deesse, simplicioribusqve ab errore (in qvem eos aliorum rapiunt vel immatura præjudicia, vel informationes falsæ) cavere, faciam qvod faciendum est.

Qvicqvid hactenus judiciorum de Christin. Poniatov. Visionibus auditum est, eò tendunt, illas fuisse vel *Simulationes*, & cerebri (sui aut alieni) figmenta; vel *Phantasiâ* morbo corruptæ *Imaginationes* vanas; Vel *subtiles Diabolicas fraudes ac præstigias*; vel deniqve *Illustre* DEI opus. Si ergò nec Simulationes, nec Phantasias, nec Præstigias esse, demonstratum fuerit, relinqvetur DEI esse opus. Qvod tamen insuper peculiarem qvoqve & validam admittit demonstrationem.

XLI. *Ostende igitur, simulata non fuisse? Resp. Hic ad Rationis & Charitatis trutinam provoco.* Rationis, & nostræ ut testium, & tuæ ut judicis. Qvid enim, per DEUM, tamnè obesæ naris fuimus omnes, qvi totô illô tempore (ultra annum) ei conversati sumus, curiosissimè in omnia intenti, ut nullum subodoraremur fucum? Qvis credat puellam unam tot matronis, & tot viris, imponere potuisse? Si qvi tamen nostræ diffiditis attentioni, ipsimet vobiscum hæc perpendite.

I. *Qvanam simulatio sensus omnes exuere, aut redinduere potuerit, qvoties vellet?*

II. *Qva simulatio 30 aut 50 validissimos epilepticos paroxysmos (sine vita & valetudinis dispendio) sufferre potuerit?*

III. *Qva simulatio ecstasi interveniente, vel medium paroxysmum interrumpere, duas, tres, qvatuor, qvinqve horas, plenô lætitia spectaculô uti, finitâ autem visione morbum reassumere, potuit?* Id enim sæpè factum: non clam, semper in testium fide dignorum corona, qvi alii atqve alii, Politici Theologis permisti. Impossibile certè (qvamvis talia simulari possent) tam diu & tam accuratè simulari, qvin se fucus, si ullus subesset, prodidisset.

Charitatem qvoqve appello: de qva Apostolus, Charitas non cogitat malum, omnia

omnia credit. Cui ergò ſcintilla charitatis ineſt, deſinat tam nefandi flagitii, ſive illam piè prognatam, piè educatam, verè Deum timentem virgunculam; ſive nos ejus teſtes, inſimulare, ut tam ſcelerata perverſitas (ludificandi Eccleſiam) vel in mentem venerit nobis. Et qvis ejus rei nobis fructus eſſet? Confuſio in hominum conſpectu, & Dei ira.

XLII. *Eſto, non ficta eſſe illa: Sed audesnè propugnare morbi Phantaſmata non eſſe?* *Reſp.* Triumphat hîc Medicorum non nemo, merè paraphyſicas, evanidas imaginationes eſſe dictitans, & plauſibilibus (ut videntur) rationibus colligens. At ut demus morbum fuiſſe naturalem, imò & Ecſtaſes epilepticas; Viſiones tamen & Revelationes, qvæ per Ecſtaſin fiebant, non à læſione facultatis imaginativæ, ſed à peculiari & immediatâ Dei, vel Angeli boni operatione proveniſſe, certis rationibus probatur. Melancholicarum nempe paſſionum cum his revelationibus collatione inſtitutâ. Nam

1 *Melancholica ſpeculationes, utut inuſitati aliqvid ſibi fingunt, illud tamen plerumqve monſtroſum aliqvid eſt & abſurdum.* Noſtræ autem huic per viſionem talia imprimebantur, qvæ non puellare ſolùm, ſed ingenioſiſſimi cujuscunqve acumen longè ſuperant.

2. *Etiamſi aliqvando Melancholia aduſta ſpiritus animales exacuat, ut puriſſimi ſpeculi inſtar puriſſimas recipiant imagines, id tamen in hoc ſubjecto fieri non potuit has ob cauſas.* *Primò* qvia non eſt ſubjectum ad tales paſſiones accommodatum, utpote nihil de Melancholico temperamento participans. *Secundò* fiunt in Melancholicis ſpeculationes rerum jam ante impreſſarum, pro cujusqve ſtatu & profeſſione (Sic Monachi de purgatorio, miſſis &c.) At qvid noſtræ unqvam fuit rei cum Apocalypticis revelationibus? Suſpicatus eſt Medicus eam, cùm in exilio nata & educata ſit, naturali vindictæ deſiderio ferri; & cùm inter Theologos ageret vitam, non potuiſſe non audire conſolationes varias ex verbo Dei: legiſſe etiam Johannis Apocalypſin; unde tandem imaginationes iſtæ progenitæ ſint. Sed vanæ ſunt conjecturæ. An enim religionis Zelus tantus, qvi in vindictæ cupidinem exardeſcat, in hanc ætatem & ſexum cadat, neſcio: hoc ſcio, qvod Ariſtoteles docuit; *Ab aſſvetis non fieri paſſionem.* Si ergò in exilio nata, veriſimile eſt langvidiſſimum in illâ fuiſſe vindictæ Zelum, utpote qvæ libertatem nunqvam guſtavit, aut diſcrimen novit. Alii certè cuipiam recens in exilium ejecto, ob doloris vehementiam, fortes ejuſmodi imaginationes obvenire debebant, ſi huic rationi ponderis aliqvid ineſſet. Nec inter Theologos educata eſt, ſed in Gynæceis: ubi qvàm ſint vernantes puellæ de illis qvæ mundus agit, aut Eccleſia patitur, ſollicitæ, per ſe patet. Crebram qvoqve Bibliorum lectionem fruſtra ſuſpicatur, qvæ illam nunqvam ex profeſſo legiſſe ſolidâ inqviſitione deprehenſum eſt.

3. *Melancholica cogitationes, ut ſe in objecto certo figunt, ita hærent, nullâ, aut confuſiſſimâ certè, varietate.* At in viſionibus noſtræ admiranda rerum & verborum varietas eôdem ſemper ſcopô immotè. Etiam ipſi geſtus varii qvidem, at decentiſſimi, & rebus accommodatiſſimi. Verbi gratiâ; cum plagis mundi ſe obverteret

teret (mandata dans, aut venientes inde exſpectans) nunqvam intuitu aberravit; ſexcenties id obſervatum: cùm tamen extra ecſtaſin mundi & regionum ſitum planè ignoret. Pſalmorum & Scripturarum ad res ſubjectas accommodationem mirari ſatis neqvimus: qvia certum eſt neminem Theologorum, qvantâvis præmeditatione, tam artificioſas applicationes invenire poſſe, qvæ tamen hîc omnia extemporanea.

4. *Melancholia qvodcunqve ſemel occupavit cerebrum, non dimittit, niſi remediorum ope ſubmota.* Hæ autem Ecſtaſes & Viſiones accedebant & recedebant, reliqvô eam tempore talem, qvalis naturâ eſt, relinqventes. Atqve divinâ providentiâ factum eſt, ut qvamvis eam Medici (ecſtaſes ſiſtere volentes) curæ ſuæ tradi poſtularent, tandemqve impetrarent, ſemel & iterum etiam manum admovere tentarent, admovit tamen nemo: opus autem ſolemniter peractum, ſolemniter deſiit, Valetudine perfectâ puellæ redditâ.

5. *Melancholici qvamdiu Phantaſticâ imaginatione detinentur, tam diu Phantaſmata ſua vident & defendunt: liberati nihil eorum meminerunt, vix referentibus fidem habent, pudoreqve ſuffunduntur.* Hîc memoria antè, in, & poſt ecſtaſin, ſemper eadem, exacuta tamen mirum in modum.

6. *Phantaſia realem effectum poſt ſe nullum relinqvit*: eô qvòd nihil niſi evanida imaginatio eſt. Noſtra verò qvicqvid per viſionem accepit futurum eſſe, eventu ipſô comprobatur ſemper. Si nihil aliud in exemplum memorem, qvàm rediturae Ecſtaſeos prædictiones, ſatis erit. Qvæ enim tam harmonica melancholia eſſe poteſt, qvæ ſibi ipſi terminos, dies, horas, menſes (in futurum etiam) figat, nec aberret unqvam? Alia prætereo.

7. Qvid inter Phantaſiæ delirantis ludibria & luciddiſſimas viſiones interſit, in hoc ipſo ſubjecto monſtravit Deus, dum ei (26 Aprilis anni 1628) delirium verum immiſit, qvod triduo integro duravit, ut in hiſtoria ſuo loco videre eſt. Qvis qvæſo credat, & mentem ſanam (qvali extra Ecſtaſeos horas conſtanter prædita fuit) & clariſſimas illas in Ecſtaſi viſiones, & confuſiſſimum hoc delirii chaos, in eodem cerebro competibilia fuiſſe?

8. Tandem, doctiſſimus Peucerus (in libro ſuo *de Divinationum generibus*) clarè docet: *Credendum non eſſe à ſola Melancholia ullas Ecſtaſes & revelationes poſſe provenire, ſed aliunde aſpirari ſemper: nempè à ſpiritu bono vel malo. Atqve ita ſemper eſſe vel divinas vel diabolicas: qvas diſcernere* Eccleſiæ eſſe ait, & gnoriſmata certa ponit. Hujus ergò excellentiſſimi Phyſici canonizatam qvodammodô autoritatem modernis Naturaliſtis opponimus.

XLIII. *Qvomodo ergò probabis diabolicas non eſſe? R.* Facillimè. Nam: Primò, Nullum vel minimum exſtat veſtigium diabolicæ operationis. *Non ignoramus Satanæ machinationes*, inqvit Apoſtolus, ſcimus qvò collimet ſemper: nempe ad ſeparandum homines à Deo. Qvod obtinet ad extrema deducendo. Aut enim Superbiam homini inſufflat, ut elatus in ſeipſo deaſtrum ſibi ſe conſtituat, & cum Lucifero ſolium ſuum ſupra Deum exaltet, poſteaqve in abyſſum cum eo ruat: aut deprimit hominis animum, ut ſe infra Creaturas

turas

turas abjiciat, timorem, spem, oblectationem summam, in iis collocet, atqve ita se in rebus qvæ umbra sunt defigens, unà cum illis evanescat. Hi sunt perpetuò fines omnium ejus præstigiarum! ad qvos obliqvè licet tendat, tendit tamen, nec aliter potest. Impurus certè ille spiritus est, non potest non sordes relinqvere qvàqvà transit: mendax est, non potest non mendaciis veritatem conspurcare: homicida est, non potest non exitio animas implicare: blasphemus est, non potest non detrahere majestati Dei: abjuratus hostis Dei est, non potest non abducere ab eo Creaturas. At ubi hîc vel tenuissima horum indicia? Nulla planè.

Object. Ast, inqviunt, *Occultat se millo artifex.* Resp. Qvò fine, si nihil adferat præstigiarum, & meras tractet scripturas, merè ad Deum fidelium convertat spes? Non tam modestus est, qvi tam diu, tam fideliter, tam gnaviter, serviat Deo & sanctis ejus: nihil nisi talia, qvæ in istius honorem, horum solatium, spectant, proponendo.

2 Sed qvamvis vellet, impossibile tamen fuit Diabolo tanta præstare: Impossibile inqvam: I Tamdiu ementitam Angelicam lucem retinere, & ingenium occultare: qvin veritati mendacium, religioni superstitiones, gravitati histrionicam levitatem, admiscuisset. II Tàm exactè stili prophetici characterem imitari, impossibile est Satanæ: nec enim alibi hactenus ullum edidit specimen. III Impossibile tàm crebrò, imò continuò, ardentissimis in nomine JESU CHRISTI fusis precibus (qvaliter hîc jam inde ab initio Visionum fiebat) præsentem adesse. Resistite Diabolo & fugiet à vobis, inqvit Apostolus Jacob. 4. 7. Qvomodo autem resistitur ei, nisi per precationem & jejunium? (Matth. 17. 21.)

3 *At confidimus, qvamvis potuisset exercere has tantas præstigias Diabolus, non tamen id ei permissuram fuisse bonitatem* DEI (sicut non permisit hactenus) in Ecclesia vera: si enim unqvam permissum est, non nisi inter Idololatras permissum. In Eliæ tempore permisit Deus Satanæ prodire, & esse spiritum mendacii in ore pseudoprophetarum, ad seducendum: *Qvem?, Achabum desperatum*, qvi cum veros Dei prophetas audire nollet ut servaretur, immissus est spiritus vertiginis, qvò ad debitas traheretur pœnas. Prædixit & Paulus in N. Test. efficacitatem erroris ad seductionem; at qvorum? Eorum, inqvit, qvi amorem veritatis non receperunt. 2 Thess. 2. Tandem, etiamsi fortè vellet Deus in ipso Ecclesiæ meditullio histrionicam ejusmodi Satanæ permittere, incredibile tamen est eam permitti eò tempore, cum ad extremas angustias piorum reliqviæ redactæ nil nisi suspirant, noctesqve diesqve gemunt, omnem spei anchoram in sola una misericordia Dei defigentes, cœlos clamoribus fatigant, & vitam potiùs qvàm Deum amittere parati, persecutionum fluctibus hinc inde miserè jactantur, qvotidie ut oves ad mactandum reputati: eos inqvam, ut Deus istò tempore Satanæ fascinandos tradat, inconveniens id philanthropiæ divinæ, inconveniens robori fidei nostræ, qvæ mundum vincit, & inferos fugat.

XLIV. *Video hac de re judicium esse difficile: ecqvid ergò faciendum tandem?* Resp. Si tibi non aliud suppetit, modestiam Pharisæorum imitare, qvi cum Pauli causam

sam meliorem, qvàm initiò putabant, viderent, exclamarunt, *Nihil mali invenimus in homine isto: qvòd si spiritus locutus est ei, seu Angelus, ne repugnemus DEO*, Actor. 23. ✝. 9. Qvid nunc laudis sperabunt Veritatis doctores, ne tantùm qvidem moderationis, qvantâ tunc Veritatis hostes usi adhibere volentes?

XLV. *Ergone rus DEUM Prophetas iterum emittere credam fundebis? Resp.* Audivisti jam Prophetiæ donum ab Ecclesia nunqvam esse ablatum, licet aliqvando minus sint conspicui, & celebres, prophetæ. Qvid verò si Deo suæ sint causæ, ut magis conspicuos jam prodire velit.

XLVI. *Cujusmodi illa essent causa? Resp.* Deum ad rationes vocare non facile est homini. *Qvis enim cognovit mentem Domini, aut qvis consiliator erit ei?* (Rom. 11. ✝. 36.) Multa sunt in operibus Dei, imo infinita, qvorum causas & rationes non capimus: ideóne elidenda? Jobi liber multis dehortatur mortales, ne ad rationis suæ trutinam Creatorem suum revocare tentent, qvia res plena periculi. *Interim si cogitemus easdem nunc Deo esse posse causas, qva olim* (ut Qvæst. XIX explicatæ sunt) *qvid erit absurdi? Annon universa Ecclesia sub Antichristi horrenda tyrannide miserrimè laborat? Annon ordinarium Ministerium multis in provinciis dissipatum est planè? Annon Apostasia universalis inundat totas Ecclesias? Annon desperabundi pleriqve animis concidunt?* Qvid si jam DEUS zelò furoris accensus adversus hostes se accingat? facturumnè putas, ut non prius consilium suum revelet servis suis prophetis? ut non prodromos iræ suæ, ostenta & prodigia varia (impiis in horrorem, suis in solatium) præmittat? Antichristi sanè interitus ex Daniele & Apocalypsi longè certissimus est, qvem omnes creaturæ anxiè qvidem & confidentissimè, exspectant; at tempus interitui destinatum incertum. Licet enim in utroqve illo (Daniele & Apocalypsi) certi temporum characteres extent: nemo tamen hominum propriò acumine eousqve penetrat, ut has sufficienter explicare, & infallibiliter applicare, possit. Qvid ergò mirum, si Deus ipse (cujus solius est arcana sua recludere, qvando & qvomodo vult) facem illustrandis illis qvæ obscura nobis manerent, inferat? Certè Calvinus, Martyr, & alii expressè docent, *Prophetarum Novi Testamenti præcipuum munus esse, vetera prophetarum vaticinia ad præsentem Ecclesia statum accommodare*: id qvod hîc fieri videmus.

XLVII *Jam tandem ergò, qvid divini Visionibus* Christinæ Poniat. *insit, profer. Resp.* Omnia, meò judiciò; nempè *Res, Stylus, Constantia insuperabilis, Eventuum veritas, & Conscientiarum testimonium.*

1 *Res enim magna sunt & sublimes, regimen Mundi & Ecclesia concernentes*: sunt & *abstrusa*, omne politicum, imo humanum, acumen excedentes: sunt & *sancta*, non terram & terrena redolentes, sed ad DEUM & æternam in eo spem fidelium animos elevantes. Deniqve *harmonia inest summa*, tàm revelationum harum inter se (licet diversissimis typis & verbis conceptæ sint) qvàm cum universa Scriptura Sacra. Non itaqve nisi ab uno eodemqve sancto Spiritu provenire possunt. Falsum enim vero nunqvam per omnia consonabit; sed qvæ à DEO sunt, ordinata sunt.

2 *Stylus est Propheticus verè, ut vident facilè, qvicunqve in Scriptura exercitatos habent sensus.* Et fluxit à Spiritûs dictamine. Vidimus enim & testamur, nullum alium fuisse puellæ laborem in conscribendis hisce, præter calamum tenere manu. Non ita hîc fuit ut dum humanâ industriâ aliqvid scribitur: ubi præmeditari necesse habes, qvid, qvô ordine, qvibus signis & emphasibus, singula exprimere velis. Redireqve necesse est subinde ad priora, & conferre cum illis posteriora, ne qvid deficiens, redundans, secum pugnans, hiulcum sit: ideoqve hæc & illa adduntur, demuntur, transponuntur, infinitâ liturâ; qvia industriæ nostræ posteriores cogitationes semper videntur meliores. Hîc una qvæqve Visio ut exarari cœpta est, ita effusa in chartam, vix unqvam revisione adhibitâ: talis hîc dictator, qvi verè testari possit, *Qvod scripsi, scripsi.* Annon hîc immutabilis DEI vestigium?

3 *Rectum est verbum Iehovæ, & omne opus ejus constans*, inqvit Psal. 33. ℣. 4. A Constantia igitur, Verbum hoc Iehovæ esse, argumentabimur solidè. Omnia enim examina & censuras sustinuit & perrupit hactenus: Examina dico, humana, diabolica, divina.

Humanum examen primum fuit Parentis ejus, Theologi solidi, & Revelationum neotericarum oppugnatoris acerrimi: qvi tùm per literas, tùm coram (ut ex historia videre est) dehortationibus, obtestationibus, comminationibus severis, sistere tentabat: tandem ex omnibus responsis, & αὐτοψία, non in filia sed in se deprehendit errorem, DEO gloriam dedit, uti memoravi antè.

Alterum examen humanum nostrum cæterorum fuit, Theologorum, Politicorum, Medicorum, pro arbitrio admissorum, & curiosissimè in omnia momenta intentorum, qvibus vel origo vel soliditas revelationum explorari possit: nec aliud repertum est, qvàm qvod suâ luce & firmitudine constat hactenus.

Tertium, cùm agoni proxima ab Ecclesiæ Senioribus inviseretur, & de certitudine revelationum suarum solemniter examinaretur, intrepidâ conscientiâ verè esse divinas professa est. (vide historiam, Cap. 56. § 2.)

Diabolicum examen fuit tentatio gravis puellæ, tùm sub Visionum initium, tùm pôst semel & iterum, ut Historia indicat. Atqve hoc fuit non è postremis Domini Juliani argumentis: Verè divina esse, qvibus se tantô conatu veritatis perpetuus hostis opponat.

Divinum deniqve examen varium fuit: Qvô referimus non solùm morbos, qvibus eam afflixit miserè, sed & alia constantiæ ejus testimonia. Ille nimirum patrem ei, primum & acerrimum adversarium, opposuit: eundemqve mox, opus hoc jam defendentem, morte inopinatâ sustulit: tùm in medios hostes, in ipsam Tyranni aulam, ire, & interitum eidem denuntiare; mox in Exilium cæteros præire, jussit, postea variè divexari voluit: ut toties vel mortem sibi, vel Operi huic divino in se finem, anxiè optarit: tandem mori eam, rursumqve resurgere, & in testimonium omnipotentiæ & misericordiæ DEI vivere, jussit. Annon mirabiles hæ viæ Domini? Annon hoc est qvod Scriptura dicit, eum *mortificare & vivificare, in infernum demittere & educere? Aurum & argentum si ter elibanum sustinuit,*

probum

probum æstimatur: hoc autem DEI opus magis, qvàm ter trinam probationem pertulit: nec sufficiet? Absit tanta cordis durities.

4 *Conscientiæ testimonium* hoc intelligo, qvòd qvicunqve corde simplici his acqviescunt, tranqvillâ utuntur, etiam in medio contradicentium strepitu, conscientiâ, certi opus Dei suâ firmitudine stare: cùm qvi scripulose nodos qværunt, non tam alios qvàm se ipsos inqvietent. Dubitante enim conscientiâ id faciunt, nec inveniunt qvietem, nisi sub obseqvium fidei captivatâ ratione: qvod de se Dominus Julianus & alii qvidem, fassi sunt. Hic ergò Jobi illud locum habeat: *Qvis unqvam obdurans animum adversus eum, pacem habuit?* Iob. 9. 4.

5 *Eventuum deniqve evidentia testimonio est.* Qvicqvid enim unqvam personæ suæ respectu (sed in præludium & figuram Ecclesiæ NB.) ex revelatione prædictum habuimus, omne id evenit semper: eorum verò qvæ Mundum & Ecclesiam concernunt qvædam tametsi contrarium eventum minentur, qvia tamen ad summa illa & prima prædicta dispositio adhuc est in oculis, concludam Augustini dictô: *Cùm multa qvæ prædixerunt prophetæ ad effectum perducta sunt, perversus est qvi illos contemnit.* Tom. 6. p. 285.

Secundarias veri prophetæ Dei notas, si ex Qvæst. XXXII huc applicare libeat, firmabunt planè thesin.

XLVIII. *Non invenio qvod obloqvar: qviddam tamen adhuc mentem obsidet, assensum prohibens.* Resp. Audio sanè qvædam: verum dic ipse qvid sit.

XLIX. *Primùm, metuimus ne Visionibus istis periculi aliqvid creetur loco huic.* Resp. Annon dixi rationes carnis obstare unicè? Hæc verò ratiocinatio perqvam similis est illi: *Si omittimus hunc venient Romani, & auferent locum nostrum.* At argumentare sic in cæteris, puer te explodet. Exempli gratia: *Ignem tractare cum periculo conjunctum est: ergò ignem tractare, & attrectare, nemo debet.* Conferatur omne syllogisticum acumen in unum, non alia certè ex hac positione, *Hæc res periculosa est,* conclusio elici poterit, qvàm hæc: *Ergò prudenter tractanda.* Atqve hæc fuit ultima doctissimi Domini Iuliani conclusio: (qvem errantem secuti sunt qvidam, errorem revocantem seqvi nolunt.) Et tamen hic protectionem Dei pluris esse qvàm prudentiam nostram, mox eò Deus ostendit, qvòd à parentis discessu eam ad Tyranni aulam, in medium hostium, ire jussit. Qvid autem mali accidit? *Omnipotens itaqve umbra Dei mille prudentiis nostris præstat, id credamus firmiter.* Et si qvid in nomine Dei agimus, aut operibus ejus debitâ cum reverentiâ adsistimus, ne formidemus. *Periculum ibi nullum, ubi Christus miracula sua patrat.* Alioqvin increpatio in promptu est: *Qvid timidi estis, ô exiguâ fide præditi?*

L. *Sed diffidiorum inter nos est causa, qvicqvid id est rei.* Resp. Etiam Evangelium gladius est, & flamma, mundo: at non suâ culpâ, sed abusu. Illi viderint, qvi contra Apostoli mandatum *Spiritum extingvunt, prophetias pro nihilo habent, nihil explorant, omnia rejiciunt* (1 Thess. 5. v. 19.) Nec Ambrosio attendunt dicenti: *Nemo alterum non sinat dicere, nec debet dicenti contradicendi studiò resistere, ne discordia fiat in corpore.*

LI. *Posset taceri, si non inde macula Ecclesia nostra metui posset?* *Resp.* Non dedecori cedet sed honori, si verè Divina hæc fuisse, Deúmqve nos qvoqve donô Prophetiæ dignatum esse patuerit.

LII. *Patres nostri Revelationibus novis nihil tribuebant, antiqvo Dei Verbo inhærentes: à vestigiis eorum recedendum non est.* *Resp.* Provocare ad mortuos, qvi non viderunt qvod videmus nos, frustra est. Sicuti frustra sunt Jesuitæ, qvi à Papa Romano titulum Antichristi amoliuntur eô, qvod antiqvi Patres eum non sic appellarint. Patres enim suo ævo abominationem istam sedentem in Templo Dei, extollentémqve sese super omnia, nondum videbant sicuti videmus nos. &c. &c.

LIII. *Sed metuimus Scripturarum autoritati, si nova admittantur Oracula.* *Resp.* Metuite igitur simul, ne Cælum ruat. Qvid enim Scripturis inde periculi, ubi nihil Scripturis dissonans reperitur? Si Scripturam solâ suâ authoritate stare volunt, *Cur ergò humanos commentarios admittunt? Cur eos* (cùm tamen nil nisi conjecturæ sint) *consulunt? Cur edi patiuntur? Deóne minus licebit qvàm homini?* Potest Princeps privilegia subditis collata, & sigillis atqve testibus sufficienter munita, pro lubitu dilatare, aut declarare, vel ad mentem suam determinare; idqve novis instrumentis, non elevatâ priorum autoritate, sed firmatâ magis: qvidni Deo liberum sit idem? Provocatis *ad Legem, & ad Testimonium:* Esa. 8. v. 20. Ecce non ad Legem solam, sed ad Testimonium, seu contestationem: id est voces propheticas, qvæ legi antè scriptæ testimoniis suis & firmitudinem & lucem conciliant: qvod idem hîc fit. *Sed metuere ajunt, ne his novis plus capiamur, & abducamur à Scripturâ ipsâ.* Frustra. Aliter per Dei gratiam experiuntur, qvi vetera & recentia opera & contestationes Dei osculantur: qvod nimirum alterum ab altero dulcescat magis, dicam & lucescat.

LIV. *Non verisimile esse ajunt, divinas revelationes per tàm infames morbos peragi?* *Resp.* Et Prophetas morbis correptos, Qvæstione XVII narratum est. De qvâ re P. Martyr ita: *Humana caro perterrescit & debilitatur à præsentia numinis; tamen Spiritus S. naturam non corrumpit, licet vires humanæ ad tantam Majestatem debilitentur & cadant.* Loc. Com. fol. 6. Atqve ita hîc factum: nihil corruptum, nihil læsum, integra omnia & vegeta hucusqve. Neqve Ecstaseos & Visionis tempore morbi & dolores præsentes erant, sed antè, præparationis locô: Ipsæ Visiones integro membrorum vigore, & gestibus decentissimis, peragebantur. Qvid autem si hîc idem sit, qvod Deus ad Ezechielem dixit: *In ostentum proposui te ipsis? Propheta enim* (ut Martyr inqvit) *non tantùm scriptis, sed etiam verbis, imò etiam factis & passionibus, prophetarunt* (vide Ezech. 12. v. 6. & 24. v. 27. Esa. 8. v. 18. & 20. v. 3. Oseæ. 1.) *Evidentissimum autem est in hoc organo etiam Ecclesiæ adumbratum fuisse statum: ut in ejus per visionem fugâ & reditu, ligatione & solutione* &c. Qvidni ergò morbos eôdem modo intelligamus? ut nimirum præfigurarent: 1. Qvàm externum hominem mortificari oporteat, anteqvam jungi possit Deo. 2. Qvam miserabilis sit præsens Ecclesiæ status? ubi nimirum à planta pedis usqve ad verticem non est integritas, sed vulnus & tumor,

mor, & plaga saniosa (ut Esa. loqvitur 1. cap.) 3 *Qvàm miraculosè deniqve Omnipotentia sua ope in integrum hac restituet Deus, aeqvè ut illam tot horrendis morbis fractam, imò tandem extinctam, perfectissimè restituit.* Sed & ob ipsius nostrámqve forsan securitatem Visionibus Deus morbos adjunxit, ut in oculis Tyrannorum & indignorum operimento essent. Ita olim Propheta Achabo locuturus, ne illicò agnosceretur, percuti multis plagis necesse habuit, & conspergi pulvere (1 Reg. 20. ℣. 37.) qvod similiter ferè hîc factum. Qvia enim ad Tyrannum Waldsteinium eam mittere volebat Deus, percussit eam, ut facilius ille sperneret & cor suum obduraret: qvod factum est, hactenúsqve non aliter qvàm morbi Phantasias interpretantur hostes. An verò nobis propiùs opus Dei spectantibus non aliter hæc consideranda sunt?

LV. *Ajunt eam non tam esse sanctam, ut Dei & Angelorum alloqviis digna videri possit. Resp.* Deus Prophetis ut organis utitur, non propter illorum sanctitatem, sed propter Ecclesiæ utilitatem: si qvis eorum indignè donis Dei utitur, penes illum erit culpa, non penes Deum (vide Qvæstione XVI.) 2 Neqve Prophetia pondus & vim à persona accipit ut organo, sed à primario authore suo Spiritu Dei: *qvi qvò vult spirat, & spiritum Prophetiæ nullarum animarum contactus commaculare potest* (Verba sunt Augustini Tomo IV. pagin. 642) Petrus verò Martyr dicit, In universum sic statuere possumus: *Qvicunqve confitetur Jesum Christum, qvibuscunqve sit moribus, modò ne nos abducat à fide, eum habendum esse pro Propheta Dei* (Loc. Commun. pagin. 6.) 3 Respondeo tamen non qvemlibet esse impium, qvem homines talem judicant, & diffamant. Nam homines secundum externam speciem judicant, & secundum passiones suas qvisqve: Deus autem respicit cor. Augustinus scribit Manichæos ideò rejecisse Prophetas Israeliticos omnes, qvod essent homines profani, nullâ virtute aut pietate ornati. Qvi tametsi Christum prædicarent, sceleratè tamen vixerunt: ut æqvè de illis dici posset, qvod de Philosophis gentilibus Apostolus, *Cognovisse Deum, sed non glorificasse ut Deum* &c. Ad qvod respondens Augustinus concedit fuisse homines lapsibus æqvè ut nos obnoxios (ideò ut omnia in nobis appareat meram esse gratiam Dei:) Deinde impudentiam illorum taxat, qvi tam inverecundè de sanctis Prophetis loqvi non erubescant (Tom. 6. pagin. 255) Idem alibi (Tom. 4. pagin. 377) testatur Christum ipsum pro *Cacomago* fuisse habitum: ex Evangelii autem historia novimus eum *hominem voracem, potatorem vini, publicanorum & peccatorum amicum*, fuisse diffamatum (Matth. 11. ℣. 19) an ideò talis fuit? Qvòd si ergò electum hoc vasculum similia patitur, ut vel omnia mala omnes adversus illam loqvantur, mentientes, gaudere habeat potius qvàm tristari, sortem habens cum Domino suo & sanctis Prophetis (Matth. 5. 11, 12.) Qvi conversationem ejus intimiùs novimus, scimus eam virtutibus iis qvæ sexum suum, animamqve piam, decent (humilitate, pudore, Dei metu, precum diligentiâ) vel præ illis ornatam, qvi alieno in oculo festucam vident, trabem in suo non vident &c.

LVI. *Sed sunt in rebus ipsis qvædam, certè videntur, sanæ doctrinæ contraria: ut Trinitatis*

nitatis Sancta figurâ visibili apparitio. Jam ergò posthac S. Trinitas pingi poterit? *Resp.* Verè dixisti. *Videntur contraria.* Multa enim talia sunt per totam Scripturam, qvæ sibimet contraria videntur: proinde à diversis Theologis conciliationes locorum Scripturæ in speciem pugnantium scriptæ sunt. Qvod Trinitatis apparitionem attinet, respondebo Augustini verbis (Tom. 6. pag. 212.) *Miseri sunt isti*, inqvit, *qvi calumniantur prophetæ dicenti, qvòd Deum viderit, objicientes Apostolicam sententiam, ubi invisibilem dixit. Si enim alter objiciat Apostoli verbo Evangelicum verbum, qvô Dominus ait: Beati mundo corde, qvoniam ipsi Deum videbunt: qvomodo respondebunt, posse invisibilem videri?* An verò hæc est prima Trinitatis visibili specie adumbratio? Annon Daniel Filium hominis, & Antiqvum dierum disjunctim vidit? Annon Baptista Spiritum S. (columbæ formâ) à Patre & Filio separatè? Liberum ergò est Deo qvâ vult visibili formâ præsentiam suam sanctis suis testari: nobis autem figurare Deum nullô modô licet, qvia ipse vetuit. Utrobiqve voluntas ejus suprema lex est.

LVII. *Parum Scripturis consonat illa aurei cujusdam seculi pollicitatio. Christus enim suis crucem & afflictiones legavit!* *Resp.* Verum: sed nihilnè præter crucem & afflictiones? Qvot loca pro afflictionibus Ecclesiæ protuleris, tot è regione ponam pro gloriâ, triumphis, exaltatione: qvia utrumqve per vices obvenit Ecclesiæ in his terris. Non semper certè Israel sub oneribus Pharaonis gemit: etiam aliqvando submerso insultat. Non semper vagatur per deserta: etiam terram promissam aliqvando occupat. Non semper Moabitæ, Cananæi, Midianitæ, Philistæi, dominantur Israelitis, etiam aliqvando sub Davide & Salomone Israel ipsis. Non semper Nebucadnezar Hierosolymam obsidet, oppugnat, sangvine implet, vastat & diruit: etiam aliqvando Cyrus & Darius eandem reædificant. Non semper Antiochi Libros sanctos vastant & abolent: etiam aliqvando Ptolomæi eosdem gentibus commendant. Non semper Nerones, Decii, Diocletiani, Christianos perseqvuntur: etiam veniunt Constantini, Theodosii &c. sub qvibus Ecclesia pace & gloriâ abundat. Non semper ergò & Papæ, Hispani, Turcæ, proculcabunt Ecclesiam: Veniet etiam Salomon qvispiam, Cyrus & Constantinus, qvi pacem orbi restituat. Qvid ergò contra Scripturas hic promittitur? Si promittitur uberior & longior pax, & floridior Ecclesiæ status, qvàm qvi hactenus fuit, qvid mirum, qvoniam horridior & longior præcessit persecutio, qvàm qvalem unqvam à Mundi primordiis perpessa fuit Ecclesia? Devastationem Ecclesiæ, qvæ per Antichristum utrumqve facta est, intelligo. Qvibus Zelô furoris Dei sublatis splendorem Ecclesiæ rediturum, satis manifestè Scripturæ vaticinia ostendunt: Qvod ego hîc non ostendam, sed innuam solum.

I. Certum est semen Abrahæ reversurum ad Deum suum, & Christum Regem suum (idqve non sola Judæ tribus, in postrema Hierosolymæ desolatione à Romanis in captivitatem abducta, & per Europam dispersa, sed & decem tribus à Salmanassare abductæ, & per Asiam dispersæ. Vide Ose. 3. c. totum, & Rom. 11. v. 15 & 25.) Certum autem est Judæos non iri conversum, nisi post ingressam plenitudinem gen-

gentium, Romanor. 11. verſ. 15. &c. Gentes autem plenè non convertendas nisi ab Antichriſti interitu, Apocalypſ. 16. verſ. 12. & 19. verſ. 6, 7. qvem omnis credentium chorus anxiè expectat. Liberari ergò Tyrannorum metu, dilatari per omnes mundi plagas, renovatam videre doctrinam Cœleſtem puriſſimè, an non id gaudium erit, annon paradiſus Eccleſiæ? Atqve eò ſpectant infinita Prophetarum vaticinia, *de collectione gentium ad Eccleſiam: de replenda terra ſcientiâ Jehova, ſicut alveus maris aqvis operitur: de pace univerſali inter Gentes, cùm tundent gladios ſuos in ligones, & haſtas ſuas in falces* &c. Qvas prædictiones ut certum eſt non impletas hactenus (neqve literali neqve ſpirituali ſenſu) ita implendas eſſe certum eſt.

II. Evidens etiam è Scriptura tempus Regni Chriſti in duas periodos, dividi: tempus videlicet perſecutionum, ut hactenus fuit; & tempus pacis, ut jam erit. *Nam primò* Pſalmus 110. dominationem Chriſti duplicem innuit, alteram in medio inimicorum, alteram abſqve inimicis, cùm poſiti fuerint ſub ſcabellum pedum ejus. Hucusqve autem Chriſtus non ſine inimicis, ſed in medio illorum, regnabat. Seqvitur ergò, ut ſubdantur omnes ſcabello ejus. Id verò ſi qvis ad extremi judicii diem referat, errabit: expreſſè enim Apoſtolus docet tunc Filium depoſiturum eſſe regnum, & traditurum Deo ac Patri, 1 Cor. 15. verſ. 24, 28. *Secundò* vidit Daniel poſt excisionem qvartæ Beſtiæ dominatum abſolutè tradi Filio hominis: ut omnes populi, & nationes, & lingvæ, ei ſerviant, Dan. 7. verſ. 13, 14. Qvod ne qvis iterum de die ultimi judicii intelligat, Angelus interpretatur, *Regnum Dominatusqve & amplitudo regnorum ſub toto cœlo dabitur populo ſanctorum* (v. 27.) En! de regno ſanctorum ſub cœlo adhuc ſermo eſt. *Tertiò*, Chriſtus Evangelii tempora dividit in tempus bellorum, & pacis: ſub qva demum Evangelium prædicari oporteat in Orbe univerſo; atqve tum fore finem, Matth. 24. verſ. 6, 15. Nondum autem prædicatum eſt ubiqve ſub cœlo, nec unqvam ſine contradictione & ſangvine. Ergò tempus illud reſtat. *Qvartò*, Eòdem tendunt typi qvidam Vitæ Chriſti; ut Navigatio ejus cum diſcipulis per mare Matth. 8. ubi duplex erat ſtatus: 1. procelloſus, ad periculum uſqve interitûs: 2. dein tranqvilliſſimus, cùm repreſſiſſet ventos & mare. At procellæ hactenus obruebant Eccleſiæ navem: ſupereſt ergò tranqvillitas. Item, Verſatus eſt Chriſtus primò cum diſcipulis ſuis inter hoſtes, ab iiſqve divexatus variè, tandem oppreſſus: at reſurrexit, & anteqvam cœlos aſcendiſſet 40 dies ſolis diſcipulis & credentibus ſuis cohabitavit. Ergò eodem modo Eccleſia primùm variè tribulari, tandem opprimi (ut jam oculis hominum videtur) debuit: poſt autem reſuſcitata aliqvandiu etiam in terra relinqvetur, anteqvam transferatur ad cœlos. &c.

III. Annon verò Apocalypſis Johannis clarè ſatis promittit Satanam mox à Babylonis ruina ligandum ad mille annos, ne ſeducat Gentes? poſteà verò ſolvendum ad excitandas turbas illas, qvas ultimò adventu ſuo intercipiet Chriſtus, Apoc. 20. Nondum autem ceſſavit ſeducere gentes, qvi nondum ligatus fuit: neqvedum Beſtia dejecta eſt. Reſtat igitur id, qvàm verè Apocalypſis divina eſt.

Nihil

Nihil itaqve à Scripturis alienum afferunt Revelationes istæ: sed à veritate alieni sunt, qvi cerebri sui somniis, qvàm revelationibus divinis (qvæ sibi semper & ubiqve conformes sunt) credere malunt.

LVIII. *Dixeras, evenisse omnia qvæ personâ suâ respectu prædixerat: atqvi prædixerat mortem sibi, nec mortua est?* *Resp.* Diversa est responsio. Primò, nec Prophetas semper oracula intellexisse: aut aliter qvàm debebant intellexisse, & fuisse eventu frustratos (vide Qvæstione XX & XXXI.) 2 Non semper etiam evenisse, qvæ expressissimô DEI mandatô prædixerant (vide Qvæstione XXXI.) 3 Scribit Evangelista Dominum cum à resurrectione Petro de morte suâ loqveretur, de Iohanne dixisse: *Si eum manere volo donec veniam, qvid ad te? Exiit ergò sermo iste* (inqvit) *inter fratres, Johannem non moriturum esse* Iohan. 21. ℣. 22. Ille tamen postea mortuus est, & errasse deprehensi sunt omnes. Qvid hîc qvæso? Christusnè eos ambiguitate decepit, an ipsi se simplici credulitate suâ? Qvidqvid dixeris, huc qvadrabit. Huic enim dictum erat; *Annus superest vitæ tuæ, qvô te adhibebo ad opus meum.* Poterant hæc verba utiqve bifariam intelligi, vel de residuo vitæ tempore, vel de tempore qvô ad opus DEI adhuc adhibebitur. Illa priori modô intellexit, & supervenientibus signis confirmata fuit: si eventus posteriori modô intelligendum fuisse ostendit, qvid tantæ absurditatis hîc commissum? Sed respondeo, qvartò, rectè eam sic intellexisse, qvia sic evenit. An non enim lethali morbô prostrata fuit? an non morte extincta? Qvi aderant, nullam mortem morti similiorem esse posse, atqve hæc fuit, sciunt. Qvod autem DEUS omnipotentiæ brachium exeruit, & in vitam redire jussit, qvis dicet, Cur ita facis?

LIX. *Id verò vix persvadebis, ut revixisse credam: miracula enim desierunt, Et Medici rationibus & exemplis evincunt, Lipothymicos in profundam syncopen devenire, ut mortui credantur; redit tamen in præcordia spiritus, etiam aliqvot dierum intervallô. Qvod idem hic proculdubiò factum.* *Resp.* Eqvidem utrum vera mors (id est, animæ à corpore totalis separatio) fuerit, non pugnabo: nec enim id ipsa novit. Sed ex illis Domini verbis: *Redi unde egressa es, & flatus Altissimi vivificet te,* colligitur egressam fuisse animam verè. Si qvis autem hoc aliter interpretari noverit, per me licet: hoc certum fixumqve puto, in faucibus mortis extitisse verissimè, unde reditus non dabatur, nisi omnipotentiâ interveniente DEI. Nam qvod ad similia exempla provocant, attendi velim circumstantias planè alias esse. *Primùm* enim cæteris illis putativè mortuis mors non prænunciatur, uti hîc factum: sed casu naturæ, fortuitâ morbi violentiâ, accidit. *Secundò*, nemo illorum extra corpus se videt, qvia non est. Nec enim separantur à corpore, sed facultates vitales intra cordis latebras inclusæ tantùm soporantur: ac proinde etiam facultates animales qviescunt. Hæc autem in cœlo se constitutam vidit, DEUM alloqventem audivit, eundem adoravit & allocuta est, ejusdem jussu rediit. *Tertiò*, illi non momentô restituuntur (naturæ enim ab extremo ad extremum transitus non datur) sed paulatim spiritus vitales à centro se diffundunt, & membris primò, vitam, post demum vigorem, reddunt: nec benè longô tempore sui

com-

compotes fiunt, ut qvid de se fiat animadvertant. Hæc momentò se recolligit, & qvòd in mortalitatem reducta sit flet. *Quartò*, illi si qvid morbidi symptomatis patiebantur antè, non istô deliqviô deponunt, hæret malum, nec continuò vegeti & validi sunt: sed ut vires recolligant, calore foveri, & medicinalibus corroborari, necesse habent. Hic nihil tale: neqve morbus rediit neqve morbi vestigium ullum (sive Hemiplexiæ, qvâ prostrata jacuit ad ultimum usqve vitæ halitum; sive Epilepsiæ, qvâ in agone ipso tantùm non rumpebantur membra universa) apparuit: solitô vegetior & habilior surrexit, horrentibus & vix suis oculis credentibus qvi aderant. Nec fomentis ullis opus fuit, nec cibi aut potûs qvidqvam assumsit eâ die, perfectâ tamen valetudine ut mox frui cæpit ita fruitur, & se fruituram constanter jam scit. Pergemúsne cœcutire in tam evidenti præsentiæ DEI lumine? aut qværere effugia, ne aliqvid concedere DEO necesse sit? Qvod enim dixisti *Miracula cessasse*, inconsideratè id dicitur. Cessarunt miracula per homines administrari, verum est, hoc est, fides miraculorum cessavit: at non cessavit DEUS edere miracula, qvoties illi placet. Ecclesia enim (ut Peucerus scribit) semper propriis qvibusdam claret miraculis præ gentibus cæteris, qvæ doctrinæ testimonia sunt.

LX. *Medici mihi nihil nisi Morbum fuisse dicunt.* *Resp.* Morbos adfuisse nemo negat, neqve de Morbis judicium eripiebamus Medicis. sed nec illi negare possunt præter morbos, inter ipsos morbos, & postea sine morbis, adfuisse Ecstases & Visiones, de qvibus judicare non illorum Professionis est: *hic Plato qviescat.* Theologos verò pudeat in materiis Theologicis judicium tradere Medicis, judicióqve illorum (& qvidem incoctô, præcipitatô) constringi. Non desunt alii Medici, qvi coram spectatores cùm fuerint fateri non erubescunt, rem hanc superare artem suam, qvippe supernaturalem. Qvorum aliqvi digitum hîc Dei planè agnoscunt, interpidèqve pronuntiant: alii cujus spiritus hæ operationes sint (spiritui eas tamen tribuentes) discretioni Theologorum relinqvunt. Laude digni eâ re: qvia Sutorem non ultra crepidam sapere laudis est.

LXI. *Possetnè aliqvomodo in medio consisti? ut nec pro divinis indubiè ista habeantur, nec pro satanicis, donec dies qvid fuerit ostendat?* *Resp.* Si qvis ita se medium tenere posse sperat, teneat: modò illis qvi Operis Dei plenam habent fiduciam, legem ne ponant. Nam ut gnari ab ignaris, & rerum suarum certi à dubitantibus, suspendere se patiantur, postulare iniqvum est; neqve hi occultare Opus Dei per conscientiam possunt. Acqviesceret forsan Osor gloriæ Dei, ut qvam Operum Dei laudem in se traducere neqvit totam, dimidiatam saltem cum Deo habeat. Sed videndum est etiam atqve etiam, ne lædatur Deus: qvi Operum suorum laudem integrè habere vult, cum Beelzebubo misceri non vult. Hoc eqvidem concedi potest facilè, ut hæ res non vulgentur temerè: tum ad præveniendam hostilem irritationem, tum qvia vulgus de talibus judicare non valet. Ad Scripturas, preces, patientiam, unicè omnes hortari convenit: qvod & nos à parte nostra agimus, aliter agi non postulantes. Hoc tantùm, ut Operi Dei testes non desint: ut qvando magna hæc agi incipient, & peracta fuerint, homines

mines certò ſciant *Deum eſſe Deum, præſidere Mundo, omniaqve diſponere ad fines ſibi prænotos;* eôqve illum tantô magis diſcant noſſe, timere, adorare, ſoliqve ſervire cum omni poſteritate ſua.

LXII. *Utut eſt, præſtare ajunt, non cupere ſcire futura, unde ſecuritas naſcitur: ſed intentos eſſe nos precibus & jejuniis, cætera committere Deo.* *Reſp.* Argumentum hoc validum exiſtimari audio: ſed videamus num è S. Scriptura deſumtum ſit. Si extraordinariæ conſolationes divinæ ſecuritatem, & ad preces langvorem, inducunt; malè igitur jam inde à ſeculis fecit Deus, qvòd in anguſtiis conſtitutum populum ſuum, præter generalia lege comprehenſa ſolatia peculiaribus etiam, cuivis ævo accommodatis, impertire dignatus ſit. Neqve ſolùm oppreſſum jam populum ſuum, ſed anteqvam pati aliqvid inciperet, jam liberationis promiſſionibus erigebat: *ad momentum ſe derelicturum eos, & miſerationibus æternis congregaturum: intrarent modò in conclavia ſua, & latitarent exiguô momentô, donec præterierit indignatio &c.* Plena talium ſunt Prophetica ſcripta. Malè igitur & Chriſtus dixit: *Pauliſper & non videbitis me, & rurſum pauliſper & conſpicietis me.* Malè item qvòd ad Smyrnenſem ſcribi juſſit: *Nihil eorum metue, qvæ paſſurus es: afflictionem enim habebis decem dierum* Apoc. 2. v. 10. Malè item qvod Thyatirenſibus: *Non imponam vobis aliud* (ibid. v. 24.) Sed abſit blaſphemia dicto: Benefecit, & facit, omnia Deus noſter, hunc illi debemus honorem in omnibus. Neqve id ſecuros aut langvidos reddit verè credentes, qvinimò accendit magis precum fervorem. Nam ſi preces tantô validiores ſunt, qvantô validiori fundamento innituntur: fundamentum autem precum eſt exauditionis fides, (Jac. 1. 6.) fides verò illa non aliundè qvàm ex promiſſione Dei reſultare poteſt: ſeqvitur inde, qvô evidentiores ſunt promiſſiones eò ardentiores preces. Qvod egregiè Eſaias expreſſit, dum poſt præſcriptas Eccleſiæ in captivitatem abducendæ vividiſſimas conſolationes (Capit. 59, 60, 61, & 62.) ſubjunxit: *Vos igitur qvi commemoratis Jehovam ne ſilete, neqve permittatis ei ſilentium, donec ſtabiliat, & diſponat Jeruſalem in laudem in terra* (62: 7.) Ecce qvem uſum ſanctis præſtent ſolatia Dei! Sic etiam docent exempla. Daniel qvamvis ex Jeremiæ prophetia videret, adveniſſe liberationis tempus: non tamen ſocordiæ ſe dedit, ſed ad orationem & deprecationem cum jejunio, ciliciôqve & cinere, ſe convertit, Dan. 9. 1. David protectionis divinæ à Saule Tyranno ſecurus, non deſtitit tamen ardentiſſimis intentus eſſe precibus. Chriſtus ipſe à coarctatione & judicio ſe eximendum eſſe ſciebat, & tamen orationi vacabat: cumqve Angelus confortaturus apparuit, non repulit eum, qvamvis Angelorum confortatoriis non æqvè indigeret. Cur, niſi in exemplum nobis? ut ne ullâ parte oblatam ſpernamus gratiam Dei. Verbô: Percurramus Scripturam S. omnem, non reperiemus qvenqvam piorum humilitatis prætextu à ſe removiſſe conſolationes Dei: qvinimò qvoties viderent qvâcunqve ratione condeſcendentem, & lenimenta adferentem Deum, excipiebant, exoſculabantur, gaudebant, gratias agebant, effundebant ſe iterum in amorem Dei, adqve fidem Deo pariter præſtandam ſeſe extimulabant. Unus Achas oblati ſigni recuſatione modeſtiam captare tentavit, ſed ideò hypocriſeos notatus, & magis increpatus fuit, ſignumqve nolens volens admittere coactus, Iſa. 7.

Isa. 7. Theologiam ergò è Scriptura, non è cerebro nostro, discamus: ut in faciendis & omittendis magistrô & duce utamur Deo, non opinionibus nostris. Qvod si non placet, oblóqvere humana ratio qvantum voles: scito tamen tibi cum Deo fore negotium. Cujus nec sapientiæ solem exstingves tenebris tuis, nec bonitatis exarefacies fontem ingratitudine tuâ: neqve verè pii desistent gaudere, qvòd veram Evangelii doctrinam hunc usqve in diem non displiceat Deo confirmare signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritûs Sancti distributionibus, secundùm voluntatem suam (Hebr. 2. ꝟ. 4.)

LXIII. *Dic ergò jam saltem mihi, qvid inde sperabimus boni, si hæc pro indubitatè divinis acceptaverimus? Resp.* Si non aliud, nota erit Deo modestia, & in opera ejus reverentia nostra: nos non ex iis esse, qvi lapideum cor, & chalybeam frontem, gestant: qvibus movendis tametsi cœlô & terrâ prodigia edantur, tametsi Angeli loqvantur, tametsi mortui morte resurgant, nihil prodest. Contra cujusmodi obstinatam duritiem toties Deus in Scripturis Zelum testatur suum: sicuti rursum erga humiles, morigeros, attentos providentiæ suæ admiratores, & qvi ad verba & opera ejus contremiscunt, complacentiam. Qvia tamen nihil Deus frustra operatur, aut loqvitur (Ezech. 6. v. 10. & 14. 23.) habent id genus opera ejus, fide recepta, singularem in nobis efficaciam, nostrô bonô. Mihi qvid hoc præsens Dei opus attentè consideratum profuerit, & prosit, non tacendum puto, in laudem Dei.

1 Primò attentiùs observare, & clariùs intelligere didici, *qvid sint Scripturæ Sacræ.* Nunqvam eqvidem dubitavi, Libros Dei immediatô afflatu amanuensibus Dei, Prophetis & Apostolis, dictatos esse: sed fuit fides hæc eatenus implicita qvodammodò. Nunc, postqvam Digiti Dei particellam videre datum est, explicuit se mysterii hujus certitudo in oculis fidei meæ. Unde non potest non oriri delectatio in spiritu, & ex delectatione amor erga Scripturas, & ex amore reverentia, & ex reverentia legendi eas aviditas, omnia super omnem priorem animæ meæ statum. De qvo non possum non exultabundus laudare Deum, qvi me in lumine suo videre facit lumen.

2 In specie confirmatus sum *Canticum Canticorum Salomonis esse verè Canonicum librum, divinos Christi Sponsi cum sponsa sua Ecclesia, & qvavis fideli Anima, depingens amores*: qvod non solùm Anabaptistæ non agnoscunt, sed & nostratium qvidam dubitabant. Non dubitamus ampliùs nos, qvi admirabiles hos ludos cum hac electa Anima spectavimus toties. Semel qvidem illud manu suâ descripsit ipsa, Revelatione XV: sed fuit repetitum sæpiùs, qvantôqve cum gaudio tùm indueret ornamenta sua, tùm inter amplexus exultando decantaret tot hymnos & psalmos (etiam qvos memoriter nunqvam didicerat, inusitatâ svavitate) explicari verbis non potest. Consignatum tamen est, qvantum potuit, in historia.

3 Tertiò confirmatior factus sum, Dei munere, *Doctrinam & Religionem nostram veram esse, testimonium ei præbente signis & prodigiis Deo ipso.* Piè enim pius Theologus Hemmingius, expendens *Cur Deus in Scripturis suis non tantùm Salutis æternæ mysteria detegere, sed & de rebus temporariis* (ut sunt Regnorum mutationes, certarumqve personarum eventus) *prophetias addere voluerit?* concludit eò fieri, ut per exteriora hæc homines in interioris Veritatis cognitionem deducantur. (NB.) Verba ejus sunt (libro de Eccles. cap. 5.) *Sciamus igitur Vaticinia prophetica esse qvadam doctrinæ Ecclesiasticæ signacula.* Et alibi (libro de Christo:) *Cùm vident homines eventus longè antè signatos respondere prædictionibus Prophetarum, confirmantur de authore Deo, & doctrinam qvam Prophetæ proponunt esse divinam, &c.*

4 Roborata qvoqve magis est nostra de Antichristo sententia. *Papam nempe Romanum esse infallibiliter magnum illum Christi, & spiritualis ejus Regni, adversarium: nec alium expectandum.* Qvod & ipsum scio qvosdam Orthodoxorum dubitasse, aliumqve præterea *Magnum Antichristum* prospectasse.

5 Jam qvoqve scio *non falli nos, qvi ruinam Antichristi expectamus, & esse præ foribus credimus.* Nec est cur qvis dicat, *Hoc è Scripturis novimus, etiam sine novis Revelationibus istis.* Nam si qvis eâ scientiâ gloriari potest, possum ego: qvi jam ante plures annos (lectis variorum Authorum de Antichristo libris) similis argumenti librum lingvâ nostrâ scripsi. Istud autem qvid nisi conjecturæ fuerunt? qvæ (ut & cæteræ mortalium cogitationes) timidæ ac incertæ sunt, fallere possunt (Sapient. 9. 14.) Nunc autem ecce Deus ipse voces suas addit! ut sciamus expositionem istam non fuisse è cerebro humano, sed ex afflatu suo, ortam. Qvicqvid enim est, stat illud, *Nullam Scripturæ Prophetiam esse propriæ interpretationis: eundem spiritum qvi prophetiam extulit, prophetiæ interpretem esse necessum est.* 2 Pet. 1. 20. Neq; determinari tempus, personæ, modus, propriâ conjecturâ nostrâ, possent, sicut eas divinitùs determinari videmus.

mus. Huc pertinet qvod Augustinus alicubi scripsit: *Posse quidem ex ipsa Cœli & Terræ contemplatione cognosci, esse Deum qui ista creârit; dum ipsa Creatura* ILLE FECIT NOS, NON IPSÆ NOS, *clamant. Nihilominus tamen Deum Prophetam misisse, qui promulgaret* IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS COELUM & TERRAM. *Atque tum nos esse certos, conjecturam illam ex Creaturis sumtam non fallere.* Hinc P. Martyr, Zanchius, Gvaltherus, Prophetarum Novi Testamenti hunc esse præcipuum scopum docent, *ut Vaticinia prophetica ad præsentem Ecclesiæ statum accommodent, meliùs atque id humanâ industriâ sibi relictâ fieri posset.*

6. Occasio datur expendendi *mirabilem Dei circa Ecclesiæ regimen providentiam*: qvid illud sit, *Dominus mortificat & vivificat*; item, *alterâ manu nos castigat, alterâ amplectitur &c.* Illud enim variè in conspectu nostro variis vicibus, figuratum fuit. Sicut & hoc, qvòd qvem sibi Deus in organon eligit, non aliud qvàm tribulationes expectare habeat, à suis & alienis: internis tamen svavissimis solatiis, verè divinis, pensari omnia.

7. *Septimò*, spes mea tantò fit radicatior, nos Patriâ ejectos, misera mundi rejectamenta non esse in oblivione apud Deum, qvi nos in specie solatiis suis dignatur: non tantùm scilicet ordinariâ Verbi sui (cum qvo ejici maluimus, qvàm sine illo terrenam retinere patriam) nobis conservatione, sed & extraordinariis hisce alloqviis. Unde fiducia qvoqve ulterioris divinæ hoc in loco protectionis succrescit, postqvam electum gratiæ suæ vasculum huc ad nos, ceu in Sareptam qvandam, visibile qvoddam tutelæ suæ signum, mittere placuit.

8. Octavò, *si mala ingravescant, tumultuumque inter nationes, & bellorum rumores invalescunt non pavescis cor meum*: dum qvò Deus judiciis suis tendat, & qvem tandem exitum furores hostium inventuri sint, Deo nos, reddere conscios placuit. Audeo securè cum Propheta dicere: *Congregamini populi, & conterimini! accingamini, & tamen conteramini: inite consilium, illud tamen dissipabitur: loquimini Verbum, illud tamen non fiet, quia nobiscum est Immanuel.* (Jes. 8, 9.)

9. *Nonò*, Sentio etiam confirmari me in spe, à nobis & gente nostra non in totum abstulisse gratiam suam Deum, neqve Evangelium suum à nobis translaturum aliò, ut metuunt non nulli: sed peractô disciplinæ suæ in nobis opere, redintegraturum & confirmaturum in nobis regnum suum. Lucisqve ille fulgor, qvi jamjam exoriturus prædicitur Sioni, dat in præsenti caligine gaudium & lætitiam mihi: sicut etiam de Prophetis scribit Augustinus, *quòd magnam jucunditatem carpebant, cùm ea viderent in spiritu quæ nondum impleta, sed adhuc futura, erant.*

10. Tandem, *sentio me ad ardentissimas preces in dies magìs inflammari: ut propter Sion non taceam, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justitia ejus, & salus ejus ut lampas ardeat* (Jes. 62. v. 1. & 7.) Exauditionisqve securus (dum non aliud, qvàm qvod revelatæ Dei voluntati consonum, illiusqve gloriæ & Ecclesiæ saluti validè inserviturum est, votis concipimus) audeo talia meditari per qvæ gloria misericordiæ, omnipotentiæ, veracitatisqve Dei in nobis justè castigatis, misericorditerqve ad pœnitentiam reductis, & emendatis, reliqviis, tantò illustrior fiat. Neqve suspirare cesso, ut servos suos, variò probationum igne perpurgatos, in futuros Ecclesiæ usus sibi ut pupillam oculi servare, pluresqve operarios suos in messem suam (qvam multam fore prævideo) extrudere, dignetur Deus: qvò maledictô satanæ regnô subrutô, benedictum Christi Regnum sub cœlo adhuc gloriosè explicari, & ad supercœlestia splendidiùs præparari, possit.

Hæ sunt quotidianæ meditationes meæ, hæc desideria, hæ occupationes: quas an mihi satanica præstigia, aut temeraria alicujus vani hominis fictiones, vel denique atra melancholica alicujus passiones, dare queant, tu ipse (amice) in Dei timore perpende.

Deus, in qvo spes reposuimus nostras, ne deserat nos consiliô Spiritûs sui sancti, ut bonô fixô fine, gloriâ ejus, mediis qvoqve ne deficiamus, aut aberremus! Neqve ut cœci per tenebras palpemus, sed tanqvam videntes in luce manuductionis ejus lætè ac securè progrediamur, in vitam usqve æternam! *Amen.*







NICOLAUS DRABICIUS STRASNICENUS, MORAVUS.

Natus anno 1588. Dec. 5. ad Ministerium Ecclesiæ ordinatus 1616. Aprilis 28: in Exilium pro Evangelio actus, 1628: ad munus Propheticum vocatus 1638: cujus clausula facta 1664. July 9.

REVELATIONES
NICOLAO DRABICIO

Moravo,

V. D. M.

factæ,

Ab Anno 1628, ad 1664.

Ex originali fideliter in Latinum translatæ.

Jes. 50. v. 9.

Ecce Dominus Jehova auxiliator est meus, quis est qui condemnet me? Ecce omnes ut vestimentum conterentur, tinea consumet eos.


1 Joh. 1. v. 3.

Quod vidimus & audivimus annuntiamus Vobis, ut & Vos communionem habeatis nobiscum: & communio nostra sit cum Patre & Filio ejus, JESU CHRISTO.

Serenissimo atque invictissimo Regi Regum, Dominoque Dominantium,

JESU CHRISTO,

Æterno & unigenito Dei & Mariæ Virginis Filio : qvi est Alpha & Omega, primogenitus à mortuis, cujus nomen est Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater æternitatis : Qvi dilexit nos, deditqve nobis spem bonam ex gratia : cui soli debetur omne Regnum, Potestas & Imperium, in omnia sempiterna secula, Amen Hallelujah!



OMnes Terræ Nationes audite! Omnes habitatores Orbis attendite, parvi & magni, divites & pauperes!

Ego Nicolaus Drabicius, patriâ Strasnicenus, gente Moravus, ad Ministerium Ecclesiæ Dei, prædicandumque Evangelium Christi, destinatô Dei consiliô electus & vocatus, legitimeqve anno 1616 ordinatus, deinde verò anno 1628 propter ejusdem Euangelij veritatem, testimoniúmqve Jesu Christi, cum aliis multis piis, Deo, Conscientiæ, Ecclesiæque fidem servantibus, à Ferdinando II. Rom. Imperatore, in exilium actus: ut relictâ patriâ, hæreditatéqve parentum meorum, spoliatúsqve insuper ab Hispanico milite, uxore tantùm & liberis ereptis, exulatum in terram Hungariæ egressus, in territorio Illustrissimi Domini, D. Georgij Racocij Transylvaniæ Principis hujus nominis primi, sub arce Ledvitz oppidulo consedi, ibiqve cum aliis aliqvot piorum coexulum familiis inter extremas à paupertate ærumnas & lacrymas, humiliter tamen & patienter, per annos 15 Christo *meo servivi.* Hic autem (annô inqvam 1643, feriâ 4. post Dominicam Invocavit) *placuit Deo & Patri Domini nostri Iesu Christi per virtutem Spiritûs Dei Sancti, me vermiculum suum, juxta beneplacitum consilij sui electum, eò adhibere, ut postremi hujus seculi diebus per me, tanqvam ultimam suam tubam, Nationibus & Populis, Linguisqve totius Terræ, nota redderetur ultima voluntas Dei.* Qvâ divina ejus majestas vult & mandat, ut Reges, Principes, Comites, omnésque Potentes terrarum Orientalium & Occidentalium,

Borealiúmque, & Australium, faciant Papæ Romano tanqvam Meretrici Babylonicæ, ut adhærentes ei Idololatræ, hæretici, athei, pseudo-Christiani, pereant: Turcisque, Tartaris, Judæis, & Gentibus aliis sub sole habitantibus, lux effulgeat. Isti enim impii ad hanc damnationem (qvippe qvi Dei nostri gratiam ad lasciviam transferunt, & solum illum Herum, Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, abnegant) dudum præscripti (*Iud. v.* 4.) sunt illi ipsi qvi se à Deo & Sancta ejus Lege segregarunt, animales, spiritum non habentes (*ibid. v.* 19.) Qvos omnes Deus interitui destinat vi & jure Legis suæ, & vi Potestatis secularis, qvibus in cor dedit, & postremis his diebus dat & dabit, ut conceptô in Meretricem odiô desertam faciant & nudam, & carnes ejus edant, ipsam verò exurant igni (*Apoc.* 17. 16, 17.) ad alios metu servandum, & velut ex flammis eripiendum, habendúmqve odio etiam carnis contactu maculatam tunicam, caputium & cucullam; quibus induti satellites Meretricis, ridiculô fastu & sanctitatis opinione se & alios dementant, incedentes tonsi ut moriones, funibus cincti ut carnifices, nudatíqve pedes & crura ut meretrices, ab hominibus videri & laudibus evehi captantes. Væ illis: nam viam Cain ingressi sunt, & deceptione mercedis Balaam effusi, seipsos pascunt, nubes sine aqva, arbores infructuosæ, stellæ erraticæ, qvibus caligo tenebrarum servata est in æternum (*Iud. v.* 11, 12, 13.)

Lamentata qvoqve per me est Sapientia Dei super confusiones Politicas, Regum & Principum, Dominorúmqve & subditorum: voluntatem denuntiando suam, ut Renovatio fiat *Ordinis boni ad normam Legis suæ, in Ecclesia & Politia: præscribendo qvales esse debeant Reges, & alij in potestate constituti; qualésqve Ecclesiæ Ministri & animarum Pastores, cum reditibus utrinqve suis: & qvales Scholæ, omnésqve in universum Ordines.* Et qvomodo in qvalibet sub Cælo Gente erigendum sit monumentum, ad obligandum se & posteros ad serviendum Uni Deo, loquutum est de hoc ad me, & per me ad omnes, os Dei anno 1651 Martii 26: inscriptionem columnarum determinando his verbis, *Deus noster* JEHOVA *Deus unus est essentiâ, sed trinus personis, Cui serviemus soli in secula, per omnes generationes nostras.* Amen igitur, Fiat ita! ut impleatur qvod per Sophoniam prædictum est, capite 3, v. 9. futurum *ut Populis reddatur labium electum, ut omnes invocent nomen Domini, serviántque illi humerô unô.* Et qvemadmodum in Apocalypsi 15. v. 4: *Ut omnes Gentes veniant & adorent in conspectu Dei, qvoniam judicia ejus manifesta sunt.* Ut omnes sub cælo profiteantur doctrinam Fidei tradi-

tam

tum à Mose & Prophetis, Christo & Apostolis, fidelibúsqve eorum successoribus ad hæc usqve postrema Mundi tempora, qvibus Sapientia Dei per me etiam clamat, & ceu Tubâ clangit, voluntatem declarando suam, *ut omnis generis Errores cessent, Veritas autem verborum & vitæ Domini Iesu effulgeat post Babylonis mysticæ ruinam, exitúmque ex illa Populi Dei, ut in Apocalypsi scriptum est*. Qvam qvisqvis legit intelligat: certus, *nullam prophetiam Scripturæ esse propriæ interpretationis, qvia non libitu hominis allatæ sunt prophetiæ, sed acti à Spiritu Sancto loqvuti sunt, & loqvuntur, Sancti Dei homines* 2 Petr. 1. 20, 21.

Scitote igitur, scitote, omnes Nationes & Lingvæ Orbis universi, summi & imi, divites & egeni, docti & simplices, qvibuscunqve Dei metus, sanæqve rationis usus est: *Sermones à me scriptos, sæpéqve lacrymis (jam metu jam gaudiô) rigatos, non fuisse, nec esse, sermones meos, à voluntate mea, vel ingenio & judicio meo (qvod mihi simplex, & ad hæc talia & tanta nimis hebes est) profectos: sed ab ore Dei Creatoris, Dei Redemptoris, Deiqve Sanctificatoris, prolatos, & mihi intelligenter, mentiqve ac memoriæ meæ ut hominis perceptibiliter, præsentatos.* Qvibus ego fidem habui, & habeo, prorsus habeo, multis jam & variis experimentis indubitanter factus certus atqve securus, Sanctam & beatam Trinitatem eos pro suis agnituram, réque ipsâ illorum veritatem demonstraturam. Non tùm, aut sic, qvando & qvomodo ego aut tu, qvicunque es, velim aut velis: sed tùm, cùm tempus & hora judicii, voluntate majestatis ejus determinati, venerit. Qvoniam verum necesse sit maneat illud semel pronuntiatum, *Mille annos apud Dominum esse ut diem unum, & diem unum ut annos mille.* Ego igitur re undiqvaqve pensitatâ, unicuiqve in his mihi contradicentium, & hæc ob aliqvid eventu nondum comprobatum condemnantium, *ecce denuntio, me illum citare hodie, & citaturum cras, & qvamdiu mihi aut tibi vita erit, & in articulo mortis meæ & tuæ, & in die ultimi illius tremendi judicij, in illustri adventu Domini nostri Iesu Christi. Cito inqvam in conspectum claritatis Altissimi veracissimiqve Dei, apud qvem nulla personarum acceptio est, qvi solus vivorum & mortuorum judex, non secundùm oculorum visionem judicans, néqve secundùm auditum aurium arguens, sed in justitia judicans pauperes, & in æquitate arguens mansvetos terræ* (Jes. 11. 4.) *Et cito in conspectum Seraphinorum & Cherubinorum, totiusque Hierarchiæ cœlestis. Cito in conspectum Patriarcharum, Mosis, & Prophetarum, Apostolorumqve. Cito in conspectum sanctorum Ecclesiæ Doctorum, Cypriani, Ambrosii, Augustini, Bernardi, &c. Martyrumqve, Wiklefi,*

Wiklefi, Hussi, Hieronymi, &c. Et in conspectum sanctorum Ecclesiæ Reformatorum, Lutheri, Melanchtonis, Calvini, eorumqve successorum fidelium Ecclesiæ luminum, &c. *Spei ac fiduciæ erga Deum & Patrem Domini Iesu plenus, si me omnium minimum Iesu Christi servum, cum hac mea sancto ejus Nomini obseqviosè, tametsi laboriosè, præstita opera, qvisqvam vestrum ô homines, qvisqvis ille futurus, condemnabit, me tamen & hos Sermones meos non condemnatum iri à Deo meo, nec ab Angelis ejus præsentibus mihi semper testibus meis, nec à propria Conscientia mea, qvâ post Deum & sacrosanctum ejus Verbum, datamqve mihi erga illud fidem, nihil hac in vita charius habeo. Genua flectens coram Deo & Patre Domini nostri Iesu Christi, ut Opus in nobis cæptum ne deserat, sed me & te, qvisqvis radici Christo insertus es, inculpatos servet, & me ac te per mortem non in judicium venire, sed transire in vitam, faciat: ubi non cadet super nos Sol, vel ullus æstus, & ubi Dominus ab oculis nostris absterget lacrymas,* &c.

Ita mihi, tibíqve qvi hæc legis, propitius esto Cœli, Terræ, Marisqve Dominator, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. benedictus in secula seculorum Amen.

Nic. Drabicius Str. m. p. p.

ITa Drabicius de se ac pro se, factisqve sibi Revelationibus, ad Deum & homines. Quia verò meum qvoqve reqvisitum est (à viris rerum istarum veritatem cognoscere avidis) testimonium, dicendum mihi qvoqve tanqvam ad tribunal judicis Dei erit, qvicqvid de rebus istis constat. Qvod tantò lubentius faciam, qvantò propriùs me his etiam rebus interesse voluit Deus: & tantò solicitiùs, qvantò plura occurrunt apud Drabicium particularia, præ illis prioribus: in particularibus autem faciliùs errari qvàm in generalibus, activè & passivè, notum est rerum gnaris: nonnulláqve horum aliter quàm prædicta fuerunt evenerunt. Unde dubitationes & scrupuli, scandaláqve tantò plura orta; cum scrutiniis in Drabiciana omnia tantò acrioribus, illiusqve pertinaciore hunc usqve in diem constantia. Ut res dignissima videatur, in qva diligenter expendenda vel præsentes Judiciorum Dei spectatores vel ipsi etiam posteri, operæ aliqvid ponant; ad sanctissimi Dei (cujus nomine perpetuò Drabicius loqvitur) gloriam à blasphemiis immunem servandam.

Exponam igitur qviqvid his de rebus meam in notitiam venire voluit Deus, primùm generaliter, hîc in aditu: deinde specialiora qvæqve suis locis.

NOtus mihi à puero erat Drabicius, qvippe in Schola illi patria, Strafnicii (ubi mihi à parentum meorum morte apud Amitam sesqviennium, anno 1604 & 1605, degendum erat) condiscipulus, me licet qvinqvenniô ferè major. Patrem illi fuisse Civem illa in Urbe conspicuum, dignitateqve Consulari, probè me mini.

2. Exinde qvid illo fieret ignorabam, nec dicere habeo, ad annum usqve 1616: Ubi *in Synodo generali* (à Moravis, Bohemis, Polonisqve, Zeravicii celebrata) *me & illum unâ die (26 April:) sacro Ministerio (cum aliis 25) initiari; postea verò illum Drabotussensis, me Fulnecensis Ecclesiæ (Oppidis trium milliarum spatiô dissitis) Pastorem constitui, contigit*: ut nos ignorare amplius non possemus, Pastores aliqvot per istam viciniam animis conjunctissimi habitantes.

3. Moribus fuisse amabilem, conversatione gratum, nullô Ministrum Christi dedecente nævô notatum, in conspectu Dei & Ecclesiæ testari possum. Contra verò virtutes qvasdam rariores, bonô qvovis Christiano (maximè autem Ecclesiæ Ministrô) dignissimas, in illo à me & aliis fuisse observatas, recordor, & certò scio. *Animi* nempe *candorem* sine ullo fuco: *Iustitiæqve amorem & Zelum*, nihil prorsùs iniqvi (quin vel increparet, vel displicentiam ostenderet) ferentem: *Facilitatem* deniqve *ad succurrendum cujuscunqve proximi necessitatibus*, sine exemplo ferè: ut qvod de Viris extraordinariè bonis proverbiô dici solet, *Vel cor dividere paratum esse*, verissimè de illo dici potuerit.

4. Dispersis postea nobis, meqve in Bohemiam, & inde Poloniam & Prussiam, delato, qvid illi præ cæteris fieret attendendi causa mihi nulla fuit: nec aliqvod literarium commercium nobis unqvam intercessisse, memini.

5. Hoc memini, *me unum ex illis fuisse, qui scandalosis ipsius in exilio actionibus offensi, ut disciplina Ecclesiastica in eum extenderetur authores exstiterunt.* Ille enim, Ecclesiâ suâ ab Adversariis ejectus, posteaqve (anno 1629) cum aliis patriâ suâ exire, & in vicina Hungaria exulare coactus, spe ad Ministerium redeundi abjectâ politicum vitæ genus amplecti, pannorumqve negotiationi sese dare (Negotiatoris pannorum filiam, aliquid in his intelligentem, uxorem nactus) elegit.

6. Neqve satis habens ipse sic peccare, Vocationisqve cancellis egredi, similia instillare aliis consilia deprehensus est: frustra esse amissis Ecclesiis Antistites respectari, & propter misellì alicujus subsidioli spem sub obedientiæ jugo hærere, interim se ipsos negligere, extremamqve expectare egestatem, dictitans. *Volebant enim Patres nostri Ecclesiis orbatos Pastores, Confratres suos, non mendicitati vacare, & stipis qværendæ causâ alienas terras* (ut ab aliis factitatum videbant) *pererrare: sed ubi populo fideli repertæ erant exilii sedes, ibi qvoqve se continere: & qvanqvam cuilibet ibi collecto Cœtui unus præficeretur (ordinis causâ) Pastor, reliqvos tamen etiam ad Cathedram admitti, & ex ordine populum docere. Id autem eô fine, ut exilii tractu nemo prorsus laboribus sacris desvesceret, potiùs sese mutuâ diligentiâ magis acuerent: ut si Deus nostri misertus rursum nos Ecclesiis redderet, nemo hebetatus rediret, exercitatior potiùs. Id quod qvia pium fuit visum omnibus, obseqvebantur omnes, unô excepto Drabiciô: qvi spem reditûs incertam esse causatus, sibi maturè prospicere elegit.*

7. Neque hic finis. Politicâ illâ cum plebe conversatione corrumpi, licentiosiusqve

usqve poculis indulgendo profanioris vitæ exemplis abripi, visus est: non absque propria noxa aliqvando. Nam à mercatu redeuntem prædæ causâ aggressi qvidam, cùm se defenderet, convulnerârunt: interempturi fortè etiam, nisi aliorum interventu acti fuissent in fugam.

8. Ulterioribus ergò scandalis obviam ituri Fratres, cum illo exulantes, perscribunt de his ad Antistites suos in Silesia tunc (alterum Bregæ alterum Breslæ, hospitantes, *Georgium Erastum & Laurentium Iustinum.* Qvi ad Synodum in Poloniam vòcati (cui ipse qvoqve intereram) inter alia hoc etiam deliberationi proponunt: *Qvid cum scandalosis Fratribus agendum sit? Sive qvi in exilium ire recusando, domíqve in patria edurare confidendo, aut conscientiam aut vitam periculis exponant* (qvales aliqvot erant, unus & alter per id ipsum pòst apostata factus, ut *Ioh. Mitis* in Moravia, & *Ioh. Blahoslaw* in Bohemia) *sive qvi in exilio vocationem deserant, eamqve vitâ scandalosâ dehonestent?* qvalis nominatus *Drabicius.*

9. Decretum ergò: Illos qvidem denuò moneri, ut atriis Caiphæ exire festinent, priùs qvàm cum Petro temeritatem deplorandi necessitas veniat: hunc autem à *Ministerii functione* (*id est, Conciones ad populum habendi honore*) *suspendi, & nisi sic etiam dignam politico bono vitam agat, Ecclesiasticæ disciplinæ subjiciendum.*

10. Qvô ille rigore territus modestiùs agere, ad tempus usqve illud qvô ipse Deus eum increpare, ad resipiscentiam hortari, restitutionisqve Ecclesiæ, & sui, exstinctam in illo spem resuscitare, cœpit. Qvas res ipsum jam ordine narrantem audiamus.

REVELATIO I.

(*Occasio, primumqve initium, harum Revelationum.*)

ANNO 1638, Feria tertia post Dominicam Invocavit, factum fuit initium primum, occasione tali. 2. Redieram è Moravia, in oppidum *Lednice*, exilii mei sedem, rebus in Patria (Strasnicii) non ex voto compositis. 3. Cùm enim divendere patrimonium (Vineta præsertim) vellem, extremam in exilio egestatem meam levaturus: non solùm nemo cui venderem repertus est, sed & proditus fui, captivandusque, nisi Deus hominem subornasset qui præmonuit, ut me fugâ liberare possem. 4. Redii ergò tristis, uxorqve lamentis addebat mœrorem, ut noctem ducerem insomnem. 5. A noctis medio ita fuit animi anxietudo aucta, ut me horror oppleret, clamaviqve ad Dominum, misericordiam implorans & solatia. 6. Illicò verò, velut in ecstasin raptus, vidi Exercitum ingentem à Septentrione venientem, aliumqve multò majorem ab Oriente. 7. Cùmque cogitarem, quid hoc sibi vellet? audivi vocem dicentem: *Ne pavescas, neqve sis impatiens! Ego Exercitus hos adducam ad opprimendum Oppressores Vestros.* 8. Ego perterrefactus, dixi tamen: Exibuntne autem, ut se liberent, N. N. N? (Prerovienses, & alii mihi noti. Ultima enim diplomata Cæsarea

ad

ad emigrandum è Patria, qvi Religionem mutare nollent, paulò ante prodierant.) 9. Responsum fuit: *N. N. non exibunt. Non enim eos elegi, qvi pro nomine meo patiantur.* 10. Atqve ita factum est; nemine istorum terrena sua bona pro Evangelio deserere sustinente. 11. Ego autem qvorsum ista mecum tenderent non intellexi, ad annum usqve 1643.

(Visionem hanc nocturnam narraverat amicis, sed pro somnio habita fuit: tacuit ergò, ipséqve tandem, ceu sibi qvoqve ipsi diffidens, attendere destitit. *Nota.* Versu 8. & 9. nominantur aliqvot cives Prerenses expressè: qvæ nomina qvia hîc in Latino poni nihil interat, omissa sunt. Ut & in seqventibus nonnulla id genus particularia, de qvibus monere servum hunc suum Domino (tàm familiariter cum illo agenti, ut Revelatione CI. v. 7. innuitur) visum est: qvò autem fructu ista exponerentur in publicum, particularitatum istarum ignaris, non liqvet, intermitti libuit: nullâ fraude, sed brevitatis studio.]

REVELATIO. II.

(*Primum somnium primusqve factus ad expergefactum Sermo,* 1, 2, 3. *qvò ille de Scripturarum neglectu increpatus, de reditu promissionem accipit,* 4, *&c. Dubitatio ejus de Revelationis hujus veritate novis promissionibus firmatur,* 8. *Preces & jejunia indicuntur:* 13. *Liberatio per qvem futura,* 22. *Vienna evertenda.* 26. *Baro de Kaunitz.* 29. *Capitaneus Hodossi.* 31. *Contra machinationes hostium in Hungaria solatium à præsentia* DEI, 33. *de Mesericensibus.* 34. *De domesticis Videntis,* 36. *Dubitatio iterum* 38. *Domus A. Assur,* 41. *Vastatio Moraviæ,* 43. *Hæc scribi mandantur,* 44. *formulaqve præscribitur.* 47.)

ANno 1643. (23. Januarii) cùm tertiò redormirem, vidi Confratrum meorum, per Hungariam & Poloniam exulantium (unum & alterum etiam in Moravia adhuc latitantium) congregationem numerosam. 2. Expergefactus cogitabam: *Utinam DEUS det ut congregemur, reducti in Patriam!* 3. Et mox audivi vocem illam miram, mihi eatenus incognitam: *In Patriam reditum optas, & qvomodo te eò præparas? Scripturarum enim lectionem intermittis: qvæ tamen dux & lux sunt, solatium & refugium, qvod tu negligis. Ideò te hortor, redime tempus negligentiæ tuæ!* 4. *Nam qvemadmodum annuntiabas nomen meum coram habitatoribus Terræ, Patriæ tuæ, ita porrò annuntiabis, ut tibi promisi: Emenda igitur vitam tuam.* 5. Sermone isthoc ego auditô, dixi: O Jehova Deus mi, vera est negligentiæ meæ increpatio tua, agnosco iniqvitatem meam & peccata, & erubesco in conspectu tuo & hominum, Tu nosti. 6. Da precor, servo Tuo, ut ea faciam, ad qvæ vocasti me, & qvæ mandasti: in me nihil est virium. 7. Et respondit: *Apud me virium satis est, confortabo te.* 8. Conticescente voce illâ, cogitare cæpi, somniantine an vigilanti ista obvenirent? 9. Palpare itaqve cœpi manibus lectum, & parietes, & movere pedes, & verti me in alterum latus: sensiqve vigilare me reverâ. 10. Et mox rursum Vox illa: *Meum tempus jam venit, ut patrocinium causæ meæ, & nominis mei, & vestrûm, suscipiam, vosqve reducam in terram vestram, sicut antea dixi tibi, Venturam esse horam meam, qvæ jam venit.* 11. *Sibilavi enim Orientalibus & Septentrionalibus, ut venientes exseqvan-*

qvantur qvod ego decrevi, ulciscanturqve injurias servorum meorum, clamantium ad me noctéqve diéqve. 12. *Clamant enim & vociferantur, etiam illi qui in patria relicti sunt, flammanti desiderio, vestri etiam: quia non est qui alliget vulnera eorum, eosqve soletur in illa effusa ira mea.* 13. *Adhortor itaqve te, & omnes socios tuos, servos meos, qvorum catervam in somnio vidisti; Clamate vos etiam, & ne date silentium: jam enim implevit iniqvitates suas Pharao.* 14. *Sed vos clamate, sicut illi in Ægypto, cilicio induti, & conspersi pulvere.* 15. *Indicite jejunium, illudqve custodite fideliter, ut soliti majores vestri, non ad speciem tantùm.* 16. *A me enim absconditum non est, qvomodo præteritis jejunaveritis temporibus.* 17. Ego autem dixi: Cui ergò hæc significare debeo? Responsum est: *Omnibus fratribus tuis, Verbi Ministris, Lednicensibus & Puchoviensibus.* 18. Et qvæsivi, qvando autem? Resp. *Hodie: intererunt enim Concioni omnes.* Atqve ita fuit, intererant. 19. Iterum dixi: *Ah Domine Iehova, ludibrio ero apud qvosdam.* Resp. *Nihil id cura, dic te id meo facere jussu. Et sciant ipsi quoqve, non se mundos esse in conspectu meo.* 20. Et qvis hæc Puchoviensibus referet? dixi. Resp. *Non tu, illorum unus eat, & dicat tempus meum adesse, ut illorum qvoqve exaudiam clamores: etiam illi ordinent Iejunia.* 21. Et qvæsivi: Qvando autem jejunium istud indicendum est? Responsum: *Omni feriâ sextâ, qvia dies Redemptionis Vestræ est, Majoresqve vestri hunc jejuniis & orationibus consecrabant.* 22. Iterum dixi: Ignosce Domine loqventi servo Tuo: Qvis verò ille est per qvem liberabimur? R. 23. *An non meministi de qvo servus meus Cotterus loqvutus fuit? Orientales & Septentrionales venient.* 24. *Septentrionales Olomutium jam occuparunt: sed seqvetur longè major exercitus eorum, nec longè abest.* 25. *Orientalium Dux Princeps vester est: qvi tergiversatur qvidem, cogetur tamen. Habet enim cum Septentrionalibus consilium unum: cujus Exercitum vidisti Anno 1638 permagnum.* 26. *Nam & Turcam venire jubebo, ut juvet evertere Viennam, sicut eversa fuit Ierusalem.* 27. *Nam ibi Pharao habitat: ibi, ibi, conculcatum est nomen meum, conculcataqve justitia mea: superbia verò, & impietas omnis, ad summum creverunt.* 28. *Væ illis! Abjecerunt enim Scripturas Sacras, & contempserunt Sanctam Legem meam.* 29. Et dixi: Perstatnè propositum tuum, ut Baro de Kaunitz veniat nos hinc abductum? [qvemadmodum mihi Anno 1638. tres è Proceribus Moraviæ fuerunt exhibiti, qvi nos in patriam reducturi essent.] 30. Respondit: *Perstat. Priùs tamen humiliabo illum, & ad terram usqve prosternam: ut intelligat me illum esse, qvem persequitur.* 31. Cùm autem dicerem: Capitaneus verò noster (novus tunc, Hodoffi) eritnè gratiosus noster Dominus? Respondit: *Ne illum appellaveris gratiosum Dominum, sed Patronum.* 32. *Animus ejus aversior quidem à vobis est, ego tamen tangam cor ejus, & Princeps Dominus vester mandabit ei curam vestri.* 33. *Scias autem malas nunc in vos agitari in hac terra machinationes occultè: Sed vos ne timete, vigilate & orate, infatuabitur consilium eorum, & vos servabimini.* 34. Atqve hîc de nonnullis particulariter qværere cœpi: inter alios de Mesericensibus, & cognatis ibidem meis. Responsum est: *Gladiô peribunt multi.* 35. *Scribe Magdalenæ affini tuæ, (viduæ) ut qvamprimùm audierit adventantis è Silesia exercitus rumorem, liberet se cum liberis.* 36. Perrexi autem qværere: Conjux mea & liberi etiamnè mecum in patriam redituri sunt? R. *Tametsi uxor tua tantum patientiæ & fidei,*

& fidei, futurum id esse, non habeat: me tamen reddidisse vobis qvæ amiseratis pro nomine meo videbit, & bonitate meâ perfruetur. 37. *Filius verò tuus seqvetur me, gradumqve asseqvetur Ministerii, qvem istuc dispone, & pro illo ora.* 38. Cæpi autem iterum me in lecto versare, cogitans annon somnium esset, qvod mecum fieret. Sed Dominus dixit: *Memento eorum qvæ tibi mandavi de precibus & Iejunio, & ne taceas. Etiam coram* N. N. *nam & ille domi suæ invocat me. Tu verò tua in vocatione esto diligens.* 39. Qvæsivi igitur: An ergò deseram negotiationem meam? (qvâ Exilii sustentabam sortem, pannos emendo & vendendo) Resp. *Ne deseras: memento tantùm admonitionis meæ, & videbis auxilium liberationemqve meam.* 40. Dixi: Qvando id futurum? Resp. *Hora mea appropinqvat: sed volo vos non tacere.* 41. *Annon meministi Assur fuisse virgam iræ meæ, & baculum indignationis meæ? sicuti & nunc Domus Austriaca est.* 42. *Confregi illum, frangam & hanc: tempus enim ejus jam decurrit.* 43. Et dixi. Qvæ autem futura est in Patria conditio nostra? talisne ut priùs? Resp. *Id consiliò meô jam determinatum est, qvod tu postea videbis.* 44. *Qvanqvam terra vestra horrendè priùs vastabitur: reliqviæ tamen servabuntur. Tu verò surge, & hæc scriptô consigna.* 45. Qvibus dictis recessit Dominus: ego autem cum lacrymis exclamavi; Qvis ego sum Dominator Jehova, Deus mi? qvem tu sic diligis, & à qvo non abscondis opera tua! Qvid reddam Deo salutis meæ? Calicem benedictionis accipiam, & nomen Domini prædicabo in æternum. 46. Et mox commota fuerunt in me viscera mea, ad animi usqve deliqvium, præ gaudio & horrore, qvæ circumdederunt cor meum. 47. Cumqve surrexissem & scribere vellem, hærebam, unde inchoarem. 48. Et mox invasit inusitatus qvidam dolor pedes meos, à genubus plantam versùs: audiviqve vocem, *Scribe, Factum est ad me verbum Domini. Ita scribe, non aliter.*

[Vers. 4. *Ut tibi promisi*) Anno scilicet 1638. qvam specialem promissionem Revelatione hîc præcedenti nonnisi involutè attigerat. vers. 12. *etiam in Patria relicti*) sive constantes adhuc, hinc inde latitantes; sive lapsi, lapsum tamen agnoscentes, & vulnerum conscientiæ sanationem anhelantes. vers. 13. *Clamate Vos etiam*) Nempe in apostasiam non prolapsi, fugâ elapsi; qvibus tamen adhuc similiter perdendis inhiabat Pharao. ver. 18. *Intererunt Concioni omnes*) Nempe Lednicii, ubi Videns habitat. ver. 20. *Puchovienfibus*) Puchovia, alterum Principissæ Transylvanicæ, ad Moraviæ confinia Oppidum, milliari unô distans à Lednicio, ubi Exulum Moravorum longè major freqventia, Pastorúmqve circa 12 tùm erant; Lednicii autem qvinqve aut sex. ver. 31. *Hodossi*) Mortuus erat paulò ante *Andreas Resi*, Capitaneus, Exulum autor benignus. Cui qvia successerat D. Hodossi, ignotus adhuc Exulibus, de hoc solicitus est, informaturqve Videns. v. 33. *Vos servabimini*) Impletum superventu Exercitûs Cæsarei, oppugnationéqve & expugnatione Arcis Lednicensis, cum direptione utriusque Oppidi: ubi nonnulli fuêre cæsi, Ministrorum tamen Exulum nemo, tametsi qvidam in eorum incidissent manus, ipse etiam Videns. v. 35. *Liberet se*) Cui consilio illa non obseqvendo omnium rerum jacturam passa est, vitam tamen servavit: cùm Annô 1648 Mesericium à Svecis esset occupatum, direptum, igne deletum, & Civium supra 150 cæsi. Visionem hanc Drabicius mox eâ die Fratribus (concione finitâ, populoqve digressô, ad subsistendum exoratis) non tantùm enarrat, sed & scriptô consignatam tradit, ut

per aliqvem è medio sui Puchoviam mitterent orans. Mira omnibus narratio hæc visa fuit: & qvia mira, digna etiam referri ad plures, pro meliore qvid rei videri hoc possit scrutinio. Miserunt igitur unum è medio sui: Antistesqve *Laurentius Iustinus* qvid faceret incertus primùm, tandem Fratres convocavit, scriptum prælegi fecit, sententias reqvisivit, invenire tamen qvid statuendum esset non potuit. Mirabantur enim omnes, aliqvi etiam stupebant, unus & alter totam illam Drabicii narrationem in dubium vocabant: eô argumentô, qvòd si Deo tale qvid agere liberet, procul dubio id per alium qvàm officii sui desertorem, acturus esset. Omnibus tandem visum periculosum fore loqvi etiam istis de rebus: nedum ut eam ob causam publicæ indici deberent preces. Sperabantqve id sic transiturum, qvomodo ante qvinqvennium simile qvoddam ejusdem attentatum transiit.]

REVELATIO. III.

[*Preces cum jejuniis ab exspectantibus liberationem exiguntur.* 3. *Domui Aust: dira prædicuntur.* 5. *Restitutio Domûs Fr:* 9. *Væ Bohemis & vicinis,* 10. *Tempore malo benignis esse convenit.* 12. *Princeps Transylvaniæ.* 15. *Videns sibi corpore exutus videtur,* 17.]

RUrsus factum est ad me verbum Domini, sabbatô ante Dominicam Septuagesimæ. 2. Præcesserat somnium, qvô iterum vidi congregatos fratres meos, & cum illis *Laurentium Iustinum*, Antistitem nostrum. 3. Cùm essem expergefactus, factus est ad me Sermo: *Qvòd exeqvutus es mandatum meum de Orationibus, rectè fecisti, tametsi apud qvosdam parum esse profectum, notum est coram me.* 4. *Denuò dicito Seniori; Elegisse me illum, & constituisse Vigilem domus meæ.* 5. *Voluntatemqve esse meam, & mandatum, ut in Poloniam* (Confratribus) *scribat: Tempus advenisse meum, qvô vindicem offensas meas & nominis mei, inducamqve malum super domum Austriacam, ad excîdendum eam de terra.* 6. *Non enim audiit consilia pacifica: ne qvidem Regis Poloniæ, qvi icciroò iratus illi est, eminusqve spectabit cùm illam ruinæ dabunt.* 7. Et qvæsivi, Qvando id futurum? Resp. *Hodie & cras implebit mensuram iniqvitatum suarum.* 8. *Et tu jam ausculta, qvomodo ego adducturus sim Gentes multas & validas super illam: & calcabunt Viennam sicut Ierusalem & Samariam, ad ulciscendum contumeliam meam, & exterminandum Idololatras cum Prophetis suis, vindicandumqve injurias illatas Friderico, & progeniei ejus, cum qvo & vos condemnati fuistis.* 9. Ego verò dixi: Etiamne Domus Friderici dignitati restituetur suæ? Responsum est; *Et cujus igitur causâ ego totam afflixi Germaniam, nisi qvòd deseruerunt illum?* 10. *Sed etiam Terræ vestræ propter illum vastabuntur, qvia illum rejecerunt: Væ Bohemis, væ Silesiis, væ Moravis! Iam enim perditio eorum jam venit.* 11. *Et qvanqvam ibi qvoqve non desint qvi nôrunt nomen meum: desunt tamen qvi hos præmoneant.* 12. *Tu Mesericium scribe, ad affinem tuam, servaturam se ipsam & liberos, si crediderit. Et provide, unde cum illa vivas; sicut & cæteri maturè sibi prospiciant.* 13. Respondi: Nosti, Jehova, pauxillum superesse mihi pro sustentandis meis. Regerit: *Etiam illud ipsum eroga.* 14. *Providebo ego tibi ad illud usqve tempus, qvò vos reducam: nec te deseret Senior, modò illi necessitatem expone tuam.* 15. Qvid autem? dixi, etiamne Princeps Dominus noster ibit? *Ibit*, responsum est.

Con-

Concludeturqve brevi consilium de exseqvendo consilio meo, exscindendisqve Idololatris, unà cum illo qvi hos promovet. Ego sum qvi judicia & decreta condo. 16. *Vos apud vos servabimini, sicut servati fuerunt Machabæi. Tantummodò facite qvod mandavi, Vigilate & Orate.* 17. His dictis recessit Dominus: ego autem nesciebam qvid mecum fieret. Videbar enim mihi exutus corpore, sensibusqve. 18. Tandem tamen ad me reversus laudabam Creatorem meum, cum tremore: surgensqve consignabam hæc, Domino ea repetente.

[v. 6. *Regis Poloniæ*) Nempe Wladislai qvarti, Principis pacifici, conscientiarum carnificinam abominantis, affinique suo Cæsari moderationem eousqve svadentis, ut illius aspernatione admodùm fuerit offensus: qvod certâ fide constat. v. 15. *Concludetur brevi consilium*) Conclusum fuit eô ipsô annô, tametsi Princeps Racoci Svecis auxilio non veniret, nisi bienniô pòst, Anno 1645.]

REVEL. IV. 14. Febr.

[*De veritate harum Revelationum iterum disqvisitio, deqve precibus ac jejuniis indicendis mandatum,* 2. &c. *Pharao*, 12. *Hostium consilia, Divinis consiliis opposita, irrita fore.* 21. *Princeps Racoci exaltandus*, 30. *si non sua consilia velit seqvi, sed ductum* DEI, 36. *Monendus de his, & per qvem*, 39. *Hodossi*, 41.]

ITerum factum est ad me Verbum Domini, Sabbato ante Qvinqvagesimam, sub diluculum, jam vigilanti mihi. 2. Coepit enarrare Dominus, *Advenisse jam tempora sua, qvibus ulcisci vellet hostes Nominis sui, & glorificari in Nationibus.* 3. Qvô ego auditô, cogitare coepi qvid responderem. Ille autem dixit: *Loquere, scio enim qvid loqvi proponas.* 4. Ego verò: Audivi sermonem Tuum priùs & modò. Interrogatusqve sum à fratribus meis, *Num scirem qvicum loquerer?* 5. Suspicantur enim non esse Dei sermonem qvem audivi, & ad eos retuli: respondiqve, Me nosse Creatorem, Redemptorem, Sanctificatoremqve meum, illos æternam esse veritatem. 6. Respondit: *Qvod nosti qvi simus, non ex te ipso nosti, sed ex nobis.* 7. *Nam Nos revelavimus Nos tibi, sicut & populis ac linguis multis & magnis: habitantibus in facie totius Terræ.* 8. *Meum enim est nosse cordium sensus & cogitationes: sicut & tuas cogitationes actionesqve ego novi ab infantia tua.* 9. *Nec absconditum est à me, qvicqvid læti aut tristis unqvam evenit tibi. Qvando ego volui, lætatus fuisti; & qvando volui, tristatus.* 10. *Et qvomodo disposui de te, ita dispono de omnibus habitatoribus terræ. Ego enim pono metas, qvas nemo transgreditur.* 11. *Multi tecum erant in Exilio, exspectantes liberationem, qvam non viderunt: meum enim est, non cujusqvam alterius, disponere, qvinam calamitatum tempora vivendo superare, aut non superare, debeant.* 12. *Ideò tibi dico, sicut antè dixi, me jam prostravisse apud me, & apud multas Nationes, immanissimum illum Pharaonem, qvi afflixit Nationes multas.* 13. *Ille sanè videtur sibi, & multis, Stare adhuc: ego tamen dico Dejectum esse. Complevit enim iniqvitatem suam.* 14. *Tu igitur denuò dic fratribus tuis, qvibus ego dedi agnoscere me, sicut & tibi dedi, ut clament, & fores misericordiæ meæ pulsent.* 15. *Nam qvemadmodum novit Pater necessitates filiorum suorum (& tamen rogari vult) ita & ego novi, qvibus Vos egeatis.*

16. *Et ne dubitent de potentia misericordiæ meæ, sicut primogenitus Adami Cain, refractarius mibi.* 17. Ego autem dixi: Ah Jehova Deus mi! metuo me suspectum fore illis. 18. Loqvuntur enim, falli me, nec esse vocem hanc ejus qvi nos creavit, redemit, sanctificavit: & qvi loqvutus fuit per Patriarchas, Filiumqve suum, & Apostolos Sanctos. 19. Qvod illi mecum unâ credunt: sed hîc seduci metuimus. 20. Respondit ad hæc: *Qvæ ego antehac egerim, & ago nunc, agamqve in posterum, mihi notum est.* 21. *Consilium meum est, & judicia mea sunt, non hominum: qvi acqviescere necesse habent iis qvæ ipse facio, & facturus sum.* 22. *Nam qvis ante me fuit, & qvis veniet post me?* 23. *Aut qvô mihi opus, est, ut me cordis arcana nosse doceat? qvod nemo novit meliùs, qvàm ego formator ejus.* 24. *Sicuti & te qvis meliùs novit, qvàm ego? qvi solus tibi dedi ut agnosceres me, sciresqve qvis essem ego Iehova.* 25. *A me nihil absconditum est, nec fuit: illud etiam, qvòd conveniunt nunc in unum, & consultant, qvomodo irritum faciant qvod dextera mea agere decrevit cum Ægypto, qvam ego conqvassavi plagis meis: & qvasso nunc etiam, qvassaboqve fastum Babylonis, matris fornicationum & abominationum Idololatricarum.* 26. *Loqvutus de illis fuit David servus meus, consilium eorum fore inane. Nunqvid enim homines qvidqvam possunt, nisi qvousqve determino ego?* 27. *Sicut & tibi determinavi, qvid tecum actum sit, & agatur, agendumqve restet: tuqve eatenus id fac qvod ego mando.* 28. *Cur hæc non per alium agam, non tuum est scire, nec alterius, sed meum: qvi te portavi ab infantia, ne delabereris inter ignorantes Nomen meum, qvod tu prædicabas coram filiis hominum.* 29. His auditis ego laudavi miseratorem meum, rogaviqve ut confirmaret sermones suos. 30. Respondit: *Iam qvoqve tempus est exaltandi Rakocium Principem Vestrum, pro qvo tua & Confratrum tuorum vota ego exaudivi.* 31. *Sicut enim retribui Abdiæ, qvi occultabat prophetas meos: ita retribuam huic, qvi recepit profugos meos.* 32. *Faciam qvod tu qvondam dixisti (non ex te ipso id habens, sed ex me, qvi spiritum do & formo verba, efferens illa qvando volo, & per qvem volo) Regem illum fore.* 33. *Erit enim Rex terræ hujus, si obedierit mibi: & qvid de illo facturus sum, mibi notum est.* 34. *Nam is qvem ego in terram prostravi, putat se adhuc gestare Coronam capite suo, qvam non gestat: dejeci enim eam apud meipsum.* 35. *Et qvi eam manibus se tenere autumant, mirè anguntur qvid illâ facturi sint. Nihil autem poterunt, nisi qvod ego jussero: qvi jam Coronæ inscripsi, Racocii est.* 36. *Nuntia illi, ut jam desistat consiliis suis agi: incipiatqve mea decreta exseqvi, ad conculcandum Babylonem cum Idololatris.* 37. *Metuit ille seduci: sed ne metuat.* 38. *Advocet auxilio Turcam, vel Tartarum vel Moscum, vel etiam Polonum, & videbit neminem horum refragaturum esse.* 39. *Ego enim illi conciliabo has & alias Gentes, qvas ille nondum novit, ego autem novi.* 40. Et dixi: O Dominator Jehova, qvomodo ego miser, & per qvem, hæc exseqvar? Hæ enim res supra me sunt, qvas ego formido. 41. Responsum: *Per Hodossium: qvem, qvàmprimum in Arcem veneris, adibis, & hæc omnia referes; Mandare me ut Principi scribat, & qvæ tibi dixi perscribat: Tempus jam esse, jam se Coronam exspectare: sub qva tu qvoqve ipsum videbis, si videbitur mibi.* 42. *Ego autem Hodossii Cor tetigi, ut agnosceret me: qvanqvam non tantùm qvantùm alii.* 43. *Nam non erat qvi tam notas illi redderet vias meas, per qvas eum deduxi, & ducam porrò: non qvomodo ille vellet, sed qvo-*

qvomodo placet mihi. 44 *Volo, ut & ipse me Creatorem suum diligat ante omnia, & de hinc Verbum meum: qvod illum etiam proximorum dilectionem docebit, sive illi conditione pares, sive superiores, sive subditos.* 45. *Affini tuæ scribe, veniat: apud vos servabitur.* 46. His valedixit mihi: ego autem oravi: O Domine, da ne ista excidant memoriâ! Resp. *Non excident: surge tantùm, & scribe mox.* 47. Ego itaqve agens cum fletu gratias, surrexi. Atqve ita fuit ut nihil excideret, donec consignassem omnia.

[v. 28. *Cur hæc non per alium agam*) Respondetur hîc ad qvorundam Revelationes has ob personæ simplicitatem, asperioresqve mores aspernantium, Fastuosa judicia; ipsiusqve Videntis, cur sibi potius qvàm aliis doctioribus talia ostendantur, admirationem. v. 33. *Erit Rex Terræ hujus, si obedierit mihi*) Non obediit autem: nec igitur promissionem obtinuit, sub conditione factam: de qvo plura post. v. 37. *Vel Polonum*) Tantum erat Wladislai in Hispanicam Inqvisitionem & machinamenta Jesuitarum (qvos & ab Aula sua submoverat penitùs) odium, ut ad dissipandum illa si non potuisset vires, consilia tamen, juncturus fuisset certò.]

REVEL. V. 18. Febr.

[*Iterum de certitudine horum dubitatio, & cum Revelante concertatio* 2. *&c. Signum petitur*, 11. *daturqve*, 23.]

QVadriduò pòst habui Somnium, qvô mihi disputare videbar, nescio qvicum, *de Filialitate DEI.* 2. Cogitantem excepit vox: *Etiam te in filium suscepi, & nomine tuô ex utero matris te vocavi.* 3. Respondi: Scio ego Creatorem, Redemptorem, Sanctificatoremqve meum elegisse me in filium, & vocavisse ad munus Ministerii: qvô ego defungens Dei mei nomen deprædicabam, non aliud. 4. Nunc autem qvid mecum fiat nescio; utrum revera sit Nomen tuum, Deus Creator mi, Deus Redemptor mi, Deus Sanctificator mi: an verò sit nomen alienum, qvemadmodum suspicantur Fratres mei. 5. Metuimus enim ne seducamur; svaseruntqve mihi, ut signum à te petam. Respondit: *Electio & vocatio tua nota mihi est ab æterno.* 6. Ego: Scio apud Deum meum ita esse. Sed utrum vox hæc, qvam audivi pridem, & modò, Dei sit vox, nescio. 7. Qvippe notæ sunt mihi, sicut & Fratribus meis, astutiæ Satanæ, qvas exercuit in seducendo Achabo, & aliis; tentabatqve etiam in ipso Salvatore nostro. 8. Nos habemus firmum Propheticum sermonem, Scripturas Sacras: qvicqvid ab his recedit, stultitia nobis est. 9. Scimus qvæ illæ nobis loqvantur de Salute nostra æterna, credimusqve: de Liberatione autem externa, de reductione in Patriam, de Austriaca Domo ejusqve humiliatione, de Principe Rakocio & illius exaltatione, de Gentibus illi confœderandis, nihil loqvuntur. 10. Unde igitur ego certitudinem, pro me & aliis, Sermonem hunc esse Dei, hauriam? 11. Si Dei Sermo est, cujus me & meos pudere non possit, *exhibe mihi, propter misericordiam tuam, signum aliqvod*: ut sit unde me & alios confirmem. 12. Mori enim eligo potiùs, qvàm Dei nomine loqvi sermonem non Dei. 13. Respondit ad hæc: *Qvid signi petis?* Biduum jam cogito, dixi, sed excogitare nihil possum,

ſum. 14. Tu igitur ſi Deus es, ipſe mihi ſignum da, propter miſericordiam Tuam: ſicuti ſervo Tuo Gedeoni dederas, qvi æqvè pulvis & terra fuit ac ego, & filius matris fœminæ, ut ego. 15. Qvem tamen ſignô confirmaſti de præſentia Tua: nam Aram Baal deſtruxit, & Lucum ſuccîdit, Velluſqve ipſi & roratum & ſiccum oſtendiſti. 16. Populares illius indignati fuerunt ei, qvòd eos non aſſumpſiſſet in prælium: qvod ille non curavit, à Te ſignô roboratus. 17. Angelus item tuus beatæ Virgini ſignum dabat, Eliſabetham cognatam ſterilem, jam utero geſtantem: qvod illa ignorabat. 18. Et conticui, obvertenſqve me feneſtræ vidi luceſcere. 19. Ubi rurſus ad me vox illa: *Perge loqvi!* Ego: *Neſcio qvid loqvar, niſi ut ſignum mihi petam.* 20. *Qvale?* dixit. Ego: *Neſcio.* 21. Et mox punctionem ſenſi acrem, tanqvam acu, in gena dextra: qvod ego expavefactus, manu qvid fieret attrectabam. 22. Sed ecce alius ſimilis ictus in frontem! qvô itidem manum tranſtuli: urebat enim me ignis inſtar. 23. Et dictum mihi eſt: *Ecce habes ſignum! fac igitur qvod mandavi: Hodoſſio enarra omnia, etiam ſignum datum. Surge, & oſtende illud uxori tuæ, & vale.* 24. Ego addidi: Ignoſce, obſecro, ſervo tuo, ſi interrogavero, *Venieſne porrò etiam ad me?* Reſp. *Non tuum eſt hoc* (ſcire): *veniam tamen.* 25. Surrexi igitur, lumen accendi, & ab uxore ubi me convulneraſſem interrogatus fui: rubebat enim tanqvam igne ambuſta tota facies mea. 26. Et ſcripſi hæc omnia, prouti mandatum erat.

[v. 4. &c.) Satis hinc patet, qvàm nihil temerè actum ſit à Vidente, ac fratribus ejus, in admittendis hiſce, tot ſeculis intermiſſo Dei more, tam clarè factis Revelationibus. v, 23. *Ecce habes ſignum!* Signum hoc, inuſti faciei punctione ignei ruboris, leve viſum incredulis, & ludicrum: ſed characterem habere videtur ejus rei, ad qvam vocabatur, nempe ad ſtimulandum & inflammandum Exeqvutores judiciorum Dei. Vide mox Rev. VII. v. 3. & Rev. XLVIII. v. 15, 17. & Rev. LXVI. v. 15. Ubi inter acriter urgendum Exſeqvutores iterum fronte uſtus fuit.]

REVEL. VI. 27. Febr.

Videns à ſe Spiritum exire ſentit, 2. de fide examinatur, 3. DEI conſilium de Pharaone perdendo ſtat, 4. Deliberationem de his tolerare DEUM, 6: preces tamen & jejunia reqvirere, 11. Tempus liberationis oppreſſorum, 14, 15. Arcana hæc qvibus committenda, 17.]

ITerum factum eſt ad me Verbum Domini, feriâ ſextâ ante Reminiſcere. 2. Præceſſerat ſomnium, qvô mihi Menſam qvandam triangularem contegere videbar: utqve evigilavi, ſpiritus qvidam velox exiit ab ore meo, ut expavefactus tremerem. 3. *Etiamnè tu ipſe dubitas* (dixit vox ad me) *de iis qvæ revelavi tibi? Non enim ignota mihi ſunt judicia diverſorum diverſa: ſed tu vide ne ſeducaris à qvoqvam.* 4. *Qvod enim priùs dixi, repeto: Tempus meum adveniſſe, ut conteram Pharaonem, & ſtirpitùs evertam Domum Auſtriacam.* 5. *Ad qvod opus adhibui, & adhibebo, Nationes multas, etiam Principem Dominum Veſtrum.* 6. *Tu qvòd ſignificare id Hodoſſio differs, ſecundùm datum tibi conſilium, tolero adhuc. Ita enim ille dixit; Fili nihil abſqve conſilio facias.* 7. *Sciat tamen, etiamſi tu taceas,*

me facturum qvod decrevi. 8. *Non enim apud me impossibile est, sicut Angelus de me dixit, omne verbum, qvin exseqvar qvod decrevi: non hodie demum, aut heri, sed ab æterno.* 9. Ad qvæ ego: Credidi ego Domine verbo tuo, facturum te qvod decrevisti, mihiqve revelasti: multis tamen ita id habere; qvaliter ego accepi à Te, non videtur. 10. Responsum est: *Qvid ad me isti increduli, & de mea potentia dubitantes? Annon inter filios Israel habui similes? qvi non ingressi sunt in reqviem meam propter incredulitatem.* 11. *Fac tu duntaxat, cum aliis, qvæ mandavi: Vigilate & orate, cum jejuniis.* 12. *Diffidis tu viribus tuis, sicut & alii, ad efficiendum qvod ego mando tibi: sed apud me virium satis est, qvùm ego roborabo te, poteris omnia.* 13. *Qvòd autem tibi evulgationem eorum qvæ tibi dixi, non festinare svadent: an ideò putas me non facturum qvod volo, tam in excitando Principe Vestro, qvàm in aliis?* 14. *Scias volo, me perditurum esse Domum Austriacam! Qvam qverelis proseqventur, & deserent, etiam qvi nunc illi fuerunt conjuncti, satisqve diu eam ædificare, fulcireqve, juverunt.* 15. *Atqve ibi demum Vos liberabimini, & in terram Patriam (qvæ tamen horrendùm priùs vastabitur) reducemini.* 16. *Magdalena (affinis tua, vidua) orat ad me, téqve exspectat. Recipe illam, & provide victualia tibi illique.* 17. *Hoc autem si tibi soli habere velis, habe: si confidentioribus vis committere, & illi his rectè uti volent, sibi consulent. Sin, mitte illos: meaqve jussa exseqvi perge, vigila & ora.* 18. His dictis valedixit mihi: ego autem orabam, ne hæc oblivisscerer. Repetiit igitur omnia. 19. Tandemqve dixit: *Qvum tam immemores: surge mox, & scribe.* 20. Surrexi igitur, & scripsi.

[v. 3. *Etiamne tu ipse dubitas?*) Infirmitatem in non illuminatis ferre potest Deus: non item in iis qvos lumen ipsum Dei collustravit. v. 6. *Tolero adhuc*) Mira Dei tolerantia infirmitatis nostræ. Subest tamen causa, cur tùm adhuc toleravit Deus non urgeri Principem, cùm operis ipsius agendi nondum esse tempus sciret, contestandi tantùm: ut suô tempore pateret illius esse Opus hoc, qvi eminùs omnia prævidet ac disponit. Ibidem: *ut ille dixit*) Nempe Siracides cap. 32. 24. Aliud huc spectans vide infra, Rev. XXII. v. 3.]

REVEL. VII. Martij 2.

[*Somnium de tribus Libri cujusdam exemplaribus, typis exscribendis,* 2. *Interpretatio Somnii,* 6, 7. *Videnti sotius qvem petebat, non additus, propter incredulitatem,* 8: *qvæ opera DEI semper impedit,* 10. *De promissionum Divinarum eventu non dubitandum,* 13. *Hodossie qvantum revelandum,* 16.]

FEriâ secundâ post Reminiscere obvenit, jam jam experrecturo, somnium tale. 2. Eram in ampla qvadam domo constitutus, qvò *Libri cujusdam afferebantur exemplaria tria manuscripta, ad prelum.* 3. *Unum autem illorum exemplarium (de qvo fuit dictum, Ultimum esse) ardebat igne.* 4. Ego verò allatori dare cupiens honorarium, qvòd me videre ista sivisset, effudi è crumena pecuniam: exciderunteqve nummi duo formam habentes pileorum; alter Almodicæ mitræ (qvalibus utuntur Sveci) alius Hussaricus (qvalibus Hungari utuntur.) 5 Hos ego cùm donô darem allatori, respondit; Reconde illos, nummi

enim isti valorem nunc non habent. Et mox evigilavi, qvid somnii istuc esset recogitans. 6. Facta verò est ad me vox: *Tolle à Fr: Iavorio scripta tua, sermonesqve qvos loqvutus tibi sum, & examina illos ad Scripturas Sacras.* 7. *Non enim sunt Verba tua, sed mea, qvæ prodibunt typorum ministeriô in lucem: nam sicuti per somnium vidisti afferri Exemplaria tria ad prelum, ita fiet illis rebus qvas tu me mandante consignasti.* 8. Ego ad hæc: Promissum habui, de mittendo mihi socio, qvem petebam, Martinum Drahosch. 9. Respondit, *Misi* (& fuit ita, venerat visitatum me ille): *sed propter illius incredulitatem* (& aliorum, qvorum ego novi de his rebus cogitationes & sermones) *non me revelavi illi, sicuti revelavi me & opera mea tibi.* 10. *Non meministi Dominum Iesum, qvùm esset inter incredulos, non miraculorum plus edidisse, edereqve potuisse, propter diffidentiam eorum?* 11. *Ego verò qvod loqvutus sum exseqvar: Tantummodò tu fac qvod dixi.* 12. *Refer hæc ad Hodossi solum, ut scribat ad Principem, habens interim id pro se solo, & Principe Domino suo.* 13. *Puchoviam adi: mirantur enim multi cur non venias.* 14. *Inter qvos hucusqve convenire non potest de his rebus: videtur illis novum qviddam, adeóqve impossibile.* 15. *Qvùm tamen qvis mihi vires subministravit ad Mundum creandum? qvis subministrat ad sustentandum? & in eo qvicqvid beneplacitum est mihi, gerendum? Qvis subministrabit ad finem illi virtute meâ, meâ inqvam virtute, imponendum?* 16. His ego auditis, dixi: Ergò Hodossio tamen loqvar? Resp. *Vel illud solùm loqvere, qvod de Orationibus Vestris, & de Domo Austriaca, & Principe, mandatum est: habebitqve id sibi, & Domino suo.* 17. His valedicebat mihi: ego autem rogabam, Num porrò etiam rediturus esset ad me? Respondit: *Ego semper tecum sum, Tu solummodò ne metuas seduci. Atqve jam vale.* 18. Ego verò decantavi canticum, O Conditor Rerum Omnipotens, &c.

[v. 3. *Ardebat igne*) Vide præfationem primam. *Valorem nunc non habens*) Particula *Nunc*, ostendit valitura tunc temporis non fuisse consilia, pro jungendis Orientalium cum Septentrionalibus (Hungarorum cum Svecicis) viribus. Tametsi enim bienniô pòst fuit tentatum, invalidum tamen fuit. v. 14. *Videtur ipsis qviddam novum*) scilicet hunc revelandi modum. *Et impossibile*) nempe qvod prædicitur, Liberatio Ecclesiæ è manu tàm potentis Oppressoris. Confer Jes. 49. v. 24. Sed Deus ad Omnipotentiam suam, qvâ Mundum produxit & sustentat, provocat: ibidem v. 25, 26. hîc v. 15.]

REVEL. VIII. 10. Martij.

[*Ante Patriæ eversionem educere fidelium reliqvias promittit DEUS*, 2. *Solatia contra metum*, 5. *Cælum & Terra in manu DEI ostensa.* 9. *Mandata DEI Principi Transf. detegenda*, 13. *Videns tandem obedientiam promittit, tantùm non deseri petens*, 20.]

FActum est ad me Verbum Domini, feriâ tertiâ post Oculi ante prandium. 2. *Tu siles, neqve refers Hodossio ea qvæ Tibi non semel ostendi: venisse jam tempus, qvô Austriacam Domum evertam, & perdam eum qvi affligit Gentes multas.* 3. *Nec tamen id facturus sum ex toto, nisi priùs eduxero è Terris vestris fideles meos, qvi adhuc ibi sunt: Mei enim sunt, exspectantes liberationem suam & vestram.* 4. *Nam qvemadmodum non subverti Sodomam, dum ibi erat Lotb: neqve excîdi Ieruse-*

rusalem, donec exiissent mei Pellam: ita hic faciam. 5. *Tu metuis, ne qvid periculi eveniat, si hæc aperueris Principi Domino tuo: sed ego dico, Nihil est qvod metuas.* 6. *Ego enim is sum, qvi te, & alios Cultores meos, ita protego, ut ne pilus qvidem cadat de capite vestro sine voluntate mea.* 7. *Ita prorsus de te fiet, aliisqve dilectis meis, in me confidentibus.* 8. *Percurre totum tempus vitæ tuæ, reperies nunqvam te à me fuisse derelictum.* 9. *Annon enim omnia sunt in potestate mea? qvi Cœlos, Terram, Maria, & qvæ in his sunt, potentiæ meæ pugillô ita contineo, qvomodo vestrum qvis sphærulam, aut globulum, pugnô suô?* 10. *Omniaqve ista ego commoveo arbitratu meô: neqve qvisqvam unqvam impedivit actiones meas, nec impediet in æternum.* 11. Et mox extendens manum suam: ostendit mihi in vola manûs suæ Mundum, & omnia qvæ in eo sunt, ut exiguam sphærulam. 12. Respondens autem ego dixi: Ita est, Domine Jehova, metuisse me, & adhuc metuere, loqvi de rebus his. Rogo itaqve ostende mihi, per qvem, & qvomodo id exseqvar? 13. Responsum: *Qvàm primùm redierit Hodoßi, adito & significato, Te habere privatim loqvi, illi soli: Et agnosces, qvòd sit te recepturus, pro se & Domino suo ista habens.* 14. *Non aspernabitur hæc: qvia res hæc mea est, non tua.* 15. *Ego in occulto meo consilio decerno qvicqvid volo, & in lucem eorum profero qvantum volo.* 16. *Ut qvæ de Domino vestro Principe loqvutus sum, exeqvutus id sum & exseqvar: modò ille ductum meum intelligat & seqvatur, dexteramqve offerat Septentrionalibus, qvi illam reqvirunt sincerè.* 17. *Qvoniam ego Illum elegi, ut Ille protegat Terram hanc, excîdat Idololatras, & proculcet Austriacam Domum.* 18. *Et ne metuat, dico, seduci. Ego enim egrediar ante illum, & Exercitum suum, ut terror invadat hostes ejus, qvi perniciem illi sunt machinati.* 19. *Sed eum non everterunt, nec adhuc poterunt: qvia ego cum illo sum, & ero semper.* 20. Dixi: Jam obseqvar, & D. Hodoßio omnia referam. Tu tantùm ne deseras me propter misericordiam tuam. 21. Respondit: *Non deseram; qvia tecum sum & ero. Fac modo qvæ mando.* 22. *Nam tempus meum venit, & agnosces tu, aliiqve, sermones meos esse veraces. Pax mea tecum sit.* 23. *Et qvàm primùm hæc expedieris* (apud D. Hodoßi) *abi Meseritium, & reculas Magdalenæ ad te transfer, nihilqve tibi accidet mali.* (Atqve ita fuit.) 24. Rogabam autem ne permitteret hæc mihi excidere: & Ille repetiit omnia, jubens me mox inscribere omnia. 25. Iterumqve dixit: *Pax mea tecum sit.* Ego verò cecini partem hymni Ecclesiastici &c.

REVEL. IX. 28. Martij.

[*Videns adhuc Superiorum consilium exspectans, inobedientia arguitur*, 1, 2, 3. *Decreta* DEI (*de Domo A.*) *immutabilia*, 4, 7. *Principis Transf. metus*, 6. *Videns dilati adhuc obseqvii veniam petit*, 10.]

PRidie Palmarum ægrotare cœpi, orabamqve Dominum, ut ne me desereret: atqve ut Fr: *Iawor* (Lednitii V. D. M. exul) afferret mihi consilium à Patribus (eô fine congregatis) qvid mihi esset faciendum. 2. Ecce autem subitò dolor acutus invasit latus meum dextrum! audiviqve vocem, *Dolor hic à me est, & volo ut tibi doleat, donec ista retuleris ad Hodoßium.* 3. *Exspectas tu qvid tibi*

tibi Fr: Iawor allaturus sit? Et qvid afferat, nisi, non esse consilium contra me, & consilia ac decreta mea? 4. *Ego enim sum qvi non mutor, neqve mutabor in eo, qvod contra domum Austriacam exseqvi decrevi, per Orientales & Septentrionales.* 5. *Nam labefactavit Legem meam, & pro nihilo duxit mandata mea, qvæ ego præcepi Regibus etiam & Ministris eorum, Sacerdotibus, & toti Populo.* 6. *Princeps Dominus Vester metuit, ne in avia abducatur: sicut & tu metuis. Sed qvòd antea dixi, dico, Ne metue!* 7. *Ego qvod cœpi perseqvar, & evertam Domum Austriacam: cujus termini jam prætereunt, qvos ego posui, non alius: Nemo resistere poterit consilio meo.* 8. *Sciant omnes, hîc nihil esse tui, meum hoc negotium totum est.* 9. *Mesericensibus eveniet prout prædixi.* 10. Rogabam itaqve mihi condonari, qvòd ea referre (Hodossio) ahuc distulissem. 11. Et Dominus repetiit omnia hæc dicta, jubens mox surgerem & scriberem: suffecturam chartam (parum enim ejus supererat, sollicitusqve fui an caperet.) 12. Surrexi igitur, & scripsi, juxta mandatum.

REVEL. X. 31. Martij.

[*Revelator Videntem Revelationes silentiô defendere docet*, 1, 2. *se ostensurum, suas fuisse, eventurorum*, 3. Andreas Resi *cur obierit*, 4. *Bogadi*, 8.]

TErtiâ post Palmarum feriâ, factum est iterum ad me Verbum Domini, cùm temeraria judicia, calumniososqve sermones qvorundam de rebus mihi à Domino revelatis recogitarem, & qvid respondendum illis esset. 2. Insonuit enim vox auribus meis: *Qvîesce, tace! Non tanti es Tu, ut defendere qveas te ipsum & tua, nedum me & mea.* 3. *Tutabor ego me ipsum, cùm in exitum deduxero qvæ loqvutus sum tibi.* 4. *Cogitabas interdiu: Cur Capitaneus vester, Andreas Resi, non supervixisset, ut videret liberationem vestram?* 5. *Ideò, qvia me & consiliô meô non contentus, consiliis suis negotia mea agitare voluit.* 6. *Eò causam præbuit, ut præciderem vitam ejus, neqve majora incurrere mala permitterem: qvippe ego ante adventum mali eripere soleo cultores meos.* 7. *Capitaneus obiit, & non obiit: nam & qvi nunc est, Capitaneus est.* Et ego dixi: Annon etiam Domino Bogadi significabo, qvæ mihi revelata sunt? Respondit: *Hodossio, ut priùs dixi, significa, qvùm videbis germinare.*

REVEL. XI. April. 3.

[*Destructionem Babylonis, Reformationemqve Ecclesiæ nunc fore veram & plenam, non incboatam duntaxat, uti antè sæpius.*]

MAgnæ Parasceves die, anteluca-nô, veniebant in mentem acta Hranicii anno 1626, cùm sub præsentiam Danici & Mansfeldici exercitûs renovatio fieret intermissi Divini cultûs in Ecclesiis nostris. 2. Orareqve cœpi, ut me Deus superstitem esse vellet, qvando dilecta Patria liberabitur. 3. Et factum est ad me Verbum Domini mei: *Umbra tunc fuit eorum, qvæ nunc sunt,*

&

& erunt, in veritate. 4. *Nondum enim biberatis, & ebiberatis, calicem indignationis meæ, qvem ego miscueram vobis, & Terræ vestræ.* 5. *Meretrix etiam Babylonica nondum se ad plenum inebriaverat sanguine Sanctorum, & servorum meorum, ut ostenderam Iohanni dilecto meo.* 6. *Sed jam jam nunc complet mensuram impuritatis abominationum suarum.* 7. *Venit ergo tempus, ut corpus illius allidatur humi, refundaturqve illi dupliciter: Nam qvi eam perdere cœperunt, perdent etiam.* 8. *Tu Scripturas sacras lege, iisqve quæ tibi mandavi attende, & non confunderis.* 9. Dum autem cogitarem, an illud etiam esset consignandum, dixit, *Scribe, jacturam non facies.* Surrexi igitur, & scripsi.

REVEL. XII. April. 16.

[*Numerare qviddam jubetur Videns, 2. Restitutio Exulum sine Principe Transf. non futura, 6, 21. Prudentia humana, metusqve hominum nimius, increpantur, 9 &c.*]

ITerum factum est ad me Verbum Domini, feriâ qvintâ post Qvasimodogeniti, cùm jam diesceret. 2. Expergefactus cogitabam, qvid sibi Somnium vellet qvod antecesserat, in qvo jubebar (nescio à qvo) numerare: Numerabam igitur, primùm 25, & mox 45. 3. Id cùm cogitarem, venit vox dicens: *Numerus iste numerus meus est.* 4. Expavi ego, cogitans numerum illum nimis esse longum, LXX. 5. Et vox illa: *Qvid dicturus es, si ego prolongavero liberationem vestram? nec fecero qvod me facturum dixi?* 6. *Non faciam omninò, antequam veniat Princeps Dominus Vester, cui ut significares mandavi, venisse tempus meum ut perdam hostes meos & vestros: ut ergò faciat, cum aliis, qvod prædecrevit manus mea.* 7. *At tu taces, plus homines metuens, qvàm me: de Orationibus etiam parum estis memores eorum, quæ monui.* 8 *Scio qvosdam, qvibus hæc concredidisti, gemere: sed pauci sunt.* 9. *Tu autem frustra homines respectas: qvasi nescias homines tantùm esse, qvi se ipsos & sua non intelligunt, ne dum ut me intelligant, qvid ego, qvando, qvomodo, & cur, faciam.* 10. Tùm ego: Ignosce mihi Domine propter misericordiam tuam. 11. Tu scis, qvi nosti cor meum, me non meâ causâ tacuisse, & tacere, sed in gratiam eorum qvi sibi & mihi timent, ne nos in periculum præcipitemus. 12. Scis enim nobis esse osores multos: & dixeras ut exspectarem dum germinaret. (Martij 31. v. 7.) 13. Qvod ego sic interpretabar, exspectandum esse donec Princeps Dominus noster initium faceret expeditionis. 14. Responsum est: *Princeps jam inclinare incipit, sed exspectat manifestiora indicia voluntatis meæ.* 15. *Tu itaqve ne taceas jam; sed loqvere Hodossio, ut Principi scribat id, qvod tibi aliqvoties jam indicavi.* 16. Ego verò dixi: Annon exspectat Princeps Dominus noster, dum Turca initium faciat? qvandoqvidem eum Bellum moliri rumor est? 17. Resp. *Nihil Turca faciet, qvamdiu illi Princeps propositum suum non detexerit.* 18. *Scit enim Cæsaris & Consiliariorum ejus oculos in Principem esse obversos, non illius, sed suâ causâ.* 19. *Qvin & hoc Turcæ notum est, Principem vestrum ab aliqvot jam annis cum exteris fœderari: sicut & Polonum illi benè affectum esse: ideoqve illi attendit.* 20. *Propterea te cum cæteris hortor, Vigilate & Orate.* 21. *Nam plaga iræ meæ contra vos & Terras vestras non sanabitur; qvàm diu Princeps Dominus vester non prodibit.* 22. Ad hæc ego:

Ignoſce miſero mihi, propter miſericordiam Tuam, qvòd iterum qværam, Qvomodo id mihi faciendum ſit, ut me & alios à periculis præſervem? 23. Scis enim ita eſſe ut dixi, paratum eſſe me, ſed trepidamus. 24. Reſpondit: *Atqvi jam dixi, Adi Hodoſſium, & obſtringe qvibus voles modis conſcientiam ejus.* 25. *Ego verò tangam ejus Cor, ut hæc profundiori premat ſilentiô, qvàm alii.* 26. *Surge itaqve, & quæ tibi loqvutus ſum conſigna:* repetiitqve omnia illa, additô: *Ego te elegi, per qvem Principi notum facerem, voluntatem eſſe meam, ut Septentrionalibus junctus exſeqvatur ultionem meam in Idolorum cultores.* 27. Et qvæſivi, Adhucne venturus eſſet ad me? *Non tam citò*, reſpondit, *donec videro qvid facturus ſis.* 28. His valedixit mihi: Ego autem è Pſalmo 38, cecini verſus ultimos: *Ne derelinqvas me Domine, DEUS mi ne diſceſſeris à me. Feſtina in adjutorium meum Domine, DEUS ſalutis meæ.*

Revel. XIII. Maij. 5.

[*Comminatio videnti facta, de nimia in his revelandis cunctatione.*]

ITerum factum eſt ad me Verbum Domini, feriâ tertiâ poſt Cantate, ſub ipſum Solis ortum. 2. Poſtqvam à ſomno evigilaſſem, qvô recipiebam à dilecto Patre Lanetio (qvi tamen jam Anno 1625 obierat) pro me & aliis eleemoſynarium ſubſidium. 3. Dictumqve eſt mihi: *Tu taces, nec annuntias ea quæ tibi non ſemel jam mandavi, Adeſſe tempus ut glorificem me & nomen meum. Vide, ne te apprehendat malum!* 4. Reſpondi: Noſti Domine paratum eſſe me. Sed qvia illi boni Viri exſpectare adhuc ſvadent, donec meliùs occaſiones appareant ne ludibrium fiam. 5. Ad hæc Ille: *Boni ſunt vobis & ſibi, non item mihi: qvia æqvè homines ſunt ut cæteri, labii polluti.* 6. *Tu Patrem appellas illum qvem in ſomnio vidiſti, veraqve credis quæ aliquando ex illo audiviſti.* 7. *An ego tibi non meliori jure Pater ſum? ut me præ illo audias?* 8. *Ergò quibus heri perſonis cogitaſti, illis hæc ſignifica: nam & illi miſericordiam exſpectant meam.* 9. *Hodoſſio verò jam tandem omnia recita, quæ unqvam dixi.* 10. *Niſi feceris, apprehendet te malum, qvod apprehendit immorigerum Prophetam, qvem jugulavit Leo.*

[Hiſtoria hæc 1 Reg. 13. legitur. Qvâ comminatione Drabicius perterritus demum Capitaneum adiit, mandata expoſuit, inqve Principis notitiam ea deduci petiit: unde Revelatoris per bimeſtre ſilentium ſeqvutum.]

Revel. XIV. 2 Julij.

[*Qvibuſdam revelare probibetur*, 1, 2. *Iudicia DEI non ſecundùm judicia noſtra procedunt*, 3. *Ferrô & igne cur nunc Terras vaſtet*, 4. &c. *Iohanni A. C. qvid ſcribendum*, 9. *Patria liberatio cur differatur*, 12. *acceleranda per pœnitentiam*, 14. *etiam propter convertendas Gentes*, 16. *Scriptura Sacra cur nunc tantò diligentiùs legenda*, 20.]

FEriâ qvartâ poſt IV. Trinitatis, horâ circiter poſt Solis ortum, qvùm adire vellem D. Berkeſi, arcis Lednicenſis Caſtellanum, illiqve eadem illa communi-

municare, facta est ad me vox Dei: *Mitte ista, nec pluribus revela quæ loquutus tibi sum: quin & à Laworio tua recipe.* 3. *Nondum enim venit tempus ut veniant in lucem: qvanqvam res ipsa procedet, etiamsi non secundùm judicia Vestra.* [NB. *Sveci tum temporis irruperant in Moraviam, occupaverantqve & incendiis deleverant loca multa, ad Preram, Cremsiram &c. Unde Confratres mei valdè dolebant, ita Patriam vastari.* Perrexit itaqve vox DEI] 4 *Multis videtur, res aliter debere procedere, qvàm procedunt. Ego autem dico; Ita, non aliter procedere oportere.* 5. *Qvomodo enim aliàs permoveri possunt impii, ut agnoscant furorem iræ meæ, qvam concitarunt adversus sese, nisi per Ignem & Gladium, qvem super illos misi?* 6. *Super Idololatras & duces suos; qvi excitabant tenebras, & parturiebant iniqvitates cum Inhabitatoribus terræ, superioribus & inferioribus; qvibus ego nunc oculos eo apertum, ut intueantur vias suas malas.* 7. *Qvos addixi ad gladium, eant ad gladium; qvos ad ignem, ad ignem.* 8. *Furor enim meus accensus est contra abominabiles idololatras.* 9. *Tu qvod scribere cogitasti ad Amosum, mittereqve illa quæ ego revelavi tibi, fac ita.* 10. *Et scribe, ut illa expendat, conferendo cum aliis qvæ ille scit esse profecta ex ore meo: neqve testimonium aliud qvàm secundùm veritatem dabit.* 11. *Fac autem simul sciat, non esse voluntatem meam ut alienis Nationibus, sed Patriæ suæ, consecret ministeria sua.* 12. *Illa enim iis indigebit, una cum reliqvis, qvos conservare ac reducere decrevi, qvanqvam nondum tàm cito.* 13. *Ira enim mea nondum tam cito deflagrabit, etiam adversus hanc Terram, qvam inhabitatis modò.* 14. *Ideo tibi mando: Adito Seniorem, Laurentium, illiqve dicito; Monere me, ut ille ipse moneat populum, videant ignem indignationis meæ, venientem super hanc qvoqve Terram.* 15. *Atqve ut unus qvisqve prout sibimet cordis sui conscius est, quâ ratione peccârit contra me, ita se recipiat, viasqve suas emendet, humilians se coram me in jejunio, qvemadmodum antè dixi.* 16. *Ut ne irriter ampliùs ad iram, leniar potiùs ad misericordiam, etiam erga Gentes qvæ nondum Me norunt, Turcæ ac Iudæi:* 17. *qvorum oculos jam incipio aperire, ut videant exsertam potentiam meam ad conterendum Populos, præsertim Idololatras, superbosqve Babylonicæ Meretricis Ministros.* 18. Ego autem dixi: Ignosce Domine propter misericordiam Tuam, qvòd adhuc qvæsiero: Faciétne Magdalena affinis mea, qvod illi jussu tuo svasi? (nempe ut relictâ Idololatricâ Patriâ, & apostasiâ suâ, ad exulandum veniret.) 19. *Fecisti jam tu, qvod jusseram ego: desine. Illa qvod claudicat, plusqve homines metuit qvàm DEUM, sibimet accersit malum, non alii, si perseveraverit non obseqvi.* 20. *Tu Scripturas sacras lege, tibi & domui tuæ! ut qvid ego antehac agere cum hostibus meis fuerim solitus, ne ignoretis: visuri me DEUM esse qvi non mutor in puniendis impiis, tutandis autem iis qvi diligunt & faciunt mandata mea, Vale.* 21. Ego autem egi gratias, ut potui, rogans non deseri: & hæc ipsa scripsi, ut jussus fui.

[v. 10. *nondum tam citò*) Citò sperabamus reduci, oppressoribus tunc ubiqve succumbentibus apparenter: sed id dilatum, hîc fuimus moniti. Ad v 9.) Degebam ego tunc Elbingæ Borussorum (à Lednicia centum circiter milliaribus) omnium qvæ ibi fierent ignarissimus. Fratres ergò meliùs de his persvasi (nominatim *Paulus Hladik* Conseníor, vir timoris Dei plenus) parendum Oraculo rati Revelationes eatenus factas (numerô XIV) transcribi curant, & ad me mittunt, meum qvoqve reqvirentes judicium & con-

& consilium. (NB. Qvomodo schedæ illæ in alienas manus in Polonia incidissent, servatæqve tamen fuerint, monebo ad Rev. XVIII.) Ego istis cognitis expavi, novarum turbarum metu. Priora enim illa, *Kotteriana & Poniatoviana*, altô jam apud me qvoqve sepulta erant silentiô: ut à novo hôc emergente non posset non concuti animus. Orabam tamen Deum ut nos ne desereret: relegendoqve missa jam, qvid facto videretur opus cogitabam, ne vel ingrati reperiremur, si Dei hoc esset opus; vel expositi ludibriis, si secus. Rescripsi deinde Fratribus, illorum circa examen hujus rei tam acre prudentiam laudans, utqve porrò etiam saluti suæ invigilarent orans. *Qvantum ad publicas preces, pœnitentiaqve exercitia, cùm illa per se placeant Deo semper, præsentiqve humiliationis nostræ statui inprimis conveniant, posse tantò diligentiùs institui: ut si divinitùs bonum admoneamur, ne reperiamur immorigeri. Sed & si fortè ab aliqvo deceptionis spiritu ista veniant, tantô magis fervidis orationibus esse opus, ut ne inducamur in tentationem.* Enimverò nihil factum est, qvantum ad publicas preces & jejunia: prævalente illorum consiliô, qvi opus hoc silentiô tegendum, & sic si posset exstingvendum, putabant. Deo tamen aliud fuit consiliam, non sopiendi cæptum opus, sed urgendi: uti seqvitur.]

REVEL. XV. 16. Julij.

[*Somnium de partu cujusdam fœmina* (4) *applicatur ad Principem Tr.* 11. *qvi qvòd nimium humanis consiliis fidat, increpatur,* 6. *jubeturqve imitari Davidem,* 9, 10. *Monendus denuò, ut à diffidentia desistat,* 14. *&c.*]

ITerum factum est ad me Verbum Domini, feriâ qvintâ post VI. Trinitatis, ante Solis ortum. 2. Videram in somno Patrem Lanetium, decumbentem, & mihi de medicina sibi à peritissimo Medico propinata narrantem. 3. Me super id lætante, dixit: Paratusnè es concionari? Exspectat enim multitudo. 4. Interim veniens qvidam dixit, Uxor N. N. laborat in partu. Et mox expergefactus, qvale id somnium esset cogitare cœpi. 5. Ubi Dominus: *Tu taces, neqve qvomodo res tuæ à Principe sint exceptæ inqviris:* Respondi, Tacui, qvia relationem à D. Hodoszi exspectavi. 6. Ille: *Ne taceas, sed loqvere Hodoszio, tempus esse ut Princeps Dominus Vester desistat suis consiliis, humanisqve judiciis, agi.* 7. *Faciat secundùm consilia cum istis jam agitari cœpta, qvos excitavi ego ad suscipiendam causam gloriæ meæ, & nominis mei, & Regionum ab Antichristianis oppressarum.* 8. *Etenim jam jam terminis Idololatris concessi decurrunt: sed Princeps decurrere nondum credit* 9. *Ideoqve timet, nec ita incedit ut servus meus David, qvi qvoties notam sibi habuit redditam voluntatem meam, alacri mente non sua sed mea prælia præliatus est, meaqve manus fuit cum illo, & brachium meum auxiliatum est illi, qvoties exibat in nomine meo.* 10. *Seqvatur eum Princeps Dominus vester: eritqve sicut dixi, præcedam ego ubiqve copias ejus.* 11. *Et ne similis sit mulieri parturienti, & non parienti: parere enim tamen necesse habet, qvando venit hora ejus.* 12. *Sciat igitur Princeps, horam partûs sui jam venisse: meqve illum elegisse, non alium, ut in nomine meo auxilietur excitatis à me Gentibus ad evertendum Domum Austriacam, & abolendum Idololatras, cum omnibus abominationibus suis.* 13. *Possent qvidem id hæ Gentes citra illum exseqvi; Ego tamen honoris illius participem reddere illum decrevi hac in Gente, non alium.* 14. Ego verò

dixi;

dixi? Ah Dominator Jehova, num non in potestate tua est cor illius, ut tangas illud, & flectas in obseqvium tuum? 15. Respondit: *Id jam feci, & ille propendet: sed exspectat adhuc tempus quod sibi ratiocinatione suâ posuit: ignarus, quòd alia sint tempora ratiocinationis suæ, alia decreti mei, quæ jam jam adventant.* 16. *Præcipio itaqve tibi, convenias Hodossium & inqviras: Num tua Principi reddita sint? & qvid Princeps adistat?* 17 *Scribatqve denuò Principi, ne ampliùs cunctetur, sed prodeat in nomine meo, ad exseqvendum qvod per illum exseqvi decrevit dextera mea.* 18. *Diffidit Princeps, non esse cui tutò committat Exercitus suos: sed sciat esse plurimos, qvi alacriter facient qvicqvid mandaverit.* 19. *Et qvia hos Gladius præcedet meus, facili negotiò procedent omnia.* 20. *Extensum enim est brachium meum, & robur meum, ad conterendum hostes ipsius, & hostes meos, abominandos Idololatras istos.* 21. Dixi iterum: Rogo ignosce servo tuo, ecqvando istud D. Hodossio significandum est? 22. Resp. *Crastinâ die, qvam vobis diem jejunii & precum esse jussi, ut pro Vita etiam Principis Domini Vestri oretis.* 23. His valedixit mihi, dicens: *Auxilium meum, & benedictio mea, tecum sit.*

REVEL. XVI. 7. Augusti.

[*Somnium de rigido judicio*, 1, 2. *explicat Dominus de judiciorum suorum horrendo rigore; qvò jam uti decrevit adversus habitatores Terræ* 3. &c. *Videns exhorrescit, & iram deprecatur, saltem pro conservandis reliqviis*, 10, 20. *Promittit* DEUS, 16. *& ad qvos silentiò adhuc sit utendum docet*, 17.]

POst IX. Trinitatis feriâ sextâ, diluculò, videbar constitutus in magna populi multitudine, ubi examinabantur hominum transgressiones. 2. In medio verò stabat, Fr: Joh. Sapor, ad qvem intercedebant, nescio pro qvo, permulti: ille verò perstitit in judicii rigore. 3. Mox experrecto mihi, factum est verbum Domini: *Omnes iniqvitates omnium hominum à seculis non sunt absconditæ à me, neqve qvidqvam est tectum coram oculis meis.* 4. *Etiam de iis qvæ nunc fiunt, qvàm perversa sint judicia multorum: & qvomodo etiam qvi sibi & aliis justi videntur offendantur judiciis meis, qvæ justè contra impios exerceo.* 5. *Nolunt hi attendere, mihi, tametsi Mundum subvertam ut Sodomam & Gomorrham, dicam scribi non posse.* 6. *Viæ enim habitatorum universæ Terræ sunt viæ perversæ: optimus inter eos est ut paliurus, & rectissimus spinæ instar.* 7. *Nec est qvi rupturæ obducat sepem, qvi inqvam agnoscat peccatum suum, & in cinere ac cilicio qværat faciem meam.* 8. *Accensus itaqve irâ percussi, & percutio, & percutiam, habitatores Terræ, propter irritationes qvibus irritant me, & cavillationes judiciorum meorum, qvæ in impios exerceo, per te etiam.* 9. *Tametsi Moses & Elias intercedant, non condonabo habitatoribus Terræ, verùm tanqvam maledictos delebo.* 10. Ad qvæ ego: Ignosce Jehova servo tuo, qvòd loqvar: *Annon misericordia Tua major est delictis nostris?* 11. *Annon in potestate tua est, dare habitatoribus Terræ cor timens tui, & ut acqviescant judiciis tuis?* 12. Ne irascare igitur propter misericordiam tuam! & miserere reliqviarum, qvas decrevisti servare, post effusa super impios judicia tua. 13. Nam *qvis nostrûm consistet, si sic flagrabit ira tua?* 14. *Miserere igitur no-*

ſtri propter dilectiſſimum illum, in qvo dixiſti complacuiſſe tibi omnia. 15. *Converte nos, & convertemur*: atqvi Deus es, cui ſoli omnium poteſtas. 16. Reſpondit: *Novi ego meos, & ſervabo eos ut pupillam oculi, ut ſpectent judicia mea: non enim mutabor in eo, qvod propoſui, tametſi Hodoſſi cum aliis nolint intelligere judicia mea per te denuntiata, prouti debebant.* 17. *Principis Domini veſtri viæ mihi notæ ſunt: ideò repete ab Hodoſſio res tuas, jamqve obſigna os tuum, nihil reſpondendo, tametſi inqvirat.* 18. *Coram illis autem, qvi in Patria veſtra ſunt* [Svecis] *tua hæc in ſilentio ſint: nec enim illi his opus habent, non ignari aliunde qvid ſibi faciendum ſit: Voluntas enim mea innotuit ipſis.* 19. *Ita facito: tua hæc nondum revela Mundo. Vigila & ora cum aliis; jamqve Vale. Protectio & benedictio mea tecum ſit.* 20 Ego verò horrore perfuſus dixi: Ne iraſcaris obſecro Domine, qvòd ego qvoqve ſim errans coram te, unâ cum illis qvos noſti: qvòd ament te: & da nobis ut faciamus qvicqvid mandas; mihi autem, ne horum obliviſcar. 21. Repetiit itaqve omnia dicta ſua: ego verò actis humillimè gratiis ſurrexi, & iſta conſignavi.

[v. 18. *non ignari aliunde*) Unde igitur? An ex Apocalypſi Johannis, à *Brigitta* ſua jam ante qvatuor ſecula de myſtica Babylone exſcindenda explicata? novâqve iterum ad præſens tempus accommodatione, Reginæqve Svecorum per Meerbottum, Hogelium, alioſqve illuſtrata? An verò per excitatos, & illis ſubmiſſos, ecſtaticos vates, *Warnerum* & *Reichardum*? Qvorum omnium ſcripta publicam lucem, dudum jam ante hæc noſtra, viderunt.]

REVEL. XVII. Sept. 3.

[*Videns ludibria ob has Revelationes, & tædia, paſſus,* 1. *Principi ſua per aliam viam tranſmittere cogitur,* 10. *Domus A. cum nemine ſincerè agit,* 12. *Voluntatem DEI inviti facientes, ingrati DEO,* 15. *Preczinski obſeqvi trepidat, conſilio tamen juvat,* 26. &c.]

POſt XIII Trinitatis, feriâ qvartâ, ante diluculum experrectus orare cœpi. 2. Et ſenſi mox inſtinctum: *Surge, prodi, foris ora.* 3. Prodii itaqve, orans protegi à malitia hominum. 4. Reverſo autem in lectum mox auribus inſonuit vox: *In veritate mihi notæ ſunt viæ Domini Veſtri.* 5. Ego autem audire qvodammodo refugiens (ob ludibria qvibus replebar) occœpi cantare Pſalmum ſextum, & ſimilia, qvibus furorem Dei deprecabar. 6. Nihilominus tamen volens nolens audire adactus ſum Verba ſeqventia. 7. *In veritate mihi notæ ſunt viæ Principis, Domini Veſtri, qvibus ille incedendo tergiverſatur ea facere, qvæ conſilium meum, & judicia mea, decreverunt efficere per Ipſum etiam, cum Gentibus illis qvas ego excitavi contra Domum Auſtriacam: metuit enim abduci in avia.* 8. *Qvod ne metueret, per te etiam indicium illi fieri volui: ut nihil uſqvam reſpectando jungat ſe Populis illis, qvi eum ſincerè invitant.* 9. *Qvanqvam enim abſqve illo etiam non deſit illis robur, honorem tamen Illi deferunt, qvalem nunqvam cuiqvam è Gente hac.* 10. *Sed qvia Hodoſſi mea verba non ſic apud ſe expendit uti debuit, etiam ad Principem non plenè retulit:* 11. *Mando tibi adeas Iohannem Preczinski, intrepidéqve & confidenter ei loqvere, Mandare me ut qvantocyùs ſignificata tibi Hungaricam in lingvam transferat, Principiqve oſtendat, jam eſſe tempus, jam vacillare*

cillare Terram hanc cum habitatoribus suis, qvi jam lassescunt nescientes qvô se vertant. 12. *Exeat igitur in nomine meo, & Gladius meus præcedet eum, ad servandum illum & terram hanc, ab immanitate Domûs Austriacæ: quæ cum nemine nunc, ne Turca qvidem, sincerè agit, auscultans illis qvi mendaciorum patrem seqvuntur, mancipia Bestiæ septicipitis & decemcornis.* 13. *Metuit Princeps, ne in consilia exitum non inventura non abducatur ab illis Nationibus, qvas ego contra Domum Austriacam excitavi.* 14. *Verùm ne metuat: unus enim Potentiorum honorem suum illi cedere cogitat.* 15. Ego ad hæc: Ignoscè rogo servo tuo, qvod loqvar. Annon per D. Hodossi referri hoc ad Principem potest? Annon obseqvi tibi qvisqve, dum jubes, necesse habet? 16. Responsum: *Nunqvam ingratus, & invitè agens, meiqve contemptor, locum apud me habuit, nec habebit.* 17. *Creavi ego simul cum angelis satanam: cui cùm parùm videretur ita servire mihi, ut placitum fuit mihi, deturbavi eum Cælô, & præcipitavi in abyssum.* 18. *Saulem constitueram Regem, & locaveram inter Prophetas: sed qvùm me seqvi, & jussa mea exseqvi, renueret, rejeci eum.* 19. *Idem hîc facio, oblatumqve Hodossio honorem transfero in Preczinium.* 20. *Cui dicito, Ne pigeat noctem etiam impendere (ego enim benefaciam illi, & Domui suæ, si obedierit mihi) ut qvantocyùs perveniant ad Principem omnia, qvæ unqvam loqvutus tibi sum.* 21. *Confidenter age qvod mando, neminem pavesce: dic Preczinio, illi benè fore, si obsecundaverit.* 22. Qvæsivi autem: *Per qvem igitur D. Preczinski hæc ad Principem mittet?* Resp. *His diebus aderit Hodossio Legatus Principis, per hunc mittantur. Mea enim hæc voluntas nondum illi satis nota est.* 23. Denuò ego: Qvando hæc ad D. Preczinski referam? Resp. *Hodie, statim à Concione: nulla res te à proposito dimoveat.* 24. His valedixit mihi: cùm tamen surgerem, insonuit vox; *Andreas Bogadi obdormiit, & dormiet.* 25. Qvod ego non intellexi: sed eâdem die nuntius ad D. Hodossi veniens, obiisse nuntiavit. 26. Ego verò ad D. Preczinski me contuli, voluntatem illi Domini mei exponens. 27. Ille re intellectâ, causari cœpit, manum suam in Cæsaris Cancellaria esse notam: si hæc emanarent, se Cæsaris subditum vitæ periculum incursurum cum liberis. 28. Svadens exemplar meâ manu scriptum ad Principem mitti: non defore Principi interpretem. 29. Retinuitqve me apud se, donec Principis Legatus, *Egrei Istvan*, venisset: ad qvem me introduxit, exemplarqve istud (obsignatum) ad Principis manus deferri & fideliter tradi, rogavit: Factum 13 Septembris. 30. Ita Princeps hæc non Hungaricè aut Latinè, sed Bohemicè consignata, accepit: neqve cuiqvam ante D. Hodossi adventum ostendit.

[v. 11. *nescientes qvô se vertant*) Petebat enim tunc contra Svecos auxilia Cæsar ab Hungaris, Palatinusqve Esterhazi omnes induere arma jubebat, qvibus in occursum ipse Cæsar veniebat Skalicium usqve ad Moraviæ confinia, in Torstensohnium eos ire cupiens. Id qvod tandem tamen, post multas tergiversationes, negatum fuit.]

REVEL. XVIII. Sept. 11.

[*Cæsar cum suis copiis in angustias deductus*, 2. *Quæ de his revelationibus aliò missa, conservata sunt*, 6. *Orandum itaqve*, 7. &c.]

FEriâ sextâ post XIV. Trinitatis, qvum exercitus Svedicus circa Niclaspurgum hæreret (paulò ante urbe illâ à Torstensohnio captâ) Cæsar verò cum Palatino, Hungarica solicitantes auxilia, Sakolcæ: 2. Inter cogitandum qvid ibi fieret, orandúmqve ne desereremur, factum est ad me Verbum Domini, dicendo: 3. *In nomine meo expeditionem suscepit Exercitus Svecorum, à qvo Cæsareanarum copiarum tertia pars delebitur.* 4. *Hungarorum qvoqve multi peribunt, & in his Palatinus ipse, nisi se domi continuerit.* 5. *Postea hostis ulteriùs progressus, in tantas angustias deducet Cæsarem, ut consilium defuturum sit, illeqve desperare incipiat.* 6. *Tua, qvæ ad Principem mittes* [nondum tradideram tùm] *rectè custodita sint: nam qvæ in Poloniam misisti, venerunt in discrimen, conservavi tamen illa.* 7. Oravi igitur, ut Dominus ipse conservare dignaretur, has & illas, nosqve pariter à periculis tunc imminentibus. 8. Responsum est; *Conservabimini, tantùm ne Capitaneus dormiat.* 9. *Vos autem orate: orate inqvam.* 10. Ibi conticuit.

[v. 6. *conservavi tamen illa*) Missa erant per Ministrum V. D. senem Dan. Rufum: qvi cum Aurigis Cracoviensibus profectus, & ob fraudem in telonio ab illis commissam simul captus, cùm se ad illos non spectare diceret, suamqve sarcinulam sibi reddi obsecraret, illi hâc inspectâ, nihilqve præter indusium & chartas inesse visô, reddiderunt, abireqve siverunt. v. 8.) Observandum, Deum providis providere.]

REVEL. XIX. 29. Oct.

[*De prælio ad Lipsiam*, 2. *Ruina Domûs A.* 4. *Finem malorum non fore, nisi se Princeps Transf. conjungat excitatis Gentibus*, 8, 11. *qvi trepidat inutiliter*, 12 &c. I. A. C. 17. *Reducendi in Patriam*, 19. *Iter ad Principem mandatur*, 22. *Contemnentes contemnuntur*, 25. *Suspiria pro fratribus & proximis*, 27.]

ITerum factum est Verbum Domini ad me feriâ qvintâ post XXI. Trinitatis, sub Solis ortum. 2. Cogitabam de exercitu Svedico in Silesiam regresso, & Cæsareano istos inseqvente. 3. Et mox audivi vocem: *Prælium commissum est, de qvo dixeram tibi; jamqve fiet, qvod itidem dixi, ut Cæsar amittat robur suum.* 4. *Nam nec Ille, nec alii, intelligere volunt, transiisse terminum dominationis suæ, de qvo tibi dixi, apud me jam transiisse.* 5. *Sperat ille se non rejectum iri propter Majores, qvi hanc in se deduxissent eminentiam, peccando licet & malè agendo coram me.* 6. *Qvi eum fulciunt, idem hoc existimant: licet videant mala esse, qvæ patrantur ab illo.* 7. *Potentiorum unus jam se incipit excusare, & ad alios protestari, non se reum esse sangvinis effusi à Cæsare, hujus Patre, & effundendi porrò in Terra vestra.* 8. *Nondum enim finis est: nec erit priùs qvàm Princeps vester id egerit, qvod per te mando.* 9. *Qvæ ad illum misisti, qvanqvam accepit rectè, movent tamen*

tamen illi miras cogitationes. 10. *Quem si te accersitum mittet adibis, nihil reformidans: nam tecum ero, & Ille securitati tuæ prospiciet.* 11. *Certò autem scias, anxietatum quas ego induxi super tot Gentes, non fore finem, neque vos in Patriam reductum iri, nisi ille hoc in Regno peregerit voluntatem meam, Rex existens.* 12. *Ardua illi res videtur, & difficilis: Ego autem dico, tam diu fore difficilem quàm diu non inchoaverit seriò, & se Austriacæ Domûs hostem non declaraverit apertè.* 13. *Id simul ac fecerit, revelabuntur mox cogitationes multorum.* 14. *Atque cùm Ego hostes illius domesticos conterere incipiam, non etiam subsistet ullum consilium alienum, eorum qui contra illum Domumque suam, insurrecturi sunt.* 15. *Nam non Illi solùm, sed & filiis ac posteris ejus, ego benefaciam, faciat tantummodò jussa & mandata mea.* 16. *Et ego illum tantò afficiam hac in Gente honore, quantò alium neminem.* 17. *Amos ad se missa à te accepit, quæ longinquis Nationibus nota faciet, tibique rescribet.* 18. *Hladik abiit: noluit enim pudore illum suffundi super exaltatione tua, quâ ego exaltabo te tùm hîc, tum in Patria, ubi Nomen prædicabis meum, administrabis Sacramenta, lapsosque recipies, ut tibi per somnium ostendi.* 19. *Reducam verò in Patriam quos reducere decrevi: non jam demum, sed ab æterno.* 20. *Nulla humana vis impedire poterit consilium meum, modò tempus à me constitutum venerit: quia ego ut pulverem difflabo inimicos meos & vestros.* 21. *Kriz mortuus est: Hodoszi non multos habebit dies, quia sapere supra me, Dominumque suum, voluit.* 22. *Para te, ibis ad Principem: nemini alii de his ampliùs verba facito.* 23. *Pax & benedictio mea tecum sit.* 24. Ego autem dixi: Affinis mea Mesericii manere perseverabitnè? Respondit: *Magis opes diligit quàm vitam.* 25. *Quisquis consilia mea, ductumque meum contemnit, contemnitur à me.* 26. *Nam apud me indifferens est, misericordiam exercere super timentes mei, & justitiam super inobedientes.* 27. Iterum dixi: Ne obliviscaris, ò Domine Confratrum meorum aliorúmque proximorum meorum! 28. Respondit: *In memoria sunt apud me. Tantùm vigilate & orate.* 29. *Tu verò surge & scribe quæ indicavi tibi: erit aliquando his opus.* 30. Ego cum lacrymis agens gratias, orabam, ne pateretur hæc effluere mihi. Repetiit itaque illa omnia, quæ ego scripsi illicò.

[v. 3. *Cæsar amittet robur suum*) Factum id cæsô exercitu ejus ad Lipsiam, fugatòque Leopoldo ejus fratre sic, ut vires nunquam recuperare posset: & occupata mox à Svecis Lipsiâ, rerum per Germaniam feliciter gerendarum centrô. v. 21. *Non multos habebit dies*) Vitæ an dominationis suæ dies? Depositus enim fuit brevi pòst: & vivit adhuc, sed invisus Deo & hominibus.]

REVEL. XX. 26. Nov.

[*Gad Propheta*, 1. *Princeps Tr: jam se ad voluntatem DEI disponens, consolandus*, 2, &c. *Multi propter contemptas Revelationes morte puniendi*, 6.]

TErtiâ feriâ post XXV. Trin: cùm ipso diluculo expergefactus essem, venit in mentem meam *Gad Propheta*, optionem Davidi inter plagas tres offerens. 2. Et mox factus est ad me sermo Dei:

Consolare, consolare Principem Dominum vestrum! Iam enim aperuit mihi cor suum, sicut aperuerat Samson Dalilæ. 3. *Iam incipit agere quæ consilium meum reqvirit, ut defendat ab interitu Terram hanc, sicut & vestram, ne absorbeatur penitùs: fietqve ut pars Terræ vestræ illi cedat.* 4. *Hostes illius, & mei, diffugere jam incipiunt, sicut & tui: facti jam similes angvibus qvorum decussa sunt capita, sicut in somno vidisti.* (5. Præcesserat enim somnium, qvô animalia monstrosa manibus videbar tractare, illisqve detrahere exuvias: qvibus detractis, apparuit esse angves, sine capitibus.) 6. *Qvorum multi morte abripientur, propter sannas & ludibria facta rebus tibi à me revelatis. Surge & hæc scribe!* 7. Surrexi igitur, decantans hymnum sacrum, qvi venerat in mentem.

[*v. 2, 3. & Revelatione seqvente v. 3. 4.*) Exemplum est qvomodo Deus suos jam laudet jam increpet: prout actionibus suis occasionem dant. Vide Matth. 16. v. 18, 19. & mox v. 23. Sic alibi.]

Revel. XXI. Dec. 18.

[*Somnium de Eqvo titubante, 2. ad Pr. Tr. transfertur, 3. Benignitas in illum DEI, 5. &c. Precibus opus, 8.*]

POst III Adventûs, feriâ sextâ, diluculo, habui somnium: ubi mihi videbar per campum iter faciens videre virum Eqvitem: cujus eqvus titubabat, jam huc jam illuc lapsans. 2. De qvo descendens Eqves ibat pedes, eqvum præcedens, eumqve secum trahens, & ad me nescio qvid murmurans. 3. Cùm evigilassem, factus est ad me sermo Dei: *Princeps Vester similis est Eqvo illi, qvem vidisti.* 4. *Necdum enim incedit ad voluntatem meam, sed respectat, & vacillat, in utramqve partem.* 5. *Si ipsum incedere si vero ut incedit, sub malô incedet, culpâ non meâ. Nam voluntatem meam Illi retexi, per te etiam.* 6. *Vellet accersere te, sed metuit periculum.* 7. *Tu verò etiam monitorum meorum oblivisceris; vigilantior esto, ut tibi benè sit.* 8. *Dicas hodie fratribus tuis ut vigilent, orationibusqve vacent.* 9. *Nam non intermittunt Vobis insidiari hostes mei & vestri.* 10. *Iterum dico, vigilate & orate, etiam pro Principe vestro.* 11. *Opus enim habet precibus Vestris, suâ & vestrâ causâ.* 12. His dictis conticuit.

[Ad v. 3, 4. *Senserat Princeps Cæsarem* sua cum Svecis tractari cœpta consilia olfecisse, metuensqve Svecos in Germaniam regressos succurrere sibi non posse, retrahebat se.]

Inci-

Incipiunt REVELATIONES Anno M. DC. XLIV.

REVEL. XXII. Januarij. 28.

[*Cæsareanorum ad vastanda Principis territoria adventus*, 1. *Videntis fervida preces*, 2, 9, 10. *DEUS iram suam adversus habitatores Terræ Moraviæ & Hung. contestatus*, 5, 6, 7, 14, 17. *Suis tamen gratiam & conservationem promittit* 15. *eique ipsâ præstat*, 16. *continuare in se fiduciam jubens*, 18.]

ANno 1644 factum est ad me verbum Domini, 28 Januarij, qvum postridie venturus erat *Comes de Buchaim*, ad obsidendum nos, cum exercitu decem millium: fuit autem ita. 2. Qvum è somno evigilassem oravi, rogans Dominum (hymnis & mente) ut memor esset promissionum juramentô suô firmatarum, qvòd non in ignominia relicturus esset me, & Sc. 3. Factum id erat in Revelatione sexta, ubi Dominus supponens dextram suam sinistræ axillæ meæ, dixit: *Iuro per memet ipsum, quòd te non relicturus sim in contumelia.* 4. Cùm ergò diu sic jacerem tristis & pavescens, facta est ad me vox Dei. 5. *Iudicia mea fiunt in Terra: sed pauci sunt, qvi ea expendendo faciem timeant meam.* 6. *Tota terra non vult intelligere, Iram meam esse accensam, in qva pessundedi, pessundo, & pessundabo, Terram vestram, ut vix qvisqvam servetur.* 7. *Wsetinenses percussi hodie, percutiam & cras* [Irruperat pridie Buchaimius, & qvicqvid Wsetinensium in armis erat, occidione occiderat: à discessu verò illius *Comes de Rothal* affecerat Civium 36 gladii, suspendii, rotæqve supplicio, terribili admodum spectaculo.) 8 *Pauci enim sunt, qvi perculsi faciem qværant meam, sicut & inter vosmet ipsos.* 9. Ad qvæ respondi: Ita est Domine, vera sunt verba tua! Rogo tamen propter misericordiam tuam, & propter vulnera Filii tui, in qvibus ego me abscondo, unà cum cæteris, à furore Iræ Tuæ. 10. Rogo, rogo memento promissi tui, qvod mihi servo tuo exhibere dignatus es; servaturum te apud nos reliqvias, qvæ celebrent vias tuas, veritatemqve, justitiam & misericordiam tuam. 11. Confiteor eqvidem in conspectu tuo, non esse nos vel guttulâ misericordiæ dignos: qvia tamen dixisti, si Hodoszi non dormiat servatum nos iri. 12. Annon igitur dormit? Responsum: *Non dormit.* 13. *Ego enim illum excito, Princepsqve ipse: qvi jam versare incipit ea, qvæ per illum exeqvi decrevit consilium meum.* 14. *Id videbis brevi, at non sine horrenda desolatione Terræ hujus: qvod oculi tui videbunt.* 15. *Ideò dico: Vigilate & orate. Inimici Vestri malum contra vos inierunt consilium: sed infatuabitur, & vos servabimini* [16. Factum, servati fuimus omnes Exules: Buchaim, ut die Veneris venerat, ita die Solis recessit cum exercitu, Oppidô qvidem utroqve cum pagis exspoliatis, Arcis tamen expugnationem desperans.] 17. *Mesericium gustabit iram meam: qvia ego sum qvi non mutor in iis qvæ decrevi contra habitatores Terræ.* 18. *Tu vigilans esto, & jussa mea fac,*

confortant fratres tuos mihi fidos, ut spem reponant in misericordia mea. 19. Hæc postqvam dixisset abiit: ego autem certa qvædam Cantica sacra decantavi.

[*Cantica certa*) Ex nostro nimirum Cantionali, nota nobis ignota aliis: qvæ proinde licet speciatim exprimat Videns, mihi sic in genere notari satis visum. De ipsa Tractuum istorum tunc vastatione hæc notanda sunt. Anno 1643. montani Moraviæ incolæ circa Wsetinam, Walachi dicti, populus pugnax (qvi etiam à clade Friderici anno 1620 jugum Austriacum subire detrectando, trienniô totô libertatem armis tutabantur) junxerant se Svecis: de qvibus ideò pœnas sumturus Cæsar, immisit illis (anno 1644. ineunte) exercitum decem legionum, duce Puchaimio. A cujus adventu cum Racocianis qvoqve subditis (Lednicensis territorii) ob viciniam metus esset, Drabiciusqve in primis anxius ad Dominum clamaret: facta est illi hæc (28. Jan) promissio, *infatuatum iri consilia hostium, eosqve servatum iri*: qvod & factum. Nam tametsi Puchaimius (magnâ Wsetinentibus illatâ clade) ad eos usqve penetrarit, Oppidôqve utroqve direptô multos trucidarit, Arcemqve ipsam Lednicensem obsidione cinxerit, expugnationem tamen desperans tertiâ mox die obsidionem solvit, & in Moraviam redire festinavit, exulum nemine adeò pereunte. Drabicio tamen virio datum, qvòd dum ex Arce tormenta in hostem librarentur, ille non interesse tantùm (*alios præsentia divina spe, juxta promissionem sibi factam, animandum*) sed & tormento uni ignem ipsemet admovere, voluit: cùm tum in angulo esse, & precibus vacare præstitisset. Sed inconsideratus hic novi Petri (materiali gladio Dominum defendere præsumentis) zelus à Domino ipso castigatus fuit: permissô ut flammæ pars in illum retro se agens faciem illi amburéret, oculumqve alterum læderet. Utili commonitoriô, ut qvisqve sibi demandata faciat, aliena munia aliis relinqvat.]

REVEL. XXIII. Martij 3.

[*Somnium de Concilio, 2, 3. ad hostium confusionem transfertur, 4, 5. Principi Tr: denuò, qvid exeqvi necesse habeat, injungitur, 6, 7, 8. Fideles consolationibus erigi jubentur. 9. mors filiæ Videntis, 10, 12.*]

EXpergefactum me diluculô somnus oppressit denuò. 2. Ubi Fr: Lanetium vidi, interrogantem me; Qvid esse causæ, qvòd Hispaniæ Rex ad Regem Galliæ legationem mittat? Respondi: Vellet convocari Concilium. 3. Ad qvæ ille: Gaude, & bono esto animô; simulqve evigilavi. 4. Cùm verò orarem, factum est ad me Verbum Domini: *Imò fiet qvod dixi, ut Gallus sternat Hispanum, cum aliis.* 5. *Hostes Vestri recedunt, consilii expertes.* 6. *Tu Principi scribe, Mutari non posse qvod decrevi, ut ex hac Terra Idolorum cultores IPSE tollat; nihil respectando, qvòd secundùm Regni jura libertatem babeant.* 7. *Habuerunt; sed jam non babebunt.* 8. *Obsecundet solummodò! Omnia faciam qvæ per Te loqvutus sum; Exercitum ejus videbis brevi.* 9. *Puchoviam abi, fidelesqve meos consolare, redemptionem appropinqvare suam.* 10. *Sed festina, ut unicè vesperam videas; filia enim tua in Arce agoni propinqvat: Tu tamen cum Conjuge laudabis nomen meum.* 11. *Atqve jam vale, & benedictio ac protectio mea tecum erit. Surge, scribe qvæ dixi.* 12. Ego igitur lacrymabundus surrexi, & scripsi: moxqve Puchoviam, & inde

inde domum festinans, vesperi nuntium accepi Dorotheam filiolam meam vitâ functam: qvam postridie sepeli.

REVEL. XXIV. April. 12.

[*Videns de Principe urgendo urgetur, 2, 11. Baalitæ internecioni addicti, 3, 5. 12. Claudicantes Consiliarii, 4. Kopronzai cæsus, 7. Exules servandi, sed qvibus conditionibus, 13, 14, 15.*]

ITerum factum est ad me Verbum Domini, dicens. 2. *Non rectè facis, qvòd mandata mea bis jam denuntiata tibi, non refers ad Principem: ut intelligat transiisse jam terminos Idololatrarum, eorumqve dominationis in Terra hac.* 3. *Tam diu res Principis procedent asperè qvàm diu Ille non ferrò & igne vastare incipiet maledictos Baalitas: qvi tam se inebriarunt fornicationibus Babylonicæ Meretricis, ut crapulam non sint edormituri nisi devorati ab igne & gladio.* 4. *Sed nemo, etiam è Consiliariis Principis, tempora Dominationis Austriacæ transiisse, attendere vult: hinc adulantur, utrôqve pede claudicantes.* 5. *Desinat Princeps mitis esse erga id, qvod ego diris devovi in furore meo.* 6. *Cùm enim fecerit qvod jubeo, facilius procedent meæ & illius intentiones.* 7. Et dixi: Ah Domine, cur permisisti *Copronczai* perire? (Fuit Principis militiæ dux, cum decem millibus præmissus, & ad Ilaviam cæsus.) 8. Resp: *Propter lentitudinem ejus in demandato opere: Et ne in illius robore tam confiderent homines, ipseqve Princeps, uti fecitârunt.* 9. *Tandem qvia fecit qvod debuit hac in terra: acqvievi ego virtute illius, acqviescat & Princeps.* 10. *Qvi loco ejus exercitum ducet, non tam erit conspicuus: sed huic etiam benedicet dextera mea.* 11. *Præcipio itaqve tibi, ne differas amplius, ut ne accendatur contra te furor meus.* 12. *Indica Principi, non aliam esse voluntatem meam, nisi ut exterminet Idolorum Cultores, qvos Ego addixi Gladio & Igni.* 13. *Atqve ita jam Vale, protectioqve mea tecum sit.* Perrexi autem ego: Ah Dominator Jehova, nos autem qvid? servabimúrne? 14. Respondit: *Tametsi malitia Vestra, multorumqve incredulitas, penitus vos atterendi causam præbeat, servabimini tamen.* 15. *Tantummodò convertite Vos, & qværite faciem meam: sicut indicavi ante, tota Terra Vestra jam in motu est.* 16. *Affinis tua nunc dolet non seqvutam fuisse consilium.* 17. His valedixit: ego autem laudavi nomen Domini.

REVEL. XXV. Junij. 11.

[*Princeps cum Exercitu retrocedens, 1. comminatio nihilominus facta hostibus, 2, 3. & Domui A. 4. Septentrionales redituri, 5. I. Sobek, 11. Irrisionem Revelationum suarum morte punit DEUS, 12, 13.*]

JUnij 11. manè inter 6 & 7 horam, factum est Verbum Domini ad me (cùm, auditô Principem cum exercitu retrocedere, qvid futurum esset cogitarem) dicendo: 2. *Pellebant me hostes mei, ego verò cedebam eis: sed revertendo percussi, percutio, & percutiam eos, donec & delebo de terra.* 3. *Nam rapinæ eorum, & omnigena flagitia, sicut & clamor pauperum, venit coram me.* 4. *O Domus*

Austriaca, radices tuæ in Hungaria fuerunt, qvas ego jam exstirpatum eo. Tu verò peribis cum Ducibus tuis, consiliariis tuis, Posteris tuis: cadent enim robusti tui. 5. Ego verò dixi: Dominator Jehova, ubi sunt Septentrionales? de qvibus dixeras servo Tuo, Olomutiô venturos? 6. Resp. *Veniunt, jamqve in foribus sunt. Fiet enim qvod dixi, perituros, qvi perdebant vos.* 7. *Vos tantùm memores estote monitorum meorum, vigilate & orate.* 8. *Eritis apud me in memoria, & servabimini: Ego non mutabor in eo, qvod de vobis facere decrevi, etiam de Te.* 9. *Tu tantùm celebra nomen meum, diligenterqve lege Scripturas & alios libros bonos, servabit te dextra mea.* 10. Ita manu porrectâ valedixit mihi. 11. Ego autem interrogabam, dicens: Debeonè revelare hæc D. Johanni Sobek? (tum vice-Capitaneo, postqvam Capitaneus Hodoszi ad Principem vocatus abiisset.) 12. Responsum fuit: *Revela, sed cum admonitione, ut ne vilipendat hæc, aut irrideat: sicuti multi fecerunt, & se ipsos malô affecerunt.* 13. *Multos enim ego jam, tibi notos, ideò morte sustuli: qvia irrideri nolo.* 14. Hæc postqvam exposuisset, valedixit mihi: ego verò decantatô Psalmo 103. laudabam Dominum.

[Adv. 1.) Prodierat Princeps Transf. cum Exercitu, superaveratqve jam Tibiscum: sed auditô suos, qvos duce *Cyprenzai* præmiserat, à Cæsareanis fusos, ipsumqve Ducem cecidisse, Svecos autem longè adhuc abesse: metu majoris infortunii reduxit exercitum in Trans tibiscana. Adv. 11.) *Non celandum: qvid actum fuerit qvum nova hæc mandata* (Rev. XXIV. 12.) *per Hodossium Principi misisset Drabicius.* Nempe qvod Princeps reddita sibi Hungaricum in sermonem transferri curavit: tum illis (Hodossio præsente) lectis & expensis, ignem adferri mandavit, manuqve suâ exussit, his ad Capitaneum verbis: *Dic bono illi viro ne sibi à me mètuat, nemo ista jam videbit: sed alibi cautè agat.* (De qvo facto post annos sedecim ita Deus: *Combussit Racoci sermones meos per te prolatos* (ut Joakim, Jer. 36. 23.) *& ego ecce combussi Domum ejus!* Anno 1661. Nov. 29.) Vix autem Capitaneô domum reversô, advolat Cæsareanus (duce Esterhazio, Hungariæ Palatino) exercitus, Arcemqve Lednitz arctâ obsidione cingit, & post hebdomadas aliqvot deditione capit. Drabiciô cum tot aliis Pastoribus, cæterisqve exilii consortibus, in hostiles manus ita delatis. Sed qvia immunitatem omnium, personarum & rerum, pactus erat Capitaneus, cohibuit adversarios Deus (qvemadmodum promiserat) ne cujus vitæ vis inferretur, bonis tantùm. Relictus enim à Palatino arcis Gubernator, *Paratsai*, qvicqvid ad exules spectantium erat Cistarum auferri (contra datam fidem) curavit, in Palatini arcem Szintavam. Qvâ occasione qvid solatiorum Drabicio, & passionum consortibus, datum fuerit, videri potest Revel. hîc seqq. Non reticendum qvid in obsidione Drabicio accidisset, qvia recurret pòst. Capitaneus Arcis, lassescentibus ob non soluta stipendia limitibus, ut eos animaret, petiit ab obsessis unà Exulibus aliqvam pecuniæ summam, Principis propriâ manu scriptas exhibens literas, qvibus se ad reddendum (undecunqve hunc in usum accepisset aliqvid) obligabat. Diffidentibus cæteris, Drabicius de suo qvantum potuit contulit, fidemqve interponens suam amicis persvasit ut 200 Imperiales conferrent: sed qvos nunqvam recuperare potuerunt. Causabantur enim Arcem non fuisse conservatam, sed proditoriè ab Hodossio traditam: tametsi supplici libello (qvô se non Hodossio proditori, sed Principi Domino suo dedisse, protestabantur) propriâ manu inscripsisset Princeps, SOLVATUR: solutio tamen nec vivo nec mortuo Principe impetrari potuit.]

RE-

REVEL. XXVI. 31. Dec.

[*Protectio DEI etiam hosti traditorum*, 2. *Princeps denuò urgendus*, 11. *Sveci Cæsaris & Terrarum ejus flagellum*, 15. *Apostatæ puniti*, 19. *Vulnera contemptibilis Christi*, *multis scandali occasio*, 24, 28, 30. *Revelationum harum dictator Christus*, 36.]

ULtimâ Decembris (Anno 1644) peractis matutinis precibus, cogitare venit de iis, qvæ elapsô annô hinc inde in Orbe, apud nos etiam, gesta essent. 2. Intervenit autem vox Dei, dicens: *Nihil factum est*, *neqve fit*: *nisi qvod prædecrevi ego*, *& prænuntiavi tibi*. 3. *Nam Calicem qvem infudi vobis bibere necesse habuistis*, *& habebitis*. 4. *Qvemadmodum tamen dixi*, *non derelicturum me vos*, *ita feci*, *& faciam*. 5. *Malitia hostium vestrorum mitigata est apud Palatinum per Locum tenentem*; *qvô ego ad protegendum vos usus sum*, *sicut Iosephô usus eram pro fratribus suis apud Pharaonem*. 6. *Sed tu Szintavam ire cave*. [7 NB. Locum tenens ille fuit *David Eichhorn*, Borussus, nobiscum in Arce obsessus, gratis Hodoszio ministrans: qvem postea Palatinus charum habuit, præsidiumqve Arcis suæ Szintavæ illi commisit. 8. Is datis ad me literis ad se invitabat, jacturæ aliqvam pensationem, & nescio qvid arcani, qvod chartæ committi non posset, promittens: id qvod Dominus hîc vetuit. 9. Venerat autem is Palatinô mortuô ad nos, & me honestis munusculis affecit.] 10. Perrexit autem vox Dei. *Protexi te ab inimicis tuis*, *& protegam*: *tu solùm judiciis meis*, *meæqve manuductioni*, *acqviesce*. 11. *Et qvemadmodum ante dixi*, *ut Principi scriberes*, *Scribe*, *scribe*, *vias ejus me dirigere*, *& directurum*: *modò in cœptis progrediatur*, *judiciis & statutis meis insistat*, *Idolorumqve Cultoribus hac in Terra obsistat*. 12. *Turcæ tamen simul attendat*, *nec illi hac in Terra extendere alas* (cogitat enim subigere sibi plura) *permittat*. 13. *Consilia hostium non mutabunt decretum meum de Principe*: *qvi te non mittit accersitum qvia nondum tempus est*. 14. *Domus Austriaca explevit apud me mensuram crudelitatis suæ*. 15. Ego dixi: Svecorum copiæ qvid agunt modò? Resp. *Redeunt totâ vi ad pessundandum has Terras*. 16. *Habitatores enim Terræ hujus*, *aliarumqve Austriacis subditarum*, *vastabant alios*: *vastari igitur oportet ab aliis*, *frustra resistente ullô humanô consiliô*, *aut vi*. 17. *Nam omnes à judiciis meis aberrant*, *à summis ad imos*; *neqve qvisqvam servat*, *aut consulit*, *statuta mea*: *ideò Gladius meus devorabit eos*, *grassando per has terras*, *sicut & alias*, *donec venerit consummatio iræ meæ*. 18. *Qvanqvam aliqvi incolarum Terræ hujus attendere incipiunt*, *qvid Princeps*, *& cur*, *faciat*. 19. Addidi ego qværere: Ablatæ nobis per Palatinum facultatulæ nostræ restituenturne nobis? aut saltem Preroviensibus & Mesericensibus? (Eorum sc. qvi pretiosiora sua in exilium præmiserant, ipsi non seqvuti, Apostatæ in Patria facti.) 20. Respondit: *Non restituentur*. *Dereliqverunt illi me*, *recedentes à doctrina mea*, *& opinati non ulturum me contemptum nominis mei & veritatis meæ*. 21. *Ecce autem*, *ultus sum per illos ipsos*, *ad qvorum religionem prolapsi sunt*! *ut intelligere discant*, *vanum esse confidere in hominibus*, *& opibus qvantiscunqve*. 22. *Si adhuc resipiscent*, *benè illis erit*; *sin*, *malè*. 23. *Tu manuductione meâ acqviesce*, *me dilige*,

mihi ausculta, & non derelinqveris à me, confide. 24. Hôc dictô, porrexit mihi dextram Dominus, inqviens: *En vulnerata est manus mea, sicut & manus tua! Sed sanata est tibi, sanabiturqve integrè in die meo.* 25. Ego autem videns vestigium clavô perforatæ manus ejus, osculatus illud sum & dixi: O ignosce Domine propter misericordiam Tuam, si qvæsiero; *Tunè es Iesus, meus & totius humani generis Salvator?* 26. Scis me neminem dilexisse, nec diligere, nec dilecturum esse, præter Te. 27. O Jesu meâ causâ parvule & contemptibilis facte! Multi sunt qvi ludibriô habent me, & hæc qvæ revelas mihi. 28. Respondit: *Et qvis id facit nisi tui domestici & noti? qvod non faciunt, nec facient, alieni.* 29. *Ne mirêre, idem mihi fecerunt mei.* 30. *Inflixerunt sibi vulnus ad hunc stimulum complures jam, & castigati sunt: nisi resipuerint, non tibi sed sibi attrahent noxam.* 31. *Auxilium enim meum, & benedictio mea, tecum erit.* 32. *Tu mandatorum meorum esto memor, vigila & ora, pro te & aliis: Exaudivi, exaudio, & exaudiam te.* 33. Addidi: Etiámne hos colloqvii nostri sermones scribam? Respondit: *Scribe, scribe inqvam.* 34. Ego rursum: Ah Domine jam oblitus sum! 35. Ille; *Surge, & qvùm inceperis scribere, dictabo tibi omnia.* 36. Surrexi igitur & scripsi, juxta revocata mihi in memoriam omnia. Hallelujah.

Seqvuntur REVELATIONES
Anno M. DC. XLV.

Revel. XXVII. Januarij. 28.

[*Videns increpatur 1. excusat se, 2. promissionibus erigitur. 3. pavescit & orat, 8. junctione cordis sui cum corde Domini, ineffabili gaudiô impletur 11, 12.*]

Annô 1645. Januarij. 28. factum est ad me Verbum Domini increpatorium, qvòd non consignassem hesternum sermonem (brevem qvidem illum) de irritis futuris hostium consiliis, & vindicta de illis sumenda. 2. Causabar verò ego somnum, qvi me oppressisset, sicut olim Abrahamum (Gen. 15. 11.) offerens me ad scribendum. 3. Dominus ergò indicabat mihi: *Exercitum Cæsaris disjectum iri; nos in angustiis fore.* 4. *Illius tamen protectionem ita obumbraturam nos, sicut obumbrati fuerunt filii Israël, nube tenebrosâ & lucidâ: tantummodò ut confidamus, permittentes nos manibus ejus.* 5. *Id qvod qvi nostrûm sincerè faciunt, notum esse sibi: nec ignotum, qvinam diffidant.* 6. Mandabat verò mihi silentium, & ne cui, petenti etiam, consilium darem: ipse tamen panem prospicerem, mihi & iis qvi ad nos venturi essent de Exercitu. (*Noli ab illis abscondere*, inqviebat, *panem tuum.*) 7. Qvæ ego verba expavi, ignarus, qvalis & cujus Exercitus esset futurus; & vix ipse tantillum habens, unde

unde me cum meis sustentarem. 8. Cœpi itaqve implorare auxilium, effundens animam meam coram Domino, provolvensqve me ad pedes ejus, & prensans pectus ejus. 9. Qvô factô, dixit ad me Dominus: *Ecce cor meum & tuum unum sunt! Et vidi ea jungi, fieriqve ex utroqve cor unum.* 10. Dixit autem Dominus: *Jam ergò ne timeas, vigila & ora.* 11. Qvæ res (qvòd cor Domini mei viderem jungi cordi meo) tantum in me cum lacrymis excitavit gaudium, ut omnia viscera mea commoverentur, & præ gaudio extra me rapi viderer. 12. Reversus tandem ad me, in laudes Dei me effudi totum, hymnis & Psalmis: surgensqve consignabam ista, uti mandatum fuit.

REVEL. XXVIII. 15. Febr.

[*D. Floriana, 1. Exules metu & diffidentiâ diffugere prohibentur, 5. Videntis domus cruce exercetur, 11. Liberationis terminus præ foribus, 13.*]

Qvùm post peractas ad Dominum JESUM, pro me & illius Ecclesia preces, mente versarem, Qvid Dominæ Florianæ (Matronæ nobili viduæ consilium à me, Num sibi Lednicciô esset excedendum, petenti) responderem. 2. *Insonuit vox Domini*: Sine, excedat: Hoc enim erit initium exaltationis ejus, de qva tibi antè loqvutus sum. 3. Tantummodò dic ei, ut stet ubi eam locavi: mihi enim displicent qvi mente instabili sunt, manuductionemqve meam aspernantur. 4. Perseveret igitur illa, ne amittat coronam suam. 5. Tu verò cum aliis manete hîc, & cave admittas qvod cogitasti, ne reperiaris ipse qvoqve instabilis (*Cogitabam autem ipse qvoqve emigrare, propter immanitatem Paratsai.*) 6. Nam tametsi mala inundabunt hanc Terram, ut beatus sit futurus qvi superstes erit: Tu tamen cum aliis servaberis, juxta sermonem meum. 7. Vigilate tantùm & orate, & estote erga invicem sinceri. 8. *Ego autem exclamavi: O Dominator Jehova ne derelinqvas me! Nosti enim, tanqvam omniscius, perparum mihi esse unde vivam cum illis qvos dedisti mihi.* 9. *Sed respondit Dominus*: Mihi innitere, jam ego prospexi cujus ope alendus sis, dum hîc eris. 10. Acqviesce tantùm in manuductione mea, cum uxore tua: cui non videtur vobis provideri à me posse. 11. Qvòd verò Uxor cum liberis ægrâ sint valetudine, ne mireris: sub cruce te esse volo. 12. Tu verò ipse qvoqve tibi attende, & calefacientibus utere: nam & ipse decumbes. [*Factum, 27. Martii morbô prostratus, usqve ad 13. Aprilis decubui.*] 13. *Ego verò dixi: Ah Domine ignosce, qvòd qvæsiturus sum: Citòne tandem ex tam diuturnis calamitatibus liberabimur? 14. Servo tuo Elisæo ostenderas, intra Samariæ portas postridie futurum modium hordei siclô unô: ego autem nescio tempus liberationis nostræ.* 15. *Respondit*: Apud me in foribus est: tantùm ut expleant habitatores Terræ hujus, cum aliis, mensuram iniqvitatum, crudelitatisqve suæ. 16. Simulqve valedixit mihi.

[v. 5. *Paratsai*) Fuit Nobilis Hungarus, Palatini Esterhazi locumtenens, homo sævus in exules Moravos.]

REVEL. XXIX. April. 7.

[DEI super Domum Austriacam lamenta, 2, 4, 8. & adversus illam fulmina 9. &c. à quibus tremefactus Videns, 12. cur sibi talia revelentur qværit, 13. & informatur, 14. Ab imitatione Austriacorum dehortantur populi, 15, 16, 17. Princeps Tr. 18. Eichhorn, 24.]

APrilis 7. *inter expergiscendum, cùm vixdum sensuum essem compos, insonuit vox auribus meis:* 2. O Domus Austriaca, Domus Austriaca, Te ego portavi tot jam seculis, & extuli in altum gloriam tuam, in medio Gentium multarum, tolerans te in longanimitate multa, & exspectans conversionem tuam ad me ad Me inqvam Creatorem tuum. 3. Sed incrassatum est Cor tuum, & obtenebrati oculi tui, ne videres, Tu & duces Tui, lamentabilem casum & ruinam, qvam Tibi denuntiabam propter perversitates Tuas, qvas perpetrasti, Ipsa & cum Consiliariis ductoribus tuis, qvi te seducebant mendaciter adulando tibi. 4. O Domus Austriaca, tu deseruisti Me, & abjecisti Legem Meam, nec legere illam volens, nec audire. 5. Sed erexisti Tibi idola abominationum, per Civitates tuas, Delubra tua, Plateas tuas, & viarum compita, elevans Statuas, & Truncos, & Imagines formosè coloribus pictas: qvod mihi abominationi semper fuit, nec esse desinit. 6. Rejecisti judicium, jus & justitiam, misericordiamqve, Ipsa & cum Consiliariis tuis, Judicibusqve & Principibus tuis. 7. Qvi pulchris vectati Caballis & pilentis, devorabant ut panem populum meum: angustantes terras & regiones cum Incolis suis, nec exercentes misericordiam erga superiores vel inferiores, sed percutientes pugnô impiè; violentiamqve inferentes viduis & pupillis, domesticis & alienis. 8. Qvod Tu, ó Domus Austriaca, spectando siluisti, qvinimò eos seqvuta fuisti. 9. Ideò induxi malum hoc super te, & domum Tuam, excitando contra te Gentes multas & validas, qvibus tu non prævalebis, donec te funditùs evertant cum posteritate tua. 10. Innixa enim es arundini, Domui Hispanicæ; & ambusto titioni, Papæ; habens pro fulcris Bavarum, Saxonem, Moguntinum, Coloniensemqve, qvi decipiebant Te. 11. Hi etiam amiserunt robur: qvia contra hos etiam surrexi, eosqve illorum potestati tradidi, qvi insurrexerunt contra te, ut tibi faciant sicut domui Achab; & Sacrificis tuis, sicut servus meus Elias fecit Prophetis Achabi, & Baalitis. 12. *His ego sermonibus auditis, cogitabam qvid respondere vellem: qvoties enim verba illa,* O Domus Austriaca, *pronuntiabat Dominus, tantâ pronuntiabat severitate, ut ego tremerem.* 13. *Silentiô ergò interpositô, dixi tandem: Obsecro Domine, ignosce servo Tuo ut qværam,* Cur tu talia hæc revelas mihi? 14. *Respondit:* Qvia elegi te, ut convoces tanqvam tuba Nationes illas, qvas ego contra Domum Austriacam, impiosqve Idololatras excitavi: ne fortè deficiant in proposito suo, donec eradicent è terra Viperinam illam progeniem; & restituant purum meum cultum sicuti fecerunt David, Salomon, Ezechias, zelosi servi mei. 15. Sciant autem omnes illæ Gentes cum copiis suis, se qvoqve inclusos esse in manu mea: & qvamdiu legem meam, statutáqve mea, & purum meum cultum, propugnabunt, Ordinem autem bonum

cum

cum misericordia promovebunt, prosperè illis cessura omnia: dum non imitentur crudelitatem Domûs Austriacæ, idolomaniamqve illius. 16. Nam Domus Austriaca Domos, in qvibus celebratum fuit Nomen meum, destruxit, Cultores meos dissipavit, multos trucidavit, propriasqve etiam Regiones tyrannide suâ, rapinisqve variis, in desolationem deduxit. 17. Qvod agnoscere, ne qvidem illi, qvos attingebat hoc malum, voluerunt, tam è proceribus qvàm è plebe: sed assentabantur alii aliis pacis causâ, qvam tamen non viderunt. 18. *Addidi ego*: Princeps verò noster qvid agit? *Responsum*: Cum metu & formidine seqvitur manuductionem meam. 19. Cui tu scribe, scribe inqvam: Redit enim illi in memoriam sermo, qvem per te loqvutus sum ei. 20. *Perrexi*: *suscipitne autem nostri curam, ut liberemur?* (*Fuit tùm arx Lednitz, cum tota Dynastia, in potestate Palatini & Officiariorum ejus, qvi eam defendere parabant.*) 21. *Responsum*: Suscipit, pacificè illi reddemini [*Atqve ita factum est, cùm pace factâ Paratsai legatis Principis Arcem redderet*] 22. Ego enim brevi de humeris vestris dejiciam illos, qvi vos nunc angunt. 23. Tu verò surge & scribe! jam enim diescet. 24. *Addidi*: *Qvid qvæso afferet à Locumtenente Charinus?* [*Nam qvùm iterum Schintavâ scriberet, & me ad se sollicitaret, Eichhorn, misit Charinum cum fidei literis, ut qvicqvid esset huic committeret*] 25. *Respondit*: Nihil; tantundem enim apud illum consilii est, ut priùs. [*Svaserat autem priùs per literas, ut nos subduceremus è dynastia Lednicensi.*] 26. Non enim illi notæ sunt viæ meæ, per qvas ego vos deduco: asperè qvidem, vos tamen manuductione mea acqviescite, viasqve vestras emendate, & in fiducia erga me persistite, non derelinqvemini. 27. Tu surge, & hæc scribe: *qvod factum. Gloria in Excelsis DEO.*

[Vers. 2. similia vide R. CVII. 1.]

REVEL. XXX. Jul. 22.

[*Videns ad Principem mittitur, cum furoris interminatione*, 3. *Legationis summa, Coronatio*, 4. *Hâc demum peractâ promittitur Victoria*, 8. & *Arboris magnæ dejectio*, 9. & *ad evertendum Arundinem & Titionem patens ostium*, 10, 11. Liberatio deniqve omnium, 12.]

F*Actum est iterum ad me Verbum Domini, bihoriò post solis exortum.* 2. *Arguebat me Dominus inobedientiæ, qvòd non abitum pararem ad Principem in Castra.* [*Cùm tamen nihil aliud fuisset dictum, nisi hoc, ter;* Adito Principem, assumptis rebus tuis.] 3. Ideoqve tibi præcipio, exseqvere jussa mea, ne te malum apprehendat à furore meo. 4. Suscipe iter ad Principem, dicitóqve illi, te à Me tuo & illius Creatore mitti, ut eum coram toto Exercitu, qvem ad ipsum collegi, ungas & proclames Regem Terræ hujus. 5. Sed præmittes Concionem super verba Psalmi secundi: Ego unxi Regem meum &c. 6. Qvam concionem statim meditare: peractâqve illa, effundes Oleum unctionis Olei Balsamini (*qvod reperies in Aula Principis*) in conspectu totius Populi super caput Principis. 7. Mox autem advocet Princeps Proceres Terræ, jubeatqve Coronam parari, & diem constitui coronationis suæ, peragendæ Posonii, in præsentia habitatorum Terræ: cui tu qvoqve intereris. 8. Hoc ubi erit factum,

Exercitum hostilem ingenti afficiam clade: sicut tibi ante dixi, me amoliturum eos, ut lapides & ligna solent de via. 9. Atqve tum Arbor illa ingens concidet: unicâ illius relictâ fronde, bonum in finem Genti huic. 10. Cadente magnâ hâc Arbore, janua patescet ad fumigantem illum Titionem, & Arundinem fractam, de qvibus tibi antea dixi. 11. Et qvamvis illi multis obstruere tentabunt repagulis januam hanc, frustra tamen, qvia tempus dominationis utriusqve jam transiit: qvæ res miraculo erit Mundo universo. 12. Tu autem qvum sic omnia qvæ præcipio fueris exeqvutus, redibis in Patriam, annuntiaturus nomen meum Populo magno, ad tempus qvod prædestinavi ego. 13. Servabit te, & prosperabit dextra mea, dum tu servabis & facies mandata mea. 14. Cave autem potum Vini, & alium inebriantem, donec à Principe redieris, &c. 15. *Cæpi igitur meum iter meditari, orans roborari à Domino.*

[Redeuntibus ex Germania in Moraviam hoc anno Svecis jungere vires suas constituit, Racoci: interfuturusqve ipse expeditioni filium natu majorem, *Georgium*, in Principem Transylvaniæ eligi, & ab Ottomannica Porta confirmari facit, demumqve validissimô cum exercitu in Moraviam tendit. Qvod futurum Austriaci prævidentes, Turcici Imperatoris Consiliariorum animos præoccuparunt, utqve Racocio expeditio hæc inhiberetur impetrarunt. Advolant igitur Constantinopoli cursores, alii post alios, eum revocantes: aut, si parere recusat extrema minitantes. Noster contra Imperator, Ferdinandus, tam validis hostibus, jam conjunctis, impar futurus, Racocio pacis conditiones, qvas ipse vellet, offert. Qvorum omnium ignarus Drabicius mandatum accipit, non amplius scriptô, sed personaliter Principem adeundi, eumqve primò blandis verbis (Rev. hâc) deinde duris (Rev. seqv. v. 4.) alloqvendi. Paruit ille: sed qvô successu, narrat seqventibus.]

REVEL. XXXI. Julij. 31.

[*Videns proficiscitur*, 1. *qvibus duris Verbis Principem alloqvi debeat*, *docetur*, 2, 3, 4, 6. *ab adversario qvodam ut sibi caveat*, *præmonetur*, 7, 8, 9.]

Cum pervenissem Czachticium usqve, ibiqve occasionem veniendi ad Principem (qvi jam montes superaverat, Moraviam cum Exercitu ingressus) exspectarem tristis: dixit ad me Dominus: 2. Hodie hinc egredere, inqve Principis conspectum delatus dicito, Displicere mihi vias ejus, qvòd rejectos à me Idolorum cultores, qvos Ego addixi Gladio, exterminare non aggrediatur: qvi tamen perniciem ejus noctes diesqve machinantur. 3. Confidenter Principi loqvere, Perinde tibi esse vitâ aut morte servire mihi, dum modò impleas mandata mea. 4. Qvòd si omninò viperinam illam progeniem unà cum aliis perseqvi renuit, me malum esse inducturum super eum, per Exercitum ejus, excisurumqve è Domo ejus mingentem ad parietem: id qvod facilè possum. 5. *Qvæsivi; Ubi vero Principem reperiam? Responsum*: In Castris. 6. Loqvere audacter qvicqvid præcipio, etiamsi irrisui futurus sis. 7. Invenies in Principis Aula, qvi tibi adversabitur: à qvo simul atqve illum agnoveris, tibi cave, cibum & potum cum illo ne capias. 8. Totum te manibus meis permitte: Surgo, hæc scribe, iter-

iterqve tuum perge [9. *Inveni autem revera istum, qvi & ibi, in castris, & reversus inde, malignis sermonibus nocere mihi amisus est, Ascanius Medicus. Sed fidelis fuit DEUS, qvi me ab illo protexit.*]

REVEL. XXXII. 4 & 5 Aug.

[*Actiones in Castris inter Videntem & Principem.*]

SKalicium *periculosissimô itinere (propter excursiones omnia ubiqve populantium militum) ut attigi, qvid porrò agerem hærenti mibi, facta est vox DEI (4. Aug. horâ 9. assidentibus tunc mihi amicis) dicens.* 2. Ora hodie, cum jejunio die tota, & cras tibi ostendam quid à te fieri velim. 3. *Postridie igitur, ante Solis ortum dixit*: Frustra te maceras cogitando de successu rerum: qvas indicavi tibi. Non enim directione tuâ, aut cujusqvam hominum, procedent, sed meâ. 4. Iter tuum qvòd non ex voto tuo procedat, tace: ad nutum enim meum procedit. 5. Principis autem manuductio mea similis est illi, qvâ Davidem manuduxi, qvi multa habuit necesse tolerare, anteqvam Regnô potiretur: sicut & hic tolerare necesse habebit. 6. Si tamen meum seqvetur ductum, salva erunt omnia. 7. Brunam dare nolui Exercitui huic. 8. Tu qvòd redire domum cogitas, dico tibi, cogitationes illas dimitte, cæcus alioqvi redieris: occasionem hinc egrediendi mox habiturus. [9. *Atqve ita fuit. Vix surrexeram, & hæc scripseram, accurrit qvidam transire Principis catervam, victualia ex arce Branecz in castra deferentem, nuntians: qvibus ego me adjunxi.*] 10. Qvòd Terram vestram ita pessundari doles: annon ita futurum priùs tibi ostendi? 11. Ingressus castra, mox reperies, qui tuam præsentiam Principi significabit. 12. *Atqve is fuit Rev. D. Czulai Principis Ecclesiastes Aulicus, qvi me humaniter excepit, causâqve adventus mei intellectâ testimonium, qvòd è Lednicensibus essem, reqvisivit.* 13. *Cúmqve se mox offerret, Nobilis Hungarus, Sölöst, qui meas Conciones freqventasse testatus, est, ad Principem abiit.* 14. *Reversus*, retulit Principem dixisse, Inter se nunc & Cæsarem jam Pacem initam: Optare se, si DEO placeret, gratiam hanc Filio contingere suo. 15. Velléqve ultima illa, quæ nondum vidisset, videre: mandasséqve Medico suo, Ascanio, in Latinum ista transferat, servatô debitô silentiô. 16. *Introductus itaqve fui in Medici tentorium, eâqve mox Vesperâ, qvæ Princeps voluit translata, & suæ Celsitudini oblata sunt: cum mandato responsum expectandi.* 17. *Mane horâ octavâ accersitus fui ad Magn. D. Franciscum Betlen, supremum Aulæ Magistrum: qvi me his affatus fuit verbis.* 18. Rev. Domine, Illustrissimus Princeps bonam voluntatem jussit vobis dicere. Interim venam bonam, qvam erga illum aperuistis, benevolè recipit: & postqvam hoc evenerit, non derelinqvet vos: plus dicam Concione finitâ. Sed ne abeat R. V. sine scitu Illustrissimi Principis. 19. *Sub vesperam venerunt ad me Rev. Czulai, cum D. Ascanio, inqvirentes an de Oleo fuisset dictum, ibi repertum iri? Repeririqve negabat Medicus: affirmabat autem (privatim pòst interrogatus) Principis Pharmacopæus &c.* 20. *Mane retulit Medicus*, Pacem jam firmatam rescindi non posse: redire si vellem domum, abituros nunc XLIV.

Currus Principis, Patakinum usqve. 21. *Ibam igitur valedicturus D. Czulai: qvi me, D. Franciscum Bethlen adhuc mihi habere loqvi dicens, detinere voluit.* 22. *Sed Medicus accedens, ire jam currus referebat: qvibus proinde ego me adjunxi, domumqve reversus sum; Medicô paulò post etiam (ob causam nescio qvam) gratiâ excidente.* 23. *Mihi verò inde qvies fuit per menses sex, & dies aliqvot.*

[v. 7. *Brunam*) Moraviæ alteram, post Olomutium metropolin, à Svecis frustra obsessam & oppugnatam. Drabicius autem, præstiti obseqvii conscientiâ lætè perfruens, paulò pòst arcem Lednitz Principi (juxta Pacis conditiones) redditam spectavit. Dominus verò ad patientiam illum disponens, seqventibus aliqvot Visionibus consilia sua perstare, nec aliud Pace illâ nisi exseqvutionis dilationem accidisse, docuit.]

Seqvuntur REVELATIONES factæ Anno. M. DC. XLVI.

REVEL. XXXIII. Febr. 10.

[*Nova Videnti consolationes, & ad patientiam exhortationes.*]

ANno 1646, 10. *Februarii, ipsô diluculô facta est ad me vox DEI: qvâ mihi omnes, qvi unqvam ad me habiti fuerunt, sermones repetiit, qvæ in iis obscura mihi fuerunt visa explanans.* 2. *Qvale fuit (Revel XIX) de Iohanne Kriz, qvem fuisse mortuum credebam: Dominus autem dixit,* Mortuus est morte æternâ, nec illum videbis inter electos meos. [3. *Fuit is Civis Mesericensis, qvi nobiscum in exilium venerat: sed uxore viduatus, & aliam in patria ducturus, defecit, acerrimus Orthodoxorum osor & perseqvutor factus: à qvo ut mihi caverem, monuerat Dominus.*] 4. *Admonebat item silentii & patientiæ: ut promissa cum jejuniis & orationibus exspectando, nusqvam Lednicio abirem, ibi me servatum iri.* 5. *Proponebam enim aliò demigrare: tùm ob cavillationes multorum, tum ob faciliorem alibi victus rationem: cùm post iteratam exspoliationem nostri vix panis frustum mihi, cum domesticis meis, superesset.* 6. *Non voce autem tantùm hîc me erigebat, sed & ter seipsum ostendit Dominus, cum exhortatione ad pietatem & preces.* 7. *Unde ineffabile gaudium, horrore mixtum, excitatum fuit, propter præsentiam infinitæ multitudinis me circumstantium Angelorum, &c.*

[*Ad v.* 4. & 5. Tentabat & posthac securitatis causâ transferre se aliò, amicorum consilio: semper tamen fuit prohibitus, cum promissione conservationis eo in loco: ut & conservatus est hucusqve, in medio licet hostium, & ab omni humano præsidio nudus.]

REVEL. XXXIV. Maij. 9.

[*Ejusdem argumenti.*]

CUm evigilassem, Oriente Sole, alloqui me orsus est Dominus, consolando me, & in fiducia confirmando, multis sermonibus. 2. *Cessante autem loqui, sonuit campana ictum unum, ut horam solet: Et dictum est mihi:* Hæc est ultima. 3. Annô 1643. fuerunt 6. qvinqve transierunt, una superest, citò & hæc transitura. 4. Audies brevi qvid ego facturus sim cum eo, qvi afflixit vos [*Post hebdomadas sex apoplexiâ prostratus fuit Paraczai, direptor bonorum nostrorum Lednicii: efflavitqve animam cum horrore multorum.*]

REVEL. XXXV. Oct. 4.

[*Continuatio: & prima de Sigismundo Rakoci promissio.*]

EXhibitus mihi fuit exercitus à qvatuor plagis mundi se congregans: cum voce ad me sonante, Velociter volant, & citò advolabunt. 2. Principi Domino Vestro hoc unum dici cura; *Veniendo veniet:* & nihil ampliùs. 3. Scias autem, Sigismundum Principis Filium ad magnam gloriam evectum iri.

[Fuit à Polonis ad Regnum postulatus, posteaqve Friderici Boh. Regis filiam uxorem nactus, oculos Europæ totius in se converterat. Qvid autem intercesserit, qvominùs altiora illa gloriæ fastigia attigerit, postea patebit. Qvod autem (v. 2.) Principi jubetur dici, *VENIENDO VENIET, nihilqve amplius:* comminatio esse videtur, si ipse non veniet alium venturum. Vide supra Rev. 25. v. 2. Expectandum igitur, qvid Racociorum successor facturus sit.]

REVEL. XXXVI. 10. Oct.

[*DEUS in proposito Bestiam perdendi perstat: initiumqve fieri oportere in Hungaria.*]

ITerum factus est ad me sermo Domini mei. 2. Qvanqvam non factum est, qvod dudum loqvutus sum tibi, fiet tamen. 3. Tu qvod Principem ipse adiisti, & voluntatem meam eidem significasti, fecisti satis. 4. Qvòd autem Princeps cum suis Consiliariis intelligere id noluit, sed Pacem iniit, nihil aliud accessit, nisi dilatio temporis à me constituti: qvod tamen veniet, qvia jam adest. 5. Pharao enim jam ad mare usqve processit, neqve Consiliarii ejus qvid amplius in rem consulant inveniunt: nam perditionis Bestiæ initium in Hungaria fieri oportet. 6. Princeps noluit trucidare hostes suos & meos: cogitans non ita esse ut ego loqvutus sum tibi: eos cum qvibus fœdera sancit, inhiare exterminationi suæ, & Domûs suæ, nisi ego vigilavero. 7. Sed sentiet, adeoqve sentit jam, & Consiliarii sui, non sincerè agere hostes. 8. Ex Hungaria, sub

prætextu Evangelii, transplantavit Idololatriam Antichristus in Bohemiam & Moraviam: ex Hungaria itaqve primùm exstirpari necesse est. 9. Qvod ne qvidem Confœderati Principis (*Sveci*) intelligunt. 10. Tu autem certò scias, destructionis Regni Bestiæ initium in Hungaria fore. 11. Surge, & qvæ tibi modò dixi consigna, Vigila, Ora.

[*Ad v.* 8.) Qvomodo Antichristus ex Hungaria idololatriam transplantaverit in Boh. & Moraviam, non satis capimus: nisi fortè qvod reformata per Hussum in Bohemia Religio maximam persequutionem ab Hungariæ Regibus, Sigismundo, Mathia I. Ludovico, Ferdinando I. instigantibus Hungaricis Episcopis passa, Idololatriaqve per eosdem reinvecta, fuit. Qvod fuit Bohemiæ, pro communicata primitùs Christianismi luce (per Woytichium anno Christi circiter 940.) non bonam retulisse gratiam. Qvod v. 5, 8, 10. dicitur, & in seqq. sæpè repetitur, destructionis Bestiæ in Hungaria fieri oportere initium, attentionem meretur, an, & qvomodo, impletum fuerit.]

Seqvuntur REVELATIONES factæ Anno M. DC. XLVII.

REVEL. XXXVII. Jan. 14.

[*Irrisores suos irridet* DEUS, 2. *Invitatio Gentium*, 5. *Vienna evertenda*, 6. *Corona Hung. cui debeatur*, 7, 8, 9. *Revelator horum triunus*: 11, 12.]

ANno 1647. *Ianuarii* 14. *alloqvutus me Dominus dixit*. 2. Ubi sunt Illusores tui? Abierunt in locum silentii. 3. Cogitârunt in te mala, sed non potuerunt: nec poterunt qvi supersunt. 4. Ego enim perducam ad exitum cogitationes meas, qvas revelavi tibi. 5. Provolate ab Oriente, Septentrione, Meridie, & convolate ad perdendum Assurem cum Moabo. 6. Jam etenim Mallei, Secures, Bipalia & Ligones, parata sunt ad diruendam Viennam, & exaltandum Rakoci Principem, Dominum tuum. 7. Constraverunt mensam, posuerunt Coronam, & tanqvam rapaces aves convolarunt ad auferendam eam inde, ungvibus suis: ego tamen illam propugnabo, donec veniat servus meus. 8. Stare enim juxta illam jussi Angelum meum, qvi eam tutabitur. 9. Omnia parata sunt, ostium qvoqve apertum; qvod ne claudi possit ego prohibeo, & prohibebo. 10. Surge itaqve, & scribe qvæ manifesta facio tibi. 11. *Ego autem exclamavi: Ah Domine IESU, Tunè es qvi loqvutus es mihi antè, & loqveris modò?* 12. *Respondit*: Filius meus est, qvem ego genui ab æterno; in qvo ego sum, & Ille in me: &

& Spiritus est, per qvem loqvimur tecum. 13. *Extendensqve manum suam Dominus, supposuit eam capiti meo, dicens*: Ne metuas, tecum sum, & ero in æternum. 14. Ne jaceas, surge, & ista scribe. 15. *Surrexi igitur & scripsi, juxta mandatum*, *Hallelujah.*

REVEL. XXXVIII. 15. Maij.

[*Politicorum consilia sine DEO evanida.*]

E*Xpergefactus mane cogitabam, qvid Posonii fieret in Comitiis tunc celebratis.* 2. *Et factus est sermo Domini mei ad me*: Omnia sunt vana qvæ istic agunt. 3. Dicito Andreæ Klobuczicio, *Labores illorum nihil esse nisi stipulam & gramen, qvæ consumet ignis meus, & rediget in nibilum.* 4. Surge, & hoc consigna.

REVEL. XXXIX. 20. Maij.

[*Exercitus ab Ortu innumerabilis*, 1. *Friderici filius Bohemiæ reddendus*, 3. *pro Filiis Pr: Rakoci orandum*, 4. *Exercitus Angelorum*, 6, 7. *Eusebion*, 8.]

V*Idi à Solis Ortu venientem numerosissimum Exercitum, qvi cùm pertransiret numerari non potuit.* 2. *Et audivi vocem Domini*: Tempora mea, de qvibus tibi sum loqvutus, jam adsunt. 3. Qvem in somno vidisti inter duos illos duci, Friderici filius est, qvem ego adducam, & reddam Terræ vestræ. 4. *Ego autem dixi*: *Ignosce Domine, si interrogavero*: *Princeps Dominus noster venietne ad gloriam, de qva ut loqverer Illi mandaveras.* 5. *Responsum est*: Non admodum Ille hæc curat: Tu autem ora pro Illo & filiis suis. 6. Exercitus mei numerosi sunt in conspectu meo; & Angelorum meorum, qvi belligerantes adversus Bestiam adjuvabunt, catervæ. 7. *Ego itaqve ingredientium & egredientium videns agmina, lætatus sum.* 8. *Tandem audivi vocem*, ô Eusebion! *qvod qvid esset, non intellexi.*

REVEL. XL. 29. Maij.

(*Inter instrumenta DEI Simon Balasdi.*)

ADi D. Simeonem Balasdi, & dic ei qvid Principi adhuc significare debeat. 2. Nam & hôc instrumentô uti decrevi ad vindicandam veritatem meam, & proculcandum atqve diruendum Atria Idololatrarum hac in Terra &c.

REVEL. XLI. 5. Novemb.

[*Princeps Tr. obiit, & cur, 2. Successor ejus, 3. Videns sua hac exurere prohibetur, submittendo sibi socio illa servare jubetur.*]

Cum de morte Principis fama crebresceret, adeoqve certa res esse, ego experrectus somnô, plenus horroris, orare cœpi DEUM, ut auferret iram suam, recordatus misericordiæ suæ, & promissionum per me qvoqve factarum. 2. Et respondit mihi Dominus dicens: Qvòd Princeps mortuus sit, ne mirere. Noluit seqvi consilia mea, sua seqvutus. 3. Transferam honoris coronam, qvam decreveram illi, in filium ejus Sigismundum, si per vias meas ambulabit integrè: nam & ipse Rakoci est. 4. Malum à me super Domum Austriacam veniet. 5. Amosum adducam in hanc Terram, cui tu hæc tua trades: qvæ cave abjicias. (*6. Comburere enim cogitabam, tot ludibria ob mortem Principis, & detectam prædictionum, uti dicebant contemptores, vanitatem, passus.*) 7. Et ne esto incredulus, sed credens: Ego enim convertam inimicos tuos, & futuri sunt benefactores tui. 8. Tu tantùm sta in sorte tua, Vigila, Ora, &c.

[v. 3.) Promittitur Patri priùs promissa Corona filio, sub eadem conditione, si ductum Dei seqvi voluerit: qvomodo autem seqvutus fuerit, patebit postea.

REVEL. XLII. 4. Decemb.

[*Termini DEI jam adsunt, 1. Papa titio fumigant, & Hispanus arundo fracta, non salvabunt Pharaonem, 2. Domus Friderici redibit, 3. Sig. Rakoci, 5.*]

Diluculò, post mea ad DEUM suspiria, venit à Domino vox: Gaude! Termini enim jam jam exeunt. 2. Jam dejeci robur Pharaonis in mare: nec illum retinere poterunt vel titio ille fumigans, Papa, vel fracta illa arundo Hispanus, qvibus ille innixus confidit, & res suas variè stabilit. 3. *Qvibus ego auditis, dixi*: Ah Domine, etiamnè Domus Friderici ad Dignitatem redibit suam, ut dixeras? 4. *Resp.* Redibit. qvod exseqvi juvare debuit Princeps, sed noluit Septentrionalibus cooperari sincerè, ideò abscidi vitam ejus. 5. Sigismundus Filius ejus accipiet Patri destinatam dignitatem (nam & ipse Rakoci est): ambulet tantummodò integrè. 6. *Qvibus ego auditis, dixi: O veniat illi auxilium de Sion!* 7. *Respondit*: Veniet! Tu tantùm vigila, & pro illo ora.

[Nota benè, attente Lector! Toto 1648. anno silentium fuit Vocis revelantis ad Videntem: annô 1649. semel tantùm insonuit, seqventi hîc Revel. descripta: rursumqve silentium per menses XVI, ad 6. Julii usqve anni 1650. exinde rursum crebræ. Qvid causæ subesse suspicabimur? An qvia per id tempus, totô bienniô, pacis Osnabrugæ conclusæ ventilatio agitabatur Noribergæ? & habitans in Cœlo, qvi Terram tradidit filiis hominum (Psal. 115. 16.) agere istos opus vacillantiæ suæ, donec peregissent, sivit? denuò hinc errorum humanorum aggressurus castigationem? Videtur id ex ipsa

seqventi

ſeqventi Revelatione XLIII. (patientiæ ſvadendæ causâ interpoſitâ) apertè colligi poſſe. Tacuit ergò ille, conticeſcebantqve paulatim ludibria, rebus iſtis omnibus velut in oblivionem ſenſim venientibus.]

REVELATIO DEI
facta
Anno M. DC. XLIX.

REVEL. XLIII. 7. Febr.

[*Aqvilæ robur tantùm jam in ungvibus* 2, *confringendis per Orientales* 3, 4, 5: *& cur per hos*, 6. *Videns triſtis orat*, 7. *erigiturqve variè*, 8. DEI *qverimonia, qvòd homines nolint agnoſcere, & exſeqvi judicia ſua*, 9. *&c. Cauſa obitûs Principis Tr.* 17. *Sigiſm. filius ejus*, 18. *Sim: Balasdi*, 20. *Beati exſpectantes*, 21. *Hæc nondum revelanda Mundo*, 23. *qvando tempus erit indicabitur*, 24.]

HOrâ *diluculi hortatus me eſt Dominus ad patientiam, in triſti & variè afflicta ſorte mea, promittens me circumfundendum eſſe benedictione ſuâ.* 2. *Et dixit*: Aqvilæ illius, & Beſtiæ, de qvibus tibi dudum loqvor, poteſtas, tantummodò jam in ungvibus conſiſtit. 3. Qvos ungves, Ego jam qvoqve confringam per Orientalem, magnamqve illius potentiam. 4. Nam & hunc venire oportet, qvemadmodum tibi pridem loqvutus ſum. 5. Veniet, & in hac Terra ruinas edet multas. 6. Nam Sveci laſſati ſunt diſcordiis ſuis: Gallus timore & ambitione ſuâ impeditur. 7. *Ego his auditis dixi: ô Domine qvousqve tandem ira flagrabit Tua? Atqvi jam ad ima detruſi, conculcati, ad nihilum redacti ſumus, qvod Tu Omniſcius ipſe vides.* 8. *Reſponſum eſt*: Nondum plenè venit hora mea, terminusqve Beſtiæ poſitus ab æterno. 9. Nondum enim omnem implevit menſuram: & habitatores Terræ necdum intelligere volunt ut odium concipiant Meretricis Babylonicæ. 10. *Ego autem dixi: Eſtne qvi hæc illis oſtendat? fortaſſis enim facturi eſſent.* 11. *Reſponſum*: Annon oſtendit Daniel Propheta meus, & Joël ſervus meus, qvid in noviſſimo dierum erat futurum? 12. Sed & os Filii mei, & calamus Johannis Scribæ mei, in Apocalypſi. 13. Qvin & ipſæ meretriciæ abominationes loqvuntur. 14. Sed qvis eſt? qvis inqvam, qvi hæc ita proponat filiis, hominum, ut mente conſiſtere, & me Factorem ſuum qværere, incipiant? 15. *Ego verò dixi: Qvis autem erit moderna Regni diætæ exitus?* 16. *Reſponſum eſt*: Exulceratio animorum major, hac in Terra, & Conſiliorum confuſio. 17. Abiit Rakoci, dominus tuus, nolens à me duci qvô ego volui, abductus conſiliis avaritiæ in devia. 18. Filius ejus Sigiſmundus incedit ut juvencus, demiſsô capite, ductores ſuos ſeqvutus. 19. Utinam caput

put attollat, ad videndum evanidas operas Patris sui, qvas brevi oportet destrui hac in Terra. 20. Simeoni Balasdi dices: ut sibi attendat! nunqvam enim plures habuit insidiatores qvàm habet modò. 21. Beati autem Vos omnes, qvi exspectatis revelationem gloriæ meæ! conservabimini enim mirabiliter tùm cùm effundetur ira mea. 22. Nam sicuti nubila Cœli prohibere non possunt, qvin luceat Sol; ipsumqve profundum Mare detegere necesse habet, me jubente, fundum suum: ita robori meo nihil obsistere poterunt ullæ machinationes humanæ, ne destruatur potentia Bestiæ, & omnium qvi eam fulcitum eunt. 23. *Quibus dictis, valedixit mihi Dominus addens*: Non cuivis hæc revelato, nondum enim tempus est. 24. Qvando tempus erit non celabo te.

[v. 2. *robur tantùm in ungvibus*) Corpus ipsum Papalis Imperii per Septentrionales jam erat enervatum, ut viribus resistere non valentes Pacem peterent, redimerentqve: Ungvibus tamen malæ intentionis (ad perdendum vi aut dolô, qvâ daretur, Evangelicos) adhuc retentis. Ad qvos ungves jam qvoqve confringendum, excitatum iri Orientales, v. 6. Versu 11.) *Daniel* c. 2. & *Ioel* cap. 2. v. 15. *Regni diæta*, i. e. Comitiorum Regni Hungariæ. v. 22. *Mare detegere fundum suum*) Nempe sicuti fecit Mare rubrum, ad transmittendum filios Israël sese aperiens.]

Seqvuntur REVELATIONES factæ Anno M. DC. L.

Interserenda hîc est historia, ***Qvomodo promissus dudum Drabicio Adjunctus hôc tempore ad illum fuerit, missus: & de concertatione inter illos orta, redeuntibusqve solemniter Visionibus.***

Eventus hominum respectu fortuituitos occultâ Providentiæ vi disponi, non ignorant qvi voces Dei in Scripturis non ignorant, cursuiqve operum Dei piè attendunt: qvalia his ipsis in rebus, de qvibus loqvimur, innumera observare est, hoc etiam qvod nunc memorandum venit.

2. Pace Monasterii & Osnabrugæ sexennio agitatæ, tandemqve conclusæ; iterumqve Noribergæ biennio ventilatæ, tandemqve terminatæ, ultima publicatio incidit in Januarium anni 1650. Qvâ Bohemiæ Regno, cum incorporatis provinciis, hæreditatis nomine Austriacæ Domui relictis, *dispersi propter Evangelium à spe reditus in patriam æternùm exclusi, qvid jam agendum esset deliberare cœperunt: superstites nempe Ecclesiarum Superattendentes cum reli-*

reliqvis Auditorum suorum, ex Baronali & Eqvestri ordine. Petebant ergò in Polonia exulantes ab exulantibus alibi, in primis Hungaria, ut è medio sui aliqvot prudentiores (ex ordine Politico & Ecclesiastico) mense Martio mitterent, ad certi aliqvid concludendum. Comparuerunt alii, ex Hungaria nemo; senium & morbos eorum, qvi maximè idonei huc essent, causati. Addebant: *adfuisse se Fratrum in Polonia Synodis per hos exilii annos aliqvoties, justum esse qvoqve aliqvando se in Hungaria visitari. Nominatim ad se Confratrem suum Comenium mitti postulabant; qvippe Moravum, & Moravorum causâ Antistitem ordinatum; sibi verò per annos jam 25. non conspectum. Cujus absentiam tolerari potuisse vivo Collegâ, Laurentio Iustino; nunc illô evocato reqviri omninò, ut gregem suum intervisat, si non ad cohabitandum, ordinis tamen stabiliendi causâ &c.*

3. Huic Fratrum Moravorum postulato mox assensum dabant Bohemi, & qvi aderant Poloni; eundumqve esse, & de actis hujus Convocationis ibi qvoqve deliberandum, concluserunt. Maximè postqvam eo ipso temporis punctô *à Sigismundo Racoci venirent Comenium ad colloqvia, & de Scholarum suarum reformatione consultationem, evocantes literæ.*

4. Ab his igitur vocationem, ab illis missionem nactus, commendavi me Deo, perqve Silesiam & Moraviam festinans, Skalicium (primam Hungariæ liberam urbem) pridie Paschatos attigi, & cum dispersorum populo (præsentibus aliqvot Baronibus & è Nobilitate, Pastoribusqve) festi solemnitatem peregi: iis qvorum in primis causâ veneram in ultimum reservatis. Ubi *consilium non fuit aliud* (sicut & nobis in Polonia, & alibi) *nisi ut ab hominibus in universum derelicti, uni Deo tantò firmiùs adhæreamus, illiùs nos voluntati plenissimè resignantes, ad vitam & ad mortem &c.*

5. Alter similis conventus (sed major, Pastorum circiter viginti) erat octiduò post *in ditione Viduæ Racocianæ, Puchovii*: ubi per dies sex variè de conclamato undiqve statu nostro sermonibus, mutuisqve ad poenitentiam, patientiam, spemqve in Deo (etiamsi nos occidat) exhortationibus habitis: valedicturus ego illis significavi, *Mihi qvidem propositum fuisse ad Principem Sigismundum (à qvo vocatorias haberem) divertendi, sed itineris longinqvitate absterreri, à negotiis verò meis revocari. Constituisse itaqve (negotiô per literas expeditô) festinare domum. Illis ut postridie ad communes preces, nosqve invicem spiritui gratiæ commendandum redire liberet.*

6. Instant illi, *perseverandum esse in absolvendo suscepti itineris proposito: literam esse mutam, non tanti fieri atqve præsentiam vivam: se Principis matris indigere gratiâ, ampliandum potius qvàm minuendum favorem, & qvæ id genus plura.* Respondi: me ergò adhuc deliberaturum, qvomodo ultimum formari possit consilium. Ita qvietæ noctis votô valedixi, apud cognatos pernoctaturus meos.

7. Ecce autem exeuntem me illorum unus, *Nicolaus Drabicus*, comitatur, impensè ut propositum ne mutem orans. Qvæsivi, *qvid præ cæteris sua interesset, ut præ cæteris tam instaret?* Respondit, *qvia te in Sigismundi Racoci notitiam venire opto.* Qvare id? Ille, ceu invitus & effari verecundans, tandem: *qvia ille Rex erit.* Ego consistens, illumqve intuitus: *Qvid mi Frater audio? nondum tu à somniis tuis evigilasti?* (Nihil enim ampliùs de his materiis voce aut scripto cum illo

G egarem

egeram, nec eorum plus qvàm ad me missum fuit primitùs videram, vanitatis illa apud me æqvè ut cæteri condemnans, eò qvòd propheticam styli gravitatem, vel qvalis Kottero & Christinæ inest, non attingere, eventusqve multò etiam minùs respondere, viderentur.) Dixi ergò: *Patri priùs Coronam offerebas: eâ spe deitusus ad filium jam ibis? Vide per Deum qvid agas, ludificareqve te & alios desiste.*

8. Eruperunt Viro lacrymæ: oculisqve & manibus sublatis, *Bis me lacrymis meis abluere possem*, inqvit, *qvantum earum jam effusum est, ut misero mihi parceret Deus: sed impetrare non possum.* An ergo adhuc ista pateris? Respondit: *Ultra annum est qvòd nihil patior, scio tamen nondum esse finem.* Qværo unde id sciat? Ille, *Dominus dixit, consignataqve in adventum tuum servari & tibi tradi (adducturum enim te in hanc Terram) jussit. En trado.* Offertqve chartas illas, posteriores Visiones continentes, pluresqve promittentes: rogans legere vellem. *Annon hæc fingis obsecro?* dixi. Ille Deum testem invocat. Qværo, *Qvando id de adventu huc meo auditum?* Ille, *Annô ab hinc tertio, mox à Principis morte, qvum ludibriorum impatientiâ exurere ista vellem, Dominus verò prohibebat. Invenies ibi scriptum.*

9. Attonitus ergò chartas illas recipio, vespertinisqve horis inter amicorum colloqvia consumtis, mane demùm inspicio, lego, ruminor, interqve suspiria (& ut Deus vias meas dirigeret vota) animum mutari sentio: offerentibus se pro suscipendo ad Principem itinere tot causis, qvas priùs non observâram. Qvæ cogitata mea cùm Fratribus ad preces congregatis communicarem, gratulabantur, lætisqve iter meum proseqvebantur votis.

10. Ingressus ignotas vias, decimâ hinc die residentiam Principissæ, *Patakum*, Deo duce attigi: sic à Principibus (Matre & Filio) Theologisqve, & aliis Viris doctis & bonis, octiduo toto habitus, ut ad cohabitandum illis aliqvandiu (instabant enim) reditum non recusare promitterem, si per rerum apud nos statum, assensumqve illorum qvorum pars sum, liceret. *Ad illos itaqve literis me instructum dimittunt, deinde verò per Cursores festinationem ita urgent, ut non redire non possem*: detentus apud eos postea (Scholasticis in laboribus) qvadriennium.

11. *Drabicio interim Revelationes rediêre, solemniores qvàm antè, sex adhuc eô annô: uti jam seqvuntur, sic ab illo descriptæ.*

REVEL. XLIV. Julij. 2.

[*Videntis labascens fides erigitur, Ecclesiasticôqve muneri rursum se parare jubetur.*]

ANno 1650. *Iulii 2. sub auroræ tempus, cùm preces pro afflicta Ecclesia, more qvotidianô, peregissem, factum est ad me Verbum Domini mei, modô ante hac usitatô.* 2. Ecce jam appropinqvat tempus, de qvo tibi loqvutus sum, & jam qvoqve in somnio ostendi, te annuntiaturum esse Nomen meum populo magno. 3. *Qvibus ego auditis cogitare cœpi;* Dudum ista prænuntiari, nec impleri tamen. 4. *Sed respondit Dominus*: Ne mirere! Recordare potiùs, qvomodo Propheta & servus meus lateri uni necesse habuit incumbere diu, ex beneplacito & præscripto meo. 5. Scio ego qvid turbet animum tuum; Rumor de conclusa pace, & non reditura annunciandi Nominis mei libertate. 6. At tu

plus

plus crede mihi, sermonibusqve qvos loqvutus sum tibi. Jam enim venit tempus, ut inimici mei mensuram crudelitatis suæ impleant. 7. Tu igitur para te, Scripturas meditare! videbis brevi potentiam & fortitudinem meam. 8. Nam non sine causa ego signum impressi faciei tuæ: qvod tum temporis tolerabile fuit: & dixi, habiturum te aliud qvoqve signum. 9. *Qvò ego auditô cogitavi, Utinam hoc etiam tolerabile sit! petiiqve roborari: qvod & promissum est mihi, cum exhortatione ad preces, atqve ut mox surgerem, & id consignarem.* 10. *Valedixit autem mihi Dominus dextrâ oblatâ, his verbis*: Protectio mea & benedictio, tecum sit. 11. *Ego autem cantitatô ex hymno versiculô*, O gloria Cœlestis exere dextram tuam! &c. *item ex Psalmo* 119. *v.* 171. *confitebar peccata mea, & multam indignitatem meam.* 12. *Ubi rursum vox Domini ad me*: Texi ego jam peccata tua, ne illa formida amplius: Deleta enim jam sunt è memoria & mea & hominum. 13. *Unde ego ingenti spiritûs lætitiâ perfusus respondi*, Hallelujah: *juxtaqve mandatum scripto hæc mandavi.*

[v. 4. Vide Ezech. 4. v. 4. &c. v. 6. *ut mensuram impleant*) Scopus explicatur laxatæ hostibus habenæ, permissæqve (vi Instrumenti Pacis Osnabrugensis) in Provincias hæreditarias potestatis: nempe ut per abusum implerent crudelitatis mensuram, demumqve plenè Deum hominesqve adversum sese concitarent. Ad v. 7. & 8. Nota: Roborari his conjecturam de signo igniti vultûs, Videnti prius dato, Rev. V. §. 23.]

Revel. XLV. Jul. 7.

[*Ad cogitata Videntis respondet Dominus* 2. *de Ioh. Effronio*, 3, 4. *& Pr. Rakocio, Svecis, Gallis, opus DEI deserentibus*, 5, 6, 7, 8, 17. *reducendis tamen & ad illud exseqvendum cogendis*, 9. 10. *Sig. Rakoci*, 11. *Conspiratio Gentium universalis adversus Bestiam*, 16, 18, 20. Exeqvutio ad stuporem velox, 19. *Præmonitio adversus diffidentiam*, 21. *&c.* Videntis Adjutor, 27.]

ITerum *factum est ad me Verbum Iehovæ*, 7 *Iulii*, *circiter secundam nocturnam*, *cùm intervigilans cogitarem*, *num Puchoviam mihi esset eundum*, *ad cognoscendum qvid Vetterinus attulisset* (*Patakinô redux*) *& num Fr. Efronio* (*Pastori Puchoviensium exulum*) *significandum esset*, *qvod postremò mandasset Dominus.* 2. *Constitui autem tacitè orare DEUM*, *ut ostenderet qvid fieri vellet*: *Ecce autem, anteqvam ad orationem me componerem*, *prævenit me vox Domini*, *dicens*: 3. Ostende ista Efronio! Fortassis admittet ad cor, & excipiet hæc aliter qvàm priores increduli, de potentia mea dubitantes. 4. Ego enim opus qvod agere orsus sum, ut perdam Bestiam, & Babylonicam Meretricem, unà cum illo qvi ædificat thronum ejus, sicuti dudum loqvutus tibi sum, id peragam. 5. Qvô adhibere volui (inter instrumenta mea) Principem etiam olim Vestrum: sed qvid profuit, cùm Ille hoc intelligere nollet? 6. Id tantùm unum egit, ut Filiis suis, suæqve Provinciæ, consuleret. 7. Qvod imitati sunt Corona etiam Svetica, ut sibi tantùm, Regnoqve suo, prospicerent: sicut & Rex Galliæ. 8. Ut verò junctis viribus exseqverentur, qvod ego per ipsos effectum volui, & volo, ut deleant Babylonicam meretricem, id recogitare noluerunt, nedum ut facerent. 9. Facere autem debebunt, à me adacti. 10. Jam enim agnoscere incipiunt,

cipiunt, qvàm lubricum eventum sortiantur Tractatus sui: eôqve ancipites consiliis esse incipiunt. 11. Sigismundus filius Rakoci insufficiens illis videtur ad hæc tanta: at scientia mea, magna scientia est, hanc edocebitur à me. 12. *Hu ego auditis, loqvi aliqvid volui, sed nihil potui, qvicqvid tentarem.* 13. *Dictum ergò ad me*: Fortassis qværere vis, num brevi liberandi sitis? 14. Noveris, Tempora mea aliter esse dimensa qvàm tempora hominum. 15. Qvod tibi exemplô Prophetæ ostendi, incumbere coacto lateri uni 390. dies. 16. Nondum enim facta est à me adversus Bestiam conspiratio Populorom & lingvarum Orientalium, Occidentalium, Septentrionalium & Meridionalium. 17. Deseruerunt enim qvi se Coronæ Svecicæ junxerant opus hoc, qvod per ipsos exseqvi volui. 18. Ego autem ecce nunc jam colligam Gentes à qvatuor Mundi plagis! 19. Et qvum collegero, atqve veluti collectas, in Dolium unum conclusero, effundam eas velociter & inopinatè, tamqve rapidè, ut (*effundentibus se*) fundus uterqve non sit suffecturus, per ipsas secamentorum juncturas effluere necesse habebunt, obruereqve Bestiam ferrô & igne, velocitate incredibili. 20. Qvod opus meum exseqvi necesse habebunt, non Christianæ tantùm Gentes, sed & extranei, Turca & Tartarus cum Polono, Mosco, aliisqve transmarinis Nationibus: qvod horrendam adducet tragædiam. 21. Tu autem sta in sorte tua, acqviescens viis consilii mei. 22. Et ne dubita de iis qvæ loqvor, potentiâqve meâ; tentans me incredulitate & suspicionibus, sicut ille meus (*aliàs*) fidelis servus, Moses: qvem scis à me non introductum fuisse in Terram promissam. 23. Qvod & tibi contingere posset: qvia gratiâ meâ excidunt incredulitate me irritantes. 24. Memento igitur, me secundùm potentiam & sapientiam meam, non secundùm humanam rationem, fines & metas rebus ponere omnibus. 25. Imò si qvis excutere tibi animô ea tentet, qvæ tibi loqvutus sum, & adhuc loqvor, silentiô illi responde potiùs, qvàm ut unà cum illo me irrites. 26. Semel tibi loqvutus sum, omnia esse sub potestate mea. 27. Tu autem adi Puchoviam, ibi à Vetterino cognosces qviddam, qvod te scire volo. (*Nempe de vocatione à Principe I. A. C. uti prædictum fuit Revel. XLI. 5.*) 28. *His valedixit mihi, ego autem cantare cœpi. Ps. 146.*

[v. 16.) Causa inde patet, cur à pace Osnabrugensi anni aliqvot interponendi fuerint: nempe ut à qvatuor Mundi plagis convocandis, inqve consensum redigendis, non deesset spatium. v. 19. *Velocitate incredibili*) Mirum est qvod de celeritate Babylonis antiqvæ & novæ, justô Dei judiciô vastandæ, omnes factæ revelationes antiqvæ & novæ, loqvuntur. Jerem. 51. 31. Apoc. 18. v. 8. & 21. Et apud hos nostros innumeris locis. Qvid tandem illud futurum sit, eventus ostendet.]

REVEL.

REVEL. XLVI. Septembris 8.

[*Somnium de intentata accusatione criminali, & fuga, reductioneque domum, & ludi victoria, 2. explicatur de excitandis Gentibus, qvæ Exules reducant, 6. &c. nempe qvos Meretrix Babylonica (qvasi Hæreticos & adulterantes mysteria Fidei) persequuta fuit annis ducentis, 10, 11. Viscum Orientale Filii Rakocii, Meridionale Græci & Rascii, 22. Septentrionale Sveci, 26.* (NB. Mysterium pacis Osnabrugensis, 27.) *& Moscus, Pol. &c, 29. Occidentale Helvetii, 32.*]

I*Terum factum est Verbum Iehovæ ad me, sub primum dilucum. 2. Præcesserat autem somnium: qvô introductus videbar, à Magnifica qvadam Matrona in domum amplissimam; ubi accusabar criminis falsi, qvòd frater meus,* Lucas Kales *vendidisset cimelia duo cum Adamantibus adulterinis. 3. Ego igitur profugi in Campum, captivitatis metu. 4. Et ecce insequutus me qvidam Eqves, me qværens! ego autem contexi me stramine, veluti fimô campi, ut ab illo non invenirer. 5. Inventus autem sum ab adolescente alio, qvi me in domum eandem reductum collocavit ad mensam, inter adolescentes qvatuor formosissimos, qvi colludebant. 6. Factumqve est, ut ego cistulam qvandam ibi inter alias jacentem apprehenderem, illi autem me ludò vicisse dicerent:* Et mox *evigilavi, qvid istud somnium sibi vellet cogitans. 7. Audivi autem vocem;* O Viscum, Viscum lignorum meorum profer te! excisum & expolitum è lignis Orientalibus, Septentrionalibus, Meridionalibus, & Occidentalibus! Jam enim appropinqvavit terminus, ut perdatis Bestiam. 8. *Ego cogitare cœpi: Citóne id futurum? Supervivamnè ego? 9. Et dictum est mibi,* Intuere viscum illud! 10. *Ego sperans me aliqvid visurum, aperui oculos, aciemqve intendi ad fenestram.* 11. *Sed nibil vidi, vocem tantùm denuò audivi:* Qvinqvagesimus (annus) adest, & finis adest! Nulla enim (O) ad nihil est: sed divide nullam (O) erunt duo c, sic clɔ. 12. *Feci; sed cogitabam, qvid istud esset? Responsum est:* Ducenti anni sunt, qvibus Vos & Majores Vestros afflixit Bestia, sed non affliget ampliùs. 13. Jam enim perdetur & evertetur ipsamet, à Visco lignorum meorum pulchrè excisorum. 14. *Ego autem cogitavi, Qvid & qvale istud viscum esset, orans tacitè, & DEI commiserationem implorans.* 15. *Responsum est:* Primum Viscum est Orientale, Betulletum flexile, Filii Rakocii. 16. Hi sunt veluti Scopæ betullaceæ, qvibus ego ex hac terra everram Jesuitas, fulcimenta Bestiæ, cum Idolis eorundem. 17. Et exscindent sculptilia fusiliaqve Idololatrarum, sicuti fecit Ezechias & Josias, servi mei zelosi; nec resistendo illis erit ulla vis hostium meorum, qvantacunqve. 18. Betulletum meum dilectum sunt ipsi, qvanqvam apud multos exigui ponderis reputati. 19. Betulletum tamen convenit virgis, sicuti hi operi huic meo: pro qvibus tu ora. 20. Et ne tam sollicitus esto: Penuarium meum, meum inqvam penuarium, non deficit, providebitur tibi à me, sicuti expertus es hactenus. 21. *Et cœpi cogitare: Hi erunt Orientales: qvis autem Meridionalis erit, cùm ibi habitet domus Austriaca?* 22. *Responsum:* Viscum meum Meridionale sunt Græci & Rascii, qvorum Dux erit Eusebion, cujus nomen tibi jam antè prodidi, (*A. 1647. 20 Maji*) 23. Populus iste, populus inconspicuus est, parùm cultus, sim-

plex, Bestiam non colens, crebris jejuniis & orationibus vacans. 24. Mihi autem simplicitas semper placuit, qvalis & Majorum vestrorum fuit. 25. Populus iste, Græcorum & Rasciorum, irruent in Bestiam Meridiem versus, eamqve vastabunt, qvod nunqvam cogitatum fuit: Eusebion erit horum Dux, qvi coram me est ut Myrti lignum. *26. Ego iterum cogitare cœpi: Qvis ergò à Septentrione erit, post initam à Svecis pacem?* 27. *Responsum ad hæc:* Pacem illam ego feci ad breve tempus, dum Palatinus, Friderici progenies, radices rursum in Germania agat, Palatinusqve fiat Rex Svecorum. 28. De qvo memento me pridem dixisse tibi, exaltatum iri Domum Friderici: Henricus & Ludovicus erunt viscus Septentrionale. 29. Cui Polonia, Livonia, Mosqva, Tartarus & Turca accedent, unáqve Bestiam cum catulis suis vorabunt: unde ingens gaudium & lætitia orietur Cultoribus meis. 30. Atqve ibi demum Corona Sveciæ exseret virtutem suam, per Palatinum Rheni, vas meum politum, qvi est ut Oliva & Balsamum, odoriferum mihi lignum. 31. *Cùm autem ego cogitarem; Atqvi mihi priùs fuit dictum, Turcam cum Transylvaniæ Principe venturum: responsum est,* Non tam amplus & facilis transitus esset per Ungariam, atqve per Poloniam erit. 52. Tu verò aspice Occidentale qvoqve meum Viscum! 33. *Ego autem cogitabam, Nescio qvem tu ibi habeas Domine DEUS noster! veniebatqve mihi in mentem,* G. G. G. *sed intelligere neqvibam, illud* (G) *qvid sibi vellet?* 34. *Et responsum est mihi:* Geneva, & Ducatus Helvetiæ, sunt Occidentale Viscum meum. 35. Hi irruent in Germaniam, & deturbabunt de sedibus Electores Ecclesiasticos, qvi suffulciebant Bestiam fraudibus & machinationibus suis, sicut & domus Austriaca fecit. 36. Cui ego alas jam evulsi, Helvetii autem de sublimis Arboris vertice, ut Aqvilam de nido suo, magno robore decutient, ut desinat sustentare Bestiam cum opere fraudum & imposturarum: nec erit ulla humana vis, qvæ obsistere valeat. 37. Hi Helvetii sunt velut Abies, cujus viriditati nec æstus nec hiems incommodare potest aliqvid. 38. Atqve hæc sunt Visca illa mea, qvæ Ego excitavi, & in fasces collegi, ut Bestiam destruant cum opere suo. 39. Tu autem innitere mihi, & sollicitus ne esto, ego in lucem proferam potentiam meam. 40. Surge illicò, & ista conscribe: *iterabatqve sermones istos suos omnes Dominus.* 41. *Ego autem cantare cœpi Canticum;* Deus æterne auxilio esto, oramus, & miserere nostri, &c. 42. *Cùm absolvissem, valedicebat Dominus dicens:* Surge, ora, impatiens ne esto. 43. *Surrexi igitur, & ista descripsi. Hallelujah, Hallelujah.*

[*Ad* v. 7. O Viscum, viscum &c.) *Absurdissima nobis visa fuit illa qvorundam seu Populorum, seu Personarum, VISCI nomine appellatorum, nomenclatura. Videns tamen, ut alibi ita hìc, nihil mutari passus est. Et tametsi explicatio hìc additur* (v. 15, 22, 26, 28, 32 35) *iteraturqve postea non unô locô, asseqvi tamen qvo sensu, & cur, hæc ita dicantur, non fuit datum, nunc demùm: nempe* fieri hoc in contemptum superbiæ hostium Dei. Qvi cum sibi potentissimæ Arbores videntur (*& sanè Deus ipse in Scriptura magnos Populos & Reges Arboribus magnis comparat, Ezech.* 31. v. 3, *&c. Dan.* 4. 20, *&c. sicut & Austriacam domum apud Kotterum V.* 16, 17. *Poniat.* XIII. 30 *&c. Drab.* XXX. 9. CCXXXIII. 4.) Deum tamen ad eradicandum eos non iis mediis esse usurum, qvæ magnum etiam qvid per se videantur; sed talibus, qvæ illi Babylonicô suô fastu pro nihilo reputare consveverunt.

verunt. *Ut sunt ab Ortu Racocii, non ita pridem ad Principale decus evecti*: à Septentrione Domus Palatina, *hostibus pro contemtu, abjecta, conculcata habita*: *ex qva tamen Deus Septentrionali Regno Regem se daturum minatur* (XLVI. v. 17, 30.) A meridie Græci & Rascii, *gens prorsus ignobilis* (v. 32, ex.) Ab Occasu gens montana Helvetii, cum Civitatula Genevensi (v. 34.) *Qualia hæc sunt, qvalesqve illorum vires esse possunt, respectu tantæ Monarchiæ, quam evertere jubentur? Prorsus ac si qvis teneras illas viscosas propagines, Arboribus supercrescere solitas, & inde excisas* (*ut hic stupendâ emphasi dicitur*) *Arbores ipsas* (*& qvidem* tàm altè radicatas, Cœlum vertice contingentes, & aspectum ad terminos universæ Terræ habentes, *Dan.* 4. 8.) *oppugnare jubeat ac eradicare*. *Qvòd hæ Viscæ dicuntur* excisa & expolita, *geminam emphasin habet. Nempe qvòd Deus Gentes & Domos istas ad Opus hoc separaverit: sicuti si qvis Viscô ad aliqvid vellet uti, avellere illud ab Arbore necesse haberet*. Expolitum autem Viscum *eô sensu dicitur, qvô* Sagitta polita, *Jes.* 49. 2. id est acuta, *Iesa. c.* 5. *v.* 28. *hos enim per se debiles manu Dei roborari, exacui, expoliri, ad tantum Opus necesse fuerit. v.*25. *Qvod nunqvam cogitatum fuit*) Profectò neqve adhuc cogitare novimus, qvinam isti populi, qvinam illorum dux Eusebion, aut qvando venturi. v. 27. *Palatinus Friderici progenies*) Vi pacis Osnabrugensis Friderici filium fuisse jam tum restitutum audivimus, eundemqve Regem Sveciæ futurum publico rumore sparsum fuit: sed alium consiliô Dei huc fuisse destinatum Palatinum (Carolum Gustavum) eventu patuit. v. 28. *Henricus & Ludovicus viscum Septentrionale*) Qvis Henricus, qvis Ludovicus, & ex qva Domo, non intelligimus, & disceptatio fuit. Vide tamen infra Revel. LIV. 2.]

REVEL. XLVII. Nov. 19. horâ matutinâ 5.

[*Somnium de Preczinski mensam instruente*, 2. *ad tempus jam instantis liberationis accommodatur*, Vidensqve jam non tacere jubetur, *cum Adjuncto sibi*, 8, 12, 23. *sed inclamare Orientales, ut primi exeant*, 12, 13. *tum Septentrionales & alii*, 14. *qui omnes* terribiliter in Idololatras incitantur, 16, &c. *Videns horrore correptus erat*, 30. *in Scripturis Sacris solatia qværit*, 31, 32.]

QUùm nocte mediâ evigilassem, mœstus spiritu, invocabam nomen DEI (tum decumbens adhuc, tum surgens lectô, juxta impulsum qvendam Spiritus) precibus multis. 2. *Postea me invasit somnus cum insomnio*: *Visus mihi fui constitutus in domo D. Preczinski, videreqve ipsum & familiam parantem accumbere mensæ.* 3. *Tum ingressus est ad nos vir qvidam gravi & honestô vultu, differens de forma Bellorum in Orbe Christiano, demonstransqve adstantibus ista descripta linguâ Hungaricâ, ut qvidem mihi Ungarica visa fuit scriptura.* 4. *Ego verò consistens illi à tergo, ostendebam velut in speculo in scriptura illa, res mihi à Domino manifestatas, conveniebantqve omnia.* 5. *Evigilavi autem, & qvid somnium illud portenderet cogitare cœpi: expendens id qvod mihi de D. Preczinski jam Anno* 1643. *narratum fuit.* 6. *In eo facta est ad me vox Domini*: Attende tibi in re à me commissa: omniqve feriâ hebdomadis sextâ contine te à cibo ad vesperam usqve: sed langvorem si sentias, bibe paululùm. 7. *Cum ergò varia mihi de hostilibus machinamentis venirent in mentem, dixit Dominus*: Mitte ista! cogita potiùs de iis qvæ tibi ostendi per somnium. 8. Jam etenim tempus est, ut non ampliùs taceas, sicut isti ad Samariæ portam, ne tibi obveniat culpa: qvia dies boni nuntii est, à me determinatus pridem. 9. Jam enim venit positus à seculis terminus Bestiæ illi ebriæ sangvine San-

Sanctorum interfectorum, jacentium sub altari, clamantium & exspectantium, ut projiciatur à me Lapis ille magnus in mare. 10. Ut ne ampliùs dominetur in æternum illa meretrix Babylonica, cum fraudibus & abominationibus suis Idololatricis. 11. Ascendit enim clamor interfectorum & afflictorum servorum meorum in conspectum meum. 12. Tu igitur aperi jam os tuum, cum eo qvem tibi auxilio dedi! & extrude ad prælia meos illos, de qvibus tibi dixi. 13. Orientalibus dic: Exite vos primùm, dilecti mei, exsertâ dextrâ & gladiô, adversus Bestiam & Idololatras, hac in Terra. 14. Idem facite Vos Septentrionales, horâ eadem simul. 15. Sicut & Vos Occidentales cum Meridionalibus. 16. Viriliter agite! nam ego Jehova loqvor, qvòd jam hôc annô expleta sit mensura crudelitatis Idololatrarum adversus Cultores meos sub Sole. 17. Amputate pedes, præcîdite manus, exscindite lingvas, decutite capita Idololatrarum! 18. In ruinam date Delubra illorum cum Idolis! in rudera redigite Munitiones eorum, splendidáqve Palatia! 19. Nihil commiseramini exsecrandos, interitui à me devotos! 20. Facite illis, sicuti zelô flagrans servus meus Josue sceleratæ Urbi Hai, habitatoribusqve ejus fecit! & sicuti Ego ipse feci Hierosolymæ, qvam cum omni decore suo subverti funditùs. 21. Ego Alpha & Omega fundamenta posui regnantis illius Meretricis: Ego jam illi qvoqve finem imposui, in consilio Cordis mei. 22. Et Ego Amen, dico jam illius regni adesse Amen. 23. Tibi itaqve ego mando hodie, Ne sileas, sed sibilando advoces illos dilectos & à me delectos bellatores meos, qvos auxilium meum de Cœlo præcedet. 24. Surge itaqve, & conscribe hæc, qvæ audis ex ore meo. 25. *Hæc dictis valedixit mihi Dominus, specie gravis illius Viri quem in somno videram; dicens,* Protectio mea tecum sit: & memento qvorum admonitus es. 26. *Ego autem: Miserere mei Domine, & fac ne obliviscar horum.* 27. *Ille itaqve repetiit omnia sua dicta, addiditqve,* Surge mox. 28. *Ego autem timoris plenus occinere cæpi,* O Jesu optime, da super omnia amare te, da audire sermones tuos: *& qvæ reliqva Canticum istud Ecclesiasticum habet.* 29. *Cumqve mihi accendissem lychnum scripsi hæc, qvemadmodum mandatum fuit, cum fletu; lacrymis commadefaciens chartas istas, præ horrore furoris iræ, qvam denuntiari audivi adversus Bestiam.* 30. *Oransqve dixi:* O Tu qvi es Alpha & Omega, miserere nostri famulorum tuorum, & serva nos in die furoris tui, sicuti servasti in Pella dilectos tuos, cùm super Jerusalem effunderes indignationem Tuam! 31. *Postqvam autem hæc scripsissem, prehendi ante me jacentem Codicem Biblicum: qvem ut fortè aperui, incidi in Esaiæ cap. XLI.* 32. *Qvod relegens, multis solatiis perfundi sensi animum meum, videns eadem agere velle DEUM qvæ olim, in vindictam læsæ Majestatis suæ, & solatia oppressæ ab hostibus Ecclesiæ suæ. Hallelujah.*

[v 8.) Primum de non occultandis ampliùs Revelatis mandatum. v. 12. *Extrude ad prælia meos*) Misellus senex, mundo ignotus, commovere Gentes jubetur, hem! Sed ita est, Deus qvod organa sua jubet agere, agit ipse. Nisi n. ageret, tanta hæc negotia infecta manerent in æternum. v. 13.) *Orientales exire jubentur primò*: Septentrionales tamen iterum prodierunt primò, An. 1655, laudati ideò, tardatores verò Orientales increpati, infrà suis locis, v. 17.) Terribilis hîc iræ Dei rigor cui non lacrymas excutiat?]

RE-

REVEL. XLVIII. Nov. 20.

[*Facta Videnti à zelo contra illos, qui has Revelationes non capiunt, dehortatio, 2,5, 13. Series Gentium in Majo prodituarum (sine anni mentione) ostenditur, 7. cum Turcarum conversione, 10, & Iudaeorum, 11. Ecclesiaeqve informatione, 12. Signum Videnti datur novum 14, &c.*]

ITerum *factum est ad me Verbum Iehovae, qvum jam diesceret, egoqve lectô surgere vellem:* 2. O Drabici, Drabici, multum tibi concreditum est, multum à te reposcetur. 3. *Quâ ego auditâ voce, in lectulum relapsus sum, orans, ne me desereret DEUS, confortaret potiùs ad qvicqvid beneplacitum esset sibi.* 4. *Responsum autem fuit:* Virium apud me satis est, tantummodò ausculta, & fac mandata mea. 5. Et ne zela contra istos qvi offendunt te (nam & illi homines sunt) sicut ego tibi condonavi omnia peccata tua. 6. Opera mea secundùm voluntatem meam processerunt ab Orbe condito: procedent & illa de qvibus loqvutus sum tibi. 7. *Ego autem coepi cogitare, Quis facturus esset initium? Et responsum est.* 8. Orientales illi servi mei, comparent se, & invitent Septentrionales, hi autem Occidentales, hi Meridionales. Omnes autem incipiant se parare ad prodeundum tempore verno, menséqve Majo: ut qvasi unâ horâ incipiant celeriter. 9. Orientalis assumat Turcarum qvotqvot vult millia. 10. Multi enim Turcarum agnoscent causam belli hujus, esse Cultum meum ab Idololatris per haec Regna contaminatum, suscipientqve doctrinam Evangelii, & frontibus suis admittent signum meum, hoc: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* 11. Judaei autem, qvanqvam interibunt multi gladiô, reliqvi tamen videntes opera mea, cum plausu redibunt ad me, eruntqve Vobiscum cor unum. 12. Post annos tres Ordinem Ecclesiae vestrae suscipient habitatores Terrae. 13. Et tu noli tristari, qvòd nunc Concionatoris officiô non fungaris: multa te adhuc exspectat messis. 14. *Ego autem coepi cogitare de Signo illo, mihi adhuc promisso, coepiqve orare Dominum, ut illud exhiberet.* 15. *Et mox mihi frontem uri sensi: cumqve surgere vellem, dictum fuit,* Mane adhuc, & ora, & acqviesce consilio meo patienter, ego efficiam omnia. 16. *Hisqve dictis abiit à me Dominus.* 17. *Meae autem fronti totâ illâ die inhaerebat rubicundum, ac velut igne inustum signum, G: quod spectabant domestici mei, inqvirentes qvid esset factum.*

[v. 8.) Mensis nominatur, non annus. v. 12. *post annos tres*) nempe ab illa mirabili rerum conversione. v. 15. & 17.) Denuò signum, iterum ignitum, Videnti datur. Vide Rev. V. 23. Annot.]

REVEL. XLIX. 6. Decembr.

[*Somnium de Exercitu diu frustra oppugnato, à Vidente autem unô jactu in confusionem dato, 1,2,3,4. explicatur. 5,6,7. cum ejusdem consolatione. 8,9. & mandato de suscipiendo itinere novo, 10. precibusqve ac jejuniis, ad liberationis usqve tempus continuandis, 11.*]

D*Ecembris 6. horâ diluculi rediit mihi, jam vigilanti, somnus, per qvem vidi Exercitum qvendam sub monte qvodam Castris inclusum, super qvem è Monte illo*

multi tormenta & globos jaculabantur, sed istis aliqvid inferri damni non sentiebatur. 2. *Ego igitur illis adstans, & manu meâ Globum qvendam tenens, eidemqve globo Fastis anni hujus superimpositis, ejeci utrumqve sursum.* 3. *Et ecce, Globus ille meus cecidit in Castra hostilia, à me qvidem (propter montis clivum) non visa.* 4. *Et mox auditæ sunt in Exercitu illo voces tumultuantium, & ejulantium, & Eqvorum mugientium, ad horrorem usqve, qvò corripiebamur stantes in Monte: & mox evigilavi, pavescensqve adhuc orare cœpi.* 5. *Respondit autem vox Domini, dicens mihi*: Ne metuas! 6. Multos ego ante hac servos habui, & veteres Prophetas, Jesaiam, Jeremiam, Ezechielem, Habakucum, Joëlem; & novos, Johannem in Apocalypsi & Apostolos; qvosdam & nuper excitatos, de qvibus audivisti. 7. Nemo autem illorum tam propè, & in ipso temporis puncto, ejaculatus est globum iræ meæ super Bestiam effundendæ, atqve tu id jam fecisti. 8. Ne metuas, serve mi fidelis! Perge exseqvi mandata mea! & ego tecum ero, & custodiam te sicuti custodiebam priores illos servos meos, Prophetas. 9. Memento tantùm mandati mei, & fac tibi signum, illudqve alliga manui tuæ dextræ, ut sit in conspectu tuo semper: eritqve illud tibi aurei torqvis instar ad collum tuum. 10. Para te, ibis, & protectio mea tecum erit: Videbunt id oculi tui. 11. *Ego autem in lacrymas solutus, orare cœpi: & Dominus dixit, Orationibus & jejuniis vacabis, donec veniat miseratio mea.*

[*Ad v.* 2. & 7.) objici posset, *Nihil tale tunc esse inchoatum. Resp.* Inchoatum est potentiùs promulgari, ab hoc anno: & præludiis ostendi, per Tartarorum & Cosacorum conjunctionem & in Poloniam infusionem. Tametsi enim retroacti sunt, præludium tamen fuit ejus qvod jam fieri videmus. v. 10. *Ibis*) Nempe ad Adjunctum Pataki habitantem, milliaribus inde 40. Qvod mandatum postqvam per literas mihi significasset Drabicius, concredidi rem hanc Locumtenenti, qvem Præfectum vocant, *Andreæ Klobusicio*: qvi consilium dabat, ut tutò nomine veniret, qvasi filium in Scholam deducens: se interim ad Principem (in Transylvania tunc hiemantem) scripturum, illiusqve voluntatem cogniturum.]

REVELATIONES factæ Anno M. DC. LI.

Revel. L. 14 Januarij.

[*In itinere roboratur novis solatiis*, 4, *& mandatis ad evocandum Gentes*, 5, 6. *& promissis*, 7. *præsertim de Oleo Unctionis*, 8.]

Monitus iterum de suscipiendo itinere, ingressus illud sum 5. Ianuarii: viarum licet ignarus, & altâ nive, alibi autem aqvâ & lutô. 2. *Dominus tamen robo-*

roboravit me, & *alterâ mox die insperatò dedit itineris comites, eòdem tendentes: qvi me in locum usqve deduxerunt.* 3. *Ultimâ pernoctatione (14. Ianuarii) somnô expergefactus, peregi mea ad Dominum suspiria, plenus tristitiæ in spiritu.* 4. *Et mox redormiens, accipiebam mandatum de meditanda Concione, exspectare enim multitudinem magnam.* 5. *Suscepto hoc mandato, parabam me cum timore: sed mox evigilavi,* & *vox audita est auribus meis:* 6. Noli tristari, dilecte ac fidelis serve mi, sed qvod tibi dudum mandavi exseqvere, unà cum illo qvem tibi auxilio misi. 7. Clange tubâ ad Gentes à me electas ad perdendum & abolendum Bestiam: Tu enim es ultima illa mea Tuba. 8. Accingant se Orientales! Dilectus meus det indicium Septentrionalibus, Septentrionales Occidentalibus, Occidentales Meridionalibus. 9 Voluntas mea est, ut exseqvantur qvod prædecrevit dextera mea, subitò: ego eos servabo, ego prosperabo. 10. Tu autem qvod me orare decrevisti, de Oleo Unctionis, fac ita, Ora, & proba me super hoc, & cognosces esse me, qvi non cohibeo bonum ab ambulantibus coram me in integritate. 11. *His ego auditis cum gaudio, surrexi,* & *iter meum Patakinum perrexi, cum lacrymis, DEO, pro solatiis suis, gratias agens.*

[Beneficii utiqve divini fuit, qvòd alterâ mox ab egressu die in tres robustos Viros, pedestre iter eôdem habentes, incidit: cùmqve ut se viæ ignarum in comitatum admitterent, lentióreqve gressu utentem non desererent, rogaret, officiosos habuit. Nam non deseruerunt, donec in mea domo sisterent, piis boni senis colloqviis totô itinere oblectati, ut mihi referebant, Drabicioqve pro tot bonis monitis (me præsente) gratias agebant. Ultima illis pernoctatio sesqvi milliari à me fuit, in exigua rusticelli casa. Ubi Dominus cur eum huc mitteret significavit, &c. Qvam ille Visionem mox eâdem die & narravit mihi (ad hæc pavescenti) & retulit in scriptum. Cognitô illius adventu Præfectus convenit nos, amanterqve (utpote pridem sibi notum) salutavit, consilium dans post exantlatum tantum iter respitandi, interimqve cautè agendi, responsumqve Principis patienter expectandi. Scripsisse enim se jam, & scripturum denuò illius jam significando præsentiam. Cumqve à Principe responsum tale venisset, ut ex eo nihil nisi metus & tergiversatio concipi posset: (petebat enim demùm sibi verbotenus omnia in Latinum transferri, ut de rectè perceptis deliberare posset) colloqvebamur nos duo soli mensulæ adstando Musæi mei, *qvid faciendum esset.* Ecce autem ille, ceu re qvâpiam perculsus, componit manus. Qværo qvid sit? Ille: *Non audisti vocem? Nihil*, respondi. Ille: *Canâ abstinere jubeor.* Qvid? inqvam ego: *Semperne Revelationi jejunium præmittitur?* Negat ille hoc semper fieri. Interim cœna infertur, ille accubitu abstinere & exire parat. Rogo ut assideat saltem, propter sermones. Assedit, nihil tamen de cibo aut potu gustans. Sperabamus ergò eâ nocte ipsius Dei, qvid facto esset opus, informationem: sed nihil tùm fuit, postridie demùm, 26. Januarii, sic ab illo descripta.

REVEL. LI. 26. Januarii (Pataki)

[*Somnium de emplastro misericordiæ DEI,* 2. *explicatum de Fratribus Rakociis.* 5. &c. *Videntis ore adhuc fore opus,* 11.]

Iterum *factum est ad me Verbum Domini, horâ matutinâ sextâ.* 2. *Somniabam antè somnium, medicari me debuisse, nescio cum qvo, Animæ ægrotantis.* 3. *Ego verò adstantibus dixi, Morbum hunc sanari non posse, nisi emplastrô miser-*

ricordiæ DEI. 4. Qvod emplastrum jam paratum manibus versans, evigilavi: eòqve momento incidit de Sigismundo Racoci cogitatio, Qvid Ille ageret? 5. Et mox insonuit vox Domini: Rationem subdere incipit fidei. 6. Atqve hoc est emplastrum illud meum, qvod non cuivis confero: sicut neqve hoc, ut videndo videat. 7. Multi enim contuentur, & non vident: qvales olim fuerunt Pharisæi, & nunc multi sunt. 8. O utinam faciat qvod antè dixi! ut attollat caput, una cum Fratre suo, ad attendendum qvid ego jam operari incipio in Gentibus! 9. Nam de pulvere erigit manus mea, & aperta est ad prosperandum eos. 10. Tu ultra diem Dominicum hîc ne morare, redi cum filio: qvem sic institue ut dixisti heri, & rectè habebunt omnia. 11. Surge & consigna hæc: Ore tuo porrò etiam erit opus, 12. *Ego igitur ad preces & suspiria fui conversus, more solitò. 13. Dominus autem repetitis quæ dixerat, denuò;* Surge mox, & vale.

[*v. 5. Rationem incipit subdere fidei*) Incipiebat reverâ. Conferens enim prædicta eventis, eô usqve agnoscebat harmoniam, ut ad Joh. Tolnæum diceret: *Ut mensura mensurato suo conveniunt omnia. v. 10. Redi cum filio, qvem sic institue ut heri dixisti*) hoc est domi exerce in Scripturis S. Hôc accepto mandatô ego Præfectum adii: qvi consilium probavit, Drabiciumqve Januatij ultimâ dimisit. Ego verò per illam Drabicio diebus 16. cohabitationem (qvod nunqvam antè contigerat) familiariùs virum nosse didici. Nempe *hominem esse, non Angelum: sed hominem Dei timentem, potiùs qvàm hominum observantem: coram Deo humilem, adversus homines satis animosum; linguâ & factis liberiorem, personas parum respectantem. Verbô, peccatorem ut omnes sumus, non tamen hypocritam ut pleriqve: Concionatoremqve fervidum, qvem sine bono motu vix audias: cætera omnia mediocriter.*]

REVEL. LII. (Eperesini in reditu 2 Febr.)

[*Meretricis Babylonicæ ustulatio.*]

V*Idi turbam Populi ad Civitatem qvandam: qvi me conspectô, monstrabant mihi fornacem igni horrendô flammantem, in qvam præcipitata fuerat Mulier qvædam, cujus ustulatæ cum audirem inenarrabiles ejulatus, accessi, spectare eam volens, sed nullâ ratione conspicere illam, præ flammis, potui. 2. Dominus autem ad me dixit:* Babylonica Meretrix hæc est, in ardentem fornacem judiciorum meorum jam conjecta. 3. Clamorem pereuntis audies, sed ipsam non videbis.

[Conferatur Apoc. 18. 9. &c.]

REVEL. XLV. 11. Febr. (Jesenicii.)

[*Ad Regem & Reginam Sveciæ, ut Orientalibus manum porrigant citò.*]

S*Omniò antelucanô introductus fui in Congregationem Magnatum qvorundam ignotorum mihi. 2. Qvorum unus, staturâ humilis, colore subfuscus, obtulit mihi spectandam tabulam, cui inerant effigies duarum personarum, altera virilis altera*

altera fœminei sexus, quorum utriusqve vultus visus ater, ac veluti ambustus. 3. *Expergefactus cogitare cœpi, qvid sibi vellet somnium! 4. Et mox facta est vox:* Hi duo sunt dilecti illi mei Septentrionales, Rex & Regina Sveciæ, qvos ego ambussi flammâ amoris erga me, & erga se invicem. 5. Qvibus scribe, ut Orientalem sincerè suscipiant, & super id Occidentalibus qvoqve scribant, per qvos Meridionales etiam intelligant, jam esse tempus ut perdant & evertant Meretricem. 6. Festina ut ea exseqvaris anteqvam veniant Orientales, qvia festinando venient: Noli tardare, age celeriter! 7. *Tum valedixit: ego autem iter meum perrexi, eademqve die domum attigi.*

[Interponendum est, qvomodo non defuerint suæ cruces viro etiam domum à me reverso. Nam & afficiebat, qvòd tanti itineris fatigationem frustra suscepisset: & dolebat, qvòd odia in se fratrum tantò magis crudescere sentiret. Spargebant enim inter se, mox etiam literis deferebant ad me, propter Drabicium se periclitari omnes: mussitari enim jam inter Pontificios ipsius prophetias. Efferbuerantqve eò usqve, ut eum excommunicari peterent, ne deinde culpam luere, necesse haberent omnes. &c. Dominus itaqve solatiis illi non defuit, seqventibus aliqvot Visionibus.]

REVEL. LIV. 14. Martij.

[Henrica Palatina inter organa DEI, 2, 3. Horologium DEI aliter procedens qvàm nostrum 4. Tuba hac vocis DEI festinanter mittenda in Septentrionem, 7. qvia parata omnia, 8.]

POsteaqvam de nomine Henrici Palatini (de qvo Revel. XLVI. v. 28) anxiè qvæsitum à me fuisset, qvis esset; ego autem dies aliqvot precibus à Domino reqvirerem, factum est hâc die ad me Verbum Domini: 2. Nihil muta in nomine Henrici, nisi ut Henrica intelligatur: hic enim fuit sensus Verborum meorum, qvem tu non assequutus fuisti. 3. Nam & illam incumbere oportet in Stateram, ut procedat qvod procedere debet secundùm propositum meum. 4. O Horologium, Horologium terminorum meorum! qvàm diversè procedis à terminis filiorum Hominum! 5. Nunc jam nihil deest, præter Rotam, & Pondus. 6. Rota desideratur sinceræ undiqve conjunctionis; & Pondus Precum. 7. Scribe dilecto meo, qvem tibi auxilio dedi, ut festinet mittere Tubam vocis meæ in Poloniam, & hinc ad Septentrionem. 8. Apud me parata sunt omnia, ad provehendum opus hoc.

[Ridebant consciorum aliqvi prophetiam de Henrico & Ludovico Palatinis, cùm in tota Palatinorum gente nullus in præsens Henricus, nullus Ludovicus, reperiatur. Hîc ergo jubetur *Henrica* intelligi, Friderici Regis filia, Sigismundi Sponsa: per Ludovicum verò annon Elector Palatinus, Carolus Ludovicus, intelligi potest?]

Revel. LV.

[*Somnii de Gentibus Orbis in Civitatem unam congregatis*, 2: *explicatio de Gentibus jamjam in Ecclesiam convocandis*, 6. *Sed prius ad exseqvenda judicia* DEI, *perdendo & readificando*, 11. *Monumenta post ubiqve Gentium erigenda*, 12. Revelationes hæ in lucem dari jubentur, 13, 14.]

I*Terum factum est ad me Verbum Domini*, 26 *Martii*, *horâ* 7 *matutinâ*. 2. *Ostendit mihi Dominus in somnio Civitatem magnam: in qvam ego introductus à duobus viris mecum volare visis*, *cingulum meum è manibus emissum in serpentem conversum conspexi*: *cujus caudam apprehendens*, *nescio qvid circumstantibus loqvutus fuerim*. 3. *Videbam autem pinnas Civitatis à qvatuor Mundi partibus oppletas diversarum Nationum spectatoribus*, *qvi me alloqvebantur suis singuli lingvis*: 4. *Ad qvos ego ex Ps*. 117. Laudate Dominum omnes Gentes, &c. 5. *Illi verò mihi concinentes egressi sunt mecum in campum amœnissimô gramine virentem*. 6. *Et qvum evigilassem mœstus valdè*, *turbatusqve Spiritu*, *dixit ad me Dominus*: Vidisti gentes Orientales, Occidentales, Septentrionales & Meridionales, habitu & moribus diversissimis, qvas habeo in Orbe Terrarum? 7. Sed adducam eas, & congregabo in Civitatem unam, in qva servient mihi corde unô, & voce unâ; qvemadmodum & iste Populus servorum meorum, insonantium, Sanctus, Sanctus, Sanctus. (8. *Vidi autem Populum hunc ad dextrum latus Domino adstantem*, *& qvasi per tribus divisum*, *Patriarcharum*, *Prophetarum*, *& Apostolorum*, *aliorumqve nostri ævi*, *notorum mihi*.) 9. Qvod facere tum aggredientur Gentes illæ, qvum illis insonuerit sonus Tubæ meæ, missus per te & Illum qvi adjunctus tibi est. 10. Hunc igitur emittere ne cunctemini; ut Orientales veniant, Septentrionales evigilent, Occidentales illuminentur, & Meridionales zelô effervescant. 11. Primi feriant, destruant, perdant! qvi hos seqventur sanent, restituant, reædificent! 12. Post completam autem judiciorum meorum exseqvutionem, in singulis Gentibus erigant Columnam memorialem, cum inscriptione hâc: DEUS noster JEHOVA DEUS unus est Essentiâ, sed trinus Personis: Cui serviemus soli in secula per omnes generationes nostras. 13. *Addiditqve Dominus*: Scribe ista, & ematura ad evulgandum multa centena exemplaria, in omnes Orbis partes. 14. Hæc enim est voluntas mea, ut omnes Terræ Nationes legant ea qvæ loqvutus sum Tibi. 15. *Scripsi itaqve lacrymis ista conspergens*, *adorandamqve* DEI *Sapientiam*, *meam autem inscientiam & indignitatem*, *pavescens*.

[v. 13. & 14.) Primum hoc est tam solemne de Revelationibus hisce vulgandis, & ad Orbis Nationes dimittendis, mandatum: seqvuntur plura.]

REVEL. LVI. April 9.

[*Videns in fide sua roboratur*, 2, 3. *Nationes convocantur*, 4. *Orientales primò, cæteris in exemplum*, 5, 6. *Vexillum Victoriarum*, 7. *Ignis de cælo* 11. *Exercitus*, 12.]

IPsô *Paschatos die cùm concionem meis privatim habendam meditarer, facta est ad me vox Domini.* 2. Ne metuas serve mi, ne metuas confusionem ullam propter sermones, qvos ego Jehova loqvutus sum tibi. 3. Veniet enim, & jam venit, diluvium aquarum Nationum iræ meæ super Contemptores, ludificantes Nomen meum, videbit id jam oculus tuus. 4. O vos Visca, Visca lignorum congregamini ad exseqvenda mandata mea! 5. Exeat vox Tubæ meæ à te Orientalis, dilecte mi! Collige te, attolle ferream Virgam iræ meæ, super istos Nominis mei contemptores! 6. Ut hoc auditô Septentrionalis evigilet, Occidentalis zelô effervescat, Meridionalis autem, velut mortuus jacens, ubi viderit tempus esse, faciat qvoqve qvod manus mea prædeterminavit. 7. Jam enim venit tempus, ut erigam Vexillum victoriarum mearum super Orbem Terræ, & læter in operibus meis. 8. Noli timere, inqvam! qvia non relinqvam in opprobrio Nomen meum! 9. Brevi, brevi conspicies, qvid factura sit manus mea cum Irrisoribus meis. Surge, & hæc scribe! 10. *Surrèxi igitur, decantans hymnum Paschalem*, Laudate Dominum omnes servi ejus, magni & parvi, & qvicunqve timetis Nomen ejus &c. 11. *Aprilis verò* 22. *cùm suspiria matutina peregissem, respondit mihi Dominus dicens*: Adventat tempus meum ut me ulciscar de contemptoribus meis; etiamsi cælitùs ignis demittendus sit, ut Eliæ tempore, ad comburendum adversarios & contemptores meos. 12. Sed debebunt, debebunt Exercitus mei confluere, & ultionem exeqvi in Idololatras.

REVEL. LVII. 2. Maji.

[*Mensium Kotterianorum ad tempus hoc accommodatio*, 1, 19. *Revelator horum qvis*, 2. *Inter exseqvutores consilii* DEI *Racocii, Pater & filii*, 3, 4. &c. *festinare jubentur*, 8, 11, 12. *Septentrionalibus & Occidentalibus in exemplum, ad Octobrem*, 13, 14: *sed assumptô secum Leone è domo Fr.* 15. *Videns ire jubetur confidenter, qvòcunqve vocabitur*, 21. *cum promissione* 22, 23.]

M*Aji* 2. *expergefactus somnô de Mensibus apud Kotterum, qvibus Gentium contra Babylonem apparatus (sine Anni mentione) describitur, annon fortè de hoc anno intelligendi essent, qvò Dominus per me de exeundo ad exseqvendam voluntatem suam moneri voluit Gentes, cogitare cœpi.* 2. *Et ecce vox Domini ad me, dicens*: Angeli mei denuntiarunt Kottero, qvæ volui: tibi autem ego Jesus ipse loqvutus sum, & loqvor. 3. Fuit & ante hac tempus operis hujus mei, qvod cum aliis Principi Vestro agendum injungebam, sed ille constrictus metu, & solicitudine, & diffidentiâ, non fecit qvod oportuit. 4. Monstravit nihilominus tamen Filiis suis viam, qvâ illi eundo exseqvantur Patris locô voluntatem meam. 5. Qvorum alter auditâ voce Tubæ meæ, admittit eam fidenter & ingenuè: alter cum metu amissionis gloriæ, ad qvam non Ille se ipsum,

sed

sed Ego illum perduxi. 6. O utinam recogitet in mea solius manu esse, attollere aut deprimere! 7. Nec invideat fratri suo ea, qvæ in illum conferre decrevi! & conferam, modò viriliter agat: Brachium meum, & robur meum, cum Ipso erit. 8. Tantummodò festinet, anteqvam sol Meridianus liqvescat: secumqve assumat Illum, qvi seqvi non renuet. 9. Nam ille is est, qvem virgo cepit ut Piscem. (10. *Inter loqvendum enim hæc, videram ante me Vas repletum aqvâ, & in illa Pisces tres similes Mullis (seu Barbis.) Virgo autem qvædam accedens cepit unum ex illis, sed cui reliqvi duo adhæserunt, extrahiqve simul passi sunt.*) 11. Et ne patiatur se anteverti ab Occidentalibus. 12. Voluntas enim mea est, ut Orientales initium faciant immittendi terrorem Bestiæ. 13. Qvod ubi Septentrionales videbunt, & Occidentales, sument robur dejiciendi de soliis per Germaniam eos, qvi suffulciebant Bestiam cum opere suo pravo. 14. In cujus apparatu serii sunt Occidentales ad mensem Octobrem. 15. Sed producat secum ingenuum illum Leonem è domo Friderici, cujus rei gratia eos affinitate junxi. 16. Qvod non intellexit Mundus, neqve illi ipsi, qvid & cur ego faciam. 17. Is illi animos addet, auxiliabiturqve conterere hostes illius & suos, & vindicare causam Patris sui adversus inimicos suos. 18. Offer illis qvæ mando tibi: ut voluntatis meæ certi, ne differant aut cunctentur. 19. Majus jam adest, reliqvi menses transfluent ut aqva. 20. Celeres eqvorum sagittæ currant Meridiem versus: qvod ubi Septentrionalis videbit, recolliget se. 21. Si te vocabunt ad se, ibis, sepositô metu: tibi enim adsum, & adero, cum exercitu Angelorum meorum. 22. Mihi innitere, ego efficiam omnia, & reducam tibi & aliis hæreditatem Vestram. 23. Tantummodò committe te mihi, & super me devolve onus tuum; sicut & illi qvibus verba mea nuntiata sunt per te. 24 Confidite, non deseremini. 25. *Qvibus ego auditis, ingenti gaudiô perfusus fui, procidiqve ad pedes Domini* IESU, *laudans ejus misericordiam.* 26. *Qvi ad me*: Surge, & ista scribe! *ego verò jam principii oblitus eram.* 27. Iterabat igitur Dominus omnia, *qvæ ego scripsi: & mox venit in mentem caput Ieremiæ 4. qvod relegendo ruminabam.*

REVEL. LVIII. 3. Maji.

[*Vox Angelorum, de officio suo, fideles custodiendi, Videntem edocentium,* 2,3. *in solatia illi,* 4. *& cautionem,* 5.]

Postridie sub Solis ortum, cùm preces peregissem, factus est ad me sermo Angelorum (qvod hactenus contigit nunqvam) dicentium: 2. Nos servi sumus DEI in æternum benedicti qvi Cœlum fecit & Terram, & Mare, & omnia qvæ his continentur, servimusqve Illi dies ac noctes, & emittimur ad ministeria & præsidia servientium Illi super terram. 3. Sicut & tibi ad custodiendum te ab hostibus manifestis & occultis: qvi ut ante hac insidiabantur tibi, ita non desistunt struere consilia, qvomodo te obterant, propter sermones qvi tibi à Domino facti sunt. 4. Tu autem noli timere, innixus firmiter promissionibus Domini tui, cujus & nos servi sumus, ejusq; jussu tibi etiam servimus die ac nocte, excubando alter ad caput tuum, alter ad pedes tuos, ut custodianus te. 5. Cave tamen occasionem des hostibus, prodeundo sæpè in apertum: prudenter age, & non desereris.

RE-

REVEL. LIX. 4. Maji.

[*De celeri Consiliorum exseqvutione*, 2, 3, 4: *etiam per subditos Aqvilæ*, 5, 8 *modò justè & prudenter procedatur*, 6, 7. *Non celanda hæc*, 9. *Videns deprecatur*, 10, 11. *Justitia* DEI, 15. *Trans-Danubiani*, 16.]

SEqventi die, circa idem tempus, audivi vocem Domini mei: 2. O Preczinski, Preczinski, qvantum erit consilium tuum, qvod proferes ad celerem exseqvutionem consilii mei, operisqve qvod velociter agi volo, non tantùm ab illis qvi longinqvè veniunt, sed & ab his qvi propè sunt! 3. Ego JESUS hodie loqvor, heri Angelus meus loqvutus est, qvid voluntatis meæ sit. 4. Urge Stateram, disponat se, media qværat, omnibusqve habitatoribus notum reddat, tempus esse destruendæ tyrannidis Bestiæ (cujus tempus, tempora, & dimidium temporis jam effluxerunt). 5. Qvam cum plena lubentia, & mente alacri, perdere juvabunt etiam illi, qvi sub ejus potestate sunt hac in Terra. 6. Modò sic res disponantur, ut oppressi non æqvaliter habeantur cum oppressoribus: procedentqve omnia velociter, ac subitò. 7. Nam ego judicium & justitiam reqviro, nec aliter fieri hac etiam in Terra volo: ubi non cum tanta difficultate res procedet, sicut in Provinciis sub maledicta illa Aqvila constitutis. 8. Sed & ibi sunt qvi utrâqve manu juvabunt: intellectô, adesse tempus ut ipsi qvoqve odium exserant erga meretricem Babylonicam. 9. Noveris itaqve meam voluntatem, & illam ne celaveris. 10. *Ego autem dixi*: *O Domine æterna Sapientia, inde Tu ipse cordi eorum, per qvos exseqvutioni vis dari judicia Tua, ut pareant voci Tuæ, propter misericordiam Tuam!* 11. *Nam hortationes meæ qvid possunt, nisi Tu permoveris eos?* 12. *Responsum ad hæc*: Qvid à me reqvirunt ampliùs, dum illis tam apertè voluntatem annuntio meam? 13. Sed ne mirere: non melior jam est Mundus qvàm antediluvianus fuit, qvibus Noah & prædicabat verbis, & præmonstrabat opere, Arcæ structurâ: & qvid profuit? 14. Annon & ipse ego Jerosolymitanis fui satis contestatus, exiisse me à Patre meo, illosqve esse trucidatores Prophetarum? nec tamen audiverunt me. 15. Ita fit nunc: nolunt habitatores Terræ intelligere viam judiciorum meorum, qvæ exercui à seculis, & exerceo, exerceboqve, ut ostendam misericordiam oppressis injustè, justitiæ autem rigorem impiis (*oppressoribus.*) 16. Hoc etiam non ignores: Trans-Danubianos, ubi intellexerint qvod ego fieri mandem hac in Terra, concepturos voluptatem, lubentesqve se adjuncturos ad opus hoc, qvod ego dispono ac ordino. *Surge, & ista consigna.*

[v. 16. Trans Danubium habitant potentes aliqvot Hungarorum reguli, Comites Botiani, Setinii &c. Qvibus voluntas Dei notificari debuit à Racocijs, neqve factum est.]

REVEL. LX. Maij. 8.

[Exercitus Dei ab Oriente super Poloniam sese effundentes, 1. *Occidentales & Aquilonares, 4. In Hung. motus qvousqve differatur, 5, 6. Reformatio ibi Ecclesiæ, 7. etiam Videntis cooperatione, 8, tametsi nunc à suis qvoqve rejectus sit, 9.*]

M*Aij 8. ante Solis ortum, alloqvutus me est Dominus, his verbis.* 2. Ecce jam exeunt diluvia Exercituum meorum! & volvuntur amnis instar ab Oriente super Polonos, ubi horrendùm vastabitur Terra! multiqve etiam innocentes patientur: 3. Atqve in his Lesnenses mei, nisi Radziwil interponat pro illis dorsum. 4. Jam consurgunt & Occidentales cum Aqvilonaribus: ibitqve opus meum tam velociter ac rapidè, ut ad Octobrem magna illa Bestiæ potentia corruitura sit passim. 5. Per hanc verò Terram transibit ignis meus: tantummodò ut Deductio (sponsæ) peracta sit Illi, qvi nolens volens ibit, ductum meum seqvutus: atqve si ibit, benè Illi erit. 6. Post factam autem in hoc Regno deletionem hostium meorum, Boves illi tantùm præsepia & reditus qværitantes, de Grege autem ad notitiam mei perducendo parum sollíciti (*& hac in re à lingvis Iesuitarum, populo meo venena propinantibus, diligentiâ se superari passi*) inviti etiam ibunt in cancellos Ordinis boni, à me Ecclesiæ præscripti. 7. Qva in re tu qvoqve tuam commodabis operam; tametsi nunc proprii tui sine causa contra te insurrexerunt. 8. Sed non perficient qvod proposuerunt: [*de excommunicando illo propter has Visiones*] finem enim litibus istis imponet responsô suô Adjunctus tibi: cui tu hæc tibi recens tradita transmittes, sed custodita benè. 9. Tu autem cave effervescas contra eos, qvi insurgunt contra te: unum potiùs estote cor. 10. *Qvibus ego auditis, gratias egi Domino, misericordiam orans.*

[*v. 5. Deductio Sponsæ*) Nempe Henritæ Palatinæ, qvæ pòst in Junio adducta fuit. *Ibidem: Si ibit benè illi erit*) Non ivit autem, itaqve malè fuit ei. Vide Rev. LXIV. & CII. &c.]

REVEL. LXI. Maij 20.

[*Somnium de bono extraneorum erga Bohemos affectu, 2. in exhortationem ad concordiam domesticam resolvitur, 3. &c. Opus* DEI *paratum est, precedet, 9, 13.*]

I*Terum ad me factus est Sermo Domini mei, 20. Maij, à precibus matutinis, & qvidem bis iteratus:* 2. *Postqvam enim mihi per somnum monstrasset Magnatum qvorundam peregrinarum Nationum coronam, qvi singularem qvendam benignum erga me, & cæteros Gentis meæ, affectum, multâ cum affabilitate præ se ferebant, testimonium exhibentes fidelitatis nostræ &c.* 3. *Expergefacto dixit Dominus*; Ejice virulentiam malitiæ è corde tuo contra eos, qvi profunditatem judiciorum meorum agnoscere nesciunt: & ne zelaveris contra eos. 4. Nam & illi servi mei sunt, & homines sunt: qvibus ego suô tempore aperiam oculos, ad clariùs prospiciendum in profunditatem abyssi judiciorum meorum. 5. Sicut & cæteris Nationibus, qvi magnis agminibus occupabuntur in transcribendis, qvæ os meum loqvutum est tibi, admirabundi mysteria judiciorum & terminorum meorum. 6. *Ad qvæ ego cum timore: O Domine, da mihi facere voluntatem tuam, & pa-*

& patientiâ uti! intelligere etiam an illi à Te præfixi termini venerint? 7. *Ad hæc Ille*: Bonum est cohibere se, & injurias committere mihi: qvod dum tu facis, gratum est mihi. 8. Nam non convenit omnia imponere iracundiæ lanci, ne ignominia fiat mihi qvoqve ab illis, qvibus non datur tantum nosse de mysteriis meis, qvia nolunt adhuc intelligere abyssum judiciorum atqve terminorum meorum: 9. Qvi jam cum horis, diebus, mensibusqve suis advenerunt, Opusqve meum totum jam in manibus est, procedetqve. 10. Sed credere hoc multi nolunt, propter duritiem cordis sui, stuporemqve mentis, priusqvam viderint mirabile illud & horrendum opus meum: qvod tandem etiam Simeon Balasdi præ cæteris intelliget. 11. Tu verò tantùm te permitte mihi, mansvetè in omnibus & patienter te gerendo. 12. Ego enim providebo omnia, circa te & alios, sincerè ad me, per fidem & pœnitentiam, conversos. 31. *Scribe ista, qvia tempus adest &c.*

[Cùm hæc ad me missa legerem, vehementer iis qvæ v. 3, 4, 7, 8. 11. dicuntur confirmabar, spiritum hunc (tantum dilectionis magistrum) non posse venire à satana, odiorum ac dissidiorum satore: sed ab amoris & unionis fonte, Deo.]

REVEL. LXII. 8. Julij.

[*De Civitate magna obsidenda*, 1. *Revelationibusqve hisce brevi variis lingvis evulgandis*, *ad excitandum Gentes contra Babylonem*, 3. 9. *Judæorum alacritas*, 11.]

CIrca Solis ortum indormivi, & vidi me in Civitate qvadam magna constitutum, cum Adjuncto mihi, ubi & Cæsar fuit. 2. *Ad qvam Civitatem obsidendam Exercitus ingens adventabat; & factus est in ea tumultus discursantium huc illuc.* 3. *Mihi autem adolescens qvidam veniens tradebat epistolarum fascem, non ad me solùm, sed & ad alios spectantium.* 4. *Distribuebam ergò eas: illi verò receptabant cum gaudio.* 5. *Meas autem qvum evolverem, reperi qvasdam typis scriptas, alias aqvâ madefactas, variis variarum lingvarum characteribus.* 6. *De qvibus qvando cum Adjuncto tacitè colloqvebar, aderant foribus qvi subauscultarent, sed nihil audiebant præter cantum.* 7. *His evigilavi, & Dominus ad me*: Multi erant qvi revelata tibi sugillabant, qvos ego dimisi è vita; & dimittam porrò etiam plures qvi trahunt in dubium, apud se & alios, Opus meum. 8. Tu autem noveris, me, qvæ de Cæsare & domo suâ loqvutus sum, facturum esse: qvem tinnitu variæ Musicæ deliniunt, & pollicationibus Solicitudinem adimunt, non venturum esse malum illud à Me denuntiatum, & de qvo tibi etiam loqvutus sum. 9. Qvod legere jam incipient cum admiratione & gaudio, transmittentes sibi per varias Gentes & lingvas, ut in somno madefactas etiam epistolas vidisti; qvia per aqvas etiam & maria sibi invicem ea missitabunt, & se invicem cohortabuntur, dicentes: Venite, operemur opus hoc qvod nobis notum fecit Dominus. 10. Ibunt ergò exultabundi ad expugnandum Civitates abominabilium Idololatrarum: qvas non illicò expugnabunt, qvia hos isti falsis pollicitationibus remorabuntur; at in malum sibi. 11. Judæi tempore conversionis suæ alacres admodum se exhibebunt, strenuéqve opus conterendæ Bestiæ adjutabunt:

bunt: sicut & gentiles Nationes, ad qvas vox Tubæ meæ penetrabit. 12. *Tu surge, ora, & hæc scribe.* 13. *Surrexi igitur, adoravi, decantans hymnum, Misericors Pater, Omnipotens Creator &c.*

[Qvæ hîc v. 7. & 9. prædicta sunt, impleri videmus: dum & sugillantes ista è vita dimittuntur, alii post alios hucusqve; & legere hæc incipiunt (cum admiratione & gaudio) Gentes variæ, transmarinæ etiam (testimonio hujus rei est hæc ipsa nova Editio, extraneorum desideriis, urgentissimisqve instantiis, promota); & accingunt se jam validæ gentes ad expugnandum eos qvi expugnare qværebant omnes, v. 10. Qvod speciatim de Judæis dicitur (v. 11.) attentionem vel ex eo meretur, qvod hoc ipso anno (1664) Jesuitarum discipuli in Polonia, de Judæis exstirpandis Papæ Bullam se habere jactantes, miseros mactare aggressi sint centuriatim, Cracoviæ, Leopoli, Posnaniæ. An ergò jure talionis utendi tempus illis nuntiatur? qvale fuit Mardochei diebus? Esth. cap. 9.]

REVEL. LXIII. 19. Aug.

Jussus sum scribere ad Principem Sigismundum, verbis duris: sed exspectare tamen donec factum fuerit indicium.

[Sponsum hoc anno agebat, & Neogamum, mox etiam Viduum Sigismundus: ita suis sponsalitiis, nuptiis, œconomicisqve curis distentus, ut agere alia non liberet, ne qvidem illa à superiore vi demandata, qvæ Rev. 57. v. 3. ad 12. & 59. v. 4, 12: & 60, v. 5. leguntur. Qvæ ille tametsi voluit scire, non tamen exseqvi: etiam fratrem (Georgium Trans. Principem) à ferendis Cosaccorum genti suppetiis (pro qvibus per Legatos humillimè supplicabant: illorum enim supplicationem suâ lingvâ scriptam in Latinum transferendam mihi exhibuerat Sigismundus) cohibens. An ergò hîc zelum suum Deus contra eos, qvi obseqvia Domini nuptiis suis posthabent, renovare voluit? Luc. 14. 20. Communicatam verò sibi hanc brevem Visionem cùm legisset Sigismundus (nam præcisè omnia scire volebat) suspicabatur Drabicium jam scire, sed dissimulare: urgendum itaqve voluit, ut quicqvid esset ne celaret. Sed Drab. nescire se, rescripsit, conscientiam testatus. Post duos tandem menses misit, qvod hîc seqvitur.]

REVEL. LXIV. 24. Septembr.

[*Visio de pueris duobus judicio obnoxiis*, 1. &c. *applicatio hujus ad filios Principis Trans.* 6. &c.]

Diluculò somniabam, in Area quadam videre me intra cancellos stantes pueros duos, nudos. 2. *Vir autem honestus, senex, stabat è regione, aliiqve plures in cancellorum circuitu, sententias dicturi judicialiter super pueros istos.* 3. *Qvorum alter decollatus est, alter verò prodiit cum Vexillo extra Cancellos.* 4. *Expergefactus, qvid somnium istud sibi vellet, cogitare cœpi.* 5. *Et facta est ad me vox Domini dicens:* Malè res geruntur! 6. Tu tamen gaude; nam effectui dedisti (sicut & Adjunctus) qvæ mandaveram ad illum, qvi frustra audivit & audit vocem meam: cujus cor mutari incipit in deterius, siti avaritiæ & aviditatis opum, cum inobedientia. 7. Cujus solium, sicut & Fratris ejus, nisi adhuc obedierit, vacuum manebit inter Reges, sicuti mansit Saulis inobedientis, & à me rejecti. 8. Jam enim omnia dolosè incipit agere, plus fidei adhibens verbis Consilia-

liariorum fraudulentorum, & ducum cœcorum, qvàm mihi & iis, qvæ per te, alterumqve fidelem servum meum, loqvutus illi sum, & loqvor. 9. Tu cogita, ut te hinc transferas aliò. 10. *His ego auditis, cum horrore ac trepidatione dixi: Ab miserere Domine, propter misericordiam Tuam.* 11. *Respondit*: Qvid illis magis clarè manifestari potuit, atqve factum est? pollicitus sum benè facere illis, sicut & antea Patri eorum, citra merita eorum. 12. Sed sicut Pater verba mea reputavit pro nihilo, ita isti; qvibus retribuam secundùm vias eorum, & dabo eos in contemptum, sicut feci aliis immorigeris mihi. 13. Dederam huic Cimmelion pretiosum: sed auferam iterum, brevi id audies. 14. *Ego autem dixi: Et qvid nobis fiet? miserere nostri.* 15. *Resp.* Confidite, meliùs vobis providebitur ab aliis. 16. *Ego: Et unde id cognoscam? Resp.* Indicabitur tibi brevi. Surge, scribe hæc. 17. *Surrexi ergò horroris plenus, scripsiqve hæc cum lacrymis; orans DEUM, ut illi det cor obediens, qvale sibi placet.*

[Auditô adesse Tabellarium & literas, ursit translationem Sigismundus: & oblata illi fuit 30. Octobris. Qvâ perlectâ qvum sibi hæc dici, comminationemqve de cimelio à se auferendo impletam videret (sublata enim morte fuit 28. Septembris Henrietta Palatina, Conjux sua) solutus in lacrymas exclamavit: *Qvid miser faciam? Ego ex Decalogo honorem habere Patri & Matri didici. Nunc autem Celsiss. Princeps, Mater mea, contra Domum Aust. consilia ulla cum ullis extraneis inire nos, sub maternæ maledictionis intermination prohibet &c. Aut ubi media mihi ad rem tantam audendam?* Tandem conclusit: *Orate pro me.* Idem postea dixit, cùm sibi exhibitam Revelationem LXIX. legisset.]

REVEL. LXV. 29. Septembr.

[*Anni 40 evertendæ Austriacorum potentiæ attributi, 3. Dolium gentium per Septentrionales aperiendum, 7. Operante hæc triunô Deô, 11.*]

Iterum factum ad me Verbum Domini, post matutinas ad DEUM spiritu contritô fusas preces, sub ipsum Solis ortum. 2. Malum, à me decretum malum, ut velox sagitta veniet. *Ad qvam vocem exhorrui, cogitans cui malum istud denuntietur? annon fortè illis, de qvibus nuditus qvintus.* 3. *Sed perrexit vox Domini*: Qvadraginta annos destinavi operi meo, evertendæ domui Austriacæ! finiri eos oportet. 4. Ego verò cogitabam: Ah longè adhuc abest terminus: & respondit Dominus, Jam supra triginta tres annos exegi in atterenda Domûs illius potentiâ: sed qvid fiat, neqve illa neqve Consiliarii sui attendere volunt. 5. Tu exue calceamenta tua, & denuda pedes tuos: qvibus illi ostensis dicito, Sic exutum nudatumqve iri à sublimitate sua, cum posteris suis. 6. Nam excitavi contra illam Unicornem ab Oriente, qvi Consiliariorum ejus mutila cornua dejiciet. 7. Qvod vividè aggredietur cum Septentrionali dilecto meo, mihi & verbis meis

meis obedienti: 8. Qvi nunc aperturam terebrat in dolium illud, de qvo tibi dixi pridem, colligere me in illud varias illas Gentes, qvæ veniendo aculeis suis perterebrent undiqve Domum Austriacam, Terrasqve ejus. 9. Tu ne timeas: meus tu es, in vita & in morte. 10. *Ego verò attonitus exclamavi: Miserere mei Domine! jam initium sermonis Tui oblitus sum.* 11. *Ille itaqve repetiit omnia, addito:* Ego Jehova Creator, cum Filio meo Jesu omnium authore & actore, & Spiritu nostro æternæ potentiæ, egimus, agimus, & peragemus, cœptum hoc opus. 12. Surge, sermones istos conscribe, nihilqve præterlabi sine eorum, qvæ loqvimur tibi. 13. *Surrexi ergò, & hæc scripsi cum timore.*

[*v. 6. & 7.*) Alii cuidam ab Oriente, Septentrionali juncto, exeqvutio (qvam Racocii noluerunt) mandatur.]

REVEL. LXVI. 3. Oct.

[*Pr. Rakocii denuò monendi, 3, 13, 21, 22, 23. exemploqve Josuæ, 9. & Regis à Septentrione, excitandi, 11. Anabaptistæ, 2, 19.*]

ITerum ad me Verbum Domini factum est, ante Solis exortum. 2. Præcesserat autem Somnium, quò mihi constitutus videbar in congregatione Magnatum qvorundam, in varia inqvirentium: eratqve præsens ex Anabaptistis (è Moravia qvoqve exulibus) qvidam, testimonium mihi exhibens bonum, exhortansqve tandem ut irem qvò eundum est. 3. Vixdum evigilaveram, nec adhuc satis sensuum compos, & ecce vox Domini in auribus meis: Tempus est, jam tempus est, ut ad se redeant Principes filii Rakocii, opusqve meum incipiant agere vividiùs, qvàm egit illorum Pater. 4. Cui non tam clarè detexeram voluntatem meam atqve his detexi, per eum qvem tibi auxilio misi, sincerum servum meum, qvi unus è mille gemit super contritionem Joseph. 5. Principes autem isti intelligere hæc nolunt. 6. Qvum tamen qvis est, qvis inqvam est, qvi eos ad statum sublimitatis per Patrem illorum evexit, præter me Jehovam Deum totius Terræ? 7 Qvi vestio gramina, & condecoro flores, & pasco aves Cœli, nihil licet merentes de me. 8. Sicut neqve hi à me promeruerunt ea qvæ in eos contuli. 9. Nolunt tamen intelligere, ut faciant qvod electus meus servus Josua fecit: qvi non respectando Urbis Hai, diris à me devotæ, splendorem, evertit eam & delevit gladiò. 10. Hi autem nolunt facere qvod mandavi: & qvidem tam manifestè, uti non est factum ulli antè hominum. 11. Neqve Septentrionali dilecto meo; qvi tamen facit, & faciet, voluntatem meam opere ipsò alacriter. 12. Currunt, ecce currunt, disposita à me tempora: qvod illi nolentes intelligere tardant (*opus meum.*) 13. Scribe, scribe inqvam, audenter & cum confidentia, ut esse incipiant VELOCES SAGITTÆ! 14. Sciantqve velint nolint, à meridionali Sole sibi parari exitium: si tamen Me seqventur, benè fore illis; sin, malè. 15. *Ego his auditis orare cœpi: & mox uri sensi frontem meam, sicut Anno 1643. cùm mihi dari peterem signum.* 16. *Perrexi igitur orare, ut qvicqvid vellet mecum ageret, etiamsi occideret, paratum esse me ad omnia, modò ut confirmaret verba sua:* 17. *Qvum autem Verba Domini abirent è memoria mihi, dixit Dominus;* Surge, dictabo tibi omnia, mittesqve ista properè. 18. *Cum hoc dicto rediit in mentem mibi*

mihi Somnium, *Anabaptistaque ille* & *respondit Dominus*. 19. Etiam illi sunt in angustiis, ardentque vobiscum zelô singulari, quos exaudiam. 20. *Ego verò pro Principibus orare cœpi, ut cordi illorum indat Dominus, ut faciant voluntatem suam.* 21. *Responsum est*: Homines respectant, non me. 22. Qvum tamen non homines in eos contulerunt honorem qvô coram Mundo splendent, sed ego. 23. Amittere eum metuunt: sed qvis eum auferat illis, si non ego? Nemo: surge, scribe ista.

[E versu 3. recipiebamus spem de Racociis, qvia hos denuò moneri volebat Dominus.]

REVEL. LXVII. Octob. 16.

[*Sermo Domini de judiciis suis, quibus delere gaudet impios de terra* &c.]

ITerum *factum est ad me Verbum Domini; cùm evigilassem mœstus super epistolam Ioh. Chodnicii, Antistitis nostri Sakolczæ: exprobrantis mihi qvòd non eveniant prædicta.* 2. *Oravi igitur Dominum, ne servum suum super iis quæ nomine suo loqvutus est confundi pateretur.* 3. *Respondens autem Dominus, multa judiciorum suorum, quæ unqvam in Terra exercuisset, commemorabat exempla: addens*, Se, tanqvam impervestigabilem Sapientiam, exercere tum justitiam tum misericordiam suam ita, ut homines vias suas non capiant. 4. Etiam hodie atterere Gentes & populos, alios per alios: & cùm illi sese invicem affligunt, captivant, mactant, se delectari processu justitiæ suæ. 5. Homines autem non intelligere, qvàm illi volupe sit delere impios de Terra, vastareqve & exscindere Regna & Urbes, impietatum vepretis oppletas. 6. Suos è contra tueri, & ab oppressoribus liberare, tametsi & horum qvosdam involvi patiatur, occasionibusqve istis ad se transferat in Cœlum. 7. Nolle autem homines attendere, suâ solius dispositione, eventuumqve omnium determinatione, omnia fieri. 8 Jubens me bonô esse animô, humanisqve præjudiciis non moveri: gratiam suam erga me & alios, tanqvam filios & fratres suos, perstare. 9 Ita enim se in terris degentem appellasse amicos suos, qvi se diligerent, & pro thesauro cordis sui haberent: qvibus Ille arcana sua revelare soleat, non Mundo. 10 Ut jam hîc ipse in eis, & illi in eo, delectati, voluptate perfruantur, qvomodo & mecum agat: cujus rei modum neminem intelligere, præter se & me. 11. *His ego recreatus, orabam pro dilecto meo ad opus hoc Adjuncto, ut si gratiæ suæ placeret, illi eadem sic revelare vellet: quod Dominus promisit.* 12. *Et ab illo me brevi accepturum esse informationem de variis: tantummodò ut bono essem animo, & illius confiderem protectioni, facturum se omnia promissa.* 13. *Non enim se omnibus promiscuè occultos revelare thesauros, temporarios & æternos, sed quibus conveniunt, & revelare sibi placet.* 14. *Pro qvibus ego Domino Iesu gratiis actis, rogabam indormire.* 15. *Et Dominus*: Indormi dilecte mi, ostendam tibi singularia. 16. *Obdormivi igitur momento: & vidi me per angiportum valdè angustum, lenem tamen, operosè ingredi sursum & deorsum, donec venirem ad hominum turbam utriusqve sexûs vestitu simplici, tacitè colloqventes, & jucundè cohabitantes.* 17. *Qvorum tamen aliqvi erant veluti pavidi, & ut mihi videbantur tremebundi.* 18. *Ut autem evigilavi dixit Dominus*: Hi ecce

sunt

sunt qvos ego de Mundo elegi, inconspicui, simplices, etiam procellarum tempore me voluptati habentes. 19. In qvorum medio ambulans ego eos protego, curam eorum habens hic in terra, Angeliqve servi mei ministrant eis: qvorum qvanta sint agmina, spirituum administratoriorum, aliàs tibi ostendam, tantummodò confide mihi. 20. Laudavi ergò Deum Psalmô 103. peractisqve precibus isthæc scripsi. Hallelujah.

REVEL. LXVIII. 19. Octob.

[*Sigismundus magnificè vestitus, deqve belli sumptibus sollicitus, in spem erigi jubetur, 3. Thesauri inveniendi, 13. Exseqvutores Divini consilii beati, 15. Modus exseqvutionis severus, 20. &c.*)

TRiboriô ante Solis ortum factum est ad me Verbum Domini. 2. Videbar mihi per somnum adnavigare Civitati cuidam, ingentes per aquas, hinc inde glacie obductas, qvas superare volentes multi mergebantur. 3. Ego autem eluctatus, Civitatemqve ingressus, à viris qvibusdam exceptus fui, & deductus in Domum, ubi conspexi Principem Sigismundum veste magnificâ indutum, vultu ignitô, dentibus verò ut aurô radiantibus: qvi mihi ostendit libellum numeris plenum, legere me numeros istos jubens. 4. Ego prætendebam conspiciliorum defectum. Ille ergò imposuit mihi conspicilia, & ego numeros istos calculando, reperi summam qvindecim millium. 5. Rectè supputasti, inqvit Princeps: sed unde mihi tantæ Belli impensæ. 6. Ego sermone istô attonitus, qvid responderem non reperiebam. 7. Accedens verò Adjunctus, ut responderem Principi hortabatur. 8. Volui ergò Latinè loqvi: nec aliud potui, nisi voce magnâ, Salve, salve in nomine Jehovæ, ô Tu alter Gedeon! 9. *Simulqve evigilavi, & inter evigilandum eadem verba sermone vernaculô sonare me sensi. 10. Plenus itaqve horrore qvid ista sibi vellent cogitare cæpi. 11. Et facta est ad me vox Domini:* Ne metuas, non confunderis super sermones meos. 12. Significabis Principi, ut faciat intrepidus voluntatem meam. 13. Duobus in locis (*Tyrnaviæ & Nitræ*) qværat & inveniet thesauros: qvi si non suffecerint sumptibus Belli, supplebunt exteri, idqve cum gaudio. 14. Præsertim Corona Sveciæ, qvàm primum animum plenè declaraverit suum, qvòd pro Nominis mei gloria, & oppressorum liberatione, susccepturus sit Bellum. 15. Revocabis verò in memoriam illi vocem istius de turba fœminæ: Beatus uterus qvi te gestavit, & ubera qvæ suxisti. 16. Ita enim ipsum prædicabunt beatum Gentes illæ, qvæ revelationem gloriæ meæ, & oppressorum ab Antichristo liberationem, expectant, clamantes ad me noctes & dies, ut mittam qvem missurus sum. 17. Tu autem vigila, & pro illo ora, aliosqve ut orent pariter hortare. 18. *Qvibus ego auditis, anxietudine qvâdam correptus fui, procidiqve ad pedes Domini IESU. 19. Qvi dixit,* Cur angeris? Brachium meum conteret hostes meos & vestros. 20. *Ego autem cogitare cæpi, Qvomodo id futurum esset? Respondit Dominus:* Spirituales dicti, omnium Ordinum, mactentur in discrimina-

minatim absqve misericordia: sed Politicis offeratur Pax, si volent. 21. Sin, suô malô se furoris mei faciunt participes. 22. Exteræ verò Gentes audientes qvid ego hac in Terra facere incipiam, laudabunt admirabundæ Nomen meum, manum & ipse admoventes Operi huic meo. 23. *Ego igitur Domino gratiis actis, & plenum me sentiens horroris, indormire ut possem petii.* 24. *Respondit*: Indormies, memento tamen sermonum meorum, ut consignes qvæ loqvutus sum tibi. 25. *Mox itaqve somnus me oppressit: expergefacto autem eadem iterans Dominus, considere me jussit, provídereqve mihi de pane.* 26. *Cumqve cogitarem intra me, Annon fortè reqvisiturus esset Princeps præsentiam meam? Responsum est*; Ibis nihil metuens. Surge, & isthæc scribe. 27. *Surrexi ergò, & hæc scripsi.*

[v. 5. Sigismundus hîc ut olim Philippus (Joh. 6. 7.) introducitur sumptuum defectu in desperationem agi: erigitur autem tùm exemplô Gedeonis, qvi Deo confisus parvâ manu multa potuit; tùm promissione thesaurorum inveniendorum, & liberalitate Gentium v. 13, 14. Ille tamen etiam his lectis, parum erigi visus decretoriæ ad versus se sententiæ causam dedit: ut è seqventibus patebit.]

REVEL. LXIX. 27. Octob.

[*Lamentationes super inobedientiam Domûs Rac.* 2. *Comminationes* 10. &c.]

Dies erat precum nobis jam dudum in exilio indictarum; quas ut horâ Vespertinâ peregi pro Ecclesia, facta est vox Domini ad me. 2. Omnes intentiones meæ finem asseqvuntur, & asseqventur, etiam apud illos, qvi voluntatem meam frustra audiverunt, nolentes auscultare voci meæ: in qvo proposito si perrexerint, ipsis malè erit. 3. *Qvibus verbis exterrefactus ego dixi: Ah domine recordare miserationum tuarum!* 4. *Atqvi, eos appellasti Betulletum tibi dilectum: si potest, da illis in cor, ut emendati faciant voluntatem Tuam.* 5. *Resp. est*: Annon de illis ultionem sumam, sicuti sumpsi de arbore Fici fructum non ferente? qvæ exaruit, ego autem sine illius fructu en vivo! 6. Et Hedera Jonæ à verme corrosa exaruit, emarcuitqve, Jonas tamen vixit: ita & hîc foret. 7. Noli timere serve mi, nec ille, per qvem meam illis clarè detexi voluntatem: etiamsi hunc usqve in diem illi nihil faciant. 8. Propter illos non deseram vos, neqve hoc meum Opus qvod orsus sum. 9. Qvod agere si constanter noluerint ipsi, alios reperiam, qvi exeqvantur voluntatem meã. 10. Consiliarii eorum seducunt eos: qvos ego judiciis meis aggrediar, brevi. 11. Egone ignorem qvid faciant illi? Mihi etiam qvi benefeci illis, revelando eis tam clarè voluntatem meam? 12. Sed qvam mihi retulerunt gratiam? qvid reddiderunt operæ? in qvo mihi auscultârunt? qvod gratitudinis suæ monumentum ostenderunt: nihil, prorsus nihil. 13. Aliter David, aliter Salomon! Nec vitæ David, nec auro Salomon pepercit, qvid mihi esset gratum cognitô: ideò illis benedixit dextera mea. 14. His autem qvid ampliùs præstare debui? qvæ autem de futuro promiseram evenire debuerunt necessariò. 15. Sed apud illos evanescunt omnia, vitiô incredulitatis & avaritiæ, & duritiei cordis, cum inobedientia. 16. Tu proinde jam obsigna os tuum! nec ampliùs responde, etiamsi te interrogent: satis jam factum est, justificatus sum coram te & illis. 17. Et me suspectum ne habeto, ac si injuriam ipsis faciam, aut

facere velim. 18. Non feci Fico, cui maledixi: neqve Hederæ, qvam arefeci: neqve his faciam. 19. Tu me audito, & benè tibi erit. 20. Cùm tradidero in manus tuas qvæ promisi, illis revela qvibus convenit. 21. Neqve te capiat tædium sermonum meorum, sicut nec tædescit me colloqvi tibi: hæ enim illæ sunt deliciæ meæ cum filiis hominum. 22. *Egi itaqve gratias Miseratori meo: sicut & pro iis, qvæ eundem in sensum nocte seqvente repetita fuerunt.*

[Terribilis hæc adversus utrumqve fratrem fulminatio lecta Sigismundo, *lacrymas denuò excussit.* Testor qvi vidi, vocemqve exclamantis, *Orate pro me*, audivi: imò & mandante illo ad Drabicium (*ut in Hungariam superiorem veniret, velle se in suorum oppidorum aliqvo illi prospicere*) scripsi. Qvæ contriti animi signa in bonam nos erigebant spem: tametsi mox etiam in totius Gentis duritiem lamenta, annuntiatasqve terribiles plagas (Rev. LXXI) audivimus: Videntemqve ad alias qvàm Hungarorum ablegari latebras (Rev. LXXII. 3.) trepidavimus. Seqventes Revelationes (à 73 ad 83) jam itidem spei bonæ, jam formidini, serviebant: hisqve sic annus 1651 transmissus fuit, ingenti Cosacorum clade (qvam auxiliis deserti à Polonis, fuerunt perpessi) notabilis.]

REVEL. LXX. 9. Novemb.

[*Videns ob non servatum votum ægrescit, increpatur, sanitati restituitur.*]

C*Irciter decimam antemeridianam, cùm æger decumbens orarem, alloqventem me audivi Dominum*, explicantemqve morbi mei causam: immissum esse ob non servatum votum. 2. Si propitium mihi vellem, ut vota semel concepta solverem, neqve vinum cum qvoqvam biberem, præter domi cùm necesse est, valetudinis causâ: eâ lege mihi reddere se valetudinem, & servatorum promissa sua. 3. *Egi gratias, ferventer culpam deprecans, meqve mandati memorem promittens.* 4. *Jussit autem Dominus alligare me signum manui dextræ, monimenti locô: & significavit adventare ab Adjuncto literas solabiles.* (*Et venerunt* 16. *Novemb. qvibus denuò Sigismundum Rac. mollescere, & ad obseqvia inclinari, nuntiatum fuit &c.*)

REVEL. LXXI. 10. Nov.

[*De frumento pertusis doliis infuso*, 1. *Væ super* Hungariam *proclamatum*, 2, 9. *Deprecatio Videntis*, 6, 14. *Consolatio* DEI, 12, 13.]

S*Ummò diluculò expergefactus, conturbatus fui de somnio, qvòd mihi frumenta videbar congestare in dolia qvædam, totum illud frumentum transmittentia in terram.* 2. *Et mox Dominus*: Ah væ! ah malum! peribit tota hæc Terra! volvunt se calamitates, de qvibus pridem loqvutus sum tibi: neminem enim reperio, in qvo sinceritas sit, & rectitudo, & fides. 3. A septem itaqve partibus volvitur malum ab Oriente, ab Occasu, à Septentrione, & à Meridie. 4. *Ego autem cogitavi: Istæ sunt qvatuor plagæ; ubi ergò tres adhuc? Et Dominus*: De Cœlo, de Terra, de Mari, prodibit venenum meum, & interibunt multi ex hac Gente, etiam è vobis. 5. Onus enim Verborum meorum nihil profecit hactenus: onus itaqve iræ meæ jam imminet eis, cui non prævalebunt, qvanqvam vafrè

multa excogitant: Væ, væ, Terræ huic! 6. *Qvibus ego auditis, supra modum fui exterrefactus, & dixi*: Ah Domine, ubi sunt miserationes Tuæ? ubi promissiones Tuæ? ubi Sapientia, ad illuminandum eos qvibus hæc nuntiari jussisti? Væ mihi mater mea! 7. *Sed fiat qvicqvid fiat, ego non desistam sperare Te mansurum veracem, nec derelicturum eos qui confidunt in Te.* 8. *O IESU, Fili DEI, unicum solatium meum, & fidelium omnium! redeat qvæso misericors Sangvis tuus, qvem fudisti pro nobis, in Cor tuum! ne plenè super nos effundas iram furoris Tui! miserere nostri propter misericordiam tuam.* 9. *Dominus verò dixit*: Sicut Silo & Samaria erit Terra hæc, si perrexerint non obedire mihi. 10. Abripui ego multos de potentia mea dubitantes, etiam eos de qvibus tibi significavi, Non supervicturos ut viderent liberationem, (L. Justinus Senior, & J. Sapor Consenior) 11. *Ego ad hæc: Ah Domine, cur evocasti eos? potestne fieri ut sciam? Resp.* Nolo hominibus, neqve tibi, patere omnia, qvæ ego facio, & cur ita faciam, in me peccantibus. 12. In futura vita id scies, nunc ne inqviras. Fidelibus manebo fidelis. 13. Esto itaqve tu etiam fidelis, & videbis, brevi solatia mea. *Surge, & scribe.* 14. *Laudavi ergò nomen DEI, orans pro me, Terraqve hac, & pro nobis hîc peregrinis.*

REVEL. LXXII. 18. & 21. Nov.

[*Videnti latebra, ubi se à procella abdat, ostenditur*, 3. *Sig. R. incessum tentat, sed trepidanter*, 5. *Auxilia illi unde expectanda*, 6, 7, 8. *Conversioni Turcarum servientia parari jubentur*, 9. *Usus vini frugalis*, 10. *&c.*]

ET *vesperi ante somnum, & mane evigilanti mihi, multa loqvutus fuit Dominus, qvæ retinere non potuit memoria mea; donec tertiâ die repeteret omnia, scribereqve juberet, dicens*: 2. Fidenter exspecta responsum, qvod erit consolabile: festinant enim ad metam suam, eamqve attingent, omnia tibi à me prænuntiata. 3. Tu, si tibi non providebitur hîc, redi in Patriam, in montana illa ubi te anno 1628 servavi, cùm Cardinalis insidiaretur vitæ tuæ: ibi te servabo, donec ira transierit mea. 4. *Ego autem de promisso Sigismundi (cujus jussu scriptam ad me epistolam, qvòd me ad se evocare, & istic alicubi sustentare vellet, acceperam 16. Nov.) cogitare cœpi.* 5. *Et Dominus ad me*: Sigismundus incipit discere per vias incedere meas: sed ita, qvomodo infans parvus, scamnum tenens, cum tremore incessum tentat. 6. *Ego igitur oravi pro illo ardenter*: *ad qvæ Dominus*, Sagitta velox dilectionis à Corona Svecica advolabit brevi: 4000. de Exercitu suo submittent illi, Turca verò 30000. 7. In Regno autem qvantum volet, modò patefaciat consilia sua Incolis, etiam S. Balasdi, & per ipsum Palatino: sinceritate tantùm in se invicem, & fiduciâ in me, illis opus erit. 8. Qvando illi in nomine meo aggredientur opus meum, felici successu ibunt omnia: Terraqve hæc brevi ut virens pratum erit, emundata ab Idololatris, cum ingenti habitatorum exsultatione: etiam illorum qvi metu adacti assentari necesse habuerunt Bestiæ. 9. Qvin & Turca mirabitur Opus hoc meum! ideò scribe Adjuncto, vasi gratiæ meæ, cogitet ille qvomodo Lex Verbi mei, Psalmiqve & Hymni, cum Ordinis Ecclesiastici Idea, transferantur in idioma Turcicum, mittanturqve

qve ista Imperatori Turcarum. Exsultabo ego in hoc opere meo, qvod per illum revelabitur Gentibus. 10. Bonô esto tu qvoqve animô! acqviescens manuductione meâ, qvâ te ducam. Me tantùm time, & meam ut Creatoris voluntatem exseqvere. 11. Ne patiare te ab ullo hominum abduci, ad faciendum aliqvid adversus voluntatem meam. 12. Vinum ne bibas in gratiam cujusqvam, nisi refectionis causâ ipse, non ultra semiqvartarium. 13. Qvò ire cogitas, itò: laboriosum erit, sed fructuosum, hoc iter. 14. *Ego autem cantabam laudes Dei.*

[Ad v. 5. Revera Sigismundus Dei timens, Deóqve obseqvi paratus, fuit: sed matris imperiis arctè constrictus nihil ausus, per se autem nihil posse, nec sibi ulla esse media, pavitabat. (Vide Annotatum ad Rev. LXIV.) Erigit ergò animum illius hîc Deus (*v.* 6, 7, 8.) non defore auxilia, Divina & humana, modò obseqvi velit: nec dubium est faventes experturum fuisse illos qvi hîc nominantur, ista in causa. Sed peccata Hungariæ advocabant pœnas, ut præcedens Visio (LXXI) ostendit; Deusqve qvàm fide ab illis qvos in organa eligit honorari velit, singulare hîc extare voluit exemplum.]

REVEL. LXXIII. 25. & 26. Nov.

[*De harum Revelationum modo divina informatio.*]

P*Er utramqve hanc diem dignatus me alloqviô Dominus, multa de præteritis & futuris rebus enarrabat.* 2. *Mihi autem die* 26 *in mentem veniebat*, Videre me nihil, audire tantùm Vocem semper, & sentire circa me mirabilem qvendam lenis auræ motum. 3. *Ad qvas cogitationes meas respondens Dominus, dixit*: Ne mirere, meliùs ego novi qvid & qvomodo cum aliis, antiqvis etiam, testibus & servis meis egerim. 4. Illi propter debilius lumen opus habebant (*visibilibus præsentiæ signis*:) in te plus lucis contuli, ut istis non egeas. 5. Neqve nosti, qvomodo majestatem meam sufferret timiditas tua: ego autem nolim inhabilitas tua offendat me Terribilem, aut etiam servos meos Angelos. 6. Acqviesce tu iis mediis (*qvibus utor*) reliqvumqve serva tibi in æternitatem: auscultaveris tu mihi tantùm, omnia rectè habebunt. 7. *Et egi gratias Creatori meo, Litaniæ cantu implorans misericordiam. &c.*

REVEL. LXXIV. 27. Nov.

[*Signum petere Videns pergit*, 2. *Et cur illi negatum sit*, 4. *Ruptura Dolii, ad effundendum Gentes*, 5, 6, 7. *Prandium Gentibus paratum*, 12. *&c.*]

A*Noctis meridie, horâ circiter secundâ, expergefactus, sensi mihi frontem uri, sicut olim qvum mihi Dominus signum missionis meæ daret* (*Annô* 1643.) 2. *Ego autem orare cœpi Divinam clementiam, ut ad confirmationem operis sui in me dignaretur facere sicut Iesaiæ, cujus labia tetigit candente prunâ ad emundandum eum.* 3. *Aut sicut fecit Mosi, cui signis & miraculis confirmare dedit: ad liberationem populi Israëlitici missum fuisse.* 4. *Respondens autem Dominus dixit*, Cessare jam signa ejusmodi volui: ad emundationem verò tuam sunt guttæ sangvinis Filii mei, qvô ego ablui os tuum. 5. *Unde cùm cordi & spiritui meo in*

gens exsurgeret lætitia, qviddam tanqvam fragore dissiliens, infra fenestram meam crepuit. 6. *Cogitanti autem mihi qvid istuc esse oporteat? Respondit Dominus*, Disrumpitur Dolium illud, de qvo tibi sum loqvutus, congregasse me in illud Gentes, ad unanimiter perdendum Meretricem. 7. *Cogitavi ergo an ultrà crepiturum esset: sed Dominus*, Sufficit modò: brevi veniet tempus, ut dirumpatur ventô zeli mei. 8. *Et oravi, decantans hymnum, tandemqve ut redormire possem rogavi: & Dominus*, Indormi, & ostendam tibi singularia qvædam. 9. *Indormivi ergò: & vidi me appropinqvare cuidam eleganter structæ Civitati, in terra Patria, ubi multitudo populi magna exspectabat me: me verò seqvebatur Exercitus agmine binô, & antecedebant duo Eqvites splendidè ornati, sicut ad nuptias invitaturi solent.* 10. *Et vidi me ferre mandata sigillis obsignata, ut in patria mea*, Strasnicii, *nulla militum esset statio, sed per vicina oppida*, Kijow, Bsenetz, Ostrow. 11. *Hoc ergò mandatum tradebam præsentibus, Bohemis & Moravis; indutus ipse veste decorâ, & calceamentô pulchrô.* 12. *Cùm evigilassem diluculô, dixit Dominus*: Invitatores mei, qvos vidisti eqvis vehentes, eunt ad invitandum Gentem Turcicam! Prandium enim meum instructum est, qvod paravi Nationibus. 13. Ecce dilectus meus venit ad te, ut te consoletur, vestem secum ferens! *Ego autem cogitavi, qvis ille?* 14. *Et mox vidi Adjunctum mihi, nitidè amictum, veste violaceâ: de qvo ad me Dominus*, Commissionem fert ad illuminandum Gentes, ut & filios Patriæ. 15. Tu surge & hæc scribe! *Surrexi igitur & scripsi.*

REVEL. LXXV. Decembr. 1.

[*Rex Germaniæ futurus Videnti ostenditur: cum exhortatione ad modestiam in scrutandis Divinis judiciis.*]

A *Nocte mediâ vidi me per somnum in magna populi mihi ignoti frequentiâ constitutum: qvò & adventabat ingens satellitium, qvibus omnes præsentes cedendo viam faciebant.* 2. *Hos inseqvutus Vir staturâ haud altâ, speciosè palliatus, cui omnes exhibebant honorem: mihi autem referre Friderici (olim Boh. Regis) effigiem visus fuit.* 3. *Qvæsivi ergò: Qvisnam iste esset? sed nemo præsentium respondebat qvidqvam.* 4. *Evigilavi ergò, & Verbum Domini factum est ad me, dicendo*: Qvem tibi per somnium exhibui, Filius est Friderici Regis, statura humili, sed zelô plenus. 5. Hic tempore à me destinato Rex fiet Imperii Germanici: pro qvo tu cum aliis ora, ut me timeat. 6. *Mirabundus ego, oravi, ut Dominus confirmaret verba sua: Ille autem*, ó qvàm distantia sunt judicia Vestra à judiciis meis! impossibile vobis est evestigare Opus meum. 7. Præstat silere, & fidere mihi, qvàm qvid ego cum hoc vel illo, & cur, faciam, & cur non tùm cùm homines volunt, indagare. 8. Nam neqve Angeli servi mei, licet mecum sint, & Spiritus sint, plus nôrunt qvàm ipsis revelo. 9. Tu tacitè age! brevi Ego perficiam opus meum. 10. *Miratus ego sermones istos occinere cœpi*: O increata Sapientia! ó immensa Bonitas! ex te, per te, in te, facta sunt omnia, &c.

[v. 3. *nemo respondebat*) Nemo enim hæc intelligit: proinde silere jubemus v. 6, 7.]

REVEL. LXXVI. Eâdem die.

[*Sig. Rac. turbatur variè*, 2, 4. *Recolligit se per intervalla*, 7. *DEUS arbitrio humanæ vim non infert*, 8. *Vienna*, 9. *Qvidam liberationem non visuri ob incredulitatem*, 12. *Solatia, domestica in cruce, Videnti*, 16.]

EOdem die, *post preces pomeridianas*, *factum est ad me Verbum Domini*, *dicendo:* 2. Miraris nihil venire à tibi Adjuncto, & Sigismundo? Noli mirari: multi sunt qvi impediverunt, & impediunt, odiò & suspicionibus te involvendo: sed non prævalebunt, videbis. 3. Tantummodò tu patienter expecta, perveniet ad te solatium illud promissum tibi, NB. NB. S; fac solùm qvæ mando! 4. Pr. Sig. contristatus est super literas Affinis sui: cui videtur fieri non debuisse, ut ille Sororem haberet suam, qvæ tamen nihil fuit nisi creatura mea, sicut & alia. 5. Cogitat Affinis, ejus aliqvâ culpâ sororem non vivere: qvia non intelligit consilium meum, cur ego subduxerim eam. 6. Satisfactum est decreto meo: ut Sigismundus non habens jam qvod respectet, erectiore capite seqvatur ductum meum: confirma illum! 7. *Ego autem cogitare cœpi*, *jussum me fuisse obsignare os meum*: *ad qvas cogitationes meas Dominus*; Jusseram, sed qvum ille timens me inqvirit in voluntatem meam, paratus eam seqvi, gratum id habeo. 8. Scias autem, me significatâ hominibus voluntate meâ, neminem crinibus trahere invitum. 9. Exercitus ejus gravis erit Terræ huic: festinet igitur Viennam versùs, qvô & Septentrionales & Occidentales convolabunt ut Aqvilæ. 10 Si Viennenses tradiderint eum qvi qværetur, non tam horribiliter super illos effundetur, ut antè minatus sum (A. 1643.) ira mea: nam & ibi Cultores meos habeo, qvos bonum esset à te qvoqve præmoneri. 11. Aliâs, si contumaces erunt, ut antè dixi ita dico, sicut Jerusalem evertentur: sed tu hæc in præsens tacitè habe, nemini communica, cautione opus est. 12. *A. Klobusicius non provivet*, *ut videat opus meum totum*, *qviddam tantùm animadvertere incipiet*: *apprehendet illum malum à me*, *sicut & affinem suum tyrannum egenorum*; *qvi eqvô lapsus cervices franget brevi*, *illud enim in manu habeo*. 13. *Ab hodierno die retrò ibunt omnia ejus*, *etiam opes*, *manu prædatoriâ*, *& per captata munera*, *collectæ*. 14. *Imposui ego finem Palatino*, *& Paratsai*, *afflictoribus Vestris*: *imponam & his*, *qvi Adjunctum tibi turbant*, *& te contristant*; *sunt enim qvi eum turbant multi*, *sibi similes*. 15. *Si te ad se vocaverit*, *ibis*, *& ego tecum ero*: *mea solatia expecta*. 16. *Miserebor & Uxoris tuæ*, *eamqve morbô levabo*, *sicut & filium*: *pro qvo ora*, *ut evadat ipse qvoqve vas gratiæ ad serviendum mihi in Evangelio*, *sicut tibi priùs de illo*, *non autem de altero*, *loqvutus sum*. 17. Mihi confide, serve mi! raro exi, domi reside, hominum consortiô parum utere: sunt enim ex iis qvoqve qvi ad te visunt, multi hostes tui, sed agmina Angelorum meorum tecum erunt, dum tu in opere meo. 18. *Qvibus ego auditis*, *lætitiâqve perfusus*, *cantare cœpi laudes DEI. &c.*

[v. 12. A. Klobusicius fuit Vir nobilis, doctus & pius, Politicus in sua gente summus, Principi matri à consiliis intimis: per cujus manus ad Principem Trans. (post Sigismundi mortem) transmittebantur omnia. Hic non semel Adjuncto fassus fuit, agnoscere

ſcere ſe hæc ab altiore virtute venire: & tamen conſilia Principum non ſecundùm hæc, ſed ſecundùm ratiocinationes humanas, dirigebat. Qvare qvod hîc minatus eſt Deus, implevit opere ipſô Anno 1655. illô (cum filio & filiabus duabus) peſte peremtô, 19 Nov. De qvo infrà. Comminationem verò in Affinem ejus factam mitigavit bonitas Dei. Lapſus qvidem eqvô fuit, & graviter læſus (anno 1659 circiter) revaluit tamen, & aliqvandiu ad huc ſupervixit.]

REVEL. LXXVII. 3. Dec.

[*Qvô ſenſu Henritta incubuiſſe ſtateræ dicta fuit.*]

Dies erat Dominicus, ubi poſt fuſas ad Dominum matutinas preces, triſtis eram valdè ſuper ludibriis, qvæ mihi ob Henrittæ mortem fiebant: reſpondit Dominus dicens: 2. Fruſtra te maceras cogitationibus tuis de incubitu Henrittæ in ſtateram, jam enim incubuit. 3. Idqve, primùm, conjunctione cum Racociorum Domo, qvæ per illam magnis Familiis juncta magnum in ſe univerſorum convertit reſpectum. 4. Deinde, incubuit abitu rurſùm ſuô, ne ille eam reſpectans ſegnis eſſet in opere meo, ſicut cœperat: de qvo tibi jam ante dixi. 5. Tertiò, incubuit metum illi concitando, ad evitandum ulteriores plagas, qvas ob inobedientiam inflicturus eſſem illi. 6. Tu tranqvillô es animô! Gloria mea ſplenduit ſemper in operibus meis, ſplendereqve neceſſe habet. 7. Vigila & ora.

[Reperio inter chartas, à Drabicio tum temporis ad me ſcriptas, qvæ mihi meam qvoqve tunc circa hæc trepidationem revocant in mentem. Apponam qvædam ex epiſtola ejus ad me ſcripta Anno 1651. 3. Decemb. Spiritus S. adſit nobis gratia! *O qvàm veloces, acutæ, partim etiam venenatæ, undiqve advolant ſagittæ! etiam à Te dilecte, heſternâ die, (Væ mihi mater mea, qvòd me pepeviſti!) Hoc maximè afficit, qvòd Tu etiam incipias vacillare, mecumqve (ne dicam cum Deo) diſceptare. Deſine, per Deum & miſericordiam ejus te oro, ſuſpicari, à figmentis meis hîc venire aliqvid. In centro æterni conſilii ſecurè ſto, ſecurè dicens cum Dan. 2. v. 30. Mihi non per ſapientiam qvæ ſit in me arcana iſta revelantur, &c. Time, time, ne tuo etiam exemplô ſtabilias veritatem comminationis divinæ, Luc. 20. v. 18. Contriti jam ſunt multi, qvi offenderunt ad hunc lapidem, & ſuper qvos cecidit ille: ah, ah, ah, ſapiens jam eſto tu. Qvid per Deum? nihilne mihi humanæ rationis, & fronti meæ pudoris, ineſſe exiſtimatis? nihilne conſcientiæ meæ timoris Dei? Egonè putidi humani cerebri vanas fictiones Dei mei nomine venditare audebo? & loqvi tanqvam revelata ſanctè, à Deo non revelata? Et qvidem tantis Mundi columinibus, partim dilectis Deo, partim exoſis & abominabilibus? O qvàm vellem tecum eſſe, & de his loqvi! ſed non poſſum, mandatum non habens, nec vires meæ ſinunt. Scias, ô ſcias, verba mea non à me ſigillari: Dominus eſt qvi loqvitur. Etiam de Henrietta mihi faceſſitis negotium, qvòd incumbere debuit Stateræ, illa verò incumbit ſepulcbro. Suſpiravi ad Dominum, & non abſcondidit à ſervo ſuo conſilium ſuum ſapientia Dei. Hodie enim manè mihi explicatum eſt, qvô ſenſu incubuerit illa huic Stateræ, &c.* Ego verò his nondum ſatisfactum mihi, & aliis, credebam: cognitôqve (ex literis Fratrum) illum lethaliter ægrotare, ut non ſupervicturus crederetur, datis iterum ad illum urgebam Conſcientiam liberaret &c. Ad qvæ ille hoc repoſuit, 28. Decembris. *Heſternâ die iterum accepi à Te, mitiores qvidem prioribus, aculeatas tamen. Reqviris enim confeſſionem meam (tanqvam morituri jam, cùm tibi lethaliter decumbere me ſignificatum eſſet) annon ſaltem gloſſas meas addiderim revelatis à Deo, ratione perſonarum, temporum, aliarumve circumſtantiarum, qvæ iccircò fallant &c. Ad iſtas verò animi*

tui

mi luctus habes in superis binis responsum, cujus me non pudebit ad tribunal Christi: ubi & stare necesse habebunt qui te delationibus suis turbant, qui respondebunt Deo & mihi. Qvantum ad morbum meum, ita est, castigaverat me Dominus propter inobedientiam meam: sed & ademit rursum castigationem propter misericordiam suam. Vivit in æternum Æternus ille & immutabilis, nihil inesse Rebus, vobis præ cæteris notis, vanæ mentis meæ fictionum, glossationum, aut commentationum: sed qvæ audivi, iteratâ qve verbatenùs scribere jussus sum, ea tantùm scripsi.]

REVEL. LXXVIII. 5. Decemb.

[De subita rerum mutatione, 3. *Betulleti ad mandata DEI tandem obseqvium præfiguratur, 6, & prænuntiatur, 7. Iosua mittitur ad Iosuam, 9. Signum sumere jubetur, cætenus occultum, 15. &c.*]

I*Terum factum est ad me Verbum Domini, diluculò: qvum præ animi tædio totam noctem insomniâ & suspiriis (tum in lectulo recubans, tum exiens subdium) transegissem, peteremqve ut indormire possem. 2. Indormivi enim, & vidi me transire per pontem & aqvam ponte altiorem, rapidèqve fluentem. 3. Excepit autem me Vir qvidam, & introduxit in domum hominibus refertam, colloqventibus de subitâ rerum mutatione: mihi verò adductus fuit Eqvus generosus, qvem conscendere gnaviter tentans, evigilavi. 4. Et vox Domini illicò ad me:* Currunt, currunt tempora mea, de qvibus tibi loqvutus sum! Rediit dilectus meus, para te; videre enim te gestit, & alloqvi. 5. Ne timeas, providebitur tibi à me: tantummodò confide mihi. 6. *Et cum hoc dicto apparuit coram me Vir honestus, canitie venerabili, gestans ore candidam pulchrè florescentem Rosam; & cum illo mox alii graves viri, à qvorum conspectu exhilaratus fui. 7. Et Dominus ad me:* Gaude, jam enim effloruit in ore meo Rosa Betulleti mei, spargitqve & sparget gratum naribus mei obseqvii odorem. 8. Germinant & Orientales ramusculi: Septentrionales itidem ut Balsamum, & ut Lilium, odore svavi afflant Occidentales. Jam exhilarabor in operibus meis. 9. Tu Josua dilecte mihi ibis, vocatus ab illis. 10. *Ego verò cogitare cœpi, Qvis iste Iosua? qvum priùs Dominus Sigismundum Gedeonem appellasset.* 11. Tu illius eris Josua: ad qvem ubi veneris, dices, Ut convocet intimos Consiliarios, qvibus fidit, & qvi diligunt me, duos tresve: cum illisqve ineat consilium de velocissima consilii mei exseqvutione; ductu Psalmi 96, & 149, & Jer. 51: v. 12. & totius capitis 50. 12. Tu verò consiliò initô reverteris domum: & illi adjungant tibi comitem Virum præstantem, cum qvo per singulas majores Urbes transeundo, sistetis gradum apud Pastores, inqvirendo in Viros graves, pios, Evangeliiqve mei amatores, fervidos, duos vel tres. 13. Qvos deinde conveniendo informabitis de voluntate mea, qvid per dilectum mihi Betulletum effectum velim hac in terra: illi autem forment, cum votis ad me, de celeri exseqvutione operis mei, judicium tam candidè, qvàm fervidè animæ suæ salutem amant. 14. Obstringantqve qvisqve Virorum istorum fidem suam, manu suâ, mihi DEO Creatori, DEO Redemptori, DEO Sanctificatori, & illi qvem Consilii mei constituo Exseqvutorem. 15. Sumes verò tecum signum, pro confirmando in fiducia erga me Sigismundo, & teipso (*rem occultè tibi revelatam*) qvòd ego Jehova loqvutus sim.

16. Expor-

16. *Exporrectaqve ad me manu Dominus, dixit:* I dilecte, qvò te mitto (*ad cognoscendam rem illam occultam*) assumptô Nomine meô tecum! neqve metuas. 17. Dic: In nomine Jehovæ facio qvod facio! & in nomine Domini JESU, sedentis ad dextram virtutis DEI! & in nomine Spiritûs Sancti! 18. Et ecce, legiones Angelorum meorum tecum erunt! Dextra mea tecum erit! *porrexitqve iterum dextram mihi clavô perforatam, qvam osculatus sum.* 19. *Et addidit Dominus:* Ne obliviscere Nominis mei, qvô ego concutio maria, rursumqve tranqvillo; & dimoveo terras & rupes locô suo; & facio qvicqvid volo, qvando volo. 20. *Surge & isthæc scribe, nullâ adhibitâ dilatione.*

[Si gratum illum obseqvii odorem spargere pertexissent (v. 7.) omnia reliqva indubiè processissent: etiam qvod de occulto illo signo (v. 15.) narratur, h. e. Thesauro in montis specu indicato. Jam enim semel eò ingressus repererat operculum Cistulæ aureæ (spithamæ longitudine, antiqvissimi operis & gemmas vetustissimas: qvarum aliqvot per manus meas Sigismundo miserat, duasqve mihi. Sed qvum tandem nihil agere vellent, nihil ultra hucusqve apparuit: meiqve simul Lapilli Lesnensi excidiô (ubi mea qvoqve inobedientia castigata est, ut infra patebit) periêre.]

REVEL. LXXIX. 14. Decemb.

[*Visio de Idololatris diffugientibus; Domoqve Ecclesia diruta, sed restauranda.*]

V*Idi per somnum ipsô diluculô (post peracta matutina vota redormiens) introiisse me in Aream qvandam, plenam Sacrificulis Pontificiis, Ceremonias suas, qvisqve Ordo locô suô, peragentibus.* 2. *Qvos qvum lustrarem, jamqve ad ultimos venirem, ortus fuit, nescio unde, terror qvidam, & tumultus, & clamor, & diffugium, ut momentô dissipati essent omnes: ego autem steti attonitus.* 3. *Tum qvispiam manu me prehendens, ostendit mihi Domum magnam, cujus conclavia & peristylia olim speciosa, jam autem destructa erant: qvam admiratus sum.* 4. *Cùm verò evigilassem, dixit ad me Dominus:* Tam ecce velociter fugitabunt ex hac Terra Idololatræ! 5. Domus autem qvam vidisti dirutam, est vastata nunc Ecclesia mea, qvam vos restaurare, ac in ordinem redigere, debebitis. 6. *Et ego cecini, Restitue nos Domine &c.*

REVEL. LXXX. 16. Decemb.

[*Conjectura humana vana, 2. Stagnum peccatorum nostrorum eluitur mari misericordiæ DEI 6.*]

R*Edieram pridie ab amico peregrè, ubi de his colloqvebamur timidè.* 2. *Diluculo igitur Dominus ad me:* Conjecturæ humanæ omnes sunt frustraneæ de hoc opere meo, qvod impossibile videtur. 3. Hominibus utiqve impossibile: mihi facillimum erit, simul atqve terminus à me positus venerit, æqvè ut facilis fuit dextræ meæ Mundi creatio. 4. Dummodò servi mei ita procedant, uti jam mandavi: non peccantes, tecum unà, in me obstinatè. 5. *Ego itaqve humillimè culpas deprecatus, condonari mihi & aliis petii.* 6. *Et Dominus:* Stagnum peccatorum tuorum, aliorumqve mihi se humiliantium, & ductu meo acqviescen-

scentium, eluetur, mari misericordiæ meæ. Tu expecta solatia mea. 7. *Ego itaque occinere cœpi ex hymno Ecclesiastico:* Emunda immunditiem nostram, & emenda pravitates nostras &c.

REVEL. LXXXI. 18. Dec.

[*Visio Librorum compingendorum, & compactorum, 2, 3. Opus DEI si non procedat, cujus sit culpa, 5. Urgendi jam Exseqvutores, 10. & cur 11. &c.*]

ANtelucanò, *post peracta ad DEUM suspiria, indormivi denuò.* 2. *Et vidi me eximio cuidam viro colludere super scamno qvôdam: & allata mihi fuerunt Volumina chartarum typis descriptarum, ad compingendum, & postea distribuendum.* 3. *Sed hæc prima non adeò fuerunt accepta, ut allata mox, pellibus odoratis intecta: de qvibus dixit, qvi ea mihi tradebat,* Ne differas, mitte illa! 4. *Cum hoc evigilavi, & Dominus ad me:* Gratè acceptant Gentes ea qvæ per te, & Additum tibi, revelavi. 5. Mirariqve incipiunt sapientiam meam, Cur ego annis superioribus opus meum, destruendi spiritualem Babylonem & Meretricem, non peregerim per eos qvos excitaveram, Regem Sveciæ, & Principem Transylvaniæ, 6. Sed apparebit non meâ culpâ, sed suâ, evenisse: consilium enim meum neqve intelligere, neqve credere, voluerunt: decurrisse terminos Bestiæ. 7. Non mea culpa fuit (ut te exemplô instruam) qvòd Adam fuit lapsus, qvem ego perfectum, & de omnibus rectè informatum, feci: sed ipse sibi fuit reus, qvi mei, & mandati mei, oblitus, Arborem vetitam adiit, & de illa edit. 8. Ita hos inobedientia sua, incredulitati juncta, seduxit. 9. *Mihi verò in mentem veniebant Halberstatensis, Mansfeldius, Wimariensis, & alii: ad qvæ Dominus,* Omnes hi eôdem laborârunt morbô, sua tantùm qværitantes. 10. Tu proinde dic illis, qvibus loqvi mandavi, unà cum illo qvem tibi auxilio dedi, tibi mihiqve charo; svadeat illis, non cunctari ampliùs, neqve differre opus qvod peragere habent. 11. Scis enim brevem tibi terminum esse à me detectum, intra qvem consummari opus meum necesse est. 12. Hac in Terra leviùs procedent omnia, alibi asperiùs cum sangvinis profusione, qvamdiu Orbis habitatores non in se redierint, ad exseqvendum hoc opus meum. 13. Noli mirari, nihil ab illis venire hucusqve: veniet, ne metue! illi verò mirantur te nihil scribere. 14. Sed novi ego qvòd per te non stet: tu tantùm esto paratus, dumqve vocabunt ito in Nomine meo.

[Prædicta hîc fuit ecce, (v. 2. & 3.) horum editio publica, & qvidem gemina: prior non adeò grata ut posterior, cujus Exemplaria pellibus odoratis vidit intecta. Impletum prius abundè tot contradictionibus, ludibriis, calumniis, & adversus hæc machinationibus: ó impleatur, posterius qvoqve! ut gratum inde concipiant odorem filii lucis (amotô jam ab oculis omni velô) promptèqve incipiant obseqvi Deo, in exeqvenda hîc sibi denuntiata denuoqve iterata, voluntate Dei! v. 10. & infra, Rev. XCII. 8, 9, 10.]

RE-

REVEL. LXXXII. 23. Dec.

[*Periculum Videnti prænuntiatur*, 2, 3, *Initium exseqvutionis ubi faciendum*, 4: *& ubi Reformationis*, 6. *Promissio singularis ad tempus occulta*, 7, 8.]

Visus mihi secundùm qvietem apud amicum qvendam, cui præsentia mea grata fuit. 2 *Sed interveniens tertius qvispiam, staturâ brevi, dixit ad me*, Ne moreris hic diu, periculum instat tibi! *Ego autem*, *Qvorsum ibo? simulqve evigilavi.* 3. *Et Dominus ad me*: Gratè excipiunt Gentes vocem Tubæ meæ, emissam per te, unde tibi periculum suborietur: Qvare si te vocaverit Princeps, ibis, apud illum in tuto futurus. 4. Dicesqve illi, in voluntatem meam inqvirenti, eam esse, ut initium ipse faciat in Dynastiis suis. 5. Terra hæc facillimè repurgabitur: Bohemia, Moravia, Silesia non æqvè facilè. 6. Vos Patriæ redditi reparate Ordinem Ecclesiæ, ut sitis aliis Nationibus speculo! *Ego autem oravi*, *ut Dominus confirmaret Verbum suum*, *confortaretqve servos suos.* 7. *Cùm autem redormissem*, *vidi eundem Amicum spatiantem mecum in Horto arborum & fructuum pulcherimorum pleno: ille verò deducebat me ad qvendam peculiarem locum, dicens, ostensurum se mihi Aureum lectum.* 8. *Experrecto mihi dixit Dominus*: Attende! ostendam tibi qvæ promisi, tuum & aliorum in usum.

REVEL. LXXXIII. 31. Dec.

[*Dolium Gentium dissilit*, 2, 4. *Videns Posonium mittitur cum Vexillis*, 5. *Urbibus per Hungariam liberis nomine trium Regum qvid indicendum*, 8. *Ladisl. Rakoci*, 10.]

Secundâ post noctis medium obdormiens vidi Currum, vehentem impositum sibi, beneqve obtectum, Vini dolium magnum, per montis qvendam clivum. 2. *Ecce autem eversus est, & perversus aliqvoties, Currus, Doliumqve infractum! & emanabat multùm vini, valdè clari.* 3. *Præsentes igitur devolutô è curru Doliô, circumducere illi tentabant circulos: sed frustra, Vinô indesinenter profluente.* 4. *Experrectus, qvid sibi Visio ista vellet cogitare cœpi. Et Dominus*: Dolium in qvod ego congregavi Gentes, dissiliet brevi! *& oravi pro istis Gentibus.* 5. *Diluculô appropinqvante relapsus in somnum fui, & vidi me cum duobus Legatis mitti Posonium, dateqve sunt nobis Hastæ, qvas præferendo elevatas, incessimus per Urbis plateas in forum usqve, ubi explicuimus Vexilla hastis circumplicata, cum Insignibus per illa depictis.* 6. *Ego verò meum altiùs erigens Vexillum ita vibrabam, ut conspici undiqve posset: inqvisiviqve in Urbis præsidem, Iudicem Regium.* 7. *Qvem responderunt habitare in platea, ubi Carnificis qvoqve habitatio est: & mirabar cur isthic.* 8. *Et mox vocem Domini audivi*: Celerrimè fiat significatio Urbibus liberis hoc in Regno, nomine trium Regum, ut juvent exseqvi opus meum citò. 9. *Cogitavi ego*, *Qvinam isti Reges? Et Dominus*; Svecus, Danus. *Tertium non nominabat, sed mox*: Princeps vester, dilectus meus, faciat initium per ditiones suas. 10. Qvô visô, & qvid atqve cur suscipiat intellectô, adjunget se illi cum timore patruelis, Pauli Racoci filius, auxilio. 11. Tu hodie ista ne scribas, donec tibi plura dixero.

[v. 6. *Iudicem Regium*) Civitates enim Hungariæ non Consules habent, aut appellant, sed Judices. *vers.* 10.) Adjunxisset fortè, si illi mandata egissent: non adjunxit autem, qvia illi non egerunt: periitqve tandem ipse à Turcis cæsus ad Waradinum, 1664. Junij initio.]

Incipiunt REVELATIONES factæ Anno M. DC. LII.

REVEL. LXXXIV. Januarii 1.

[*Visio frugum ad messem maturescentium & demessarum: sine dilucidatione.*]

INsomnis vidi Campum frugibus ad messem maturescentibus plenum: & mox Septentrionem versùs jam demessum, terramqve qvasi rubricosam, arari denuò. 2. *Ex opposita verò parte indemessæ stabant fruges, spicis prægrandibus, maturrimisqve: à tertio deniqve latere frumentum jam extritum.* 3. *Expergefactus de somnii significatione cogitare cœpi: sed elucidatio facta est nulla, neqve vox ulla.*

REVEL. LXXXV. Jan. 2.

[*Explicatio hesternæ Visionis de imminente magna Messe*, 2, 3. *Zizania exterminandæ.* 4. *h. e. doctrina prava cum Imaginum Idolis*, 5, 6. *Lux accendenda gentibus*, 8. *&c.*]

COntinuabam, tertiâ jam nocte, descriptionem ad mundum priorum Visionum (Adjuncto mittendarum): sub diluculi verò horam animi tædium irrepsit, reposuiqve me, & lucescente jam die obdormivi, nullam videns visionem. 2. *Sed ut fui expergefactus sensibusqve plenè redditus, insonuit vox Domini bina vice:* Ne metue dilecte mi, qvem postremo hoc seculo elegi è numero servorum meorum in Terra, per qvem, ceu Tubam meam, exultabundus, atqve cum delectatione, notam faciam Gentibus & Populis voluntatem meam, antiqvumqve decretum meum, ut se congregent contra Bestiam, Meretricem Babylonicam. 3. Nam ecce maturuit jam seges Gentium, sicut ostendi tibi heri! Messis adest, ad congregandum omnes sub vexillum regiminis mei (Apoc. 4. 15.) 4. Exite, Messores mihi charissimi, ad exterminandum de agro meo abominabilis Idololatriæ Zizania per Orbis gentes! ut ne ampliùs venenô doctrinæ pravæ inficiantur Oves meæ. 5. Doctrina enim prava, ab humanis commentis mihi & legi

meæ

meæ contrariis orta, venenum est animabus: 6. Ut & totus ille apparatus Imaginum, imaguncularumqve, qvibus populi mei seductores impleverunt per tot Regna Mundi, Templa, Domos, Libellos: à collo etiam illa gestantes, & adorantes, in mei & nominis mei contemtum, à qvo me jam vindicabo, per Gentes qvas in facie Terræ habeo. 7. Qvæ ut jam congregentur volo, & in poculum Meretricis refundant afflictionem, qvâ Meretrix affligebat meos, dupliciter. 8. Tu vade in Nomine meo ad dilectum mihi Betulletum, accensâqve in conspectu ejus face, dic: Ita Jehova DEUS totius Terræ per vos accendet lucem Gentibus! 9. Excutite scintillas in fomitem, & suscitate ignem hâc in Terra! accurrentqve ad lucem hanc Gentes, & renovabitur, dealbabitur, emundabiturqve Domus Ecclesiæ meæ super Terram (*ostensaqve mihi fuit eô momentô splendens admodum*). 10. Exhilarabor in operibus meis, & in facinoribus manuum mearum: messis enim mea venit. 11. Vos autem extrudite, extrudite Messores, ad implendum lumine meo habitatores Terræ! Gaudete & exultate in DEO salutari vestro! annuntiate in populis salutem DEI vestri! 12. Gaude & tu serve mi! Ibis enim annuntiatum Nomen meum! Et ego tecum ero faciamqve ut oculi tui videant occultum opus meum, revelatum tibi. 13. Jam surge, & ista scribe! *mibi verò jam exciderat initium qvoqve ipsum.* 14. *Et Dominus:* Inter scribendum suggeram tibi omnia: *atqve ita factum est.* 15. *Ego verò laudavi nomen Dei, hymnô è Psalmo 95. desumtô.*

REVEL. LXXXVI. Jan. 3.

[*Visio Theologorum antiqva volumina evolventium, 2. Effigierum & Vasculorum pulcherrimorum, 5, 6. Et lasciva turba 11. & Porta abyssi, 13, 21. Examen conscientiæ, 16. Videns spiritum recipere jubetur, 23.*]

TErtiâ post noctis meridiem, fusis ad DEUM precibus, redormivi; appetente verò luce, evigilavi & non evigilavi, velut in ecstasin raptus. 2. Et prehensâ nescio qvis manu meâ introduxit me in Conclave, ubi congregatos vidi viros Theologos, notos mibi & ignotos, lustrantes libros Scripturarum, & antiqvorum Patrum, Hebraicè, Græcè, & antiqvo-Bohemicè, scriptos. 3. Porrigebantqve mibi etiam ut legerem: qvosdam potui, alios non potui. 4. Tum idem Vir prehensâ rursum manu introduxit me amœnissimum in locum, plenum Effigiebus humanis variæ formæ, aliis super alias splendentibus. 5. Qvantô plures Repositoriis eximebam, & evolutabam, tantô magis conspectus eorum delectabat: inter qvos erant pulchras habentes corrollas, & me qvasi affari gestientes, qvod mihi ineffabili erat voluptati. 6. Sed Vir ille aliò me rursum duxit, ubi erant Vasa artificiosa, majora & minora, polita nitidè, qvædam & aurò obducta. 7. Qvarum spectaculô oblectatus, cogitabam unum & alterum mibi sumere: sumsiqve unum perlegans, sed illud in sinum recondere volens nullô modô potui, propter aliud qvoddam ibidem hærens vas; qvod me valdè tristem reddidit. 8. Et accedens Dominus dixit: Vidisti habitaculum meum, & in eo vascula mea electa, qvomodo gaudeant gaudiô ineffabili. 9. *Ego autem dixi: Ab Domine meus, & Rex meus, cur ego tollere unum illorum*

rum non potui, ut haberem qvoqve unde gauderem? 10. *Respondit*: Impedit te vas mortalitatis tuæ, qvod adhuc in sinu gestas, hâc depositâ invenies omnia qvæ vidisti: sed obdormisce iterum, & ostendam tibi alium hominum statum. 11. *Indormivi igitur; & mox experrectus, ac in ecstasin raptus, introductus fui in locum, ubi multitudo erat mulierum & puellarum formâ eleganti, sed moribus fœdis: accedebant enim ad me protervè, & me tangebant lascivè, ut eas metuerem, & festinarem inde.* 12. *Deductus iterum alium in locum, vidi tantùm viros & adolescentes, parvos & magnos, sed nudos, aspectu tetros, ac ob corporum & morum fœditatem abominabiles, qvos etiam intueri distædebat.* 13. *Cùm verò ad me rediissem, dixit Dominus*: Ostendi tibi duo hominum genera detestabilia coram me. Veni porrò, & deducam te ad portam Abyssi, januamqve mortis. 14. *Interim filiolus meus Andreas, mihi accubans ac dormiens, flere cœpit: cujus rei cogitare cœpi causam.* 15. *Et Dominus*: Te plangit, ostendi enim illi te mortuum, tu autem redormi! *& oppressit me illicò sopor, sed & illicò deseruit.* 16. *Abreptum verò à sensibus deduxit me Dominus in locum secretum, ibiqve Conscientiæ meæ habito examine ostendit mihi omnia peccata & errata mea, ab infantia.* 17. *Ob qvæ rubescens, & illacrymans oravi Dominum ut me sanaret sangvine Vulnerum suorum, effuso in cruce.* 18. *Et Dominus*: Vides qvàm nihil me lateat, qvid, ubi, qvando, qvis mortalium agat? qvibusqve abducti occasionibus prolabi soleant. 19. Habe tu tantùm Nomen meum, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, inscriptum cordi tuo, & lavaberis ab immunditiis tuis: *simulqve illa ipsa verba insculpsit Dominus in circuitu Cordis mei.* 20. *Cùm verò rursum filius meus fleret, excitareqve illum cogitarem, dixit Dominus*, Iterum illi te ostendi, abeuntem à se: excitavi ergò, *& causam qvæsivi. Respondit: Abieras à me, Pater, unà cum Matre.* 21. *Ego verò stans ad portam illam, vastæ magnitudinis, & qvasi ferrô obductam, rogavi Dominum, ut Inferni abyssum ostenderet mihi.* 22. *Respondit*, Non ferres, nec tempus est. Sufficiat tibi ad portam Mortis deductum fuisse, ut censereris inter eos qvi redeunt in pulverem, corrosi à vermibus (*Fuit autem status tunc meus mirus, ut ubi essem, & qvid mecum fieret, penitus nescirem, præter qvòd Dominum haberem præsentem.*) 23. Tu recipe in te Spiritum meum, & vive porrò etiam. 24. *Factumqve est, nescio qvomodo, ut ter adapertô ore, ter intromitterem Spiritum, recreatumqve sentirem animum meum.* 25. *Addidit Dominus*: An demeministi, qvid ego in terris agens testatus fuerim? Fieri non posse, ut qvi abysso Inferni mersi sunt, transire ad nos qveant in Cœlum: nec ii qvi apud me in Cœlo sunt, descendere deorsum. Ergò & tu semel eò deductus non exires in æternum. 26. Fac tu qvæ ego mando, etiam ratione occultæ illius rei qvam tibi revelare promisi: tecum ego sum. 27. Tu esto vigilans, & misericors erga proximos, etiam in eo qvod in manum tibi tradam: sed novi cor tuum ita affectum, ut animam qvoqve dividere cum proximo sis paratus. Surge & hæc nullâ interpositâ morâ scribe. 28. *Scripsi igitur, admirans profunditatem Sapientiæ DEI, oransqve cum Salomone Sapientiæ augmenta, e Sapientiæ libro capite nonô.*

(v, 27. *animam dividere cum proximo*) Verissimus hic est Videntis nostri character: nihil erga qvenqvam invidiæ, aut odii, aut avaritiæ vel tenacitatis, in illo notari potest huma-

humanitùs. Qvod non fucatè ab illo fieri, sed ex animo, testimonium hîc est Omniscii: & ob id promissio mediorum, unde proximis benè facere possit.]

REVEL. LXXXVII. Jan. 12. & 13, & 14.

[*Solatia de implendis promissionibus*, 1, 2. *Obsessio Cæsareanorum*, 3. Sig. Rac. in domo Patris sui qværendus, 4, 5. *Vita Nazarei*, 6. *Salus ex Iudæis*, 7. 8. *Messis Dei adest*. 9.]

BIduò primò, sub diluculum utrinqve, ostendit mihi Dominus multa & varia, solatio mihi. 2. *Alterâ verò die (Sabbati fuit feria) jussit vigilare, expectaréqve promissiones Ecclesiæ factas, ut & mihi, impletum eas iri: obstringens me ad obseqvium mandatorum suorum.* 3. *Tertiâ demum die, qvæ Dominica fuit, audivi fragorem displosorum tormentorum in aëre: qvò cessante, allatus fuit fascis ingens epistolarum, qvibus exercitûs Cæsarei à Walachis obsessio nuntiabatur: qvam & videre visus sum.* 4. *Ut evigilavi, & de Sigismundo cogitare cœpi, qvid rerum nunc ageret; respondit Dominus*, Molarem lapidem parat, qvia molendi tempus est. 5. Tu autem para te, ut illum edoceas de voluntate mea, ne qvid in te desideretur: invenies eum in domo Patris sui. 6. *Cogitabam autem: an ibi vino uti licebit? Et Dominus*: Apud tibi adjunctum utere ad necessitatem: coram Principe autem Nazarei vitam age. Mihi enim gratum est obseqvium ab iis qvibus voluntatem revelo meam, sicut & tibi. 7. *Et mox me occupavit somnus: & vidi qvendam mecum, & cum Episcopo Ilaviensi, disputantem* de Salute, *undenam esset? eratqve hoc actum in præsentia multarum Nationum, etiam Iudæorum.* 8. *Ego igitur exclamavi, Scriptura dicit*, Salus ex Judæis est, *voce tam vehementi ut expergiscerer.* 9. *Et Dominus*: Messis mea, Messis mea, appropinqvat! Parent se Messores, & ne cunctentur! 10. Tu autem confide mihi, & fac alacriter qvicqvid mando: Surge & hæc scribe!

[v. 5, *Invenies eum in domo Patris sui*) Prima hîc est, sed tecta, appropinqvantis Sigismundi mortis indicatio: qvi in Transylvania hiemem agens, ibiqve 4. Febr. mortuus, paterno Sepulchro inferri debuit.]

REVEL. LXXXVIII. 18. Jan.

[*Consilia conscribuntur*, 2, 3. *Sigism. R. lugubriter vestitus*, 4. *Filii Racoci conducti ad agendam causam* DEI, 6. *Exercitus illis unde*, 7, 8. *Coronatio*, 11. *Mensa ex Idolis conflanda*, 13. *Concorditer agendum*, 16.]

ITerum factum est Verbum Domini ad me, qvum surgere volentem in qviete esse jussisset Dominus, exhibiturum se mihi qviddam. 2. *Et indormivi: visusqve mihi sum ingressus conclave qvoddam, jussusqve assidere mensæ, & scribere: scripsi igitur, donec non superesset chartæ, præter frustulum.* 3. *Ad me verò scribentem accedebant, & recedebant varii, utriusqve sexûs, consilia suppeditantes qvid esset scribendum.* 4. *Tandem accessit Virgo elegans, & seqvutus illam* Pr: Sigismundus, veste Germanicâ lugubri indutus, *qvid consulendum esset reqvirens.* 5. *Cui Virgo linguâ Slavo-*

Slavonicâ respondit; illéqve pariter Slavonicè loqvutus, mensam contegi jussit: & accubuimus unà pransi. 6. *Expergefactus verò audivi vocem Domini:* Mercede conduxi Filios Racoci, ut causam agant meam: nunc unà sunt, Sigismundúsqve miratur nihil venire à te. 7. Paratus esto ire, ubi te vocabunt, dicesqve: Sic ait Jehova: Gentes exteras mercede conducite, non autem domesticos. 8. Incolæ gratis consurgant ad opus meum: & ego illis ero merces. 9. Extra Patriæ limites egrediatur nemo antequam vocati fuerint: qvi exire tentaverit, maledictio mea recidet in eum, & domum ejus. 10. Multi enim exire patriâ, & adjungere se sui similibus, mala machinando, volent, sed suomet malô: at viarum transitus occludendi erunt maturè. 11. Festinentqve occupare Posonium: ubi coronabitur Princeps, sicuti Patri ejus fieri debebat, in præsentia Legatorum trium. 12. *Et cogitavi, Qvorum? respondit Dominus:* Primus erit Turcicus; reliqvi Confœderatorum, de qvibus ante dixi. 13. Posonium comportentur Idola fusilia, aurea & argentea, qvantùm eorum fuerit repertum hac in Terra: inspectantibusqve omnibus conflетur ex illis Mensa, cum fulcris suis, ad qvam futuris temporibus consideat Rex cum Consiliariis suis, in sempiternam Idololatrarum ignominiam. 14. Reliqva de thesauris & spoliis eorum convertantur in bonum publicum: sicuti & de Spiritualium bonis confiscatis exsolvi debebunt stipendia mercede conductis. 15. *Ego autem cogitavi, Dictum antea fuisse mihi, Exercitum Principis gravem fore Terræ huic, alið ut festinaret.* 16. *Ad qvas cogitationes respondens Dominus dixit:* Compositis domi rebus vocabuntur, lubentesqve seqventur: sed qvi se ultrò separabunt, & ante alios exibunt, execrabiles habebuntur ab aliis Terræ habitatoribus. 17. Tu hæc omnia habe parata, ut dum vocaberis ire possis. 18. Surge, scribe hæc, ne differ, &c.

[v. 4. *veste lugubri*) Altera mortis Sigismundi significatio. Mandata tamen *Filiis Racocii* dantur (v. 6.) qvasi uterqve Divini consilii exseqvutor futurus esset, qvum alter voluntate tantùm, alter opere, servire debuit Deo: aut rejici uterqve inobediens repertus: ut suis locis infra legere erit, & eventus ostendit.]

REVEL. LXXXIX. Jan. 19.

[*Videns esse anxius, & curiosus, prohibetur.*]

Post preces matutinas, antelucanò, orabam ne me desereret DEUS propter misericordiam suam, sed porrò etiam qvid à se fieri vellet manifestaret: sicuti fecisset olim servis suis, Mosi, Danieli, Apostolis. 2. *Iussit ergò me indormire Dominus: & cùm evigilassem, die jam lucescente, dixit:* Desere morem istum exqvirendi à me, & qvid ego manifestare tibi debeam anticipandi. 3. Meliùs ego, qvid te aut alios scire vel ignorare expediat, novi, qvàm tu cogitare potes. 4. Tantummodò tu voluntatem meam fac, & in meo ductu acqviesce, non derelinqveris: novi Ego necessitates tuas. 5. Difficile tibi videtur illa exseqvi qvæ mando: sed ostendi tibi per visum hodie, mihi non fore difficile qvicqvam eorum, de qvibus tibi loqvutum est os meum. 6. Omnia precibus intentus age, & experieris me nihil frustrà loqvutum. 7. *Oravi igitur, decantando,* Cur tam tristis es anima mea &c.

REVEL. XC. 20. Jan.

[*Opera DEI, & nomen Filiorum Racoci, celebranda per Orbem totum.*]

L*Ucescente die, factus est ad me sermo DEI*: Euge serve mi! 2. *Ego autem, ad qvem ista Verba sonarent, cogitare cœpi: & Dominus*, Ad te. 3. Ita enim te amabunt & compellabunt Gentes, ubi ad eos pervenerint ea qvæ per te, & dilectum mihi, Adjunctum tibi, loqvutum est Os meum. 4. Qvi non ob mercedem aut retributionem humanam, operam ponit in hoc opere meo, sed gloriam meam dilatandi desideriô: qvamobrem charum habebunt illum etiam, qvi illius promotione hæc in lucem ire intelligent. 5. Ultra ultimos Oceani terminos diffundet se splendor Betulleti mei dilecti, nomen filiorum Racoci: qvibus tu manifestabis omnem voluntatem meam. 6. Hic autem ista nemini revela: *Surge & scribe.*

[Ad v. 5. adde, *& illi eam impleverint*. Hoc enim subintelligendum esse, ex aliis protestationibus Dei patet.]

REVEL. XCI. 25. Jan.

[*Clavis aperiendorum Consiliorum*, 2. *Non otiandum*, 5, 6. *Sigismundi Aulicus cum pileo atro*, 7.]

P*Ost ordinarias preces, qvas anxius spiritu effuderam, indormivi mandante Domino, & dicente*: Mitte volaticas istas cogitationes, potiùs te qvieti da. 2. *Obdormienti ergò venerunt in occursum tabellarii, qvorum unus tradens mihi clavem, dixit*, Para te ad reserandum consilia. 3. *Cumqve mox expergefierem dixit Dominus*: Venient literæ, varia judicia (de rebus tibi revelatis) ferentes. 4. *Simulqve redormivi, & me sub Arce Lednicensi conspexi stantem cum Viro qvodam, ad nosqve ex Arce descendentem Capitaneum ante hac*, Andream Rezi, *qvi nos alloqvutus fuit humanissimè*: 5. *Ecce autem Vir qvidam adventabat, senex, albô vectus eqvô: cui Rezi, non trahâ venisti potiùs? Me autem manu prehensum abducens dixit*: Nos qvid agimus? cur otiamur? 6. *Respondi ego*: Judæi non otiantur: legunt enim Legem, & orant. 7. *Et mox accessit qvidam ex aulicis Pr. Sigismundi, pileum atratum gestans sub axilla, exqvirens Principis nomine*, Qvot millibus hominum opus erit? 8. *In hoc evigilavi, & Dominus ad me*: Dic ei, Bis mille sufficient initiô: Civitates præterea singulæ dabunt 150, & habitatores Terræ adjungent se. 9. *Tu dices Principi*, Mandet Posoniensibus ut custodiant Coronam &c.

[v. 7. *ad finem*) Adhuc Dominus ludit cum servo suo: mandáta dans qvasi ad Sigismundum, ejus tamen obitum tectè iterum indicans v. 7.]

REVEL. XCII. Februarij. 2.

[*Sigism. Privilegia distribuens*, 1. *Salus* DEI *annuntianda omnibus Terræ Nationibus*, 2. *idqve jam* 3. *Confessio Videntis*, 5, 6, 7. *Revelationes hæ non diutiùs occultandæ*, 8 (ad 13.) *Omnes gentes Terræ hæreditas Domini*, *melioribus erigendæ promissis qvàm Israel olim*, 14, 15. *Non silenda hæc ampliùs*, 16. *cooperandumqve* DEO, 17. *fidem reqvirenti*, *& promittenti*, 20.]

STatim *à noctis medio factus est ad me sermo Domini*, *postqvam visio præcesserat de Pr. Sigismundo Immunitates & Privilegia distribuente*: *quorum qvædam ad me qvoqve*, *& posteros meos*, *spectabant*, *magno meo gaudio*. 2. *Redeunti mihi ad me dixit Dominus*: Ecce servi mei, vos duo non mercede conducti, sed mihi gratis & ex amore servientes! qvos ego excitavi, Ego inqvam Dominator Terræ, Jehovah Creator montium, Pater, Filius & Spiritus S. eô fine, ut annuntietis salutem meam omnibus Nationibus Terræ. 3. Nam ecce dies mei venerunt, ut exultem & [illegible]ificer in Operibus meis, in facie totius Terræ! 4. Igitur accingere, & para te ut nunties hæc tibi concredita, non ulli priùs qvàm illi qvem tibi auxilio dedi, gratis mihi parato, omnibusqve Gentibus servire avido, pro gloria mea. 5. *His ego auditis*, *præ metu & gaudio dixi*: *O Iehova DEUS deorum*, *Dominator Cæli*, *Terræ*, *Maris*, *& omnium! Ecce sto in conspectu Tuo & ministrantium Tibi Angelorum Cælestium*, *& in conspectu servorum Tuorum Patriarcharum*, *Regum*, *Prophetarum*, *Apostolorum*, *& in conspectu totius creaturæ Tuæ!* 6. *Confitens*, *& Te invocans testem*, *nunqvam me vel cogitatione proposuisse aliud*, *in omnibus qvæ à Majestate tua accepi*, *qvàm sanctissimi tui Nominis gloriam*, *ad solatia & salutem Nationibus Terræ*: *ut videre possent oculi mei qvæ promisisti*, *& servo Tuo loqvutus es*, *olim & jam*. 7. *Ah indignus ego sum*, *pulvisculus tuus*, *tantâ gratiâ! & qvid promereri de te potui*, *ó mi Creator? Iam igitur supplex oro miserere*, *& adjuta famulos Tuos!* 8. *Respondit*: Jam tempus est, jam hora mea venit, ut non sub modio detineantur, sed in lucem eant, revelata à me tibi. 9. Ideò scribite & imprimite qvarumvis Gentium linguis, & dimittite ad Nationes Terræ. 10. Audite Reges, audite Dominatores populorum, jam esse tempus ut faciatis voluntatem meam, & dejiciatis de humeris Vestris jugum Meretricis, jugum aggravans! detisqve gloriam Illi qvi sedet in throno. 11. Notum facite per Gentes, remotas etiam, expletam esse mensuram abominationum Babylonis, ut accipiat è manu Vestra duplum, ultionis Sanctorum occisorum servorum meorum! 12. Ecce novem jam annis loqvutus tibi sum, non mercede conducte serve mi! Et nolo, nolo ego Jehova Dominator Terræ, silentiô diutiùs premi revelata tibi. 13. Sed dimittite illa inter habitatores totius Terræ, ut repleatur Terra cognitione mei & voluntatis meæ! 14. Sciantqve omnes sub sole Nationes, non solum Israelem fuisse populum meum: qvem mercede promissæ Terræ, fluentis lacte & melle, conduxeram mihi, promissionéqve Filii mei: qvæ & promissa exsolvi, cùm temporis plenitudo venisset. 15. Modernis autem habitatoribus Terræ, per universum ambitum Orbis ejus diffusis gentibus & lingvis, credentibus in me & invocan-

vocantibus Nomen meum, Sancti Israelis, promitto Domum meam, Thronumqve meum, & Hæreditatem æternam, qvam Cœli cœlorum non capient, neqve terminabunt: idqve gratis, absqve pecunia & pretio. 16. Ne filete igitur, ne filete ampliùs, ó Vos duo servi mei! jam enim tempus est. 17. Convolate etiam, & congregamini ad prælium, Vos Orientales, Septentrionales, Occidentales & Meridionales, Visca lignorum meorum, jam efflorescentium! 18. *Ego ad hæc veluti consternatus: O Domine Iehova, annon inde periculum exsurget nobis? Nam tu Omniscius nosti paratum esse cor meum.* 19. *Oro itaqve, robora & sanctifica nos, ne confundamur! tibi enim possibilia sunt omnia.* 20. *Et Dominus porrectâ mihi dextrâ, qvam vidi clavo perforatam, dixit:* Tantummodò fidelis esto & mihi obseqvens! non deseram ego opus meum, de qvo pridem loqvutus sum, atqve etiamnum loqvor. 21. Surge, & scribe magnalia hæc! *ego autem iterari ea mihi petii, qvod & factum.* 22. *Surrexi igitur & scripsi, decantans Psalmum, qvi in mentem venerat, septimum.*

[v. 1.) Privilegiorum à Sigismundo distributione Testamentum fortè ejus, hâc (circiter) die conditum, denotatur: qvô & Drabicianum debitum exsolvi jubebatur, sed qvod Aulicorum perfidiâ interceptum est. (Vide supra Revel. xxv. Annotationis fine: & infra, Rev. ciii. v. 4.]

REVEL. XCIII. 3. Febr.

[*Diluvium adventans nemo sistere poterit*, 1, 2, 3, 4. *Protestatio ad Filios Racoci* 5. *Terra Hung. sentibus iniqvitatum obsita*, 8. *Signum ad Principes*, 11. *Frumentum purum*, 14.]

VIdi (*redeunte mihi inter matutina ad* DEUM *suspiria somnô*) *& ecce Diluvium adventabat.* 2. *Cui obsistendo multi accurrebant, moles objiciendo, etiam integrarum arborum: sed frustra.* 3. *Senex enim vir honestus obambulans designabat alveum, qvâ fluxum continuarent aqvæ, licet sensim ab initio.* 4. *Evigilanti mihi insonuit vox:* Non cohibebunt proluviem, tametsi venenatis sagittis hinc inde impetant dilectum meum, Adjunctum tibi: à qvo asperæ ad te veniunt literæ. 5. Qvibus tu cave turbari: adi potiùs eum, tunqve cum illo dicite: *Vos Filii Racoci, si non obedieritis mihi, sed exemplum patris Vestri, qvi voluntatem meam exseqvi recusabat, seqvi voletis, malè vobis erit: si autem Mihi DEO vestro ausculta veritis, benè vobis erit.* 6. Oleum benedictionis meæ super vos erit, & super posteros vestros: in alterâ namqve manu mea Benedictio est, in altera Maledictio. 7. *Ostenditqve mihi Maledictionem in manu dextra, & Benedictionem in sinistra: qvæ res conturbavit me, cogitantem nescire me à qvo Domini latere pependerit latro in Cruce, cui dixerat,* Hodie mecum in paradiso eris. 8. *Perrexit autem Dominus:* Terra hæc obsita est iniqvitatibus Politicorum & Ecclesiasticorum, oppressorum pauperum meorum, inter qvos & perversi apostatæ sunt. 9. Minatus sum illis, & minitor adhuc: væ mundo si torrentem effudero iræ meæ! 10. Nam periit justus, periit, de hac Terra: non deni sunt, nedum centeni aut milleni. 11. Tu acqviesce ductu meo: atqve si Principes à te signum petent, signo habebis rem occultò tibi promissam. 12. Multi sunt qvi malè volunt tibi, clam palam; sed Adjunctus memor tui est. 13. Indormi dilecte,

lecte, & te cogitationibus tuis fatigare desiste. 14. *Indormivi igitur, & vidi me* *purissimum frumentum infundere vasis: Experrectusqve scripsi hæc.*

[v. 11. Non petierunt autem, omnia pro nihilo habentes.]

Revel. XCIV. 4. Febr. [qvi Sig. emortualis fuit.]

[*Telam DEI texentes servi ejus* (1 & 5) *evocantur ad æterna Convivia*, 10. *Opus DEI notificandum gentibus*, 13. *etiam Græcis*, 14, 15. *Socinani*, 16. *Videns confidere jubetur*, 29. &c.]

Conspexi me, per Visionem, in Domo qvadam multis cum hominibus, notis & ignotis mihi. 2. *Et venit ad nos visum Dominus ædium illarum, distribuens inter nos stamina qvædam, ad illa colore tingendum.* 3. *Tingebamus igitur omnes: sed succus meus tingebat reliqvis faciliùs, & amœnius.* 4. *Peractâ tincturâ, extendebamus eadem stamina, texebamusqve pannum, non latum, sed pulchrum valdè, colore cæruleô & viridi refulgentem.* 5. *Adolescens verò qvidam adventabat, intertexens aurum & alia pretiosa filamenta, attexensqve lemniscorum instar: sed ita ut sub finem texturæ nihil præter amœnissimam videre esset viriditatem.* 6. *Ut autem detexuimus, ingressus ad nos ædium Dominus dixit:* Venite jam ad mensam! *sequuti ergò sumus:* 7. *Erant verò inter nos qvidam tetrici, facie & moribus inamabiles, de qvibus ego ad mihi proximos* (primùm Germanicè, mox Latinè) Qvàm portentosi sunt isti! *dixi, simulqve evigilavi.* 8. *Et Dominus ad me:* Vidistine opus Servorum meorum, qvod illi operantur in Terra? suntqve mites & mihi morigeri: ad qvos ego subinde viso, & qvod illi agendo peragere neqveunt exorno. 9. Etiam qvòd tu in opere, qvod tibi agendum dedi, perficere nescis, ego complebo: tantùm gere te integrè, unâ cum illis qvibus voluntatem meam exseqvendam manifestas. 10. Cùm autem absolveritis pensum suum qvisqve, exhilarabor ego viriditate finis operarum vestrarum, & jubebo vos ingredi Domum æternitatis, ad mensam meam. 11. Non exclusis etiam qvibusdam illis morosis, emendantibus tamen, consiliumqve & ductum meum, & verbi mei, seqventibus. 12. *Qvibus ego auditis, ineffabili gaudiô perfusus fui, intermiscentibus se suspiriis & lacrymis: egiqve Miseratori meo gratias, cantu & oratione.* 13. *Qvibus finitis, Dominus ad me iterum:* O Betulletum Betulletum mihi charum, fac omnium tibi annuntiatorum notitiam Septentrionalibus! hi autem Occidentalibus, & Cantonibus. 14. Jam eqvidem his innotuit aliqvid: sed Græci ignorant omnia, qvos nolite celare qvid ego fieri velim. 15. Tu eos conjunge & colliga, ut brachiô unô agant opus meum, annuntiatum per te: qvoniam tempora decurrunt, ut significavi antè. 16. *Hæc ubi dixisset Dominus, venit in mentem mihi sermo cum Pastore loci pridie habitus de Socinianis, divinitatem Christi negantibus.* 17. *Respondit autem Dominus:* O insipientia & incredulitas filiorum hominum! Annon acqviescere vos æqvum erat testificationi meæ tam claræ, qvâ me Vobis unum essentiâ, trinum personis, exhibui? 18. Annon clarè dixi, Me in Patre, & Patrem in Me, & Spiritum Sanctum in nobis, qvi sumus

sumus unum, habitare? 19. Qvod clariùs etiam expressit Mariam alloqvens Angelus, cùm dixit: Spiritus S. descendet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideò qvod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei? 20. Ecce tres, qvos nominat Gabriel; Spiritus descendens! Virtus Altissimi! Filius Dei! mysterium Trinitatis plenè detectum. 21. *David autem*: Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam! *Ecce*, Dominus, Domino, de Domino ad dextram. 22. Ventus qvô vult spirat, Vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, & qvô vadat. *Ecce*, Ventus spirat! Vocem audis! Venit & vadit! 23. Ne turbetur Cor Vestrum: creditis in Deum, etiam in Me credite! In domo Patris mei habitationes multæ sunt. Abeo ut Vobis parem locum, rediboqve & vos ad me sumam. *Ecce*, Domus Patris! Habitacula! Veniam & Vos assumam. 24. Et cui dictum est, Filius meus es tu, Ego hodie genui te? *Ecce*, Filius meus! Ego hodie! Genui. 25. Et qvid de se Sapientia loqvitur, Proverbiorum octavo? qvid Jesaias, Conjux tuus erit opifex tuus Jehova! 26. O vanitas obtusæ humanæ rationis, acqviesce tu iis qvæ ego de me revelavi! 27. Terrena vobis loqvutus sum, & non creditis? cœlestia qvomodo credetis? Nempe sic, ut Ratio acqviescat in me. 28. *Et demiratus intra me sum tam amabiles Sermones Domini*: *Dominus autem*, Scribe ista statim à precibus, anteqvam ad Concionem ibis. Uxorem tuam qvoqve restituam, surget post preces (*atqve ita factum fuit.*) 29. Confide mihi, serve mi! ne metue, non te deseram. Fruere pusillô illô qvod superest, benedicam tibi, farinæqve & cado tuo: memento tantùm admonitionis meæ, ut donis meis utaris cum reverentia & gratiarum actione. Surge, scribe. 30. *Ego verò indormivi momentô: & ecce ante me paratam mensam, cum appositis lautis cibis!* 31. *Cùm autem evigilassem, iteravit Dominus omnes sermones suos.* 32. *Ego autem surrexi, cantans Psalmum* 36, *à versu* 6, *ad finem*; *& ista scripsi.*

[Apertè hîc docetur, Sigismundum Racoci, tametsi morosulum, & Deo non satis morigerum, non morte ad pœnam raptum, sed ad reqviem & gaudia vocatum, fuisse. Betulleto tamen Dei (Domui Racocianæ) opus Dei pertexi mandatur, v. 13. Ubi *Cantonum* fit mentio, voce Videnti non intellectâ: interrogatus enim cur vocem illam posuisset, ita fuisse prolatam dixit. Procul dubio intelliguntur Helvetii, qvippe qvos Itali sic appellant. Qvod argumenta pro Trinitate S. attinet (v. 17. &c.) coacta visa sunt qvibusdam Theologis: sed responsio seqvetur infra, ubi objectiones solventur.]

REVEL. XCV. Februarij 11.

[*Visio triplex, non explicata.*]

EXhibita mihi per *Visionem fuerunt*; Primùm Lux inusitati splendoris, *in qva puerulum vidi candidè succinctum.* 2. Deinde Piscatio lacûs cujusdam, *aut Piscinæ, cui superambulabat puer itidem.* 3. Tertiò Cæsar, veste pullâ indutus, *qui à me consilium reqvirebat, qvid sibi faciendum esset? Respondi, Consilium facile est. Sed qvia obambulabant Episcopi, ego hos metuens, abdebam me.*

Et mox conclamatum fuit ad arma, Cæsarqve subitò se subduxit. 4. *Et cogitabam, num aliqva de his informatio ventura esset, orabamqve. Sed Dominus*: Hodie nihil exspecta.

REVEL. XCVI. Febr. 12.

[*Explicatio hesternæ visionis, cum aliis qvibusdam particularibus.*]

SOmnium vidi, & in eo computationes numerorum: ego autem projeci nummos qvosdam improbæ monetæ in mensam. 2. *Inter evigilandum autem, cùm vixdum plenè sensum recepissem, dixit ad me Dominus*: Improbus clangor sermonum humanorum de rebus tibi revelatis invalescit, perturbans dilectum tibi & mihi, Adjunctum. 3. *Cogitabam igitur, Qvæ recens illi submiseram per L. Efronem, num perventura essent ad illum integrè? an verò hic resignaturus esset?* 4. *Et Dominus*: Ne sis solicitus, venient: Effron autem si resignaverit, suô malô faciet: gravabit enim sibi conscientiam, & conciliabit malam famam, castigatioqve mea illum urgebit acriùs, qvàm nunc. 5. Nescit ille cur ego ipsum affigam lecto, ego scio: maximam ille sui & suorum habet curam. 6. Tu mihi confide! perveniet enim ad te qvod promisi, unde pro necessitate sumes. 7. Ostenderam tibi heri fulgorem gloriæ meæ, tu verò expavisti, metu alicujus diabolicæ fascinationis: sed noli id suspicari. 8. Non est ille pater lucis, sed tenebrarum: Angelus fuit meus, qvem tibi aqvis etiam inambulantem ostendi. 9. Vidisti & Cæsarem, consilium exqvirentem: nam evulsi pennas ejus, & evellam brevi. 10. Cogitabit ille adhuc malè vos tractare: sed velox Sagitta veniet auxilio vobis: vos tantùm vigilate & orate! 11. Tu omnia hæc nondum revela omnibus, ad preces eos solùm hortare; ipse autem tibi attende, & renova hodie signum in manu tua, secundùm antehàc tibi factum mandatum. 12. Superattendens Ilaviensis, & Barones Ostrozicii, cum aliis multis multa de potentia Domûs Austriacæ sentiunt: cautè nunc age coram illis, meâ in sinu gaudens gratiâ. 13. *Ego autem decantavi Psalmum* 61. &c.

[v. 10. *Velox sagitta*) Innui videtur, Turcarum & Tartarorum adventus.]

REVEL. XCVII. 15. Febr.

(*Visio Sacrifici blandè se habentis*, 4. *explicata* 5. &c.)

TEmpore antelucano vidi per somnum Vasa aurea fulgida, qvasi ad me spectantia. 2. *Evigilanti autem dixit Dominus*, Attende tibi & rebus tuis! malum enim de te, & vobis, cogitant: sed ego ero protectio vestra. 3. *Egi ergò gratias Creatori meo, orans ardenter misericordiam, etiam foras exiens sub aperta Cæli: (juxta factum mihi antea indicium, exemplô Christi, qvi exire solitus ad orandum Luc.* 6. 12.) 4. *Indormivi autem denuò, & vidi me apud Pastorem Pontificium, opulentum & delicatum: qvi se mihi valdè blandum exhibebat, etiam Concionis à se habendæ ostendens conceptus.* 5. *Ut evigilavi, dixit Dominus*: Vidisti cimmelia & splendorem Sacrifici Idololatræ? Assentabuntur tibi, & præ metu mentientur: sed ne illis fidem habe! 6. *Mihi autem nescio qvomodo cogitare venit,*

An

An interficiendi sint? Interficiantur, *respondit*: At non à te, sed ab alio qvem elegi. Ille irruat: te virum sangvinis esse nolo. 7. Pr. Radivilius cùm videbit qvid faciant Vestri zelô gloriæ meæ; faciet idem cum aliis &c.

[v. 7.) Princeps Radivilius (Janussius) paratus erat Operi, eôqve fine aliqvoties ad Principem Transf. legatione factâ cùm nihil seriò agi, omnia procrastinari videret, non aliud egit qvàm qvod per rerum statum potuit, ad mortem usqve.]

REVEL. XCVIII. Febr. 18.

[*Mysterium Conceptionis Christi*, 1. *Apparatus Convivii*, 3. *Interitus filiorum Meretricis*, 5. *in specie Iesuitarum*, 7. *Terminus incboata Orientalium fæderationis*, 9. *Ædificia Monasteriorum*, 11. *Moravia qvidam proceres extrema ruina obviaturi*, 14. *Hiems transibit*, 20. *Videns jejunare*, & *se majoribus præparare*, *jubetur* 23.]

P*Ridie hujus diei de multis ad me loqvutus fuit Dominus*, etiam de sua in Virginis utero conceptione, qvomodo eam dispensaverit Spiritus S. *Nempe* qvòd inflammatô in ea erga Creatorem suum amore, attraxit velut ignis omnem seminis genitalis vim; ut à partu etiam omni destituta Virgo esset, nec antè nec pòst virum cognoscens. 2. *Postridie autem* (*fuit Dominica Invocavit*) *è somno expergefactus* (*horâ* 2) *tristitiâ* & *horrore plenus*, *multis gemitibus suspirabam*, *revocans in memoriam mihi Salvatoris nostri cum satana pugnam*, *decantansqve Psal. XCI.* 3. *Et mox fui oppressus somnô*: *vidiqve apparatum Convivii pro Ministris Evangelii*, *dilectusqve pater Com. collocabat nos ad accumbendum ordine cum gaudio.* 4. *Evigilavi*, & *Dominus ad me*: Convivium delitiarum mearum, serve mi, jam paratum est Gentibus! Vosqve Mannam Evangelii mei etiam in Patriam rursum inferetis. 5. *Et mox vidi personam qvandam faciei supra modum terribilis*, *ulcerosæ*, *scabræ ac fœdæ*: *qvumqve hæc transisset*, *obvenit alia species Viri moribundi*, *præceps deorsum ruentis*, & *cum illo multi de Papalibus religiosis*, *utriusqve sexus.* 6. *Et Dominus ad me*: Vidistine impuram faciem filiorum Meretricis Babylonicæ, qvam ego jam Nationibus detegere incipio? & qvomodo illa jam ruat in interitum? Sed veni! ostendam tibi Jesuitarum qvoqve exitum. 7. *Veni ergò ad flumen*, *quô illi navigabant*: & *mox procella veniens subvertit unô momentô Navim illam*, *illis hinc inde aut natantibus aut mergentibus*; *Navi etiam resupinatâ seorsim natante.* 8. *Viri autem qvidam*, *ignoti mihi*, *venientes è nubibus percutiebant Virgis ferreis Iesuitas*, *donec submersi essent omnes.* 9. *Hæc visio ut transiit*, *vox Domini facta est ad me*; Exsulta, jam à 23. Januarii, post conclusum consilium, congregari incipient Orientales populi, cum Turcarum natione, mactaturi hostes illos meos, Idololatras, hac in Terra. 10. Zelus & candor Principis Sigis. placebit omnibus, etiam Ostroziciis: de qvibus tu ne dubita, postqvam intellexerint qvid fiat, & cur, redituros ad sese, obviamqve ituros. 11. *Interea mihi veniebat in mentem*: *qvid futurum esset tot Monasteriis* & *Collegiis*, *etiam recèns fundatis* & *splendidè structis*, *an qvoqve vastanda essent?* 12. *Et Dominus*: Omnia istorum latibula exsecrationi devovi, tantùm qvæ ad cibum & potum sunt, desumantur inde, cum thesauris: Ædificia

ficia solo æqventur, nihil parcendo neqve cunctando. 13. *Ego verò respexi ad fenestram, num lucesceret visurus: & nondum animadversâ luce, oravi ut indormire adhuc possem, simulqve somno mersus fui.* 14. *A qvo expergefacto dixit Dominus*: Adventant Sagittæ meæ, obituritæ vestram qvoqve Terram (*sc. Moraviam.*) 15. *Ego autem cogitavi, An ibi aliqvis esset, qvi intelligendo qvid fiat qværat faciem DEI: Dominus autem respondit*, Erunt. 16. Nam Comes de Salm & Kaunitz reqvirent à Comite Hoditzio consilium: qvi qvid fiat, & cur, illis explicato, commovebit eò, ut ad se reversi veniant in occursum hastis & sagittis nationis Turcicæ. 17. Dominum Bilsky consolare: illum cum reliqvis rediturum ad hæreditatem suam. 18. Tu qvoqve ipse bono sis animo, & confide mihi & protectioni meæ: exhilataberis, cùm ego reduxero te cum aliis in Patriam. Revocabunt enim Vos, sicuti ante tibi sum loqvutus: surge & hæc scribe! 19. *Et fuit dies, dèqve montibus ruens unda edebat sonitum: Ventus enim pluviosus commoverat nives.* 20. *Ubi rursum ad me Dominus*: Transibit hiems, ut Terra gramen germinet pro Exercitu meo, qvi colligitur ab Oriente & Septentrione. 21. Atqve ubi hæc evenerint, amabunt te Gentes: qvin & illi, qvi causa fuerunt extendendæ in te disciplinæ ut suspendereris ab officio. 22. Qvod tu patienter ferendo places mihi: eoqve alium tibi laborem injunxi, mihi aliisqve gratum. 23. Cras cibo abstine, jejunio tibi indicto: & revelabo tibi qvædam in futurum necessaria. *Ego autem collaudavi Dominum, Ps.* 117.

[Ad v. 10.) Jam diem suum obierat Sigismundus Racoci, & tamen adhuc occultat à Vidente Dominus: imò tanqvam de vivo, & res acturo, loqvitur. Qvid hìc dicemus? An jocari, aut ludere, Deo convenit? Respondet qvidem ad hæc vox oraculi Rev. CII. 3. & CIV. 7: sed satisne facit scrupulosis conscientiis? Orandus est Deus ut eos bono suo regat spiritu.]

REVEL. XCIX. 19. Febr.

[*Satan obstat consiliis filiorum Racocii*, 5. *Reformationis, Nationum ordo, à Iudais*, 6. *Turcis* 8. *Anabapt.* 10. *Initium tamen ab Idololatria amovenda*, 12. *Palatinus Rheni*, 14, 17. Austriacæ Dominationis terminus (380 annorum) *decurrit*, 15. Reformatio Ministerii Sacri per universum Orbem, 18. Scholarum, 23. Statûs Politici, 24. Et de Scholis iterum 33. *Reformatio hac è Scripturis ostensa*, 39. 40.]

I*Nter animi anxitudinem, exeundumqve ad preces, petebam mihi somnum: & Dominus ad me*, Obdormi dilecte mi! *obdormiviqve statim.* 2. *Et vidi me in Patria eluvione circumdatum horrendâ, in Hungariaqve ab Hodossio pericula passum: ut pavidus evigilarem, qvidqve illud portenderet cogitarem.* 3. *Sed Dominus ad me*: Nihil time, priora tua pericula tibi repræsentavi. Effuderat enim satan in te torrentem inimicorum tuorum, domesticorum & alienorum: sed Angeli mei protegebant te. 4. *Egi ergò gratias Domino. Et Ille rursum*: Meministine dixisse me heri, ut jejunares? diem hunc fore meum & tuum colloqvii nostri? 5. Scias autem, hodie satanam effudisse turbidam aqvam consiliorum contrariorum Filiis Racoci, ut omnia redigantur in nihilum: sed ego illos roborabo

rabo. 6. Nam tempus venit innovandi faciem totius Terræ, apud omnes Orbis incolas, initiô factô à gente Judaica. 7. Qvibus volo per omnes Nationes, qvâ eos dispersi, fabulosos illorum eripi atqve comburi Libros: ipsos autem ab Evangelii mei Ministris informari ad Fidem DEI veram, precesqve in spiritu & veritate peragendas, & ad Ordinem Ecclesiæ: pervicaces autem tolli volo penitùs. 8. Turcarum Nationi provideatur, ut libros Legis meæ, Preces, Cantica, Ordinisqve Ecclesiastici rationem, suâ lingvâ descripta habeant: sicut & antea dixi, ut id sibi Adjunctus curæ esse velit. 9. Nam qvi ad pugnandum venient contra Babylonem, in talia inqvirent: qvibus Princeps interdicat Christianorum in captivitatem abductione, dum stipendiis conducti erunt. 10. Anabaptistæ bonorum communionem retinere possunt: sed ita, ut se à Corpore Ecclesiæ ne separent, cœtus freqventent, Ordinarios juxta ritum Apostolicæ successionis Pastores audiant, totiqve Ecclesiastico Ministerio communicent. 11 Qvod ut fiat, Magistratus cujusqve loci invigilabit: qvia jam inter omnes mihi servientes unanimitatē esse volo in Cultu, qvi mihi DEO vivo præstatur, uno corde: Sectas & dissidia non feram ampliùs in ulla Orbis gente. 12. Initium Reformationis meæ fiat in Idololatris, ministris Meretricis: qvi ut antè dixi, atqve etiamnum dico, mactentur sine misericordia indiscriminatim, omnes refractarii: Nolo enim ullam relinqvi radicem Papalis doctrinæ, ulla in Gente. 13. Qvod si erunt qvi metu mortis promittant errores deserere, veritatemqve suscipere (erunt autem qvi promittent terrore adacti, mentientes etiam): fidem faciant vitæ amittendæ pignore, qvòd priores in vias neqve redire ipsi, neqve reducere alios velint. 14. Palatinus Rheni (qvem in specie Bovis cum aureo cornu in pratum redeuntis exhibueram Kottero) parum acceptus est in Germania sua: is postqvam intellexerit qvid vester faciat conjunget se illi, simulqve oppugnabunt Domum Austriacam. 15. Cujus dominationis terminus, annorum 380, jam exit: sicut Anno 1643. per numerum 70. tibi ostenderam, & qvòd adhuc essem prolaturus, indicâram. 16. Qvoniam ergò secundùm calculum humanum Domus A. annis jam 379. stetit: vides qvàm breve jam dominationis ejus tempus restet? 17. Subversâ autem Domô illâ, unus è Domo Friderici constituetur in Regem Imperii, at non Romani: qvod non citra sangvinis profusionem fiet, Anglis & Hollandis illum adjutantibus. 18. Volo autem, ut post eversam Bestiam, per omnes Terras & Provincias constituatur ORDO ECCLESIÆ. 19. Ministri Evangelii mei unum sint, Doctrinâ, Vitâ, ritibusqve Disciplinæ, ad formam Ecclesiæ Vestræ. 20. Episcopi & Pastores habentes conjuges, sed non Dominia mundana cum reditibus, more Papæ & Papanorum; sed ritu Levitarum in Vet. Test. qvibus decimas & oblationes ordinaveram. 21. Ita nunc etiam fiat, ad honestam in qvavis Ecclesia unius Pastoris sustentationem: qvi sorte suâ contentus nundinationibus ex administrando Baptismo, Neogamorum Copulationibus, Funerationibus, aliisq; sacris functionibus, in universum abstineat. 22. Odio id habui semper, ejeciqve è Templo vendentes & ementes, qvia Domum meam Domum precationis esse volo, non mercaturæ. 23. Schola cuivis Ecclesiæ adjuncta sit una, ubi Juventus expoliatur Literis, Moribus, Pietatisqve exercitiis: potiùs qvàm Philosophiæ & sapientiæ mundanæ, qvæ stultitia est

apud me & cultores meos, rectos ac simplices, in hoc & futuro seculo. 24. Habetis vos Ordinis Ecclesiastici constitutas leges, in qvas reducantur diligentes Nomen meum, etiam Reges, Principes, & Dominatus. 25. A qvibus reqviro, ut meo constituti loco gerant se juxta meam Legem, exemploqve pietatis præeant, sacros Cœtus cum Conjugibus & liberis, familiaqve sua, publicè freqventent: non autem privatim duntaxat cultu meo defungantur. 26. Qvo subditi, spectantes Regem, Principem, Præsidesqve suos, Cultui meo vacare, & Verbo meo attendere, ipsi qvoqve tantò magis in zelum exardescant. 27. Sic David suis præibat, sic in Ecclesia primitiva Theodosius, & alii: qvo tempore Sacerdotes erant aurei, & Calices lignei, beneqve stabat Ecclesia. 28. Potestates item seculares ne ampliùs talibus pressuris exhauriant viduas & pupillos, subditos suos: sed libertatem præstent & securitatem omnibus, ut qvisqve sibi victum qværat honestè. 29. Constitui ego Magistratibus vectigalia, aliosqve reditus, exactiones pro subitu non constitui: deprædationes istæ sunt pauperum. 30. Habeat suam Rex ab Incolis Terræ sustentationem, pro Se & Aula sua, ad tuendum Regalem statum suum. 31. Exercitu si opus est, non Rex sed Regnum, è contributionibus suis conscribat, fidelibus constitutis Qvæstoribus: qvicqvid autem supererit, in Regni usus necessitatesqve publicas seponatur. 32. Judices Terræ non secundùm munera jus administrent, sed secundùm justitiam: ita Mundus benè stabit ad voluntatem meam, cum amplicatione honoris mei, gloriæqve meæ, eritqve *Pax in Terra*. 33. In omnibus verò his exemplô præeant Ecclesiastici, cum Scholis: qvas ubiqve volo aperiri ad exercitia publica, etiam in artibus Eqvestribus ac Heroicis. 34. Ut ad exteros missitatione nullâ posthac sit opus, per qvas nuperis annis tot corruptelæ ac noxæ invectæ sunt terris Christianis, vestræ etiam. 35. Tu dilecte mi, exseqvere mandata mea: ego te non derelinqvam, qvemadmodum tibi me jurejurando obstrinxi, supposità sinistræ axillæ manu meâ. 36. Labora in rebus tibi concreditis: & para te excipiendis illis, qvæ ad te venient brevi. 37. Atqve ista sunt, qvæ tibi nota fieri volui hodie! Surge & hæc scribe! *Ego autem rogavi ea mihi iterari.* 38. *Iteravit ergò Dominus omnia, & dixit*; Scribe, nihil excidet: 39. Ostendamqve tibi hodie, qvum aperueris Prophetas, singulare qvid, simile his qvæ loqvutus sum hodie. 40. *Factum autem est cùm aperuissem Librum, ut mihi se legendum offerret Iesaiæ Caput 62. Hallelujah.*

[v. 14) Ex Domo Palatina, Germaniæ suæ minùs accepta, prodire debuit qvi Racocianæ Domui junctus mira patraret. Qvod qvid esset non intelleximus, nisi qvòd Anno 1657. Georgius Racoci Carolo Gustavo Palatino (Regi Sveciæ facto) in Polonia exercitu junctus complementum his dare videretur. Verùm qvia conjunctio hæc invito Deo facta (ut postea patebit) alius horum sensus ab eventu expectandus erit. v. 15. (Vide Revel. XII. v. 2, 3. 4. V. 16) Dominationis Austriacæ terminus, 380. annorum, si à Rudolphi Habspurgici ad Imperialem dignitatem evectione (qvæ anno 1273. facta est) incipit, decurrit necessariô annô 1653. V. 35.) Vide Revelationem XXII. v. 3.]

REVEL. C. Februarii 21.

[*Visio miranda Cæsaris*, 3. (*Sigismundi mors tectè detecta*, 14. 15.) *Explicatio Visionis mira*, 16. *Duo qvidam Potentes concordiâ ligandi*, 22. *Iosua & Caleb*, 27. *Armiger* DEI *dandus Exercitui Orientali Dux*, 30. *Racociana Domûs futura gloria*, 31. *Dolor bestium*, 32. *Gaudium Ecclesiæ ineffabile cantu repræsentatur*, 35.]

A*Noctis medio horâ tertiâ lucta mihi fuit cum inimico tentatore; cui resistens orationibus, obdormivi.* 2. *Et mox me vidi cum aliqvot Fratribus (qvorum qvidam apud Dominum jam sunt, ut* Paulus Hladik) *in ampla qvadam Domo, cujus splendidum Palatium ego lustrando amisi ex oculis Fratres meos.* 3. *Et mox eodem adventabant ministri Aulæ Cæsareæ comitatu magno: cumqve ego pallium qværerem meum, ad me honestè amiciendum, oblatum est aliud.* 4. *Imperator verò ingressus consedit, manu tenens gladium ingentem, utrinqve acutum, fulgideqve coruscantem: qvem versando spectabat, delectatus eo.* 5. *Sed & mihi in manu conspexi gladiolum brevem, nonnihil latum, sed non æqvè elegantem & fulgidum: alloqviôqve suo me dignatus Cæsar fuit admodùm affabili, qvod adstantes mirati, eâqve re delectati sunt.* 6. *Mox ornabatur mensa: ego autem, metu nè fortè invitarer, subduxi me foras.* 7. *Sed in ipsa janua obvius mihi juvenis offendit ad me, effuditqve edulii qvod ferebat jusculum, increpans me qvòd incautè ivissem, referensqve qvàm magni constiterit hoc ferculum: de qvo edimus uterqve, & ecce saporis erat inusitatæ svavitatis.* 8. *Interea Cæsar egrediebatur, amictus palliô binô: qvi manu mea prehensâ, gratiam promittebat & benevolentiam multam.* 9. *Cui ego* DEUS tibi reddat omnia bona! DEUS est qvi dejicit superbos & exaltat humiles. 10. *Ille votum accipiens gratè, dextram obtulit multa pollicitans: ego verò in genua provolutus manus ejus osculabar.* 11. *Et ille digrediens memoriale signum, qvod manu tenebat, mihi ostendit, non oblitum se promissorum, ne sollicitus essem.* 12. *Ibat verò nobis à latere juvenis Armiger, formosa facie, attentè omnia excipiens qvæ inter nos dicta fuerunt.* 13. *Et ego à Cæsare digressus, gratias egi* DEO, *qvi mihi gratiam invenire dedisset in oculis ejus: simulqve evigilavi, & de Romanorum Imperatore cogitare cœpi, qvòd eum facie non nossem.* 14. *Et Dominus ad me:* Me vidisti, non Cæsarem: *Ego autem intra me;* Qvem igitur? Sigismundum recogitans. 15. *Et mox spiritus exiit ore meo, cum gemitu tristissimo.* 16. *Dominus verò ad me:* Qviesce immotus, tace, ostendam tibi qvid videris. 17. *Et mox:* Ego in Imperatoris persona tibi apparui: qvia mihi data est omnis potestas in Cœlo & in Terra. 18. Et habeo GLADIUM magnum & fortem, splendoris validi, VERBUM MEUM utrinqve acutum: qvô & illumino, & defendo, me nomenqve meum, cultoresqve meos. 19. Habuisti & tu Gladiolum, meô minorem: qvi sunt sensus & sermones hominum Spiritum meum habentium, interpretationesqve Scripturarum, & Constitutiones Ecclesiasticas bonas, afferentium. 20. Sed qvæ non respondent virtute Gladio oris mei, qvanqvam & illa suam habeant authoritatem; pondere tamen, & virtute, ac robore, non æqvantur Verbis meis, qvæ & olim loqvutus sum, & adhuc loqvor, Mundo. 21. Dapes qvas vidisti, sunt dona Spiritûs

 mei,

mei, de qvibus tibi etiam impertivi. 22. *His dictis conticuit, & mox iterum;* Ne te move, qvietè cuba! *Et adduxit me ad personas duas, qvas puto fuisse Filios Racoci, ubi & Adjunctus mihi præsens erat.* 23. *Et Dominus ad me:* Vidistiné in manu mea memoriale, symbolum dilectionis inter me & te, seræ instar? 24. Obsera tu hos qvoqve duos, tibi & Adjuncto tibi charos, Servos meos (qvorum alter Germanico erat habitu) dilectione, unanimitate, fideqve mutuâ. 25 Nam per hos glorificabor in Nationibus Terræ, & effundam super eos, eorumqve posteros in facie Terræ, oleum benedictionis meæ: dum illi mecum erunt unum cor, in exseqvendo opere meo, qvod per illos agi volo. 26. Et murus meus igneus proteget eos ab hostibus: & non prævalebunt manui meæ ullæ machinæ adversus eos excogitatæ. 27. Vos autem duo dilecti mihi, sed & illis dilecti, eritis à latere ipsorum ut Josue & Caleb, orantes pro illis, & con silia subministrantes in opere meo. 28. Nam Josua & Caleb expugnârunt Reges multos; expugnabunt & hi, neqve consistet à conspectu eorum qvisqvam resistere volens. 29. Tu Adjuncto tibi, vasi meo electo dic, ut festinet absolvere labores suos Pataki! Illum enim & Te abesse à se nolent isti electi mei: qvia Ille os tuum erit ad eos, aliosqve. 30. Vidistinè etiam Juvenem illum robustum armatum, me ut Cæsarem comitantem? Angelus meus est, qvem Vobis & Exercitui vestro dabo Ducem, & cujus præsentia territabit hostes vestros. 31. Magnô amore flagrabunt in Domum Racocianam longinqvæ Nationes, firmabuntqve gloriam Regni ejus. 32. *Inter hæc obortus fuit in præcordiis meis dolor qvidam, qvod ab immoto illo decubitu venire suspicabar.* 33. *Cùm tamen qvid doloris esset cogitarem, respondit Dominus dicens:* Graves dolores invadent hostes vestros, in hac & aliis Terris, etiam patria vestra: sanationemqve meam & vestram implorabunt. 34. Vos residebitis in terra Patrum Vestrorum: sed pòstqvam peracta erunt hac in Terra omnia, de qvibus loqvutum est os meum. 35. Ineffabile orietur gaudium per Orbis Nationes super hoc Opus meum: & vos celebrabitis Nomen meum, cantantes; Demitte Domine dona Spiritûs tui effusè &c. (*Hymnus est Ecclesiasticus, de Spiritu Sancto; qvem Dominus ipse intonuit, ego autem decantavi usqve ad* Gloria Patri & Filio, *&c.*) 36. *Absolutâ illâ cantatione dixit ad me Dominus:* Hæc illa sunt, qvæ tibi sub imagine Cæsaris ostendere volui! Surge & ea scribe! 37. *Ego autem cogitabam, vix me omnia meminisse: sed Dominus,* Et cordi, & menti, & memoriæ tuæ insculpsi hæc. Surge tamen, statimqve scribe. 38. *Cumqve porro in mentem veniret, Cur mihi mortuum ostendisset Hladikium, respondit Dominus:* Scis qvàm ille honorificè de rebus tibi revelatis senserit, téqve in morbo jam constitutus, ut fidelis esses mihi, hortatus sit. 39. Acceptum id erat mihi, eôqve illum ad me assumsi (*qvartâ post factam illam exhortationem die,*) 40. *Surrexi igitur statim de nocte, & scripsi, lacrymis hæc irrigans: præsertim cùm scriberem hymnum illum, qvem intonuerat Dominus ipse. Hallelujah, Amen, Hallelujah.*

[v. 22. & 24.] Describuntur hîc duo Heroes, nomine Dei pessum daturi hostes Ecclesiæ: qvos primùm sibi exhibitos fatetur Videns putasse filios esse Racocii, Georgium & Sigismundum. Verùm qvia Sigismundus jam in vivis esse desierat (qvod ignorabat adhuc Videns) & alterum fuisse vestitu Germanicô testatur v. 24. palàm est illum opinione suâ

hic

hic fuisse falsum. Annon & nos, post septenium deinde, cùm Georgius Racoci Carolo Gustavo Palatino, Sveciæ Regi, fœdere junctus in Polonia eidem vires & copias, adeoqve seipsum, junxisset? Planè persvasi fuimus illos ipsos esse Josuam & Calebum electos Dei, hâc Revelatione Videnti exhibitos, confirmati etiam Revelatione CCCIII. v. 11. ubi expressè nominantur. Qvid ergò jam dicemus? An conditionatam fuisse promissionem; (ut innuitur v. 25.) vel potius expectandam adhuc veram impletionem à successoribus eorum? Vide infra Rev. DLXIX. v. 7.

REVEL. CI. Eadem die.

[*Mortalitatis nostræ imperfectio*, 2. &c. *Pro Racociis orandum, illisqve voluntas* DEI *revelanda*, 6. *prouti jam detecta est clarissimè*, 7, 8. *in Orbis universi usum*, 9. *Res occulta*, 10. *Jejunium*, 12.]

HIs *in hypocausto descriptis, redii in Cubiculum, reposui me, & inter suspiria ad DEUM obdormivi.* 2. *Moxqve me in Domo perampla vidi, ubi mensa parata fuit instructa dapibus; accumbentesqve viri honestissimi exspectabant me.* 3. *Sed accedere cupiens, non poteram: qvia catarrhus qvidam occupaverat pectus meum, qvem ejicere prius volens tam violenter screabam, ut somnô excitarer.* 4. *Ubi Dominus ad me*: Mensa mea parata est, pro te & aliis servis meis. 5. Sed qvam tu accedere nondum potes, propter impuritates peccati, & nondum peractum opus qvod tibi cum aliis peragendum adhuc in Terra est: Ubi peregeris, donabo te perfectione. 6. Interim tu ama Betulletum meum, Domum Racoci, & pro illis ora, revelans illis voluntatem meam, qvam revelo tibi. 7. Nam ab Apostolorum meorum excessu cum nemine tam delitiatus sum, nec ita loqvutus cuiqvam ut tibi, dilecte mi. 8. Paulo meo pauca detexi arcana, nec illa aliter qvàm sub parabolis (*qvia non fuit tempus:*) tibi apertè omnia. 9. Mirantur, & mirabuntur filii hominum sapientiam meam, & ea qvæ revelo per te: modò ne cunctemini hæc nota facere Orbi Universo. 10. *Atqve hic dispositionem simul Dominus fecit de re qvapiam occulta, partim jam detecta, plenius autem brevi detegenda.* 11. *Cui cùm inhærere cogitatione vellem, dixit*: Mitte nunc ista, ne animô effluant ea de qvibus loqvor modò: debilem habes memoriam. 12. Scio te lassum, hodie itaqve non jejunabis, sed postridie: *qvod feci, eâqve ipsa die* (23. *Febr.*) *ab Adjuncto mihi* de morbo & morte Sigismundi *tristes accepi*.

[v. 10, *de re occulta*) nempe Thesauro illo inveniendo, de qvo Rev. LXXVIII. v. 15. Annot. Interponenda verò hîc est mortis Sigismundi (ob qvam omnia turbata videbantur) historia. Peractis Henrittæ exseqviis (in Decembri) festinabat tristis viduus in Transylvaniam, hiematurus in arce sua Fogarasch, ignarus fati sui se ibidem expectantis. Mox enim febris malignæ morbô correptus 4. Febr. die exstinctus fuit. Qvod qvia nec prædictum adeò, nec exspectatum fuit, novus offensionis lapis fuit factum. Præsertim cùm Drabicius novas suas nobis submittens Revelationes, tanqvam de vivente adhuc sermocinaretur, qvem nos non vivere jam certi eramus. Hinc amicorum rei conscìorum unus (Joh. Tolnai) ad me: *Ludificamur qvàm verè vivit Deus*. Ad qvod nihil qvod responderem habens, obmutui. Enimverò nunc mihi, & aliis

& aliis cuivis ordine ista relegenti, Sapientiæ Dei vestigia manifestè sese ostentant, & *ut aliqvando Deus consilia sua celando non celet, aut non celando celet (hoc est ita revelet ut non capiamus illicò, postea demum tantò svavius)* produnt. Qvod ita esse, sapientiamqve Dei propterea sic variè nobiscum ludere, & lusisse hac etiam in re, hæc ostendunt. Et primò eqvidem, qvòd hic Sigismundi tristis, ac veluti tragicus exitus, jam anno præterito (24. Sept.) Drabicio præfiguratus fuit, Rev. LXIV. *Non ergò qvòd casum hunc nesciret Deus, ideò nihil hìc ad Drabicium de eo; sed qvia eum (& nos) ad tempus nescire voluit.* Nec tamen prorsus dissimulavit, indicans illam Sigismundi mortem obliqvè septem modis. 1. *Qvòd Videntem ipsum ad portas usqve mortis deduxit, & ceu mortuum videri, fecit* (Rev. LXXXVI. 22, 23, 24.) 2. Qvòd mandans eum conveniri, dixit: *Invenies eum in Domo patris sui*: Domus enim patris sui sepulchrum jam fuit. (Confer Rev. LXXXVII. v. 5. & CIV. 10, 11.) 3. *Qvòd illum habitu lugubri ei ostendit*, Rev. LXXXVIII. v. 4. 4. *Qvòd monuerit ne in omnia inqvireret arcana*: scire se qvid illum & alios scire aut ignorare expediat (Rev. LXXXIX. 2, 3.) 5. Qvòd illi *famulum Sigismundi, pileum lugubrem sub axilla gestantem ostendit* (Rev. XCI. 7.) 6. Qvòd *ipsô Sigismundo emortuali die* suam in dispensandis inter operarios suos pensis, evocandisqve ad reqviem aliis post alios circumspectionem singulari visione exhibuit (Rev. XCIV. v. 1. ad 12.) 7. Tandem, *qvòd Sigismundi exaltationem recogitanti spiritum exiri fecit ore, cum gemitu tristissimo* (Rev. C. v. 14, 15.) Qvæ non obscura utiqve (morituri, morientis, mortuiqve Sigismundi) indicia fuêre, à Vidente tamen & nobis non intellecta. (Accedit qvòd nunc demum observo *novumqve* non ignorati hujus eventûs argumentum esto) *qvòd per illud ipsum tempus non jam de solo Sigismundo, sed de Filiis Racocii, loqvi cœpit: quasi pro uno viro starent, ut qvod alter incboavit (velle obseqvi Deo) alter absolvere posset.* Rev. LXIV. v. 1. & 7. Rev. LXVI. 3, 12, 13, 14. Rev. LXIX. 2. Rev. LXXVIII. 7. Rev. LXXXVIII. 6. &c. Rev. XC. 5. Rev. XCIII. 5. & Rev. XCIX. 5.]

REVEL. CII. 24. Febr.

[*Sigismundi mors cur Videnti non detecta*, 1. & *cur immissa*, 6. *Pecunia Cæsari data*, 9. Princeps Georgius fratris successor: cujus filius primò in Transylvaniæ Principem eligendus, 11.]

QVum *ob Pr. Sigismundi mortem mœrore & animi tædiô insomnem agerem noctem, miratus cur Dominus non indicasset mihi, nisi tectè (per Visionem duorum puerorum, ipsiusqve Sigism. lugubriter induti, & famuli ejus sine pileo) optavi mihi somnum.* 2. *Venit, cum somnio qvodam, sed qvale fuerit non recordor, adeô turbatô animô excussa fuerunt omnia.* 3. *Dominus autem ad me*: Eccur tu adeò turbaris, qvòd Sigismundum evocârim, nec indicârim tibi? nescis qvid Paulus servus meus dixerit de me? Qvis cognovit mentem Domini? aut qvis illi à consiliis fuit? 4. Non cogitas, aliâs qvoqve me idem egisse dilectis meis, non omnia illis simul revelando? sicut non indicaveram Elisæo mortem pueri. 5. Potiùs tu digitum pone super os tuum, ut & cæteri. 6. Nam revoluta jam erit moles ab ostio, qvæ obstruebat Fratri qvoqve suo januam, ne faceret ille etiam qvod volui ego: obsistens consiliis suis, ne se jungeret Cosacis. 7. Qvod si fuisset factum, non tantum sangvinis in Cosacorum terra fuisset fusum, nec tanta illis vastatio inducta. 8. In Polonia qvoqve mutatio jam fuisset facta, & debilitatæ

tatæ vires hostium eorum: per Illum autem, & Matrem, stetit, ne fieret. 9. Tantam vim pecuniæ dederunt Cæsari, suô damnô: in æternum nihil recepturi, nisi vi. 10. Sed & illud pretium sangvinis fuit: ego autem lætor administratione justitiæ meæ. 11. Frater illius exire necesse habebit sui locô: sed priùs eligatur filius ejus in Transylvaniæ Principem, 12. Cui obviam ibis qvum egredietur: interea hæc nota facies Adjuncto tibi.

[v. 6, 7, 8. NB.) Æstate præteritâ (anni 1651) susceperant expeditionem in Polonos Cosaci: adjuti qvidem Tartarorum armis, sed & Transylvanum (ut sibi à Polonis injustè oppressis auxilio esset) precibus solicitaverant. Qvod fecisset fortasse, nisi Frater & Mater nuptiis tunc occupati obstitissent. Cosaci ergò prælió superati, & à Tartaris deserti, ab inseqventibus se Polonis miserabiliter vastati; Evangelici verò per Poloniam ipsam tantò licentiosiùs divexati, fuerant. Cujus culpa hîc Sigismundo tribuitur: amovendum itaqve fuisse. Mira hæc! (*judicia tua Domine abyssus*, Psal. 36. 7.) magis autem qvod seqvitur v. 11, notabile admodum. Principem Georgium fuisse Sigismundi locô proditurum, præostensum fuit Videnti integris qvinqve mensibus antè, Rev. LXIV, v, 3. &c. sed filium ejus in Transylvaniæ Principem eligi, non illius fuit arbitrii, sed Ordinum. Hinc Revelatione hâc (CII.) à Drabicio ad nos missâ, & à nobis lectâ, conscius amicus, Tolnai, ad me conversus *Nova ludificatio*, inqvit. *Non est Principis Regno hæredem dare, Ordines à Principis morte qvem volunt eligunt.* Respondi. *Atqvi ipse modernus Princeps vivô patre electus est.* Ille: sed fuit ætate statâ, uxoratus, regiminis câpax, Patre itaqve ad bellum proficiscente. *Regni habenæ illi commissæ. At hujus filius puer est, annorum octo: ut illi fasces committantur impetratu impossibile est.* Ita ille. Ecce autem vix aliqvot elapsis diebus *rumor Transylvaniâ advolat, primùm de Principis (ex mœrore ob fratris obitum) morbo, convocatisqve Regni Comitiis; mox de Filii electione.* Ordines enim Principis sui morbum sic ingravescere, ut vitæ non superesset spes, videntes, & à Principis morte extremam rerum suarum confusionem metuentes, *ad inauditum delapsi sunt consilium, ut agonizante Principe filium ejus unicum Franciscum* (*octennem tunc*) *eligerent Successorem, Gubernatore illi* (ad completam usqve ætatem) *dato Magnifico Ianossio Kemenio, rei militaris Præfecto Generali*, Sed eâ lege, ut si fortè Franciscus, per qvoscunqve seductus, Religionem mutaret, electio hæc irrita fieret, Ordinibusqve aliter sibi consulendi plena libertas esset. Rata habetur unanimi omnium consensu electio, ordinaturqve ad Ottomannicam Portam, pro impetrando assensu & investitura, legatio. Hôc peractô, restituit Deus Principem vitæ ac valetudini: qvi qvartô post hæc acta die sibi redditus, & de illis qvæ facta essent edoctus, sublatis in Cælos manibus Deum laudavit. Apertè contestatus, plus sibi Ordinum illam pietati junctam placere prudentiam, qvòd annexâ conditione Filii in fide constantiæ cavissent, qvàm qvòd eum Principem creassent. Ivitqve interim legatio Constantinopolim, & impetravit ut Legatus Turcicus veniret, Veste, Gladiô, Vexillôqve allatis solemnissimè Principem novum inauguraret. Sic *Fata viam inveniunt, Deusqve alios qvod jubet ipse facit.* Cujus rei certitudo cùm ex Transylvania, in superiorem Hungariam afferretur, non potuimus non obstupescere nos, qvi sic hæc Videnti (in Hungaria inferiore, centum ferè Germanicis ab Alba Julia milliaribus, agenti) ostensa fuisse, atqve ut sic fieret mandatum, conscii fuimus. *Magnus Dominus noster, & sapientiæ ejus non est numerus?* Psal. 147. 5. Hanc ego historiolam narrare hîc volui, ut Providentiæ vis patescat: nosqve de illius effatis, & dehinc occultis plerumqve ad fines suos viis, circumspectiùs judicare, humiliterqve semper à spe misericordiæ pendere, discamus.]

RE-

REVEL. CIII. 27. Febr.

[Opus DEI procedet, 2, 3. Dispositio Sigismundi, 4. Promissio DEI ritu humanô firmatâ, 6.]

ACceperam 26. Febr. *mandatum de jejunando eâ die, qvod animô libenti feci, 2. Seqventi ergò mane factum est ad me Verbum Domini:* Solatio erit dilecto meo, Adjuncto tuo, aliisqve ad qvos veniet, de morte Sigismundi declaratio mea. 3. Nihil enim impedit opus meum, nec impediet, obitus ejus.: Consilium meum procedet hac in Terra. 4. Fecit ille dispositionem de re tibi nota, ut exsolvatur promissum: tu autem facies qvod promisisti, partem inde distribues pauperibus, ut pro te orent. 5. *Ego verò in laudem veracitatis DEI qvædam ex hymno Ecclesiastico cecini. 6. Atqve ut desii, Dominus ad me:* Ne metue tu, serve mi! porrectâqve mihi manu lævâ, dextrâ me amplexus est. 7. *Unde mihi ingens gaudium, egoqve adorans manum ejus osculatus sum. 8 Rursus autem Dominus:* Adibis cras Florianam, ægrotat enim [*nobilis Matrona fuit, vidua, exul*]: & dices, ut bona pauperibus leget in sui memoriam, & retributionem meam. 9. Tu verò nuper, die jejunii, nihil eleemosynæ dedisti cuiqvam: emenda hodie!

[v. 4. Vide Rev. XXV, Annot: & infrà, CVI. 7. v. 9.) Eleemosynam à pauperrimo etiam reqvirit Deus.] Memorabile.]

REVEL. CIV. 4. Martii.

[Diluvii torrens rapidus, 1. celeritatem Expeditionis bellicæ Principis præfigurans, 3. Scrupulus de morte Sigismundi adhuc hærens eximitur, 7. &c. (NB) Cui hac nondum revelanda, 23.]

PLuebat noctè totâ, *venitqve de Montibus torrens aqvarum ingens: ut cogitarem annon domuncula mea noxam passura sit, sicut Anno* 1644. 2. *Et factum est Verbum Domini ad me, dicens.* Qvis hominum excitavit eluviem hanc? Nemo præter me Jehovam, qvi caliginosas educo nubes. 3. Et qvi nunc jam diluvium colligo Exercituum meorum, ab Oriente & Septentrione, ut inopinatò veniant, sicuti præsens hæc inundatio venit: Exi foras, & specta illam! 4. *Exivi igitur, & fuit magna, rapidè fluens. 5. Ut me autem in lectum reposui, protectionemqve à Domino petii, respondit:* Torrens Exercituum mearum ibit per Terram hanc, ut inopinatò veniant ad Posonium: unde hostes meos terror invadet, nescientes qvid fiat. 6. Expavefactiqve consilium qværent, nec invenient: mei autem Viennam inde petent. 7. Tibi adhuc scrupulus hæret, cur ego Sigismundum evocaverim, tibiqve post obitum etiam de illo (qvasi vivo) loqvutus fuerim: sed non est qvod mireris, ad hunc diem distuli super ea re informationem dare tibi. 8. Scias igitur, vobis illum esse mortuum, sed mihi vivere: de illo itaqve vivo aut mortuo loqvi mihi perinde est, vobis non item. 9. Etiam ideo loqvutus sum, ut pateret, fratri etiam ejus, te illum dilexisse, & in corde ac memoria coram me habuisse. 10. Qvod ego tamen non respectavi: qvando terminus meus ab æterno illi positus venit, aggregavi eum Patri suo, sicuti dixerā tibi, te illum reper-

reperturum in Domo non Fratris sed Patris sui. 11. Qvod non intellexisti, nec intelligunt alii filii hominum altitudinem judiciorum & consiliorum meorum: sicuti nec Angeli ipsi, nisi qvantum illis, qvid cum hoc vel illo agendum proponam, revelo. 12. Nam æternitas consiliorum meorum meâ voluntate abscondita est, & abscondita manebit, in æterna secula. 13. Temerè mecum egerunt Pater & Filius; temerè itaqve rursum egi cum illis, ut tertius ad se redeat. 14. Non frustra enim tibi ostendi Tabulam, & inscriptum illi nomen, GEORGIUS RACOCI. 15. Qviesce igitur! Ego qvod orsus sum perficiam, etiam sine illo. 16. Scandalizetur qvisqvis vult, qvomodocunqve vult: tu id solatio habe, qvòd à me audieris & scripseris, non ab hominum aliqvo tibi æqvali. 17. Estne verò qvi Figulum incuset, si vas suum conqvasset? aut estnè qvisqvam, qvi fracta testas colligat, vásqve ad eam formam qvâ priùs fuit restituat? 18. Tibi hodie & cras non vacabit (exundatione illâ tibi facessente negotium) adire loca qvæ ostendi: sed confide, non emanebunt promissa mea, tantùm in silentio & patientia persevera. 19. Surge, scribe, nominis mei ne obliviscere! 20. *Mihi autem in mentem venit Psalmus 135: qvem Dominus ad preces qvoqve matutinas, cum familia habendas, decantari jussit, iterabatqve omnia sua dicta.* 21. *Qvæ ut conscripseram, revocabat mihi mandatum suum in memoriam, ut apographum hodierni sermonis mitterem ad mihi Adjunctum: qvod mihi exciderat.* 22. *Descripsi itaqve, & ad eum misi 7. Martii: qvô die mihi Dominus illum ad me venientem in somnis ostenderat.* 23. *Ut autem evigilavi, ut hæc non cuivis crederem, monuit.*

[v. 10.) V. supra, Rev. LXXXVII. 5. & confer Jeremiæ 18. v. 6. & Eccles. 3. v. 14. Deum omnia sic agere, ut homines timeant à facie ejus.]

REVEL. CV. Martii 8.

[*De Principe Transf: vox memorabilis.*]

T*Ransire mihi videbar, per qvietem nocturnam, Pontes, qvos subterfluebat aqva magna, valdè turbida.* 2. *Qvum evigilassem, jamqve diescebat, insonuit Domini vox, dicens:* Verbum meum per te prolatum est sicuti malleus discutiens petram cordis Racocii! 3. Si patietur discuti, exorietur ut fulgor auroræ lux gloriæ ejus. 4. Sin, subvertetur: nec erit remedio locus. 5. Pro qvo tu ora: nam adhuc tempus est. 6. *Surge, & hoc in scriptum refer!*

[v. 3, 4) Ecce promissio conditionata, atroci comminationi juncta!]

REVEL. CVI. 9. Martii.

[*Novus luctus in domo R. prædicitur,* 2. *propter novum Verborum* DEI *contemptum,* 5. *Zelus tamen* DEI *vertit se inde in Austriacos,* 9. *Ultimum Bestiæ Apocalypticæ cornu,* 12. *Væ Hungariæ,* 13.]

I*Terum factum est ad me Verbum Domini, ipsô diluculô, dicens:* 2. Luctum, novum luctum, infero in Racocianam Domum! Claudet post se ostium Princeps mater; brevi id audies. 3. *Qvæ Verba cùm me reddidissent attonitum, iterum*

rum Dominus: Præ se ferebat in hominum conspectu, ac si me diligeret: sed qvi non diligit sermones meos, neqve me diligit. 4. Voluptas ejus fuit opum coacervatio: & cui? qvis ista possidebit? 5. Nam & Filius ejus, in qviete tantùm esse optans, & à voluntate mea se avertens, sibi accersit malum; Verba mea per te facta itidem parvi æstimare incipiens. 6. Noluerunt illi mittere accersitum te, toties illis ea de re facto à me indicio: sed te id nihil turbet, serve mi. 7. Debitum tuum ut solveretur, disposuerat Sigismundus: sed inter se id premunt qvi malè volunt tibi; qvos ego inveniam trmpore meo, neqve te propterea deseram, tantummodò patiens esto. 8. *Ego autem conversus in latus dextrum orabam pro iis, & ut ne derelinqveret Dominus me, & reliqvos Cultores suos.* 9 *Ubi Dominus*: Ad votum Domûs Austriacæ factum est cum Domo Racoci! sed ignorat illa, qvam brevem ego terminum Ipsi posuerim. 10. *Dum autem ego, qvis ille terminus esset, cogitarem, respondit Dominus*: Decimo ab hinc die decurret terminus ejus. 11. Nam novennium, ex qvo tibi de Domo Austriaca loqvi cœpi, transiit jam, decimusqve annus iniit: aderit itaqve finis vitæ ejus. 12. Decem cornua vidit Johannes in Bestia, qvorum hic est postremum: qvod ubi deciderit, contentio erit inter filium & patruum de Vienna; cujus incolæ tristabuntur, ignorantes causam. 13. Aufero ego, & auferam, hac in Terra viros præcipuos: Væ, væ, Terræ huic! flammâ, ferrô, affligam perfidam hanc gentem Hungaricam. 14. *Ego perterritus à voce iræ, orare cœpi, ut suos conservaret Dominus: cogitans, qvid nobiscum à Principis (matris) morte futurum esset.* 15. *Ad qvæ Dominus*: Qvid illa vobis præstitit? Ne solliciti estote, à me protegemini: Vigilate tantùm & orate. 16. Tu autem in meo ductu acqviesce: prospexit tibi Adjunctus, neqve desereris posthac. 17. Omnia procedent secùs atqve vos cogitatis, etiam apud vos. 18. Surge, & ista scribe, tibiqve interim habe.

[v. 2, 8, 9. Exaudivit Deus preces servi sui, Principemqve matrem, tametsi gravi afflixerat morbô, Vitæ tamen restituit: ut ne plus gaudii conciperent hostes. v. 10.) Vide Rev. CXII. v. 3, 4.]

REVEL. CVII. 10. Martii.

[*Lamenta super Domum Aust. descriptioqve tyrannidis ejus, in subditos populos sævientis,* 2. *Idola peribunt,* 9. *Nationes (ipsius DEI voce) convocantur ad mactandum,* 11: *Avesqve rapaces & bestiæ ad vorandum,* 12. *Verbum Evangelii promovendum ad omnes sub Cœlo Gentes,* 14. *Pax terris redibit ante Mundi finem,* 17. *Princeps Racoci an iturus?* 19. *Videntis ad hæc tarditas increpatur,* 22.]

C*ùm evigilassem, diluculô, factum est ad me Verbum Domini, dicens*: Ejula, ejula, exsecrata Domus Austriaca! plora & lamentare! 2. Nam ecce jam super te volant sagittæ iræ meæ, qvam effudi de throno meo ad ulciscendum iniqvitates tuas, & tyrannidem qvam exercuisti in tibi commissas gentes & populos Terrarum tuarum, qvæ te sustentârunt, & tanqvam ulcus venenatum tot seculis tolerârunt. 3. Tu autem sorbuisti, ô Domus Austriaca, sanguinem eorum,

eorum, Virorum insignium, illuminatorum, tibi servientium & rectè consulentium. 4. Qvos tu è Terra & hæreditate Patrum suorum depellebas, sæviens ut rabiosa fera inclementer omnibus diebus dominationis Tuæ, usqve ad diem & horam ruinæ tuæ, qvam ego Jehova, Sanctus Israëlis, destinavi tibi, & jam venit. 5. Nam tu ineqvitabas Bestiæ; & Bestia, Meretrix Babylonica, ineqvitabat tibi: cogens te exitio dare populos tibi addictos, destruere urbes, vastaréqve regiones Terræ; sine metu DEI, & ulla commiseratione humana. 6. Non Gentes dico barbaras, remotas, me & nomen meum ignorantes, qvas habeo in vasto Terrarum Orbe: neqve Judæos, gentem mihi rebellem: 7. Sed tuos, tuos dico populos, Cultores meos, exitio dabas, ad consilia viperarum progeniei, Jesuitarum, Capucinorum, aliorumqve inferni satellitum, cœcorum ducum, pseudoprophetarum: qvibus tecum unà paravi stagnum sulfuris in æternum. 8. Ideò jam venit tempus cessationis tuæ, & illorum, tyrannidis! Audivi enim, & exaudivi, clamorem Animarum interfectorum propter Verbum meum, clamantium sub Altari meriti mei. 9. Et exterminabo Idola tua, Sculptilia & Fusilia tua, aurea, argentea, ænea, lapidea & lignea: qvæ te non eripient in die iræ. 10. Nec eripient Sancti illi tui, qvorum nomina publicabas, & cum hinc inde vagantis populi catervis neqvicqvam invocabas: Invoca nunc etiam, inclama eos! Ecce obmutuerunt! ecce non sunt! 11. Vos igitur, o Nationes à me electæ, concurrite & convolate ad cœnam iræ meæ! Effundite, effundite vicissim sangvinem eorum! 12. Convolate vos rapaces aves, Corvi, Cornices, Picæ, Vultures, Bestiæ, feræ & domesticæ! Vorate carnes occisorum sine misericordia: implevit enim Bestia mensuram scelerum suorum super Gentes. 13. O vos Orientales, ô vos Septentrionales, ó vos Occidentales, ó vos Meridionales, ne cunctemini! qvàm primum ad vos penetraverit vox Tubæ meæ, sicut ad qvosdam jam penetravit. 14. Qvum verò ab Idolis repurgaveritis Terram, gloriosam reddite sanctam Legem meam communicando cum populis Ethnicis, & omni sub Cœlo natione: per duos illos testes, qvos ego nunc vobis constitui. 15. Alterum ignarum labii Gentium exterarum, sed habentem lingvam Gentis suæ à me expolitam: alterum, qvi vobis exteris, ad promovendam inter vos cognitionem voluntatis meæ serviendo satisfacere potest. 16. Meæ dico voluntatis, qvæ apud me Jehovam Zebaoth, DEUM Gentium & Lingvarum, ab æterno fuit, atqve etiamnum est, immota. 17. Tum redibit Pax terris Vestris, cum effusa super vos omnes benedictione mea: usqve ad diem illum qvô finem imponam Mundo fervore ignis, secundùm verba Prophetarum & Apostolorum, cum obsignatione Abyssi super satanam & pseudoprophetas. 18. Nam ecce Ventilabrum in manu mea! & securis ad radicem Arboris ponetur: qvum ultionem induxero super Bestiam, & reduxero pacem inter gentes Terræ. 19. *Qvibus ego auditis, cogitabam, An Princeps Racoci esset iturus?* 20. *Et Dominus respondit*: Ibit, ibit, nolens volens: præ horrore terribilis Nominis mei, cùm videbit resisti non posse potentiæ meæ, voluntate mea sibi revelatæ. 21. Hæc ecce sunt, qvæ tibi manifestare volui hodie! 22. *Ego verò cum pavore & suspiriis dixi: Ab Dominator Iehova, non continui memoriâ sermones tuos! etiam initium ipsum excidit: ignosce, obsecro, servo tuo.* 23. *Cogitanti tamen, an vel principium invenire*

venire possem: sed nihil, penitus nihil, potui. 24. *Ubi me alloqvutus Dominus, dixit*: Hæc ecce est terrena illa corporis vestri in hac mortalitate indoles, ut facilè obliviscamini sermones meos, sicut oblita fuit Eva, & Uxor Loti, malo suo: oblitæ enim verborum meorum transgressæ sunt mandata mea. 25. Qvam vestram ad voces meas tarditatem augetis in vobis vanis de rebus aliis cogitationibus & colloqviis, præcipiti iracundiâ, non necessariis curis, & corporis cibô & potu prægravatione: ut labascat ac depereat memoria vestra. 26. Surge, & ad scribendum te accinge! inter scribendum tibi suggeram omnia. 27. *Ego igitur decantans laudes DEI surrexi, precibusqve cum familia finitis, hæc (Dominô in memoriam revocante omnia, postqvam tentamine propriô ne principium qvidem recordari possem) conscripsi. Hallelujah.*

[v. 1. &c.) confer cum XXIX. v. 20.) Ivit, sed qvô non debuit. Videbitur suis locis.]

Revel. CVIII. Martij. 12.

[*Visio variorum populorum in Domo qvadam &c.* 3. *explicatur de ultima Gentium in Ecclesia Domum convocatione*, 7. *Initium in Hungaria*, 11. *Exules reducendi*, 13. *Videnti plura præmittuntur revelanda*, 16.]

ITerum factum est ad me Verbum Domini, præmissô (ipsâ diluculi horâ) somniô tali. 2. *Visus mihi fui inter Patriæ meæ Vineta constitutus, meam qværendo vineam.* 3. *Et factus mihi obvius Vinearum custos, clanxit tubâ: qvem ut præterieram, in Domum veni habentem aream peramplam & elegantem, ubi hominum ingentes catervas conspexi stantes, variô habitu, invitantium me ad Convivium.* 4. *Reperi autem in una illa caterva* Johannem Kriz, *& in alia rursum* Johannem Solinum, *habitu Ecclesiasticè nitidè indutum: Dominus autem ædium veniens, attulit mihi qvoqve vestem Ecclesiasticam, induere illam jubens.* 5. *Inter egrediendum autem Domo illâ, incidi in Fructum singularis saporis: venitqve mihi obviam vir Eqves, aves mactatas ferens, majores & minores.* 6. *Expergefactus cecini qvædam ex hymno de Trinitate, de admirabilitate Operum DEI.* 7. *Paulò post facta est vox DEI ad me*: Efficacia virtutis meæ, & operis mei, prodit se in illis ad qvos jam penetravit vox sermonum meorum per te prolatorum, idqve in bonum. 8. Accipiunt enim cum gaudio revelationem voluntatis meæ, de perdendo & penitus evertendo Antichristo: putantqve diem Judicii extremi esse in foribus, ut Apostoli loqvuti sunt. 9. Est, sed nondum tam properè: nondum enim glorificatus sum in omnibus Nationibus Terræ, qvarum numerum in perampla mea Domo per somnum vidisti. 10. Oportet impleri priùs, *ut Domus mea convivis compleatur, ex omnibus sub sole Nationibus: atqve tempus est, ut hoc opus meum urgeatur undiqve.* 11. *Et ecce, Cursor cursorem inseqvitur, ut hoc Opus meum in Hungaria incipiat celeriter!* 12. Et cùm transmiseris qvæ scripsisti, mirabuntur multi, & agnitâ voluntate meâ consultabunt qvomodo satisfiat illi. 13. Parate vos, tu cum Solino, ad reassumendam Ministerii functionem: appropinqvant enim tempora auferendæ à vobis ignominiæ, qvâ affecerunt vos. 14. Induite stolam justitiæ, & parati estote ad prædican-

dicandum Nomen meum in patria vestra: qvæ tametsi desolata erit valdè, meos tamen ego mihi servabo, qvi vos recipient cum gaudio. 15. Vos tantùm vigilate, & misericordiam implorate! & providete vobis de pane! ego autem providebo ut non desit unde (provideatis). 16. Tu verò diligens esto in his qvæ tibi committo: nam & plura etiam ostendam.

REVEL. CIX. Martij. 14.

[*Visio de Stamine dividendo trifariam, ad comburendum, ad coqvendum, ad flumin immittendum, 2. ad Hung. gentem accommodatur, 5. Videns in faciem procidit, & pro eis orat, 10. DEUS excandescentia sua causas reddit, 13. Principem tamen Transf. adhuc moneri vult, 18. Tristantes eriguntur solatiis, 19. Videns solatia in Scripturis qværens, qvid invenerit, 24.*]

ITerum factum est ad me Verbum Domini; qvum sole jam ortô peregissem matutinas preces, plenus tristitiæ, reclinans me indormivi. 2. Et vidi mihi dari telæ Stamen ad texendum: de qvo solicitus, qvomodo id agerem, evigilavi. 3. Domini autem vox insonuit: Partem staminis illius combure; partem alteram coqve in olla; tertiam verò mitte per flumen. 4. Qvô ego non intellectô, qvid sibi ista vellent cogitare cœpi. 5. Dominus autem: Sic ego faciam cum terra Hungariæ, Natione illa mihi infida, ingrata, mihiqve & voluntati ac mandatis meis refractaria. 6. Partem terræ illorum dabo ad comburendum; partem ad diripiendum, & affligendum, & ceu in olla coqvendum; partemqve Turcicæ Genti ad abducendum. 7. Ecce enim frustra omnia recipiunt, qvicqvid illis tam clarè, per te & alterum dilectum mihi vas, notificatum volui, qvid sua in Terra fieri ab illis velim. 8. Ecce autem omnia pro joco & deridiculo habent! ideò illis non parcet oculus meus. 9. Confidunt illi suis libertatibus, qvas non illi ipsi sibi, sed ego eis paravi: at hæ nihil proderunt in die iræ meæ. 10. *Qvibus ego auditis, cordis dolore, & qvôdam mihi ad enarrandum impossibili horrore correptus, procidi in faciem coram facie Domini mei, & cum gemitu exclamavi.* 11. O *Iehova, DEUS & Pater mi! recordare propter misericordiam Tuam, cujus pleni sunt Cæli & Terra, illos qvoqve homines esse, nihilqve ex se ipsis habere posse, nisi Tu dederis.* 12. *Oro itaqve, oro, propter sacrosanctum Nomen Tuum, da illis ut faciant voluntatem Tuam; alioqvi voluntati Tuæ nulla Creatura resistere potest.* 13. *An verò Princeps nihil eorum, qvæ Patri & Fratri ejus nuntiari jusseras, facere vult?* 14. *Responsum*; Incoctis Consiliariorum suorum rationibus seductus tergiversatur, neqve resolutionem invenire potest. 15. Cùm tamen aliæ Nationes, qvibus particula horum duntaxat innotuit, gratè accipiant, ad faciendum alacriter voluntatem meam sese accingant. 16. Qvanqvam non apud eos, sed hac in Terra, per te & Adjunctum tibi ego voluntatem meam tam clarè manifestavi, faciem eis obvertendo, illi verò mihi & sermonibus meis terga obvertunt. 17. O qvàm benè esset illis, si meum seqvi ductum animum inducerent! 18. Sed vos, ô succurrite adhuc, succurrite Racocio! fortasse adhuc redibit ad se. 19. Vos autem ne sollíciti estote: Vos inqvam duo dilecti mei, non ob mercedem mihi obseqventer servientes; qvod & de Adjuncto tibi notum est mihi, qvi nunc tristis angitur, incertus qvid agat. 20. Ne sollíciti estote, dico vobis! Ego vestri habeo rationem, & servabo vos mihi ad tempora

mea præter spem vestram. 21. Tantummodò vos confidite mihi, meamqve implete voluntatem, vigilantes & orantes. 22. Atqve hæc sunt, qvæ tibi per Stamen illud ostendere volui; Surge, scribe, nam retinebis omnia mente, corde, memoriâ, cum precibus. 23. *Qvod simul atqve Dominus cessavit loqvi (orans inter surgendum & ex hymnis qvædam decantans) effectui dedi. 24. Tandem aperiens Codicem sacrum, primâ aperturâ incidi in caput V. Ieremiæ, illudqve legens ac expendens lacrymatus sum; eadem nunc DEUM filiis terræ hujus denuntiare videns, qvæ tunc populo illi suo.*

REVEL. CX. 15. Martij.

[*Videntis preces*, 1. *Responsum ad illa oraculi*, 2. *&c.*]

IPsô noctis mediô evigilavi, postqve fusas ad DEUM preces, cùm somnus redire nollet, revocabam mihi Gedeonis, Davidis, aliorumqve antiqva exempla, qvibus DEUS dabat facere voluntatem suam: ut & his daret, eorumqve flecteret corda. 2. *Respondit autem Dominus*: Ecqvid manifestius volunt, super id qvàm eis de omnibus modis & mediis, qvid, ubi, qvomodo, qvando, agendum esset, significavi? 3. Excusationem nullam habent; nisi fortè qvòd illis auri acervos non ostendi, qvod illi mallent, ut tibi in Castris dictum fuit (*à Principis Medico.*) 4. Et meministi, qvàm tibi mea Verba ferenti Princeps tùm nihil humanitatis exhibuit, neqve te alloqviô suô dignatus, nec ullô charitatis signô: recessisti ab illo ut homo vilis, qvam duritiem alii qvoqve mirati fuerunt. 5. Tibi autem solatio sit, qvòd non tuam sed meam tum temporis implebas voluntatem, satis etiam cum periculo: qvod non clam me est. 6. Ergò & porrò in silentio & spe exspecta qvid ego acturus sim. 7. *Oravi autem cum dormire non possem, pro me & aliis afflictis, & gente hac &c.*

REVEL. CXI. 17. Martij. (Dominicâ Judicâ.)

[*Visio scalæ sine fulcris*, 2. *Irrisores non attendendi*, 5. *Mos DEI æternus, non abscondendi ab hominibus Opera sua*; & *qvomodo ista excipere soleant mortales*, 6. *Hung. Gentis socordia*, 8. *Transmarinorum laus*, 11. *Comminationes adversus istos*, 12. *&c.*]

ITerum ad me Verbum Domini factum est, cùm præcessisset somnium, lucescente jam die. 2. *Videbam ante me* Scalam prælatam, *nullô fulcrô nixam: per qvam ascendens, non sine difficultate ac labore valdè sublime perveni, plenus licet trepidationis.* 3. *Ut evigilavi, & qvid visum illud portendere posset cogitavi, nihilqve invenire potui, facta est ad me vox Domini*; 4. Vides qvid tu sine me possis? & qvid scias, qvod ego non revelo tibi? 5. Nihil ergò morare irrisores istos, non tuos sed meos. 6. Operatus ego sum opus meum in diebus antiqvis, & operor adhuc, faciendo mortalibus indicia, licet inæqvaliter, eorum qvæ facturus sum: nec semper æqvaliter homines invenio dispositos. 7. Alii erant alacriter voluntatem meam facientes: alii cum miris tergiversationibus. 8. Qvalis & ista Hungarorum natio est, fueruntqve Racocii, Pater & filius, qvibus à me nihil dilu-

dilucidiùs afferri potuit. 9. Sed ecce oculi cœci, aures ſurdæ, lingváqve muta, in illis reperta ſunt! 10. Zelare ſolitus ſum contra obſtinatos: zelo & contra Gentem hanc. 11. O qvàm aliter ſe transmarina gerit Natio! qvibus exiguum tantùm affulſit eorum, qvæ ego Hungarorum Nationi detexi: & tamen ecce illi vividè ſe ad res movent, de qvo brevi audies. 12. Sed Natio hæc ſemper talis fuit: qvorum manus tantùm ad immanitatem, & cor ad perfidiam, inſtructa ſunt. 13. Pallium tantùm habent Chriſtianiſmi, veritatis parùm: munera illis tantùm cordi ſunt, non judicium cum juſtitia & miſericordia. 14. Pertæduſcit eorum jam qvoqve illum, qvem in prodigium dedi Terræ huic, inprimis autem Racocianæ Domui. 15. Sed proteſtatus ſum, & proteſtor, non illum, neqve te, culpam laturos neglectæ Salutis, ſed ipſoſmet. 16. Obſervatum pridem eſt aliis nationibus, Ungaro parum eſſe fidei: ideò opus meum, verbáqve mea, exigui ſunt apud eos ponderis. 17. Bonum ipſis eſſet proſpicere oculis propriis, ſepoſitis perſpiciliis, anteqvam dies furoris mei veniat! 18. Atqve hæc volui hodie: Scalæ viſio qvid ſibi velit, ſcies aliàs.

REVEL. CXII. Martij. 19.

[*Domui Auſt. luctus venit hâc die*, 2. *qvem occultare diu, utut volent, non poterunt*, 8. *Atqve tum iſthæc Mundo vulganda*, 10.]

L*Uceſcebat, qvum ego inter matutinas preces obdormirem.* 2. *Sed paulò poſt evigilans, & vixdum ſatis ſenſuum compos, vidi ante me tranſire faciem admodum formoſi Iuvenis.* 3. *Cumqve præſentia ejus evanuiſſet, dixit ad me Dominus*: Ejulatus & lamenta Domui Auſtriacæ venerunt hodie. 4. Nam hodie eſt dies decima, de qva tibi dixi, viſitaturum eſſe me illam. 5. Ecce enim Sagittæ furoris mei irruerunt in Pharaonem, qvibus trajectus effudit ſcelerata viſcera ſua, ſicut effuſa fuerunt viſcera Judæ. 6. Unde fletus, clamor, lamenta & ejulatus, invaſerunt Jeſuitas, maledictamqve illam Meretricis Babylonicæ colluviem. 7. Nam ecce decidit de capite Beſtiæ cornu decimum, ſuper qvod illa ſtabat! nec amplius erit ullus Rom. Imperator de Domo Auſtriaca. 8. Qvod illi prement & occultabunt, nec tamen diu poterunt. 9. Apud vos maximè ejulabunt Kromeriſenſes, ob exſtinctam tenebricoſam facem ſuam. 10. Vos autem duo dilecti mei, qvàm primùm de obitu ejus fueritis certi, confidenter lingvis qvibuſvis evulgate ſermones meos, ut eos legant & audiant omnes Terræ Nationes, ad incutiendum tantò plus horrorum hoſtibus meis & veſtris. 11. Jam enim everſum erit fulcrum, qvô nixi fuerunt pſeudoprophetæ illi. 12. Vos autem ſecuritate jam perfruemini, ſerviendo mihi ſecundùm beneplacitum meum, qvemadmodum tibi antea ſignificavi. 13. Tu vigila, hodie domô nuſqvam exi, & hæc ſcribe. 14. *Et feci ita.*

[v. 3. &c.) Prima tunc inflicta videtur lethalis plaga Ferdinando III. putreſcere enim pedibus cœpit circa hoc tempus, & dehinc intumeſcere hydrope. Qvod ſi pertranſiens illa juvenilis facies (v. 2.) Ferdinandum IV. denotat (qvem anno ſeqventi Cæſareo collocârant throno, Dominus autem rurſum dejecit) interitum utriuſqve præfigurari non dubitandum: qvod contextus inferre videtur. Ad v. 10, *Vulgate ſermones meos*, Ecce vulgamus, iteratò, trepidantes licet hucuſqve: dum Omnipotenti reſiſti non poteſt.]

REVEL. CXIII. Martii 20.

[*Visio Auditorum Templa deserentium: cum dilucidatione.*]

PRofundâ adhuc nocte, visus mihi sum fuisse in Templis vicinis duobus: quorum alterum occupabant Auditores nostri, concionem ad eos habente Ioh. Solino, qvem illi qvasi aversati exierunt omnes. 2. *Id cùm malè haberet me, dixi ad fratrem: Eamus qvestum ingratitudinem hanc Patri Lanetio, qvi erat in conclavi ad Templum illud adstructo.* 3. *Ingressi ergò reperimus eum scribentem: atqve cùm ego deposuissem qverelam, seponentem alteram epistolam, alteram scribere continuantem.* 4. *Cum hoc evigilavi: tristis super eô qvòd nihil responsi accepissem.* 5. *Sed Dominus*: Pristina vestra mala, nauseam Verbi mei, & fastidium atqve desertionem vestri ab Auditoribus, ostendi tibi. 6. Sed ego jam scripsi epistolam unam ad Nationes; alteram scripturus adhuc sum ad Vestros, ut vos recipiant iterum. 7. Qvòd tibi Lanetius nihil responderit, nihil te moveat: locô ejus en ego respondeo! 8. Tu serve mi tacitus esto, & patiens! deducam ego in lucem causam meam & tuam. 9. Et cecini Psalmum XXVI, totâ reliqvâ nocte tristis & insomnis.

REVEL. CXIV. Martii 23.

[*Visio juvenilis ætatis Christi, 2: & consignatio peccatorum humanorum, 5. Sig. R. cur morte abreptus, 8.*]

BIs factum est ad me, antelucanô hoc, Verbum Domini. 2. *Primùm circa secundam horam obvenit mihi somnium, in qvo vidi ad me venientem adolescentem veste longiori, simplici qvidem, decorâ tamen valdè, alloqventem me humanissimè.* 3. *Postqvam evigilassem, & qvemnam vidissem cogitarem, respondit Dominus*: Ego me tibi ostendi simplici meo habitu, qvô in terris ab anno ætatis 12. obambulabam. 4. Qvam ætatem meam vos recolentes cantatis: O imple nos Spiritu tuo Domine Jesu Christe; *qvem versiculum cantando absolvit Dominus, ego autem seqventem.* 5. *Redormiensqve paulò pòst vidi me in Atrio, ubi stabat Repositorium occlusum: qvod recludens Ioh. Efron extraxit Membranam amplissimam, qvæ fuit in medio perusta, & in illa descripta, characteribus antiqvis, peccata hominum.* 6. *Qvod ego cùm legere vellem, dixit nescio qvis*, Sine, transierunt vetera. 7. *Ut autem evigilavi, dixit ad me Dominus*: Vidistine memoriale lapsuum humanorum, qvi non sunt reconditi à me à seculis? sed ecce perusta sunt omnia, & dirupta sangvine meô! qvorum recordari, & in vobis posteris reqvirere nolo. 8. Reqvisivi ego in Sigismundo inobedientiam Patris sui! qvi recolligere se cœperat ut emendaret, sed & labi cœpit: ne ergò laberetur penitùs, assumere illum ad me malui: 9. Ut Frater ejus metu territus & conscientiâ, errorem illorum emendaret: Videbisqve tu brevi, qvid ille sit acturus. 10. *Qvô ego auditô, ardenter pro illo cæpi orare: sicut & pro nobis, qvibus tum de hostili Exercitu nobis opprimendis immittendo fiebant comminationes.* 11 *Dominus autem*: Vanæ sunt hostium vestrorum cogitationes, infatuabitur consilium eorum. Ego enim ero igneus murus in circuitu Vestri. 12. Tu provide necessariis domui tuæ, Ego benedicam tibi, & Angelicâ custodiâ cingam te &c.

REVEL. CXV. 25. Martii.

[*Visio Adjuncti aliò festinantis*, 1. *Explicatio Scalæ nuper visæ*, 3. *Revelationes hæ quàm extraordinariæ*, 5. *Dolium Nationum iterum dissilit*, 7.]

A *Precibus matutinis redormivi, videoque Adjunctum meum in Domum quandam adventantem spectabili habitu, & cum illo honestos aliqvot viros ignotos mihi: quorum ille labores mihi enarrabat.* 2. *Evigilavi, jucundatus somniô illô, & Dominus ad me*; Veniunt literæ ab Adjuncto: neqve ille tardare volet reditum in Poloniam, ad promovendum in lucem sermones meos ad te factos, qvos gratè acceptabunt Nationes. 3. *Mihi verò in mentem venit visa nuper Scala, per quam sursum ascenderam, quidnam illa Visio sibi voluerit?* 4. *Et Dominus*: Qvam vidisti Scalam, & conscendisti, stabat sine fulcris, qvia ego illi fulcrum eram: sic & tu meâ unius protectione stabas hucusqve, & stas, contra tuos clandestinos & apertos inimicos. 5. Ascendisti tu (*per me*) in altum; ut videatur in Nationibus opera tua, cui similem nec vidit nec audivit ulla gens ab Apostolorum tempore, de tam evidentibus præsentiæ meæ signis, tantisqve voluntatis meæ indicationibus, qvaliter tibi factum. 6. Videbis tu id brevi, de qvo os meum loqvutum est: modò fidelis esto mihi, & obediens in exemplum cæteris, ad recipiendum simplici confidentiâ sermones meos. 7. *Inter hæc lectulus meus sub me crepuit. Et Dominus*: Dissilit dolium, in qvod collegi Nationes, ascenduntqve nubes procellarum iræ meæ! 8. Vos autem orate, dicentes: Audi nos Pater ad te gementes: *quem cantum ego pertexui, ex Litania Ecclesiastica.*

[v.4. O qvàm mira servi hujus Dei, juxta promissionem hanc, in medio hostium, sine omni humano præsidio, hucusqve conservatio!]

REVEL. CXVI. 26. Martii.

[*Visio Privilegiorum*, 2. *ad Hung. & Moraviam accommodatum*, 3. *Molimina hostium in Hungariam dissipanda*, 7. *Georg. Racoci Rex nominatus*, 10. *Primus inter exaltandos*, 13. *Ecclesiæ in Mor. restituenda*, 14.]

F*Actum est iterum ad me Verbum Domini, post præmissam Visionem nocturnam.* 2. *Lustrabam cum honestis qvibusdam viris Membranam, cui inscripta erant Privilegia: quam in manus acceptam divisi in partes duas perfacilè, dediqve alteram medietatem Wilhelmo Padieræ civi Prærensi, Moravo; alteram verò illis reliqui, apud qvos hospitabar.* 3. *Cogitabamqve, expergefactus, quid somnii esset istuc? Et Dominus ad me*: Libertates terræ hujus, qvibus se effert, dividentur suo tempore, parsqve illarum cedet Moraviæ, patriæ tuæ. 4. *Redormiiqve eôdem momento, & vidi me in Campo dividere fruges nondum demessas.* 5. *Et mox in Horto, ubi sub arboribus sparsa jacebant Pira inusitatæ magnitudinis & speciei: quorum sustuli duo pulcherrima, sicut & qvi mecum erant non multi.* 6. *Expergefacto venit versiculus ex hymno, de veracitate promissionum DEI: & Do-*

& Dominus, Finem asseqvetur qvicqvid apud me de Terræ hujus habitatoribus constitutum est. 7. In qva licet sibi nidos componant Hostes mei, cogitantes eò redigere Terram hanc, qvò redegerunt vestram: 8. Sed illi nesciunt dejectum jam esse de solio eum, super qvem fundamentum posuerunt suum; dicentes, *Domus Austriaca, Domus Austriaca!* 9. Fuit utiqve gloriosa Domus hæc, sed non est amplius, nec erit: qvemadmodum tibi sum loqvutus. 10. Qvam & Georgius Racoci timet, ligatas habens manus: sed utinam rumpat vincula! dejecto de se onere & jugo Consiliariorum suorum, animum Illi turbantium. 11. Nolentium intelligere, vel credere, voluntatem meam Patri & Fratri retectam, prodiisse ab ore meo. 12. Patrem ejus nominabam Principem, fratrem ejus Sigismundum, sed hunc nomino Regem: faciamqve, si obseqvutus fuerit mihi. 13. Primus ille & ante alios, ad sublimitatem evehetur in Terra hac: demumqve alii aliis in Terris, à Domo Austriaca nunc contemti. 14. Qvod opus à Turcis promovebitur & Tartaris: ut vos etiam in Terram patriam reducti, recipiatis à Patribus partas libertates & privilegia, qvæ vos adhuc hic in Arce custodita servatis. 15. Non qvidem turbatores adversus vos deerunt, sed nihil poterunt. 16. Tibi nominatim cedet Collegium vestrum Lipnicense, cum omnibus pertinentiis: sed tu Parochiâ contentus vendes illud loci Domino: atqve tum ad te redibit fructus ille qvem tibi per visionem ostendi. 17. Brevi benedictionem meam videbis: modò voti tui memor esto. 18. *Ego autem cogitavi, qvid Adjunctus rescripturus esset: Dominus autem*, Scribit solabiliter, admirabundus ea qvorum facta est significatio: reqviretqve consilium, qvod erit facile. 19. And. Klob. habebis adversantem, ut cœpit ita perget: sed desiste turbari, Ego tibi benedicam. 20. *Ego autem decantato hymnô ista scripsi: sed cum majore ac aliàs hæsitatione; ut nisi dictasset Dominus nihil potuissem. Illi laus!*

[v. 12. Regnum Racocio iterum, sed iterum sub obseqvii conditione, promittitur. v. 14. Privilegia Ecclesiarum Moravicarum peculiaria. v. 19. *habebis adversantem*) Nempe ratione pecuniæ à Vidente obsessâ Lednicensi Arce mutuò datæ, à Principe verò pòst (ut & Sigismundi testamentô) reddi jussæ: qvod tamen hic impediebat, eò prætextu qvòd Arx non fuisset conservata, sed dedita ac direpta.]

REVEL. CXVII. 28. Martii.

[*Catalogus Nationum variis lingvis scriptus*, 1. *Pueri patrem lugentes*, 2. *splendor Videnti affulgens*, 5.]

Vidi mihi porrigi scripta qvædam variis Lingvis, continentia variarum Gentium nomina mihi nunqvam antè audita, ideòqve valdè mira. 2. *Et mox venerunt pueri duo à meridie, plorantes, & mihi lamentantes, Patrem sibi obiisse: qvem ego videre volens, seqvutus sum eos, lacrymabundus ipse qvoqve.* 3. *Dominus verò ad me:* Majora audies lamenta super mortem Ferdinandi, audiesqve brevi. 4. *Surrexi ergò, & qvia Concio fuit adeunda (feria qvinta Hebdomadis magnæ) scriptionem distuli post Vespertinam concionem usqve.* 5. *Cùm verò de morte Ferdinandi scriberem, splendor qvidam superfulgebat mihi chartam, ignis instar, idqve*

idque vice binâ: attollensque caput nihil vidi (unde veniret). 6. Sed tertiâ vice feriit chartam & oculos splendor Cœlestis coloris, Saphiri instar: quid significârit nescio. 7. Sed ego in cantum erupi, quem hymnus noster Ecclesiasticus de gloria majestatis DEI habet.

[v. 6, *Quid significarit nescio*) Multò ergò minùs nos. Si tamen conjecturæ sit locus, aut dilationem adhuc Ferdinandeæ mortis, aut seqvuturum eam gaudii Ecclesiæ jubar, significare possit.]

REVEL. CXVIII. 29. Martii.

[*Visio Mulieris obsessa, exsecrationi data*, 1. *Et Ecclesia Matris moribunda, restituenda vita*, 6. *Princeps denuò monendus*, & *quid*, 8.]

ANte noctis meridiem vidi in somnio venientem ad me Mulierem in forma diaboli, qvam per nomen Domini Iesu exsecrari cœpi. 2. Factâqve exsecratione, ingressus sum conclave ubi res meas habebam: sed seqvuti me Viri qvidam, diripuerunt omnia mea. 3. Qvum autem experrectus qvid somnium illud sibi vellet cogitarem, respondit Dominus dicens: Exspoliationem qvam propter nomen meum perpessi estis, ostendi tibi. 4. Mulier autem qvam vidisti, non diabolus fuit, ut cogitabas, sed imago obsessæ à diabolo mulieris, meretricis Babylonicæ, qvam ego per te qvoqve exsecratus sum, & exsecratio illa nota jam fiet omnibus Nationibus totius Terræ. *5. Ego verò surgens lectulô, procidi & adoravi Dominum: & cùm me reposuissem, momentô redormivi. 6. Ubi me ingressum vidi, cum paucis aliis mihi notis, domum Matris meæ, qvæ ægrè decumbebat, tota sui dissimilis, constitutaqve in agone: qvæ mihi dextram offerens ultimum triste dicebat Vale. 7. Ubi evigilavi Dominus ad me:* Vidisti ad mortem ægram, animamqve agentem, matrem? Ecclesia vestra est, derelicta à filiis patriæ: qvam tu cum non multis curando restituere voles, sed id vobis laboriosum accidet. 8. Consolare tu Adjunctum tibi: qvi moneat Principem, ut se accingat ad igne delendum Idololatrarum delubra hac in Terra, ipsosqve exterminandum tanqvam à me exsecratos. 9. Perstare enim de eo voluntatem meam, qvam Patri & fratri detexeram; neqve muto, 10. Surge, & hoc in scriptum refer.

REVEL. CXIX. 4. Aprilis.

[*Rationis humana durities obstat consiliis* DEI *in aula* R. 1. *Ecclesia delicium* DEI, 3. *Væ Antichristianis satellitibus*, 4. Mundus non vult intelligere morem DEI, 6.]

ILlucescente die factum est ad me Verbum Domini: Mirare, mirare obstinationem Rationis humanæ in Aula Racocii! 2. Verùm scito meum opus processurum: audiesqve tu vocem consolationis meæ, qvâ ego consolabor mulierem in desertum profugam à facie torrentis, qvem post illam effudit Draco super terram. 3. Qvæ est delicium meum Ecclesia, afflictata, mortibusqve mactata, à Pharaone; cui ego jam imposui finem secundùm destinatum consilium meum: qvod

qvod tamen non tàm citò percipies. 4. Ah væ vobis, væ vobis, exſecrabiles Capucini, aliiqve Violatores Pacis, & Legis meæ! 5. Nam igne furoris mei comburemini ut ſtipula, qvum ſuper vos venient Armigeri mei, ad ſolandum exſpectantes me. 6. Sed ecce non vult, non vult intelligere Mundus, me opus qvod diebus antiqvis egi, etiamnum agere per te, dilecte mi. 7. Tu exſpecta patienter, dum venient ſolatia mea. 8. Metuit Racocieum, qvem jam timere non habet: Tu, qvòd te non accerſant ne cura; vigila tantùm & ora.

[v. 3. *non tam citò percipies*) Nempe qvia utut conſiliô Dei jam fuit interemtus, reipsâ tamen qvinqvenniô demum pòſt mori debuit.]

REVEL. CXX. 5. April.

[*De Tranſylvania Principibus junioribus, matre & filio*, 1. *Tormentum exploſum*, 5. *Adjunctus maculatur injuriis, jubetur ſolatiô roborari*, 6. *&c.*]

EXperrecto mihi oſtendit Dominus perſonam ſexûs fœminei, facie & veſtitu decoram, ac erga me affabilem: quæ ut à me diſceſſit, ecqvæ illa eſſet cogitare cœpi. 2. *Et Dominus*: Oſtendi tibi Tranſylvaniæ Principiſſam juniorem, cujus cor ego rumpam, ad recipiendum vocem meam, verbaqve prolata per te: 3. Qvibus illa fide adhibitâ, promotricem ſe dabit operis mei, contra omnium hominum ſpem: unà cum Filio ſuo, cujus ego prorogabo vitam. 4. Hic odium concipiet zizaniorum, hoſtium illorum meorum, qvi ut veneno inficiunt animas populorum & nationum, zelo meo accenſus. 5. *Atqve hoc ubi dixerat Dominus, intonuit exploſi Tormenti fragor: qvod ego admiratus, mox turſum obdormivi.* 6. *Et vidi in occurſum mihi venientem dilectum Adjunctum meum, qvi manum mihi porrecturus feſtinabat, lapſusqve lutô maculavit brachium ſiniſtrum decoræ veſtis ſuæ.* 7. *Qvam extergere volebam, triſtis ob eum caſum: ſed accedens qvidam amicivit eum veſte aliâ, iſtaqve prior macula per ſe evanuit.* 8. *Expergefactus, qvid ſomnium iſtud portenderet, anxiè cogitare cœpi.* 9. *Dominus verò ad me*: Maculant eum, non à facie ſed à tergo, multi ſimulati amici; qvaſi ille laboribus ſuis ſe & ſua, terrena nimirum lucra, qværat, injuriam illi facientes. 10. Sed adoriar ego ipſos etiam à tergo, contorqvendo eorum colla; Tu illum conſolare. 11. *Ego autem orare cœpi, protectionem illi Divinam optans.*

REVEL. CXXI. 29. Martii.

[*Gloria DEI exſurgere jubetur*, 2. *Nationes urgenda ad opus DEI*, 3.]

QVintâ matutinâ, inter ſuſpiria mea audivi vocem Domini: 2. Exſurge, exſurge gloria mea! qvam premunt etiam qvi amplificare debebant, dum neqve credere neqve intelligere volunt opus meum, qvod ago & agam in Terra. 3. Impedimento enim ſunt dilecto mihi & tibi noti ſui; tu autem loqvere illi, *Urgendo urgeat Gentes illas à me electas*. 4. Non mea, ſed ſua, qværunt, quicunqve aſpernantur ſermones meos, iiſqve reſiſtunt: qvos ego inveniam. 5. Tu fac mandata mea! Surge, ſcribe hæc, & ad illum mitte: Occaſio enim erit. (*Fuit etiam, tertia pòſt die.*)

REV.

REVEL. CXXII. 7. April.

[*Visio hostilium in Ministros Evangelii machinationum divinitùs disjectarum*, 2. *Nec organa deesse DEO, si quos primùm honeravit, nolint*, 10. &c.]

Expergefactus suspirabam ad Dominum, redormiviqve denuò. 2. *Et vidi me in domo qvadam constitutum, indutum veste Pastorali, qvasi habiturus Sacra; ingressiqve varii viri Nobiles egrediebantur iterum, usqve ad unum, mihi notum, qvi abducto mihi ad latus dixit;* Exue vestem hanc, & subduc te inde: periculum enim imminet tibi. 3. *Exui ergò, & ingressus in aliud conclave vidi istos mihi pericula struentes prostratos veluti mortuos.* 4. *Conspexi & filiolum meum lectulò jacentem, qvem inclamavi,* Surge filiole, festinemus nos eripere! 5. *Et mox evigilavi pavefactus, oraréqve, & canticum de protectione DEI adversus tentationes decantare, cœpi.* 6. *Sed indormiens subitò, vidi Principem matrem vestitu lugubri, à qva egrediebatur vir proceræ staturæ, ferens Insignia speciosissima, casside binâ: sub qvarum unâ Sol fulgebat cum stellis, sub alterâ visebantur Leones.* 7. *Et mirabar pulchritudinem istorum, cogitans, Cujusnam essent imagines? simulqve evigilavi.* 8. *Dominus autem cantare cœpit (melodiâ de Passione Christi nobis usitatâ) rhythmos, in solatia mihi, hôc sensu:*

En omnes inimicos qvi te angustarunt, criminationibus falsis maculârunt! qvàm à me prostrati sint, ut sordes disjectæ, pavitare noli jam serve mi dilecte.

9. *Qvod ego admiratus, gaudiôqve repletus, succinere cœpi, ex eodem cantico nostro:* O sit gloria tibi Sacerdos æterne, cunctas per Ecclesias laudibus internè, qvi doloribus tuis salutem parasti, ejusqve consortio nos fide beasti. 10. *Finitô cantu meô, effulsit in pariete mihi opposito lucis splendor: & audivi vocem Domini,* Pœnitet me, pœnitet, novennium jam laborasse cum gente Hungara, & Racociana Domo! qvi noluerunt, necdum volunt, intelligere voluntatem meam, ut faciant. 11. Ideóqve, si obstinatè negabunt obseqvi mihi, ecce alios reperiam, qvi gratiùs excipient vocem meam: qvorum Insignia vidisti, & advolabunt ut vultures. 12. Scribe hæc, & mitte Adjuncto tibi; ut hæc mittat cum nuperis ad Aulam Racocii, in testimonium illis! 13. Nihil metuat! protectio mea illi & tibi præsens est, adversus omnes insidias inimicorum. 14. Fortassis adhuc se recolligent, dum Orientalium, sicut & aliorum, ad opus meum promptitudinem videbunt. 15. Illis ego præ cæteris honorem hunc obtuli primariò: sed ecce ingrati reperiuntur, suô malô: 16. Surge, scribe hæc, bono esto animo, serve mi: mihi cura est vestri, præ illis ingratis.

[v. 12. Missa fuêre: qvomodo autem excepta, narrabitur Annotatione ad Rev. CXXXII.]

REVEL. CXXIII. 12. April.

[*Reditus ab Exilio typicè præfiguratur*, 2. *Videntis uxor DEO diffidens*, 5. *Lapilli pretiosi*, 7.]

VIsus mihi fui Domum ingredi, è qua in occursum mihi prodibant Viri duo, alter juvenis speciosus, alter Senex honestus, arguentes me nescio cujus insinceritatis: allatiqve fuerant sacci triticô pleni, qvod effundebam. 2. *Sed venerunt alii viri, hortantes me ut nostram domum rediremus: ivimusqve valdè periculosè, per aqvas paludosas congelatas, glacie sub nobis fragescente.* 3. *Me autem solicitudo incessebat, num habituri essemus ubi siccesceremus: sed ingressi Domum reperimus abundè spatii, non pro nobis solùm sed & multis, conclaviáqve perpurgata & incalefacta, ut gauderem de tanta commoditate.* 4. *Evigilanti autem mihi respondit Dominus & dixit*: Ecce locus paratus est pro servis meis, mihi confidentibus! 5. Sed uxori tuæ non ita videtur: aliò illa confugit, alibi auxilia, contra interdictum meum, qværit: qvod displicere tibi, æqvè ut displicet mihi, scio. 6. Non acqviescit illa remediis à me commonstratis, fomentatione ex decocto vino & thure, inunctionéqve oleo laurino & juniperino: si pergit aspernari, iram incurret meam. 7. Lapillis meis, tibi concreditis, fac ut cogitasti: ne tamen omnes divende (pretiosissimi sunt Sardius & Topasius) & cave ne in manus impias veniant, sed eorum qvi nôrunt & honorant magnum nomen meum: 8. Plura ego tibi ostendam, qvum tempus venerit meum: tu vigila.

[v. 7. *Lapillis meis.*) In caverna Petræ, ubi promissos qværere jussus erat thesauros, reperetat tunc auri obryzi laminam, cum pretiosis aliqvam multis lapillis: de qvibus hîc sermo cum promissione majorum suô tempore. Vide supra LXXVIII. 15.]

REVEL. CXXIV. 15. April.

[*Deliberatio de exseqvutione*, 1. *Gladius triacutus*, 4. *Transitus muniendi*, 6. *Hac ad Palatinum Hungariæ referenda*, 8. *Aqva à Iesuitis venenantur*, 10. *Quâ serie Terra ha libertati restituenda*, 12. &c.]

ITerum factus est ad me, sub diei exortum, sermo Domini: Hodie Consilarii Regis Transylvaniæ deliberare incipiunt de exseqvutione eorum, qvæ per te loqvutum est os meum. 2. Sed & Adjunctus vocat Effronem ad referendum illi plura qvàm ad te scripsit: pro qvibus tu ora. 3. Nihil autem concludent sine te: qvos proinde tu adibis, iisqve sic loqveris, qvomodo tibi mandavi antè: ut sua in Terra initium faciat Princeps, te præsente. 4. Cureturqve confici Gladius triacutus, qvem gestabit Armiger tuus ad perimendum, juxta mandatum meum, pseudoprophetas, meretricis Babylonicæ filios. 5. Priùs tamen fiat qvod antè dixi, ut limitanei transitus muniantur præsidiô: qvia ad primum rumorem initii facti ut nebula diffugere tentabunt, ac elabi alias in terras. 6. Collocentur ergò in Teloniis & transitibus viri fidi & jurati, ad intercipiendum bona in usum Regis & Regni; ipsosqve transfugas mactandum. 7. Qvam vos artem

tem Jesuitæ docuerunt, Edictis hôc anno vulgatis suo malo. 8. Transsylvaniæ Rex referat omnia, prudenter & occultè, ad Palatinum (Ille enim Patriæ suæ amans est): cum promisso, Nomen & genus Palsiorum æternam inde consequuturum memoriam: expensasque tot & tantas, quas ille Domûs Austriacæ causâ fecit, nec pensatæ sunt, nunc pensatum iri. 9. Sic procedent expeditè omnia hac in terra: sisteturque, illis sic unanimibus, violentia Exercitûs Orientalis, ut ne ferro & igne, captivitatibusque, sic devastetur hæc Terra, quomodo minatus sum, & tibi per stamen Textorium ostendi: sed ibunt pacificè per Terram hanc. 10. Jesuitæ cum aliis sectariis volent ante hunc Exercitum aquas inficere veneno (quod jam parant) spargentes id in puteos per instrumenta inconspicua, mendicosque seminudos, quibus attendatur! 11. Utque id animadversum fuerit, injiciantur aquis & puteis panes in nomine meo, adimeturque vis veneni. 12. Atque sic Terra hæc omnium prima libertati restituetur, secundùm sermonem meum tibi antea factum. 13. Septentrionales si non usque in Terram hanc auxilia miserint, hoc ne moveat; satis illi festinabunt ad Viennam, multis cum difficultatibus. 14. Moravia & Bohemia horrendùm pervastabuntur, quia resistent! Silesii tempestivè prævenient, apud Regem Transsylvaniæ gratiam quærentes. Verùm satis nunc. 15. *Ego autem cogitavi, Cur mihi ante abitum Effronii non significârat hæc Dominus? qui respondit*, Habebunt interim quod meditentur, ora pro illis omnibus, & hæc scribe.

[v, 1. Fortè inceptabant, sed inter se, sine Principe: & ita ut impossibilitatem imaginando hæc vanæ phantasiæ condemnarent. Vide Annot. ad CXXXII. v. 8.) Fuit tunc Hungariæ Palatinus, D. Paulus Palfi, Romano-Catholicus quidem, sed bonus Patriota, Jesuitarum osor. v. 9. *ostendi*) Rev. CIX. v. 13. *multis cum difficultatibus*) quas objecit Polonia, annis 1655 & 1656.]

REVEL. CXXV. 20. April.

[*Preces cum jejunio indicuntur*, 2. *Ultio super Domum Austriacam*, 4. *Septentrionalium cum Occid. & Meridionalibus consensus*, 8.]

A*fflictatus dentium dolore noctem totam, post peractas preces matutinas audivi vocem Domini*: Ecce Comenius & Effron expendunt sermones meos tibi factos, cum jejunio etiam! 2. Fac tu similiter, & jejuna hodie, orans pro illis & omnibus Opus meum tibi revelatum operaturis. 3 *Erectus ergò in singularem lætitiam orare cœpi: sed oppressit me illicò somnus.* 4. *Et postquam evigilassem, post horæ spatium dixit Dominus*: Ecce dies lætitiæ, & tempus jubilationis meæ advenit! inducendæ ultionis super Domum Austriacam. 5. *Cum his verbis advolavit, præter morem, fenestræ meæ Hirundo, mirum in modum suaviter cantillans.* 6. *Cessante illâ, iterum Dominus*: Ultio mea venit super ultimum Ferdinandum de domo Austriaca, cujus majores ego præcipitavi in abyssum inferni propter iniquitates eorum: præter Maximilianum, Carolum, & Rudolphum, omnes dati sunt in potestatem infernalium angvium, ut & ultimus iste. 7. Super cujus ruina exultabunt Gentes, ad proculcandum Bestiam Babyloni-

Ionicam à me electæ. 8. *Mihi autem, quid facerent Sveci, obvenit cogitatio: Et Dominus:* Jam illi fecerunt indicium Occidentalibus & Helvetiis; hi autem Meridionalibus, Græcis & Croatis. 9. Nam & Croatas evocabo: qvi auxilia submittentes Cæsari (vanis ejus pollicitationibus allecti) seipsos exhauserunt viris & viribus, multis domo eductis, paucis reversis. 10. Qvod illi jam animadvertunt, & odium Domûs Austriacæ concipiunt: qvod audies brevi. 11. Tu rarò exeas domo, precibus intentus, ut & alii: & hæc scribe, nusqvam domo exiens. 12. Qvod feci, cum jejunio eâ die.

REVEL. CXXVI. April. 22.

[*Visio Cæsaris & filii ejus, expositorum odio Gentium.*]

UT *peregeram preces manè, apparuit mihi facies viri, admodum fœda: illâqve transeunte alia juvenilis.* 2. *Disparente utraqve dixit Dominus ad me:* Vidistine fœdam Cæsaris faciem, & alteram filii ejus? qvos ego exposui ôdio Gentium. 3. Tu memento rei à me tibi revelatæ: ad dextram invenies solatia mea.

REVEL. CXXVII. Aprilis. 24.

[*Videns prædictarum rerum successum sperare jubetur, exhibitâ sibi Sveciæ Regis personâ,* 3. *humiliat se coram DEO,* 6. *Convivium DEI Gentibus paratum* 9.]

L*Ucescente die, post preces ad DEUM fusas redormiens, vidi Adjunctum hilari vultu adventantem in aream, ubi paratæ erant permultæ Mensæ ad pascendum ingentem populum.* 2. *Qvod spectaculum cùm me exhilarasset, evigilavi, & ad preces redii: ubi mihi, vigilanti jam, obveniebant multi viri nobiles, adeoqve illustres, eâ intentione ut me captivum spectarent.* 3. *Inter qvos fuit persona decora, barbâ rufsè nigellâ: qvam fixè intuitus cogitavi, qvisnam esset?* 4. *Et Dominus ad me:* Svecus est, qvi te propter sermones meos per te patefactos videre gestit, cum aliis pluribus. 5. Jam Ille voluntatem meam significavit Occidentalibus & Meridionalibus: qvorum multi mirantur, me in manifestanda hominibus voluntate mea morem meum nondum deseruisse: pro qvibus tu ora. 6. *Qvibus ego auditis, dixi: Dominator Iehova, tibi ego soli optimè pateo, intus & extra, qui nihil sum nisi pulvis tuus, figmentum manuum tuarum, minimus inter omnes servos tuos: diruptum tamen habens cor ad diligendum te, & obediendum tibi Factori meo:* 7. *Indignus vel micâ misericordiæ tuæ, sicuti David, Iacob, & alii servi & prophetæ tui, qvi jam intuentur faciem tuam, qvorum lacrymas abstersisti ab oculis eorum.* 8. *Ego verò cum aliis adhuc gemo super me, & contritione Gentis meæ, cujus Tu ipse testis es.* 9. *Dominus autem respondens dixit:* Jam ego Nationibus Terræ paravi mensas, ut compleantur gaudiô, edant & bibant, tum hic in Ecclesiæ domo, tum pòst in domo Æternitatis. 10. O si tantummodò auscultare vellent voci meæ! qvâ nunc etiam eos per te ad exseqvendum super spiritualem Babylonem judicium meum invito. 11. Sed cruditas inest cordibus populi: ideò vigilate & orate! tu brevi audies, qvid ego facturus sim. 12. *Ego*

igitur

igitur gratiis actis miseratori nostro DEO, *pro Gentibus illis fervidè oravi: præcipuè pro Transylvaniæ Rege, gratiosâqve protectrice nostra Principe matre &c.*

REVEL. CXXVIII. April. 25.

[*Meretrix Bab. cadaverosa*, 1. *Statera diu qvæsitum æqvilibrium jam invenit exitum*, 2. *Elector Saxoniæ*, 4. *Rex Transylvaniæ iterum monendus*, 6.]

O*Stendit mihi Dominus, mane à precibus*, personam fœmineam vultu cadaveroso, fœdissimo: *qvam intuens obdormivi.* 2. *Et mox vidi suspensam* Trutinam: *circa qvam obambulabant multi, habentes Libros, altercantesqve an jam æqvilibrium esset.* 3. *Visi autem mihi sunt nonnulli (datâ operâ) impedire, ne Libra se ageret qvomodo debuit: qvos abscedere jussi, & Libra mox sese commovit, præponderavitqve pars dextra.* 4. *Ubi qvum adstaret* Saxoniæ *qvoqve* Elector, *dixit ad omnes præsentes*: Per ducentos jam annos rixati sunt de Æqvilibrio, & præponderatione. 5. *Hic evigilavi, & Dominus ad me*: Jam qvoqve Saxoniæ Elector animadvertit tempus esse operi meo. 6. Nam everterunt Libram scelera meretricis Babylonicæ, qvam tibi ostendi cadaverosam: contra qvam apud Principem Transylvaniæ, futurum Hungariæ Regem, concludetur consilium. 7. Timet enim jam Verba mea: & Consiliarii ejus cogitant, unde initium fieri possit. 8. Ibis ad eos, qvum significavero tibi, nihil tergiversatus, exponésqve illis voluntatem meam. 9. Adjunctus eat tecum, nec prætendat labores suos, qvod facere tentabit: scribit tibi solabiliter.

REVEL. CXXIX. 26. April.

[*Videns coronandus coronâ triplici*, 2. Vera societas JESU, 6, 7. *Pseudo Iesuvitarum abominationes*, 8. *Spæna*, 10. *Lux nova Mundo accendenda*, 14. *Conjux Videntis*, 17.]

O*Rto sole, post matutinas meas preces, dixit ad me Dominus*: Redormi adhuc serve mi. 2. *Expergefacto autem mox iterum*: Euge serve mi, trinâ tu coronaberis coronâ propter labores tuos! 3. *Ego verò cogitavi: Cujusmodi istæ coronæ? Et Dominus*: Primâ, hac in terra. 4. Alterâ variis in regionibus, remotisqve terræ Nationibus, qvum ad eos pervenerit Verbum meum, qvod ego Dominus Exercituum per te loqvutus sum: multi enim beatum prædicabunt uterum matris tuæ, & ubera qvæ suxisti, admirabundi gratiam tibi & aliis datam, per revelatam Populis voluntatem meam. 5. Tertiâ coronâ te coronabo in regno Patris mei ad mensam meam, qvaliter coronavi Abrahamum, Isaacum, Jacobum, cum Prophetis, Regibus & Apostolis, aliisqve testibus meis: qvorum tu qvoqve unus es, & sunt multi adhuc in terris constituti, noti & ignoti tibi. 6. Vos tantùm id estote solliciti, ut maneatis in me, & Verba mea maneant in vobis: sicut ego maneo in Patre meo, & Pater atqve Spiritus S. manent in me. 7. Atqve hæc est Societas illa sancta: non autem illa exsecrandarum terræ locustarum, Jesuitarum, hominum caninis moribus, & lupinis venenatis lingvis. 8. Qvi

ut canes discursant per plateas terræ, latrantes: & tanqvam lupi rapaces devorare qværunt aliorum, etiam suæ Religionis Ordinum, opes. 9. Dementantes ipsô nomine meô Reges & Principes Terræ, dominiumqve super ipsos qvoqve usurpantes, ad seducendum eos à via veritatis, & inducendum in idolomaniam contra revelatam voluntatem Legémqve meam. 10. Qvod ego toleravi per Nationes tot seculis: jam autem non feram ampliùs honorem meum transferri in Idola & Statuas, Sanctosve demortuos, qvorum sibi tot constituerunt greges. 11. Antichristiana hæc doctrina est, habere qvodvis Templum peculiarem deum (Patronum) suum: & qvemvis hominem peculiarem Sanctum cujus nomine glorietur, qvem colat, qvo confidat: contra tam apertum, de non habendis alienis diis interdictum meum. 12. Qvod & Turcæ nôrunt, Christianosqve ludibrio habent dicentes; *Cuilibet eorum licere Deum habere, qvem & qvalem vult*: in contemptum mihi Cœli Terræqve Creatori. 13. Scias igitur serve mi, nolle me ampliùs Idololatriam tolerare ullâ in Natione, sed ut Idola & Idolorum cultores deleantur de Terra per eos, qvibus voluntatem meam per te & Adjunctum tibi manifestavi. 14. Qvi lucubrationibus suis per concessam sibi à me intelligentiam accendet lucem, qvam mirabuntur Nationes, cui similem nullus protulit præsenti Mundi ævo: qvod videbis brevi cum aliis. 15. Pro qvo ora, omnesqve cantate, Mane nobiscum Domine Jesu, nosqve Spiritu sapientiæ tuæ rege &c. (*Canticum nobis est de Christi annorum* 12. *ætate, qvod Dominus ipse intonuit, ego autem exultabundus, mente & voce, accinui.*) 16. *Cantu finitô dixit Dominus*, In opere tuo ne cessa! 17. *Ego verò pro uxore mea, adhuc langvida, oravi, peccatorum illi & castigationis veniam petens.* 18. *Ad qvod Dominus*; Miserebor, gratiamqve illi faciam: sed ut mihi fidat magis.

REVEL. CXXX. Maji. 10.

[*Visio Sacrificulorum Pontificiorum*, 2. *aliarumqve Gentilium turbarum, vel vana vel abominabilia patrantium*, 3. *&c. Explicatio hujus*, 9. Instans reformatio Mundi, 17.]

Ascensionis Dominicæ die, expergefactus à somno sensi qvendam animi angorem, mæstissimus spiritu: converti me igitur ad preces, simulqve indormivi. 2. *Et ecce vir qvidam introduxit me in Templum, ubi catervas vidi Sacerdotum Papisticorum, variis ordinis, ceremonias peragentium per omnes Templi angulos, populô nullô præsente.* 3. *Qvos satis intuitus, indéqve egressus, incidi in populum ignotæ mihi Nationis, & aspectu ingratos, qvorum qvisqve suum agebat opus variè: ut exire hinc festinarem.* 4. *Egressus autem inveni alium populum magis etiam insvavem mihi, ob vultus & habitus monstrosos, vanitatésqve qvas dissolutè edendo, bibendo, ludendo, exercebant, DEI & Religionis, ut apparebat, ignari & incuriosi: ad qvos per rimas qvasdam Sol promicabat.* 5. *A qvibus exire avidus, rogabam ut me aliqvis educeret: qvod cùm nemo vellet, ego foramine qvodam reperto elapsus sum pavitans.* 6. *Rursumqve alium inveni populum, magis etiam mihi abominabilem, propter lascivos gestus, qvos sine Numinis reverentia cum invicem*

vicem exercuit, ut me horror invaderet: nemo enim eorum qvicqvam honesti agebat, aut loqvebatur, turpia omnia. 7. *Nescius igitur qvô me verterem, plenusqve anxietatis, oravi DEUM ut liberari ab eis possem: factúmqve est, ut nescio qvomodo elaberer, admirans qvomodo isti plùs tenebrarum qvàm lucis haberent.* 8. *Horrore istô oppletus evigilavi, tristisqve admodum, & suspirans, qvid somnii esset cogitabam.* 9. *Et Dominus ad me*, Vidistine domum Mundi, qvam ego Nationibus & Populis variis per propinqvas & remotas Terras refertam habeo? qvibus licet elucescat lux mea, non tamen ita clarè ut vobis. 10. Illi enim parum de illa intelligunt, viventes tantùm, & opera sua ad naturæ impetum peragentes, & me rerum omnium Moderatorem ignorantes, nullámqve salutiferam cognitionem mei habentes: cogitant solummodò, Edamus, bibamus, qvia cras moriemur. 11. Qvorum mens nonnisi terrena est; unde illis terrena & carnalia veniunt desideria & opera: 12. Qvibus ego de luce Legis meæ, cuiqve genti partem, misi: sed qvæ illis tam curæ est, ut fuit Evæ in Paradiso, licet huic ipsum os meum loqvutum sit. 13. Nunc autem qvales sunt illi etiam, qvi se in luce ambulare dicunt? Qvi Legem meam nôrunt, interim nonnisi mercedem amant, seipsos pascunt, gregis nullâ curâ tanguntur. 14. Cùm tamen Legis meæ doctores tùm ipsi ambulare in Lege debebant, tùm illuminare alios, Reges etiam & Principes: mentes suas ad me rerum omnium Rectorem sursum elevando. 15. Sed sicuti vidisti Papisticos Sacrificulos, multôqve magis Gentiles illos variè deformes nullum ad me respectum habere: 16. Ita sunt & illi qvi propiores mihi videri volentes Populi mei curam negligunt: qvod ego ægrè tolero. 17. Ideoqve Ordinem Mundi per Orbis Nationes renovari volo, per vocem Tubæ à te in testimonium emissam, anteqvam veniat dies Iræ in habitatores Terræ: qvorum ó qvàm pauci sunt, qvi me qværant! 18. Atqve ista nunc sufficiant: tu in sorte tua sta, & eorum qvæ ostensa tibi sunt modò, ne obliviscere. 19. Scribe hæc reversus è cœtu sacro. 20. *Laudavi itaqve Dominum, pavescens & trepidans in ejus conspectu, qvòd me, cum Religionis veræ consortibus, luce collustrârit suâ, cantans*, O sit laus tibi æternitatis Rex.

REVEL. CXXXI. Maji 15.

[*Exultatio DEI de appropinqvante judiciorum suorum termino*, 1. *qvorum* initium mandatur Transylvano, 4. *Ad qvem de his docendum Videns ire jubetur*, 5.]

A*Noctis meridie, qvùm evigilassem, facta est ad me vox Domini*: Exsulto ego, exsulto ecce! exsultáqve tu pariter serve mi! 2. Appropinqvant enim dies, in qvibus opus meum, tibi & aliis detectum, procedet palàm. 3. Jam etenim Sagittæ meæ, à me politæ, volant, ut se figant in Cordibus inimicorum meorum! celerésqve nuntii cursitant à gente ad gentem, illam etiam qvæ ad Ortum est. 4. Si futurus Rex, Transylvaniæ Princeps, initium facere recusaverit, Turca faciet, sed malô Terræ hujus. 5. Qvô autem locô nunc ibi res sit, Adjunctus te docebit brevi: Te verò istuc ire necesse erit, postqvam expedieris qvod expediendum est, in petra, & alibi: mea dextra proteget te. 6. *Qvibus ego auditis, singulari lætitiâ perfusus fui; qvia solitò celeriùs, & qvodam-*

dammodo clariùs, ista extulerat Dominus. [in signum scil. celerrimæ exseqvutionis.] Laudaviqve Creatorem meum; de privatis qvibusdam ab eo, me & familiam concernentibus, informatus.

REVEL. CXXXII. 19. Maji.

[*In Aula Racociana cur hæc suspecta*, 2. Deus fulmina sua minatur si homines instrumenta se dare Deo renuent, 4. *Messis Gentium instat*, 6. *Coronatio Videntis explicatur*, 8.]

I*Psô Pentecostes die expergefactus, precibusqve peractis, Qvid Princeps & Consiliarii ejus agerent, cogitare cœpi.* 2. *Et facta est vox Domini ad me:* Omnia illis suspecta sunt, primò propter personam tuam: secundò, non completa qvædam prædicta: tertiò, propter impossibilitatem rerum à me demandatarum, tum inceptu, tum continuatu. 3. Ego verò semel sum loqvutus, voluntatem meam fuisse, & esse, ut hac in Terra initium fiat à Domo Racociana, qvum hora venerit mea. 4. Qvam voluntatem meam si nolent intelligere, ego fulmine meô Delubra eorum disjiciam: mittámqve Gentes alienas in Terram hanc, qvæ eam vastabunt. 5. Et intelligent tandem serò, suô & Terræ suæ malô, me loqvutum fuisse. 6. Vidisti per somnum Segetes messi maturas: ecce messis mea appropinqvat ad colligendum Gentes! ubi Messoribus opus erit spiritualibus, qvorum paucos vidisti. 7. Appropinqvat & benedictionis tuæ messis: Vigila tantummodò & ora! 8. *Ego verò cogitare cœpi, qvid istuc esset, qvod mihi Dominus de coronatione mei loqvutus esset nuper: nec me scire qvid porrò mecum, & sermonibus omnibus istis ad me prolatis, futurum esset, misericordiam implorans DEI.* 9. *Et Dominus ad me:* Coronatio tui hac in terra est coronâ spineâ, qvâ te coronant tui, & alieni multi, contemnentes te & omnia hæc. 10. Coronatio aliis in regionibus gloriosior est: gloriosissima verò erit in vita futura, qvam præpedire poterit nemo. 11. Ego enim qvod semel dilectione sum complexus, diligere non desino in æternum: gaude hâc veracitate meâ, me nixus, non confunderis in æternum. 12. Et laudavi miseratorem meum.

[Tempus esse videtur memorandi, *Qvomodo tandem Revelationes in Georgii Principis notitiam (invitis Aulicis) deductæ fuerint.* Compereram enim, tametsi Princeps me videre & alloqvi desideraret, occasione etiam funeris Fraterni speraret, illos tamen Principi matri persvasisse, ut ne interessem, neqve cum aliis invitarer: frustraqve à me omnia in Transylvaniam mitti, dum ab illis (Theologis præsertim, *Bisterfeldio & Megyessio*) omnia intercipiantur, Principi tradatur nihil, vidi. Qvestus ergò de his ad Præfectum, consilium reqvisivi: qvi tale dedit. *Aderit his diebus* (inqvit) *Kemenj Janosch, Principis Consiliarius intimus, futurusqve Regni Transylvaniæ (si Principis fata non averterit Deus) Gubernator: illi communicanda erunt omnia.* Acqvievi, venit ille, introductus sum, negotiumqve totum (Præfecto præsente) explicui. Inqvirit ille in omnia, per ipsas circumstantias in rei certitudinem penetrare avidus. Tandem exemplar poscit omnium eousqve factarum revelationum: se visurum qvomodo per occasionem Principi suo insinuet. Qværebat tamen: *Anne Principem de his meô nomine securum reddere posset?* Respondi: *Me ista canonizare non posse, Dei & Ecclesiæ exspectandum esse judicium, qvale tandem (ab istis impletis aut non impletis) formari poterit. Humana tamen deceptionis nihil subesse,*

esse, ullam interponi posse fidem; (sed & ipsius D. Præfecti, cui videns ab annis plus 20 notus est.) *Nec offerri hac cum necessitate credendi: sed ad occasionibus* (qvas illi ad rerum gubernacula sedentes meliùs videre possunt) *attendendum*, &c. Exemplar ergò describi curavi, illisqve (circa negotia ita occupatis ut accessus vix pateret) in arcem submisi, tali adjunctâ epistolâ. *Gratiosi Domini, Mitto exemplar qvod postulastis: orans Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut vobis det illuminatos oculos cordis, spiritumqve sapientiæ & revelationis in agnitionem voluntatis suæ. O illustres animæ, Vos duo, præbete Vos organa digna Deo, dum adeò torpent alii! Vobis commendo eorum, pro qvorum salute Vos Altissimi providentia excubare jussit, salutem; & qvæ cum illa conjuncta est Ecclesiæ Patriæqve salutem. Eò magis, quantò certioribus indiciis colligo, ad Vos duos solos potissimùm devolvi, ut Atlantes sitis Excelsam à ruina conservantes Domum. Agnoscite* (*per viscera miserationum*) *gratiosæ Visitationis tempus, dum ostium adhuc patet! clausum si fuerit, sera erit deliberatio. Ergò deliberate jam: & sapite ante factum, non pòst. Faciant Vos aliena pericula* (*imò interitus*) *cautos: ne & Vos abripiat is, qvi frustra homines invocans, deinde se qvoqve invocantes non audit: eòqve ne ruina Vestra ruinæ universali sternat viam.* (Hem ominosas tunc voces!) *Legite obsecro ipsi primùm qvæ offeruntur, expenditeqve in timore Dei. Atqvi Politicum est omnia circumspectare, & unde cautionis aliqvid accedere possit nihil intermittere: sive sint historicæ de rebus olim aut nuper gestis relationes, sive de futuris* (*instituta per discursus Politicos, aut divinationes Astrologicas*) *conjectura. At hìc plus est, & ex altiori principio veniens, sine humanæ curiositatis mistura: aspernarinè velitis? Deumnè* (*si hìc loqvitur*) *nec audire nec seqvi libeat? Loqvutus fuit Sedekias rex cum Ieremia in occulto, sed serò: respondentemqve audivit tantùm, non etiam obedivit consilio. Vosne igitur, dum Vobis qvi loqvatur ultrò* (clam etiam interim) *mittitur, ne audiatis qvidem? Faxit Deus ut faciatis etiam! sitisqve non arcus fallax in manu Domini* (Os. 7. 17.) *sed sagitta nitida in pharetra Iehovæ, gladiusqve acutus in manu Dei* (Jes. 49. 3.) *Facite ò Vos inter Vestrates magni* (*qvi pro reliqvis gestatis oculos, aures, cerebrum, cor*) *ut ad obseqvendum Deo concipiatis spiritus generosos, heroicos, divinos! Et faciet Vos Deus coram se & mundo magnos, & ad posteritatem gloriosos; sicut fecit Iosuam & Calebum, rebellioni contra Deum obsistentes, sepemqve pro populo* (*ut ne perderetur*) *opponentes* (Num. 14.) *Plus non possum, nec fortè opus est: aut si est, suspiriis agam ad misericordiæ Dei pedes prostratus, ut à nobis auferat iram. Qvod erit, si auferat cor lapideum, detqve cor carneum, in obseqvia sua flexile. O Deus, Deus, Deus, percute cæcitate hostes tuos, non autem servos tuos. Nobis potiùs aperi oculos, ut in luce Tua videamus lucem! Valete illustres Patroni: & si qvid fortè adhuc oriatur scrupuli, ne celate: solvere omnes confido, Deo fretus. Exercuit enim me circa materiam hanc multis tentationibus Dominus, anteqvam videre dares lucem suam.* Illi gloria! 20 Maji, 1652. Qvia verò *Præfectus Kiobucicius* pro se qvoqve describi petiit exemplar, ut per otium tantò diligentiùs expendere posset omnia, descriptum fuit, illiqve (præsente adhuc Kemenio) transmissum, adjunctis iterum monitiunculis hisce: *Generose Domine, Ut faciliùs omnia recognosci possint visum est notabiliora subduci rubricâ. Rogo per adorandum Dei nomen, sepone in his legendis præjudicia, liberò utere judiciò. Discretio spirituum donum est Dei, non alligatum ad Theologos: toti Ecclesiæ datur, potissimùm Ecclesiæ nutriciis, simplici Davidicò corde Deo servire paratis. Habes per Dei gratiam exercitatos in Scriptura sensus: dijudicare* (*invocatò Deo*) *poteris, an hæc ab ullius creaturæ figmentis venire, imposturamqve redolere, possint. Atqve si altiora esse humanò Intellectu apparebit, tenebimur professò gloriam dare Deo. Ego in conspectu Cæli & Terræ protestor, me ista sic nunc apud Vos duos deponendo non aliud qværere, qvàm Vestrum, & per Vos Viros publicos publicum bonum. Deum timeo, homines formido, Vos amo, de Ecclesiæ salute solicitus sum, sicut & de salute eorum, qvi me vocatione ad se dignati sunt:*

qvibus preinde obstrictum me sentio, ne sileam, si qvid ex usu aut noxa esse intelligam. Vos qvidem aliud agere me jubetis, & ago: noctesqve diesqve in iis sum ut juventuti Vestræ prosim. Onus tamen impositum à Domino (& cujus potissimum causâ me huc missum intelligo) gravat conscientiam: nec mihi qvies esse potest, nisi re in notitiam Vestram plenè deductâ. Id simul atqve factum intellexero, tantò liberiore mente agam ea qvæ à me reqviritis, & recepi. Misereſcat te mei, dilecte Patrone, ut me his scrupulis liberes! Misereſcat Tui, ne pertinaciùs reluctando (id qvod scio non à bonitatis defectu in anima Tua pia, sed à defectu informationis, venire) aggraves Tuqvoqve in Te iram Dei. Misereſcat Te Celsissimæ Domûs, cujus saluti prospectum itur divinitùs, debetqve humanitùs etiam. Misereſcat deniqve Patriæ, ad avertendum terribilem illam (Revelatione CIX) *illi denuntiatam ruinam. Qvam ruinam amoliri majoris consilii & operæ res erit, qvàm ut merè humana istuc sufficiant consilia. Vale, & corroborare in Domino! qvò ut mentem Tuam ignis cœli inflammet Spiritus sanctus, indesinenter suspirabo.* 22 Maji, 1652. Hoc etiam oro. *Chartæ istæ in nullius hominis manum, aut oculos, veniant. Causam hanc in præsens coram Vobis duobus, Consiliorum directoribus, Deo teste agi sufficiat. Iterum iterumqve oro.* Qvia verò D. Bisterfeldium magnâ apud Principem pollere gratiâ & authoritate scibam, hunc etiam ad rebus attendendum semel & iterum per literas oravi, antè & pòst. Inter alia sic: *Non dubito Tibi ante alios ad trutinam oblatum iri hoc divinitùs missum speculum: in qvo videri possunt qvæ hactenùs abscondita esse voluit ab oculis Pharaonum, & Principum Soan, sapientumqve Babylonis, Deus noster. Vide ut hæc recognoscere ne asperneris, Tu qvi in sublimi illa specula constitutus, talia circumcirca observare potes, ad qvæ nos humiles non pertingimus &c. Non cogo Te ista credere, nec enim possum: sed meam liberatum eo conscientiam, ne tota silentii culpa hîc (ubi non sileri vult Deus) in me unum recidat. Rogo tamen qvantum possum, ne ista ventis permittantur. Res magni periculi est, publicò & privatò respectu. In utramqve sanè partem: qvia & decipi imposturâ, venientis tanqvam à Rege Legati qvi talis non fuerit, turpe est; sannis tamen excipere tanqvam impostorem, qvi Legatus fuerit verè, periculosiùs multò. Timore hîc Dei, imò trepidatione, suspiriis profundis, oratione ferventi; cordeqve in obseqvia Dei parato, opus. Qvicqvid verò Tibi de his videbitur, inter nos manere velim: qvia tantarum rerum incapaces adhuc sunt pleriqve, sancti etiam & fideles: ob intermissam tot seculis tam familiariter Deo cum hominibus agendi consvetudinem. Qvam resumsisse blandissimum Patrem, nos non temerè credidimus: sed post ingentes tot annis animorum luctas, omnibusqve modis tentatas spirituum probationes, & impleta tot tristia prædicta, ad alios verò eventus manifestam dispositionem, &c.* [Ecce in secreto tùm agitata in apertum Cœli jam veniunt, ad verificandum illud Christi Luc. 8. v. 17, 18. & Joh. 3. v. 20. 21. Nempe actionum mearum ad tribunal Christi reddenda jamjam est, in Cœli & Terræ conspectu, ratio: cur Ecclesiæ tribunal formidem, eò protractus? *Seu pius seu impius fui talia tùm agendo, acta esse negare non possum. Et malo jam amicos & hostes (meos & causæ hujus) scire id qvod est, qvàm suspicari id qvod non est. Non bella excitatum ibam, novit Deus: sed Bella sistendi, Pacemqve reducendi, monstratum divinitùs remedium in notitiam deducere eorum qvibus jubebar, eventu qvò vellet ipse Deus.*] His ergò viis obtentum est, ut *Georgio Transf. Principi* ista innotescerent: fidem etiam invenire viderentur ex eo, qvòd comminationes Patri & Fratri factas evenisse palàm erat. *Reqvirebat itaqve Princeps* (non tantùm per Præfectum, sed & per literas ad me) *si aliqva horum erit continuatio communicari sibi, qvod non intermisimus*: an autem illis fidem adhibendo seqvi etiam proponeret, nunqvam aperiebat. *Certum autem est constanter obstitisse Consiliarios, consilia Principis ad rationem status revocantes*: ut ex freqventer seqvutis divinis qverelis, & expostulationibus, ipsoqve tristi rerum eventu, patuit.]

REV.

REVEL. CXXXIII. 3. Junii.

[*Sagittæ furoris adversus Babyl. jam emissæ*, 4. *Videns ire jubetur, adversus pericula promissionibus munitus*, 7. *&c.*]

P*Eractis matutinis precibus redormivi, & me inter amicos constitutum vidi, sermocinantes de iis qvæ in Mundo fiunt.* 2. *Ingressus verò ad nos meus Adjunctus qvæsivit, num à se accepissem literas? respondi, Modò allatæ sunt.* 3. *Ille, Tardas qvòd non venis, plus enim erit qvod tibi referam: simulqve evigilavi.* 4. *Et Dominus ad me:* Sagittæ furoris mei ab Ortu, à Septentrione, ab Occasu, & à Meridie, surgent ut ignis, ad intellectam vocem meam jam ad illos penetrantem. 5. Ut exseqvantur judicium meum contra spiritualem Babylonem: consentientes in eo, tempus esse ut audiatur super Babylonem clamor, Væ, væ, væ nobis, qvi fornicati sumus cum Meretrice! 6. Nam cecidit Columna cui innitebamur: venitqve dies plagarum iræ Dei, effundendarum ab Orientalibus & Borealibus primùm, & mox qvoqve celeriter ab Occidentalibus & Meridionalibus. 7. Tu itineri te para, ut vocatus eas tanqvam juvencus ad mactandum: cras enim literas habebis. 8. Sed tu ne metuas, serve mi! Servabo ego te ut Abrahæ filium servavi à morte, Eliam à Jesabel, Danielem à Leonibus, Sidrachum & Misachum à flamma fornacis, Johannem dilectum meum in oleo, Petrum in carcere, Paulum in mari: tantummodò fac voluntatem meam. 9. Provide domui tuæ panem, & benedicet tibi dextera mea, qvemadmodum expertus es hactenus: Uxor qvoqve tua recipiet paulatim vires. 10. *Et celebravi bonitatem DEI, decantato etiam Psalmo XVII.*

REVEL. CXXXIV. 7. Junii.

[*Contemnentes contemnentur*, 3. *fidentes DEO confidenter agere jubentur: & de editione Bibliorum linguâ Turcicâ*, 5.]

A*Cceperam pridie literas ab Adjuncto, qvibus qvàm nihil proficiat Verbum Domini apud eos, qvibus nuntiatum est, edocebar: tristis ergo admodum fundebam ad Dominum suspiria.* 2. *Qvi me à matutinis meis precibus alloqvutus, prohibuit admirari duritiem cordis humani, & ea qvæ in aula Domûs Racocianæ fierent, dicens:* 3. Vocavi ego eos Betulletum, mihi tibiqve dilectum: sed dum agnoscere hucusqve me nolunt, neqve se, qvòd indigni sint solvere corrigiam calcei mei: 4. Sibi ecce nocebunt, reputati à me ut pannutium tergendis pedibus meis indignum! 5. Qvorum tarditate Adjunctus remorari se ne patiatur, sed qvomodo demandatum sibi opus, in adornanda Translatione Legis meæ in linguam Turcicam promovendum sit, cogitet. 6. Cui rei locum magis idoneum, qvàm ubi nunc est, non reperiet, qvâ statione ego ipsum locavi. 7. Noli timere serve mi, non confunderis. 8. *Ego ferventer gratiis actis DEO, petii roboraret nos ad opus suum &c.*

[v. 5. & 6.) Non defuissent utiqve occasiones in tanta Turcarum vicinitate, & qvia typos Arabicos domi habebamus, in erecta nuper à defuncto Principe Typographica Officina:

ficina: sed loqvi, ea de re frustraqve tentatum est eò loci, ubi his fides negabatur, ubi metalli amor omnibus ante habetur. Aliis ergò servatus fuit honor ille.]

Revel. CXXXV. 10. Junii.

[*Domûs desertæ Visio ad Domum Rac. applicatur*, 1. *Subsannare Prophetas* DEI, *nihil novum in Mundo*, 9.]

A *Precibus matutinis rediit mihi somnus, quô videbar curru vehi montem præaltum versùs, cujus cacumen occupabat Arx quædam.* 2. *Hanc ingressus perpaucos reperi homines, lustransqve conclavia, vidi Virum habitu Germanicô, cum accincto gladio spatiantem solitariè.* 3. *Ego autem per omnia conclavia nihil præter varii generis vasa, satis qvidem pulchra, sed vacua, videns, egressus sum.* 4. *Experrectusqve oravi pro Ecclesia, cantu etiam additô &c.* 5. *Quô finitô, de Adjuncto cogitare cœpi, an recepisset mea 3. Junii missa, & qvid responsurus esset.* 6. *Et facta est ad me vox Domini mei, dicens:* O Tricæ incoctorum judiciorum humanarum ratiocinationum, qvæ in Aula Domûs Racocianæ, de sibi aliisqve per te revelata voluntate mea proferuntur! 7. Jam enim Mater & Filius determinârunt consilium, nihil in his agere; sicut nihil egerunt mortui eorum (Pater & Filius.) 8. Ideò relinqvitur Domus eorum deserta, sicut vidisti: nam interibunt brevi propter inobedientiam suam, & è Germanorum gente qvidam succedet affinitatis jure. 9. Reperiebantur jam olim, in Regum Principúmqve aulis, qvibus deridiculo erant Prophetæ mei, perqve illos prolati sermones mei: nec desunt hodièqve. 10. Sed te id nihil offendat, nec alterum illum servum meum: ad qvem ibis, cùm significabitur tibi. 11. Lapilli pretiosi à te missi non magni sunt apud eos æstimii, aurum illis cordi est, &c.

[v. 8. *Interibunt*) Eheu tristes voces! Interierunt enim (ut jam suis locis patebit) & *Mater*, & *Filius*, & *Bisterfeldius*, & *Megyessius*, & *Kemeni Ianosch*, & *Klobucicius*, &alii: in testimonium æternæ veritatis illius, *Quis unqvam restitit Deo, & pacem habuit?* Job. 9. 4. Qvod de Successore additur, *Michael Apafi est*, non Germanus qvidem gente, Germanorum tamen (Saxonicorum aliqvot in Transylvania pagorum) Dominus, Germanicæqve lingvæ gnarus: qvod Principum Transf. anteipsum nemo. Annon tamen alius qvispiam intelligendus sit, tempus docebit.]

Revel. CXXXVI. Junii. 19.

[*De mutabilitate & immutabilitate* DEI. 2. &c. *Imperfectionum aculei Sanctis relicti*, 20. DEUS *promissa præstat*, 22. *Locus ubi hæc dicuntur sanctificatur*, 28.]

R*Edditæ mihi fuerant* 15. *Junii ab Adjuncto, significantes vivere eos, qvibus mors denuntiata fuit*, 9. *Martii &* 10. *Martii: eôqve ipso dubio involvi apud conscios omnia reliqva.* 2. *Ego itaqve angi variè, & recogitare qvid illud sit, qvod* DEUS *toties de se jam olim per Prophetas, & ad me, testatus sit*, Se non mutari, neqve verba sua. 3. *Ad qvas solicitas cogitationes meas Dominus hâc die respondit, dicens:* Non mutor in rebus æternis, & ad æternitatem spectantibus; mutor

mutor intemporaneis, mutationem adhibens in iis qvæ fiunt, æqvè nunc ut olim. 4. *Ego timore perculsus, annon offenderim curiositate meâ Majestatem DEI cogitare cœpi, deprecarique, si offendi, ego vel alii.* 5. *Ad qvæ Dominus:* Offendisti heri, proponens animo jejunium, qvod non servasti: qvum tamen ultrò id elegisses, à me non mandatum. 6. *Erubui, conscius mihi facti: & mox nescio qvomodo somno mersus sum.* 7. *A qvo expergefactus orare cœpi, & Dominus ad me:* Intellexistíne, qvod antea de mutabilitate & immutabilitate mea dixeram? 8. Immutabilitas mea æterna est, respectu essentiæ, personæ, proprietatúmqve mearum: imò & Angelorum meorum, eorúmqve qvæ ego de Hominum æternitate decrevi ac prædestinavi, in salvandis illis qvibus paravi locum, rejiciendisqve impiis: hîc nunqvam fui mutatus, neqve mutabor in æternum. 9. In rebus autem temporaneis, an nescis qvàm fuerim mutatus in Adamo & Eva? qvàm in Mose? cui promiseram terram promissionis, [Exod. 33. v. 1, 2. Levit. 14. v. 33, 34.] qvam tamen duntaxat ostendi ei? & ex tanta multitudine nonnisi duos in eam introduxi. 10. Qvid autem in aliis? innumera habes exempla: nam aliud est opus meum æternum, aliud temporaneum. 11. An non muto æstum frigore? tempestatem intempestate? hominúmqve, & omnium viventium, vitam morte? omnis rebus mutatio à me, liberáqve voluntate mea, venit. 12. In qvo qvis agnovit mentem meam? qvid ego, cur, & qvando, cum Creaturam ea egerim, & agam? aut cujus exqviram consilium ego liberrimum agens? 13. Cùm tempus à me decretum ulli rei advenit, fieri eam necesse est: cùm præterit, cessare. 14. Cùm tempus Diluvii venit, venit diluvium: cùm abiit, abiit. 15. Ubi sunt Sacrificia mea, & Ceremoniæ Veteris Legis? nusqvam sub Sole sunt: nedum ibi, ubi eas ordinaveram. 16. Noveris ergò me in rebus temporaneis mutationem sæpè induxisse, & inducere: qvia misericors sum, qvem pœnitet mali, ut ne qvis nisi suâ culpâ pereat. 17. Sed in æterno opere meo, & in Meipso, Angelisqve & Electis meis, circa æternum bonum, neqve mutatus sum unqvam neqve mutabor. 18. Si qvid circa Principem & alios non evenit, qvod eventurum dixi, causæ notæ sunt mihi, detexiqve nonnullas tibi: alia verò multa, qvæ dixi, annon evenerint cogita! 19. Contemni personam tuam? an nescis (qvid egerim) cum Hodossio, aliisqve jam mortuis, non expendentibus opus meum? 20. Ego enim etiam in dilectis mihi servis meis reliqvi hîc à carnis corruptela venientes imperfectionis aculeos: ut in Elia, Jona, Davide, aliisqve sub nova Lege, dummodò illi ad me provoluti errata sua agnoscunt & emendant. 21. Noli proinde mirari, Opus qvod mando illis impossibile videri: incredulitas, inobedientiæ juncta, istuc eos impingit. 22. Non immemor es, qvam ego Principi defuncto assistentiam promiserim: si me seqvi voluerit, amoturum me ante ipsum, & Exercitum ejus, saxa & moles. 23. Fuítqve ita: exivit Transylvaniâ, rediítqve sospes: qvô nisi me Jehovâ duce? 24. Qvòd Consiliarii moderni attendere hucusqve nolunt, non aliter eventurum hîc fuisse, nec eveniet, si illi ductum consilii mei seqvantur, qvàm ut fugiant à facie illorum, velut nebula, Idololatræ. 25. Non qvidem deerunt furores: sed sciam ego qvomodo protegam voluntatem facientes meam. 26. Tu ad obseqvia promptus esto, in omnibus ad qvæ mihi placet operâ uti tuâ. 27. Jejuna hodie, & ora, pro te & aliis

28. Et detrahe calceos de pedibus tuis, qvia locus in qvo tecum loqvor sanctus est: Ego enim illum sanctificavi nomine meo, & tu sanctificasti eum precibus. 29. Sufficiat nunc, tu verba hæc mea scripto consigna: Benedictio mea tecum erit, cui tu innitere. 30. *Et collaudavi Dominum cantu.*

REVEL. CXXXVII. Junii. 23.

[*Hostes DEI secretò consultantes, adversus consilium DEI nihil valent.*]

H*Orâ matutinâ qvartâ, fusis ad DEUM precibus redormivi, méqve cum Viris qvibusdam primariis, secretò consultantibus, vidi.* 2. *A qvibus consilium qvæsivi apertè*, Qvomodo mihi hæreditas mea, in patria relicta, postliminiò esset repetenda? 3. *Responderunt illi, Consilium in præsens esse nullum: & mox evigilavi, Dominiqve vox insonuit:* O scientia, scientia! 4. *Qvùm verò vocem illam mirarer, perrexit Dominus:* Scientia consiliorum humanorum, & cientia Jesuitarum, nihil valebit adversus scientiam meam, qvam in mutatione Mundo introducenda demonstrabo. 5. Tu reqvisivisti consilium de recuperanda hæreditate: qvæ ad te redibit facilè, postqvam dejecero superbos de soliis, & dispersero crudelia corda hostium meornm & vestrorum. 6. Et scies me promissi tibi facti esse memorem: sed & nunc an nescis me tui etiam dormientis habere curam? 7. Mansuetè age & circumspectè: sermonum meorum memor.

[v. 4. Docet, qualium prædictionum impletionem expectare debeat, qvi de his solidè judicare velit.]

REVEL. CXXXVIII. 2. Julii.

[*Visio Domûs vastata, reparataqve & repurgata, ad Magnam Orbis Reformationem applicatur, 6. Qvam promovent adversum invicem concitatæ Gentes, 14. Turcica Gens primùm illuminanda, 17.*]

P*Ost matutinas preces incessit me animi mœror, qvô angustatus indormivi.* 2. *Et vidi me ingressum Domum qvandam, ubi sedebat* I. *Effron decorè vestitus: præsentes verò ad me conversi, petebant ex me audire Verbum* DEI. 3. *Sed ille cum aliis prohibuit, & sermonem qvendam ipse habuit, qvod ægrè tuli.* 4. *Qvidam verò ingressi vocabant me ad lustrandum interiora Domus illius: & ecce fuerunt conclavia diffracta, & pleraqve omnia adeò diruta, ut me spectare miseresceret.* 5. *Sed ecce paulò pòst comparuerunt, qvi eam repararent ac dealbarent: accedentésqve ad me viri honesti qværebant, an rectè sic fieret? consolati me, ut despectu ab Effronio mihi facto ne moverer: qvi & ipse ingressus epistolam mihi qvandam tradebat.* 6. *Tum evigilavi, & Dominus ad me:* Ecce domus mea, domus Mundi, inqvinamentis oppleta est, per omnes angulos Nationum variarum & longinqvarum, domum meam Mundum inhabitantium! 7. Qvi tametsi lucis naturalis ab Adamo partem habent omnes, alteram tamen lucem meam, qvam soliloqviis meis cum hominibus, Patriarchis multis, promulgationéqve Legis meæ cum

cum terrore ac horrore accendi, nesciunt, nec scire volunt: qvia iis media, per qvæ plenum asseqverentur lumen, non subministravi. 8. Et qvanqvam à duobus seculis, & ultra, clangor Tubæ meæ, fulgórqve Lucis meæ, innotuit per aliqvos angulos & terras operâ Virorum ad hoc à me electorum: qvi & alios multos post se reliqverunt voluntatis meæ à fundamentis gnaros. 9. Qvid tamen juvat, cùm Bestia Babylonica, & complices ejus, venenô inventionum suarum, & doctrinis Idololatricis suis, omnia inficiant & conspurcent? evertéreqve adhuc qvicqvid boni est laborant? 10. At ego non ampliùs feram rationalem creaturam meam, Hominem, tam irrationabiliter tractari: 11 sed ut exeat sonus vocis meæ, & doctrina vera Evangelii meï, in omnes fines Orbis Terræ, per viros qvos jam hinc inde habeo in facie Terræ, & qvos illi ipsi inter qvos habitant, & labores impendunt, æstimare nesciunt. 12. Volo igitur ut hi jam surgant, & cum salutiferis meis cimeliis exeant in omnes Orbis plagas, ad omnes feroces mihi nondum subjugatos. 13. Ut repurgetur Domus mea, & repleatur Convivis de foro, & de plateis, & de viarum compitis, & de repertis inter sepes, inqvinatis fœtore stertqviliniorum, & morticinis putridarum ratiocinationum humanarum corruptarum. 14. Qvod opus meum promovebo concitatione omnium Gentium adversus invicem: ut qvicqvid mali est, & idololatrici, mihiqve & voluntati meæ contrarii, corruat priùs, & evertatur funditùs. 15. Accinge igitur te tu qvoqve vividè operi meo, cum iis qvi se tibi auxilio dabunt! 16. Atqve id utrâqve manu hac in Terra incipite subitò, antеqvam Orientalis Sol veniat cum robore suo, subvertátqve cardines Terræ hujus: qvod serò deplorarent illi, qvibus opus meum revelo maturè, ac demando. 17. Simul verò ac illi manum operi admoverint, Turcica Natio prospicere incipiet, ut illuminationem accipiat prima è Libris illis, qvos eorum in usum parari volo: intelligántqve opus meum illi etiam de gente vestra, qvi verba mea per te prolata fecerunt nihili. 18. Tu autem, serve mi, promptus esto ad omnia, & paratus! Benedictio mea tecum! 19. *Qvibus ego auditis exclamavi:* O gloria cœlestis extende dexteram tuam &c. (*Cantus est Ecclesiasticus pro auxilio DEI in persequutionibus.*)

REVEL. CXXXIX. 9. Junii.

[*Mandatum primum de adeundo Adjunctiv.*]

A *Matutinis precibus factum est ad me Verbum Domini, dicens.* 2. Etiam tua spes, serve mi, vacillat, de rerum per te nuntiatarum completo eventu. 3. Verum enim verò tantummodò mihi obseqvere: prospectôqve uxori & liberis, para te ut exeas in nomine meo, ad locum unde literas accipies: (*venerunt* Patakô, 11. *Iulii.*) 4. Ibi verò expeditis rebus, & factô initiô cum occisis viris decem, redibis, ut domi tacitè liberationem exspectes. 5. Orationem qvam formare cœpisti absolve: sed lamentum Jeremiæ (super diem nativitatis tuæ) omitte. 6. Non imposui tibi, nec imponam, tam grave onus, ut imposueram illi, tametsi ad impatientiam prono: nec ille tantum habuit lucis, qvantum tu donô meô habes. 7. Vale, & prudenter age! 8. *Mihi verò cogitatio subiit de*

mulieribus veneficis, in oppido nostro captivatis: & Dominus respondit, Incalefacient sceleſtæ campos veſtros: *quod & quadriduò pòſt factum. 9. Ego autem vogavi auxilium Domini & confirmationem verborum ejus, cantillans:* O Auxiliator ſpes mea &c. (*Sunt Cantici de Tentationibus verſiculi extremi duo.*)

[v. 4.) Eliæ zelum imitari, Baalitaſqve gladiô confodere (in ipſius Principis conſpectu) juſſus fuit: qvod cùm deprecaretur (ne vir ſangvinis eſſet) permiſſum illi Armigerum aſſumere, qvi id peragat, Rev. 195. v. 9, 10, 11. Qvod nobis conſciis terrori fuit, metumqve ne omnia hæc aliunde qvàm à Deo venirent, incutiebat.]

REVEL. CXL. 20. Julii.

[*Filius DEI ut Sponſus apparuit*, 2. *explicatio*, 4. *Terræ Moravæ vaſtatio*, 8. reliqviæ larvaæ in concordiam redigendæ, 9. *Adjunctus adeundus*, 10. *In Ieremia locus oſtenſus*, 13.]

CUm preces peregiſſem matutinas, pro me & Eccleſia, rediit mihi ſomnus. 2. *Ubi ſponſam procare videbar Iuvenis formoſo, togâ violaceâ amicto, qvem Senior Lanetius comitabatur: Adjunctus verò me qvoqve amiciebat veſte. 3. Tum videbar colligere triticum, ex qvo paratos panes candidiſſi nos ſcindens diſtribuebam. 4. Ut evigilavi, facta eſt ad me vox Domini:* Serve mi, annuntiata tibi pridem veniunt, & evenient! Appropinqvant enim nuptiæ conjunctionis meæ cum Gentibus. (Apoc. 19. 7.) 5. *Ego verò cogitavi Lanetium, qvem conſpexeram, qvid hoc ſibi vellet? 6. Et Dominus:* Pater meus in forma Lanetii, ego in forma Sponſi, apparuimus tibi: Opus enim noſtrum eſt qvod agimus, & agemus, ſuper faciem Terræ. 7. Tu vide ut eas, vocatus, ad Principem, illiqve oſtendas omnia qvæ indicavi tibi. 8. Nam & Turca & Tartarus cum illo ibunt: per qvos tua qvoqve Terra horrendùm vaſtabitur propter Idololatriam. 9. Atqve tum redibis eô tu, cum non multis ſuperſtitibus: adjungéntqve ſe vobis alii Evangelii Miniſtri, qvos in Ordinis cancellos (tametſi qvoſdam invitos) redigere laborabitis, tu cum Adjuncto tibi 10. Ad qvem tu iter capeſſes, conſignatis iis qvæ tibi exſeqvenda ibi mandavi: videbis benedictionem meam, qvam tibi triticô & pane oſtendi. 11. Sed ibi ne diu morare: diluvium enim iræ meæ advolvi incipiet ſuper Terram hanc. 12. Bonô eſto animô, ſerve mi, & hæc, precibus cum familia peractis, conſigna. 13. Perlecturus autem è Bibliis caput (*qvod pro exhortandi ad preces materia ex ordine ſeqvitur*) qvàm primùm aperueris Prophetarum librum, verſo folio oſtendam tibi qviddam, qvod te expendere ex uſu erit. 14. *Aperui ergò, & inveni caput XLII Ieremiæ, ubi Principes Iudæ conſilium qværunt à DEO, qvod tamen datum per Prophetam rejiciunt: præcedenti autem capite (v. 8.) vidi deſcribi viros decem deprecantes occidi, & promittentes theſauros. 15. Qvod qvô fine mihi oſtenderit Dominus, neſcio: explicatum enim non eſt. 16. Ego autem implorabam Spiritum ſapientiæ, mihi & omnibus qvos ad opus ſuum vocat Dominus.*

REVEL. CXLI. 13. Augusti.

[*Silentii redditur ratio*, 2. *Dolium denuò crepat*, 3, 4]

COgitare subibat, *Quid rei sit quod integro ferè mense voluntatis suæ nullum indicium faceret Dominus.* 2. *Qui respondit:* Nihil necesse est, satis indicavi qvod volui, modò tu fidem habe & patientiam. 3. *Et mox crepitus auditus est, seu fragor qvidam, ut & ante hac.* 4. *Et Dominus:* Dissilit Dolium meum! opus intentionis meæ procedet, brevi id audies.

REVEL. CXLII. 25. August.

[*Videns sperare contra spem jubetur.*]

EXpendebam *qvæ novissimè scripserat Adjunctus, qvàm vana sint de rebus revelatis judicia hominum, melancholicis phantasiis ista adscribentium.* 2. *Et facta est vox Domini ad me:* Tantummodò tu fidelis & patiens esto, non derelinqveris 3. Nihil illorum à me absconditum est: novi ego arcana omnium cordium, & qvalis mens eorum qvoqve sit, qvi Adjunctum tibi turbant. 4. Sed enim non aliter evenient omnia, atqve decretum est in consilio meo, contra spem omnium hominum. 5. Silentium esse ajunt undiqve: sed tu brevi audies aliud, taciturnus duntaxat esto, & patiens, sermonésqve humani te nihil turbent. 6. *Et laudavi* DEUM *meum; qui addidit*, Exi hodie, & conclude cum Præposito de itinere tuo. *Qvod factum est.*

[v. 6. Effronius is fuit, Puchoviensis Pastor per absentiam Antistitis cæteris ordinis mun præpositus.]

REVEL. CXLIII. 27. August.

[*Visio piscium captorum, & Mulieris parturientis, explicatur*, 2. Orbis Reformatio instat, 5. *diffidentes increpantur*, 6. *Dictator horum*, 11. 12.]

MAtutinis *ad* DEUM *jussis precibus vidi, per immissum mihi somnum, extrahere me hamò è flumine Pisces duos (alterum alteri insidentem) videreqve fœminam parturientem.* 2. *Ut verò evigilavi, Dominus ad me:* Ecce mulier qvam mihi duxi, variis è Nationibus, parturit, parereqve necesse habebit, eos, qvi inter illos fœdati sunt inqvinamentis crassæ ratiocinationis, cæcorúmqve judiciorum humanorum, ignorantium me Dominum Exercituum. 3. Qvi qvicqvid destino, & ore meo profero, ad exitum perducere, qvando & qvomodo volo, possum, cùm termini venerunt mei: 4. sicuti cùm in utero matris ematurescit fœtus, contineri non potest ab illa. 5 Ecce tempora à me operi meo polita venerunt! ut Nationes tanqvam impuri lapides repurgentur, ad ædificandum Domum meam toto in Orbe: qvam impuravit satan Religionum multiplicitate, juxta varietatem opinionum ratiocinationis humanæ, & tricarum humanarum adinventionum, mihi & Legi meæ adversantium. 6. Scito autem, nunc etiam seducere Spiritum illum eos, qvibus ego claram voluntatem meam per te qvoqve, & Adjunctum tibi, manifestavi: ut in dubium trahant verba mea, sicut ea traxit Eva 7. Sed malè cessit Evæ incredulitas sua: malè cedet & his, tam obstinatis

natis adversus vocem voluntatis meæ, illis detectæ. 8. Vivo ego in æternum, & vivunt sermones mei! qvibus illi fidem adhibere nolunt, propter metum arboris cui insidet Aqvila. 9. Qvam tamen ego (Arborem) jam ad ruinam inclinavi, & evertam diluviô, & exuram igne qvem adducam longinqvè: etiam super hos qvibus loqvutum est os meum (Racocios.) 10. Qvibus tu serve mi non aliter loqvere, qvàm os meum esse loqvutum, & Benedictionem & Interminationes dudum illis denuntiatas. 11. *His auditis ego cogitare cæpi, An retinere ista memoriæ potero.* 12. *Et Dominus ad me:* Inter scribendum suggeram tibi omnia, infundámqve menti. 13. Nunc satis esto: plura loqvar pòst. 14. *Factumqve est, ut nonnulla triduo illo, de iis, qvæ ad capessendum iter faciebant, moneret me Dominus: Illi gloria!*

REVEL. CXLIV. 31. Augusti.

[*Consultatio, an citra violentiam exseqvutio suscipi possit*, 1, 2. *Initium unde faciendum*, 5. *Principissæ qvid loqvendum*, 8. *&c.*)

V*Idi per somnum matutinum D. Andream Klob. sedentem inter duos viros grandævos tacitè consultantes: ego vero e regione illorum sedebam, librum habens ante me.* 2. *Ubi alter istorum Senum ad D. Klobuschi conversus, voce clarâ dixit:* Detur modò opera, ut res procedat sine violentia & pressuris. 3. *Qvi respondit, mecum unà, Viro illi:* Rem impossibilem reqviris, sine violentia res peragi non potest: *simulqve evigilavi.* 4. *Et facta est vox Domini ad me:* Serve mi, ego dirigam vias tuas, ut qvò festinas delatus deducas plenam in notitiam voluntatem meam, de exseqvendo opere meo, qvod agi volo. 5. *Ego verò de initio, unde incboandum esset opus, cogitare cæpi: & Dominus,* In Provincia sua initium faciat Princeps, ut antè dixi: Unde terror invadet Idololatras. 6. Deliberent de eo illi, ad qvos factus est Sermo meus; qvibus tu non aliter loqvere, qvàm os Domini loqvutum esse, & loqvi, per te. 7. Fiat autem initium priùs, qvàm Terra hæc Gentium alienarum terebrâ terebrari incipiet. 8. Cum Principissa ipsemet loqvere, me Racocianæ Domui, posteritatíqve suæ, denuntiasse tum benedictionem, si facere volent jussa mea; tum interminationes, si non audient vocem meam: nam in manu mea utrumqve istud est. 9. Dic insuper voluntatem esse meam, ut impensas faciat in Libros ab Adjuncto adornandos in usum nationis Turcicæ. 10. Id si fecerit, memoriam Nominis ejus fore sempiternam in Terræ nationibus, dilectionémqve meam erga se & progeniem suam. 11. Ne pigeat igitur impendere aliqvid pro glorificando me, & nomine meo, coram Mundo. 12. Atqve hoc est, qvod tibi adhuc significare volui: Surge, scribe, protectióqve Angelorum meorum tecum esto. 13. *Egi ergò gratias Miseratori meo cum lacrymis: decantans,* O clementissime, ô benignissime, ô dulcissime Jesu, fili castæ Virginis Mariæ, miserere nostri oramus! *Amen & Amen.*

REVEL. CXLV. 14. Sept. (Patakii)

[*Examini subjiciendus videns, qvid respondere debeat instruitur.*]

EGressus itaqve Septembris die secundâ (*cum viæ comite Samuele Strumenski*) *iter meum roborante me Dominô pedibus confeci* (*milliarium qvasi* 40,) *locúmqve mihi designatum attigi Septembris* 11. 2. *Ubi cùm Principissæ innotuisset* (*per confidentiores*) *adventûs mei causa, nec tutum videretur me in persona admitti, propter Aulicorum turbam: jussus fui chartâ consignare, qvid loqvi vellem.* 3. *Consignavi igitur, ut hîc subjungetur: Princeps verò Illustrissima his cognitis, commisit negotium audiendi mei Consiliariorum suorum intimo, A. Klobusicio, cum duobus Theologis, Francisco Vereci & Iohanne Tolnai, ad diem* 14. *Septembr.* 4. *Cujus diei exortu alloqvutus me Dominus dixit*: Serve mi, sta in defensione coram iis, in qvorum oculis Sermones mei per te prolati in dubio sunt, qvasi non mei essent, sed alieni: Ego tecum, & post te, stabo. 5. *Ego verò dixi: Ah Domine qvid loqvar? & qvid respondebo? Dicunt te non ampliùs ita loqvi ut olim, & non impleri omnia: deceptionem subesse metuunt.* 6. *Sed respondit Dominus*: Dic eis, Qvis ponderavit molem Terræ? & qvis posuit terminos seculorum? & cui pares sunt viæ meæ, ut evestigare illas possit? si non ego determinata ab æterno consilia mea detego filiis hominum. 7. Qvis tanti est, qvi cogitare aut loqvi sine me possit qvidqvam? Ne Dominus Jesus qvidem dicere, inqvit Paulus. 8. Interroga eos, an Arbor mala ferre qveat fructus bonos? an Tenebræ qveant ex se ipsis edere lumen, qvod non eliciam ego? 9. Pariétne illa cujus uterum ego occlusero? Mihi soli, mihi, non alicui, possibile id est, eritqve in æternum. 10. Te proinde ego è multis hominum millibus elegi, per cujus os proferam arcana consilii mei, de iis qvæ fieri volo à Terræ habitatoribus his jam diebus, etiam ab illis ad qvos factus est sermo meus. 11. Qvam voluntatem meam si renuent seqvi, ecce malum præ oculis est, qvod se jam jam advolvet: Onus enim meum grave illis erit. 12. Pone hæc illis in stateram ad eligendum: *Facerêne libeat an secus, hodie vobis eligite! Ego Iehova operabor opus meum etiam sine vobis.* 13. Qvicqvid autem tibi responderint, refer in chartam. 14. Confide serve mi, tecum ero, & cum utroqve Vestrûm Testes mei, qvos ad manifestandam voluntatem meam elegi: adero inqvam, protectioni & auxilio Vobis. 15. *Surge mox, & hæc scribe &c.*

(*Sermo Videntis ad Principem matrem, scriptô oblatus.*)

ILlustrissima atqve Celsissima Princeps, Domina mihi jam per annos 24. clementissima, Domina & parens Rakocianæ Domûs, Faxit DEUS ut sis Esthera qvoqve pia Ecclesiæ DEI, non tantùm in hâc gente, sed & in aliis cum Celsiss. Rakociana Domo fœdere junctis, aut jungendis!

2. Ego minimus servorum DEI ab annis jam novem à Cœli Terræ-

qve

qve Domino, mirabili & mihi ſermone inexplicabili modo, adductus eô fui, ut verbum Domini DEI exercituum ad me factum Celſiſſ. Principi Domino meo, jam in Chriſto qvieſcenti, annuntiare, & ſeqventia ſignificare, neceſſe habuerim.

Primò, *DEUM ſibi ex gente hac Racocianam Domum elegiſſe, quæ populis Septentrionalibus conſilia & vires jungendo, deſtruere juvet Meretricem Babylonicam, exſtirpando hac in Terra Idololatras funditùs. 2. Quod facere ſi animum adjecerit, adfuturam Illi Maieſtatem Divinam, impedituramque omnes malas contra Illum machinationes, & peſſum daturam omnes ejus hoſtes. 3. Quin imò coronaturam Illius obedientiam eô honore, ut regnet hac in Terra, tum Ipſe, tum poſteritas ejus.* Qvod ego Suam Celſitudinem non celavi, ſcriptô primùm, deinde coram, ad Illuſtr. Celſ. Suam periculoſiſſimô itinere in caſtra, tunc in Moravia ſita, profectus. Cujus rei teſtes ſunt, qvi internuntii ac interpretes erant, *Generoſus D. Dalmadi, Doct. Aſcanius, D. Czulai*, qvin & *Aulæ* tùm *Magiſter, D. Franciſcus Bethlen*, per qvos Sua Celſitudo mihi renuntiari curavit: *Pacem jam eſſe concluſam, ſed optare felicitatem illam, ſi placeret DEO, Filiis ſuis.* Ego igitur ab obitu Sereniſſimi Principis eadem loqvi juſſus ſum Illuſtriſſimo filio Sigiſmundo, per Virum qvem ſe DEUS huc miſſurum promiſit: & factum eſt contra omnem hominum ſpem, qvem C. V. adhuc præſentem habet. Poſtqvam autem Ille qvoqve, propriis vel alienis obſeqvutus conſiliis, renueret, Deúſqve illum etiam abduxiſſet: juſſus ſum, iteratîſqve aliqvoties mandatis, & immiſsâ morbi caſtigatione coactus, per tantum hoc, & mihi ſeni moleſtiſſimum iter, ipſam Illuſtriſſimam Celſitudinem Veſtram adire, & coram loqvi: *Non mutari Divinæ Majeſtatis propoſitum, nec de hoſtibus Eccleſiæ horrendùm puniendis & evertendis, nec de Racociana Domo ad opus hoc DEI adhibenda. Quæ ſi volet ſequi, ſibi benè fore; ſin, malè; ut & toti Hungarorum genti: quam DEUS Turcis & Tartaris tradet devaſtandam penitùs. Velle itaque adhuc, ut Illuſtriſſimus Tranſylvaniæ Princeps illis populis, quos jam convocat, & ſuper Babylonem adducet Dominus, ſeſe jungat, & Opus DEI adverſus Eccleſiæ hoſtes exſequi, Patriam à barbararum gentium gladio, extremâque ruina præſervare, ab Antichriſtiana verò illuvie repurgare, juvet.* Si fecerit, promittit Omnipotens eandem protectionem ac benedictionem, qvam promiſerat Patri: nec permiſſurum ſe Illum confundi, ſicut non permiſit Patrem, tot aliâs cinctum hoſtibus. Præterea, juſſus ſum Celſitudini Veſtræ loqvi: *Velle Divinam Majeſtatem Libros Legis & Evangelii, Pſalmorumque, in Lingvam Turcicam transferri, & typis deſcriptos in lucem dari:*

idque

idqve Celsitudinis Vestræ impensis, ut ministeriò Racocianæ Domûs gens Turcica primam illuminationis suæ accipiat occasionem: qvandoqvidem mercedis loco DEUS, pro præstita in destruendo Antichristo opera, illos ad agnitionem sui jam jam vocare decrevit. *Promittit Divina Majestas, velle hoc obseqvium benedictione suâ pensare, nomenqve C. Vestræ, & Racocianæ Domûs, per Nationes terræ gloriosum reddere.*

Hîc sto in conspectu DEI, & Angelorum ejus, horúmqve præsentium Celsitudinis Vestræ Ministrorum: recipiens in animam meam, & in sacrosanctum Evangelii Ministerium, qvod mihi concredidit Jesus Christus, & ad jacturam æternæ salutis: me non meâ causâ, neqve propriò motu, aut cujusqvam mortalium svasu, sed Omnipotentis DEI jussu, huc venire, & hæc loqvi: Vitâ & morte obsignare paratus, me nihil hîc spectare aut qværere, præter primò gloriam DEI; secundò Ecclesiæ salutem; tertiò Racocianæ Domûs perpetuam, hâc ratione stabiliendam, incolumitatem.

[Convenerunt ergò prædicti Trium viri, præsentémqve Adjuncto rem summariter audiverunt & dimissò rursum Vidente, deliberarunt biduò seqventia. *An post Apostolorum tempora, obsignatúmqve Scripturarum Canonem, ullæ Revelationes extraordinariæ agnoscendæ & admittendæ sint:* Repertumqve è testimoniis Scripturæ, antiqvorum Patrum, recentiorúmqve Doctorum, Prophetiæ donum ab Ecclesia non esse sublatum, etiamsi rariùs excitentur jam Prophetæ. II. *Inqvisitum in signa & notas, per qvas Propheta veri agnosci possint?* Conventumqve in eo, tria esse palmaria (1) Humilitas personæ, si constet nihil suum qværere, gloriam tantùm DEI, ex Joh. VII. v. 18. (2) Doctrinæ puritas, & cum antiqvo DEI Verbo harmonia, ex Deut. XIII. v. 1. 4. (3) Prædictionum eventu comprobata veritas, ex Deut. XVIII. v. 21, 22. III. *Tertiò deliberatum, si vera prophetia nostrô tempore agnoscatur, qvid esset faciendum?* Conclusumqve recipiendam esse, & retinendam, mandante id Spiritu S. per Apostolum 1 Thess. v. v. 19, 20, 21. *In applicatione verò notarum ad hæc nostra tres reperti scrupuli.* 1. Qvòd intermisceantur privata negotiola. 2. Qvòd non omnia comprobentur eventu (ut de Regno Principis Patris, de morte Cæsaris &c.) 3. Qvòd prophetia hæc sit sine efficacia, DEO cor illorum qvibus loqvi jubet (Principum) ad obseqvia non flectente. Dilata tamen ad ulteriorem deliberationem Conclusio. *Addebam ego, Plura observari posse, qvæ divinitatis ostendant vestigia.* Qværebant qvæ illa? *Resp.* Primò, *tergiversationem Videntis nostri ad hæc, tùm credenda, tum propalanda: nisi toties iteratis monitionibus, increpationibus, pœnarumqve interminationibus*, non ab initio tantùm, sed adhuc. Toties enim illum adhuc cum Jeremia clamare, *Væ mihi mater mea*; & cum Elia mortem sibi optare, testis sum.

2. *Nec in his admittendis præcipites fuisse illos, qvibus ea fuerunt detecta: trepidantes potiùs, tentationesqve diabolicas & metuentes & deprecantes.* Impossibile videri eos, qvi pro nomine Dei afflicti, & pro veritate Verbi ejus extrema passi, aliò abduci nullòmodò voluerunt, (& hucusqve) ludificationibus satanæ sic à Deo exponi.

3. Tertium argumentum posueram *Revelatoris constantiam, ut qvi neqve personam mutat, neqve revelationis modum, neqve res revelatas:* exceptò qvòd hujus suæ scenæ

 perso-

personas mutari patitur, prout illæ faciunt aut non faciunt qvæ ipse jubet. Diabolum esse vertumnum, ipsâ levitate se prodere, ut in Genevensi puero patuit.

4. *Sanctitatem hic rerum, & scopi, convenientissimam esse zelo Dei Zebaoth, & Christi ejus:* inconvenientissimam (imò impossibilem) Diabolo: ad eversionem regni sui (abominationum Babylonicarum) consilia nunqvam subministraturo.

5. *Effectum in corde Videntis, illuminationum semper majorem, charitatisqve erga Deum ardorem semper flammantiorem.*

6. *Stylum* (qvicqvid sit) *non humanum.* Scire me per Dei gratiam, qvid hac in re humanum possit ingenium, & qvàm Drabicius aliis minùs posset, nisi à dictante in calamum revelatore adjutus fuisset: ut Rev. CVII. 22. & alibi. Scire deniqve me qvàm imitari hæc talia neqveat tenebrarum pater Diabolus, à qvo lucidi nihil prodire possit.

7. *Revelatorem hunc sæpè ad Videntis cogitata respondere:* ut Rev. IV. 3. & XLV. 2, 12, 13, & aliàs sæpè. Scimus autem Deum sibi hoc tribuere soli, qvòd cordium scrutator sit: Diabolo proinde honorem illum non concedendum.

8. Theologos inter suspecta ponere, si qvis spiritum revelatorem ad omnia qvæsita nimis facilem, semperqve respondentem, habeat: *Deum enim pro majestate sua ea solùm revelare qvæ vult, qvando vult, qvomodo vult.* Hunc autem Revelatorem qvæstionibus se fatigari non ferre, à curiositate dehortari: ut Rev. LXXXIX. 2, 3.

9. Ad suspicionem, *Non à Deo venire hæc,* qvid aliqvoties responderit observatione dignum esse: ut Rev. IV. 4, & 17. & 18. Rev. V. per totum: & Rev. VI. 16. & Rev. CXLV. 5. &c. Illi tamen omnibus his ita actis nihil nisi animi pendere perrexerunt.]

REVEL. CXLVI. Septemb. 20. ibidem.

[*Visio Terræ ad sementem aratæ,* 1. *& Mulieris gemellos parturientis,* 2. *Instructio de re inchoanda,* 4. *Væ proclamatum super Sodomam & Bab. qvia transeunt anni ejus,* 166. 5. *Evocantur undæ Exercituum, & venti furoris,* 8. *Meretrix desperabunda perit,* 9. *Numeri* 166 *datur clavis,* 18.]

ITerum *factum est ad me Verbum Domini, post nocturnam primam, cùm evigilassem à somno, qvò mihi visus sum spectare Terram arari ad sementem faciendam.* 2. *Interveniens autem qvidam nuntiabat, Iam peperisse infantem unum illam, qvæ nondum pariebat: alterum verò expectari, sed nesciri qvando.* 3. *Mox experrectus, oravi ad Dominum; cumqve suspiria peregissem, facta est vox Domini ad me:* 4. Trans-Danubiani hamum injiciant in terram Turcicam, ad turbandum aqvas Orientis: Racoci autem immittat hamum in cor Terræ hujus, ad educendum post se Balænam cum gentibus Orientalibus, qvæ se ab illo capi patietur. 5. Et ibunt veluti diluvium horrendum super montes illos excelsos, super qvos sedit Mater scortationum 166 annos, in regionibus & provinciis Occidentalibus, Hispania, aliisqve multis, progignens filios abominationum gentilium. 6. Qvi effundentes sangvinem habitatorum Sionis, & eorum super qvos invocatum fuit nomen meum, complebant mensuram, & adhuc dum complent, tyrannidis suæ, clam & palam. 7. Qvod Mundus intelligere non vult, præ metu eorum qvi scortantur cum Meretrice Babylonica, gignente filios contumaciæ, & filios gehennæ. 8. Qvapropter volvite vos Undæ Exercituum meorum! Flate venenati venti iræ meæ, & implete plagis Sodomam, ubi habitat

tat abominatio desolationis: 9. Ut clamet, Væ, Væ, Væ! Jam enim deseruerunt me filii fornicationis meæ, qvicum effundebam sangvinem filiorum Sion! Horror circumdedit me! dolores oppresserunt me! aperuit se mihi fovea sepulchri, hiavit rictus Inferni! 10. Nihil auxilii ferre mihi jam possunt Sancti, qvos invocabam: neqve deastri & idola, qvæ circumgestabant filii mei. 11. Infundite, infundite mihi & filiis meis ocyùs calicem! ut citiùs ebibam furorem sedentis super Thronum, qvem lacessivi blasphemiis, dicendo; Sedeo Regina, & ruinam non videbo. 12. *Hîc tacuit: sed mox rursum insonuit vox Domini*, Vos filii Sionis, qvi cognoscitis Nomen meum, jam ne cunctemini! 13. Numerus namqve 166, numerus meus, non humanus, jam adventat, ut efflorescat gloria mea in Nationibus Terræ, & exsultent lætitiâ filii Sionis, serviendo mihi æternùm viventi. 14. Nam ulciscar sangvinem Sanctorum meorum, & impingam in infernum illam clamantem *Væ, Væ, mihi & filiis meis!* 15. Vos autem mei, agite, agite hoc opus meum, de qvo sum pridem loqvutus Vobis! Opus ultionis qvod promulgavit Os meum. 16. Satis autem tibi nunc, serve mi: surge, & ista scribe. *Surrexi ergò & hæc scripsi, laudans Creatorem meum.* 17. *Atqve ut me reposui, ingemiscens cum dolore super sermones hosce*, oravi Deum, ut qvid sibi numerus 166. vellet, significaret mihi. 18. *Qvi respondit*: Adde numero huic 52, & numera! *Numeravi ergo, & repertus est numerus* 218, *qvem æqvè ignorans admiratus sum, & redormivi.* 19. *Ut verò die lucescente evigilavi, redibant cogitationes, qvid jam hic essem facturus? Respondit*; Accendant illi qvibus loqvutus es facem; & scribant ad Principem, ut illicò de mea & sua voluntate certiores reddat Septentrionales, qvi ad opus meum unanimiter agendum advolare non intermittent. 20. Utriqve autem faciant voluntatis suæ indicium Turcæ, qvid & qvô consiliô suscipiant. 21. *Ego verò his Patakini expeditis, redii molestissimô itinere ad locum meum.*

[Lucis fortè aliqvid Visioni huic accedet, si historiam narravero, & de circumstantiis ac eventibus aliqvid monumero. Erat tunc domi meæ hospes Drabicius, Visionemqve hanc profundâ noctu passus surrexit, & me pulsu cubiculi mei excitavit, lumen petens. Qværo causam: ille, ceu trepidus, nil nisi *Lumen, lumen.* Arripio igitur Ignitabulum & accendo, illumqve nonnisi indusiô tectum, genibusqve procumbentem & orantem, conspicio. Mox tamen surgens *chartam & calamum* poscit, Obtuli. Ille, *Redi ad qvietem, cùm scripsero significabo.* Redii: sed ille paulò post, ut visa & audita in chartam effudit (ad versum usqve 16.) revocat me, legendaqve offert. Lego, miror, stupeo, qvid sibi numerus 166 velit qværo. Ille, *Nescio. Qvem ergò ista usum habebunt non intellecta?* inqvam ego. Orandus erit Dominus ut sensum aperiat. *Oramus*, respondit. Sonante autem horologio secundam, ille (frigescens jam) *Redeamus cubitum.* Ego nullam somni spem jam esse mihi, lucubraturum me, respondi eumqve dimisi. Sed ille paulò post reversus, *Clavem habemus* inqviens, adscripsit v. 17 & 18. Qvibus ego lectis, æqvè nihil intelligere me dixi; atqve ita fuit. Rediit itaqve ille in lectum, manèqve adscripsit v. 19. & 20. domum autem reversus ultima illa verba, v. 21. Jamne autem de his intelligimus aliqvid? Docuitnè dies diem? Tentemus per circumstantias temporis & eventuum.

(1.) *Visio de novo ad sementem parando Arvo, v, 1,*) eò spectare videtur, Racocianam Domum ut agrum sterilem deserendam, Deoqve alia qværenda fuisse organa.

(2) *Qvid autem nuntius de novo nascituro infante* (v. 2.)? Transſylvania forſan eſt illa fœmina, qvæ hactenus nonniſi unum peperit infantem, alterum parturit, ſed incertum qvando paritura. Transſylvania enim vocatur (ſermone vulgi, & apud Authores) *Regnum*; Dominus autem ejus non *Regis* inſignitur titulo, ſed Principis. Ecce relatum ſine correlato! mater ſine prole! Sed peperit jam unum, nempe Gabrielem Bethlen, qvi cùm eſſet Transſylvaniæ Princeps, ab Hungaris electus fuit, perqve triennium ſalutatus, Hungariæ Rex: (ab anno 1619. ad 1622, qvô Cæſari reconciliatus Coronam reddidit.) Alter Transſylvaniæ Princeps divinitùs deſignabatur Hungariæ Rex, Racoci: ſed qvia ob inobedientiam rejiciendus erat (ut poſtea ſeqvitur) neſciri dicitur qvando novus hic partus proditurus ſit.

(3) Qvid autem hoc? *Trans-Danubiani hamum injiciant in terram Turcicam, ad turbandum aqvas Orientis?* R. Trans Danubium (reſpectu Pataki) habitant aliqvot illuſtres Comites, *Budiani*, *Serini*, *Eſterhaſij*. *Nadaſdii*, &c. qvi jubentur Turcarum turbare aqvas, id eſt irritare furorem. Factum, potiſſimùm à Serinio: qvi mox à Racocii morte (anno 1660. menſe Majo) exſtructâ prope Kaniſam arce novâ, *Serinwar*, Turcis inſidiari, imò validis eruptionibus eos infeſtare, cœpit. Unde factum ut illi anno 1663. magnô Exercitu Hungariam invaderent, præterqve Newheuſelium multa alia loca occuparent, Moraviam verò immiſſô Tartarorum exercitu fœdè vaſtarent ſed illis in hyberna reverſis, Comes Serinius (collecto mirâ celeritate ex Croatis, Hungaris, auxiliaribusqve Germanis, exercitu) ſub anni 1664. initia, hiemis & glaciei ope profundè in Turciam irrupit, obvios ubiqve Turcas & Tartaros mactavit, & pontem ad Eſſekum (prope confluvia Dravi & Danubii) à Turcis ſtructum exuſſit: ingentibusqve cum ſpoliis ac triumpho domum ſe recipiendo, vim Oraculi verificavit, & aqvas Orientis ita, ut poſt hominum memoriam nemo, turbavit.

(4) *Qvid verò alter ille hamus, à Racocio in cor Hungariæ immiſſus?* R. Si perſona intelligitur ipſius Racocii, erit illius à Turca defectio, qvô ille invitô exercitum in Poloniam duxit: caſtigatus autem depoſitione, ad arma contra Turcas Hungaros, ipſumqve Cæſarem, ſolicitavit, atqve ſic totius hujus Turcici belli primus motor exſtitit. Hæc ex rei veritate. Qvia tamen de hoc altero hamo demum poſt priorem illum, Trans-Danubianorum, mandatum datur: non ipſe Racoci (qvi jam non eſt) intelligendus videtur, ſed Racocii ſucceſſor, Michael Apafi, modernus Transſylvaniæ Princeps. (Stylo nempe Dei, qvi ſubinde Adam, Abraham, Jacob, Moſen, Davidem, Pharaonem &c. nominat, dum poſteros aut ſucceſſores intelligit. Ex. gr. dum ad Moſen dixit: *Aſcende cum populo tuo, qvem eduxiſti ex Ægypto, in Terram qvam juravi patribus veſtris* Exod. 33. v. 1. cùm tamen non ille ingreſſus ſit cum populo, ſed ſucceſſor Joſua.) Qvod ſi admittitur, planus eſt ſenſus ex ipſo eventu. Modernus enim Tranſ. Princeps in cor Hungariæ immiſit hamum, ſvadens illis (apertis Diplomatibus ad omnes Hungariæ Comitatus in Septembri anno 1663. datis: & qvidem ex ipſis Turcicis Caſtris ad Newheuſelium ſitis, qvô venerat à Veziero vocatus) *ut ſe protectioni ſuæ ac Orientalis Monarchiæ* (*per Bulanam hic repræſentati*) *ſubmitterent*: amovens etiam obices qvi diſſvadere poterant, Cæſareana nimirum per tot Transſylvaniæ, & qvædam Hungariæ loca, præſidia, qvæ partim expugnavit, partim allexit, & ad ſe tranſire fecit.

(5) Seqventia verba, *Ad educendum poſt ſe Bulanam cum gentibus Orientalibus*, qvid ſibi volunt? Innuitur, Turcam qvô magis irritabitur, eô plures advocaturum gentes ab Oriente, qvibus Chriſtianorum terras inundet. Neſcio igitur an ſatis cauſa-

tium.

triumphandi sit nobis, qvòd hôc etiam anno (1664) Christianorum armis Turca retroagatur: si non hoc agimus ut Deum propitium, per pœnitentiam veram nobis reconciliatum, habeamus.

(6) *Et ibunt velut horrendum diluvium*, v. 5. &c. Aqvis comparari cœperant gentes illæ Orientales (v. 4.) continuat igitur metaphora.

(7) *Super montes ubi sedit mater scortationum 166 annos, in provinciis Occidentalibus, Hispania* &c. Mater scortationum appellatur in Apocalypsi Johannis Ecclesia illa, qvæ cùm esset mater Ecclesiarum abominationem sedentem in templo Dei (2 Thessalonic. 2. 4.) admisit, & in alias Ecclesias, omniumqve hominum conscientias, tyrannidem exercet: auxilio nacta vires & potentiam Monarchiæ Hispanicæ, qvæ hîc per numerum 166. & (additis 52.) 218. describitur. Qvid autem istud? Initia & finis Monarchiæ illius describuntur. Nam Anno 1438. electus est Albertus Austriæ Dux in Romanum Imperatorem: unde jam continuâ serie Imperatoria dignitas in Domo illa resedit hucusqve. Qvid autem 52. annis pôst factum? nempe anno Christi 1490? Philippus Austriacus, Maximiliani primi filius, desponsatâ sibi Ferdinandi Magni Hispaniarum Regis filiâ unicâ, Johannâ, fit Hispaniarum hæres: cujus successores hactenus regnant, Hispaniarumqve Regna cum novi Orbis vastis provinciis, possident. His ergò Monarchiæ Austriacæ primis initiis si addimus expressos hîc characteres (166. & 218.) prodibit Annus Christi 1656. inclusivè: qvô finitô, ultimus inter postremos X. exstinctus est Ferdinandus III. anno 1657, 2 Aprilis. Atqve tum effluxerunt termini his Oraculis positi. Qvid ergò jam futurum sit, erectis capitibus prospectandum est. Series verò decem Imperaorum ex illa Domo, plenè ac potenter usqve ad positum terminum imperantium, annosqve istos 218. explentium, hæc est:

I. *Albertus*, electus 1438. mortuus 1440.
II. *Fridericus*, III. mortuus 1493.
III. *Maximilianus* I. mortuus 1519.
IV. *Carolus* V. mortuus 1558.
V. *Ferdinandus* I. mortuus 1564.
VI. *Maximilianus* II. mortuus 1576.
VII. *Rudolphus* II. mortuus 1612.
VIII. *Matthias*, mortuus 1619.
IX. *Ferdinandus* II. mortuus 1637.
X. *Ferdinandus* III. mortuus 1657.

REVEL. CXLVII. Oct. 12.

[*Diluvium Exercituum super Hungariam.* 1. *Lapis in mare projectus*, 3. *Querela de incredulitate multiplex*, 4. *Videntis preces rejiciuntur*, 11. &c. *Desolatio sequutura*, 19.]

EXpergefactus somnô, peractisque precibus, cogitare cœpi quid futurum sit in Mundo? Factúsque est ad me Sermo Domini his verbis: 2. Fieri oportet ut veniat diluvium Exercituum meorum ab Oriente, ad operiendum Terram hanc cum incolis suis. 3. Jam enim lapis molaris projectus est in Mare, qvem hominum nemo extrahet nullâ prudentiâ, consiliisqve vanis. 4. Nolunt habitatores Terræ hujus, qvibus dudum revelavi voluntatem meam, exseqvi mandata mea: ne illi qvidem ad qvos Te misi, cum Principe Transylvaniæ. 5. Non penetrat in cor eorum Verbum meum, ut auditô illô timeant me, voluntatémqve faciant meam. 6. Ore qvidem me profitentur, speciem præ se ferentes qvasi voluntatem meam facere parati: sed re ipsâ tergum obvertunt mihi, plus metuentes homines qvàm me, me inqvam Creatorem suum. 7. Ecce illi etiam ad qvos te misi, & qvibus ut loqvereris mandavi, præ metu hominum non permiserunt te Principissæ loqvi. 8. Te fuisse paratum novi ego: sed hominibusnè potiùs fuit auscultandum qvàm mihi? 9. Excidit hoc illis, sicut & ipsi Principi: qvi mirè se torqvet, qvid agere debeat. 10. Sed sciat, offendere sic me Creatorem suum, suô & Terræ hujus malô. 11. *Qvibus ego auditis, procidi ad pedes Domini Iesu dicens: Ah Domine, Dominator Terræ, ignosce si loqvar.* 12. *Atqvi tu dixisti:* Sicut rivos aqvarum ita esse cor Regum in manu tua; 13. *Cur ergò non das illis, ut omnes illi nolentes volentes faciant, & facere cogantur voluntatem Tuam? Da ergò illis hoc propter misericordiam Tuam.* 14. *Dominus autem respondit:* Ne incesse me tu qvoqve, cogitationibus sermonibúsqve tuis suspectum me habens: (*qvam vocem exhorrui.*) 15. Ecqvid ampliùs loqvi eis debui, aut debeo, incredulis & contemnentibus mandata mea? 16. Novi ego, novi, omnes illos extimescere Domum Austriacam, frustrà. 17. Nam si tantùm inciperent obseqvi voluntati & mandatis meis, viderent illicò qvid facturi essent hac in Terra, illi etiam qvi se incurvarunt Bestiæ, receperuntqve characterem ejus: 18. qvàm juvarent utrâqve manu destruere, exterminaréqve malam illam progeniem, servandi sui & Patriæ causâ. 19. Sciant autem hi qvi irritant me, & mihi terga obvertunt, etiam me obversurum illis dorsum, donec desolata reddatur Terra hæc. 20. Tu cautè age! Ego qvod inchoavi opus peragam. 21. *Et laudavi Creatorem meum, orans pro illis de qvibus sermo fuit.*

REVEL. CXLVIII. 21. Oct.

[*Stamen operis Divini ægrè in Hung. procedens*, 1. *Dominus ipse faciet Opus suum, sed cum deluvio incredulorum*, 7. Numerus Dxi (166 & 52) non fallet, 9. *Trans Danubiani debiti informandi*, 11.]

H*Orâ post noctis meridiem tertiâ expergefactus ad preces me converti: sed mox rursum somno mersus, vidi me super officinam Textoriam distendere Stamen,*

men, magnâ cum sollicitudine, mea & adstantium, qvomodo texi poterit? defuit enim nobis licium. 2. *Ecce autem præter spem pars bona istius Staminis sub manu mea texta fuit, pereleganti texturâ: & mox aliunde allata longè major.* 3. *Ego tamen circumspectare non intermisi, qvomodo reliqvum detexi posset, donec cum solicitudine ista evigilavi tristis, & metu plenus.* 4. *Mox autem Dominus ad me:* Ecce, ecce serve mi, Stamen operis mei ægrè texitur, & texi patitur! 5. Hac in Terra texi cœpta est tela mea per vos duos Testes meos, id qvod placet mihi. 6. Sed alii qvàm habitatores Terræ hujus, qvibus ego primùm opus meum mandaveram, vividiùs agent: Vos tantùm ne parcite labori. 7. Inclamatis me, ut ego meum opus agam? Agam, sed cum deluvio propter duritiem cordis eorum, qvibus loqvitur & loqvutum est, os meum. 8. Nam onus verborum meorum, ante jam prolatorum, recidet in eos. 9. Numerus meus 166. cum additis 52 (*qvos Dominus ipse ob oculos pingebat mihi*) non fallet. 10. Qvô comprehensum mysterium tametsi (jam) intelligant, qvi accendere debebant facem; deest tamen illis cor fidens mihi, magísqve me timens qvàm homines. 11. Scribe tibi & mihi dilecto, ut cogitet qvomodo Trans-Danubiani conscii reddantur citò de iis, qvæ fieri volo hac in Terra: Méqve & Patrem meum operatos esse, operari, & operaturos, opus olim & nunc denuntiatum. 12. *Surge, & hæc ad illum mitte, adjunctis nuperis.* 13. *Surrexi igitur, & hæc scripsi, cum dolore cordis &c.*

[v. 10. Vide Rev. CXLVI. v. 19. & Annot. ad v. 18. Communicaverat enim illis Adjunctus verisimilem conjecturam suam, de exitu Monarchiæ Austriacæ: qvam mirabantur, & forsan ad Principem perscripserunt, alium tamen neminem faciebant conscium.]

REVEL. CXLIX. 24. Oct.

[*Leo de tribu Juda*, 2, 3. *cujus brachium revelabitur Gentibus*, 6. Renovatio Ecclesiæ pulchra, 7, 8. *Aqvis diluvii reversis Pax erit universalis* 9. Filii Ecclesiæ progeniti sine matre, 10.]

Diluculô, post peractas preces, redormivi. 2. *Et ecce juvenis formosâ facie, capillísqve decoris, manu ferens Insignia, qvæ intuitus ego mirabar qvidnam esset?* 3. *Et mox in clypeo isto vidi Leonem, duobus pedibus erectum; & ex adverso nobis oppansum Velum qvoddam perpulchrè depictum.* 4. *Qvod cùm intuerer, qvid sibi vellet, animadverti me non dormire: & vidi peramœnum ibidem campum, per qvem eqvis incedebant variæ Gentes, magnâ inter se familiaritate.* 5. *Qvæ Visio ut evanuit, ego ad preces conversus, & qvidnam ista sibi vellent meditatus, in somnum incidi, sed mox rursùm evigilavi.* 6. *Et Dominus ad me:* Vidisti Leonem de tribu Juda, radicem Davidis, cujus robur & brachium revelabitur Nationibus Terræ, qvas vidisti ex omnibus Orbis angulis, postqvam deluero multitudinem habitantium super Terram, nolentium agnoscere Nomen meum. 7. Nam ego, Dominator Terræ agam opus meum novum, renovando Leges meas per Nationes, ut exsultet Sion, & reædificetur Jerusalem. 8. Ubi sine idolis & idololatris mihi servient filii mei, qvos progenerabo in locum eorum

eorum qvi nunc blasphemant me & nomen meum, abominationem patrantes cum Meretrice, Reges illi Terræ qvi abominationes gentiles progenerarunt super Terram. 9. Recedent enim aqvæ diluvii jactantes Arcam, in qva servabo Vos dilectos meos, exiguó numeró, ad diem Pacis, cui nulla similis fuit à rerum exortu. 10. Nam filii mei venient è longinqvo, qvos progenerabo mihi super faciem Terræ: qvod mirabimini, unde-nam veniant hi filii geniti à Viro sine fœmina, enutriti sine matre. 11. Tu serve mi obsigna hæc, qvæ tibi loqvutum est os meum hodie: sive ista acceptabunt sive non, ad qvos te missitabam. 12. Vos autem exspectantes me vigilate & orate! erga me Creatorem Vestrum confidentes, erga vos invicem simplices & sinceri. 13. Servabo ego vos, diluvió autem delebo istos meos & vestros hostes. 14. Surge, & hæc scribe.

REVEL. CL. 7. Nov.

[*Visio Eqvorum duorum*, 2, 3. *& Campanarum duarum*, 4. *Numeriqve* 70.]

OStendit mihi mira qvædam Dominus, voce additâ nullâ. 2. *Primò* Eqvum per magnum, *qvem Eqves insidens ei calcaribus adeò confodiebat, ut sangvis multus proflueret.* 3. Alter Eqvus *dejecit super me parietem, ut me oppressum putarem: sed evasi, mihi & aliis admirationi.* 4. *Mox vidi* Campanas duas recentes: *qvarum altera per se ipsam agitata edebat sonum; altera, priore major, à me tracta ad mei usqve defatigationem: rotabat enim se circumcirca.* 5. *Reversus ad parietem, qui me obruerat, vidi inscriptum illi numerum* LXX. *qvi qvid sibi vellet nescio.* 6. *Venit tantùm in memoriam, Annò* 1643. *jussum me fuisse numerare* 45 & 25. *qvæ junctim faciunt* 70.

REVEL. CLI. 9. Nov.

[*Currus ad asportandum Videntem. Dies* 27. *Cæsar, Egra.*]

VIdi per somnum ad me venientem Adjunctum, cum aliis aliqvot viris eximiis, curru vectis. 2. *Expergefacto mihi dixit Dominus*: Solicitaberis ad Principem. 3. *Qvem & mox vidi, tanqvam ad illum jam delatus.* 4. *Et Dominus ad me iterum*: Viginti septem! Cæsar Egræ! post revolutos 27 dies mira fient!

REVEL. CLII. 11. Nov.

[*Vis fidei*, 1. *Cur differatur exseqvutio in hostes*, 2, 3, 4. *appropinqvat tamen*, 4.]

T*Empore diluculi veniebat in mentem vis fidei in antiqvis Sanctis, etiam Iairo & Hæmorrousa; orabamqve Dominum, ut & Nationibus qvæ nunc sunt fidem daret, suosqve per me etiam nuntiatos sermones confirmaret.* 2. *Ubi Dominus ad me*: Omnia sunt possibilia credentibus; qvòd verò nondum veniant qvæ loqvutus sum, ne mirere, venient. 3. Sed oportet priùs fieri conspirationem Nationum, de qvibus tibi dixi: qvæ nondum facta est, ut Orientale Betulletum

meum

meum detectâ aliis voluntate suâ unum cum illis fieret. 4. *Oravi ergò pro Principe, Principissa, Consiliariisqve eorum: & Dominus*, Adibitis vos mei testes porrò etiam illos, ubi Gladius ultionis meæ sine tua cura paratus erit adversus Idololatras. 5. Jam etenim, jam transit tempus dominationis eorum super faciem Terræ: Bello ergò parent se hac in terra. 6. Vale, & signum qvod mandavi, alligatum manui tuæ, gesta! hostes habes multos.

[v. 4. Desiderium tale prodebat Princeps (me certè saltem vocandi) literis ad Præfectum: sed prohibebat omnibus modis mater, Megyessii & Bisterfeldii consiliô.]

Revel. CLIII. 15. Nov.

[*Fenestra dua*, 3. *Flumen exsiccatum, cum Aqvila elumbata*, 6. *Flumen turbidum cum Imagine fœminæ barbatæ, Meretricis Babylonicæ*, 7. *cujus tyrannis describitur & perditio*, 8. Templum Ecclesiæ gloriosius reædificandum, qvàm fuit Salomonicum, 15. *Septem stellæ*, 18. *Solatia qvædam*, 20.]

E*Xactis matutinis precibus redormivi.* 2. *Et vidi vasa qvædam conduplicata (ubi asservabantur res abstrusæ singulares) qvæ mecum Viri qvidam graves aperiebant.* 3. *Et mox ingressus est ad me Dominus meus, Princeps Transylvaniæ: aliqvis autem, nescio qvis, inclamavit me*, Ostende Fenestras duas Domino, ut prospectet! 4. *Stabant verò duæ illæ fenestræ ante me: & vox illa me inclamantis tam fuit sonora, ut expergiscerer.* 5. *Et Dominus ad me*: Ecce fenestræ duæ, per qvas volo ut prospectent gentes, tuisqve simul Dominus, Princeps Transs. 6. Ad videndum flumen desiccatum, sine ullis meis aqvis; ubi stat Aqvila cum demissis alis, derelicta (*Vidi etiam oculis meis Flumen illud exsiccatum, & Avem languore fatiscentem*) sine viribus, propinqva morti: derelinqvent enim eam rivi sui, blanditores ante hac sui. 7. Atqve hæc est fenestra una: sed & alteram aperiat, ad videndum aqvas turbatas: ubi conspiciet imaginem Mulieris barbatæ, sexum mentientis virilem. 8. Qvæ dispandebat manus, alterâ tenens Gladium, qvô occidebat; alterâ Ignem, qvô urebat, Nationes. 9. Coronas imponens capitibus eorum, qvi thesauros suos ad illam congestabant: qvos illa deponens ad pedes suos conflabat inde Imagines sine spiritu, & dabat illis honorem & virtutem, qvam non habebat ipsa. 10. Exhalans ore suo terrores, Gladium & Ignem in populos inobseqviosos verbis suis: dejiciensqve Potentes de soliis, qvi recusabant gestare frontibus characterem suum, qvem aurô & argentô venundabat per Europam totam. 11. Super qvam ego aperio ostium, qvod nulla occludet vis aut prudentia humana: qvin eam prehensam invertant pedibus sursum, ut appareat turpitudo ejus populis, & abominationi fiat omnibus Terræ nationibus. 12. Meridionalis Armiger meus cum Orientali, detrahent illi larvam virilis habitûs: Septentrionalis ictu immittet sagittam in cor ejus. 13. Occidentalis verò eam dejiciet de solio cum fragore, qvem expavescent habitatores Terræ, attonitiqve accurrent ad me insidentem throno, inqvirentes in lucem meam, & potentiam meam. 14. Qvi in solio sedens meo, alterâ manu ostendo gratiam & dilectionem, cum benedictione; alterâ potentiam,

tiam cum æterna justitia, contra eos qvi nolunt agnoscere me & nomen meum, *Iesus Nazarenus Dominator Terræ!* 15. Qvi me revelabam & voluntatem meam manifestabam, Patriarchis, Prophetis, Regibus: qvorum sapientissimus exædificavit mihi Templum gloriosissimum super Terram, è ligno, lapide, gemmis, auro & argento, sed transiit. 16 Ego verò Rex Regnantium, & Dominus dominantium, exædificabo nunc jam mihi Jerusalem novam ex Nationibus, qvibus septem stellas per Evangelistas & Apostolos in signum posui, in templo Ecclesiæ meæ. 17. Qvas nôrunt jam servi mei, & ostendunt habitatoribus Terræ, cum timore & tremore operantes salutem suam: sed propter caliginem, qvam à se spargit Meretrix, pauci sunt ambulantes in luce stellarum mearum. 18. *His ego auditis cogitare cœpi*, Qvid essent septem illæ stellæ? 19. *Et Dominus*: Sunt septem Beatitudines à me indicatæ, cum potestate Clavium mearum, & Sacramentis. 20. Hæc in præsens tibi sufficiant, serve mi: surge, ista scribe, & dilecto tuo & meo significa, me agere opus meum occultè apud eos, cum qvibus ille agit apertè. 21. Et ne metuat sagittas hostium! indui ego illum loricâ, qvam non transverberabit ulla vis aut vafrities humana: & sciat, me dominatorem Terræ loqvutum esse, nuper, & jam. 22. Surge & scribe! inter scribendum commemorabo tibi omnia; *& factum est, Hallelujah.*

REVEL. CLIV. Eâdem die.

[*Occidentales Meretricis hostes, inter qvos Domus Fr.* 1, 2, 3, 11. *Rex Hung. coronandus*, 3, 4, 5, 8. *Polonia cavendus*, 6, 7. *Germania propter Frid. punita*, 10. *Roma evertenda*, 12.]

A *Precibus pomeridianis cogitare cœpi*, Qvis ille Occidentalis esset, de qvo manè loqvutus erat Dominus? 2. *Et Dominus respondit*: Jam est, & sunt in procinctu, qvem sol Australis obumbrare vellet vanis promissis. 3. *Ego verò submissè petii nomen indicari mihi: responsumqve est*, Etiam Friderici Regis filius, cui subveniat Princeps Transylvaniæ, futurus Hungarorum Rex. 4. Huic autem ego, si meum volet ductum seqvi, viam parabo Posonium, amotis omnibus qvæ multi opponunt & opponent, repagulis: sed ego & lapides & ligna de via removebo: sicuti feci Patri ejus, qvem in expeditione sua è Transf. duxi & reduxi, in pace. 5. *Mox apparuit mihi species vultûs fœminei: de qvo Dominus ad me*; Principissa Transylvaniæ est, tangit cor Principis. 6. Sciat autem Princeps, Regem Poloniæ (Casimirum) sibi occultum esse hostem: & nisi ante se Cosacos haberet & Tartaros, jam Transylvania in pace non esset. 7. Cor enim ejus fraudulentissimum est, qvô totam suam progeniem superavit, etiam erga propriam gentem Regnúmqve suum: cujus actionibus attendat Princeps cum Consiliariis suis. 8. Qvum adveniet tempus Posonium subigendi, etiam tu ibi eris: Coronatio verò peragatur in Templo summo, præsente Legato Turcico & Svedico. 9. *Qvod ego audiens, oravi successum felicem, decantans Psalmum vigesimum: recogitans tamen apud me tacitè, etiam Friderico nos talia decan-*

decantasse, electo & coronato, postea tamen rejecto. 10. *Sed responsum est:* Et qvid inde retulit Germania, totáqve penè Europa, qvòd deseruerunt eum? 11. Non defuit illi animus finem inferendi Romæ: sed filiis ejus dabo honorem hunc, si animum induxerint ambulare in luce mea. 12. Magna fuit Babylon, à Dario subacta tamen: magna Jerusalem, cujus propugnacula fossæqve ad miraculum erant, subversa tamen. 13. Sit ergò magna Roma qvoqve, evertetur tamen funditùs, juxta numerum annorum meorum: ut per ejus ruinam terror super Nationes Terræ veniat. 14. Tu hæc ne occulta, prodierunt enim ab ore meo: ut ista resciant qvantocyus omnia Ligna mea, de qvibus tibi loqvutus sum antè.

[v. 1. & 13.) Attentione digna res, qvis ille Occidentalis futurus.]

REVEL. CLV. Nov. 21.

[*Dies memorialis*, 2. *Domui A. terminus à 6. Decemb. notandus, signò firmatur*, 5. *Regis Hung. Eqvus rufus & albus*, 3. 7. *Angli, Hollandi, Palatinus*, 8.]

ITerum *ad me Verbum Domini factum est, post preces matutinas, dicens*: 2. Ecce dies memorabilis tibi est hodie (*fuit autem, qvia eô die ante annos* 35. *matrimonium inieram*) qvô ego tibi qvoqve memorabo, appropinqvare mutationem temporum consiliô meô destinatam ab æterno. 3. Fuit, qvum Transf. Princeps veheretur eqvo nigro: sed tempus appropinqvat qvô eqvo rufo & albo ineqvitabit. 4. Volo enim eum in Regem coronari Terræ huic: & scribe Adjuncto, illum fore unum de illis, qvi Regio Capiti coronam imponent, te qvoqve præsente; modò ille incedat per vias meas. 5. Dissolvuntur jam montes iræ meæ super Domum Austriacam, à 6. Decembris: qvod memento! & juxta mandatum meum memoriale signum gesta in manu tua. 6. *Mihi verò in mentem venit D. Comitis de Hoditz recèns tristis casus mortis: & Dominus*, Hoc illi attulit temeritas, & non acqviescentia in loco qvo ei prospexi hac in Terra, & vitæ prodigalitas, collusione cum venenatis hostibus in terra vestra, super qvam ego effudi iram meam. 7. Nec finis erit, nisi cùm novus Rex hac in Terra erit, eqvitans in albo & rufo Eqvo. 8. *Qvumqve iterum Anglicani belli cogitatio incideret, dixit Dominus*: Ultus ego sum sangvinem Friderici per alienos; cujus Filio auxiliabuntur Hollandi ad gloriam, qvam destino illi, si mihi Deo dabit gloriam. 9. Pauci recogitant, qvomodo ego ad finem deducam opus meum. 10. Tu moniti mei memor vive, nuntium accepturus hodie: veneruntqve Patako epistolæ.

[Ad v. 4. & 6. & 8.) Nunqvamne aliter Deus cum hominibus, qvàm conditionatè, agit? aut ludificari nos hîc (ut suspicati sunt nonnulli) certum est, aut latere mysterium perpetuæ inter subordinata agentia relationis, & correlationis: eô sensu qvô Augustinus dixit, *Hominem sine Deo nihil posse, Deum verò sine homine nihil velle.*]

REVEL. CLVI. Nov. 22.

[*Hungari abominationes exscindere detrectant, nisi ferrô & igni adacti*, 1, 2, 3, 4. Gentium præsens commotio in excidium Hisp. & Romanæ monarchiæ desitura, 5. &c.]

V*Idi per somnum inter Papistas me versari, non sine metu.* 2. *Et tradita mihi fuerunt scripta eorum quædam, quæ acutô conscindens cultrô projectabam in ignem: simulqve evigilavi, tristis valdè.* 3. *Et Dominus ad me*: Tergiversatur Natio hæc exseqvi voluntatem meam, in exscindendis & igne abolendis abominationibus, donec ignis iræ meæ super capita eorum ardebit. 4. Qvid autem dices, si jam ardet? Turca enim jam illum excitat primordiis irruptionum suarum. 5. Quis vero habitatorum Terræ hujus cogitat tempus appropinqvare, ut factis per Gentes variis scissuris educam agmina Exercituum meorum super Hispanum, & Civitatem illam ubi Abominatio sedet? 6. Qvæ Roma est: Roma fundamenta habens super petram lubricam, perfusam sangvine infinitorum Martyrum, qvem fuderunt Romani Senatores cum Papis, & spurio Clero. 7. Qvibus ego retribui, & retribuam, in conspectu Mundi: nec enim frustra loqvor, securim jam esse positam ad (radicem) Arboris. 8. Nihil, nihil juvabit robur eqvorum & exercituum, qvos congregabunt, in die ruinæ suæ. 9. Tu fac voluntatem meam fidenter, *Labora sicut bonus miles Christi servus fidelis Pastor: impende te pro ejus electis, magnô pretiô redemptis.* (Versum hunc ex hymno Paschali Dominus ipse cantavit: ego autem, lacrymis perfundens genas, ultima ejusdem hymni, *Gratias agamus Deo nostro, qui nos attraxit ad Filium suum &c.* Amen.

REVEL. CLVII. 23. Nov.

[*Videntis patria reflorescens*, 1. Exhibentur illi Prophetæ antiqvi, 7. *Miraculorum locô quid nunc opus*, 10. *Libri Turcici urgendi*, 13.]

O*Stendit mihi Dominus.* *Oppidum mihi natale novô circumdatum murô, & vineas meas admodum excultas, cum abundantia botrorum, aliorumqve fructuum, ut nihil simile unqvam viderim.* 2. *Cœpi itaqve orare, postqvam me ad hæc talia complacuisset adhibere, ut misereretur mei, sicuti misertus fuit* Eliæ, Amosi, Jeremiæ, Samuelis *aliorumqve: signô datô, unde cognoscam me qvoqve servum esse suum.* 3. *Dominus autem respondit*: Tu tibi omnia fieri vis qvæ petis, ipse tamen non omnia facis qvæ ego mando tibi cum aliis. 4. Sed exspecta tantùm horam meam, dum veniat: veniet enim, & jam venit. 5. Pauci erant Prophetarum etiam tempore, qvi sermonibus eorum tametsi per miracula firmatis, fidem adhiberent. 6. Dubitabant nihilominus à me fuisse missos, sicut & nunc: sed utinam gloriam dent nomini meo! 7. *Hæc ubi dixisset Dominus, momentô indormivi; & mox rursum evigilans, conspexi ante me Virum ætate ac staturâ mediocrem, de qvo Dominus*, Hic est Amos Thecoensis, qvi dixit Dominum nihil facere, qvin revelet secretum suum servis suis Prophetis. 8. *Mox prodibant alii post alios, usqve ad* Eliam; *tandem Senex grandævus, sedens, de qvo Dominus*, Samuel est,

est, *addiditque:* 9. Severitas, severitas iræ meæ semper fuit adversus ingratitudinem hominum; qvi si paterentur meô ductu duci, prosperè omnia cederent in Mundo. 10. Miracula mea tam diu densvè veniebant in oculos, qvamdiu agnitio mei non circumfulsit filios hominum: uti factum post Apostolorum tempora vobis, clarâ fidei acie me, operáqve & sermones meos, intuentibus. 11. Nunc miracula id genus patrari opus non est; sed in memoriam revocari & explicari ea, qvæ dudum à me facta & dicta sunt. 12. Ego te ad mea facta & dicta admisi gratuitò: tu ergò mihi servire memento animô gratô. 13. Et scribe tibi mihiqve dilecto Adjuncto, ut ille ne parcat labori, admonendo Principissam, ne in ventos mittat verba mea de subministrandis in editionem librorum Turcicorum impensis. 14. Meam hanc esse voluntatem dicat, ut Illi, & Nomini ejus, Posteritatiqve toti, benedicat dextra mea. 15. In Germania qvid fiet, brevi audies. 16. Hæc interim consigna, & mitte Adjuncto: ad qvem, cùm venerit hora mea, denuò ibis. 17. *Et laudavi Dominum, exultans in corde meo.*

[v. 13, 14) Sæpiùs ea de re sermo fuit, semper in ventos.]

REVEL. CLVIII. 25. Nov.

[*Splendor Operum* DEI *appropinqvat*, 3. *Solis meridiani, Domûs Austriacæ, ultimus splendor* 8. *nux frangenda*, 9. *Usus horum*, 10.]

ITerum ad me sermo Domini factus est: *& fuit ita.* 2. *Post evigilationem primam tædium qvoddam turbabat animum meum, usqve ad diluculum propè.* 3. *Ubi cùm indormissem, claritas qvædam circumfulsit me, ut expergiscerer, viderémqve diescere jam.* 4. *Et Dominus ad me:* Natio hæc est ut lignum contortum in vertice montium. 5. Sed utinam sint terra bona, bibens super se venientem imbrem, germinánsqve herbam cum fructu suo! 6. Ecce claritas diei Operis mei adventat! qvod homines intelligere nolunt. 7. Pergite vos dilecti mei eos informare, dum tempus est: tu verò memento diei sextæ Decembris, & dehinc vigesimæ qvartæ. 8. Ecce enim in Imperio fulgorem splendidum à se dabit sol meridialis, Domus Austriaca, ad seducendum multos! 9. Moravos & Bohemos prætendet obvelandæ multiplici tyrannidi suæ, qvam patravit: sed ego spiritum dabo illuminatum illis, qvi fractâ nuce invenient nucleum. 10. Tu hodie nusqvam exeas, & hæc tibi revelata mitte ad dilectum meum: addent lucis aliqvid tergiversantibus, & sua potiùs qvàm mea qværentibus. 11. *Feci igitur, sicuti mandatum fuit, decantans Psalmum* 20.

[v. 8. Fuit anno seqventi electio in Romanum Regem Ferdinandi qvarti: sed anno pòst iterum extincti, 1654. in Julio. v. 9. *Moravos & Bohemos*) cùm enim pro libertatum restitutione intercederent Imperii Principes & Status, respondebatur Bohemos & Moravos non optare mutationem: producebanturqve sigillata ipsorummet testimonia, benè sibi sub Austriaca Domo esse.]

REVEL. CLIX. Dec. 10.

[*Fœmina Videntem ad judicium trahens condemnatur ipsa, suppliciôqve afficitur*, 2. *Applicatio horum ad meretricem Bab.* 5. cujus perdendæ initium in Hungaria fieri oportere, 7. *nisi perdi velint ipsi*, 8.]

Ante diluculum obveniebat mihi somnus, videbarqve mihi inter multos Generosos constitutus; quorum unus ad me, Accusaris à fœmina, *dixit*. 2. *Et mox prodiit illa, actionem in me instituens, qvòd malam ei texuissem telam*. 3. *Ego verò exhibui fila neta pessima, planè putrida, quæ dederat, judicium à præsentibus petens: qvi re cognitâ, sententiam mortis in eam tulerunt, ductâqve est ad supplicium*. 4. *Qvò ut ventum est, jussus ego sum palum infigere capiti ejus: & feci, licet cum horrore, eamqve palo transverberabam tantâ vehementiâ, ut evigilarem*. 5. *Dominus verò ad me*: Factum est, jam factum est! Infixus jam est palus furoris mei capiti Bestiæ Babylonicæ, juxta sententiam verbis meis, & dudum & per te, enuntiatam, arcanô consiliô meo ab æterno decretam: ut effundatur sangvis eorum qvi fuderunt sangvinem sanctorum meorum, Romæ & alibi, hunc usqve in diem. 6. Jam etenim orietur lux mea Regibus Terræ, ut agnoscant deviationem à veritate Legis meæ. 7. Ecce ego Dominator Terræ mercede conduxi mihi Domum Racocianam, ad exseqvendam ultionem contemptûs mei ab Idololatris hac in Terra. 8. Tartari & Turcæ facient initium, si detractaverit Princeps obseqvi mandatis meis, per te illi nuntiatis, verbóqve meo comprehensis. 9. Tu indue tibi villosum Turcicum gausape, & perterrefac Idololatras. 10. Sona campanâ magnâ, ut per universum Orbem audiatur vox clamantis, *Exite, Exite, popule mi, Exite de tenebris Babylonicis! ut ne participetis de plagis qvas infudi in calicem Meretricis*. 11. Plagas ejus nemo in Terra sanabit: qvia tempus à me constitutum venit. 12. Tu patiens esto, brevi accipies informationem de aliis: & laudavi Deum cantu Psalmi 36.

[Brevicula hæc Visio memorabilis est, mysteriis plena.]

REVEL. CLX. Dec. 12.

[*Ultionis adesse tempora Videns signô visibili confirmare jubetur*, 6. *Sed &* Deus signa in Cælo promittit, 10. [Fuitqve octiduò post Cometa.]

Circa matutinam qvartam, post peractas preces, redormivi: Et ecce vidi fulgorem, & montes super me & alios sese volventes. 2. *Et attonitus clamabam*, Miserere, miserere nostri Deus! *à qvo & clamore evigilavi, tremebundus, DEUMqve orans*. 3. *Et ecce oblatæ mihi sunt spectandæ auri massæ valdè friabiles*. 4. *Dominus verò qviddam loqvutus, qvod non intellexi, paulò pòst voce intelligibili*; Omnia qvæ tibi loqvutus sum, *inqvit*, dudum & nuper, vera sunt. 5. Tum qvòd ultionis tempora venerunt Babyloni, tùm qvòd tibi veniet id, qvod per auri massas præsignificatum volui, ut per somnium vidisti. 6. De qvibus accipies & mittes ad Principem, ut roboretur in fide, & fortiter agat, ut illi benedicat dex-

dextera mea. 7. Ineat verò his diebus consensum cum Turca & Tartaro, ad faciendum demandatum sibi opus. 8. Qvod non humanum erit opus, sed opus Dei determinatum pridem consiliô meô, ad conterendum venenata Jesuitarum cornua, & coronas capitum eorum, cum sculptilibus & idolis eorum. 9. Brevi accipies ab Adjuncto qvàm displiceant iis coram qvibus stabas instantiæ vestræ: sed experientur illi tandem qvoqve, veros esse sermones meos. 10. Nam & signa Cœlestia Astronomis, aliisqve vobis, ostendunt imminentes mutationes: sed qvas illi non intelligunt, conjectant tantùm futurum esse qviddam. 11. Tu tibi ab insidiatoribus cave, domi te contine, vigila, ora.

[Ad v. 10.) Ortus fuit octiduò pòst in cœlis Cometa ab Austro Septentrionem versùs celerrimò cursu contendens. Qvem varii Astrologi & observarunt & descripserunt accuratè: unà cum conjecturis de significatione illius, utrum nova Bella, an Pestem, Famem, aliasve calamitates, præsagiat. Unus illorum (*David Christiani, Mathematicus Giessensis*) tametsi Turcæ in Christianitatem adventum, & qvod ab his triumphandus sit, interpretetur, addit tamen: *Uti hæc prodigia & ostenta sunt extra ordinem, sic interpretibus quoqve opus habent extraordinariis, peculiari nec omnibus obvio instinctu utentibus. Qvid multis? Confundit Deus artificiosas & nimis subtiles, eorum argutias, qvi scientiâ inflati Magistros sese profitentur: eligitqve sibi pro instrumentis eos, qvi vel mente capti, vel manifestè simplices sunt; plurima qvippe vaticinia ab hujusmodi hominibus, omnibus ferè seculis, nostro etiam, proveniunt.* Hæc ille pag. 43. consona iis qvæ hîc oraculi vox dicit, v. 10. Cui ergò ordini annumerabimus *Michaelis Güller i, Silesii*, de hoc nostro Cometa judicium? qvi cùm esset Vir politicus, Chronologiæ & Astronomiæ studiis multum deditus, Christianus tamen pius & zelosus, Apocalypsinqve Divinam ad Ecclesiæ cursum applicare valdè gnarus, de hoc etiam Cometa judicium suum consignavit, & amicis communicavit. Qvod qvia publicam lucem non vidit, summam ejus hîc apponi non abs re fuerit: ut cum eventibus, qvales hæc Oracula prædicunt, conferendi occasio sit. Ita ergò ille. *Cometa nuperrimus qvia ex Arca Noæ prodiit, & nobis eô loco quô Columba Noæ Olivæ folium rostro tenet exortus fuit (Cœlo in eleganti adeò harmonia constituto, ut unqvam aliâs) nihil periculi denuntiat populo fideli, Cymbam Christi incolenti: qvin potiùs eundem operâ fortissimi Gedeonis (sive Orionis, qvem Cometa ille primô triduô causâ sui excitabat) liberabit, Capitqve Draconis (ad quod Cometa cursu celerrimô festinabat) proteret. Maximè memorabilia sunt hæc sex. 1. Primò, qvod Cometa horizontem nostrum ingressus fuerit (ut dixi) juxta frondem Olivæ, Columbæ Noæ. 2. Qvod per triduum primum caudam suam continuò versus stellam Noæ, bellatricem, in humero dextro Orionis, extenderit. 3. Qvòd gradum horoscopalem in Imperatoris nativitate in Ecliptica transierit, qvod aliâs fatale. 4. Qvòd juxta Caput Draconis* (seu Medusæ) *dum Roma verticalis esset, subitò constiterit: 5. Tandemqve super Viennam & Ratisbonam (in ipso capite Medusæ) disparuerit. 6. Qvod totum suum cursum rectâ versus locum illum instituerit, ubi olim nova illa in Cassiopeæ signo Stella anno 1572. apparuerat. Qvocirca qvæ tum Stella ista portendebat (innovationem rerum in Orbe) hic ex Tychone Brahe, Hagecio, Kepplero, Dobricio (& aliis qvi de Stella novi anni 1572, 1600, 1604. scripserunt) repeti possunt, &c. Verbô: Qvod olim Babylone (in triumphantium sine Deo conventu) manus illa in pariete scribebat (Dan 5. v. 5, 25.) idem hæc stella. Nam illa ipsa die (19. Dec.) qvâ Reformationem in Silesia mandantes literæ subscriptione confirmatæ sunt Viennæ, stella hæc in pariete Cœli scribens apparuit vesperi.* Hæc ille.]

R.H.W.

REVEL. CLXI. Decemb. 13.

[*Confusio in Hung. ab obitu Principis Racoci invalescent*, 1, 2, 3. *& cur illum, Filiumque Sig. evocaverit* DEUS, 4. 5. *Comminatio moderni*, 6.]

A *Matutinis precibus factum est ad me Verbum Domini, dicens*: Valdè malè res habent hac in Terra! 2. Qveruntur Domini & Sacerdotes de subditis, & subditi de Sacerdotibus & Dominis: pace licet fruantur, qvâ non fruuntur alia Regna. 3. Servabam enim eos sub consiliis & dominatu Racocii senioris à metu Turcæ, & exterarum Gentium; qvod non contingebat aliis Nationibus. 4 Sed cùm expanderem manus meas, ut inter illos, & per illos, initium facerem operis mei (adversus Babylonem) ecce non ambulavit Ille qvoqve integrè coram me! 5. Sigismundo ejus Filio non defuit animus, sed vires erant langvidæ: imposuerat enim sibi sarcinam auscultandi aliis plus qvàm mihi: qviescere itaqve jussi utrumqve. 6. Si modernus eâdem incedet via cum Consiliariis suis, ecce Ignis aqvarum mearum tumescit! in sangvine piscabuntur filios suos, si ego per alienigenas agere occepero causam meam hac in Terra. 7. Desinant pòst lamentari, satis ego circa illos impendi operæ: sed illi vanis seducti consiliis nihil agunt, intuentur tantùm se invicem, & titubant, ebriosorum ad instar.

REVEL. CLXII. Eâdem die.

[*Babylon in Hungaria diruenda*, 3. *aut ruinam patientur habitatores ipsi, si aliis committetur operis hujus exseqvutio*, 8. *&c.*]

Q*Vum hæc exarassem, oppressit me inopinatò somnus*, 2 *Et vidi me Cassoviæ domum emisse, ingressumqve Templum simplicis structuræ: ubi magnam inveni populi freqventiam, sedentésqve inter eos venerabiles Senes, gravitate Sanctium referentes*. 3. *Peractis à me sacris cùm egrederer, vidi proximam Templo domum dirui, vetustam & semiputridam, spectante variorum hominum ingente turbâ: simúlqve evigilavi*. 4. *Et Dominus ad me*: Accensa est fax hac in Terra per vos duos servos meos, cujus scintillæ volitant per externa jam Regna. 5. Ratisbonæ etiam: ubi arrigunt velut asininas aures, num citò ignis exarsurus sit hac in Terra. 6. Sed Racociana Domus nondum movetur ad sermones meos, prodigia exspectans. 7. At non habebit aliud nisi Fulgura & Tonitrua Orientis, emittentis sagittas suas. 8. Et contremiscent Civitates Terræ hujus tanqvam viscera palpitantia; & trepidabunt Arces attonitæ, propter obdurationem cordis ad sermones meos. 9. Vivo ego Jehova, si perrexerint non obedire, futurum ut illis eveniat sicuti priori Mundo, & Sodomæ, subitò ruent: Ignis & Gladius devorabit eos, sicuti visione Staminis ostendi tibi (*Rev. CIX.*) 10. *A qvibus ego verbis horrore correptus, exclamavi: Ah Iehova Dominator Terræ*, DEUS *mi*, DEUS *mi*, *miserere nostri servorum tuorum!* 11. *Et Dominus*: Verba mea qvæ per te loqvutus sum, tam innotescent Orbi atqve per Nationes innotuerunt scripta Prophetarum, Danièlis, Joëlis, Abdiæ, Jeremiæ, & aliorum: per viros à me electos. 12. Ne metuite

tuite igitur vos duo servi mei: tametsi tu frustra tot jam annis operam ponis in alloqvenda verbis meis Gente hac: illi autem nolunt agnoscere vocem meam. 13. Cùm tamen illis præ aliis benè esset, si diruerent putridum illud, & jam jam dilabile, abominandæ mihi Idololatriæ ædificium. 14. Si extraneis opus hoc meum commisero, væ Genti huic! Vobis autem servi mei prospicietur à me, tantummodò fidite mihi.

REV. CLXIII. Dec. 14.

[*Exhortatio ad obseqvii simplicitatem*, 2. *Gladius ad mactandum Ferd.* 7. Renovatio Mundi instat, 9. *Pr. Racoci admonendus obseqvii*, 11. *&c.*]

E*Vigilavi, post somnium qvô videbar cum confratre, Tobia Ieffon, dissertationem habuisse* de Simplicitate, *qvidnam illa esset?* 2. *Et Dominus ad me*: Tantùm tu labora simpliciter, sincerè ac fideliter, serve mi, in opere ad qvod ego te hisce diebus Mundi vocavi. 3. Non enim omnia simul peragere soleo in vobis lapsu corrupta Creatura mea: sed gradatim promoveo ab humilioribus ad altiora. 4. Qvod sapientia Mundi, & hebetudo rationis carnalis, nec intelligit nec admittit. 5. Te qvòd nondum eò deduxi, qvò promisi, culpa est partim tarditas tua cum inobedientia, partim malitia tibi adversantium. 6. Sed appropinqvat hora, qvæ patefaciet, qvô ego mihi te & alios servem. 7. Nam ecce in manu mea est Gladius justitiæ, exacutus ad diem mactandi *Ferdinandi*: (*Interim cecidit qviddam ut lapis: & Dominus*) 8. Ecce jam cecidit lapis de manu mea! qvem nemo de filiis hominum tollet, neqve qvisqvam omnium Imperii Electorum, frustra de retinendo eo consultantium. 9. Nam conversio rerum toto in Mundo instat, atqve jam adest: ut è tenebris in lucem exeant omnes Nationes Terræ, post factum deluvium ingentis hominum multitudinis. 10. Vos autem parate Manus ad colligendum! parate Ora ad enarrandum & benedicendum iis, qvos erepturus sum è labyrinthis idolomaniæ: non tantùm longinqvos Gentiles, sed & Christianos me & Nomen meum non agnoscentes, qvaliter vos me nostis, dilecti servi mei. 11. *Interim sensi lapidem rursum volvi, sed non decidere: & Dominus ad me.* 12. Racoci paulatim se volvit, volens priùs intelligere ductum meum: sed utinam non serò! ne lapis interim meus decidat in eum, ad conterendum eum. 13. Propositum consilii mei de illo, enuntiatum per te, stabile est: sed si non defuerit fides, simplicitas, & obseqvium erga me & vocem meam. 14. Sauli tria ista qvia defuerunt, excidit Regno, tametsi jam coronatus: meus enim ductus volentium est: qvid mihi cum carnali prudentia populorum? 15. Apud me nihil valet nisi Timor cum fiducia, Obedientia cum alacritate, & Simplicitas cum patientia: qvicunqve his insistebat unqvam viis, habitabat in excelsis terræ securè.

Revel. CLXIV. Eadem.

[*A. Klobuc. vigilat*, 3. *Legatus Sept. securim acuit*, 4. *Saxo & Brand. juvant*, 5. *Orientalis cum Aqvilone conspirat*, 6. *Refugium ubi*, 8. *Scriptura legenda*, 9.]

P*Ost hæc in chartam relata reposui me, & indormivi: atqve post exiguum somni expergefactus, audivi Dominum dicentem.* 2. Adjunctus tibi expendit sermones meos per te prolatos, sed est plenus ambigui consilii. 3. Andr. Kl. excitat Principis mentem ad perpendendum qvanta se volvant pericula: attendens inprimis Germaniæ, qvalia ibi fiant. 4. Sed scias tu Septentrionalem Legatum exacuisse ut securim lingvam, ad succidendum arborem super qvam sedet Aqvila. 5. Saxo materiam subministrat: Brandeburgicus incubuit Stateræ, qvam stateram non detrahent ullis funibus Electores Ecclesiastici, mirabundi unde Isti fortitudo ad opus hoc. 6. Qværent pacem: sed nesciunt qvid acturus sit Orientalis, consilium habens cum Septentrionalibus unum, illi duo præ cæteris contra domum Austriacam. 7. Ego Jehova agam causam meam ad terrorem terræ huic, & aliis Nationibus. 8. Principissa qvòd se ad locum transtulit tutiorem, & commodiorem, rectè factum: cùm sagittæ meæ ibunt, secedat eòdem Adjunctus, qvietem non dans Principissæ de adornanda editione Librorum meorum. 9. In qvibus legendis ac meditandis tu qvoqve remissior es; diligentior esto, & exerce in his sensus, reducam enim vos ad labores in Natione vestra, iis qvi vos desiderant: qvorum ah pauci remanserunt, & remanebunt. 10. Sume tibi ad revidendum & ruminandum libros Regum & Machabæorum. 11. Cumqve incipiet fluctuare Terra hæc, prospicite vobis tempestivè: protectio verò mea vobiscum erit, cui non prævalebunt adversarii, &c.

Revel. CLXV. 15. Decemb.

[*Videns egenus solatiis erigitur*, 1. *Labores pii commendantur*, 7. *Domus Austr. malè audiitura in Nationibus.* 11.]

S*Omnium vidi: & in eo uxorem meam accumbentem mensæ opiparè structæ, & ante illam vasa aurea vini plena.* 2. *Expergefactus cogitare cœpi, habuisse nos clenodia, nunc autem esse pauperes & egenos, amicósqve ac benefactores decessisse.* 3. *Et respondit Dominus dicens*, Decesserunt amici, sed vivo ego, & vivam in æternum. 4. Ira mea irruit super vos, sed misericordia mea non recessit à vobis. 5. Perseverate in timore meo, & benè vobis erit supra necessitatem. 6. Tu qvòd panem tuum ne sic qvidem negas egentioribus atqve ipse es, rectè facis: novi ego qvâ qvis re servire qveat proximis. 7. *Mihi verò in mentem venit* Regulas Vitæ (*ab Adjuncto Latinè scriptas*) *transferre in vernaculum, ut exstarent utrâqve lingvâ; & Dominus iterum*, 8. Multi fuerunt, etiam in Ecclesia vestra, qvi dona mea non impenderunt, nullâ honestâ sui relictâ memoriâ. 9. Fac ut cogitas, ede tractatulum, ut & meditationes tuas de Electione. 10. Non vixisse præstat, qvàm vitæ nullis honestis actionibus transactæ reliqvisse memo-

moriam: tametsi non multum aut magnum qvid sit, modò bonum. 11. *Rursum mihi occurrebant, qvæ de Austriaca Domo loqvutus erat Dominus pridem: & audivi post januam cubiculi decidere qvasi lapidem, binô sonitu.* 12. *Et Dominus*: Excidit Domus Austriaca sine bono nomine: Nemo tamen eorum pejus audiit, & audiet, in Nationibus, atqve Ferdinandus secundus & tertius. 13. Appellaveris tu eum qvocunqve nomine: qvod ex me audivisti verbum est meum, profectum ab ore meo veraciter. 14. Ego Jehova loqvutus sum, & faciam: qvia nihil apud me impossibile est. 15. Ad te qvoqve redibit benedictio mea ubertim: tantummodò fidelis esto, patiens, mansvetus, & in omnibus frugalis; etiam hodie videbis curam pro te meam. (*Atqve ita fuit, misit mihi Præpositus aureum nummum, & alius vir nobilis obsonii aliqvid.*)

REVEL. CLXVI. Decemb. 17. (& 21.)

[*Domus Austriaca in foveam incidit,* 1. *Seductores ejus Iesuitæ coronandi,* 2. *qvemadmodum Pharisæi,* 4. *Effron.* 11.]

LUce *factâ, dixit ad me Dominus*: Jam ego mercede conduco habitatores etiam Hungaricæ terræ adversus Domum Austriacam, qvæ in foveam incidit, unde illam nemo liberabit. 2. Jesuitæ huc eam deduxerunt: qvi loco aureæ & argenteæ coronæ (*qvam affectarunt*) plumbeum jam gestabunt cucullum (*& vidi cucullum istum, sub qvo lapsabat gestans eum, terribilis enim fuit*) 3. Gravis illis erit corona hæc, depressans eos in profundum inferni, propter pessimas eorum seductiones. 4. Faciam illis ut Pharisæis, qvi me qvoqve spineâ coronabant coronâ, qvam gestavi ad horam usqve sextam, cum ludibrio qvod inferebant mihi in conspectu Mundi: & inferunt hi etiam hunc in diem. 5. Ultus sum istos, ulciscar & hos, malam similiter progeniem, mihi & vobis cultoribus meis sub sole opprobria exhibentem. 6. Ah qvàm titubabunt, qvàm lapsabunt, in die ruinæ suæ! 7. Tu exspecta, informaberis qvid facto sit opus. 8. Andreæ Klob. consilium erit, ut excedas è Terra hac: tu verò non priùs ibis, qvàm in ea evenerit qvod os meum loqvutum est. 9. Interim vigila & ora. 10. Qvadriduò pòst egressus, diluculi tempore foras, vidi stellam in cœlo magnam, ut virgam caudâ protensam ad ortum. 11. Regressus autem reposui me, & redormiens vidi Effronem essedo vehentem velociter, juxta montem qvendam: sed ubi transierant montem, vidi Eqvos cum temone solos porrò currentes, essedum autem cum sessore nusqvam videre fuit. 12. Qvod expavefactus evigilavi, qvid visionis esset cogitans: & Dominus, *Divellitis vos invicem discordiâ vestrâ, vobis ipsis in malum.* 13. *Effron à tergo manebit, & in oblivione, tu verò procedes: modò vigila, ora, mihi confide, faciens jussa mea.* 14. A qvibus verbis ego contristatus misericordiam imploravi Dei, etiam cantu Psalmi 130.

[Ad v. 8. & 11.) Propter metum hominum Hungari Drabicium ab esse optabant, & nonnulli svadebant: ipse etiam Klobucicius. Sed Dominus manere hunc, illos ad locum silentii migrare, jussit: ut Klobucicium 1655, 20 Nov. Effronem 1658. Maji. 31.]

REVEL. CLXVII. 22. Dec.

[*Stamen tripartitum*, 2. *Moravia repurganda*, 3. *Sed prius Hungaria, initiò Nitræ factò* 4. *Bohemia qvomodo reformanda*, 7. *Tempus adesse, non celandi Potentes*, 11. *nominatim Andr. Klob.* 13.]

V*Isus mihi sum per qvietem, cum viris qvibusdam honestis, inducere officinæ* Textoriæ *stamen tripartitum*: *evigilánsqve qvid istuc esset cogitabam.* 2. *Dominus verò ad me*: Qvid esset nisi stamen operis mei, qvod ego triunus Jehova in facie Terræ operaturus sum? id tibi tripartitô illo stamine adumbravi. 3. Moravia vestra tanquam caput abradetur à fœditate abominabilis mihi Idololatriæ: in qvam reducti, collocate per Civitates & loca præcipua viros pios. 4. Repurgatio tamen incipiat primùm hac in Terra: præsertim Nitræ, ubi nidus abominationum est. (5. *Inter hæc deciderunt tanqvam nummi complures, sed ambusti, sonitu bonô destituti: cumque cogitarem qvid hoc esset? respondit Dominus*:) 6. Malum de se dabant sonum Episcopi Nitrenses: malam ipsis reddite mercedem, internecioni devovete illic omnia, usque ad mingentem in parietem: ne commiseramini! 7. Bohemia erit tanquam terra Zabulon, cùm reintroduxero Regem ejus. 8. Pragæ effusus est sanguis Testium meorum: ita rursum fiat iisqui deprehensi fuerint in ea. 9. Idola verò, aurea, argentea, ænea & lignea, comburantur in forò Civitatis, cinerésqve combustæ abominationis projiciantur in flumen, in æternam memoriam & opprobrium. 10. Et habitabit ibi Rex tanqvam in horto Eden, observans Legem meam, qvam nescire volunt moderni Reges: sed accipient mercedem suam. 11. Vos vos testes mei, efficite ut Potentes terræ intelligant jam esse tempus: qvod & prodigiis meis ostendo, jam protrudi germina. 12. Surge, & isthæc scribe! 13. Klobusicio hæc omnia ostende, ut exacuat aciem ad videndum qvæ fiant, sciátqve pariter illuminare alios: ut illi benedicat dextera mea, & nunc & postea, cùm collocavero Regem in throno ejus: nam tunc & illi benè erit. 14. Nihil trepida servi mi! & cùm dedero in manus tuas qvod promisi, dabis illi qvoqve partem, & Principi: ut inde qvoqve agnoscant os meum esse loqvutum &c. 15. *Et laudavi Miseratorem nostrum, &c.*

[Ad v. 11. Adhuc enim in Cælo fulgebat Cometa, existens ea die in medio sui cursûs prope *Aldebaran*, sive oculum Tauri.]

REVEL. CLXVIII. Dec. 24.

[*Visio vasis vetusti terrâ eruti, sonori*, 1. *de complemento omnium antiqvorum* DEI *promissionum explicatur*, 5. *Domus Austr. mortua*, 7. Monstrorum excludendorum nidus Roma, 12. Gog & Magog mactandi, *sed diversi modè*, 15, 16. *Gentes convocandæ celeriter*, 20. 22]

E*Xpergefactus noctis meridie, suspirabam ad Dominum.* 2. *Sed redeunte somnô, vidi me in turba hominum varii Ordinis; spectantium Vas qvoddam mediâ sui parte terrâ obrutum.* 3. *Et venientes duo qvidam exemerunt id, & ecce fuit*

fuit vetustum! 4. *Alii verò duo venientes cum malleis fabrorum prægrandibus, tundebant id ictibus robustissimis; unde sonus exibat ingens, Vas tamen contundi non potuit: & mirabamur omnes, qvid vasis hoc esset.* 5. *Evigilanti verò mihi dixit Dominus*: Antiqvæ promissiones meæ à me factitatæ Gentibus, de congregandis illis ab omnibus Mundi cardinis ultimis diebus, qvi jam sunt: his ego me jam circumdabo tanqvam torqve. 6. *Qvibus ego auditis ardenter orare cœpi, ut impleat misericordiam suam Dominus, decantans in eum sensum canticum Ecclesiasticum*: O gloria cœlestis exsurge &c. 7. *Cùm redormivissem, vidi hominum multitudinem Domum qvandam ingredientem, primùm habitu Germanicô, capillis super faciem demissis, præ qvibus nec intueri bene poterant, qværentium* An tempus jam esset? 8. *Hos sequuti viri qvidam docti, qvibus ego me adjunxi: & ecce aperta fuit janua, conspectusqve mortuus qvidam impositus pegmati.* 9. *Quem cùm intuerer, cognoscendi desideriô qvisnam esset, animadverti me non dormire.* 10. *Et Dominus dixit*: Vidistine mortuum illum? Ecce mortua est, mortua est, Domus Austriaca, diuturnus tyrannus. 11. Nam obruerunt eam torrentes iræ meæ, qvemadmodum pridem loqvutus sum, me illam eversurum esse radicitùs (*Et vidi Arborem eversam cum radicibus humi jacentem: de qva Dominus*:) 12. Cecidit ecce Arbor, unà cum nido Corvos & Picas ingratæ mihi crocitationis & garritionis excludente, multis jam seculis. 13. In qvo nido & Ranæ, Angues, Viperæ venena spargentes, nascebantur. 14. Qui nidus Roma est; contra qvam convocate, convocate, ó testes mei, à qvatuor Mundi plagis Nationes, ut convolent ad diem & horam! 15. Sagittas veloces acutas emittat Orientalis cum tiaris: tùm Septentrionalis & Occidentalis, manu gestantes ignem & gladium super Gogum Occidentalem. 16. Ut mox etiam mactetur Magog Orientalis, sed spiritu oris mei, & verbis Legis meæ instar gladii penetrantis; qvô ille se mactari permittet, eô ut vivat vitâ gratiæ, mihi & vobis agnoscentibus nomen meum. 17. Qvod ille ignorans errabat per montes, sine luce mea: sed confitebitur deinde vobiscum, *Iehova Iustitia Nostra*. 18. Hæc illi veniet ex alto benedictio, ad auferendam ab illo maledictionem. 19. Sed Gog qvassandus est gladiô & igne, sine commiseratione ullâ. 20. Vos igitur, ô Gentes ac Populi, audite & intelligite! Date vos mihi Dominatori Terræ ad opus hoc meum velociter peragendum! Jam tempus est, decurrerunt omnes termini Horologii mei. 21. Tu verò serve mi surge, & isthæc scribe! 22. *Ego verò horrore correptus exclamavi voce altâ: Væ mihi mater mea, jam oblitus sum omnia! Miserere mei DEUS (lacrymæqve largiter profluebant ab oculis meis.)* 23. *Et Dominus*: Revocabo in memoriam tibi: surge, scribe, mitte dilecto meo & tuo! Et qvod facitis festinatò facite! tempora enim mea venerunt, Amen. 24. *Quo ego audito succinui qvoqve*, Amen. Fiat! *plenus horroris gaudio misti*.

[Ad v. 5. Hæc de pullis gentium sub alas Cœlestis Gallinæ congregandis promissio eâ die facta est, qvâ Cœlestis iste nuntius, Cometa, Plejades pertransibat: indeqve ad Caput Medusæ & portò ad Perseum festinabat. Cogitent docti, Anne qvæ hic versu 10-14. dicuntur, ad Caput Medusæ; & qvæ inde seqvuntur ad Perseum qvendam divinitùs excitandum, extendi possint.]

REVEL. CLXIX. Decemb. 27.

[*Videns Patriarchas videt: Abrahamum*, 2. *Isaac*, 3. *Iacob*, 4. *Mariámqve Virginem*, 6. *Unde orta gaudia*, 7. *&c.*]

IPsô die Christo Servatori natali, ut mox à noctis medio evigilavi, meditari cœpi de Patriarchis, Messiæ adventum fide prævidentibus & prædicentibus. 2. Inter has cogitationes obvenerunt oculis meis Viri graves: qvorum primus, grandævus fuit senex, staturæ infra mediocritatem, de qvo ad me Dominus: Hic est Abraham, pater fidelium! 3. Post hunc prodiit procerior & speciosior: de qvo iterum Dominus, Isaac est! 4. Tandem tertius facie liberali, robustus, totúsqve decorus: & Dominus iterum, Jacob hic est! & celebravi nomen Domini. 5. Cùm verò denuò in mentem venisset Mariæ Virginis, qvanta illi contigisset gratia ut mater fieret Filii DEI, Domini & Servatoris mei: 6. Et ecce prodiit, & mihi apparuit, persona fœminea, formosâ rotundâ facie, amœnóqve aspectu: de qva Dominus, Ecce mulier, Maria mater mea! 7. Qvô ego auditô, & gaudii cujusdam plenus, collacrymavi: agens amantissimo Servatori gratias, illúmqve tanqvam in præsepi fasciis obvolutum osculans: 8. Et simul orans, ut mihi Mariam alióśqve Sanctos in Cœlis videre, & cum illis DEUM laudare in æternum, concederet: decantabámqve hymnum &c. 9. Et qvia nocturni sacri Cœtûs instabat tempus, surrexi, Ecclesiámqve ingressus sum: Hallelujah.

REVEL. CLXX. Decemb. 26.

[*Velocitas Operis DEI præfiguratur cursu rapidissimô*, 2. *Gentes, Principes, Reges, inclamandi, ne tardent*, 5. *Abominatio stans in loco sancto emovenda* 6. *Iter ad Principem*, 10. Prædicta evenient ad apicem, 11. *Gentes seducta revocanda in viam rectam*, 12. *&c.*]

CUm surgere vellem, mandatum mihi fuit indormirem adhuc, occupavítqve me somnus momentô. 2. Et visus mihi sum insidere essedo, bigâ præjunctâ, ac volare potiùs qvàm proficisci, per montes & valles, campos & aqvas, ut horror mihi esset ne everteremur præ incredibili pernicitate Eqvorum currentium. 3. Attigimus tandem locum, ubi multi effodiebant thesauros, elargiebantúrqve mihi etiam, ut mirarer qvid fieret. 4. Qvùm verò inter evigilandum vix dum ad me rediissem, alloqvutus me Dominus dixit: Velociter currunt, & jam decurrunt, tempora decretorum meorum, per alios & per te, serve mi, promulgatorum. 5. Inclamate igitur vos duo testes mei, inclamate Gentes! sonet vox ab Oriente ad Septentrionem, & ab Occasu in Meridiem, *Parate viam Domino! Exæqvate valles incredulitatis & inobedientiæ!* 6. O Vos Principes & Reges, qvibus jam aperui propositum consilii mei, qvid facere vos velim cum abominatione modernâ, stante in loco sancto, sicuti stabat Jerosolymis tempore meo. 7. Ecce ego expurgavi illam, omnia redigendo in rudera! qvod neqve credere voluerunt neqve intelligere, Pharisæi, & tamen factum est. 8. Verbum meum impletum est, & implebitur id etiam qvod per te jam qvartum & decimum in annum annuntio. 9. Sed plenum eventum nondum (*tunc etiam*) sortientur omnia in

Terra & Natione vestra, nisi intra biennium adhuc. 10. Tu brevi ad Principem ibis, assumtô alterô teste meô: qvem ne pœniteat laboris in his transferendis, & ad Nationes terræ dimittendis: nam messis mea appropinqvat. 11. Tu hæc revelabis Calesio (*Minister V. D. est*) qvi adhuc qvid fiat ignorat: & scitote apud me in memoria esse ad apicem omnia, qvæ de præsentibus Mundi mutationibus loqvutus sum, & loqvor: nec emanebit qvidqvam non impletum. 12. Acuite igitur, acuite, falces vestras ad messem meam agrorum sterilium, ubi nihil nisi spicilegia remanent in Terra vestra, irâ meâ perfusa. 13. Et dicite Nationibus, vestris & alienis: *Novate vobis novale, & nolite serere inter spinas contumaciæ adversus me, & vocem meam, cum incredulitate cordis.* 14. Venite ad fontes aqvarum viventium, qvos impurârunt cœci duces vestri: ac redite ad vias Legis Dei! 15. Nolite seqvi ampliùs duces cœcos, & vanam Idolomaniam, qvibus imponi finem volo, constitui verò Ordinem tibi jam antè denuntiatum, in Proceribus, Pastoribus, ipsóqve Populo. 16. Ecce os meum loqvutum est! qvi sum Via, Veritas, & Vita. 17. Sciántqve omnes, Me esse qvi constitui, & constituo, in qvavis Gente jura. 18. Statuta mea, & non adinventiones humanæ observentur. 19. Domus mea domus laudum mearum sit, & orationis; Vivarúmqve imaginum, non mutorum & mortuorum truncorum. 20. Ne celaveris hæc, serve mi! para & expedi omnia hæc, & mitte Adjuncto. 21. Et fac qvod mandavi dudum, gesta in manu signum conspicuum: si qværent cur id gestes? responde, signum est memoriale mihi. 22. Nihil te horum pudeat coram hominibus! dummodò mihi fidelis eris, mitis, patiens, obseqviosúsqve mihi Regi tuo & Domino tuo, non deseram te, nec reliqvias fratrum & cultorum meorum. 23. Et laudavi Dominum, cantu Psalmi 99.

[Adhuc imago cœlestis nuntii, Cometæ, obversatur animo: postqvam ad hæc Cæli signa per hos ipsos dies manu ducere nos placuit Deo (hîc supra, 160. 10. & 167. 11.) nec displicuit ad eadem aludere exhibitis hîc servo suo. Ex. gr. velocitate cursûs, v. 2, 4. Cometa enim ille in cælis extraordinariè veloci erat cursu adeò, ut uno die 13. gradus conficeret. Versu 6. &c. annon iterum ad Medusam & Perseos alluditur?]

REVEL. CLXXI. Dec. 27.

[*Fatales numeri Domûs Austriacæ exeunt Annô 1653. Futuri Regis H. unctio præscribitur*, 6. *& Concio*, 12. *Buda Regni sedes reddenda*, 14.]

V*Isio nocturna fuit de apparanda Sagena qvadam ad piscandum, cujus sinus nimis fuit angustus, desiderans ad justam amplitudinem (omnium adstantium judiciô) octodecim adhuc maculas.* 2. *Expergefacto verò mihi veniebat in mentem numerus, de qvo Patakini loqvutus fuit Dominus.* 3. *Ad qvod Dominus*: Meministíne fuisse 218? Ad annum 18. (*hujus seculi*) utcunqve ordinata & pacata fuit dominatio Austriacæ Domûs: sed annô 18. bellum inchoavit suam in ruinam. 4. Inde sunt elapsi 35. anni: qvibus adde 18. facit 53. prodibítqve numerus, de qvo tibi antè sum loqvutus, 380. annorum. 5. Scias igitur jam decurrere terminos dominationis ejus (NB. *Dixerat qvoqve hîc Dominus, Annum 1653. numerari debere non à Circumcisionis, sed Nativitatis suæ, feria.*)

6. Tu

6. Tu meditare iter, vocaberis enim; eméſqve Leutſchoviæ Olei Balſamini ſemunciam. 7. Ingreſſus ad Principem exhibebis Regi debitum honorem, incurvando te ad pedes ejus, præſente Conjuge Principe, Matre, & Conſiliariis: Papiſtarum verò nemo aderit. 8. *Et dices: A Iehova DEO Zebaoth ego miſſus ſum, ut Te in Regem Hungariæ ungam oleo hoc.* 9. Simulqve effundes oleum ſuper caput ejus, proclamans, *Vivat, vivat, vivat, Rex Hungariæ!* Qvæ verba ternâ item vice acclamando geminabunt præſentes omnes. 10. Tum accedens ad Principiſſam Conjugem effundes olei reliqvum, ſuper manus ejus, & non ſuper caput: qvia Rex unus eſſe debet, non plures. 11. Principes eſſe plures poſſunt, Rex, caput Regni, unus: non qvomodo Auſtriaci per rapinam ſibi uſurparunt Reges coronare ſuper Reges, in Imperio qvoqve. 12. Tum Adjunctus Concionem habebit ſuper verba Pſalmi 2. v. 6: explicando, I. *Quis ſit qvi Reges conſtituat.* II. *de reqviſitis ac officiis Regis erga DEUM & ſubditos.* III. *Subditorumqve erga DEUM & Regem.* 13. His peractis redibitis, nihil agendo aliter qvàm in nomine meo, qvi Rex Regum, & Dominus dominantium, ſum. 14. *Mihi verò in mentem venit, Priſtinos Hungariæ Reges ſedem habuiſſe* Budæ: *& reſpondit Dominus*, Reddet Turca Budam, ſi Rex timebit Deum, & mandata faciet mea, &c.

REVEL. CLXXII. 28. Dec.

[Viſio Joh. Huſſi armati, 2. *& incendii magni*, 3. *& Convivii inordinati*, 6. *reſolvuntur in qverelas de impia ſecuritate Mundi* 8. *præſertim Eccleſiaſticorum* 11. *& de hinc Politicorum* 16. *plebis denique brutam vitam agentium*, 25. *Conſilium de reſipiſcentia ſeria*, 24, 34. &c. *Non celanda hæc*, 36.]

I*Terum factum eſt ad me Verbum Domini: cùm præceſſiſſet viſio triſtis.* 2. *Videbam in Cælo effigiem* Johannis Huſſi, *obverſam facie ab Oriente in Occidentem, tenentem gladium falcatum ſangvineum, cuſpide itidem Occaſui obverſum.* 3. *Qvod intentè cum præſentibus ſpectabam, donec in proxima Domo permagna, ſuper qvam manus cum Gladio ſtabat, ortum eſſet incendium vehemens, cui exſtingvendo præſentium nemo manum adhibebat: nec ſe movebat loco, tametſi clamor intus audiretur.* 4. *Qvod miratus vehementer dolui, triſtitiaqve & horrore plenus evigilavi: & Dominus ad me*, Exi foras, & ora. 5. *Exivi igitur, & reverſus repoſui me, ſomno mox correptus.* 6. *Et vidi menſas ſtratas, plenas epulis, ſed inſipidè paratis: qvas circumibant Politici, Eccleſiaſtici, Plebs, magnô numerô, nemo tamen edebat.* 7. *Hoc videns, indignabar tantam confuſionem, egreſſuſqve inveni alios, mihi notos, melioribus cibis veſcentes, Deumqve mecum laudantes: ſimulqve evigilavi.* 8. *Et Dominus*: O progenies, progenies filiorum hominum! ſedens in tenebris, lucem magnam videre recuſas. 9. Ideò ecce Gladius meus ſangvineus evaginatus in manu mea! protenſus ab Ortu in Occaſum, Septentrionem & Meridiem, ad interimendum & occidendum. 10. Et Ignis meus in domo Mundi ecce jam flammat! cui exſtingvendo num qvis animum apponit? Cæci ſunt, intuentur ſolummodo, exſtingvere laborat nemo. 11. Ah ſpirituales & Eccleſiaſtici, per omnes Mundi angulos, qvàm malè prælucetis! Editis, bibi-

bibitis, luditis, stertitis, non vigilatis, Gregem debitè non pascitis. 12. Dicis ergo Legem meam & historias prælegitis, opus operatum agitis: perinde ac Tympanista seposito tympano, & Tubicen tubâ, nihil qvàm ut edat & bibat solicitus, & num alicui sonitu suo profuerit securus. 13. Annon Medicus ægros visere, Pastor oves qværere ac reducere, Doctor solicitè docere, debet? Sed ubi Medici? ubi Pastores? Sunt qvi se ipsos pascunt, edunt, bibunt, ludunt; me autem, ut & munia ipsi sua, ludibriò habent. 14. Ecce movebo Candelabra vestra de locis suis, ó Pastores cœci! Gladius meus extensus, & Ignis iræ meæ accensus, jámqve ardens, vos primùm devorabit ó arbores mortuæ, ó nubes sine aqva! 15. Vos debuistis, vos primùm occurrere iræ meæ: ut exemplo vestrô Reges, Principes, & Primores terræ, vias prudentiæ, pietatis, judicii, justitiæqve cum misericordia, discerent. 16. Sed & illi, vos imitati, agunt ut ebrii titubantes, ignari qvando dies vel nox, & qvando benè vel malè secum, ac subditis suis, agitur. 17. Cogitationes omnium sunt, *Edamus & bibamus, cras moriemur!* Sint modò nobis domus & palatia splendida, horrea & cellæ plenæ, colla monilibus circumdata, eqvi phalerati, & omnia nitida. 18. Non habeat interim pauper ubi caput reclinet, unde panis frustum, aut qvo nuditatem tegat, sumat: modò vos affluatis bonis, & voluptatibus indulgendo lasciviatis. 19. Qvod magis, mei qvoqve Creatoris vestri, & sanctæ Legis meæ, respectus vobis nullus est: perinde ac si nullus præter Vos, qvi Mundum regat, esset. 20. Ego Dominator Terræ vobis primariò Legem meam dixi, & scripsi: sed freqventérne hanc legitis? qvam ne domi qvidem suæ vestrûm multi habent, ah! 21. Freqventérne oratis? multasne eleemosynas distribuitis? Imò devoratis pauperes, judicantes secundùm munera, & vendentes egenum pro pari calceorum: pacem verò vobis & subditis vestris apud me non qværitis: 22. Apud me dico, qvi facio tenebras & creo malum, immittens vobis vertiginem, ut concipiatis aridum gramen & pariatis stipulam, vos ipsi inter vos ipsos Terram redigentes in desertum. 23. Intueor vos, & dolores mulieris parturientis invadunt me, ut ex utero iræ justitiæ meæ Gladium emittam, qvi vos interimat, & Ignem qvi consumat domos & palatia vestra, redigatqve omnia in rudera. 24. Sed utinam redeatis in vos! & cum Rege Ninive ad me conversi qværatis me, per observantiam sanctæ Legis meæ, & exseqvutionem judicii & misericordiæ super subditos vestros! 25. Qvi exemplô vestro, ó Pastores gregis, ó Magistratus, corrumpunt vias suas: persimiles homini cui rupta flava bilis faciem decolorat, luridamqve facit, & ore tetrum exhalat spiritum putidorum sermonum. 26. Me enim Creatorem suum, voluntatem meam & vias meas, statutaqve & judicia mea, nec sciunt nec intelligunt, luce Verbi mei non irradiati, in viam scientiæ non directi, putrida tantùm & putida vanitatum agere adsueti. 27. In negotiis verò Vitæ nonnisi fraudulenter & dolosè cum invicem agunt, nullo metu mei, Creatoris sui, omniqve conscientiâ vacui. 28. Vorant, nec saturantur; æstate ac hieme se fatigant, nec pingvescunt; decedunt hinc ut pecora, cur in Mundo fuerint, aut qvò hinc è caligne Terræ eatur, ignari. 29. Largitus ego sum, & largior, hac in vita filiis & filiabus hominũ bona tẽporaria, ut edant & bibant de rore

benedictionis meæ: at non hîc finis. 30. Sed ut illi me Creatorem & largitorem suum agnoscentes totô corde, totâ animâ, totisqve viribus, diligant, & mihi cum timore & tremore serviant: scientes Gladium iræ in manu mea, & Ignem zeli in accensa face, ad ultionem super omnem Gentem idolis, & non mihi, servientem, mendacia pro veritate loqventem, immanitatem locô misericordiæ exercentem, & se ipsam supra me Factorem suum diligentem. 31. O utinam qvi nunc inhabitant Terram recordari velint antiqvorum servorum meorum, Patriarcharum! qvi licet tot seculis sine litera Legis, scriptisqve Statutis meis viverent, nec lumen aliud qvàm qvod illis Natura, meâ dispositione dederat haberent, qvomodo tamen vixerunt? 32. Erectâ inter se lege morali ardenter mihi servierunt, promptéqve obsecundârunt, benè sibi & aliis consulendo. 33. Qvos ego, Terrâ in Cœlum translatos, collocavi ad mensam meam, perfruituros mecum svavitatibus meis in omnem æternitatem. 34. Qvapropter ó vos Ecclesiastici, & vos Dominatores, vósqve Subditi, videte, videte, videte Gladium evaginatum! Videte Ignem iræ meæ accensum! Exterminate à facie mea Idola & Idololatras! Renovate faciem Terræ luce Legis meæ! & resipiscite anteqvam vos dies caliginis opprimat & contegat. 35. Exardescite zelô, & facite pœnitentiam! Nam securis, ecce, jam apposita est arbori! & ventilabrum in manu mea ad expurgandum aream Mundi! 36. Vos igitur servi mei, stantes in muris, attollite voces vestras! & omnia qvæ nunc loqvutum est os meum, deducite in notitiam Consiliariorum & Ordinum, omnium Nationum. 37. Os enim meum loqvutum est, & loqvitur, verbum verax, de rebus consiliô meô decretis, de ultione & benedictione, déqve Opere meo temporario & æterno. 38. Tu autem surge mox, & ista scribe mox! qvia tempora adventant. 39. *Ego autem ingemui, metu non posse ista retineri memoriâ.* 40. *Et Dominus in memoriam revocabat omnia. Hallelujah.*

[Ad v. 2.) Visio illa Johannis Hussi, Turcicô armati gladiô, tam absurda mihi visa fuit (confiteor, Deo teste) ut hæsetim aliqvot dies mecum ipse colluctans, annon tutius foret eam omitti. Tandem tamen metu, ne non fidi Interpretis partes egisse videar, interpretatus omnia sum ordine, ut ad me Videntis manu missa sunt. Cogitare enim venit, posse subesse mysterium, qvòd de Securitate Mundi, corruptelisqve omnium Ordinum qverelas effusurus Dominus, producat effigiem Hussi martyris Bohemi, gladiô Turcicô armati. Ideò fortassis qvia ille inter omnes Reformatores zelosissimus fuit adversus Vitæ profanitatem in Clero, & Secularibus, totoqve Christiano Populo. Cujus zelus oris & spiritûs qvia parum hucusqve profuit, jam se iræ zelô acturum, gladióqve deleturum Idololatras & profanos omnes minatur, v. 30. 34. 35.]

REVEL. CLXXIII. Decemb. 31.

[*Visione de Concione joculari* (1) *omnéqve delapso* (5) *docetur videns, qvàm jocalariter excipiat verba* DEI *Terra hæc* (7) *suô malô*, 11. *Testes* DEI *exire jubentur excussô pulvere*, 14. *Injuria committenda* DEO, 20.]

INter matutinas preces invasit me somnus: & vidi me à Superattendente qvodam introductum in Ecclesiam, ubi honoratissimi Auditorii fuit frequentia magna, jussit-

jussitqve me Concionem habere ad populum. 2. *Sed interveniens quidam audaculus conscendit suggestum, & inordinatissimè habitô sermone, sine Verbi Divini fundamento, ad risum potiùs comparato, disparuit.* 3. *Cùm autem ipse qvoqve egredi vellem, retinuerunt* me Comes Elesbazi, Berkesi, *& alii aliqvot, increpantes me cur non ipse fuerim concionatus.* 4. *Mox adductus est iste jocularis Concionator, cui cùm ego legitimæ Vocationis meæ ostenderem testimonia, ille obmutuit, Theologicúsqve habitus de illo decidit, ut veste curtâ; natibúsqve nudis abiret.* 5. *Hîc evigilavi: & ecce quiddam crepuit ad lectulum iteratò! foris autem in platea decidit veluti onus.* 6. *Et Dominus respondens dixit*: Mea præsentia est, pulsans. Non tuas res primùm qvære, serve mi, cum tibi & mihi dilecto; sed meas, de qvibus per Vos his postremis temporibus Mundo & habitatoribus ejus loqvor, ad agnoscendum me & arcana mea. 7. Sed nolunt in cor & animum admittere verba oris mei: suspectos habentes vos, qvasi proprium aliqvid hîc reqviratis. 8. Qvos tamen ego non mercede conduxi, ad patefaciendum per vos consilium, apud me ab æterno determinatum, de Terra hac, aliisqve Mundo eventuris. 9. Novi ego, novi non deesse, qvi honorem hunc mihi auferre, vobisqve testibus meis obstruere ora volunt, ut ne proferatis hæc qvæ ab ore prodierunt meo. 10. Ita semper eveniebat Prophetis qvi fuerunt ante vos, & Apostolis: adversus qvos insurgebant pseudoprophetæ, & pseudodoctores. 11. Sed retulerunt ignominiam & nudates, ego verò cum testibus meis justificatus sum in judiciis & sermonibus meis: qvia Cœlum & Terra peribunt, Ego autem mecúmqve Verba mea, æterna sunt. 12. Vos duo annuntiate illis in testimonium diem, non adventantem, sed qvi jam advenit, ultionum mearum Idololatris reservatarum, & qvæ fieri volo ab Incolis terræ hujus: qvibus parati estis revelare Voluntatem meam, sicuti tu paratus eras in visione somni habere Concionem. 13. Si renuent illi, fiet ut abeant post patres suos cum confusione & lamentis seris: vos autem ego Jehova Dominator Terræ non deseram. 14. Adjunctum tibi revocant Poloni, & alii, timentes illi: qvi si senserit non prodesse sermonem non acceptum fide, excedat ab illis, & redeat unde venit. 15. Tu qvoqve ibis ad locum, qvem tibi antè indicavi, excussô pulvere de pedibus vestris: qvi cùm in eos recidet, sentient super se labi onus grave, qvod audivisti delapsum. 16. Ego bis pulsabam: qvia jam tempus est ut habitores Terræ hujus faciant opus meum. 17. Qvibus tu dic verbis meis: *Scitote, scitote, ô Hungara Gens, Iehovam misisse me annuntiatum Vobis diem ultionis ejus!* 18. Ex ore illius prodiit (*verbum*) de accensa ira contra eos, qvi sibi parabolam faciunt verba mea, qvæ audiunt: sive audiant sive desistant. 19. Hæc sunt qvæ tibi significata volui hodie. 20. Tua tibi detineri ne ægrè fer: da mihi honorem, posse te committere injurias tuas mihi. 21. *Et laudavi Creatorem meum, surrexi, scripsi.*

REVELATIONES factæ Anno M. DC. LIII.

Rev. CLXIV. Jan. 13.

[*Rectoris cujusdam abitus*, 4. *Obseqvium DEO præstandum.*]

A *Precibus matutinis vidi Generosos querulantes de discessu à se Rectoris: qvorum unus mihi pulchrum pileolum dabat in manus.* 2. *Qvum qvid Rectoris esset cogitarem, respondit Dominus: Non dicam tibi hodie, res ipsa tibi adferet explicationem.* 3. *Iterum cogitabam*, Non me missurum nunc jam ea, qvæ loqvutus fuit Dominus: *& Dominus*, Hoc fac Jejunium tuum differ in feriam qvartam, & ora. 4. Milita ut bonus miles, & eris dilectus mihi servus, secundùm electionem & vocationem: laborem impendens in iis mihi, ad qvæ adhibere te volo, (etiam in rupe) non desereris 5. *Et laudabam Dominum.*

Revel. CLXXV. 14. Januar.

[*Duo mortui, Domus Austr. & Papa, qvorum possessiones Nationibus diripiendæ;* 4. *Visio de filis netis, & Avicula cantillante, ad Videntem & Domum Rac. applicatur,* 9. *Ionas Medniansky*, 12.]

V *Idi me cum viris Generosis, curru proficiscentem, ingredi Domum magnam, ubi mortui duo jacebant.* 2. *Præsentes autem colloqvebantur, Ecqvis istorum bona hereditaturus esset? Et ecce Magnates ea inter se dividebant, mihi qvoqve assignatâ parte.* 3. *Ut evigilavi, deciderunt ponè parietem, ad caput mihi, lapides duo, ut terra contremisceret.* 4. *Cogitanti mihi qvid utrumqve istud sibi vellet, respondit Dominus:* Ceciderunt, & apud me jam-mortui sunt, Domus Austriaca & Papa; qvorum facultates inter se divident habitatores Terræ. 5. Ne oblivisscere horum, qvæ nunc loqvor. 6. *Et oravi pro me, & Adjuncto mihi, recogitans (hesterna) annon ille esset Rector ille, qvi à nobis abiit?* 7. *Et indormiens momentò, vidi me tractare fila neta, qvorum subtiliora tradebam aliis, crassiora servabam mihi.* 8. *Qvod fuit in Horto, ubi super arborem sedebat avicula, Acanthis, cantillans, & rostrò alvear fodicans, mellaqve eximens, qvam circumvolitabant apes.* 9. *Et mox evigilanti mihi Dominus:* Dulces sunt sermones mei per te prolati, & suaves: sed qvid qvum eos detrectant audire modò ii, qvibus facti sunt? Convolant, consultant, qvid faciant nesciunt. 10. Tradidisti tu eis fila neta pro stamine pulchro, modò texere vellent. 11. Memento hujus etiam sermonis mei. 12. *Ego verò cogitabam adire D. Ionam M. & cum illo de his conferre aliqvid.* 13. *Et Dominus:* Abstine, nondum tempus est; cùm venerit significabo tibi. [Factum R. CCXLVI. 5.] 14. Oravi ergò, ut Dominus glorificaret nomen suum, nostriqve mise-

misereretur, decantans hymnum, *O gloria cælestis, extende dexteram tuam &c.* 15. Cùm surrexissem, precésqve cum domesticis meis haberem, prælegendum fuit Ezechielis Caput 33, mirabárqve ultima illic verba, versu 32 & 33.

Revel. CLXXVI. 17. Jan.

[*Principissa Transylvaniæ compedibus suis liberanda.*]

I*Terum factum est ad me Verbum Iehovæ: qvum diluculò redormiissem, vidissemqve Principem matrem ad me venientem, & solicitudinem suam de puero qvodam, ne à Iesuitis seduceretur, exponentem.* 2. *Cui ego: Provideat igitur C.V. ut id præveniatur.* 3. *Princeps autem consedit, jubens sibi pedibus demi laminas qvasdam ferreas, incessum impedientes.* 4. *Qvas ego intuitus mirabar, qvomodo incedere potuerit: simulqve evigilavi.* 5. *Et Dominus ad me*: Tanqvam compedibus vincta incedebat hactenus Princeps, sed jam decident pedibus ejus: tantummodò tu tempus exspecta. 6. Literas hodie accipies, qvibus parùm exhilaraberis. 7. *Et factum, redditæ sunt: è qvibus nihil solatii, admirationem tantùm super obstinationem humanam, concepi; orans pro Principissa.*

Revel. CLXXVII. 19. Jan.

[*In authorem Revelationum inqvirentibus qvid respondendum* 2. *Protestationes contra Gentem Hungaram*, 4. *Vindices contemtûs* D E I. *aliunde venturi, cum obtortis collis*, 7. *Epitome harum Revelationum*, 10. *Scriptio ad Principem*, 13.]

I*Terum factum est ad me Verbum Domini, ipsò diluculò: qvum diu antè somnium habuissem, qvô vidi Principem Transf. in multorum præsentia à qvodam accusari, ab alio verò defendi, culpam illius esse nullam.* 2. *Super hâc re cùm diu cogitassem, respondit Dominus & dixit*: Qværunt, qvis loquutus sit sermones per te, serve mi, dudum & nuper prolatos? 3. Sed frustra ex te qværunt: qværant ex me, qvis olim fuerit loqnutus Patriarchis & Prophetis, qvis per dilectissimum meum Filium, illóqve hinc digresso per Apostolos? 4. O stupiditas mentis, refractaria mihi & consiliis meis! 5. Volui ego, ut illi auditô vocis meæ sonitu conciliarent sibi memoriam æternam: sed ecce indignos faciunt se ipsos. 6. Ut Gallina pullos suos congregat sub alas suas, ita illos congregare volui in die procellarum iræ meæ: sed ecce hunc usqve in diem frustra! 7. Dispande illis adhuc (ob oculos) & dic: Nodum de ligno, & lapidem de muro, clamaturum contra eos, cùm super eos misero Gentem alienigenam, cum obtortis cervicibus, qvi occipitiô suo ferient frontes horum. 8. Imponam eos stateræ & dispergam in terram alienam, & filios eorum, propter contemptum factum mihi: idqve die qvam non sperant, & horâ qvam nesciunt. 9. Vos autem servi & testes mei ne pavescite, vigilantes & orantes. 10. *Ego verò dixi: Ah Dominator Terræ mittamne nuperos sermones illos tuos (habebam enim penes me adhuc à* 10. *Decembris omnia): responsum*, Mitte! sunt enim velut epitome omnium qvæ per te loqvutus sum. 11. Mitte inqvam in testimonium (hæc enim Natio intellligere se & sua non vult) dum ad

huc tempus est: Tu autem ipse custodi fidem corde tuo, & patientiam. 12. *Ego verò cogitabam: Annon ipsi mihi esset scribendum ad Principem, si fortè sic permoveri posset.* 13. *Dominus autem*: Nihil nunc ampliùs qværas: sufficiant interim, tibi & illis, qvæ jam loqvutus sum, pridem & modò. 14. Surge, & ista scribe.

[Ad v. 6, 7, 8.) Impletum eheu! eheu! annis 1663 & 1664.]

REVEL. CLXXVIII. 15. Febr.

[*Preces & labores piorum Angeli deferunt in cælos*, 3. 4. *Christus qvomodo nobis in Terra præsens vel absens*, 5. *Humilitas & obseqvium commendantur Angelorum exemplô* 9. *Sagitta in Domum Aust.* 13. *Facta per Cotterum Revelationes qvomodo excepta*, 14. *an impleta*, 18. *Homines semper Deo refractarii*, 20. *Vis Fidei*, 21. *Irrisores puniuntur*, 23. *Videntis simplicitas qvibusdam scandalo*, 26.]

EXpergefactus noctis meridie secundâ, *suspirabam ad Dominum.* 2. *Et mox rursum somnô mersus, vidi me in conspectu multorum, qvi concionem meam audituri convenerant, exspectantes cum desiderio: sed evigilavi.* 3. *Et Dominus ad me*: Noti mihi sunt labores, operæ, precésqve tuæ, qvas fudisti, & adhuc in nomine meo fundis. 4. Meô enim donô id habes, ut scias ubi, qvando, & qvomodo, orandum sit: Angeli verò mei, tibi semper præsentes, deferunt orationes tuas ad me. 5. Qvanqvam & ipse tametsi in Cœlos ascendi, & corpore in Terra præsens non sum (qvod vos rectè confitemini) nec tamen loco uni sum inclusus, sed deliciæ meæ sunt ambulare in medio servorum meorum, sicut & post Resurrectionem meam in Terra feci, ubi me mare qvoqve & aqvæ sustentabant. 6. Divinitate autem meâ cum Patre & Spiritu S. semper ubiqve in Cœlo & in Terra præsens sum, gubernans omnia secundùm consilium voluntatis meæ. 7. Vidisti tu in somno te diligentes, & libenter te audientes amicos, qvi te jam in cœlos præcesserunt, atqve ibi etiam te diligunt, & desideriô exspectant tuum qvoqve reditum eô, unde ego te, inspirato tibi spiraculo vitæ, emisi. 8. Qvibus aggregaberis, ubi numerus dierum tuorum, tibi, ut & aliis servis meis demensorum, completus fuerit: qvod nemo nisi luce meâ collustratus intelligit. 9. Multi sibi plus videntur habere lucis, qvàm revera habent, ideóqve aspernantur cæteros: sed nemo me meliùs (ea) novit, qvi qvantum in qvemqve conferre vellem ab æterno decrevi, temporéqve suo in lucem profero, ut manifestum fiat hominibus & Angelis. 10. Nam neqve Angeli arcanis meis consiliis intersunt: sed qvæ sciunt & faciunt, juxta ordinem & mandata sibi revelata sciunt & faciunt, in Cœlo & Terra. 11. Acqviesce tu illuminatione meâ, spretis hominum cavillis: inservito mihi rebus iis, ad qvas mihi adhibere te libuit, obseqventer, confidenter, patienter, non derelinqvêris. 12. *Qvibus ego cum ineffabili qvodam gaudio auditis, nescio, qvomodo rursum momentô indormivi, somnumqve in diluculum usqve continuavi, orans tamen etiam per somnum.* 13. *Utqve evigilavi, iterum Dominus*: Vivo ego Jehova, Sagittæ meæ acutæ, dudum prænuntiatæ, super Austr. Domum jam volant. 14. Qvas inter alios servo qvoqve meo

meo Kottero, verbis & præfigurationibus variis ostendi, loco & tempore non uno. 15. Cujus sermo inhæsit nonnullis, exceptus reverenter; ab aliis verò pravæ mentis ludibriosè: à qvibus ego me nube obtexi, ut videndo non videant, & audiendo non intelligant. 16. Qvia noluerunt agnoscere consilia mea, qvæ per illum denuntiabam, sed recipiebant & interpretabantur sermones meos ad normam judicii opinionum suarum. 17. Cùm tamen qvis cognovit mentem meam? & qvis penetravit in consilia mea? qvi consilii nullius egeo, nec aliud qvàm æterna decreta mea seqvor. 18. Ita est sanè: ab illo etiam prænuntiata non omnia sic eventum sortita sunt, ut vellent homines. 19. Sed cujus culpâ? meâ an hominum? qvorum indoles ingenii nunqvam ferè acqviescit iis qvæ revelo, aut mando. 20. Percurre mente seculorum cursum ab Adamo usqve: non aliud reperies, qvàm homines semper consiliis suis qvàm meis duci maluisse, ut cùm illi se perderent, ego manerem justificatus. 21. Qvoties autem erant, qvi sermones meos fide ac obseqviô exciperent, fiebat ut nullum Verbum meum caderet in Terram, tu fuit Samuelis qvoqve tempore (1 *Sam.* 3: *v.* 19.) Id autem unde, nisi à fide & obedientia? 22. Ecce Terra, qvæ recipit imbrem corde purô, reddit semen fructuosum! qvales ó qvàm rari, & olim, & nunc! 23. Nam inter eos qvoqve, qvibus per te prolati sermones mei innotuerant, qvàm multi fuerunt, qvi sua phantasmata seqvuti, meos sermones contumeliosè tractârunt? 24 Qvorum vitam abbreviavi: & abbreviabo etiam illorum qvos tu amicos vocas, persvadere sibi, qvòd Virtus mea in infirmitatibus perficiatur, neqveuntium. 25 Judicantiúmqve secundùm visionem oculorum & auditum aurium, non autem secundùm voluntatem meam: qvô ipsô non tibi sed sibi nocent. 26 Novi ego simplicitatem tuam, & erga qvemvis apertum pectus, tibi nocere: qvod illi capere sic non possunt, qvomodo ego illos, illorúmqve cogitationes, capio. 27. Attende igitur tibi & sermonibus tuis, quicqvid agis; & jejuna hodie, tecum ero & Angeli mei. 28. Surge, scribe! *Laudabam ergò Dominum cantu.*

Revel. CLXXIX. 22. Febr.

[*Babylon cecidit*, 2. *Hominum cor ferreum*, 3. *Mundus cæcus*, 6: *tametsi lux ei magna bis accensa*, 7. *denuòqve* (*sub Mundi vesperam*) *accenditur, per omnes Mundi angulos*, 8. *Gentes convocandæ*, 10.]

A *Precibus matutinis fui tristis spiritu.* 2. *Et factum est ad me Verbum Domini*: Cecidit, cecidit Babylon, cum filiis contumaciæ, obseqviosis matri fornicationum, deditis vanitati & abominationibus. 3. Nam ecce sagittæ furoris mei expolitæ, evibratæ sunt Arcu iræ meæ adversus Gentes, habentes cor ferreum, obductum ferrugine doctrinæ falsæ. 4. Non tantùm in longinqvis Nationibus, sed & qvi contra interdictum meum receperunt characterem Bestiæ, spe vanâ terrenorum bonorum. 5. Adversus qvos jam exæstuavit mare iræ meæ, dudum à me per Mosen & Prophetas prænuntiatæ. 6. Cœcus autem Mundus, unde exæstuatio hæc surgat advertere non vult: neqve qvòd ipsi contra se, & cudunt & acuunt gladium ultionum mearum, sicuti primus ille mundus,

mundus, qvem aqvis delevi. 7. Destituti luce illâ, qvam ego ad manifestanda consilia, voluntatem, decretaqve mea; bis Mundo accendi; per Mosen & dilectum Filium meum. 8. Sed & nunc denuò manifesto per viros illuminatos fulgore lucis, mentibus infusæ: qvales nondum habuit Mundus, nunc autem exsurgunt per omnes ferè Mundi angulos. 9. Qvia Sol super occasum est, & messis mea ad colligendum fructus Terræ appropinqvat. 10. Clamate vos duo servi mei, & vociferamini ad Gentes! qvod tempus præstitutum advénit, & verbum exiit ab ore meo; Congregamini ad prælium, & expurgandum Terram à dominatu Bestiæ super conscientias Populorum. 11. *Hic conticuit, dicens: Satis nunc, surge & scribe.* Ego autem laudavi Dominum.

REVEL. CLXXX. 26. Febr.

[*Somnium Videntis (de excusso sibi calamo) explicatur de temerariis de ho: Opere Dei judiciis,* 3: *cùm præstares obseqvi,* 7. *Comminatio nova Hungaris,* 9. *Videnti jejunium injungitur,* 12. *Ploratus ejus,* 14. *Obduratio Hung.* 19, 20. *Spes in Racociis,* 21. *Pontificii Baalitæ,* 25. *Princeps Transf. junior,* 31. *Exules restituti spectaculum Gentium,* 38. Deus antiqvo more nunc loqvitur, 38. *Finis Mundi,* 39. *Æternitas,* 40.]

P*Ost matutinam sextam, qvum peregissem preces meas, jussit Dominus redormirem. 2. Et vidi me de rupe qvâdam descendere, relictis ibi scriptis meis: cúmqve aqvæ limpidæ afflueret rivus, & ego transire hunc vellem, excidit mihi calamus qvoqve in aqvam: sed alius qvispiam porrexit mihi mox alium. 3. Cùm autem evigilassem & orarem, Dominus ad me:* Acuunt, acuunt contra me verba ratiocinationum suarum habitatores Terræ: post qvorum terga ego stans, ad valvas oris eorum ausculto sapientiæ sermonum eorum. 4. Qvi sermones sunt sermones terreni, volentium me aliter loqvi, qvàm solita est æterna sapientia mea; aliqvid apertè, aliqvid sub symbolis, aliqvid prorsus tectè, ad tempus. 5. Nolunt autem intelligere illi, sermones meos esse sermones æternos; distantiámqve Cœli à terræ à cœlo, & terræ à cælo, majorem esse qvàm ut qvisqvam asseqvi possit. 6. Ego enim tametsi multis filiis hominum acuo judicium, ex parte tamen: ex toto verborum meorum intellectum reservans mihi soli: 7. ab hominibus hoc reqvirens solùm, ut Natio mea, habitatores Terræ, exuant calceamentum duritiei suæ, & indumentum inobedientiæ suæ, faciendo tantùm ea qvæ pronuntiat os meum, sine tergiversatione. 8. Ecce autem aversio à me qvô non abducit filios hominum? qvi tamen pridem sum loqvutus, Terram qvæ venientem bibit imbrem, & profert fructum, accipere benedictionem; qvæ autem spinas profert, esse maledictioni proximam. 9. Dicito illis adhuc, serve mi: Flatum ventorum meorum adducturum diluvium à Solis ortu in Terram hanc. 10. Qvod ubi peregerit opus suum, venturos à Septentrione afferentes dona: sed non erit cui ea distribuantur, propter rare factam Gentem, cui ego frustrà revelabam voluntatem meam. 11. *His ego auditis cogitabam qvomodo hæc memoriâ complecti possem.* 12. *Et Dominus:* Complecteris. Sed hodie & cras cibô abstine: venient enim singularia tibi. 13. Mane in lectulo, ceu insvetum qvid passus:

vesperi tantùm refocillationis causa jusculo utere, nec ampliùs qvidqvam. Surge & scribe! 14. *Postqvam scripsissem, reversus in lectulum (juxta mandatum) ploravi ploratu magno, dolens frustra impensos labores meos, magis autem ob comminationes factas obduratis.* 15. *Clamabam qvoqve*: Qvis dabit capiti meo aqvam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut possem deplorare interfectos Terræ hujus! *Et*, Væ mihi mater mea! 16. *Dominus verò ad me*: Noli flere, redormi potiùs. *Et indormivi momentò: sed & evigilavi illicò*. 17. *Et Dominus iterum*: Currunt, currunt, ut velox tabellarius dies Operis mei, de qvo per te loqvutum est os meum. 18. Subobscurè priùs, ut visum est Genti huic, & aliis: nunc autem, postqvam interpretem tibi misi adeò clarè, ut hebetissimus qvisqve jam intelligere qveat, Babylonis adesse ruinam. 19. Demortui multi sunt hac in Terra, ignari qvid ego fieri vellem, hîc primùm. 20. Ecce Linter incurvatus est, & transiit in Arcum, ex qvo prodibunt Sagittæ meæ! meæ inqvam, si moderni Filii non suscipient mandata mea: existentes ut murus lapideus ignitus, super qvem cadentes guttæ imbris mei non discutiunt lapidem, sed fumum tantùm excitant, malè mihi fœtentis inobedientiæ. 21. Tres ecce fuerunt de Racociorum Domo, per qvos glorificari volui, patefactâ illis jam ab hac die annis decem voluntate mea. 22. Nunc duo solùm supersunt, fluctuantes ut Arboris folia. tertius remotior, itidem Racoci [*Ladislaus patruus*] est ut buculus masticans non admissus ad præsepe, unde odor voluntatis meæ adhalare illum posset. 23. Atqve sic rursum essent tres ad opus hoc: modò eos non obumbraret eclipsis Solaris diluvii exercituum Viennam tendentium. 24. O Vos Nationes à me electæ, ad qvas emisi & emitto, sonitum Tubæ vocis meæ, attollite vos ut caliginosæ nubes, ad opprimendum meretricis Babylonicæ ministros! cœcos illos cœcorum duces ad foveam fundo carentem. 25. Clamant illi hodie (*erat Pontificiis dies Cinerum, ut vocant*) contra vos testes meos, ut olim Baalitæ clamabant contra Eliam, conspergentes se cinere, & invocantes Deos mortuos, nec videntes nec audientes. 26. Sed non incendent illi Altare, compositum è lapidibus, non lignis: non enim apud illos est cinis juvencæ & sanguis hircorum; multò minus sanguis Agni mactati ab origine Mundi. 27. Frustra igitur, frustra vociferantur, lanceolis suis sese incidentes; recedent cum pudore, delendi de terra tanqvam maledicti. 28. Jam enim nube me obtexi, ut pluam super eos furorem iræ sine commiseratione, ut Eliæ tempore, ad exscindendum eos. 29. Tu autem serve mi fac qvod mando, invocando me viventem in secula: conscribe hæc, & mitte cras tibi mihiqve dilecto. 30. *Surrexi igitur & hæc in scriptum retuli, laudans hymnis nomen Dei.* 31. *Ut verò me in lectum reposui, inter continuum capitis dolorem (à fletu, credo) indormivi: rursùmqve mox expergefactus juniorem Transylvaniæ Principem recogitare cœpi.* 32. *Ubi Dominus ad me*: Nepos Racocii magno in honore est, eritqve, si non incedet per viam fœdæ avaritiæ, me timens Creatorem suum. 33. Avus ejus suscepit vos pro nomine meo oppressos, & rectè fecit: sed non imitatus Abdiam, impertiendo vobis vel frustum panis. 34. De mea tantùm procuratione panem edistis, præter vestram & multorum spem, edetisqve donec vos reliqvias reduxero post emundatam ab impuritatibus Terram vestram. 35. Ut spectaculo sitis Genti-

bus, ad nota faciendum Opera mea, qvæ olim egi, & jam qvoqve peragam: Terror enim meus recidet in eos, qvi vos odio habuerant frustra. 36. Acuite, acuite, ó Gentes, vos etiam transmarinæ, sagittas & hastas vestras! ignaræ tamen vos etiam ipsæ, qvid & cur faciatis, & facturæ estis, eo usqve, donec vos circumfulgebit lux claraLegis meæ, qvam vobis ministrabunt servi mei. 37. Atqve inter hos tu Amos vas meum, cujus opera mihi grata est: nec mihi soli, sed & illis qvi æstimare nôrunt opus meum. 38. Ecce, totam hanc diem tecum transegi serve mi! notum fieri cupiens habitatoribus Terræ, me Orbis Dominatorem non destitisse opus meum agere in vobis filiis hominum: nec desistam dum Sol suum super vos aget cursum, serviendo bonis & malis. 39. Cui pôstqvam imposuero finem, ut cursum suum sistat, demum vobis apud Patrem tradam Regnum, plenum lucis & perfectæ cognitionis viarum mearum: qvas intelligere nunc non potestis, qvia eam vobis reservo in ipsam æternitatem. 40. Ubi Vos, qvi mihi hîc serviistis fideliter, erudiistisqve alios, gaudiis perfruemini sempiternis. 41. Qvi autem contemptum inferendo mihi vos contristabant, acceptâ condemnationis sententiâ lugebunt in æternum. 24. Surge, & scribe. *Surrexi ergò, dilaudans Dominum.*

REVEL. CLXXXI. 27. Febr.

[*Somnium de Patre & matre familiâs frumentum distribuentibus*, 2. *Qverela* DEI *de Mundo*, 3. *Omnes Creaturæ ordinem servant, exceptô Homine*, 5. *Væ impiis*, 7. *conficient se bellis ut locus maneat piis*, 10. *Apocalyptici* 24. *seniores qvomodo numerandi*. 13. *Religionum difformitas*, 16. *Idolorum (etiam Imaginis Crucifixi) abominatio*, 17. *Ultima Evangelii lux*, 19. *Idololatræ delendi*, 22, *si converti nolint*, 25. *Satan ligandus*. 27. *Somnii demùm interpretatio*. 29.]

Expergefactus somnô, & fusis ad Deum precibus, cœpi admirabile hoc DEI *opus, ad qvod me miserum totô jam decennio adhibitum voluit, expendere: idqve multis cum lacrymis, ut & præteritis diebus.* 2. *Factum verò est, ut circa Solis ortum indormirem: & vidi Ecclesiæ Pastorem cum conjuge sua (virili utrùmqve habitu, sed mundo, licet simplici & atro, indutum) distribuentes frumentum inter liberos suos: ubi & mihi albissimi panis frustum contigit.* 3. *Evigilavi, Dominusqve paulò pôst ad me*: Negligit, ah negligit, Mundus vias meas! ambulans in via consiliorum suorum, non autem in via statutorum Legis meæ. 4. Tu autem flere desiste: nam nihil tibi accidit præter id, qvod olim jam sustinuerunt servi mei. 5. Qveruntur homines de Mundo: sine causa: Mundus enim ordinem suum, qvalem in creatione disposui, servat; abit dies, redit nox; oritur Sol, & occidit: Ventus perflat aliter hiemem, aliter æstatem; fructus profert Creatura qvæqve secundùm speciem suam. 6. Solus Homo, qvem ad imaginem meam formavi, ordinem suum deserit! si eum voco, tergum mihi obvertit; si percutio, in os mihi maledicit; voragines abyssorum maris obseqventiores sunt mihi. 7. Væ, væ, væ Nationibus Terræ! Si cum illis intravero in judicium, qvis ab illis stabit? cùm intravero inqvam in judicium, omnia erunt in testimonium contra illos. 8. Qvos adipe frumenti saginabam, oleóqve & vinô potio-

potionabam abundè, benè illis faciens citra merita cujusqvam. 9. Tu verò serve mi tristari noli, qvòd parum profecerint sermones mei per te pridem prolati. 10. Volui ego ante Solis adhuc occasum renovare antiqvum morem meum, & anteqvam vas iræ meæ, qvod in manu mea est, confringerem super habitatores Terræ. 11. Ut conficientes illi sese mútuis gladiis, locum faciant cultoribus meis sicuti tempore Diluvii. 12. Si qvis interea moritur morte justorum, in vitam transit æternam: si morte impiorum, infernus aperit os suum. 13. Currit, currit, Sol meus, circumiens 24 horarum spatiô omnes fines Orbis: currunt & 24. horæ meæ, illis viginti qvatuor Senioribus (in Apocalypsi) figuratæ: numera eas, si habes intellectum. 14. *Cogitabam ergò qvomodo essent numerandæ: & Dominus,* Qvatuor sunt secula, & qvatuor tempora, Mundi. 15. In primo fuit Noë, cum aliis qvinqve: in secundo Moses, Aron, Josue, Caleb, & alii duo: in tertio Filius meus cum Apostolis: in qvarto Johannes Hus, Martinus Lutherus, & Vos eorum posteri, adhærentes luci veritatis Legis meæ. 16. Contra qvam Legis meæ doctrinam, qvàm variæ sunt doctrinæ ac Religiones per plagas & regiones Mundi? his Soli, illis Lunæ, aliis Stellis & creaturis variis, servientibus. 17. Sub Evangelio autem, inter eos qvi baptizantur nomine meo, ecce Imagines & sculptilia sanctorum & sanctarum! qvorum tamen nemo nemini, utpote mortuus, profuit, aut proderit unqvam. 18. Sed & meam ipsius Imaginem inverecundè sculptam distendentes, clavisqve ut carcerarium affigentes, non tantùm in Templis, sed & per compita viarum, abominabili spectaculo nudam exponunt, in contemptum mihi Creatori suo. 19. Ne igitur aliam Mundus lucem exspectet ad agnitionem mei, voluntatisqve meæ, præter illam qvam postremis hisce diebus ex Verbo revelavi meo. 20. Nam ecce omnia, omnia jam invenire dedi vobis filiis hominum, qvæ ad agnitionem mei, & nominis cultúsqve mei, spectant! 21. Ostensâ æternitatis viâ, bonis bonâ, malis & immorigeris malâ, & relicto cuiqve libero (*eligendi*) arbitriô; cum obtestatione in utramqve partem, ut qvi nemini vellem fieri injuriam. 22. Sed qvid est, cùm Cultores mei ab Idololatris, uti semper ita nunc, sic premantur, qvasi nullus Deus, nulláqve in Mundo justitia esset, omnia violentiæ & tyrannidi licerent! 23. Volo itaqve Idololatras deleri jam de Terra, priusqvam occidet Sol & obscurabitur Luna: 24. Ut exhilarer super Terram in Cultu puro mihi, non alii cuiqvam, exhibito: utqve efflorescat Justitia, & Fides germinet, amotis Idolis. 25. Si tamen Idolis qvoqve servientes agnoscere volent me Jehovam, & ambulare in luce mea, ambulent; sin, pereant de Terra, ut temporibus Ezechiæ, Josiæ, aliorúmqve Regum, & servorum meorum, mihi & voci meæ morigerorum. 26. Nam dies meus prope est, ut læter super Terram in medio Cultorum meorum, qvibus adversatus est Diabolus cum suis complicibus, non servantibus mandata mea. 27. Multi erant potentes spiritus cum Satana in Coelo, victi tamen sunt: potentes sunt & errores cum erroneis spiritibus in Terra, sed cadent similiter. 28. Qvia ligari oportet Draconem, ut ne noceat Terrâ vel Mari: tempus enim, & tempora, & dimidium temporis, exeunt. 29. *Qvum verò somnium recogitarem meum (qvid esset qvòd Pastorem Ecclesiæ cum uxore, habitu simplicissimo tectos, intérqve filios frumenta distribuentes, viderim) respondit Dominus:* 30. Me

vidisti & Ecclesiam uxorem meam, antiqvâ meâ in conspicuâ simplicitate. 31. Qvam vani & fastuosi omnium temporum Idololatrici doctores, nec scire neç intelligere volunt: me esse qvi superbis resisto, humilibus autem distribuo dona mea, idqve gratis ut pater filiis. 32. Qvibus donis qvicunqve rectè utitur, cum imitatione vitæ meæ, me cum habitabit in æternum. 33. Atqve hæc sunt, qvæ tibi hisce jejunii tui diebus indicata volui. 34. Parabis hodie omnia, & mittes ad dilectum tibi mihiqve: confide, non te deseram. 35. *Ego verò cogitare cœpi: poteróne alteram edurare sine cibo diem?* & *Dominus*: Poteris, me te roborante. 36. *Atqve ita fuit, etiam tertiam eduravi citra molestiam: ubi me denuo alloqvi dignatus fuit Dominus, uti seqvitur.*

Revel. CLXXXII. 28. Febr.

[*Per Ignem & aqvam agendum Idolum Accaron*, 5. *Finis Mundi appropinqvat*, 7. *sed Mundus priùs convertendus ad fidem Triunius* DEI 8. *Mysterium Trinitatis in Creaturis absconditum revelandum*, 24. *ut fiat Ecclesia una*, 27, *eversis falsis Cultibus in Christianismo primùm*, 32. *Qvod opus si promovere nolent homines, Christus fulmine dejiciet Babylonem*, 35. *Ecclesiamqve renovabit anteqvam Regnum tradat Patri.* 38.]

T*Otâ penè nocte gravibus mentis agitationibus transmissâ, lucescente die indormivi.* 2. *Et vidi me apud Magnatum qvendam, qvi me à se abiturientem candidissimô pane donavit.* 3. *Evigilanti dixit Dominus*, Prospicietur tibi à me. 4. *Ego verò expetiscebam (vigiliis fatigatus) indormire*: & *Dominus*, Excutiendæ tibi sunt solicitæ cogitationes. 5. *Qvum autem fugeret à me somnus (etiam qvia pluvia cadebat, & per pavimentum ad caput mihi stillabat) dixit rursum Dominus*: Per aqvam & ignem agam Idolum Accaron, cumq; Idololatris. 6. Per Ignem, ut eos comburat; per Aqvam, ut eos absorbeat, priusqvàm veniet dies mea qvâ Mundo imponam finem. 7. Vulgatum est hominum judiciū, appropinqvare Mundi finem, & appropinqvat certè: sed ubi est Defectio à fide, juxta sermonem meū, qvòd non inventurus sim Fidem in terra? 8. Terra enim non est una Regio, vel Natio una, sed totus ambitus Orbis, omnésqve illius habitatores qvibus opplevi Terrā. 9. Qvorum nū omnes fidē Dei habent? ecce multi adhucdum eâ destituuntur! Qvomodo ergò amittent qvod non habent? 10. Et qvomodo habere possunt, de qvo nondum sciunt? qvid nempe sit vera & salvifica Fides Dei. 11. Habent eqvidem omnes Nationes Fidem aliqvam, sed sterilem: profitentes propemodum omnes jam unum esse Deum, sed Triunū esse, Patrem, Filium, Spiritum S. multi negant. 12. Idqve non in Gentilismo tantùm, Turcæ, Tartari, & variæ sub sole barbaræ gentes, sed & inter Christianos, dispersiqve inter vos Judæi, Mosen & Prophetas jactitantes. 13. Qvi omnes renuunt credere qvod ego credendum docui, Unum Essentiâ Deum & Personis trinum, Patrem, Filium, & Spiritum S. 14. Tu ergò serve mi ostende illis, tecúmqve credentes alii, unum esse Cœlum, unam Terram, unum Mare, & non plura primitùs à me producta: qvorum singula annon triunitatem qvandam in se habent divisam? 15. Cœlum enim habet essentiam æternam, & immensè æternam,

nam, & hoc est primum: deinde habet claritatem lucis immensam & in comprehensibilem, atqve hoc est alterum: tertiò habet gaudium, pacem, & voluptatum torrentem ineffabilem. 16. Qvæ omnia tanta sunt, ut hîc nihil simile oculus videre, nec auris audire, nec in cor hominis ascendere, qveat: qvia hîc nihil nisi ex parte cognoscitur. 17. Tria verò illa tametsi distincta sint, ita tamen simul conjuncta sunt, ut nulla ingenii vis penetrare illa qveat, qvia æterna sunt. 18. Terra similiter, tametsi una, annon tria in se continet? Primum est Ignis, omnia Terrâ nascentia fovens, illisqve incrementa conferens: 19. Secundum Ventus, de occultis ejus thesauris egrediens, & omnia nascentia vivificans, sine qvo nulla respiratio esset super Terram. 20. Tertiò, vis spiritualis, totius Mundi creaturas, metalláqve & stirpes, pinguedine sua saginans, ut nihil desit ulli viventi Creaturæ ad conservandum genus suum: nec finis erit, qvamdiu Sol & Luna, Stellæqve cursum agent suum. 21. Qvid autem Mare? Mare dico peramplum & terribile? annon illud qvoqve tria qvædam in se occultat? 22. Primum est moles congregatarum aqvarum, tam densè cohærens, ut cuiqve intuenti faciliùs sit obmutescere, qvàm qvidqvam de eo loqui. 23. Deinde fluxus ejus sursum & deorsum, intumens & detumens, ita, ut videant id omnes, & tamen qvid fiat ignorent omnes. 24. Tandem vis conservativa sui & aliorum, ut rebus qvas intra se fovet, & extra se conspergit, nihil deesse possit, qvamdiu beneplacitum est mihi, qvi omnes illinc aqvas educo, eódemqve omnes reduco. 25. Hæc ecce vanissima humana ratio vides, neqve negare, qvamvis eorum rationem non asseqvaris, potes! & cur igitur non attendis, qvid similiter de me ipso ego, qvi Essentia essentiarum sum, in Lege mea tester? 26. Testanturqve ipsi cœlestes mei testes, Angeli, cantantes Sanctus, Sanctus, Sanctus, 27. Nolo igitur, nolo, ampliùs tolerare tenebras, in qvibus ambularunt, & ambulant, sine viva in Me fide, filii hominum in facie Terræ. 28. Sed ut confiteatur omnis Lingua, & omnis sub Cœlo Natio, unum essentiâ Deum, & tres in Deitatis indivisa Unitate personas: 29. habentes unam meam, bino tempore datam Legem, & facti omnes una Ecclesia per Verbum, Baptismum & Eucharistiam: 30. redactíqve in unum Disciplinæ Ordinem, stabilitum puro & mihi accepto Cultu, qvo se juxta Evangelium meum soli mihi Deo, Patri, Filio & Spiritui S. spiritu & corpore devinciant omnes. 31. Ecce defessus sum ferendo Nationes, me & nomen meum ignorantes! mihi & nomini meo ignominiam inferentes. 32. Volo idcircò jam tandem ultimis diebus exterminationem fieri omnium Hæresium, & Idolomaniæ, omnísqve erronei Cultûs: & qvidem primùm in ipso Christianismo. 33. Ut visó extranei qvid ego faciam in Domo mea, convertant facies suas, qvas nunc super tergum gerunt, redeantqve illis ad pectus, per virtutem sanctæ Legis meæ, fidemqve inde promanantem ad salutem. 34. Qvod opus promovebunt ipsimet ignari (ad tempus) qvid & cur faciant qvod facient: dummodò vos Populi Christiani à me electi, manu admotâ Opus

vobis demandatum inchoaveritis seriò. 35. Qvod si ad exseqvendum hanc vobis manifestatam voluntatem meam vos ipsos judicabitis indignos, eámqve exseqvi recusabitis, ecce ego Jehova Dominator Terræ, radix Davidis, in testimonium vobis loqvor, Me ipsum de cœlo missurum esse Ignem & Fulmina, ad disjiciendum Idololatras, nomine meo dudum & jam interitui devotos. 36. Sed (id fiet) vestro malo, qvi mandata mea, antiqva & nova, pertinaciter contemnitis: rem tamen eò deducente me, ut sit una Arca (Noæ) in qvam ante Mundi finem introducam animas ex omnibus Nationibus per lucem meam, & viros ad hoc opus à me electos; qvos nondum novit Mundus. 37. Numerum inqvam mihi soli notum Fidelium, ex Judæis, Ethnicis & Christianis, compellendo intrare in Arcam Ecclesiæ meæ veræ, attollam super omnes altissimos montes Terræ: 38. adducamqve ad me ipsum, ut reddam Regnum meum Patri, ad habitandum mecum, & cum Angelis meis, in gaudiorum amœnitate æterna. 39. Obsignabóqve abyssum inferni super filios contumaciæ inobedientes, meqve & nomen meum ignominiâ afficientes, in omnes iterum æternitates. 40. Atqve hæc sunt qvæ hodie tibi nota reddere volui, serve mi! Surge & scribe, ut habeas parata. Protectio mea tecum sit.

Revel. CLXXXIII. Martii 1.

[*Catena (in Babylonem) cuditur*, 2. *Consilia Ferdinandi exstincta*, 4.]

Post preces matutinas cogitare cœpi, Qvid Ratisbonæ (in Comitiis Imperii) fieret. 2. *Et Dominus ad me:* Qvatuor sunt qvi cudunt catenam qvatuor articulorum, firmissimam. 3. Vos brevi poteritis securè in patriam itare; nondum autem redibitis. 4. Februarii 22. malè res cecidit Ferdinando: mortuus est in consiliis suis. 5. Tu scribe qvæ mandavi, ut innotescant Præfecto etiam. 6. Et laudabam Deum &c.

Revel. CLXXXIV. 2. Martii.

[*Tubæ ad Gentes Occidentales & Meridionales ab Oriente sonaturæ formula præscribitur* 4. *Aqvilonares jam prodeunt*, 12. *Orientalium dux*, 14. *Terminus Domus A. exit.* 18.]

Transmissâ sine somnô totâ noctè, indormivi mane. 2. *Et ecce afferebatur mihi epistola! qvàm ut aperui, vidi scripturam literis prægrandibus, ut à qvovis legi vel eminùs posset.* 3. *Cumqve legere vellem evigilavi, eòqve momento insonuit Vox Domini, his verbis:* 4. Tubæ ab Oriente prodeant, Sonitus vocis redactus in chartam, Epistola aperta ad Occidentem & Meridiem. 5. Reges Terræ, Principes & Domini, ut nubes vos attollite de locis vestris! 6. Convocate Populum de regionibus & regnis contra Meretricem Babylonicam! 7. Percutite Moabum fustibus, dejicite Imagines aureas & argenteas, sculptilia & picturas per Templa, per Domos, per compita! 8. Ipsósqve vanos sacrificos, Idololatræ ministros, à qvibus non prodibat lux, sed tenebræ; non veritas

sed

ſed mendacium; non miſericordia, ſed immanitas dolis juncta. 9. Explicate Vexilla per Urbes! movete Caſtra! exſcindite eos è terris Chriſtianis! pertingite, pertingite uſque ad caput Meretricis! 10. Nam ecce imposturas exercuit, & blaſphemias, tot ſeculis! vendendo chartas, pileolos, pallia, dementans potentes Terræ, ſui lucri causâ. 11. Non connivebo ampliùs Ego, qvi Diabolo victo dixi, Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſervies. 12. *His ego auditis cogitare cœpi, Dominum Septentrionalis mentionem facere nullam: & Dominus.* 13. Nubes Aqvilonaris jam ſurgit, unde Tonitrua prodibunt terribilia; adducet enim ſecum Balænam transmarinam ſuper filios Babylonis. 14. *Cùm iterum cogitarem, Qvisnam eſſet facturus initium? reſpondit:* 15. Is faciat ad qvem vox Tubæ meæ pridem penetravit, Racoci, cui foveam parant: ſed ego illum obvallavi repagulis firmiſſimis, ne nocere illi qveant. 16. Adjunctus impeditè progreditur in hac mea causa, parum adjutus ab amicis, qvos & tu paucos habes: ſed non prævalebunt potentiæ meæ. 17. Vos perſiſtite, bonam habetis cauſam: para hæc, & ad eum mitte. 18. Dixi 22. Febr. exſtinctam vim conſiliorum Ferdinandinorum; hoc enim annô exeunt 380 anni, Domui Auſtriacæ à me demenſi; & mox qvoqve Papæ ipſi, qvod illi ignorant. 19. Et ego cecini Pſalmum 83.

Revel. CLXXXV. Martii 7.

[Viginti quatuor Viri conſtituendi ad deliberandum de reparando Ordine.]

Dies erat publici in Eccleſia jejunii & precum: ubi poſt preces ad Deum pro omnibus Ordinibus redormivi. 2. Et vidi me inter viridia ſata ambulantem, literas paraſſe ad Viros viginti qvatuor: ſed qværebam ex adſtantibus, qvonam primum eſſent mittendæ? Illi verò ſuadebant ad Septentrionem. 3. Evigilanti mox dixit Dominus: Scribe ut eligantur Viginti qvatuor viri auxiliô, ad conſultandum de erigendo Ordine bono; inter qvos Tu eris, & Amos. 4. Reliqvi autem ſint Viri candidi & pii, non novitii, timentes mei, & amantes veritatis. 5. Viridia ſata deſignant futuram benedictionem meam. *Surge & iſthæc ſcribe &c.*

Revel. CLXXXVI. 9. Martii.

[Somnium de Convivio & dono (2) tranſit in iteratas promiſſiones de reductione diſperſorum, 4. Pauci & ignobiles cur huc ſervantur, 7. Opus hoc DEI aperiet Gentibus oculos, 10. Conſtantes reperti, ut angulares lapides habendi, 16. Solatium illis, 17. Iubentur acuere linguas ſcientiâ Legis DEI, 21. Videntur perſonalis promiſſio, 22, 22.]

Iterum factum eſt ad me Verbum Domini, 2. Diluculô expergefactus, ſuſpirabam ad Deum, & mox mihi ſomnus rediit: quô mihi videbar conſtitutus apud mei amantes, multa fercula mihi apponentes, de qvibus ego rurſum impertiebar aliis. 3. Et adductus mihi fuit valdè ſpecioſus, & mihi morigerus, Eqvus: de qvo adeò gaudebam, ut Deum laudarem, & ardenter invocarem, donec & expergiſcerer, adhuc

huc Deum celebrans. 4. *Ut autem cessavi, respondit mihi Dominus meus & Deus meus*: Annuntiate, annuntiate, vos servi mei diem lætitiæ meæ, qvi adventat! ut exhilarer in Nationibus (qvæ sunt opus manuum mearum) propinqvis & remotis. 5. Faciamqve vos dilectos meos respirare, redditâ Vobis serviendi mihi, & nomini meo sancto, libertate, pro qva vota fudistis in dispersione vestra, fundiintque etiam reliqviæ mihi notæ fidelium in terra (vestra). 6. Qvinimò ad me clamant rudera qvoqve Templorum, in qvibus serviebatis mihi: nunc vacua, & qvasi orba Vobis, hæredibus Sionis, qvi serviistis nomini meo in majoribus Vestris. 7. Paucos vestrûm eò reservavi, in testimonium, me id eligere qvod ignobile est coram Mundo, non politum scientiâ ratiocinationis humanæ, sed in simplicitate mihi serviens ex fide. 8 Talia me diligere ostendi, conservando Vos: sicut & te serve mi, ut qvoqve conqviras dispersos, & sanes ægrotos, à Satana & Antichristo convulneratos, filios & filias meas. 9. Ut rursum illi vobiscum introeant in Tabernacula mea, exultabundi decantantes; Mane nobiscum Domine Jesu, rege nos Spiritûs Tui sapientiâ, & nos per fidem ac dilectionem deduc in æterna tua Regna [NB. *Versus est cantici Ecclesiastici, quem Dominus ipse cantabat, ingenti meo gaudio.*] 10. Complacuit enim mihi per vos, & exemplo vestro, testificari aliis qvoqve nationibus mirandam illam scientiam Operis mei, me non oblitum esse vestri, promissionúmqve mearum. 11. Neqve rationalis Cultûs vestri, mihi etiam ibi qvâ Vos dispersi per fidem vivam exhibitis 12. Aut promissi mei, qvòd Vos reducere vellem (qvanqvam non multos jam) in patriam vestram. 13. Ut lætemini coram me, & inserviatis ad agnoscendum me aliis, qvi nondum agnitionem Nominis mei habebant, è Nationibus domesticis & exteris. 14. Qvibus ego jam occasiones offeram adamandi mei, & admirandi opera mea super Terram, illuminando eos Lege ab ore meo profectâ. 15. Qvam ignorabant multi duces habentes cæcos, nihil intelligentes: qvos non amplius tolerabo inter Vos servos meos, & in populo per me redempto. 16. Sed volo ut vos fideles Mihi, & fideles Auditoribus vestris, sitis velut angulares Lapides in renovando cultu meo, in Nationibus vestris & extraneis. 17. Si qvid tamen hic etiam adversi vobis obveniet à Mundo, nolite mirari! Tolerate, & sufferte insipientes, cùm sitis ipsi sapientes. 18. Ego merces vestra sum, & ero cùm vos è labyrinthis Mundi eduxero, & in throno meo locavero, ad cohabitandum mihi qvem dilexistis, & cui fideliter serviistis, in æternum: spectandúmqve faciem meam qvam non vidistis, fide tamen intuemini & exultatis: sicut mecum jam sunt qvi Vos præcesserunt, majores vestri. 19. Ecce, exhilarabor ego adhuc in opere meo propter Nationes remotas, qvas lætari faciam de vobis: qvin & eos qvi afflixerunt vos, admiraturos potentiam & misericordiam meam super Vos. 20. Exhilarare igitur tu qvoqve serve mi! & labora in eo, ad qvod vocavi te cum aliis! 21. Et acuite Linguas vestras scientiâ Legis meæ, qvâ consolemini mœstos, sanetis ægros, resuscitetis mortuos, fide ac spiritu elanguentes, de se & vobis a me consolandis desperantes. 22. Ad te, servè mi, multi cum donis venient ut videant Te: admirabundi opus hoc meum, qvod egi & ago in te, ac per te. 23. Invenies: cunctari noli, tuâ & aliorum causâ. [NB. *Hic mihi singulare quid dictum est, quid consolabile nobiscum fiet ante reductionem*

ductionem nostram: sed additum denuò, Non multi redibitis.] 24. *Et cantavi Psalmum* LXVII. Deus misereatur nostri, &c.

REVEL. CLXXXVII. 14. Martii.

[*Canticum Revelatoris, Trinitatis mysterium detegens: & universalem Gentium coalitionem, ad serviendum* DEO *humerò unò, prænuntians.*]

I*Terum ad me Verbum Domini factum est.* 2. *Antelucanò somnium habui, bis iteratum, de allatis mihi Epistolis obsignatis.* 3. *Cùm evigilassem, dixit ad me Dominus*: Redditæ sunt literæ tuæ Adjuncto, optanti procedere opus meum, ut agnoscant Nationes Terræ me Triunum, & coalescant Vobiscum in unum spiritum Fidei, Charitatis, & Spei, ad serviendum mihi æternùm viventi. 4. *His dictis ita loqui cœpit Dominus* [NB. *Rhytmi sunt, quos Latinè reddemus verbotenus.*]

5. *Majestas mea adoranda*
ab æterno imperscrutabilis
6. *Mea, in Trinitate Unius*
potentiâ, sapientiâ, admirandi;
7. *Patris Filio uniti,*
cum Spiritu essentiæ æqualis;
8. *Regnantium in excelsis*
in plena gloria & gaudiis.
9. *O Vos omnes Nationes*
rationales meæ Creaturæ!
10. *Noveritis jam advenisse tempus*
ut mihi congregem Vos
11. *Sub Sceptrum Legis meæ*
luce splendoris præfulgidi
12. *Quâ hactenus destituebamini*
existentes à me remoti.
13. *Rationis ductum sequuti,*
& me Creatorem ignorantes.
14. *Notitiâ illâ salvificâ*
Angelis meis primùm datâ,
15. *Dein Populo electo*
ex gratia adamato,
16. *Qui me in trinitate Unum*
coluerunt corde integrò,
17. *In fœdere mecum inito*
spiritu cordi inscripto:
18. *Pleni spiritu ardoris*
ad serviendum mihi cum alacritate.
19. *Mihi dico æternùm viventi*
in Trinitate indiviso
20. *In Spiritu Patrem, in Patre Filium*
colentes: hæc mea Essentia unica.
21. *O agnoscite* ME SOLUM,
desistite ab Idololatria Vestra!
22. *Et venite ad Me solum*
Creatorem unicum!
23. *Accipientes Vobiscum quod est meum,*
spiritum à me datum!
24. *Cum Fide, Charitate, Spe,*
quæ Vobis ad salutem proderit.
25. *Habentes Baptismum, vestrum symbolum;*
doctrinam meam, firmum gubernaculum,
26. *Quæ fert absolutionem,*
Peccatorum in remissionem.
27. *Et Mensæ meæ accubitionem*
Carne, sangvine, recreationem.
28. *Sumite hæc omnia de meo*
merito, parto ex gratia.
29. *Hoc in me Pater paravit*
Ut Ego Vos in me nutriam
30. *Spiritu Sancto collustrem*
ad serviendum mihi roborem:
31. *Et non cuipiam alii*
præter me Deo, nulli

32. *Ex Idolis: quæ non sunt dii sed humana factura*
33. *Ex auro, argento, lapide, ære, ligno, ad fascinandum.*
34. *Linqvite omnes superstitiones Mundi, Et venite ad datorem Vitæ!*
35. Eja vos Servi mei Adjuvate hanc Pacem!
36. Ut fiat Coadunatio (dum; omnium Nationum ad mihi servien-
37. Occidentalium & Aqvilonarium Orientalium, & tandem Meridialiũ.
38. Hæc est mea voluntatas unicè, ultimis diebus revelata.
39. *Sic mea Majestas aderanda acceptè à Vobis colatur,*
40. *Nunc & pòst in secula: Amen Amen.* Gloria semper
41. Patri & Filio dilecto itémqve Spiritui Sancto.
42. *Cum qvibus est æterna habitatio (in gloria cui nullus finis)*
43. *Cum Iesu Christo Vestro Domino qui sum Verbum & Deus, Amen.*

44. *Ubi & ego accinui, Amen, Amen, Amen! & Hallelujah, Hallelujah, Hallelujah!* 45. *Et Dominus*: Tu serve mi scribe hæc! *Et scripsi.*

REVEL. CLXXXVIII. 19. Martii.

[*Solus DEUS Cordium scrutator*, 3. *Comminatio contemptoribus*, 6. &c. *Rhytmicè cur loqvutus Dominus*, 15. *Os obsignandum.* 17.]

ITerum *factum est ad me Verbum Domini, binâ vice.* 2. *Primùm à meridie noctis, videbam in Civitate qvadam habere me multitudinem Communicantium, qvibus ministrabam cum gaudio.* 3. *Et Dominus expergefacto mihi multa de opere suo in filiis gratiæ, & in filiis contumaciæ, loqvutus, dixit,* Cor hominum neminem nosse, præter se solum. 4. *Quò ego audito, & admirabar omniscientiam, & pavescebam, & orabam pro me & omnibus Deum timentibus.* 5. *Redormivi pòst, & cùm evigilassem, ecce jam dies erat! ubi rursus me alloqvutus Dominus, dixit:* 6. Diffidentia cordium durorum & lapideornm, non recipientium simpliciter sermones meos, dolet tibi serve mi. 7. Ecce putamina illi contrectant, ad nucleum verborum meorum non penetrant! 8. Carpunt ea quæ ad rei essentiam nihil spectant Doëgi, ludibrium Vobis servis meis qværentes. 9. Habui & ipse tales qvi observabant sermones meos, & signa de cœlo qværebant: ideò ne mirêre, neqve cogita defendere me, te solummodò. 10. Idqve non alio (*argumento*) nisi ab ore meo fuisse progressum, qvod de exitu inde vestro (Testium) loqvutus sum conditionaliter, Si non obedierint(illi)sermoni meo. 11 Ego (*interris habitans*) qvæ à Patre audieram loqvutus fui, & à me ipso nihil sum loqvutus: & qvis Pharisæorum, qvi sibi sapientes videbantur, credidit? sicut & antiqvis illis Prophetis meis, qvibus Mundus non erat dignus. 12. Ecce gladius meus, iræ meæ, pendet super capita contemptorum! qvem ille non timet, qvi non timet me, qvi sum ignis consumens. 13. Bis illis adfuisti, & qvid effectum? tertio ne abeas, nisi mandavero tibi. 14. Græci mei ignorant opus meum: ó si ad illos qvoqve penetret clangor tubæ hujus! 15. Admirabitur Adjunctus tibi, me decimâ qvartâ hujus stylum mutasse: at non in re. 16. Ita verò placuit mihi; cui volupè est deliciari cum servis meis, loqvendo illis qvando volo, & qvomodo volo. 17. Obsignet ille nunc os suum, & hæc illis ne revelet: acqviescant inte-

interim iis, qvæ antè communicata sunt sibi. 18. Aliæ veniunt literæ, meliùs adferentes solatium [*Acceperam pridie, 18. Martii, datas 3 ejusdem, tristes; O*mnia esse frustra, neminem audire velle: *& Dominus prædixerat*, Accipies literas, sed nihil solabile. *Atqve ita fuit.*] 19. Tu sta in sorte tua, vigila, ora! & protectio mea tecum erit. 30 Surge, scribe, & mitte dilecto meo & tuo. 21. *Surrexi igitur, & scripsi.*

REVEL. CLXXXIX. 24. Martii.

[*Dolor DEI de inobseqviosis, 3. Increpatio Videntis 5. &c.*]

ITerum *ad me Verbum Domini factum est, post solis ortum.* 2. *Eram admodum anxiâ mente, fundens ad Deum pro me & aliis Dei cultoribus preces.* 3. *Dominus autem interloqvens dixit*: Dolore discrucior, serve mi, super iis ad qvos converti os meum per Vos duos servos meos, qvòd nolint ad cor admittere id, qvod ego illos & intelligere volo & facere. 4. Sed intelligent serò, qvum ignis iræ meæ cadet super cervices eorum: ubi demum qværere volent refrigerantia emplastra, utinam non post tempus! 5. Excutiunt illi Adjuncto tibi sermones meos ex animo: & tu pariter inde scandalum concipiens offendis me. 6. Nam ne ipse qvidem obseqveris mihi semper, & in omnibus, domo exeundo contra interdictum meum, in gratiam hominum. 7. Attende tibi meliùs, ut qvod mando agas, qvod interdico vites: optimum tibi est domi silenter, ! ad postes meos, sedere. 8. *Qvibus ego cum dolore auditis, confessus sum peccata mea, ob livionem mandati causatus.* 9. *Oraviqve ut misereretur mei, & me ne desereret ductu Spiritûs sui.*

REVEL. CXC. 26. Martii.

[*Æternus Sponsus desponsat sibi jam totam DEI progeniem, totum humanum genus, cujus ardens in eo zelus describitur variè, 2. &c. And. Kl. distribuunt officia, 32. Princeps Tr. monetur qvadam 35, Ferdinandus tenui pendens filo, 38. Occultanda hac ad tempus. 33, 34. 42.*]

DEnuò *factum est ad me Verbum Domini.* 2. *Præcesserat somnium, qvô mihi videbar interesse pactioni connubiali, inter personas duas sponsalia contrahentes.* 3. *Qvibus peractis, prodiit Vir qvidam, dirimi ea volens.* 4. *Ego verò, cum aliis ibi præsentibus, defendebam ad indignationem usqve: non posse tam spontaneum pactum, & coram tot testibus initum, violari.* 5. *Expergefactus cogitabam, qvid insomnii esset istuc: & mox factum est Verbum Domini & Dei mei, dicentis.* 6. O vos Nationes & Populi, habitatores Terræ meæ, qvi per omnes plagas Mundi magno numerô inceditis, palantes ut Pastoribus destitutæ Oves, per fora, plateas, & compita! 7. qværentes, ut proci amorem fœminarum, amorem mei: sed qværentes me ibi ubi non sum, in variis institutis, non è sapientia mea, sed è figmento cerebri humani, ortis. 8. Nec ambulare vultis in luce Legis meæ, ex æterno consilii mei decreto vobis datæ, sed figmenta seqvi vestra vobis libet: perindè ac si liberum vobis esset voluntatem meam, me agnitô, facere aut omittere. 9. Qvod ego Jehova, satis jam diu cum dolore cordis toleravi, qvæ vos insipien-

insipienter ac temerè ambulantes post figmenta vestra, patrastis. 10. Scitote igitur, ó Gentes, me Deum vestrum, Dominum Cœli & Terræ & Maris, & omnium qvæ in illis sunt, in qvo vos etiam vivitis & movemini, nolle vos progeniem meam errare ampliùs, ambulantes in cœcitate, vacuos notitiá meâ, & dilectione Filii mei. 11. Qvi secundùm propositum meum tempore certo, operatione Spiritûs sancti, vobis Hominibus sese junxit, frater vester factus: ut per illum vos amici mei fieretis in æternum. 12. De qvo multi vestrûm, ó Nationes, nihildum cognovistis, neqve fine fide existentes intelligitis. 13. Jam ergò volo ut ambuletis in luce mea, qvam ego ut facem ardentem accendi ultimis diebus, manifestando præfulgidè voluntatem meam Mundo. 14. Volo itaqve, ut ne agnoscatis, habeatisve, ullum alium Deum præter me: observantes ea qvæ integris duabus Legis meæ Tabulis, nunc per figmenta ratiocinationis humanæ confractis, ipsemet exaravi. 15. Ardet ecce ut Lampas (*lux mea*) qvam per viros illuminatos accendi, ad illuminandum vos omnes, ó Nationes Orbis, diebus hisce sub Mundi finem. 16. Eô fine, ut vos introducam in Fœdus revelatum per Filium meum, Deitatis honore mihi æqvalem. 17. Qvi me novit, & vult ut Vos qvoqve cum Illo me cognoscentes, non tantùm noveritis, sed & ametis: missis Idololatrarum tenebris, variarúmqve superstitionum ritibus: qvos inter vos non tolerabo ampliùs. 18. Ecce vestri causâ patientiâ utor, ignémqve qvi comburet & dissolvet Mundum (qvod Petrum meum propter vos etiam manifestare jussi) differo. 19. Hoc volens, ut vos, ó Nationes, corripiamini igne Spiritus S. inflammati in amorem mei. 20. Qvi nunc jam in vos amore fœminarum exarsi, propter Filium meum qvem vestri causâ in mortem crucis tradidi: ut Vos cum Illo, qvemadmodum Ille Mecum, jus vitæ habeatis. 21. Posuit Ille animam suam pro Vobis, ut Animæ vestræ vitam habeant, & abundantiùs habeant. 22 Qvi clamavit, Venite ad me omnes! & invenietis reqviem animabus vestris! 23. Scitote igitur, ó filii Hominum, jam apud me Creatorem vestrum non aliud agi, qvàm ut in Domum Ecclesiæ meæ per fœdus Baptismi introducamini: 24. Ad audiendum Vocem meam; & vescendum Pane vitæ, de me grano frumenti; & bibendum in mensa mea Vinum, de me radice Vitis; tum hîc tum in æternitate, cum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, totáqve multitudine (qvam nemo numerare potest) servientium mihi. 25. Qvod si nolueritis, ecce gladius Gedeonis, & gladius Jehovæ, conficiet Vos! cùm diffregero vas iræ meæ, impendens capitibus vestris. 26. Ecce vos fruiti estis & fruimini bonis, de providentia mea vobis in Terra affluentibus! qvasi ex vobis ista essent, & non ex me: 27. Qvi vobis hæc omnia ideò impertio, ut agnoscatis me Deum esse vestrum, agnitúmqve diligatis corde totó: abjectô à vobis jugô errorum & superstitionum, Legi meæ, magnæqve illi Luci meæ, contrariorum. 28. O qvantô zelô, æternô zelô, contra vos ardeo, Gentes ignaræ mei! cujus majestas tam læditur cœcitate vestrâ! 29. Ut ne cogar, oblitus maternæ erga fœtum uteri storgæ, pluere super vos iram meam in omnes æternitates: & vos conjicere in abyssum, & obsignare sigillô immutabilitatis meæ, in secula seculorum. 30. Atqve hæc sunt qvæ ego Dominator Terræ significata volui hodie tibi, serve mi: ut hæc tempore suo legant omnes Nationes Terræ. Surge

& scri-

& scribe: 31. *Surrexi ergò; sed lychnô destitutus, cretâ scripsi per tenebras in tabula, mensa, cistis (quod manè ægrè potui relegere.)* 32. *Peractâ scriptione, reposui me, & cùm lucesceret indormiens*, vidi D. Andream Klob. distribuentem officia inter Incolas Terræ: *quibus loqvutus est qviddam, qvod non intellexi.* 33. *Evigilanti mihi, & ad preces converso, dixit Dominus:* Etiam hæc mitte Adjuncto tibi. 34. Sed faciat ut antè dixi, nihilqve de his (*postremis*) communicet nunc: respondeat solùm ut ruminent priùs, submissa priùs. 35. *Mihi autem cogitare venit de Principe; & Dominus*, Attendat sibi! Nam & Chmielnicius & Polonus attendunt illi. 36. Cogitat ille de obmoliendis repagulis, per qvæ Terra hæc tuta sit à Turca. 37. Et Incolæ cogitant de Comitiis, ad qvæ Princeps qvoqve se sistat, relictô domi Filio. 38. Ferd. unâ jam tantùm pendet chordâ, qvam ventus ab Aqvilone dirumpet facilè. 39 Tu hostes tuos ne formida: provideant modò tibi, qvemadmodum petiisti. 40. Sed vigila, ora, surge, scribe, & cras hæc Rownam defer. 41. *Ego verò laudabam nomen DEI hymnis: & transiens ad preces cum meis habendas, decantandum ex ordine habui Psalmum XCVII; & legendum Ierem. Caput VII.* 42. *Ubi Propheta probibitus fuit orare pro impœnitentibus (v. 15. 16): nos autem probibemur loqvi.*

REVEL. CXCI. 27. Martii.

A *Precibus matutinis factum est ad me Verbum Domini.* 2. Memoria tui est apud me: memento tu qvoqve mandatorum meorum, & ego providebo tibi. 3. Domo rarenter exeas, temporis plus impende mihi qvàm aliis, mala de te cogitantibus.

REV. CXCII. 30. Martii.

[*Visio futuri Cæsaris Christiani*, 1. *Papa abominatio* 7. *adversus qvem undiqve conclamabitur*, 12, 14, 15. *Videntis dies pauci*, 4. *ne ullum verbum Domini in terram cadere permittat monetur*, 13. *orat*, 17, 18.]

V*Idi me per somnium in palatio qvodam, qvô & mox ingressi sunt Viri duo insignes, alter provectioris ætatis, alter junior: de qvo mihi dictum erat*, Cæsar est. 2. *Atqve hic Cæsar cœpit mecum colloqvi, De mysteriis & virtute Fidei, petens sibi ea declarari.* 3. *Et evigilavi, plenus tristitiæ super ærumnas meas: & orans Dominum, ne me desereret.* 4. *Dominus verò, aliqvantò post:* Non multi erunt dies tui, depone tædia, ora potiùs, & tibi attende! 5. Vidisti per insomnium Cæsarem: at non modernum Romanum, sed futurum Christianum. 6. Qvi enim hactenus fuerunt, tot numero, Romanos se appellarunt, cùm non essent, rerum ibi non potiti. 7. Nam ibi Papa regnat, cujus & nomen abominabile est, eritqve; Filius contumaciæ, Pater mendacii, Filius perditionis, & Homo peccati: cujus, & dominationis ejus, finis jam adest. 8. Ne dubita, morte sublatum iri brevi illum, qvi eum fulcit, Cæsarem: audies id. 9. *Ego verò cogitare cœpi: an hæc meminisse potero? & Dominus*, Surge, scribe, plura loqvar tibi. 10. *Surrexi igitur, borâ noctis primâ: & postqvam scripsissem, reposui me.*

11. *Sed mox, inter me operiendum, facta est vox Domini*: Ecce ego facio opus, qvod non intelligunt filii hominum, qvorsum tendam; donec fuero ultionem exseqvutus in Domum Austriacam, cum qva & Idololatræ cadent. 12. Ab omnibus qvatuor Orbis plagis conclamabitur adversus sceleratas actiones Papæ, & complicum ejus. 13. Tu repone hæc in corde tuo, ut facias qvæ mando, neqve permittas ullum verbum meum cadere in terram: omnia secundùm mandata mea, roboraberis. 14. Veniet ad te magnis de rebus informatio: omnia enim clamant vindictam. 15. Væ Mundo! Ignis ardet, cui exstinguendo nemo manum admovet. 16. Tu sume in animum timorem filialem, & benè tibi erit. 17. *Et laudavi miseratorem meum, orans pro omnibus Gentibus: maximè iis, qvibus me in testem revelatæ suæ voluntatis dedit.* 18. *Ut & illi metuant Eum, facientes voluntatem & mandata Ejus, in bonum sibi & Terræ huic.*

REVEL. CXCIII. 31. Martii.

[*Torrens ira DEI super Domum Austr.* 1, 3. *Dolium Gentium dissilit.* 2, 5. *Fletus Idolorum & inferni*, 4.]

DIluculi tempore somnium habui, & vidi turbulentum torrentem irruere in rupes qvasdam. 2. *Et advehebatur Dolium vini, cujus circuli dessiliebant, & vinum effluebat: ego verò cum metu eosdem circulos reducere tentabam, simulqve evigilavi.* 3. *Et Dominus ad me*: Ne metue, serve mi! turbata iræ meæ aqva jam se volvit super Domum Austriacam. 4. Qvam deflebunt Idola & abyssus Inferni, in qvem Illa ut aqvas turbatas pellebat populorum agmina. 5. In Dolium, qvod vidisti, conclusi ego Gentes pugnaturas adversus Idololatras. 6. Cujus circuli ecce jam dissiliunt, secamenta hiant! brevi id audies. 7. Nihil metue, domi te contine, in rupe labora &c.

REVEL. CXCIV. 2. Aprilis.

[*Visio fulgoris* (1) *& ardentis pilei* (2) *ad Princ. Tr. accommodatur*, 14. *Revelationum DEI modus* 3. &c. *Anni* 40. *judiciis DEI destinati* 5, 6, 7. *Humana sapientia lutum DEI aurum*, 8. *Ratisbona ignis accenditur, exiturus in Majo*, 16, 17. *Revelator horum qvis*, 18, 19.]

LUcescebat, & vidi ad januam cubiculi lumen Solis instar, binâ vice. 2. *Et mox indormiscenti apparuerunt Magnates qvidam, qvorum uni fascia pilei ardebat igne.* 3. *Ut verò evigilavi, venit (nescio qvomodo) in mentem mihi, Pharisæos de Domino Iesu dixisse*: Nos scimus Mosi loqvutum esse Deum, hunc autem nescimus unde sit. 4. *Et mox alloqvutus me Dominus, dixit*: Loqvutus ego sum Mosi, facie ad faciem, ut mihi tunc visum: tibi autem, serve mi, loqvor postremis diebus, ostendendo tibi per somnum personas variò statu. 5. Filiis Israel ea qvæ per Mosen loqvutus fui non completa sunt, nisi post annos 40: cùm illis traderem promissam illam terram. 6. Jerosolymæ subversio itidem post 40. demùm annos (à facta ejus denuntiatione) seqvuta. 7. Ita & nunc est: appropinqvant tamen tempora determinata Operi meo novo, ad renovandum Mundum

dum cum Nationibus & populis. 8. Qvorum ratiocinatio, & sapientia, sic distat ab æterna Sapientia mea, ut lutum ab auro. 9. Luti humanarum ratiocinationum satis ubiqve est, auri sapientiæ meæ parùm: nec alibi qvàm in locis (*à conspectu Mundi*) abditis. 10. Parum (*inqvam*) ejus habent exrra Christianitatem tot Nationes, super faciem Terræ habitantes. 11. Nunqvam ego qvidem sine testimonio me reliqvi coram mundo; sed homines suismet cogitationibus sese fascinantes, sermonibus meis rarò fidem adhibuerunt. 12. Qvomodo adhibuerint Noæ, & Lotho, notum est: & nunc qvàm perplexum sit de rebus per te revelatis judicium apud Principem qvoqve, brevi scies. 13. Qvanqvam ego jam qvibusdam dedi, ut corticem frangere incipiant, percutiensqve gravi malleo comminationum mearum eos, discutio corda eorum, ad videndum tandem nucleum veracitatis meæ. 14. Profectò si Rex futurus timebit me, & fulgorem obseqvii à se dabit ad opus meum, qvod hac in Terra agi & peragi me velle, jam novit, flammescet ignis amoris mei erga ipsum. 15. *Qvibus ego cum gaudio auditis, qvid mihi faciendum esset cogitavi, & Dominus*, Ora, tu & alii, dicentes; O largitor donorum pretiosorum, salutis plenorum, largire, & edoce nos scientias tuas (*est pars hymni de Spiritu S.*) 16. *Ubi desiit Dominus, ego altà voce continuabam, ad finem usqve*: & mox cogitatio incidit, Qvid Ratisbonæ fieret? 17. *Et Dominus*: Qvatuor sunt qvi accendunt ignem, sed is non exibit nisi in Majo: hic agi causa mea incipiet. 18. Tu ista scribe, vigila & ora: & percurre omnes sermones meos, tibi pridem à me dictos. 19. Nam ecce EGO, testis verax & fidelis, cujus nomen est AMEN, sum qvi loqvor tibi. 20. *Et ego dixi, Amen, Amen, Amen.* 21. *Et surrexi, metuens ne ista non recordari possem: sed Dominus, præter spem, revocabat in memoriam omnia.* 22. *Ego autem laudavi cum fletu Deum, orans misericordiam. Amen, Hallelujah!*

[Ad v. 5, 6, 7.) Si & nunc ita, ergò finis calamitatum Bohemiæ circa annum 1665. aut 1666. expectandus. Pulsi enim ex toto Regno sunt Pastores Ecclesiarum anno 1625, Nobilitas autem in Religione constans, 1626: qvibus si addantur 40. ânni, liberationis tempus appropinqvare spes in Deo est. Ad v. 17.) Incendii fomites fortè tunc positi, Austriacorum adversus omnes intercessiones (pro Bohemis & Moravis) obstinatione. Majus verò ille, ignem allaturus, Deo notus est.]

REVEL. CXCV. 9. April.

[*Sqvama de oculis Nationum cadunt*, 5. *etiam Consiliariorum Principis*, 6. *Misericordia in Meretricis filios prohibetur*, 9. *Iesuitarum Ratisbonæ actiones*, 12. *Denuo Principis Consiliarii.* 13.]

I*Terum factum est ad me Verbum Domini.* 2. *A precibus matutinis, cùm diescеret, indormivi: & vidi me in magna freqventia concionem habere*, de Opere admirandæ Providentiæ Dei circa omnia. 3. *Et fuit præsens Adjunctus qvoqve meus, sed tristis: cui suadebam ut profectionem susciperet aliqvò, animi causâ.* 4. *Præsensqve alius qvidam, habitu Germanicò, suasit idem, indolens languori ejus.* 5. *Expergefacto verò mihi dixit Dominus meus, & Deus meus:* Ecce jam ego sqvamas detraho de oculis Nationum Terræ, ad videndum qvid fieri velim

lim

lim ultimis diebus Mundi: & incumbo veluti talentò in corda eorum, qvibus per Te revelavi voluntatem meam. 6. Conferunt capita, consultant, & qvisqve ibi hæret maximè, qvomodo suscipi possit tantum opus. 7. Reqvirent à te, ut ad eos venias: at non ibis, nisi postqvam apertè animum declaraverint, velle facere voluntatem meam. 8. Adjunctus tibi sat habet laboris, ad langvorem usqve: à qvo exspecta responsum. 9. *Oravi itaqve ardenter, ne nos desereret Dominus: venitqve cogitatio, Qvomodo à me, qvi tenero sum corde, res agi aut spectari poterunt?* 10. *Et Dominus*: Auferam ego tùm à corde tuo, & Armigeri tui, commiserationem. 11. *Et ego rursum; Qvid cum Monachis, & illorum habitu, si mactabuntur, agendum. Dominus verò*, Ita cum suo habitu sternantur, ubi ubi deprehensi fuerint. 12. *Ego rursum qvid Ratisbonæ fieret, cogitare cœpi; & Dominus*, Acuunt Jesuitæ lingvas pro Austriaca Domo, minas proferentes adversus eos qvi attendunt mihi. 13. Sed utinam Consiliarii Racocii non titubarent velut ebrii! memores, meam esse causam qvam agent: lassescit Adjunctus tuus cum illis. 14. Surge & scribe: *surrexi igitur, & Dominus repetebat verba sua.*

REVEL. CXCVI. 12. April.

[*Terminus brevis Visionum complendarum, 2. ipsiusqve Videntis, 3.*]

A *Matutinis precibus alloqvutus me Dominus, dixit*: 2. Brevis est terminus rebus, de qvibus tibi sum loqvutus, complendis positus: tu jam qviesce, jam manifestata sunt omnia, tantummodò nota reddantur Mundo per eos, qvibus mandavi. 3. Brevis & terminus vitæ tuæ: fidelis esto, & ductum meum seqvere placidè. 4. *Qvô ego auditô, & tristitiam concepi, & gaudia rursum: orans ut de me disponeret Dominus pro beneplacito suo, me paratum esse ad subdendum me voluntati ejus.* 5. *Addebámqve vota pro Adjuncto mihi: de qvo Dominus*: Et ille satis fecit voluntati meæ: reddet te certiorem his diebus, qvid effectum sit. 6. *Ego verò pro illis etiam orabam (ut & seqventibus diebus, tristis valdè) per qvos opus suum agi vellet Deus.*

REVEL. CXCVII. 18. April.

[*Revelationes clauduntur, 2. obsignariqve jubentur, 3. Ferdinandus confundi incipit, 4. Oratio Revelationum obsignatoria.*]

F*Eriâ sextâ Paschatos, horâ ante meridiem decimâ, orabam in secessu ardenter pro felici exitu vitæ meæ, & Operis per me denuntiati.* 2. *Ubi Dominus me alloqvutus, dixit*: Concludo sermones meos, sufficiant Mundo ista qvæ manifestavi ei de voluntate mea, æternóqve decreto meo. 3. Obsigna tu eos Oratione illâ, qvam fundere solebas coram me. 4. *Mihi verò cogitare venit de Ferdinando Cæsare*: *Et Dominus*, Erubescit, confunditur intra se, pavescit, perplexus consilii, qvia illi dura obveniunt; cognosces id. 5. Hodie nusqvam exito, Orationem conscribito, signum gestato, tametsi rideant, ne curato. 6. *Et feci ita.*

[Orationem istam vide sub Operis finem.]

REV.

REVEL. CXCVIII. 28. April.

[*Revelationes redeunt*, 1. *Videns jubetur reassumere robur*, 6, *& exacuere linguam*, 9. *Miranti factum, duplicatur spiritus*, 15. *Consilia jungenda*, 10. *Cœlum & Terra commovenda.* 11. *Princeps præmonendus.* 16.]

I*Terum ad me factum est Verbum Domini.* 2. *Post preces redormivi; & vidi me à præsentibus delectum ad habendam concionem.* 3. *Quâ ego in me susceptâ, loqui sum orsus: sed fœmina quædam prodiens opponebat se, probibens me loqui.* 4. *Ego verò testes invocabam omnes, me non aliud agere qvàm ad qvod legitimè vocatus sim: idqve eò fervore, ut evigilarem.* 5. *Et mox alloquutus me Dominus meus, contra omnem spem (jam enim finem omnibus impositum credebam) dixit:* 6. Indue tu, serve mi, primum robur & virtutem, ad audiendum & faciendum voluntatem meam, denuntiatam tibi: neque metuas illos qvi malum de te cogitant, clam palam. 7. Potentia enim mea pollens satis est ad tutandum Vos servos meos: sicuti fuit in Daniele & sociis ejus, Paulo, Jacobo, Petro, Johanne Evangelista. 8. Nam ecce ego aperio januam mentis & judicii illis, ad qvorum manus jam venerunt Sermones mei, per te prolati. 9. Tu itaqve vide ut exacuas, exacuas dico, Linguam, ad deducendum eos in exseqvutionem voluntatis meæ. 10. Nempe ut consilia jungant [Orientales] Septentrionalibus, Occidentalibus, & Meridialibus. 11. Nam ego Jehova semel adhuc commovebo Cœlum & Terram, ad producendum in lucem gloriam Nominis sancti mei, inter omnes habitatores Terræ. 12. *His ego auditis, quæ Dominus admirandò zelò protulit, cogitare cœpi: Qvid esset, qvòd mihi & de brevi termino Vitæ meæ, & de obsignandis precatione Revelationibus, mandasset.* 13. *Ad qvæ Dominus:* Loqvutus ego tibi sum de non multis diebus Vitæ Tuæ, non more humano, sed meo: (nec enim erunt multi.) 14. Orationem tu adde tamen, in memoriam mandati mei, tuiqve obseqvii. 15. Tibi verò ad ulteriùs per illos etiam (reliqvos) dies urgendum opus meum, de spiritu meo dabitur portio dupla, sicuti Elisæo. 16. Principi nuntia, ut sibi attendat à Polono, qvi mala consilia agitat, & prodet brevi. 17. Tu pro illo, cum aliis, ora: ut potentia mea se exerat in eo qvod agere decrevi. 18. Ipse autem tantùm obseqvere, & patientiâ utere; omnia erunt benè &c.

[Ad v. 5. & Revel. 196. v. 2, 3. Rev. 197. 2.) Mirum est, & observatione dignum: Kottero in medio Revelationum cursu dictum fuisse, *Iam ad te talis Legatus Angelicus non veniet* (Cap. IX. 55.) venit tamen, post bimestre (Cap. X.) Christina jussa fuit mori, resurrexit tamen. Drabicio dictum, *Brevis est terminus vitæ tuæ, conclude sermones meos: & tamen ecce prorogata vita, continuatiqve sermones!* Qvid hoc sibi vult? Annon auxilii Divini cessatio ternâ vice præfigurata? 1. Post mortem Gustavi & Friderici, 1632. 2. Post Pacem Osnabrugensem conclusam, 1648. & 1650. (ubi Bohemorum spes penitus fuit exstincta). 3. Post dissipatos in Polonia Leones, Septentrionalem & Orientalem, Anno 1647? Fidem facit, qvod hîc de brevi jam seqvuturo eventu spes fit, Rev. 196. 2. & 198. v. 9. &c.]

REVEL. CXCIX. 30. April.

[*Volatus super Arbores*, 1. *Iob. Chrysost.* 3. *Princeps quò ire debeat*, 6. *Meliùs obseqvi* DEO *qvàm hominibus*, 9. *Heroum non est pavere*, 10. *Timidi inglorii*, 15. *Pr. ab insufficientia opinione erigitur variè*, 17. &c. *Politicis parcendum*, 23.]

ITerum ad me Verbum Domini factum est. 2. *Indormieram mane, post preces, & vidi me altè ferri super Arbores proceras, tum & humiles.* 3. *Tandem ingressus Domum qvandam, vidi sedentes Viros duos: quorum alter mihi nominabatur Iob. Chrysostomus, senex canus.* 4. *Huic ego narrabam, dies Vitæ meæ esse paucos: qvi me in spem erigebat, fore ut complementa videam omnium, qvæ per me nota fecisset Dominus.* 5. *Expergefactus cogitare cœpi, qvid fieret in Polonia (Senex enim ille, Chrysostomus, inter exules ibi est): & qvid Princeps noster ageret.* 6. *Et Dominus Deus meus me alloqvens, dixit*: Princeps vester & in Poloniam ibit, invitatus, & in Hungariam. 7 Sed priùs in Terra sua exseqvatur ea qvæ volo, ut se hîc securum reddat. 8. Nam Poloni inter se confusi, sibi ipsis diffidunt: & qvid Rex erga subditos moliatur, jam antè significavi tibi. 9. Meliùs est Principi obseqvi mihi, qvàm hominibus; qvi seipsos ipsi ignorant, & qvid ego, per qvem, cur, exseqvi velim, non intelligunt. 10. *Ego verò cogitare cœpi: Principem Domum Austriacam metuere, & forsitan suos qvoqve Transylvanos.* 11. *Ad qvæ mea cogitata Dominus*: Qvisqvis plus timet homines qvàm me, non est perfectus in charitate. 12. Si David servus meus Goliathem formidasset, non evasisset victor (sicut evasit) nomini meo confisus. 13. Et Samson, si se intra mœnia Gazæ concludi non fuisset passus, non habuisset occasionem patrandi robur, & effringendi, hostium ludibrio, valvas cum postibus. 14. Captus verò jam, & excœcatus, & moriturus, in me recumbens qvantam edidit hostium stragem? me præfigurans: æternâ post se relictâ memoriâ. 15. Multi ut ellychnium candelæ exstingvuntur: morientes, & nullam sui honestam memoriam relinqventes. 16. Tibi proponentur qvæstiones qvædam serve mi: Cognosces brevi, qvæ sit Principis mens 17. Cogitat Princeps insufficientem se ad hæc esse: in qvo consentiunt ipsius qvoqve Consiliarii. 18 *Sed ego Dominator seculorum novi, Qvem, qvando, & cur ad hoc vel illud adhibere debeam, nullò aliunde consilio indigens: tantùm amorem, fiduciam, & obseqvium, ab unoqvoqve reqvirens.* 19. Princeps igitur tantummodò ingressus conclave suum, occlusoqve ostiô, oret me in occulto: Ego illi ostendam viam, aperiámqve januam. 20. Sed tamen ineat consilium cum Septentrionalibus: illi eum illuminabunt. 21. Sed & ipse historias legat, Libris meis & alibi comprehensas: agnoscet me esse, qvi de parvis magna facio. 22. Parva est Racociana Domus in oculis hominum: sed ego illam elegi, ut Me in illa, & Illam in me, glorificem, ultimis diebus Mundi. 23. Sed inter exseqvendum hanc meam causam parcatur Politicis. 24. Qvanqvam enim illorum aliqvi tumultuabuntur, qviescent tamen tandem, cognitô, cujus voluntatem & causam agit agétqve: qvod non suam, sed meam, olim & jam denuò denuntiatam. 25. Hæc sunt, qvæ tibi significata volui hodie: surge & scribe! 26. *Surrexi ergò, orans mihi hæc in mentem revocari, & factum est: ego autem Psalmum 20. decantans, suspiria fudi pro iis ad qvos mandata hæc deferenda sunt.*

REV.

REVEL. CC. Maji. 7.

[*Hungari Videntem ægrè intelligunt (2) Venient tamen 3. Princeps intentiones suas docetur subordinare divinis 5, 6. Revelationes ha legenda in Nationibus, 7. Domûs Austriaca (præsertim postremorum duorum) fastus & tyrannis graphicè depicta 11, ad 27. ad qvam subvertendam, & Ecclesiam catholicè reformandam, convocantur Gentes, à 28. ad 38.*]

ITerum *factum est ad me Verbum Iehovæ, cùm à suspiriis matutinis indormiissem, somniúmqve vidissem tale.* 2. *Fui inter Hungaram gentem, ægrè illos intelligens, & illi me: parantes frumentum è saccis ad molam. Et Vir quidam gravis constitit, legens literas quasdam occultè scriptas, spectantes ad me.* 3. *Ut evigilavi, dictum est ad me:* Hungari agminatim venient. 4. *Ego verò de Principe cogitavi, qvô animô esset, orans pro Illo, & Consiliariis ejus: & Dominus iterum:* 5. Nactus est à Radzivilio Legatum: sed avertat nunc à Polonia cogitationes ad Regnum Ungariæ, patriam suam: 6. inserviens intentioni meæ, & se convertens ad me corde contrito (tecum, & aliis illi fidis) qvod ego non despicio. 7. Scripta tua legentur, & molentur sicut frumentum in mola ad panem, qvô vescentur Nationes Terræ. 8. Ecce tu jam prophetabis tanqvam mercede conductus! qvod te non diu latebit. 9. *Et oravi Deum ardenter, pro signo aliqvo ejus præsentiæ, meâ & aliorum causâ.* 10. *Dominus autem respondit:* Bonô animô esto, serve mi! sed hodie nihil ede. 11. Dies enim hæc dies mea & tua est; ad reddendum te certiorem, qvòd erepturus sim Cultores meos de manu Oppressorum, in angustiis constitutos. 12. Qvi dum audient qvæ ego cum Austriaca Domo fecero, exultabunt. 13. Nam Domus Austriaca oblita est mei, qvod notorium est Mundo: qvàm sola illa eminere voluit inter Nationes, cum obduratione cordis, ne audiret clamores & lamenta super tyrannidem suam, tanqvam Pharao. 14. Qvi nescit, interroget ipsosmet subditos ejus, num aliqvis ex Austriaca Domo similis (*diritate*) fuit ipsi, Patríqve ipsius? nullus reperietur. 15. Ego amiciveram majores ejus veste Christianâ: ille verò detraxit eam sibi, & induit vestem tyrannicam. 16. Sed ecce finis venit dominationis ejus! qvod ego abscondidi ab oculis etiam Consiliariorum suorum. 17. Qvorum nemo attendere voluit, id qvod patrabat Ipse malum esse coram me, qvi judicium diligo & æqvitatem, cum puritate cordis: 18. Qvam tamen nemo habet, nisi cui ego dedero, illo eam à me petente. 19. Satis jam diu longanimitate usus sum erga illos, resipiscentiam exspectans: ecce autem in pejus ruunt! 20. *Qvibus ego auditis cogitabam, an scriptionem continuare deberem: jam enim me (in lecto jacentem, & super tabula annotantem) creta deficiebat.* 21. *Et Dominus,* Scribe qvod audis ex ore meo! O Domus Austriaca, væ posteris tuis, qvorum jam pauci sunt. 23. Qvi se Tibi ducem dedit, deducet Te in exitii foveam! 24. Ecqvid nisi opprobrium æternum reportabitis ex omnibus actionibus vestris? cùm ego vestrum in locum exaltavero alios: in abominationem & exterminationem datis omnibus Idolomaniam vobiscum exercentibus. 25. Jam enim videre incipiunt non Christiani tantùm, sed & infideles, te induisse vestem prostitutæ Meretricis, nulli fidem servantis. 26. Rectè te describunt bicipitem; cujus alterum caput surdum est, alterum cœcum & mutum, erga me Creatorem tuum. 27. Exspectabam ego reversionem tuam ad me Factorem tuum, sed omnia frustra.

stra. 28. Jam itaqve Vos è Christianitate, qvi diligitis me, & qvos nominatim ad Opus meum voco: facite virtutem in Deo, exemplô majorum vestrorum, mihi & voluntati meæ obseqviosorum; & exterminate Idololatras de Terra mea! 29. Nihil vobis novum loqvor, & mando: sed qvod à seculis prædecrevi, & prænuntiavi, ut exseqvutioni detur per vos à me ad Opus hoc delectas Nationes. 31. Qvisqvis se Vobis associabit insuper, Illi qvoqve benefaciet dextera mea. 32. Sic enim voluntatem æterni beneplaciti mei perficietis super Terram, ante Mundi finem. 33. Et introducetis in Domum Ecclesiæ claudos, mancos, cœcos. 34. Et beatos vos prædicabunt omnes Nationes Terræ, qvæ veram mei & nominis mei cognitionem nondum habuerunt hucusqve. 35. Admittite hæc ad cor, ô Vos Christianæ Nationes, & date mihi Deo vestro honorem! 36. Anteqvam ultimæ veniant tenebræ & caligo, ultimum Mundo diem prænuntiantes: ubi cum potestate & gloria magna adero, ad judicandum manifesta & occulta. 37. Beatus qvisqvis contrito corde se humilians vigilat ante me. 38. Fac tu idem, abstinendo hodie omnibus, neqve exeundo foras; vigila & ora!

Revel. CCI. Maji. 16.

[*Domus à fundamento conflagrans*, 2. *de Domo Austriaca & Idololatrarum exponitur*. 4.]

P*Eractis cum gemitu matutinis precibus, redormivi.* 2. *Et vidi Domum à qva secesseram (suppositô in illa igni fomite) conflagrasse anteqvàm rediissem funditùs: qvi verò exierant, exspectabant me, noti mihi, enarrantes diaboli tentationes, cui ego tribuebam malum istud opus.* 3. *Et respondens Dominus meus dixit:* Contemne tu insultus diaboli, cum qvo mihi etiam dum in mundo essem pugna fuit. 4. Subjectus à te ignis in domo Mundi consumet Domum Austriacam, cum domibus Idololatrarum vos oppugnantium. 5. Qvi supervivent, & spectatores erunt, mirabuntur, & magnifacient me & justitiam meam. 6. *Qvibus ego auditis decantare cœpi*: Robora nos in fide &c. (partem hymni Ecclesiastici.)

[Planè circa hoc tempus congregabantur Imperii Electores Ratisbonam, ad Cæsari collegam eligendum, Regem Romanum: electusqve fuit (31. Maji.) Ferdinandus qvartus, Hung. & Boh. Rex, sed qvem Deus annô pòst (1654. 9. Julii.) sustulit.]

Revel. CCII. Maji. 19.

[*Visio Molæ frumenta molentis*, 1. *& Currûs eversi*, 2. *accommodatur ad ea qvæ fiunt & fient cum Domo Austr.* 4, 5. *Res qvandoqve non procedunt hominum culpâ.* 6, 7.]

D*Iluculô somniabam, & ecce frumentum terebatur Molâ! multis cum desiderió (ut per moleretur citiùs) exspectantibus.* 2. *Et pertransibat Currus, boum qvadrigâ velocissimè tractus, cui insidebant personæ duæ, Vir & fœmina.* 3. *Et factum est, ut Boves jugum dejicerent, Currus everteretur, personæ verò evanescerent: qvod ego admiratus evigilavi.* 4. *Et Dominus ad me*: Tanqvam in mola cum fragore procedunt negotia, de qvibus loqvutus sum tibi. 5. Currus, qvo vehitur Cæsar, & vectus est, à bobus suis qvibus tractus est deseritur. 6. Ecce ratiocinationes humanæ, vestræ etiam, omnes vanæ sunt sine me, aliam præter voluntatis meæ regulam seqventes. 7. Per me non stat, sed per vos, si res secus fiunt atqve dispensavi. 8. Tu fac ut agas omnia prout dispenso ego, & benè (tibi) erit: hodie domo ne exeas, vigila & ora. 9. *Qvibus cum timore auditis, & acceptis, laudavi Deū.*

REVEL. CCIII. 20. Maji.

[*Principissa Transf.* 3. *Gaudium* DEI *super Gentes convertendas*, 4, 8.]

POst horam qvintam matutinam, inter ardentes ad Deum preces indormivi. 2. *Et videbam ad me carpentô venientes Illustres matronas: qvarum una in conclave introducto mihi placentas offerebat, valdè saporatas, qvas excipiens lætus evigilavi.* 3. *Et Dominus, vix ad me reverso mihi*, Exulta, *inqvit*, serve mi, per fœminam, Principissam Dominam tuam, recreaberis. 4. Exhilarabor ego qvoqve in opere manuum mearum, qvod per te annuntiavit os meum. 5. Nam exsultabunt Gentes in luce, qvâ circumfulsi qvasdam; alias verò jam circumfulgebo, revelando illis voluntatem meam: dicéntqve, *Exultent Cæli*, & *lætetur Terra*. 6. Sed & ipse lætabor cum Angelis meis super reversione ad me eorum, qvi nondum cognoverant me Jehovam, qvis essem. 7. Vidi ego mœstum cor tuum, suspirans ad me, & me atqve misericordiam meam invocans, cum aliis cultoribus meis; ecce brevi mitigabitur tristitia vestra! 8. *Qvibus ego auditis, confitebar humillimè peccata mea & proximorum, misericordiam implorans.* 9. *Et mox me somnus oppressit: rursumqve mox expergefacto respondit Dominus*, Gaudens gaudebo cùm exsultabunt contrita ossa vestra. 10. Super vos inqvam, & super gentes vobiscum mihi servientes, & confitentes, qvòd recordatus fuerim misericordiæ meæ, efficiendo ut habitetis securè, serviendo mihi soli corpore & spiritu.

REVEL. CCIV. Maji. 21.

[*Statera falsa humani de rebus judicii*, 4. *Verba* DEI *non cadunt in vanum*, 8. *Videns obliviosus*, 11. *Pharao vas figuli* 14. *Campana cordis humani*, 15. *Placenta benedictionis*, 19. *Pluvia ira* DEI, 22. *Cæsar*, 25, *Princ. Transf. adhuc monendus*, 28. *Fœdera cum Polono ne ineat* (*inibat enim tunc*) 33. David & Gedeon 34. Mutatio rerum instat memorabilis 39. *Racoci* 43.]

IN *domieram à precibus*. 2. *Et videbam afferri* Crocum & *ponderari bilance, sed fallaciter, admistis funiculis qvibusdam; ut zelarem tam apertam iniqvitatem.* 3. *Expergefactus oravi ardenter*, & *Dominus ad me:* 4. Recepta sunt verba qvæ prodierunt per te: sed librant ea falsâ rationis suæ staterâ, non prout debebant. 5. At ne mirêre! Sic fuit temporibus Noæ, Loth, & aliâs. 6. Volunt me conferre (dona mea) tacentibus, & nihil operantibus. 7. Fit sanè, ut conferam qvandoqve non rogantibus: sed in testimonium, ipsorum malo. 8. Tu patienter exspecta solatia mea, veniet qvod promisi. 9. Nunqvam cecidit verbum meum, neqve cadet, in vanum: sed suum tempus est cuiqve rei. 10. Tu mihi fide, unà cum eo qvi tecum excubat: unâ invidiæ nave ambo vehimini. 11. *Silescente voce Domini, repetere dicta volui, sed non potui.* 12. *Et Dominus:* Tuâ culpâ perit tibi memoria, supervacaneis curis & animi agitationibus: 13. cùm tamen mea sit pro te, & aliis Cultoribus meis, in simplicitate cordis mihi servientibus, & me invocantibus, cura: surge scribe! 14. *Feci igitur:* & *Dominus iterum*, Conteram tanqvam Vas Figuli potentiâ impii Pharaonis: clamor suspirantium

tium ad me aſcendit. 15. *Cùm & hoc ad ſcripſiſſem, redormivi*: & vidi Campanam novam magnam, cum exiguo piſtillo. 16. *Et qvidam veniens pulſabat: ſed piſtillum ob exiguitatem (fuit enim detritum, & confractum) debilem dabat ſonum, ut mirarer.* 17. *Evigilanti autem ſubitò Dominus*: Magnus eſt Mundus, ſed exile piſtillum Cordis fidei erga me, & verba mea. 18. Pulſo ego: ſed cor hominum malè reſpondet, vacillans huc illuc vento vani humani metûs: in qvibus nihil virium eſt ad defendendum opus meum, qvod agi volo his diebus, per eos qvos elegi. 19 *Cùm & hæc ſcripſiſſem, rediit mihi ſomnus: & vidi me inter homines ignotos conſtitutum, qvorum duo placentas tenebant, ſuper qvandam perticam pendentes.* 20. *Provocabantqve me ad ludum: & vici octies, obtinuiqve tot placentas; & mox, cùm inſtarent, duodecim: qvod alii excipiebant invidiâ, alii favore.* 21. *Et Dominus ad me*: Serve mi, videbis placentas benedictionis meæ, qvæ te aſſeqvetur brevi. 22. Tu hodie cibis abſtine, ſed pulſa precibus: & impetrabis pluviam iræ meæ ad perdendum hoſtes meos, cùm alibi tùm hac in Terra. 23. Attingétqve malum hoc eos etiam, qvi voluntatem meam ſatis edocti eam exſeqvi hucuſqve renuunt. 24. Benè illis volui: ſed redigunt hoc ſibi ad vanum, & irritum, tergiverſationibus ſuis. 25. Attende qvid cum Cæſare facturus ſim, poſtqvam ante interitum ſuum ſemel adhuc fœdabit thronum ſuum: qvod omnes videbunt, etiam qvi ſpem poſuerunt in eo. 26. Væ reſpectantibus eum plus qvam me, renuentiúmqve obſeqvi Voci meæ, ut convolent ad horam & diem! 27. Ecce jam duodecima inſtat hora Mundo, fœdiſſimâ Idolomaniâ polluto. 28. Tu fidem oſtende & patientiam! imple adhuc aures iis qvibus te ducem dedi, ut eis mercede prophetizes, illi verò mercede faciant opus meum. 29. Qvàm benè eſſet illis, ſi me audientes facerent (qvæ mando.) 30. Sed ſciant, habere me jam alios, accurrentes ad vocem meam: qvos adducam in horum confuſionem. 31. Væ Terræ huic, ſi iſtos præmiſero! 32. Tu ſemel porrò etiam pulſa oſtium Domûs Racocianæ: qvod enim alibi fieri videt, facere vellet ipſe qvoqve, ſed ſine corde: qvod nihil eſt apud me. 33. Miſſáqve faciat hâc horâ fœdera cum iis, adverſus qvos ego cauſam ago & peragam, etiam ſine illo, ſi nolit. 34. Qvi ſapiens eſt, oſtendat virtutem qvalem oſtendit David & Gedeon, ſine viribus humanis, ſolò nomine meô. 35. Plus apud iſtos potuit Verbum meum, qvàm apud multos veſtrum modò. 36. Qvis veſtrûm cauſam ſuſcipit meam? ad propulſandam ignominiam illatam mihi? ut duo illi fecerunt, æternô bonô nominis mei, & ſui. 37 Tu deſine lamentari contritionem; potiùs attende ut omnia fiant ſecundùm mandatum meum: tempus meum nondum tranſiit. 38. De translatione Sceptri à Juda diu ante loqvutus ſum, evenit tamen indubiè: non alia ſunt nunc etiam tempora mea. 39. Vos igitur mihi fideles audacter annuntiate Mundo, *Me mutationem inducturum, æternâ memoriâ dignam.* 40. Et qvis eſt, qvi conſilia impediat mea? Nemo eſt, nec in Cœlo nec in Terra. 41. Percutiam Terram virgâ oris mei, & ſpiritu labiorum meorum interficiam impium: 42. Tu exue calceamenta de pedibus tuis: nihil tu ſcis qvid in Mundo fiat. 43. Racocium undiqve timere incipiunt: ego verò benefaciam illis, qvi ſe illi ſinceros exhibebunt. 44. Concluſi ego apud me conſilium de illo, & qvis eſt qvi reſiſtat æternæ potentiæ

tiæ meæ? dummodò ille ductum seqvatur meum. 35. Acqviesce tu, & qvem tibi ad opus hoc adjunxi consilio meo. 46. Audio ego qvæ illi in occulto de me, rebúsqve sibi revelatis, loqvantur. 47. Tu tamen ora pro eis. 48. Et oravi, Psalmos & hymnos decantans, nihilqve cibi assumens eâ die, ut mandatum fuit.

[Ad v. 34. NB. Decreta Dei de homine irrita reddere nemo potest, nisi homo ipse ductum deserens Dei.]

REVEL. CCV. Maji. 23.

[*Orientales evigilare incipiunt*, 5, 8. *Exhortatio eorundem.* 9, *Consilium ineundum inter Principes Terræ*, 17: *nominatim Orientales & Hungari*, 19, 20.]

ITerum *factum est ad me verbum Domini.* 2. *Ortô sole, peractisque precibus, rediit somnus; & vidi me in corona illustrium virorum, indutum habitu honesto, interpretantémqve Scripturas*: 3. *Et data mihi est* Tabella Scriptoria, *quâ gaudebam.* 4. *Ad me reversus lætior, invocare cœpi Spiritum S. hymno Ecclesiastico.* 5. *Quô finitô, dixit ad me Dominus meus*: Visitatione Elizabethæ visitavi Principissam, sermonibus illi significatis, de illis quæ priùs annunciata erant marito suo. 6. Dolet, non fuisse factum eo vivô: optátqve jam evenire ista Domui Racocianæ. 7. Ego non tacebo per te, donec eveniat qvod decrevi. 8. Incipiunt ruminare verba mea, meliùs ac antè, parati laudare nomen meum 9. Ecqvis similis mihi unqvam fuit, cui æqvè patescant omnia qvæ in Mundo unqvam futura sunt? 10. Decernam ego judicio cum Nationibus Terræ, ultimis nunc Mundi temporibus: 11. Et inscribam cordibus Populi NOMEN meum magnum, ignoratum hactenus præterqvam Angelis, & qvibus id manifestabam, Prophetis ac Regibus fidentibus mihi. 12. O Populi, si verba mea hæc perceptu videntur ardua, *Scrutamini Scripturas!* Habetis Mosen & Prophetas, Apostolos & Evangelistas, testes meos. 13. Potenter consumabuntur opera mea in vobis, cùm dejecero Idololatrarum onera de humeris vestris: qvod jam fieri mando. 14. Manebo ego verax in sermonibus meis, cùm amovero repagula ingrediendi in Ecclesiæ domum illis, qvi me Jehovam, & Nomen meum, nondum cognoverant. 15. Impossibile multis videtur hoc, qvod futurum prædico: sed ego id effectum dabo, ego solus. 16. Qvos convoco jam per Viros eò delectos, & per *Signa de Cœlo*, & per Vos testes mei dilecti: qvi vos audit me audit. 17. Inite consilium per hos dies ó Vos Principes & Reges Christiani! induite arma diebus his, priùs qvam detraham tabernaculum meum de Firmamento, suspensum super Vos. 18. Repagula æterna disjeci, ne qvid obsistere qveat decretis meis: nihil illa detinere poterit, neqve Vos. 19. Concludite consilium vos Orientales diebus his! totam vobis manifestavi voluntatem meam, date honorem mihi qvamdiu claudicabitis? Ecce vox hæc, vox mea est! 20. De vobis facta sunt decreta mea, non ea declinabitis: satis sit me tam diu vos inclamasse, ó Gens Hungarorum. 21. *Hæc igitur scripsi* laboriose admodum, bonâ destitutus cretâ: oransqve ut hæc in chartam transferre possem. 22. Et Dominus: *Sufficit, è Vivario meo prospicietur tibi.* 23. Laudavi ergò Deum, totum diem jejunio transmittens ac suspiriis. Hallelujah!

RE-

REVEL. CCVI. 13. Junii.

[*Os erga Hung. occludendum*, 3, 14. *Hungaria pratum descandum* 8. *Libri memoriales Operum* DEI, 10. *Diluvium turbidum citò ficcandum*, 12. *Mutatio rerum procedet*, 17. *Poloni* 18. *Cur eventus differatur*, 19.]

POst preces, *mæstissimò spiritu peractas*, *dixit Dominus*: 2. Ne tristare, serve mi! fidus esto ad mortem usqve, & dabo tibi coronam vitæ! solatiúmqve meum veniet tibi. 3. Et occlude os tuum, sicut & ipse occlusi os meum, ne qvid loqvar præter qvod jam per vos loqvutus sum Nationi huic, & aliis. 4. Si facere volent Opus meum, sibi denuntiatum, illis benè; sin, malè. 5. Faciunt illi qvod volunt, faciam ego qvod decrevi; ut illis væ sit. 6. Qværunt illi Opus suum in se, ego verò qværam Opus meum in illis: & opus meum procedet. 7. *Tu mihi confide*, *vigila & ora*. 8. *Et indormivi subitò*, *vidiqve* Pratum desectum: *mox autem evigilanti dixit Dominus meus*, Tanqvam pratum desecabitur Terra hæc, falce iræ meæ: 9. Pauci enim sunt qværentes me, pauci recti corde, qvisqve sua qværit cum oppressione proximi. 10. *Iterum indormivi momento*: vidiqve Libros duos prægrandes (*qvorum similes nunqvam vidi*, *qvanqvam alter altero minor*) exsiccari: 11 *Utqve celerimè evigilavi*, *dixit Dominus*: Libri memoriales Operum meorum, sub Veteri & Novo Testamento editorum, exhibiti sunt tibi. 12. *Et mox rursum indormivi*, vidiqve diluvium aqvæ turbidæ, à qvo fugiebam pone Domum qvandam: sed anteqvam Domum transivi, jam præterierat, & ecce siccum erat sub pedibus meis, rosæqve multæ apparebant, candidæ, fragrantes. 13. *Qvod miratus evigilavi*, *& Dominus ad me*: Aqvæ tribulationum vestrarum citissimè siccabuntur, cùm hora venerit mea: mihi fidite. 14. Tu hodie nihil ede, nihilqve bibe: & dilecto tuo & meo nihil scribe nunc, nisi mandasse me occludere os, ne qvid ampliùs loqvamini Nationi huic. 15. *Et ego cogitabam* Ferdinandum: *Dominus verò ad me*: Terminus meus appropinqvat, juxta sermones meos, sed qvem nemo intelligit. 16. Tu contumeliam qvam à tuis pateris, patienter ferto. 17. Judicium meum in opere meo mirabile est: mutatio qvam inducere decrevi Terræ Nationibus, procedet. 18. Poloni, Poloni, rejecti sunt cum consiliis suis: veniet super eos qvoqve judicium meum, tametsi vias intercludant. 19. *Ego verò cogitabam*, *Qvid causæ sit qvod tam diu non eveniant ea*, *de qvibus toties loqvutus fuit Dominus* 20. *Dominus autem*: Dic mihi, potéstne dirui Ædificium anteqvam congregati sint ad diruendum Operarii? qvos tamen ego ecce jam congrego! sed qvis hominum hoc intelligit? 21. Adjunctum tibi hæc validè afficient: ego verò mirabilis manebo in Operibus meis, videbis. 22. *Qvos sermones ego miratus*, *precibus vacavi*, *tristis totâ illâ die*.

REVEL. CCVII. Augusti 11.

[*Videnti silentium injungitur*, 2. *& meditatio Scripturarum*, 3. *Pulvis pyrius in ore Infantis*, 5. 8. *Racoci victor*, 6. *Poloni* 8. *Domus Austr.* 9. *Nomen Regis Regum.* 10.]

ACceperam ab *Adjuncto mihi perscriptum de his rebus judicium sinistrum, primarii è Consiliariis Principis: cogitabámqve qvid illis faciendum esset.* 2. *Dominus itaqve ad me:* In silentio nunc sint sermones mei, qvos tuâ causâ loqvor: Veniet tempus cùm per Nationes annuntiabuntur. 3. Tu gnavus esto in lectitandis Scripturis, mentemqve exacue futuros ad labores: cura mea de te est, aliisqve Cultoribus meis. 4. *Et incidit canere ex Psalmo* 79 *v.* 9. *mox autem oppressit me somnus.* 5. *Et vidi Mulierem manu gestantem infantem, cujus ori inspergebant pulverem nitratum, ut per nares effunderetur.* 6. *Expergefactus mirabar, qvid hoc sibi vellet: simulqve vox Domini facta est ad me,* Filius Racoci victor evasit [contra Lupulum Moldavum, hostem suum] per præsentiam meam. 7. Agit ille nunc opus suum, virtute meâ: videbo an conversus meum qvoqve acturus sit opus, de qvo illi loqvi mandavi: sin, potentia mea procedet. 8. Poloni frustra jactarunt vires suas ad Nationes Germaniæ, apud qvas auxilia qværent [*factum* 1657.] sed dissolvetur pulvis in ore Nationum, tumultuantium adversus invicem. 9. Et concidet robur & gloria Domûs Austriacæ, cui hactenus sese extollenti spectator fui. 10. Qvod ubi erit factum, exhilarabor in Operibus meis: qvia Nationes videbunt inscriptum lumbis meis terribile nomen meum, *Rex Regum*, & *Dominus Dominantium*; videbúntqve simul hoc, qvod nunc prodiit ab ore meo. 11. Tuâ causâ hæc nunc loqvor: refer hoc in scriptum. 12. *Et oravi, ut memoriâ continere possem; Dominus ergò repetebat omnia.*

REV. CCVIII. Sept. 8.

[*Veritas sermonum* DEI, *tametsi Mundus non credat*, 2. *Lapis super Meretricem suspensus* 4. *Finis Mundi*, 6. *Os obsignandum coram ingratis*, 10. *Princ. Tr. cunctando amittet rem* 13, *Nihil restat præter iram*, 17.]

A *Matutinis precibus, alloqvutus me Dominus, dixit:* 2. Serve mi, adventat tempus, qvô sermonum meorum veritas patescet, tametsi nunc ab iis qvibus eos nuntiari jussi, mendacii arguantur. 3. At verò tu tristari noli! antiqvum obtinet Mundus, & homines suas sveti ratiocinationes seqvi, non attendentes tempora judiciorum meorum ab Angelis qvoqve esse abscondita, anteqvam ipsis revelentur. 4. Ecce lapis inditus corbi fundo carenti, suspensus est super Mulierem sanctorum sangvine ebriam: cujus corpus putredine fastûs malè olet nationibus, convolabúntqve ad devorandum eam. 5. Ignem enim Lucis meæ accendi per Viros à me variè suscitatos: ad manifestandum tempus Babylonis, & ruinæ illius, jam advenisse. 6. Sicut & mox tempus Mundi, cùm deturbabo Stellas de firmamento, & per eas accendam Terram, ut peruratur. 7. Cujus rei rationem qvis intelligit, anteqvam id videant servi mei? 8. Qvorum tu qvoqve unus

unus es, dilectus mihi: modò fidelis esto, mansuetus, obseqviosus & patiens, faciénsqve mandata mea. 9. Atqve cùm ingruent mala tibi, confide virtuti meæ! 10. Ecce jam non aliorum, sed tuâ & tibi Adjuncti causâ loqvor, & loqvar, dilecti mihi 11. Obsignate jam ora vestra coram iis, qvibus jussu meo loqvuti estis. ingratè recipientibus verba oris mei. 12. Princeps ecce opus facit, nescius qvale: exspectabo an meum qvoqve sit facturus. 13. Si renuet, donec sol Australis jungat se ad Septentrionem habitanti, malè stabunt & consilia & res ipsius: unde Principissam obruet mœror intolerabilis. 14. *Qvibus ego auditis exclamavi: O Iehova Deus & pater mi, qvis ego misera Creatura tua sum?* 15. *Miserere mei servi tui, & edoce me vias tuas, ut ambulem coram te in veritate.* 16. *Tibi me tradidi, tu me rege ad beneplacitum tuum, & ne auferas à me Spiritum tuum sanctum! condonans mihi si qvâ offendam majestatem tuam, & me roborans ad faciendam voluntatem tuam.* 17. *Et Dominus;* Voluntas mea manifestata jam est, qvod exspectent Incolæ Terræ hujus non habent nisi iram, propter parendi dedignationem. 18. Tu hodie nusqvam exeas, vigila, ora. 19. Et scripsi hæc, postqvam Dominus repetiisset omnia.

[Ad v. 13.) Factum anno 1657. cùm Austriacus Exercitus (duce Leopoldo) Polonis sese junxit ad Cracoviam. Tunc enim & Svecus exire Poloniâ coactus, adversus Danum: & Tartari Racocii Exercitum pessum dedere, ipse autem licet cum paucis evaserit, domi tamen indignationem Turcæ incurrit, donec & prælio victus interiit.]

REVEL. CCIX. Sept. 29.

[*Prædicta evenient*, 2. *Principis victoria* (*in Moldavia*) *unde*, 4. *Gentes aliæ convocantur*. 6. *Fulgor circumdat Videntem*, 10.]

ITerum factum est ad me Verbum Domini, *inter preces matutinas*, *diluculò*. 2. Ecce serve mi, sicut aurora effulgebit splendor veracitatis meæ, fructus Arboris sermonum meorum! 3. Nam ecce jam jam confluent Gentes ad exseqvutionem Operis mei, per te denuntiati. 4. Anno hôc opus victoriosum ad Orientem ipsemet egi: nisi qvod Princeps manum extendit ut maneret victor, mactarétqve deditos morti. 5. Tu jam tace, sicut & Adjunctus tibi, qvamdiu tacebunt illi: ego respondebo. 6. Nam si aliæ Nationes inceptabunt, malè stabit Domus Racociana, totáqve hæc Terra. 7. Ego enim nonnusqvam de Cœlo inclamabo Gentes, ut ad bellum prodeant: qvia tempora consilio meo Idololatris determinata jam venerunt. 8. Irrisores cui prosternentur, cum dolosis machinationibus suis. 9. Tu autem mihi confide, mea est pro te cura; Vigila & ora. 10. *Ubi me splendor qvidam circumfulsit, ad dextram: qvem admiratus sum, timoreqve correptus, oravi.*

[Ad v. 6.) Toties totiesqve protestatio fit, si aliis demandabitur opus Dei, malè Hungaris fore: sed audire hæc, & credere, nemo voluit. Jam autem experiuntur, qvod Mundus videt.]

REV.

REVEL. CCX. Octob. 2.

[*Deus idem qvi olim*, 2. *ideò immutabile decretum ejus*, 5. *Hungara Gens retardavit opus*, 6. *Sine Deo omnia nihil*, 8. *Messis adest ad eradicandum zizania*, 12.]

M*Ediâ nocte inter suspiria respondit mihi Dominus*. 2. *Serve mi*, Ego agam opus meum in Nationibus Terræ, opus iræ meæ, ut vastetur hæc etiam Terra passim. 3. Nam nolunt qvibus loqvi mandâram (audire me) sed pro mendaciis habent verba mea; qvasi ego nunc alius sim Deus, qvàm qvuum de futuris Mundo rebus loqvebar, seu Ipse, seu per Prophetas & Apostolos meos. 4. An verò me alium Deum habere volunt? an alium Mundum exspectant? 5. Non aliud fiet qvàm qvod annuntiavit os meum, abolitum iri Antichristum, qvum exacuero sagittas meas, & intendero arcum meum. 6. O si voluissent hac in Terra facere initium, sicut volui ego! dudum jam accurrissent Nationes, conjunctimqve Opus à me determinatum confecissent. 7. Nec tempus esset longum, qvod prænuntiatum pridem venit, ut una nocturna vigilia brevissima. 8. Si qvis meum iniret consilium, is intelligeret tempora, dies, viásqve meas. 9. Difficilia sunt apud Vos tempora, apud me facilia, etiam sine Vobis. 10. Leone rugiente qvis non timeat? & me jubente qvis non operetur? Nisi ille qvi non novit potentiam meam, neqve novit magnam iram terribilium plagarum. 11. Qvemadmodum nihil scit qvi Scripturam nescit: ita qvi non novit me, voluntatémqve & potentiam meam, nihil scit. 12. Væ Mundo! qvi me non nôrunt dum ad eos clamo, nec ego novero illos dum clamabunt ad me. 13. Ecce tempus meum lætabile venit, propinqvat messis mea! Ite Messores ad eradicandum zizania Idololatrarum! & colligendum triticum in horreum meum, filios meos. 14. Verùm satis: Scribe hæc, in usum tuum nunc, deinde Mundo in testimonium. 15. *Et feci sic, collaudans Dominum.*

REVEL. CCXI. Nov. 8.

[*Tota Terra jam implenda cognitione unius veri* DEI, 2. *Visio vasorum cum cinelis*, 14. *Incolæ Hung. increpantur de socordiâ, sui fiduciâ, aliorum neglectu*, 17. *Legenda hæc omnibus Terræ Nationibus*, 21. *Videns adjuratur, ne qvid his demat vel addat*, 23. *Ille pavidus deprecatur*, 29. *urgiturqve* 34. *Iugum obseqvii dejectum*, 40.]

A*Nte horam XII. cùm inter orandum omnia in mentem redirent, qvæ hactenus mihi annuntiasset Dominus, facta est ad me vox Domini.* 2. Etiam scias, Nolle Sapientiam æternam ullam superesse toto sub cœlo Nationem, qvæ habeat & cognoscat Deum, potentem, sapientem, bonum, & justum, præter illum] qvem annuntiavit Moses, Prophetæ, Christus & Apostoli. 3. Qvod si qvæ Gens hunc agnoscere & confiteri nolit, maledicta sit & habeatur, apud omnes Gentes: deleatúrqve de Terra per omnes eos, qvi noverunt Nomen meum, magnum & terribile. 4. Omnes inqvam unanimiter irruant in eos, qvi nolint confiteri me, ut deleantur de Terra. 5. Volo enim hâc parte impleri voluntatem meam, ut sub Mundi finem ita fit qvomodo fuit ab initio, sub Adam & Eva, Seth, Enoch, & Noe: qvi ignorârunt nomen alius Dei, præter me Unum. 6. Ex ore meo prodiit hoc, qvod annun-

annuntiavi tibi, decretum consilio meô æternô de iis, qvæ fieri volo ultimis diebus Mundi. 7. Qvum ego suppliciis coërcebo blasphemias Nationum, qvibus afficiebant me & Nomen meum, tremiscet Terra: Terra inqvam, & qvi habitant in ea. 8. Ardor enim zeli mei occubuit, sicut Sol, super eos qvi nosse me nolunt. 9. Qvorum nemo intelligit, & intelligere vult, ex ore meo halitum vitæ se habere, &ad me reverti se oportere. 10 Qvis qvæso hæc intellexit, aut intelligit, præter illum qvi ex splendore Lucis meæ novit, me esse Jehovam? 11. Væ ignorantibus me, qvi spithamâ Terram mensus sum, & pugillo complexus Mare, totúmqve Mundi orbem, metásqve pono rebus omnibus. 12. Qvis ergò se opponet mihi, qvasi renuntiata jam vobis voluntas mea non sit bona & justa? nisi solùm is qvi Verbum meum nescit, & Legem ignorat meam. 13. Accipite igitur hæc ad trutinandum, ó habitatores Terræ! 14. *Hîc finis erat: ego autem consurgens scripsi ea, rursumqve in lectulum reversus cantabam Psalmum CXV. & Dominus*, Indormi, & ostendam tibi qvidpiam. 15. *Et indormivi momentô*, vidiqve mihi afferri Vasa duo, qvibus inerant cimmelia, qvæ ego inde eximens ostendebam, imò & distribuebam, adstantibus; extergens, si qvid contaminatum fuit. 16. *Ut evigilavi, Dominus ad me*: Domus Mundi oppleta est sordibus Idololatriæ & hæresium, erroriqúsqve & vanâ Religione: non tolerabo id diutiùs, hac etiam in Terra. 17. Ad ostium oris tui ego stans denuntiavi dudum jam, qvid hîc fieri vellem ab Incolis. 18. Sed desunt Viri intelligentes, & meis viis attendentes, qvòd talia non frustra faciam. 19. Tantùm illi suis Libertatibus confidunt, fiat alibi qvicqvid fiat. 20. Sed oppriment eos dolores parturientis, cùm egò (nisi adhuc obedierint mihi) inclamare incipiam Gentes, & jam inclamo, per varia mea organa: inter qvæ vos estis, duo Testes mei. 21. Eô fine, ut hæc qvæ prodierunt ab ore meo, per te & Adjunctum tibi, legant & intelligant non illi tantùm, sed & totius Mundi Gentes, Populi & Lingvæ. 22. Judæi & Græci, Turcæ & Tartari, Arabes & Indi, Germani, Itali, Angli, Galli, Poloni: verbô, Nulla sit lingua sub sole qvæ nesciat hanc Tubam hujus vocationis meæ 23. Ideò te obligo nomine meo, serve mi, ne qvid demas vel addas his & aliis sermonibus meis, tibi nuntiatis. 24. Ego enim solus Deus renuntiavi, qvid ab omnibus Gentibus & Populisq; & Statibus, & Lingvis, reqviram diebus his: 25. Ut omnes agnoscant *Veritatem Victoriosam*, cui adhæretis Vos à Majoribus vestris, complectentem omnia ad salutem necessaria. 26. Hæc evelli jubet zizania scandalorum, errorum, superstitionum: Mihi & Verbo meo contrariantium, qvorum plenus est Mundus. 27. Sed Messis mea propinqvat, ubi sistam Soli cursum, & Lunæ splendorem (qvemadmodum per Apostolos meos nuntiavi) finémqve imponam abominationibus Terræ. 28. Satis autem nunc, ne obliviscaris, serve mi. 29. *Ego verò procidens ad pedes Domini mei, cum gemitu ac timore dixi*: 30. *Ecce me misellam glebam tuam, exilem vermiculum tuum, ó Iehova! aperio coram Te cor meum, & animum meum, & sensus meos, & labia mea, & omnia quæ dedisti mihi: nihil horum meum est, tua sunt omnia.* 31. *Non habeo qvid dicam, nisi qvòd sim Vir polluti labii, erubescens à conspectu* Tuo, *& pavescens te Terribilem*. 32. *Miserere mei, precor, & corrobora me, sicut & illum qvem adjunxisti mihi! ut ne sit in nobis repugnare divinæ & sanctæ voluntati Tuæ*. 33. *Annuntiavi*

tiavi omnia, ficut & ille: ne jam repugnent Gentes voluntati Tuæ, propositóqve Tuo, efficel nos ecce ludibrio sumus apud multos! 34. *Respondit Dominus*: Colligunt sibi offensas juxta ratiocinationes suas: vos estote patientes. 35. Cogitatio etenim tua & aliorum non evestigabit vias meas, qvando, qvid, & cur, ego faciam, neminem consulens, neqve curans qvenqvam: qvia voluntas libera, & justitia æterna, mea est. 36. Contendat mecum aliqvis judiciô: unde faciet initium? ignorans æternitatem viarum mearum. 37. Per qvas cùm habitatores Terræ ducto, eunt ut ebrii titubantes, donec eos deduxero ad horam & dies à me destinatos. 38. Fidelis esto! ecce erubescent genæ illorum, qvi verba mea pro mendacio habebant: amovebuntur de via. 39. Nam annus 380. exit. [*Nempe ab initio exaltationis Domûs Austriacæ, Anno Christi* 1273.] 40. Betulletum dejecit jugum obseqvii de cervice sua: Tu esto qvietus, audiens qvid ego sim facturus. 41. *Et ego laudavi Dominum.*

REVEL. CCXII. 20. Nov.

M*Ane, post preces meas dixit Dominus*: Ne metuas, serve mi: 2. Mox vidi Cæsarem obambulantem, & in judicia Dei inqvirentem: 3. *Cui respondebam admirabundus.*

REVEL. CCXIII. Nov. 22.

[*Videns ad Cæsarem mittendus* 1. *Odium inter Evangelicos*, 3.]

A *Precibus matutinis dixit ad me Dominus*: Coram Cæsare stabis cum Viris honoratis, testimoniúmqve dabis veritati de Voluntate mea ore meo egressa, qvid fieri velim postremis Mundi temporibus. 2. Ne metuas, serve mi, ego ad januam oris tui stabo, téqve qvid respondere debeas, docebo. 3. *Mihi verò cogitare venit* de odio, qvo nos proseqvuntur Lutherani. 4. *Et Dominus*: Ecclesia vestra, simplicitatis illius antiqvæ, qvâ ante Lutherum fuit, nomen habet; rem penè amisit. 5. Lutherani verò nunc rerum potientes aspernuntur Vos: qvi si veritate, qvæ inter Vos est, destituuntur, nihil sunt. 6. Sed ferte eos, dum ad se redeant. 7. Eperesiensibus mitte qvæ cogitas: sint duo illi testes Operis inter Vos mei.

[v. 1. *coram Cæsare*) Coram qvo? non additur. Non Austriaco forsan, sed ejus successoris de qvo Rev. CXCII. v. 5. Fidem facit, qvòd hîc mox subjungitur de Evangelicorum dissidiis & reconciliatione, v. 3. 6.]

REVEL. CCXIV. Nov. 30.

[*Terminus Domûs Austriacæ positus cur prorogetur*. 1. 4. *Videns cum Adjuncto sibi in angustiis sperare jubentur*, 5, 6.]

V*Eniebat in mentem, à matutinis precibus*, Annum 1653. jam transire, tercentesimúmqve & octogesimum transiisse, *nec evenire Domûs Austriacæ*

quod nuntiatum est. 2. *Et respondit Dominus*: Omnia decreta sunt consilio meo, sed exspectare habent tempus suum. 3. Adhuc semel aperire illi oculos qværo (*cæca enim fuit*) num prospicere velit & resipiscere. 4. Nolo enim cujusqvam interitûs culpam in me esse, neqve illius: tu proinde illi etiam auxiliari debebis, donec veniat tempus. 5. *Hic me oppressit somnus*, & vidi me per angustias rupis cujusdam ire: Adjunctus verò mihi in vertice Rupis stans, Librúmqve manu tenens, prælegebat altâ voce circumstantibus. 6. *Et mox evigilanti mihi Dominus*: Rupi securitatis meæ insistit ille.

REVEL. CCXV. Dec. 24.

[*Orientales tergiversantur*, 1. 2. *malò suo*, 3. *Septentrionales laudantur*, 4. *Merces vastantium Meretricem, opes ejus*, 6.]

COgitabam, *à precibus matutinis, pertransire Annum 1653: Orientales autem nihil agere.* 2. *Et Resp. Dominus*: Vertunt se in omnes facies illi, qvibus factus est sermo meus, ut suspectam reddant voluntatem meam: 3. Sed malum videbunt exitum consiliorum suorum. 4. Septentrionales bonum de se spargunt fulgorem: Orientales si nolent intelligere, malè stabunt. 5. Tu cum Adjuncto tuo satisfecistis voluntati meæ: jam taciturni estote, & patientes. 6. Ego mercede conduxi Gentes ad perdendum Meretricem: Merces illorum erunt Opes & bona Meretricis, qvas dividemt inter se. 7. Promovebunt opus hoc etiam seducti ab Antichristo, reducti ad veritatem meam: tametsi non sine perplexitatibus.

REVEL. CCXVI. Dec. 29.

[*Racoci ob inobedientiam rejectus, cujus successor nominatur*, 3. *Principissa* 4. *Domui Austriacæ adhuc offertur gratia*, 5. *Antichristus potentia sua exuendus*, 7. *Videns monetur*. 9.]

CIrca noctis medium facta est vox Domini ad me: Fidelis esto! Annus qvi inchoatur, erit 34. exilii vestri. 2. *Cæsar victus instantia Imperii ad restituendum Vos inclinabit.* 3. Princeps ob inobedientiam rejectus est, alius loco ejus perseqvetur causam meam, Kemeni Janosz: de hac Domo nemo ad eam veniet gloriam qvam habuerunt hi tres. 4. Principissa parùm emendavit mores, qvod illi dies ampliavi. 5. Sed Austriacæ Domui accendetur lucerna Intellectûs, ad percipiendum occultam voluntatem meam, qvi emendantibus vias malas, & resipiscentibus, propitius sum. 6. Hic etiam si resipiscere volet, inveniet gratiam, si destruere juvabit Antichristum. 7. Qvem exuam brevi calceamentis potentiæ suæ, qvâ se super summa etiam Orbis capita extollebat. 8. Habebis à tuo Adjuncto literas, sed qvas nemini communicabis: Convitiatores enim sunt ipsi etiam vestri. 9. Tu animum mitta, cœtúsqve sacros (tametsi nuper ludibriosè habitus) freqventa.

[Ad v. 3. Vide Rev. 226. v. 4. v. 6. Leopoldo Cæsari offertur gratia: sub conditione si destruere juvet Antichristum. Sed abscondita hæc fuit ab oculis eorum.]

ANNO M. DC. LIV.

REVELATIO CCXVII. 1 Januarii.

[*Gentes convocandæ*, 1. *Inobseqviosi puniendi*, 2, 3. *Confusio rerum annô ineunte*, 4.]



Lloqvutus me Dominus, dixit: *Fidelis esto! Congregabo ego Gentes ad exseqvutionem voluntatis meæ.* 2 *Plus non loqvor, nec loqvar, habitatoribus Terræ hujus.* 3 *Opus meum est secundùm justitiam: obseqviosos & emendantes recipio, inobedientes ad pœnas traho, & traham irrisores qvoqve sermonum meorum. Annô hôc mira confusio inundabit Orbem.* 5 Tu curam in me devolve, & omnes qvi fidunt mihi. Vigilate & orate.

REVEL. CCXVIII. 7 Januar.

[*Vas Figuli, Incrassatum cor incredulorum*, 3. *Principi Tr. denunciantur pœnæ*, 6, 7, 8, 9. *Testes exire jubentur, excussô pulvere*, 10. *Nihilqve ampliùs loqvi.* 13.]

VEnerant ab Adjunctô meo, ut prædixerat Dominus, literæ, è qvibus tristitiam & solatia hausi. 2 *Ut verò manè cum lacrymis & gemitu preces peregissem, indormivi subitò*: Et ostendit mihi Dominus vas Figuli, tanqvam Ollam confractam, cujus testas conglutinare tentabam, sed frustra. 3 *Expergefacto mihi dixit Dominus*: Ne mirere serve mi, contumeliâ affici sermones meos! Incrassatum est cor vanis cogitatibus & ratiociniis, & incredulitate, qvi à consiliis esse debebant. 4 Coqvebant tanqvam in olla sermones ab ore meo profectos: remansit tamen illis caro cruda, qvam non concoqvent. 5 A Vobis duobus dilectis testibus meis satis factum est, qvòd eos non celastis consilium meum. 6 Sciat Princeps, proditiones Transylvanorum fore super caput ejus loco Coronæ Regni Hungariæ. 7 Recident enim super eum comminationes meæ, Patri ejus cum obtestatione factæ. 8 Ecce Novacula est in manu mea, eaqve acuta, ad detondendum gloriam Domus Racocianæ! transfereturqve iniqvitas Domûs Austriacæ super domum ejus. 9 Principissa malè impegit, svasionibus suis ad fœdera Polono jungenda: rescindi volet, sed serò. 10 Adjunctus tibi, servus meus, exeat hâc Terrâ *satisfactum ab illo est mihi*; excutiatqve pulverem de pedibus suis. 11 Sed & tu exibis: mihi cura erit Vestri. 12 Zorobabel fuit pater Principis, hic verò Semei est. 13 *Adjuncto scribe, ut hæc nemini revelet*: Nomine meo id obsigna, ut in silentio sit: Date honorem mihi æternùm viventi. 14 *Festina domum (peregrè enim tunc eram) scribe hæc, & ad illum mitte.* 5 *Feci igitur, ut mandatum fuit à Domino meo. Illi gloria!*

[*Exeat hâc Terrâ*) Factum. v. 13. *In silentio sit*) Nempe ad tempus. Postea enim omnia edi jussa sunt, Rev. CCXLII. 7.]

REV. CCXIX. 10 Januar.

[*Consolatio Videntis, & Adjuncti, & Andr. Klob.*]

EXpergefactus tristis orabam, & Dominus ad me: Bonô sis animo serve mi, obvelavi ego te misericordiâ meâ ab illis, qvi te affligunt frustra. 2 Adjunctus implebitur gaudiô super iis, qvæ per te nunciata sunt. 3 Klobucio benedicam, & Domui ejus, propter sinceritatem & confidentiam, qvâ erga illum (Adjunctum) utitur. 4 Cùm illum educam, gaudebitis congredi: tu tantùm memento ut dignè facias opus ad qvod te elegi: meliùs est servire mihi qvàm otiari, ut modò facis tu in gratiam eorum qvi insurrexerunt contra te. 5 *Ego verò cogitabam, qva nuper ad Adjunctum missa fuerunt annon communicaturus esset ea, contra interdictum.* 6 *Dominus verò bis ad me:* Nil metuas, nil metuas, serve mi, omnia rectè habebunt.

[v. 3. *Ergâ Adjunctum utitur*) Utebatur reverà: prudentia tamen sua Politica obstitit, ne per omnia obseqveretur Deo. v. 4. Erat enim Adjuncto istûc iter, fuitqve Drab. restitutus functioni suæ. Vide CCXLIII.]

REV. CCXX. 21 Januar.

[*Morbus Mundi immedicabilis duplex,* Vanitas & Incredulitas. 3. *Videns dimitti orat,* 5. *Et solatiis erigitur,* 6. *&c.*]

A Suspiriis meis matutinis dixit Dominus, *Redormi*, & mox me somnus occupavit. 2 Et vidi perelegantem Eqvum, cui ephippium supersternebam: expergefactusqve momentô, cogitabam Mundi statum præsentem. 3 Et Dominus: *Duo sunt in Mundo qvibus remedium non invenitur, Vanitas & Incredulitas: ista Mundum abducunt, ut ad se redire neqveat.* 4 *Si Princeps opus meum non aget, alium inveniam qvi aget.* 5 Ego itaqve misericordiam exorare cœpi, Illi & mihi, cum lacrymis petens dimitti ex afflictissima sorte hâc: horror enim invaserat me. 6 Dominus verò ad me: *Ne afflictare, patiens & taciturnus esto: Venient dies tui, meô non tuô temporê.* 7 *Exit annus trigesimus qvartus humiliationis Vestra, hôc annô: impletus est calix vester, nondum expleta immanitas Tyranni.* 8 Scribe, & hæc tuâ causâ consigna.

[v. 3. Triste in Germania exemplum: ubi vanitatibus ita dediti Ordines omnes, perqve id incredulitati, ut nullis signis & prodigiis, nullisqve divinis plagis, ut ad se redeant excitari possint. Videatur Kotterus passim. v. 7. *Annus 34. humiliationis Vestra*) Initium humiliationis Evangelicorum in Boh. & Moravia fuit clades Ordinum in Albo monte, Anno 1620: qvibus 34. annis additis prodibit Annus 1654. qvô hæc dicta sunt.]

REV.

REV. CCXXI. 30 Januar.

[*Humana ratio stolidè obluctatur Deo*, 2. *Principissa Transylvania non adornanti subsidia Turcis, comminatio*, 4. 11. *Revelationes hæ publicanda*, 8.]

N*Octe mediâ expergefactus orabam: & incidit cogitare. Non impleri ea qvæ Dominus loqui mandaverat.* 2 *Sed facta est ad me vox Domini mei & Dei mei.* Stolida humana ratio semper impedimenta ponit apud se iis, qvæ consiliô meô decreta mando exseqvenda hominum filiis, phantasiis potius duri cordis sui, & sermonibus meis obluctantis, obseqventibus. 3 Idqve tam diu, qvamdiu longanimitas mea tolerat, etiam in iis, qvibus de voluntate mea per vos sum loqvutus: qvi, si sic pergent, accipient mercedem denunciatam pridèm. 4 O si fuissent obseqvuti, Princepsqve mater Libros meos in usum Turcicæ Gentis adornari curavisset, jam cœpissent aperiri multorum oculi, etiam in aliis gentibus. 5 Sed magis illa sordes avaritiæ suæ, & fimum expensarum æstimat, qvàm pondus mandatorum meorum. 6 Inveniam ego alios, qvi hâc parte servient mihi: Illius verò Domus utinam non deserta fiat vastatione æternâ! 7 *Qvibus ego auditis cogitabam, qvid scriptis hisce futurum esset?* 8 *Et Dominus:* Typis publicabuntur, primùm Latinâ lingvâ, unde alii suas in lingvas transferent; lingvâ autem Vestrâ ultimò. 9 Opus meum qvòd non faciunt habitatores Terræ, scias in occulto nunc ab iis illud cudi: sed non diu tardabunt. 10 Qvia dies à me prædestinati veniunt, ubi & Vos liberabimini: tantummodò mihi confidite, & estote patientes. 11 *Addebat Dominus zelare contra Betulletum, etiam verba* Ierem. 11. v. 14. *usurpans*: Videbis qvid ego sim facturus, si non obedierit. 12 *Sufficiat modò: surge, & hæc scribe pro te! Hallelujah.*

[v. 8 *Typis publicabuntur*) Ecce factum tandem in signum veracitatis Dei! mille licet sese interposuissent obstacula! *Ultimò*) Vide infra Revelat. ultimam DCXIV. (v. 13.) v. 11. Exemplum est effervescentiæ, rursumqve defervescentis iræ Dei, juxta illud Jerem. 18. v. 7, 10.]

REV. CCXXII. 31 Januar.

[*Domus nova, nondum dealbata*, 1, 4. *Vestisqve nova, veteribus disjectis*, 2, 3. *Domus Palatina in Antesignanum causa Dei eligenda*. 5.]

INdormivi ante diluculum, introductusqve fui in Domum novam, conclavibus nondum dealbatis: aderantqve cibi parati, qvos nemo adhuc delibabat. 2 Et interrogatus fui, qvomodo ista placerent; dataqve mihi fuit Vestis pulchra, sed plumis infecta, qvam repurgabam. 3 Aliæ autem vestes, pallia & tunicæ, impuræ, laceræ, lugubres, maculosæ, jacebant hinc inde disjectæ: & evigilavi. 4 Dominus verò ad me: *Domus mea nova ædificatur, sed nondum dealbata est: qvia nondum inter se determinarunt Gentes, qvomodo & unde ædificari & dealbari debeat.* 5 *Domus Palatini Heidelbergensis habet vota: qvia Sveci, Hollandi, Angli, eligere hanc in antesignanum causa mea cogitant.* 6 Qvod

ægrè intellexi: oravi tamen, ut opus hoc succederet celerius, & pro iis qvos in media sibi elegit Dominus. 7 Dominus autem: Consigna hæc, & utere patientiâ & confide: Omnia ego sum facturus, ubi tempus venerit meum.

[v. 6. *Qvod ægrè intellexi*) Innuitur procul dubiò ægrè processurum opus: præsertim ratione Hollandorum, Palatino huic (Regi Sveciæ facto, Revel XLVI. v.27.) diu obsistentium, Vide Revel. XCIX. v.14, 17. (v.7.) Prolongatio adhuc innuitur, cum certitudine tamen eventûs, cùm Dei hora venerit.]

REVEL. CCXXIII. 1. Februarii.

[*Hominibus super propriam rationem sese fundantibus non prodest, tametsi de cælo Deus loqvatur*, 2, 3, 5, 6, 7. *Mariæ fides*, v. 4. *Angeli humilitatis magistri*, 8. *Deo fidendum*, 10.]

Dies jam erat: *ego verò admodum angebar animò, qvòd annus jam decimus currat ab initio sermonum ad me prolatorum, propter qvos contumelias patior.* 2 *Et facta est vox Domini ad me:* Esto vigil & fidelis, serve mi! nihil respectans (ut ne me lædas) hominum judicia, nolentium credere mihi ut faciant voluntatem meam. 3 Seqvuntur enim illi ductum phantasiæ suæ, cum inani ratiocinatione, qvam ego optimè intelligo, qvis, qvando, & qvid, de sermonibus meis cogitet. 4 Maria, cum annuncianti Angelo fidem haberet, contra naturæ cursum vim concipiendi me accepit: non priùs tamen, qvàm cùm plenitudo temporis venisset. 5 Hi autem Vobis testibus meis fidem non habent. sed & qvamvis ipse de cœlo loqverer parum prodesset cordi obstinato, & se super rationem propriam fundanti. 6 Annon Pater meus de cœlo testatus est, me Filium esse suum dilectum? 7 Nolunt illi aliter, qvàm tempora mea temporibus suis metiri, & opus meum ad arbitrium suum disponere: qvod ego in potestate mea, arcanoqve consilio meo, posui. 8 Qvære ex Angelo: Non aliud dicet, qvàm consilia mea, viasqve meas, ab illis qvoqve abscondi, ad tempus mihi notum. 9 Submovi ego de via multos inobseqventes, qvibus denunciâram ut facerent opus meum: ego verò sine illis qvoqve ago, & agam, opera mea. 10 Tu mihi confide, una cum illo qvem adjunxi tibi: qvi submoveat se ab oculis ingratæ hujus Gentis. 11 Mihi cura erit Vestri: Tu interim tacitè utere provisione meâ, venient solatia tua. 12 Surge, scribe hos sermones meos! Qvod feci, insuetatô perfusus gaudiô, cum lacrymis agens gratias Deo.

REVEL. CCXXIV. 2. Febr.

[*Conjectura humana lubrica*, 2. *Filii hominum stolidi*, 6. *Consilia Dei impenetrabilia*, 8. *Poculum æternitatis*, 12, 19. *Liber Sapientiæ Dei*, 14, 21. *Domus Rac. & Aust.* 22. *Videns cum Adjuncto ire jubentur, & qvò*, 24.]

ITerum ad me verbum Domini factum est, diluculô, dicentis: *Omnia verba qvæ tibi unqvàm sum loqvutus, ut hodie in memoria sunt mihi.* 2 *Sed scisnè tu, tempora*

pora mea æterna esse, diversa à temporibus ve-
stris temporariis ! 3 Nam conjectura ve-
stra magnitudinem æternitatis assequi non
possunt : quia æternitas ex me est, & non ex
Vobis ; ex me dico, & non ex Vobis hominibus.
4 Rectè dixit ille : Verbum erat absconditum
ab illis, neqve intelligebant qvæ dicerentur.
5 Bonis erit benè in æternum, malis malè: Ex-
plebit, explebit, explebit mensuram suam
Mundus (ubi nemo nosse vult finem
suum) citò. 6 O Stolidi, & stulti, filii ho-
minum ! qvi juxta rationis dictamina judicia
formare vultis de omnibus ! in meqve trans-
ferre culpam, qvòd sim homo austerus. 7 O-
mnia consvevistis agere secundùm opinionem
cordis, & non secundùm scientiam fundamenti
veræ scientiæ. 8 Bonum esset Vestrûm ali-
qvem, vel unum, penetrare in intima consilio-
rum meorum ; sed ne unus qvidem adhuc fuit
in terra. 9 Mittite igitur de me qviritari,
& de factis Operis mei optimi : sed incusate
Vos ipsos, & facta operis vestri mali. 10
Multa bona egi Vestri causâ : sed exspecto dum
compleatis Vos mali opus vestrum malum. 11
His ego lapideæ tabulæ perdifficiliter
inscriptis, orabam, cùm fletu implorans
misericordiam : simulqve obdormivi.
12 Et vidi me introductum in Concla-
ve, ubi sedebant personæ tres singulares,
habentes in medio vasculum admiran-
dum, ex qvo infundebant in scyphum li-
qvorem purissimum, ebibebantq; singuli
singulos. 13 Ego adstans cogitabam,
Num & mihi essent largituri de potu il-
lo, cùm vasculum adeò esset parvum !
& mox eorum unus infundens in pusil-
lum vitrum, exhibuit mihi. 14 Qvod
qvum ebibissem, dederunt mihi Libel-
lum perelegantem, extra & intus depi-
ctum, cui similem nunqvam vidi : qvô
aperto, qværebam Scripturam aliqvam
concione illustrandam. 15 Ecce au-
tem scriptura ibi nulla fuit ! sed chara-
cteres varii, aurô fulgentes, odoremqve
fragrantissimum de se spargentes. 16
Mox autem evigilanti mihi venit in
mentem illud Apostoli (1. Tim. 3. 16.)
Manifestè magnum est pietatis mysterium, &c.
17 Et facta est ad me vox Domini :
Serve mi, etiam tua memoria labilis est,
operosè tecum ago, sermones tamen mei mox
vanescunt apud te. 18 Qvod ego, ad
pedes Domini prolapsus, humiliter fas-
sus sum, qvestus debilitatem qvâ circum-
damur habitantes in terra, ut sine ope il-
lius nihil qveamus. 19 Dominus au-
tem perrexit : Vidisti nos, personas tres,
bibentes de vasculo Æternitatis. 20 Dedi-
musqve ad bibendum tibi qvoqve, participanti
Animâ de æternitate : qvæ verba gaudium
& lacrymas mihi excusserunt. 21 Vidisti
& Librum Operum nostrorum, Sapientiæ æ-
ternæ, de qva sapientia Vos inclusi tempori nihil
intelligitis, donec transferemini in lucem inac-
cessam. 22 Serve mi, Domus Betulleti, sicut
& Domus Austriaca, festinant ad finem suum.
23 Adjunctus abducere te secum cogitat [in
Poloniam]: sed exspecta dum congrediamini,
in loco quem ostendero. 24 Eat ille Septentri-
onem, tu Meridiem versus : sed convenietis ad
portam Templi mei. 25 Surge, adi cœ-
tum sacrum : reversusqve ista scribe, &c.

[v. 24. Ad portam templi mei) Exponitur hoc Revelatione CCXXXIII. v. 10.]

REVEL. CCXXV. 7. Febr.

[*Videntis pro Principe Rac. preces,* 4. *Promissio de fulgore à Septentrione venturo,* 5. *Bos gramen mavult, quàm aurum,* 7. *Germania concipit odium in Domum A.* 9. *Acetum odii diffundendum in domo Rac.* 10.]

A Solis ortu horâ secundâ indormivi (æger enim decumbebam) somniabamqve me concionem habere de Providentia Operum Dei, *qvomodo ex illo, per illum, & in illum veniant omnia: idqve tantâ contentione, ut expergefierem.* 2 *Dominus autem cœpit mihi loqvi admiranda, qvibus capiendis nec intellectus meus sufficiebat, nec memoria.* 3 *Tandem dixit:* Me solum time serve mi, neqve movere malitiâ Mundi, eorumqve qvibus ingrata fuit, & est, vox mea. 4 *Ego verò cœpi orare pro Betulleto (pro qvo preces fundi jam prohibuerat Dominus Revelatione* CCXXI. 11.) *prætendens infirmitatem naturæ humanæ.* 5 *Et respondit Dominus:* Si non profuerit illi fulgor à Septentrione, qvô illum collustrare volet Corona Sveciæ, suffragatio tua non juvabit. 6 Ecce vanæ illius, & consiliariorum, rationes, similes sunt ratiocinationi brutorum & jumentorum! 7 Ostende tu Bovi Aurum pretiosissimum, & argentum purissimum, intuitu eas contemnet præ vili herba & gramine, qvâ pasci gaudet: ita sunt qvi terrenas suas ratiocinationes seqvuntur, ad se, non ad me, conversi. 8 Ecce Occidentales plus jam intelligent: qvare istuc festinet Adjunctus, ibi locum inveniet consilium meum. 9 Jam enim tota Germania odium concepit Domûs Austriacæ, deprehensâ illius perfidiâ. 10 Princeps Racoci si voluntati meæ resistere perget, Ego velut acetum diffundam Odia suorum contra eum: Tu mihi confide! 11 *Ego verò denuò ardentissimè oravi pro Principe.* 12 *Et Dominus:* Surge, ista scribe, vigila, ora.

[*v. 5. Fulgor à Septentrione*) Venit is biennio pòst, Racociumqve ut se Svecis jungeret permovit: sed in Polonia, Intentioneqve divinæ intentioni planè contrariâ; ut hic seqvetur Rev. CCXXVIII. 11. & alibi.]

REV. CCXXVI. 9. Febr.

[*Lanetius cum donis,* 1, 3. *Veternus Mundi,* 2. *Kem. J.* 4. *Ferd. de solio cadit, tanqvam Eli,* 5. *Nationes cum flagellis ferreis ad flagellandum Terras ejus,* 6. *Videnti cum Adjuncto labores promittuntur,* 7. Polonia vastanda primò, 8. *Pr. Radzivilius,* 9.]

PEractis matutinis suspiriis, redormivi: vidiqve Patrem Lanecium distribuentem inter nos munuscula, nescia qvalia, obvoluta enim erant. 2 *Expergefacto dixit Dominus:* Veternosus Mundus non vult agnoscere (*appropinqvantem*) terminum suum. 3 Ostendi tibi Lanetium dilargientem: fiet per Adjunctum, qvem solicitationibus distrahunt ac turbant, de qvo ad te scribit [*Accepi eâdem die.*] 4 Kemeni Janoss intellexit aliqvid de voluntate mea: ille aget causam meam Betulleti locô. 5 Germania consiliis suis subvertet solium cui insidet Ferd: de qvo ille lapsus cervicem franget, & gloria ejus, sicuti factum est Eli. 6 Ecce Nationes veniunt

veniunt cum flagellis ferreis, ad flagellandum terras Domus Austriacæ: Væ illic Idololatris! 7 Tu exspecta solatia tua, qvæ appropinqvant: & corroborare ad labores, in qvibus opera Tuâ, & Adjuncti, decrevi uti in præsentibus Mundi procellis, qvibus ignis iræ meæ veniet super omnes Nationes terræ. 8 Primùm autem super Polonos, gentem insensatam, dolosam & nasutam: ante alias Gentes in desertum convertentur. 9 Radzivilius diluvium hoc sistere laborabit, sed non poterit, &c.

[v. 4.) Vide Annot. ad CXXXII. Promotus sanè fuit ut Racocii successor fieret, anno 1662: sed qvia vestigiis insistebat Raciocianis similem invenit exitum, cladem & interitum.]

Rev. CCXXVII. 20. Febr.

[*Hungari operis divini socordes, 1. Adjuncti operâ ad alia utuntur, qvàm ob qva ad sese missus fuit. 2. Videns itineri se parare jubetur, 3.*]

D*iluculò dixit ad me Dominus*: Serve mi, in res à me tibi manifestatas nihil inqvirunt propinqvi. 2 Opus Adjuncti qvod pro ipsis facit, placet eis: qvod autem pro me agit, id non attendunt, obsolescit illis, nosse nolunt. 3 Tu itineri te para, qvod tibi instat: sed attende tibi.

Rev. CCXXVIII. 22. Febr.

[*Benignitas Dei adversus Nationes Terræ in furorem vertitur*, 2. Primumqve adversus Polonos, 6, 13. *Gentes infideles attonita qværent salutem*, 7, 8. *Antichristus*, 9. *Betulleto facta dehortatio*, 11, 12. *Væ super Polonos*, 13.]

A*B hora undecima, cùm orare cessassem, dixit ad me Dominus*: *Scribe*, *qvod tibi nunc loqvar*. 2 Ecce ego jam judico gentes Mundi, & Ecclesiæ, variasqve illorum contra me blasphemias: qvas de se non eluent, nisi ego illis vestem superstitionum & Idololatriæ detraxero. 3 Nam video frustra cum eis laborem sumi: Benignitas mea nihil in eis proficit, vis & diritas adhibenda est. 4 Severè id fero, qvod vim adhibere cogar, qvalem non adhibui à temporibus Noæ, præconis justitiæ. 5 Ecce tot seculis inclamabam Vos, ó Nationes, per testes meos, ab Apostolis ad hunc usqve diem! ponens in eorum ore testimonium voluntatis meæ, judiciorumqve per Legem, Prophetas, Evangelistas & Apostolos denunciatorum: sed in cassum apud pleróſqve. 6 Ecce igitur ego vobis omnibus judicii diem denuntiabo, denuntio, & denuntiavi nunc jam: ad perpurgandum Vos primùm ò Natio Polona, & Kosaci, in exemplum infidelibus Gentibus. 7 Qvæ si expavescent me, qværent ex Vobis testibus meis, qvi Legem meam sanctam habetis in manu, consilium salutis. 8 Qvod illis dabitis, ostensô illis Salvatore animarum suarum: portabuntqve illi qvoqve jugum meum diebus suis, sicuti portárunt majores Vestri diebus suis, usqve ad dies seductionis per Antichristum factæ. 9 Non intellexit Antichristus, cùm per multa secula trucidaret Cultores meos, qvid de se, exituqve suo, decretum sit apud me, cùm alibi tùm in hac Terra. 10 Idcircò desi-

desinite malè facere, & discite benè fa-
cere! Vos etiam qvibus hac in Gente
voluntatem detexi meam, ut benè sit
Vobis & posteris Vestris. 11 Betulle-
tum affectat Regnum Poloniæ: sed
qvàm bonum illi esset me seqvi, & meâ
acqviescere gratiâ. 12 Nisi adhuc obe-
dierit mihi, asseqvetur hoc, ut Mundo
statuatur in exemplum. 13 Væ, væ
Polonis & Kosacis! alienæ gentes devo-
rabunt eos: hôc anno incipit eos asse-
qvi decretorium judicium meum, sicut
& domum Austriacam. 14 Tu tibi at-
tende, signúmqve in manu gesta, sicut
mandavi, tuo bonô. 15 *Ego verò lauda-
bam Deum, decantatô 67 Psalmô.*

[v. 11. *Regnum Poloniæ*) Affectandi illius occasionem dederant ipsimet Poloni, Racociis coronam tùm à Wladislai morte, tùm postea (iteratis etiam legationibus) offerentes. Qvod summatim (ut ex ore Sigismundi accepi) memorabo: ut qvantò tutius sit pia divina seqvi consilia, præ humanis, documento esse possit. Mortuô Wladislao (anno 1648) venit secretus qvidam Legatus in Transylvaniam, à Palatinis XII & Episcopis VIII missus, animum Principis pertentaturus, *Si electio se petat, aut Filium, an acceptare vellent?* Addebat tamen: *Te Princeps vellemus, consiliis & pectore firmum. Sed quia ætas provectior vitæ diuturnitatem non promittit, nostræ autem Reip. sæpè Dominum mutare non expedit, patere ut Filium eligamus.* Non abnuente illô, perrexit hic: *Primogenitus Tuus, Georgius, uxoratus jam est; nos autem futuro Regi cum Regno Reginam tradere nostram vellemus: quam proinde felicitatem juniori Tuo filio, Sigismundo, Cælibi adhuc, optamus. Præsertim cum Georgius jam in Trans. Principem electus; & ab Imperatore Turcarum confirmatus, sit: nobis autem Regem habere Vasallum Turcicum inconveniens &c.* Impetratô hoc etiam intulit: *Sed Regni Catholici Regem Catholicum esse convenit, sperabimusne?* Princeps: *Propter Regni spem mutare Religionem, satisne rationabile?* Legatus: *Non jam hoc requirimus, sed ubi Rex fuerit.* Princeps: *Inter terrenum & cœleste Regnum qua proportio? annon enim Religionem propter cœlestia Regna colimus, ut quisque intra se persuasus est? Præterea, si ille propter hæc externa conscientiæ suæ vim inferret, quam Vos de eo fiduciam habere poteritis, servaturum Vobis fidem qui eam Deo non servavit? Conscientiarum enim regnum Dei est. Tandem, quia Conscientiæ libertas cuivis Reip. Vestræ membro conceditur, cur non Capiti ipsi? Solumnè illum qui tutandis libertatibus eligitur, & juramentô obstringitur, extra libertatis terminos poni?* Obmutuit ad hæc Legatus, nihil se in sua instructione habere dictans, qvod qvæstionem hanc solvere posset: abiturum se, & rediturum. Rediit etiam, indulgentiam afferens cum conditione hac, ut Catholicis tamen debitam prærogativam & juret & servet. Atqve ita fuit ea de re conventum. Cæterùm qvum in Procerum Convocatione de Trans. Principis obitu fama advolasset (& qvidem pridie Electionis cùm jam novam instructionem Successore Principe habere non possent legati Transylvanici) eô ventum est ut Principi sangvinis Joh. Casimiro nemo exterorum præferri posset. Idem tamen legatus ad Sigismundum missus sperare illum jubebat: eô qvòd electus Rex parum vivax credatur. Qvod tametsi dicis ergò dici suspicari proclive fuit, Sigismundo tamen, & post ejus fata Georgio fratri, hæc spes & hoc desiderium eximi non potuerunt: malebant illi oracula habere suspecta, fatisqve reluctari, qvàm à vanè conceptâ spe recedere. Qvod hîc v. 13 additur, *Hôc anno*) ita fuit, Mosco ingenti Exercitu in Lithvaniam effuso, omniáqve subjugante. *Sicut & Domum Austriacam*) Factum, exstinctô Ferdinandô IV. designatô Romanorum Rege. V. Rev. CCLI.]

REVEL. CCXXIX. 23. Febr.

[*Visio dirutæ Domûs, Arcæqve sepulchralis, Domûs Austriacæ ruinam nuntiat, 2, &c. Nationes ad opus Dei invitantur, 13. 15. Gladius Dei, & Sagittæ, jam non resilient, 16. Nihil superest, quàm ut agatur Opus Dei seriò, 18, &c.*

*ITerum ad me factum est Verbum Domini,
cùm post matutinas preces redormiissem.*
2 *Videbar mihi disponere ædificium novæ Do-
mûs: quia vetus diruta erat.* 3 *Et posita
fuit ante me* Arca sepulchralis, *seu loculus
quô condi solent mortui: ad quam adven-
tantes multi quærebant, cujusnam esset?
nam claves ab illa mihi erant traditæ.* 4 *Ut
evigi-*

evigilavi (Jamqve dies fuit) audivi vocem Domini: ô Domus Austriaca, ô Domus Austriaca! 5 *Quâ ego auditâ, recogitabam & somnium & verba illa.* 6 *Dominus verò post benè longam moram iterum*: Domus Austriaca, Domus Austriaca, jam venit ruina tua, de qva dudum tibi sum loqvutus, serve mi. 7 *His ego auditis cogitabam, Num de Cæsaris morte loqveretur Dominus, cùm arcam sepulchralem vidissem, clavesqve illius accepissem.* 8 *Dominus autem*: Non de morte illius loqvor, sed de exitu dominationis ejus. 9 Nam ecce hodie, hodie, decretum est in Nationibus, cum Imperii Ordinibus, ut dejiciatur de suo Dominatu, Imperiiqve Romani fastigio. 10 Ecce jam decidit Corona de capite ejus! ecce jam Rosæ deliciarum ejus recesserunt! ecce dulcedo nectaris ejus, & olei, in venenum & absinthium abierunt! 11 Væ, væ Vobis etiam, qvi falsô & vanis pollicitationibus thronum ejus fulciebatis, sine misericordia & veritate: advenit finis versutiis vestris, non invenietur qvi opem ferat. 12 Obseravi ego sigillum septimum, & obsignavi annulô meô, ut aliter fieri neqveat. 13 Qvapropter ô Vos Testes mei, invitate jam, invitate Nationes Terræ, ad diem & horam Operis mei magni & terribilis, ultionum de Idololatris sumendarum. 14 *Hucusqve cùm esset ventum, verti Tabulam in alterum latus, cogitans an porrò aliqvid essem scripturus: & Dominus*, Totum implebis *(hoc etiam latus)* scribe. 15 Ecqvis vestrûm fidissimus mihi est inter filios Romani Imperii, & Ecclesiæ meæ, sponsæ meæ charissimæ? Tolle manum & percute columnam Domûs illius, ad evertendum eam. 16 Domum dico Meretricis, sedentis super Bestiam, ebriæ sangvinæ sanctorum: nihil jam metuens, ne resiliat Gladius, aut revertatur Sagitta. 17 Hærescent jam judicia mea in Columna ista: contra qvam rugitum edidi, audieturqve in Occasum usqve vox hæc. 18 O tu Orientalis, noveris voces vindictam clamantium contra scelera Terræ hujus, Idololatrarum, venisse ad me nunc: qvis jam Vestrûm non videt, longanimitate meâ nihil profici? 19 Exi, exi, ô Gladie! discute fastum Babylonis! disjice turres ejus! 20 Convellite radices, super qvas Abominatio stabat! nam dies meus jam advenit. 21 Væ Vobis, si non auscultaveritis mihi, omnia in promptu habenti in auxilium Vestrum! 22 Nihil Vos, qvomodo res processura sit, intelligitis: intelligetis autem simul atqve opus meum inchoaveritis. 23 Incipite igitur citò ac velociter, velociter dico: hic enim Vobis fuit obex in via, qvòd diem & horam exspectabatis, nescii qvando ventura esset. 24 Et qvis autem alius Vobis eam indicare potuit præter me? qvia Omnia sub potestate habens mea, tempora formo rebus omnibus, finesqve præstituo qvos dimovere nulla res potest. 25 O filii hominum, jam mihi non convenit spectando tolerare pravitates illas, qvæ sub Arbore hac procrescendo, ad nubes usqve assurgebant meas. 26 Accipient, jam accipient, duplam mercedem de manu mea exsecrandi Idololatræ: Vos autem cognoscentes Nomen meum (qvod agnoscere non poterant, propter tenebras superstitionum Antichristianarum, Gentes infideles) lætificabimini. 27 Tu igitur serve mi scias certò, non inanes fuisse, & fore, sermones meos: neqve tuam & Adjuncti, tibi

mihiqve dilecti, operam. Vigila & ora! 28 *Qvod feci, multo cum fletu: reversusqve in lectulum decantabam Psalmum vigesimum.*

REV. CCXXX. 24 Febr.

[*Polonia primùm ardebit*, 1. *Videntis pro ea preces*, 2. *Promissio seni facta de non videnda prius morte, qvàm post mutationem rerum*, 3.]

DIes jam erat, cùm post preces meas Dominus diceret: *Molarem lapidem appendi collo Poloniæ, ut Terram illam cum habitatoribus suis projiciam in profundum maris Ira mea: qvæ jam ardet contra gentem istam. Para hæc.* 2 Et oravi pro iis qvos ibi habet Deus, veros cultores suos. 3 Dominus verò aliqvantò pòst: *Vivo ego, non exiturum te Mundo, nisi priùs reparatam videris in Gentibus gloriam meam.* 4 Qvod ego cum gaudio & timore excepi, Simeonisqve recordatus, exclamavi: *Misericors Pater, Omnipotens Creator*, &c. (hymnus est Ecclesiasticus.)

REV. CCXXXI. 26 Febr.

[*Visiones svavissima trium personarum æqvalium*, 2. *Adjuncti*, 3. *Beatorum qvorundam*, 4. *Matris Ecclesiæ*, 6, 13. *Tempora Dei velocissimè currunt*, 7. *Subsidia Videnti*, 8. *Hungaria populis implenda*. 9. *Adjunctus in Poloniam*. 11. 12.]

ITerum Vox Domini facta est ad me, post præmissam (diluculi tempore) Visionem singularem. 2 Vidi personas tres per omnia sibi similes, staturâ, vultu, habitu: & circa illas alios mihi notos, ut Henricum Evanovicium, Joh. Chodnicium, &c. 3 Inter qvos & Adjunctus meus, facie lætâ, qvem osculò excepi, & ille me: Illi verò tres abierunt nobis è conspectu. 4 Et conspexi sedes pulcherrimas, amœnitatis plenas; qvibus insidebant Viri fæminæqve formá insigni, tacitè, manus habentes complicatas: qvò ego visò, meas etiam composui manus. 5 Illi ergò me submissè alloqvuti, sed svaviter, & admodum penetranter, dixerunt: *Rectè faciunt, qui nobiscum ita faciunt, nobiscum solamen accipient.* 6 Rursum vidi Mulierem, sinu gestantem puerulum formosum: qvem exemplò Patris ibidem adstantis, osculatus sum. 7 Tandem evigilavi, & Dominus ad me: *Ingenti velocitate currunt tempora mea, hora horam premit, & dies diem: nam pondus judiciorum meorum jam exiit.* 8 *Tibi subsidii parum veniet Eperesinò, plus è campis Radzivilianis: desiderabit te videre, & ibis, si jussero.* 9 *Volvunt se agmina super hanc Terram, ut iis campi futuri sint angusti: etiam ex Polonia contrudent se hùc multi.* 10 *Habitatorum Terræ hujus multi consilium reqvirent à Principe, contra inqvietare volentes Terram hanc.* 11 Ego verò cogitare cœpi, *An adjunctus esset iturus in Poloniam illam procellam?* & Dominus: *Ibit, & protectio mea cum illo.* 12 *Ibi ille promovebit vocem Tubæ meæ ad Gentes Orbis: ego verò illum pòst deducam, qvò decrevi.* 13 *Vidisti Matrem Ecclesiam, gremiò complectentem Vos filios suos.* 14 *Jam verò surge, & hæc illicò scribe, precum & jejunii memor.*

REV.

REV. CCXXXII. 7 Martii.

[*Assentatores Domûs Austriacæ abscindendi*, 2. *Videns eventum visurus*, 3. *Mundus mortuus sepeliendus*, 4. *Nuptiæ*, 5. *Pisces transmarini*, 6. *Schola, & liber Iudiciorum Dei*, 8, 9. *Videnti labores imponuntur ardui*, 11. *&c. Mundus qvid fiat non intelligit*, 14. *Ordo instituendus per totum Orbem unus*, 15, 16, 17.]

I*Nter matutinas preces indormivi, & mox evigilavi: & Dominus ad me*, Fidelis ego ero in sermonibus meis. 2 Nam abscindentur à Domo Austriaca loqventes mendacium, in die ultionis qvæ sese volvit. 3 *Iterum Dominus*; Finem apud me invenerunt labores tui, serve mi: à qvibus tu non eximeris, nisi postqvam evenerint omnia de qvibus tibi dudum est loqvutum os meum. 4 Ecce ostendi tibi funus, & exseqvias, mortui Mundi, cum mortuis erga me Creatorem habitatoribus suis. 5 Ostendi tibi & Nuptias, qvarum dapes paucissimi delibabant & edebant, vix è millenis aliqvi: qvod ad tempus à me determinatum erat, ut videndo non viderent, & audiendo non intelligerent, destituti luce Legis meæ. 6 Vidisti & Pisces, parvos & magnos: qvorum unus capite gestabat Insignia Domûs Aust. ex concreta sangvinea massa, qvæ in ejusdem Piscis capite evanuerunt. 7 Transmarini Populi ut pisces venient, potentiamqve & gloriam Domûs Aust. auferent, & disjicient. 8 Vidisti Scholam, & in ea sedentem Adjunctum tibi, Librumqve ab illo tibi datum; qvem legisti, sed scripturam ejus variam non intellexisti. 9 Erat is Liber Iudiciorum meorum, qvem postremis hisce Mundi temporibus nemo habuit, præter Vos duos. 10 Vidisti & personam ejus, videbisqve brevi: modò mihi fidelis & obseqviosus esto, in toto hoc opere mandatorum meorum. 11 Nihil eorum sit in oblivione apud te, qvæ tibi unqvam loqvutus sum, omnia sint in promptu! & fac qvicqvid mandavi de Domo Rac. & habitatoribus Terræ hujus. 12 Sic enim faciendo voluntatem meam obstrues os imprudentium: nihil faciendo ut alicui ægrè fiat, omnia juxta mandatum meum. 13 Imponam ego tibi magnos labores & arduos, qvales tua in Gente nemo sustinuit unqvam: ut nomini meo tandem honorem dent etiam literatissimi. 14 Iacent multi velut mortui adhucdum, ignari penitus qvid in Mundo, & cur, à me fiat: sed cùm ceciderint ab oculis eorum sqvamæ, videbunt me judicium meum inchoare cum Nationibus Terræ. 15 In qvibus glorificari volo, per revelationem illis lucidi Operis mei, & manifestationem mandati de constituendo Ordine (*rerum*) uno, per universum Orbem. 16 De qvo interrogabunt Vos duos, Testes mei: Vos autem non respondebitis aliter, qvàm qvomodo ego per te sum loqvutus, & loqvor, propter Vos ó Nationes. 17 Nam ex Vobis, ut ex Vobis ipsis, nihil est: omnia ex Me. 18 *Satis nunc, surge scribe, &c.*

[v. 15. & 16. Videatur Revelatio XCIX. CLXIII. CCLXI.]

REV. CCXXXIII. 19. Martii.

[*Visio templi, Frugum, Mulieris parturientis,* 1. *Videns increpatur quòd non omnia revelata consignet,* 2. *restituendus officio suo,* 3. *Arbor evertenda,* 4. *Princ. Transf.* 6, 7. *Exercitus Orientalis quorsum ire, & qvid exseqvi, debeat,* 8. *Indicium vallis Josaphati Ulmæ,* 9. *ad finem.*]

O*Stendit mihi per nocturnam visionem Dominus* Templum, *& in eo* Suggestum, *unde habebam concionem: ostendit &* Campum cum maturis frugibus; *&* Mulierem parturientem; *&* Virum *habitu Germanicô decorô, cum qvo ego (habitu Theologicô vestitus) de rebus arduis conferebam.* 2 *Ut verò evigilavi, dixit Dominus:* Ingratè fero, qvòd non consignasti qvæ tibi præteritis diebus loqvutus sum. (3 *Fuerat autem loqvutus hoc etiam:* Recordatum esse misericordiæ suæ, promissionumqve, mihi etiam factarum, de restituendo mihi Pastorali munere: qvam rem Adjunctum esse promoturum.) 4 Ecce vox ab Oriente ad Occasum, & à Septentrione in Meridiem! ut exeant & evertant Arborem, de qva ego dudum loqvutus sum Vobis servi mei dilecti, & testes ad Nationes Terræ. 5 *Dicito tu jam:* Vidi impium superexaltatum, tanqvam virescentem Arborem! & ecce transivit, & non fuit: excisa enim est Domus Aust. 6 Princeps & Principissa mirè fluctuant, & se torqvent: qvid faciendum sit qværent viam. 7 Si parturire incipient, benedices illis, & facies qvod mandavi cum Adjuncto, etiam Posonii: omnia cum precibus, tanqvam Viri Dei, facite. 8 Ad Viennam festinando festinet Orientalis Exercitus! Trucidate Idololatras, dejicite Idola, exurite Delubra & Domos sacrificorum! 9 Judicium incipiat à Domo Austriaca, ad evertendam eam! incipiet autem non in valle Josaphat, sed Ulmæ, hodie de initio audies. [*Allatus eâdem die fuit rumor de conventu Electorum apud Saxonem, ad consilia capiendum qvid agendum esset, cùm Cæsar nihil seriò, qva ad Pacem firmandam essent, vellet.*] 10 Et tu ibis Ulmam: ibi enim erit Templum illud de qvo Tibi dixi (2. *Feb.*) vos conventuros ad portam Templi mei. 11 Hic erit campus Iesreel, ubi judiciò condemnabitur Domus A. ab ordine Baronum, Eqvestri, & Civitatibus. 12 Ubi etiam sancietur, ut Ecclesiasticæ personæ ne utantur Gladiô seculari, sed spirituali, neqve dominentur Regionibus Terræ. 13 Eôqve modô Ecclesiastici Viri ministri sint, non Domini, conscientiarum, exemplô meô: qvi cùm sim Rex Regum, & Dominus Dominantium, servus tamen eram fratrum. 14 Ibi qvoqve Vos duo denuntiabitis congregatis illis Voluntatem meam, qvam tibi jam declaravi: qvid per Nationes Terræ constitui deberet, ut observent Reges, Domini, Ecclesiæ Ministri, & Subditi, juxta determinationem Legis meæ. 15 Benè tibi sit, serve mi: scribe hæc, & protectio mea tecum erit. 16 *Ego igitur laudabam nomen Domini, decantans cum lacrymis Psalmum 90 totum.*

Rev. CCXXXIV. 27. Martii.

[*Videns ad Pr. Radzivilium mittitur*, 1, 3. *Regnum Poloniæ & Svec* 3,4,5. *Nuptiæ Ecclesiæ*, 6 *Aqvæ turbidæ super Hung.* 7 *Calculatio numerorum*, 9. *Promissio videnti*, 14. *Indormire jubetur & non potest*, 15. *Vigilanti ergò res novæ ostenduntur*, 17. *Ad Occidentem*, 18. *Meridiem*, 20. *Septentrionem*, 23. *Orientem*, 24. *Moravia, Silesia, Bohemia, cuncessura*, 26. *Germania*, 30]

DEnuò factum est ad me Verbum Domini, diluculò, dicentis: 2 *Serve mi, ostendi tibi per somnum munus tuum, ad qvod te vocavi: ostendi & pontes per qvos ivisti, & ibu cùm te misero illuc, qvò decrevi.* 3 *Nam à Radzivilio vocaberis, interrogaberisqve, Ad qvem Regnum Pol. pertineat?* 4 *Qvòd si contabitur sincerè fidenter ac humiliter, dices: Jehova dixit, TIBI, in pensationem qvòd per Patrem tuum receperis propulsos meos.* 5 *Sed dabis partem terræ Regni Pol. in pensationem fidelitatis ergâ me Coronæ Sveticæ.* 6 *Etiam tibi ostendi Nuptias, & voces latantium, ubi & tu accinebas Psalmum* 128: *qvod brevi fiet, ut intersis, & lateris, in nuptiis Sponsæ meæ Ecclesiæ.* 7 *Vidisti & aqvas turbidas: ecce aqva iræ meæ impetu venient super hanc Terram, & venient citò! ubi & Vos in terrore eritis, qvia ecce tempora horarum mearum jam defluunt!* 8 Cæpi igitur orare, protectionem & misericordiam implorans: ubi Dominus, *Indormi denuò.* 9 Et momentò indormiens, vidi me cum multis, notis & ignotis mihi, rationes conferre dividendo: & conveniebat calculus exactè, ut mirarentur præsentes. 10 Aderat verò Adjunctus mihi etiam, qvem testem advocabam, numerata esse omnia rectè: qvi vultu hilari attestabatur. 11 Ut evigilavi, dixit Dominus: *Conveniunt numeri temporum meorum cum sermonibus, qvos tibi loqvutus sum: inveniétqve idem qvisqvis eos contulerit cum sermonibus, qvos unqvam de ultimis Mundi temporibus protuli.* 12 *Nec enim aberrabit decretum meum :- de qvo brevi cognosces ex Adjuncto.* 13 Ego igitur ardenter oravi ut propitius esset mihi, ostensô signô gratiæ in reddendis mihi promissionibus factis: contestans cum Petro, *Tu Domine nosti qvàm te diligam.* 14 Et Dominus: *Confide fili, & dabitur tibi signum qvod promisi*, S. NB. 15 *Gesta & tu signum meum, jam in utraqve manu: vinumqve ne bibas cum qvolibet nunc, atqve indormi adhuc.* 16 Ego verò indormire, utut vellem, non potui, plenus cogitationum; & qvia septima jam sonuerat. 17 Iterum Dominus: *Vel ergò vigilanti tibi ostendam, qvod per somnium volui: converte te ad Occasum!* 18 Et converti me. Dominus verò: *Ludum ludunt Occidentales, similem illi ubi Coni dejectantur globô.* 19 Et vidi qvomodo nudatis brachiis globos adversùs sese ejectabant, & se invicem prosternebant, & in sangvine occisorum sese volutabant, Eqvisqve in eo grassabantur. Et Dominus, *Ita secum ipsis agunt, & agent, qvos adversùs invicem concitavi.* 20 Iterum dixit Dominus: *Respice ad Meridiem, ubi Edom habitat.* 21 Et vidi vasis infundi turbidissimum vinum, potúmqve flammantem ignis instar, amarum, qvem qvi biberant, cadebant mortui. 22 De qvibus Dominus: *Sic ego Idololatras potionabo venenô iræ meæ, ut pereant de Terra.* 23 Iterum dixit Dominus, *Respice ad Septentrionem!*

Et ecce multitudo Exercituum veniebat: inter qvos ibant Viri graves, ferentes manibus suis faces & candelas, de qvibus Dominus; *His ego ad illuminandum gentes uti volo.* 24 Tandem dixit, *Respice ad Orientem qvoqve!* Et vidi tanqvam volventes aqvas Exercitus, indutos loricis & cassidis, velociter ac rapidè, *Posonium & Viennam* versùs festinantibus, ante qvos cadebant Domus & Templa magna, igne exusta. 25 Et Dominus: *Sic, sic exurantur & diruantur Domus Idololatrarum, in tota hac Terra.* 26 Ego attonitus orare cœpi, & cogitare, qvid nobis futurum sit, qvum hæc fient. 27 Et Dominus dixit: *Cadent compedes de pedibus Vestris, viáqve patefiet redeundi in patriam:* 28 *Cujus Dominus erit Elector Brandeburgicus, sicut & Silesia: Bohemia autem Rex Elector Saxoniæ.* 29 Ubi ego Heidelbergensem cogitabam, Friderici filium: & Dominus, *Insincerè se gessit Ratisbonæ, relinqvetur.* 30 *Nam Corona Sveciæ protectioni erit Germaniæ, cui pro præstita fide Germani tributa dabunt.* 31 Qvibus ego cum admiratione & gaudio auditis, cogitare cœpi Adjunctum meum, qvòd ab illo nihil acciperem literarum. 32 Dominus autem: *Non tardabit ille, accipies ab illo computum sermonum meorum, cum illis qvæ in Mundo fiunt.* 33 *Surge jam, & scribe qvæ audivisti & vidisti.* 34 Ego verò cogitabam, An omnia hæc meminisse potero: Dominus autem, *Memineris.* 35 Et veniebant mihi in mentem versiculi (ex hymno Ecclesiastico): *Qvæ Deus olim decrevit arcano consilio suo,* &c. 36 Et Dominus iterum: *Surge, scribe, protectio mea tecum sit.* 37 Surrexi igitur, & hæc scripsi, juxta mandatum: Hallelujah.

[v. 3. Non facta fuit vocatio personæ Videntis, sed Revelationes hæ postulatæ (per ejus in Transylv. Legatum) & ex parte communicatæ: qvibus illum non habuisse fidem, innuitur infrà CCCLXII.4. v.19.) Atterebant se per id tempus validis mutuis cladibus Hispani cum Gallis, ad Atrebatum, & in Catalonia. v. 28, 29.) Contrarium comminationi huic promissum fuit ante septennium, Revel. XXXIX. 3. An ergò decretum Dei mutatur? Videatur 1 Sam. 13. v. 13, 14. & cap. 15, v. 11. & 1.Reg. 11. v. 11. & Psal. 89. v. 4, 21, 29, 30, 36, 39, 40. Vide & mox hîc Rev. CCXXXVI. 12, 13, 14, & CCXLIV, 24, 25, 26. Qvanta hæc affectuum Dei ergà nos (si hæc verè divina sunt) reciprocatio! Non fortè tamen in se (Deus enim non est homo, qvem pœniteat) sed respectu nostri: ut timeamus illum apud qvem misericordia & ira citò proximant, & in peccatores ira ejus parata semper, Eccles. 3. v. 13. & Eccluf. 5, v.7.]

REV. CCXXXV. 16. Aprilis.

[*Solatia videnti,* 2, 14, 15. *Gentes se ad exseqvutionem judicorum Dei disponunt,* 4. *Adjunctus exire jubetur, serò ab ingratis reqvirendus,* 6, 7. *Comminatio facta ingratis,* 8, 10. *Christi Divinitas, & honor,* 12, 13.]

I*Terum ad me factum est Verbum Domini, post matutinas preces.* 2 Ne tristare serve mi, fidus esto: invenient finem suum sermones mei, sicut invenerunt antiqvorum testium meorum, qvanqvam non omnia ipsis vivis. 3 Detrahunt tibi honoris indumenta multi, noti & propinqvi: sed manebit tibi apud longinqvos. 4 Nam instant alii aliis, ut exseqvantur voluntatem meam, per eum qvem tibi adjunxi denuntiatam: concludentes jam inter se, qvis, unde, & qvomodo, initium debeat facere. 5 Concussi enim Terram, & commovi montes, in congrega-

gregatione gentium: qvod cognoſces à tibi mihiqve dilecto, cujus variè turbant viam. 6 Qvi cum ab illis exierit, ibit cum illo benedictio mea, nam fictè cum illo & mecum agunt, qvaſi ſint Natio reverenter habens me & ſermones meos, ſed opus & res deſunt. 7 Cùm ab illis ſeceſſerit, ſuperincumbet illis ſeveritas mea: reqvirentqve illum ſicut Saul Samuelem. 8 Ah qvàm tergiverſantur! ſed ne miremini, antiqvum obtinet mundus. 9 *Mihi verò cogitare venit: Qvorſum tandem exibunt ſermones Domini, qvum hi nihil eorum facere velint?* 10 *Et Dominus:* Duo illorum attigerunt metam ſuam, attinget & tertius: ego verò juſtificatus manebo in conteſtatione tàm gratiæ qvàm juſtitiæ meæ. 11 Tu patiens eſto, & fidelis ut Petrus, qvi confeſſus eſt me eſſe Chriſtum Filium Dei vivi. 12 Qvam fidem Vobis qvoqve dedi, ut videatis me in Patre Filium æternum, habentem non ad menſuram Spiritum æternitatis: ſicut & Vos, temporanei exiſtentes, æternitatis partem in me habetis. 13 Mihi enim dixit Pater, Filius meus es tu, hodie genui Te: *& ad Angelos*, Adorent eum omnes Angeli ejus. 14 Bonô animô eſto, ſerve mi, mitte fletum: detergebo ego lachrymas tuas linteô ſolatii mei, cùm audies inchoare gentes opus meum: 15 Illi verò de qvibus tibi ſum loqvutus, ſubvenient tibi levamine egeſtatis tuæ, particula benedictionis meæ veniet in domum tuam. 16 *Et laudabam Dominum, decantans Pſalmum* 12. [*Venit etiam* 20 *Aprilis miſeria levamen Epereſinô, aurei nummi duo, poſtqvam per duas ſeptimanas nullum domi obulum habuiſſem.*]

REV. CCXXXVI. 12. Maji.

[*Somnium de Cæſare mæſto, explicatur de ſuperventuro mox luctu,* 4. *Solatia Videnti, & Principi Rac.* 5. *Initium exſeqvutionis hôc annô,* 8 *Vaticinia invenienda Caroloſteinii,* 9. *Inobſeqvioſæ Domui pœna nuntiatur, ut Sauli,* 13.]

I*Terum factum eſt ad me Verbum Domini à precibus, qvas plenus anxietatis fundebam, ut in contemtu Se & nomen ſuum ne relinqveret Deus.* 2 *Et indormivi, & vidi* Cæſarem mœſtè ſtantem: *nam illi prælegebatur qviddam valdè ingratum à Viris illi adſtantibus.* 3 *Cujus accenſum iram ut vidi feſtinabam inde, metu; habens in manu ſcipiones, qvibus me fulciebam, duos.* 4 *Ut evigilavi dixit Dominus:* Luctum nunc habet Cæſar, [*ob filiam natam mortuam Ratiſbonæ*] brevi habiturus majorem. [*Impletum* 9 *Julii, exſtinctô Viennæ filio Ferdinando, recèns ad Regis Rom. dignitatem evecto.*] 5 Tibi verò tua in mœſtitia duo erunt fulcra; alterum meum, alterum humanum. 6 Sed confide! Ego opus meum faciam ſupra captum hominum: nam omnia jam per Vos ſervi mei Mundo detexi, qvæ fieri velim per eos qvibus loqvutus ſum. 7 Princeps (*Racoci*) ſi agnoſcet & æſtimabit miſericordiam meam, extimeſcetqve juſtitiam iræ meæ, illi benè erit. 8 Tu patiens eſto, Nationes enim venient ut exſeqvantur judicia mea, initium faciendo hôc ipſô anno perdendi eum, de cujus interitu dudum loqvutus ſum, aliis & tibi, & qvem exardeſcere vidiſti. 9 Caroloſteinii (*in Bohemia*)

bemia) reperietur Vaticinium de rebus qvæ his annis futuræ erant, & fiunt: Tu ne tristare, mihi est omnium cura. 10 Adjunctum tibi variæ fatigant cogitationes, adhúcne manendum illi esset hac in Terra: sed ego illis amplius non loqvar, sat habeant. 11 Non mea erit culpa, qvum intensô Arcu ejaculabor adversùm eos plagas meas, coqvámqve eos in olla ultionum mearum, donec asseqvantur (*nisi resipiscant*) tristem exitum, qvem duo jam asseqvuti sunt. 12 *Ego verò tristis valdè cogitabam, Frustra me iis de Regno illis conferendo loqvutum.* 13 *Et Dominus:* Jam antè tibi de Saule dixi, qvomodo Rex jam factus rejectus sit tamen; & de Ficu cui maledixi qvòd non ferret fructum. 14 Meum est judicium ferre de bono & malo. Surge, & hæc scribe! *Cœpi ergò agere gratias, & orare pro Nationibus Orbis: imprimis verò illis, per qvos effectui dari debet opus Domini.*

REV. CCXXXVII. 28 Maii.

[*Tædiô laborans Videns solatiis erigitur,* 1. *Verba Samuelis cur non cadebant in terram,* 4. *Sodoma & Gom. non aqvè obdurati ut moderni,* 5. *Deus ita olim loqvutus qvomodo nunc,* 6. *Egestati Videntis subvenitur insperatô,* 10.]

A Matutinis precibus alloqvutus me Dominus dixit: *Dimitte tædium serve mi! Accipies diebus his solatium.* 2 *Adjunctus de rerum in Mundo cursu te informabit, sicut & de Matre ac Filio.* 3 *Exspecta illum ad te! & ille contra voluntatem contristantium te, solabitur te.* 4 Ego autem cogitabam, Samuelis verba non solita fuisse cadere in Terram: & Dominus, *Ecqva illius rei causa, nisi qvòd verba mea simplici fide ac obedientiâ fuerunt excepta?* 5 *Ah, si Sodoma & Gomorrha sermones mei ita fuissent auditi, promptiùs illi voluntatem meam, cum pœnitentia, egissent.* 6 *An verò unqvam ego aliter per servos meos Prophetas loqvutus sum, qvàm sic?* 7 *Sic inqvam, qvomodo loqvutus sum, & adhuc loqvor, per te?* 8 *Tu me solum metue, mihi cura est de Te, aliisqve servis & cultoribus meis, ut* (vobis) *gaudia reddam post mœrores.* 9 Et oravi, simúlqve indormivi: & vidi patrem dilectum Lanecium, me solatiis suis in spem auxilii divini erigentem, ut expergefactus laudarem Deum, rogarémqve illa impleri. 10 Ecce autem illâ ipsâ die venerunt mihi à Domino Petroci (Nobili Hungaro) duo modii frumenti: qvos attonitus excepi, miratus ex illo venire loco; postqvam ne pugillus qvidem farinæ domi superesset meæ.

REV. CCXXXVIII. Junii 1.

[*Gentium multitudo ad exseqvutionem judiciorum Dei convolatura,* 2. *Increduli desinent Videntem odisse,* 4: *& de horum veritate dubitare,* 5. *Videns pavescit,* 7.]

I*Terum ad me factum est Verbum Domini, manè à precibus:* 2 Ut agmina locustarum volvent se Gentes, ad effectui dandum opus meum, bonô sis animô. 3 Im-

3 Imposui eas staterae, ut judicium proferant jam esse tempus id agendi, de qvo os meum loqvutum est. 4 Tu mihi confide! qvàm multi tibi nunc sunt inimici, tàm multi & plures erunt amici, qvùm opus meum procedet: tantummodò de potentia & sapientia mea nihil dubita. 5 Sed expleri oportet tempora à me designata, qvorum fines appropinqvant: dubitationi jam jam non erit locus de potentia & sapientia mea æterna. 6 Surge! sufficiat modò. 7 *Ego verò expavi: metu, ne fortè lædatur majestas Domini mei tædiosis cogitationibus meis.* 8 *Et orsus sum hymnum Ecclesiasticum, robur Spiritûs exorans mihi,* &c.

REV. CCXXXIX. Junii 6.

[*Superfuturi Ecclesiæ Bohemicæ Natricii*, 2 *Klobucicius*, 6. *Consiliarii Domûs A. ut muscæ in pice hærent*, 9. *Qvia tempus conversionis rerum adest*, 10.]

D*iluculi tempore indormivi, post preces: & vidi in conclavi congregatos Viros eximios.* 2 *Qvos accessi indutus tunicâ talari viridi: rogaviqve de Prosapiis nostratium illustribus, num Patroni Ecclesiarum futuri sint?* 3 *Enumerabantur ergò aliqvi, sed non multi ex dispersis, sicut & ex manentibus in Patria.* 4 *Qvod binâ vice factum: oraviqve ut hæc evenirent.* 5 *Et Dominus:* Fidelis esto, tempus appropinqvat, qvô promissa implebuntur mea. 6 Klobucicius in Poloniam se confert: [*missus à Principe Transylvaniæ Legatus ad Comitia*] addet Polonis lumen ad faciendum qvod Transylvani fecerunt, Jesuitas proscribendo è Terra sua. 7 Adjunctus cum Zytkovio ad te veniet, & solatii aliqvid afferet (Venit 16 Junii.) 8 *Mihi verò de Cæsare venit cogitare, qvid istic fiat.* 9 *Et Dominus:* Consiliarios Domûs Austriacæ ut muscas telæ araneæ implicavi, nec sciunt nec possunt contra me invenire consilium. 10 Jam etenim, jam, tempora veniunt, ut luce Legis meæ collustrem Nationes Terræ, anteqvam lucem detraxero Lunæ, Solis & Stellarum, qvemadmodum annunciavi pridem. 11 Surge, atqve hæc scribe tuum in usum. 12 *Et laudavi Dominum, decantans Psalmum* 117.

[N. ad v. 7. Nam revocantibus me in Poloniam meis, reditumqve ipsâ Oraculi voce mandante, viæ me parabam: tametsi qvi hactenus congressum cum Principe Transf. impediverant, ita rem subornarant ut mihi Princeps favorem offerendo ad se invitaret. Ego tamen omnium jam ibi pertæsus, & pejorum metu, desiderjôqve ad ordinariam exilii sedem redeundi, & qvietè agendi, interpositâ excusatione honestâ ad meos festinavi: iter per Hungariam inferiorem, ad fratres ibi dispersos revisendum, suscepturus. Qvid autem solatii hic promittitur? Hoc fuit. Qvia me illis præsente nonnulli pro Drabicii restitutione intercedebant (& in his Viri nobiles, domesticis illius sacris exercitiis cum familia interesse soliti, & tam pulchra Dei dona non in communem Ecclesiæ usum conferri dolentes) audivi ea de re omnium Confratrum sententias & judicia: factumqve est ut unanimi consensu Ministerii Ecclesiastici potestas illi restitueretur, dextráqve fraternitatis ab omnibus & singulis denuò illi oblata firmaretur, 20 Junii die.]

REV. CCXL. Junii 10.

[*Æterna Professor Sapientiæ*, 4. *Revelationes has exteris notas reddi mandat*, 7, 8, 9. *& per quem*, 7, 14. *at quomodo*, 10, 11, 12, 13.]

D*Enuò factum est ad me verbum Domini.* 2 *Indormieram meridie, lectulo: & ecce qviddam prehendit manum meam, meqve totum tremefecit, ut evigilarem, somnô vix leviter gustatô.* 3 *Qvum orare vellem, relapsus sum in somnum momentô, & vidi lectulos duos pulchrè stratos.* 4 *Et venit qvidam Juvenis, in forma* Professoris, *togâ violaceâ, vultu decoro, cinctúsqve lumbos.* 5 *Qvi de svavi Cultorum Dei reqvie tam svaviter cœpit loqvi, ut gaudiô exsiliret cor meum, evigilarémqve.* 6 *Et Dominus:* Vigilans esto, & fidelis in exseqvendo munere, ad qvod te vocavi: potentia mea perficietur in infirmitate tua. 7 Surge, & para pro Adjuncto tibi omnia qvæ loqvutus sum tibi! cui meipsum exhibui modò. 8 *Dicasqve illi*, ut domum suam reversus cogitet effectui dare id, qvod ego Dominus & Magister vester antè jam mandavi. 9 Nempe ut pro Nationibus exteris in lucem promoveat prolata verba oris mei. qvid postremis Mundi temporibus fieri ab omnibus velim, in gloriam Nominis mei, illis verò in bonum: ut hinc etiam patescat, non frustra fuisse hac in Terra. 10 *Ego autem cogitabam, qvomodo id esset facturus? Et Dominus;* A me, qvem vidisti, exacutionem accipiet mentis & ingenii, præter tuam spem. 11 *Et cogitavi, Num nomen meum esset expressè positurus (an initialibus tantùm literis) N. D. S?* 12 *Et Dominus*, Illius arbitriô id relinqve: tantummodò munus legitimè tibi & sibi commissum ne erubescat. 13 De impensis nihil curæ esto, reperientur qvi opus meum promovebunt: *surge, para omnia.* 14 *Ego vero oravi pro illo. Et Dominus:* Mea illi præsens est; & erit, custodia, mihi eum commenda. 15 *Laudabam itaqve Deum canticô spirituali.* 16 *Interea crepuit qviddam ad lectum: qvomodo assolet qvum loqvi Dominus incipit, aut desinit.* 17 *Ego verò iterum cantu laudabam Dominum, misericordiam ejus implorans.*

REV. CCXLI. 15 Junii.

[*Visio Diplomatum*, 2, 8, 9. *& Plaustrorum vehentium acervos ira Dei*, 4. *Itemqve rorem benedictionis*, 5. *Hungariam Deus cur siccitate puniat hôc annô*, 10. *Promissio egenis famis tempore*, 14.]

Q*Uum à precibus redormivissem, vidi Nobilium Virorum coronam, & in his D. J. M.* 2 *Ingressus verò ad nos Vir qvidam, attulit diploma tanqvam ad prelum.* 3 *Illudqve inspectans idem ille qvi attulit, nutabat capite, dictitans aliter concipi debuisse: cui & reliqvi suffragabantur.* 4 *Evigilanti autem mihi insonuit vox Domini:* Totius Orbis gentes agnoscent & confitebuntur, Plaustra justitiæ meæ, qvibus acervos iræ meæ adversus impios, mihi & lege meâ revelatæ voluntati meæ refra-

refractarios, & superbè Nomini meo contemtum inferentes, adveho, recta & justa esse. 5 Rursúmqve eædem Gentes agnoscent, Plaustra qvibus rorem benedictionis adfero super eos qvi me timent, ac judicium, justitiam, veritatémqve in serviendo mihi æternùm viventi diligunt, etiam esse justa, & sine prosopolepsia. 6 *Qvibus ego auditis, misericordiam Dei implorabam Nationibus terræ, auxiliúmqve afflictis*, &c. 7 *Et Dominus:* Consiliarii Domus Austriacæ frustra consultant de subveniendo illi. 8 Ostendi tibi Diplomata qvæ prodibunt: qvorum sensus arctè inclusus erit, neqve cuiqvam placebit. 9 Omnia frustrà sunt, ira mea non placabitur: brevi id audies. 10 *Ego verò iterum orabam pro pluvia (erat enim ingens per Hungariam altero jam mense siccitas): & Dominus.* Satis diu inclamabam habitatores Terræ, & non audiverunt me; nec audiam ego clamores eorum. 11 Præstent illis qvos invocârunt, contemptô me. 12 Et qvid dices, si vel sex mensibus nubes cohibeam? nisi ut hinc inde roret? 13 Ostendi tibi segetes formâ duplici, spicis plenis, & inanibus: tales & videbis postea. 14 Vos autem vobis maturè prospicite! Servavi ego istos in specu olim, servabo & vos miraculosè: solummodò fideles estote & simplices, & mihi obseqventes, & humiliter servientes. 15 *Qvibus ego auditis profudi lacrymas, decantans Psalmum* 31.

[*v.* 12. Vide infra, R. CCCXXXI. 5.]

Rev. CCXLII. Junii 19.

[*Fulgor apparens cum delapsu lapilli,* 1. *Auxilium Dei nuntiat,* 2. *Princeps Tr.* 3. *& Radzivilius (cum aliis)* 4. *Dubitatio de horum editione solvitur,* 5 — 10. *Libri humani leguntur in Mundo, cur non Divini potius?* 11, 12. 13. *Solatia testibus Dei,* 14, 15, 16, 17.]

A *Matutinis precibus bis in conspectu meo emicuit fulgor qvidam, cum prolapsu super caput meum lapilli.* 2 *Qvum qvid istuc sibi vellet cogitarem, facta est ad me vox Domini:* Auxilium meum non veniet, nisi advenerint tempora mea, qvæ jam in foribus sunt. 3 Vanitas mundi qvam sectatur Princeps Transylvaniæ illum non servabit tempore ruinæ suæ. 4 Radzivilius operabitur opus meum potenter: unâ cum aliis, qvos tu non nosti, de Gente tua. 5 Adjunctus Tibi fluctuat animô de Libri à me dictati, à te scripti, editione. 6 Scitote autem, nunqvam seculorum me puduisse, aut pœnituisse, sermonum meorum: qvos qvis unqvam satis asseqvutus est, aut asseqvitur modò? 7. Non tanti Vos estis, ó mortales! Sic omnia relinqvat Ille, qvomodo loqvutus sum ego.

[NB. Cogitabat enim num omnia essent edenda tam prolixè? an verò contractius ea tantúm, qvæ publicum statum concernunt, & omissis qvæ scandali occasionem datura videbantur.]

8 Non soli enim Vos, sed & alii post Vos, dijudicabunt ea, qvæ loqvutus sum: 9 Dabuntqve mihi soli honorem, qvi ab æterno novi omnia, omnésqve in Cœlo & Terra creaturas gubernando, luce sapientiæ meæ (ex

me, & non humanâ ſcientiâ oriundæ) colluſtro qvem volo: de rebus meis, in me repoſitis, qvas Vos ex parte tantùm cognoſcitis, & de illis loqvi poteſtis. 10 Me timete ó fines Terræ, & benè vobis erit: Vobis inqvam, qvi ab æterno mei eſtis. 11 Impletur Mundus Libris ratiocinationum humanarum, & diſſenſionum, plenis: qvibus ſi fidem adhibent homines, cur non mihi potius & ſermonibus meis? 12 Ubi non humana ſapientia loqvuta eſt, loqvitur, ſed ſapienta mea, à nemine conſilia capiens ab æterno. 13 Optimè ſtabunt in Mundo omnia, modò ſic diſponantur qvomodo ego præſcripſi, & adhuc loqvor: etiam per vos duos teſtes mei. 14 Nemo unqvam Teſtium meorum effugit cavillationes hominum: neqve vos eritis feliciores. 15 Sed me ſolum timete, ſatis habituri ſolatii, hîc & in æternum. 16 Sufficiat nunc: conſigna hæc, & omnia trade Adjuncto tibi [qvi tunc præſens erat.] 17 Si te pudefacient homines, non pudefaciam ego: tantùm eſto obediens, vigila, ora. 18 *Orationi ergò me tradidi, decantans hymnum Eccleſiaſticum:* Admirandus es Domine in operibus tuis, ſanctus in promiſſis, non deſeris fideles tibi, tametſi hos lupis objicias devorandos, &c.

REV. CCXLIII. 20. Junii.

[*Viſio Textoris ſtamina jam decurrentia trahentis, 2. exit in qverelas de reluctantibus texere opus Dei, ad qvod parata jam ſunt omnia, in Hung. & alibi, 4. &c.*]

Dies jam erat, cùm precibus peractis indormirem. 2 Et vidi Virum (textorem) per parietem ſtamina trahentem, jubentemqve, ut pone parietem abeundo ſpectarem, multanè ſupereſſent fila glomis? 3 Qvò ego factô, vidi glomos alios jam decurrere, alios eſſe puſillos: metuenſqve ne ſtamen fieret defectum & perplexum, inclamabam illum, attenderet, jam fines decurrere. 4 *Et alloqvutus me Dominus, dixit:* Stamina parata ſunt, jam operandum eſt, faciamqve ego cum ſtamine meo qvod antea dixi. 5 Multùm & variè offenditis me Vos mortales, dum ratiocinationibus Veſtris metiri vultis opus meum, neqveuntes tamen penetrare in profundum conſiliorum meorum. 6 Ideòqve perplexamini, & Vos ipſos confunditis, ſtamen autem Operis mei non agitis: ſed Veſtrum opus agendo nihil in æternum aſſeqvemini, ad abyſſum tantùm judiciorum meorum venientes obmuteſcetis. 7 Facite igitur, ó Nationes, qvod ego mando, & non Angelorum aliqvis, ſed Sapientia mea æterna. 8 Tu nemini temporario crede, ſed mihi æterno, tametſi Angelus de cœlo aliter tibi loqvatur: ſed non loqvetur, nec audet, in æternum. 9 Non ſufficitis Vos, ó homines, perrumpere ſoliditatem rupis judiciorum meorum: manebo Ego æternus, Vos temporarii; Ego perfectus, Vos imperfecti. 10 Rimas Vos tantum, & fiſſuras rupis meæ videtis: ſoliditatem non videbitis in æternum. 11 Revertere tu ad officium laboris tibi à me commiſſi, & fac qvod mandavi dudum. 16 Geſta ſignum in manu, donec implean-

pleantur promissa tibi à me. 13 Surge, & isthæc scribe! *Surrexi igitur & scripsi, juxta mandatum.* 14 *Decantavique hymnum Ecclesiasticum de Fidelium in mediis etiam tribulationum angustiis exultatione*, &c.

Rev. CCXLIV. Junii 26.

[*Trans-Danubianis hæc revelanda*, 2. per Jonam M. & Humanai. 8. *Daniel è lacu Leonum liberandus* 14. *Præcipitandique istuc Sycophanta.* 16. *Vanus cultus non ampliùs tolerat Deus* 20. *Rex H. Racoti* 25. *Sed cum conditione*, 26.]

I*Ndormieram à matutinis precibus, & vidi pulchro in conclavi spatiantes viros eximios, notos & ignotos mihi, exqvirentes de variis.* 2 *Expergefacto dixit Dominus*: Serve mi, Trans-Danubiani nihildum sciunt de voluntate mea, bonum esset illos qvoqve informari. 3 *Ego verò cogitabam, per qvem id fieri posset? & Dominus respondit*: Per Danielem in lacu leonum adhuc hærentem, qvem tibi J. M. ostendet. 4 *Id cùm mirarer, perrexit Dominus*: Incipiamus nos sermonem consvetô more. 5 Qvi antè debuit opus hoc agere, nec egit sincerè, devolvit in se vindictam iræ meæ, qvâ se dum vivit non eximet, neqve posteri ejus. [*Hodossi.*] 6 Magnum est Nomen meum: qvis hoc vestrûm, ô filii hominum, intelligit rectè? Extollite igitur Nomen Domini, ô omnes vos servi ejus! 7 Tu autem da signum Jonæ M: moderatior ille erit qvàm Hodossi, & plus proficiet simplicitate suâ & candore, qvàm iste astutiis suis. 8 Si qværet J. M. qvis sit Daniel: respondebis, Ille apud qvem servitiô functus es, Humanai, qvem vidisti Eperesini. 9 Accipies verba mea tecum, & dabis mihi honorem. 10 Deducet te J. M. ad eos qvi in lacu Leonum hærent, qvos ignorabat Habacuc, sicut & tu ignoras. 11 Atqve hi introducent Regem in terram hanc ubi Edom regnat, & malè regnat, nec ampliùs regnabit in æternum. 12 Miraris hæc? magis mirabuntur alii, qvibus nihildum qvid ego in Terra agam innotuit, præter Racocianam Domum. 13 Sapienter egit Babylone Daniel: agite & vos in lacu sedentes! 14 Jam etenim tempus est rumpendi sigilla, qvibus obsigillati fuistis in captivitate vestra, ad Domum Regis vestri, ignorantis me Regem suum: 15 Qvem non ignorabant majores sui, post qvos Iste claudet ostium dominationis Austriacæ, unà cum Consiliariis cæcis ejusdem Domûs. 16 Nam conjicientur in foveam, in qva Danieles mei sedebant: meliùs illis fuisset nunqvam nasci! 17 Ingressi sunt per ostium hypocriseos, & importârunt falsitatem in domum Regis Hungariæ: sed exibunt per fenestras justitiæ furoris mei, à qvo se non liberabunt, unâ cum tyrannidis suæ complicibus, in æternum. 18 Væ illis! qvia revocari renuerunt, dum gratiæ tempus erat. 19 Irruite in eos filii mei, & filii patriæ, terræ Hungaricæ! ubi ego primùm accendi lumen doctrinæ Evangelii mei. 20 At hi pseudo-discipuli obfuscârunt lucem Evangelii tenebris in-

ventionum humanarum: qvibus nullus inest gratus odor spiritûs, sed carnis tantùm, dominantur sine me. 21 Edamus, bibamus, Deum vanis cultibus externarum ceremoniarum perfunctoriè absolvamus. 22 Qvum inde stupidum vulgus nihil proficiat, oculos tantùm & aures pascunt, salutis suæ ignarissimi: id qvod spectare diutiùs nec volo nec possum. 23 Satis autem nunc, serve mi! Para hæc singularem in usum, pro informatione futura iis qvi eam reqvirent. 24 *Ego his cum admiratione auditis laudare cœpi Dominum, etiam Principis favorem mihi promittentem.* 25 *Ubi ego cogitare cœpi:* Illéne tamen futurus esset Rex? *Et Dominus:* Recordando recordatus sum misericordiæ meæ; & promissionis Patri ejus, & Domui suæ, factæ. 26 Tantummodò dic ei, ut magis attendat in me Factorem suum, méqve timens rationalem cultum meum ferventiùs foveat, unà cum Habitatoribus terræ hujus! cùm illis reddidero pacem ab inimicis suis, & amicitià jungam cum Nationibus exteris. 27 Tu itidem servi mihi soli, in eo ad qvod te vocavi, juxta agnitionem mei qvam impertivi tibi: non desereris. 28 Surge, isthæc scribe, neqve hodie domo usqvam exeas. 29 *Atqve ita feci: & laudavi Dominum, Hallelujah!*

REV. CCXLV. Junii 28.

[*Magnates epistolis ludentes Operi divino Antesignanum qværunt* 2. *Cujus tempus adesse, October ostendet* 5, 6. *Gentibus Ecclesiam ingressuris homagii formula præscribitur* 9, 10. *Qva ad acceptandam oblatam gratiam invitantur* 11.]

INdormieram, *à precibus matutinis.* 2 *Et vidi me in Conclavi, ubi erant Viri insignes, lusitantes locô chartarum pictarum epistolis complicatis, colore miniaceô: qvas transponebant & numerabant, eô pignore, ut qvi vicisset Operis faceret initium.* 3 *Petiit autem sors qvendam humili staturâ, ætate mediocri: cui cæteri gratulabantur, læti eâ re, mecum unà.* 4 *Evigilanti autem mihi dixit Dominus meus, & Deus meus:* Serve mi, epistolæ venient exqvirentes à te, nùm jam tempus sit? 5 *Qvibus dices:* Ita dicit Dominus, Tempora mea ab æterno destinata jam venerunt. 6 O Gentes, insonet mense Octobri! & October rugiat per Orbem Terræ, Surgite Gentes! & date honorem mihi æternùm Viventi! 7 Qvi promissiones meas implevi Vobis in umbra mortis sedentibus, ut exeatis è caligine in qva hæsistis ignorantes NOMEN meum, per qvod feci & sanctificavi omnia. 8 Sublimius illud est captu intellectûs Vestri: Illud timete fines Terræ, & benè Vobis erit mox à nativitate Vestra. 9 *Adscribite Vos mihi nominibus Vestris (dicentes):* Tibi æternùm Viventi serviemus, & non Idolis vanarum superstitionum, secundùm præterita tempora, originem trahentium ex institutis hominum, mihi & Nomini meo in ignominiam. 10 *Neqve qvisqvam Vestrûm ingreditor Domum precationis vacuus: sed assumtò secum symbolô.* JESUS NAZARENUS REX TOTIUS TER-

TERRÆ! Cui soli servimus, & serviemus, in æternum: qvia ex illo habemus Vitam, & halitum. 11 Dudum erat hoc de Vobis judicium meum: sed absconderant id à Vobis vanæ consvetudines Majorum Vestrorum, plus metuentium creaturas qvàm me Creatorem suum unicum. 12 Satis verò jam sit, præteritô tempore Majores vestros ambulasse, nescientes qvô: qvia ignorabant me Justitiæ viam: 13 Qvi à Patre exii vestri solùm causâ, ô Homines, homines ignari Mei, & Nominis mei, qvod ante vos noverant Angeli, qvi serviunt mihi soli in Patre manenti, cujus vos omnes progenies estis. 14 Sed qvid qvum illum ignoretis pleriqve? nisi ego & Lex mea illum vobis revelabimus. 15 Accipite itaqve illam (Legem meam) ab iis qvi eam vobis meô jussu offerent: meô dico instinctu jam nunc ultimis hisce diebus Mundi. 16 Qvæ lux mea si manebit in vobis, manebitis & vos in me: & deducemini ad lucem æternam, de qva nihil habebatis compertum pleræqve Gentes. 17 Edistis, bibistis, operati estis cibum qvi perit, me verò panem vitæ non gustastis: sicuti eum gustabant à seculis de me lætati, qvorum mansio erat in me. 18 Qvam vitam & vobis obtuli, ac offero, gratis, ex gratia Patris mei: qvem scitote solum Deum esse, & vestrum esse. 19 Satis nunc: Consigna hæc, & in opere tuo procede (*S. NB*) tuâ & aliorum causâ. 20 *Et celebrabam Dei misericordiam de oblata Gentibus gratia, decantans Psalmum* centesimum trigesimum qvintum.

[v. 6. *Mense Octobri) Sed qvô annô? Eventus aperiat necesse est.*]

REVEL. CCLVI. Junii 29.

[*Simeon Balasdi*, 1. *Videnti vinô interdicitur ad liberationis usqve tempus*, 4. *Jonæ M.* revelanda omnia, 5. *Altare cum Idolis destruitur*, 7, 8.]

M*Ane à precibus ostendit mihi Dominus* Simeonem Balasdi: *apud qvem vidi milii facti acervos, qvod ventilabam.* 2 *Et Dominus ad me*: Labora, & videbis benedictionem meam, qvam tibi esculentô illô ostendi. 3 *Interim dabatur mihi vasculum elegans plenum Vinô: de qvo cùm bibere vellem, elapsum mihi est manibus, & ego expavi.* 4 *Dominus verò ad me:* Ne ampliùs bibas vinum cum qvoqvam (*juxta sermonem meum*) & gesta signum in manu, usqve ad tempus liberationis vestræ. 5 Jonæ M. sincerè reqvirenti omnia communica, ab initio meorum tecum sermonum: dabit ille mihi honorem. 6 Atqve in parato habe sermones meos: qvia tempora mea currunt, qvibus ultionem sumam de hostibus meis & vestris. 7 *Et vidi ante me* Altare *ornatum aurô, super qvod stabant Imagines: & datus est mihi malleus, qvô Altare istud diruebam.* 8 *Et Dominus ad me:* Ita tu cum aliis hac in Terra destrues (Idolomaniam) juxta pridem factum mandatum meum. 9 Tantummodò esto patiens, & me exspectans. 10 *Et orabam, etiam pro istis mihi exhibitis personis, &c.*

[Adv. 5)

[*Ad v. 5.*) Egressurus ego Patakô, qvid futurum esset si fortè adhuc Principi loqvi mandata fierent Drabicio, Præfectum interrogavi: qvi, *Ad me mittantur*, respondit. Ego, Qvis autem ista in Latinum vel Hungaricum transferet, Te negotiis semper distento? Ille, re deliberatâ, Provisori Lednicensi rem concredi svadet, Viro lingvæ utriusqve benè gnaro, pio, Principi fideli, mihi Lednicium usqve itineris comiti. Feci ergò, in ipso itinere aperui omnia: qvi utut primùm non recusare visus, postea tamen operam suam (hominum metu) subtraxit. Alius ergò hîc ipsius Oraculi voce nominatur, v 5: ille nimirum cui jam ante sesqviannum Drabicius loqvi volebat, sed prohibitus fuit. Rev. CLXXV. 12.]

REV. CCXLVII. Julii 3.

[*Consilia Racociana meliora*, 2, 3. *In mundo confusa omnia*, 5. *Revocanda in ordinem vi Legis divina*, 6. &c *Ad qvam curam invitantur Reges & Principes*, 13. *Ipsiqve Sacerdotes Idololatrici*, 18. *Cui hæc revelanda*, 23. *& in usum totius Mundi publicanda*, 25, 29.]

I*Terum ad me factum est Verbum Domini*, *postqvam in somno personas vidissem consultantes, qvibus allatæ fuerant epistolæ.* 2 *Expergefacto enim mihi dixit Dominus:* Obsignatæ venient literæ ex Domo Racocii tu proinde cautè age, subdens rationem fidei. 3 Meliùs stabit nunc ac unqvam terminatio Consiliorum ejus: qvia tempora mea jam advenerunt. 4 Gaudendo gaudebunt vicinæ Nationes, qvando conclusum erit judicium meum cum judicio eorum: & cùm agnoscent omnes, non esse consilium adversùs consilia mea dudum prolata. 5 Qvia omnia stabant confusa & lacera, sine ordine & justitia, per omnes Status Imperii, Gentésqve totius Mundi. 6 Revertimini, revertimini ad me, ô filii hominum! nam satis jam ad cisternas vacuas currebatis, sine me viventes, qvi pro vobis vitam posui. 7 In vanum tot secula consumsistis multi, errantes à me fonte Vitæ: & ambulantes in tenebris tricarum doctrinæ falsæ, sine veritate sanctæ Legis meæ. 8 Qvam Legem meam comburebatis aliqvi: alii verò pleriqve sine illa, in plerisqve Mundi angulis, vixistis, sine pudore mala patrantes omnia. 9 Iccircò cessate, ah cessate jam, vacuas relinqvere animas vestras, sine sono vocis meæ, Pastoris vestri unici: qvâ inclamabam vos, per me & testes meos, *Venite ad me, & faciam vobis reqviem, gratis, absqve pecunia & pretio.* 10 Conclusi ego jam in consilio meo, ô Gentes, ut ante vos aperiatur Ostium Domûs meæ; in qva filii mei mecum solo, & cum Lege mea, deliciantur. 11 Deserite jam Cisternas fractas, in qvibus nihil est non venale, nihil tamen non vacuos vos relinqvens, per cœcos illos seductores vestros, qvi Vitæ vim sibi usurpant, ipsi ejus vacui, me Vitæ fonte destituti. 12 Deducite eos vos duces mei, jam tandem sub Mundi vesperam, ad me, qvi sum Alpha & Omega. 13 Vobis ego mandavi, Reges & Principes, ut vos, vos, præsideatis: nam & nomen à me habetis, non ab Angelo, vel Creatura alia. 14 Magnum est, qvod vobis loqvor ultimis hisce diebus Mundi! si qvis inter vos, superiores & inferiores, repertus fuerit mei timens, reponet hoc in corde: qvia vestrum bonum qværo, ô Gentes, gratis vos deducere volens in æternitatem. 15 Nunqvam eqvidem

dem auxiliis destitutus fuit Mundus:
nunqvam tamen propiùs penetratum est
in lucem Doctrinæ meæ, atqve nunc,
qvia propinqvat tempus qvô occidet
vanitas Mundi cum omnigeno (sedu-
ctionis) opere: Qvô opere malo doctri-
næ falsæ intoxicabantur animæ vestræ.
16 Expedite vos à laqveis vanarum Re-
ligionum, & inutilium ad homines re-
spectationum plus qvàm ad me, qvi sum
ab æterno: cui qvia nemo par est, nemo
ultimis hisce temporibus auxiliari vo-
bis potuit, aut scivit, præter me solum.
17 Qvem misertum est intueri diutiùs
errationes vestras, per tot vanas cogi-
tationes: in qvibus ego reperiri non
soleo, ab iis qvi me qværunt non coa-
cti violenter. 18 O vos Sacrifici ad-
mittite consilium! relinqvite idolola-
triam! prehendite qvod loqvor, dum
gratiæ tempus est, vestri causâ & il-
lorum, qvibus fuistis sine me, & veri-
tate vitæ ac Doctrinæ meæ, duces. 19
Ecce vobis qvoqve porrigo dextram,
æqvè ut aliis! per vos enim stabant
scandala tot seculis, objecta Ethnicis
& Christianis. 20 Tollite jugum me-
um, dum tempus est: qvia è vobis &
figmentis vestris exiit tribulatio areæ
doctrinæ meæ, veræ & sanctæ. 21
Qvam non habuit Mundus plenè, qvia
vos illâ fuistis vacui: ignorantes ipsi
qvorsum iretis, nomen habentes sine
opere, & vitam sine veritate. 22
Consummastis jam vim scientiæ do-
ctrinæ vestræ, sine me veritatis do-
ctore: ideò vos non tolerabo diutiùs
sub larva illa, qvâ vos contexistis si-
ne veritate Legis meæ. 23 Hæc om-
nia referes illi qvem exspectas, Ionæ
M. oculos & aures habens perspica-
ces, qvum de his perqviret. 24 Intér-
qve respondendum sepone metum ho-
minum: nam ille superioribus meis
sermonibus conforme qviddam fert. 25
Hæc autem qvæ tibi loqvor, non lo-
qvor tibi soli, sed totius Mundi Gen-
tibus, Populis, & Lingvis: tantum-
modò tu da honorem mihi, operabor
ego reliqva ipse, inter eos ad qvos per-
tinget vox tubæ meæ. 26 Vale serve
mi. 27 *His ego in chartam relatis (ma-*
gna cum difficultate) laudavi Deum, re-
posuiqve me in lectulum, indormire optans:
qvod & factum. 28 *Et ecce prodierunt in*
conspectum mihi varii vultus hominum præ-
sentium! à qvibus mihi metus surgebat,
qvia vultus illi qvorundam variè distorti
erant. 29 *Et Dominus:* Nihil metuas,
hæ sunt variæ istæ Gentes, qvæ ser-
mones à me dictos, & à te scriptos,
legent, ad finem usqve seculi. 30 Tu
meô ductu acqviesce, in sorte tua sta,
aliena judicia nihil cura, in me & re-
bus meis oblectare, & ad fungendum
tuô munere te para. 31 Nam hôc an-
nô fiet illud qvod promittebam du-
dum, fore ut clamor oriatur per eos
qvos elegi: nam tanqvam undæ vol-
vent se exercitus ad Viennam. 32 *Tu*
hodie nusqvam exeas, hæc ut pares. 33
Adjunctus jam domi est [*atqve ita fuit:*
attigerat locum suum ultimâ Junii): mi-
ra tibi significabit, de qvibus Deum
laudabis. 34 Et laudavi statim, can-
tu.

[Ad v. 2 & 3.) Dandum est veritati testimonium in *conspectu Dei: meliorata fuisse Principis consi-lia*, ad Oraculi mentem.. Cùm enim novus interpres qvædam hæc ad Principem misisset, ita ille propriâ manu rescripsit: *Gratè accepi transmissa, & juditium de illis tuum. Ardua esse, & antiqvô mo-re à*

re à Deo dictari, ipse jam agnosco. Sed nosti paucos mihi esse, ex iis qvi circa me sunt, fideles; cum fidelioribus tamen his de rebus consultabo in occulto &c. Consultabat etiam sine dubio: sed Mater & Consiliarii disturbabant omnia, ut è seqventibus patebit. Vers. 27, *magna difficultate*) gravem enim manum habet Senex.]

REV. CCXLVIII. Julii 4.

[*Videns segnitiei accusatur*, 2, 3. *Angelorum præsentiâ erigitur*, 4. Principi celeritas severè mandatur, 5. *Iram Dei non experiuntur pii*, 8.]

EXpergefacto mihi à somno matutino factum est verbum Domini, bis repetitum, cum inusitato fervore dicentis: 2 Tempora, tempora mea, dudum à me destinata, currunt, imò jam adsunt! ut fiat id qvod prænuntiavi, multa de his loqvutus, aliis & tibi. 3 *Tu verò etiam segnescis in labore qvem tibi mandavi, S. NB: strenuus esto in omnibus qva mando.* 4 Tecum Exercitus Angelorum meorum est, & ubiqve erit, ut cum Elisæo, tametsi eum non videas: sed vident qvibus oculos dedi ut videant.

5 Qvum I. M. redierit [*nempe à Principe Matre, ex Hungaria superiore*] dices ei: Tanqvam lapidem molarem alligabo iram meam collo Principis & Posterorum ejus, nisi tanqvam Aqvila advolaverit ad Posonium, dum adhuc ibi Corona est. 6 Nam si translata fuerit trans Danubium (transferre enim cogitant) æternas in se derivabit qverelas & maledictiones Incolarum Regni, postqvam illis innotescet, qvàm dudum ego per Te & tibi Adjunctum ad Racocianam Domum missum, cum illis egerim: & ecce hunc usqve in diem frustra! 7 Dices igitur meô nomine Ionæ M: Illicò perscribat ad Principem qvæ his diebus loqvutus sum, & loqvor. 8 Operare tu, & operetur Princeps! Nihildum vos qvid sit ira mea intelligitis, servi mei: tu præsertim, qvem voluntatis meæ testem dedi postremis temporibus, cum qvo ut cum filio ago. 9 Me igitur time, fidelis exsistens & obseqviosus, ego potens tuus ero protector: Surge, scribe! 10 *Surrexi ergò, & scripsi, Deum laudans.*

REV. CCXLIX. Julii 10.

[*Contra eos qvi obseqvi Deo nolentes impotentiam prætexunt, varia Dei protestatio*, 1, *&c. obsignanda hac varium in usum*, 24.]

FActum est iterum ad me Verbum Domini, qvum à precibus matutinis redormissem, vidissemqve Viros doctos controversantes de Opere Dei, temporario & æterno. 2 *Qvidam eorum mirabantur, alii contradicebant, alii mecum affirmabant, zelô accensi in contradicentes: donec in fervore isto evigilassem.* 3 *Et Dominus ad me*: Asperè, asperè, tu edurabis obedientiam mandatorum

rum meorum. 4 Tametsi enim apud me omnia illa jam disposita sint, de qvibus olim & nuper loqvutus sum: vos tamen homines nihil horum intelligitis, nisi postqvam fuerit factum. 5 Decretum apud me pridem fuit auxilium, vobis & aliis promissiones meas exspectantibus: at non sine cooperatione delectorum istûc hominum. 6 Qvos, qvid possint aut non possint, nemo novit præter me, qvi etiam illis utor qvibus nemo fidit, aut favet: nam qvibus uti debeam, ubi, ad qvid, consilii non egeo, meum arbitrium seqvor, non vestrum, ó Homines. 7 Bonum est meum de vobis judicium, si modò bonum esset vestrum obseqvium, in eo qvod cuiqve mando: nihil à vobis reqvirens impossibile, tanqvam iis qvi sine me nihil potestis. 8 Revertimini ergò, & vos avertite à vanis cogitatibus de impotentia vestra: nihil unqvam cuiqvam fuit impossibile qvin efficeret id, ad qvod eum adhibere volui. 9 Submissè tantum agite, & nunc & deinceps, ó Homines! & orietur vobis lux consolationis, tanqvam aurora diluculô. 10 Qvod cuiqve mandatur, hoc idem etiam datur, ut efficere id qveat: etiamsi tam sit remotum ut Cœlum à terra, qvæ non coibunt nisi cùm ea collisero, in temporum fine. 11 Mittite igitur excusationes coram me, ó filii hominum! etiam in iis qvæ revelavi, & in eo qvod cuiqve agendum postremis hisce Mundi temporibus assignavi. 12 Meliùs ego novi disponere, qvàm vos cogitare; & perficere, qvàm vos incipere. 13 Metuite igitur me, & operemini dum dies gratiæ est, & anteqvam veniet dies iræ: ubi deerit consilium, servandi vos vel alios. 14 Insipientia est inhærescere potentiæ aut infirmitati suæ: cùm nemo sit suus proprius, sed ejus ex qvo sunt omnia, etiam illa qvæ nemo vidit. 15 Væ inobseqventibus mihi! malè illis erit! Beati autem timentes me, & facientes voluntatem meam, benè illis erit! habituri sunt virtutem pro virtute, tum à me tùm ab hominibus. 16 Sed ratio vestra (carnalis) istuc non pertingit, dum eam ducem seqvi vultis sine me, & sine ductu mirabilium judiciorum meorum. 17 Mirum accidit hoc etiam judicium apud eos, qvi antiqvas vias meas ignorant, per qvas incedebant ante vos, imò ante Legem scriptam, qvi duntaxat instinctu aut nutu meo regebantur, sine compulsione violentâ, solò metu meô: & qvid non patrârunt? 18 Expendite hæc, qvibus rationis lumen indidi! 19 Pecudes indigent stimulis: vobis autem, & rationi vestræ, satis facere possunt, ac debent, sermones mei, modò ut voluntas accedat. 20 Voluntas autem si accesserit, jam non vos operabimini, sed ego, sine omni apud vos, & in vobis, qvæsito auxilio. 21 Observate hæc, ó Vos omnes ad magnum hoc Opus electi! 22 Vestri causâ hæc loqvor, non Angelorum: qvorum custodiæ vos etiam commendati estis, & commendamini qvoties in terra juxta mandatum meum Opus aggredimini. 23 Idqve omnes, maximi & minimi! O timete me! & benè vobis erit.

24 Satis autem: obsigna hæc, serve mi, pro Te, pro Principe, pro Consiliariis ejus, pro Incolis Terræ hujus, pro

Nationibus Orbis. 25 Qvisqvis vestrûm novit me, ad eandem notitiam promoveat alios: idqve illicò sine mora, qvia nullum jam tempus aliud exspectandum est. 26 Sunt enim apud me, consiliô meô, disposita omnia: sine fraudulentia consilii, judicii, astutiæ humanæ, nedum diabolicæ. 27 Qvi (*perversus spiritus*) semper mihi & operibus meis obices ponere adsvetus, nunc etiam ponit: ubi, qvando, per qvem, mihi omnia retecta sunt, super intellectum vestrum. 28 *Satis: scribe, fidelis esto, da mihi honorem &c.*

[v. 5, 6, 7, 8. &c. Protestatio hæc Dei qvorsum spectet, ostenditur v. 24: causamqve illius dabant, qvi ad hæc sibi revelata tergiversabantur, Pater & filius. Vide Annot. ad Revel. LXIV, & alias.]

REV. CCL. Julii 13.

[*Ægrotantis Mundi, & jam jamqve agonizantis, frustra hucusqve tentata restitutio, qvomodo jam feliciter perfici possit, admirandum adorandi Dei consilium.*]

Diluculô vidi Domum variis conclavibus distinctam, in iisqve varios homines cum Libris, armatos etiam, tanqvam Principes & milites. 2 *Ad qvos cum aliis Gentis meæ ingressus, audivi omnium sermones & judicia de Libris istis, qvi scripti erant* de Morbis humanis, Remediisqve. 3 *Æger enim in eadem Domo jacebat, qvem videre cupiens ipse qvoqve, intrabam cum aliis in Conclave ubi decumbebat, & multi circa illum, medicinis parandis occupati.* 4 *Et incidi in* Virgunculam, *non magnæ statura, sed decoræ faciei, gestantem codicem veluti Biblicum, ostendentemqve nobis omnibus, qvomodo & per qvod remedium Æger ille restitui posset.* 5 *Qvo ab illa accepto, ingrediebamur Conclave, ubi Reges cum Viris Ecclesiasticis assidebant: in medio autem illorum Æger ille, cujus gemitum & stertorem jam ante januam audieram, qvem in agone esse dictabant.* 6 *Considentes autem illi, nobis ignoti, qværebant ex nobis*, qvid illi esset propinandum, cùm jam agonizet? *& ego manu tenebam medicinam illam, qvam alii mirabantur, alii gaudebant.* 7 *Expergefactus cogitabam qvidnam vidissem, suspirans, & Deum orans: Dominus autem*, Accipe Tabulam & scribe! 8 *Id cum fecissem, dixit Dominus:* Serve mi, vidistinè Mundum ægrotantem? Et ecce qvanta consultatio, qvanta mea de illo cura & solicitudo? per eos qvos illi omni ævo submittebam. 9 Qvorum aliqvi erant insignes, magni & potentes, verbô & opere: alii parvuli, & apud Mundum contemptibiles, velut infantes, aut qvisqviliæ, & rejectamenta. 10 Sed qvisqve tamen illorum habuit pondus suum, sicut & adhuc habent: posthabitô qvid Mundus & Mundani dicant vel agant, dummodò illorum qvisqve agebat, qvod mandavi. 11 Magnus & nunc labor est, qvem restituendo ultimùm Mundo per vos, Viros diversæ ætatis & conditionis, impendo: qvi cum omnibus rebus suis, externis & internis, jamjam agonizat, cujus gemitum lethalemqve stertorem audivisti. 12 Curate itaqve, curate Morbos ejus: dico vobis

vobis Medicis, ad clavum rerum sedentibus! sed incipite à vobis ipsis, vos Potentes, Sapientes, Docti. 13 Ut eluctemini ex erroribus vanarum cogitationum vestrarum, super carnis rationem fundatarum: vos erroneè & molestè, sine Lege mea, & veritate inclusa illi, de me loqventes & scribentes. 14 Ideò qvisqvis unqvam aliter vobis loqvutus est de Me, & Opere meo, qvàm ego loqvutus sum & loqvor in Lege & Prophetis, ad Apostolos usqve testes meos fideles ac veros, anathema esto! 15 Infinita dixistis & scripsistis, Mundum tamen semper morbidum, per omnes Terræ angulos, relinqvitis. 16 O expendite hæc vos Reges & Principes, Ecclesiarumqve Pastores, & homines doctrinam puram ex ore meo profectam habentes! & projicite à vobis splendorem in cæteras Orbis plagas, vos Europam inhabitantes. 17 Commonefacio vos hujus rei, per me ipsum & alios hinc inde, sitientes salutem Gentium, sanationemqve moribundarum Nationum terræ, habitantium sine agnitione mei, & plenæ voluntatis meæ, Dei æternùm viventis. 18 Arripite manu gladios adversùm Operarios malos! & exterminate eos de Terra, tanqvam maledictos! ut exsurgat rursum gloria mea illis; qvi se patiuntur duci. 19 Curate Morbos eorum, curate, nam tempus est! 20 Currebant multi, & currebant operosè, ignari qvorsum: tantùm qvòd per naturam sentiebant dulcedinem mei, qvi eis vitam largitus eram temporalem. 21 De æterna verò nihil sciebant multi, sicuti adhuc multi nesciunt, per Mundi deserta dispersi, & angulos ejus inhabitantes. 22 Inclamate itaqve diebus his eos, qvos ego exurendis ac perdendis in facie totius Terræ Idolis, ac Idololatris, ignem accendere jussi. 23 Vos Reges & Principes, exacuite mentem & cor ad obseqvium meum! & statim vobis benedicet præpotens Dextera mea. 24 Nihil metuite! dummodò vos meam gloriam & proximorum salutem qværetis, juvabo vos ego: & retribuam vobis mercedem in ipsam æternam æternitatem. 25 Obsigna hæc nomine meo, serve mi! & redde nota habitantibus per Orbis climata Nationibus, per eos qvibus opus hoc mando, & mandavi modò: qvibus & promisi, qvòd cum illis ero, & posteris eorum, sicut & tecum. 26 Surge, & hæc scribe! 27 *Johannes Zytk. consiliò juvabit. in S. N B: qvem hujus etiam rei causâ hûc adduxi, ut juvet, me timens, non homines.* 28 Omnia obseqventer agite, etiam cum Jona M. ad qvem proficiscere. 29 *Ego igitur hæc omnia, cùm admiratione & lacrymis excepta, descripsi, orans pro me, & omnibus qvibus Opus hoc Dei agendum est, notis & ignotis mihi, &c.*

[Detegit hâc Visione Deus, qvid Eruditi Libros scribendo, Religiosi Religiones reformando, Potentes politias (aut hoc illud) mutando (qvin & belligerando) qværant: nempe Morbos curare generis Humani, ignorantiæ, irreligiositatis, confusionem. Qvod ut porrò faciant monentur, v. 12: maximè Christiani Europæ, 16: cum spe efficacis remedii à Virguncula (Ecclesia qvadam minore, sed puriore) subministrandi, 4, 9, 10, 14.]

REV. CCLI. Julii 14.

[*Visio sepulchrorum, Rami sine radice*, 2, 3. *Alterius Austriaci mors*, 4. *& sepultura sine honore*, 5. *qvia gloria Domûs illius exspirat*, 7. Medniano severum mandatum 8. & Principi, 9, 10. *cum promissione*. 11. 12.]

TEmpore diluculi somnô oppressus, vidi me in Cœmiterio sepulchralium monumentorum, veterum & recentium, pleno: inter qvæ unum fuit variè decoratum, floribus etiam. 2 *Cùm Cœmiteriô egrederer, stabat ad januam Vas, & in eo ramus viridis foliis amplis: qvem ut prehendi, statim se eximi passus est, ut mirarer.* 3 *Sed vidi radice destitutum, & in manu mihi marcere subitò.* 4 *Qvod cum mirarer, facta est vox Domini ad me:* Alter qvoqve de Domo Austriaca morietur, secundùm sermonem meum. 5 Sepelieturqve uterqve sepulturâ asini, neqve relinqvent signum gloriæ monumentis suis, sicuti reliqverant Majores eorum. 6 (*Alii de hoc plus intelligent qvàm tu.*) 7 Illi enim duo claudent januam gloriæ Domûs Austriacæ: juxta sermones oris mei dudum prolatos. 8 Tu autem parata habe qvæcunqve Tibi diebus his loqvutus sum; cumqve ad Jonam venies, dices illi: Ut ne gustent panem dentes ejus, nisi mittat omnia hæc Principi. 9 Moneatqve ut pareat consiliis Dei: consiliumqve det Ordinibus Regni convocandi Comitia. 10 Scribat etiam ipse Princeps Posoniensibus, ut attendant Coronæ, neqve patiantur evehi. 11 Cumqve ad Comitia ibit Princeps, venient in occursum illi isti etiam, qvi ei, Domuiqve suæ, minùs favebant, & favent, eligentes ipsum in Regem: qvia videbunt malè fore Terræ huic, nisi ita fiat. 12 Atqve hîc tu etiam sermonum meorum veracitatem videbis: nam tempora mea decurrunt. 13 Sed & his diebus mira audies: Surge, & abi, ut hæc describantur, & (*in Latinum*) transferantur. 14 *Abii ergò, & curavi: de Ferdinandi qvarti obitu (qvòd qvadriduò antè mortuus esset ibi) certior factus.*

REV. CCLII. Julii 17.

[*Visio cadaverosæ faciei*, 2. *applicatur ad Cæs. Ferd. III. Augustus successor*, 3, 4 *Tempus liberandarum Nationum (à Papa & Austriacorum jugo) adest*, 7. *Postremi tres Austriaci vacui luce Dei*, 10. Crepundia Idololatrica exurenda, 15. Dissentientes in Religione non gladiô tractandi, sed charitate, 16. *Pax Orbi sub vexillo Christi*, 17. *ad qvam invitantur Gentes* 18, *&c. Miracula qvare non edat hodie Christus*, 27. *Klobucicius*, 33. *Balasdii consilium* 35.]

CUm peregissem suspiria mea, manè, ostendit mihi lucem qvandam Dominus, fulguravitqve bis in oculis meis: qvod mirabar. 2 *Et mox vidi faciem hominis cadaverosam, terram versus inclinatam: cogitans, cujusnam esset?* 3 *Et Dominus:* Cæsar modernus est. Vidistíne qvomodo terram cernat. ad

ad finem festinans suum? Alius illi succedet Augustus, Imperii ampliator. 4 *Ubi ecce iterum vidi personam virilem, & personam uxoris ejus faciei rotunda, simpliciter vestitam.* 5 *Cogitabam ergò, qvid mihi jam esset faciendum: & Dominus.* Scribe qvæ loqvar. 6 *Accepi ergo Tabulam: & Dominus sic orsus est.* 7 O si jam tandem vellent Nationes Imperii videre tempus liberationis suæ! ad deturbandum humeris suis potentiam vanam Domûs Austriacæ, & Papæ Romani! 8 Qvi cum doctrina sua sub isto delituit, dominatus hæreditati meæ, & conscientiis Populi mei, propriô meo sangvine redemti. 9 Cui populo meo jamjam subvenire constitui, stateramqve Domûs Austriacæ (malis ejus facinoribus eá libratis) in abyssum terræ præcipitare decrevi. 10 Nullus Austriacorum luce gratiæ meæ tam fuit vacuus, atqve iste adhuc vivus; & Pater ejus, jam mortuus; cum nepote isto suo jam qvoqve exstincto. 11 Nihil enim penitùs de me Deo, rebusqve veritatem Legis meæ spectantibus, intelligit: & hîc regere debebat Mundum, Nationesqve in eo? 12 Vidi ego, qvorsum Pater ejus, cum Religiosis factionibus suis, tenderet; ideò detraxi Rosam illam olidam, & dabo Rosam meliùs fragrantem mihi, & Nationibus Terræ, dummodò illi, & in qvibus hîc situm est, obseqvantur mihi Factori suo. 13 Eximam ego illos compedibus, durôqve jugô hominum spirituales titulos & carnalia opera habentium: vitam qve sine virtute, scientia, pietateqve, per doctrinam falsam, transfigentium. 14 Larvam duntaxat Christianismi gestabant, eâ me & populum meum decipere qværentes, profligatissiméqve interim viventes: in opprobrium Crucis meæ, doctrinæ meæ, veriqve Christianismi, omnia docentes & facientes.

15 Succendite ignem, ó Cives Imperii! & projicite in flammam Cruces istas ligneas, lapideas, & qvalescunqve! & suscipite Crucem meam, veræ mei in spiritu & veritate imitationis. 16 Et ne occidite gladiô eos, qvi me nondum norunt: sed illis dextram charitatis offerte, & lucem Legis meæ ad eos mittite, per viros à me illuminatos, qvos jam in Europa & alibi habetis. 17 Et regnabitis vos Reges cum Reginis Vestris, & Principes cum Principissis vestris, pacatè sub vexillo meo, qvod erexi tùm per Me, tùm per veros meos testes, post Apostolos. 18 Qvales hucusqve habeo pro vobis, ó Nationes, qvæ in umbra mortis adhuc sedetis, & me, verum Mundi Salvatorem, nondum nostis. 19 Sed cognoscetis: cùm vos circumsonabit ex ore meo progressa vox doctrinæ meæ, obsignata sigillô vitæ meæ, multorumqve sapientum à discessu meo Ecclesiæ Doctorum, qvibus Mundus non erat dignus. 20 Magni ego æstimo vos: tantummodò jam intra vos ipsos, propter vos ipsos, resipiscite! dum ad vos adhuc extendo manus. 21 Idqve gratis, sine meritis vestris: in testimonium ultimô hôc seculô, me qvæsivisse, & qværere; oves per Mundi plateas errantes: 22 Anteqvam occlusero januas, & obtenebravero oculos, ut ne inveniar in æternum cum iis cum qvibus nuptias ago, & agam in æternum,

sine

ſine illis qvi me cognoſcere, ne ultimô qvidem hôc tempore, volunt. 23 In teſtimonium hæc loqvi mando vobis Idololatræ, aperti & occulti, qvi ſine intelligentia veri mei cultûs ubicunqve ſub ſole vivitis. 24 Jactatis me Deum eſſe veſtrum: cujus tamen nec perſonam, nec nomen, nec opera, noſtis, & propter tenebras in qvibus ſedetis noſſe non poteſtis, multi etiam non vultis. 25 Hoc autem ideò, qvia Spiritu meô eſtis vacui; neqve ſpiritus veſter, ut cognoſcatis me, dare vobis poteſt, ſi vos in omnem veritatem non deduxerit Spiritus veritatis. 26 Et qvomodo vos deducat, qvum virtutem ejus ignoretis? nec illum à me petatis? ſicuti petierunt, & petunt, qvorum ego oculos luce Legis meæ ſanctæ, Operumqve olim editorum miraculorum, illumino. 27 Qvalia miracula non ſic jam edo, qvia Domum meam perfectè, qvaliter mortalitas veſtra reqvirit, jam illuminavi. 28 Ut in ea, qviſqvis veram doctrinam meam habet & novit, videre qveat tùm me Regem totius Terræ, tùm cimelia qvæ in Domo mea reliqvi, & ad regimen, & ad cibum potumqve, & ad amiciendum vos veſte Juſtitiæ meæ, ſine qva nemo videbit me in æternum. 29 Inclinavi ego me ad vos ecce adhuc! inclinate vos qvoqve vos ad me! & operamini Opus meum bonum, non opus veſtrum vanum, ó totius Terræ homines! 30 In qvo juvate vos, vos filii doctrinæ mei ſancti Evangelii! ipſi jam docti, & à me illuminati, hac in Terra & alibi per Orbem. 31 Qvi veſtrûm me diligitis verè, diligite illos etiam qvibus per vos ſuccurri volo, & mando: & ego ipſe merces ero veſtra magna valdè, hîc & in æternum. 32 Surge, & hæc ſcribe! 33 Scribe & Klobucicio! ut qvod ego cum illo, & per illum, ago, ne ſibi tribuat, ſed mihi. 34 Conſiliaqve det Principi, non prout humana ſvadet ratio, ſed prout ego mando: ita manebit obſeqvii eorum vocis meæ memoria æterna. 35 Abi ad J. M. & dic, ut ad D. Balasdj tecum eat: ſuggeret ille his rebus conſilium, utile vobis & Incolis Regni, ipſiqve Principi. 36 Ego te viſitatione Eliſabethæ viſitabo: vigila & ora. 37 *Et laudavi Dominum canticis.*

REV. CCLIII. Auguſt. 3.

[*Inſtantem rerum mutationem nemo vult intelligere*, 2, 3, 7. *qvam* annus 1656 oſtendet, 4. *Nuptiæ Agni parantur*, 5. *Comminatio iis facta*, *qvi promovere Opus Dei recuſant*, 8, 9. 12, 13. *Cilicium patientiæ*, 10. *J. M ſerius*, 14. *Diffidentes non curandi* 16, 17.]

VIdi *per ſomnum Invitatores ad nuptias: utqve evigilavi cecidit lapillus: & cogitabam qvid iſtuc eſſet.* 2 *Dominus autem:* Ruina Domûs Auſtriacæ jam advênit, qvod tamen nemo intelligit præter me. 3 Sed intelligere debebunt etiam illi, ad qvos pertinget vox mea: *Vigila & ora!* 4 Beatus qvi attinget annum 1656. 5 *Fidelis eſto!* Ego agam opus meum, ſicut egi tempore deſolandæ Ieruſalem: nam Nuptiæ meæ, qvas adorno Populis Terræ, appro-

approprinqvant. 6 Mira sunt judicia Mundi de Operibus meis: sed pauci intelligunt mysteria viarum mearum. 7 Ecce qvi debuit inchoare, noluit hucusqve! si alii inchoabunt, væ illi, nisi adhuc resipiscat. 8 Sat diu illum inclamavi, & inclamo etiam nunc: qvis vestrûm hoc non intelligit? sed obturavit oculos, ne videat. 9 Percutiam ego Terram virgâ iræ meæ: peribitqve sapiens cum sapientia sua. 10 Tu cilicium patientiæ super humeros accipe, qvia modum auxilii mei ignoras: duriter enim opus procedit undiqve. 11 Demetam ego annonam Terræ hujus, tanqvam diluviô: cùm supervenient utrinqve hostes, qvos non speratis [*nempe & Turca, & his oppositi Christianorum exercitus.*] 12 Tetendi ego arcum meum, missâqve sagittâ interficiam eum per qvem hactenus stetit, ne qvidqvam fieret: id qvod brevi audies. [*Vide Revel. CCLVIII. v. 2. & 3.*] 13 Tu jam qviesce, exspectans dum ipsimet exqvirent: appropinqvat omnium impletio, qvæ unqvam loqvutus sum. 14 J. M. de rebus agi cœptis multa meditatur: Clamabit ille, & non in cassum: mirum est de illo qvoqve judicium meum! 15 Apud J. Ef. omnia sunt, uti semper, suspecta, qvamdiu non videbit: sed hoc te nihil moveat; satis factum est in testimonium illi, & aliis. 16 Protectio mea tecum est: fidelis esto, hominumqve causâ ne te macera! vigila & ora! 17 *Oravi igitur, hymnô Ecclesiasticô fragilitatem deplorans meam.*

[*v. 4. qvi attinget 1656*] Attigimus multi, necdum beatitatem illam videmus: nisi fortè de consilii divini jam non retrò ituro successu (uti hactenus sæpè) intelligendum sit. Vide Poniat. Append. III, qvæ de Waldsteinii interitui destinata die fuerunt dicta, 1628, Decemb. 2.]

Rev. CCLIV. August. 7.

[*Classicum contra Babylonem, 2, 3, 4. Piscatura Gentium adhuc infidelium mandatur, 5. Invitatio earundem, 6. &c. Mundi status Babylone destructâ exspectandus pacatus. 15. Proclamanda hæc per Orbem, 19, 23.*]

A*Ngebar spiritu, manè, ferventer orans.* 2 *Et facta est vox Domini:* Tollite & attollite corda, ô vos servi mei! venerunt enim contestati dies judiciorum meorum. 3. Dies mei, dies præliorum meorum, præliorum adversus Babylonem! contra te ô Babylon, qvæ jam hôc tempore promeritas dudum accipies impia pœnas! 4 Beati, qvi accipientes de manu mea plagas, effundetis eas super blasphemos, hôc jam tempore, ô vos Reges, vos Principes, vos Milites mei! 5 Vos autem servi mei, Ministeriô (in Ecclesia) fungentes: Projicite rete in dextrum latus, ad piscandum Iudæos, reliqvias frugum æstatis meæ, racemos vindemiæ meæ! sed & gentes Turcicas, Tartaricas, aliasqve transmarinas. 6 Nam carceres meos aperui, plagæ meæ contra vos jam sanatæ sunt: ut introeatis ad convivium in Domum Ecclesiæ, ubi sunt spolia thesaurorum meorum. 7 Beati qvi ex mandato meo illa

vobiſcum divident! jam eſtis intra oſti-
um deſtinatorum à me temporum. 8 At
non ſine diſcriminatione inter puram &
impuram pecudem: nam ecce puri eritis
omnes, qvi auſcultabitis voci meæ Pa-
ſtoris veſtri, ut ne ambuletis ampliùs
poſt Baalim: 9 in Domo ſangvinis alie-
ni, qvem ego non fudi è latere meo,
cùm pro vobis etiam ponerem animam
meam. 10 Habuiſtis, & bibiſtis, locô
Olei venenum: & locô ſanantis Ung-
venti percuſſionem iræ: à qva vos jam
dimitto, non meritô veſtrô, ſed gratiâ
meâ. 11 Tantummodò ut jam occlu-
datis oculos proprii judicii, & car-
nalium perſvaſionum, qvibus vos ſe-
ducebant qvi me noſſe nolebant. 12 In-
tenti erant illi bonis ſuis externis &
temporariis; interna & æterna mea
non videbant, qvia ſtultitia illis erant.
13 Sublimiora ſunt ſupra captum ve-
ſtrum, qvæ ego vobis offero per teſtes
meos: qvibus & antea ſum uſus, &
nunc (*utor*) temporis veniente pleni-
tudine. 14 Qvis veſtrûm, ô Nationes,
intellexit, qvodnam eſſet tempus qvô
liberandi eratis? anteqvam comple-
rentur omnia in iis qvi vos ſeducebant?
15 Reddite ipſis duplum! tenebras
pro tenebris, & plagas pro plagis, ô
vos à me jam illuminati Orbis Potentes.
16 Et perfruemini ſolatiis plenis, cum
Regnis & Terris Veſtris, poſtqvam ex
illis ejecti fuerint turbarum concitato-
res. 17 Implebitiſqve Mundum cog-
nitione mei æternùm viventis, qvem
cognoſcere non poterant niſi cùm aſ-
ſignata illis tempora venerunt, & jam
adſunt. 18 Ego qvod loqvutus ſum
pridem, loqvor & nunc, veſtri cauſâ ô
Populi me adhuc ignorantes! tantum-
modò conſilium admittite, & mori
deſinite, ſeparati à gratia ergà vos mea
æterna! 19 Eja divulgate hæc per
Mundi fora & plateas, vos ſervi mei:
& benè vobis erit, hîc & in æternum.
20 Nolite erubeſcere me, & non eru-
beſcam vos in die mea. 21 Surge, &
iſta ſcribe dilecto meo, & tuo. 22 *Feci,
decantans Pſalmum* 99.

Rev. CCLV. Aug. 8.

[*Viſio rupti dolii braſſica vetuſta* (1, 4.) *de proceſſu judiciorum Dei adverſus Babylonem explicatur*, 5. &c. *Saxum à machinatoribus in propriam contritionem volutatum*, 11. *Reges excutere jugum pſeudo-ſpiritualium docentur*, 13. *ipſiqve Ordinem Politicum & Eccleſiaſticum tueri*, 15. *Calix ira Cainitis ebibendus*, 19. *de Rerum Emendatione opus edendum* 21. &c.]

*Luceſcebat: & oſtendit mihi Dominus
Dolium ingens, plenum braſſica vetuſta,
cujus circuli rumpebant, & liqvor exſtillabat.*
2 *Viri autem robuſti concurrentes novos
circumducere tentabant circulos, ſed fruſtrà:
effluebat enim violentius.* 3 *Illi ergò la-
mentabantur, non prius eſſe proviſum: ego
verò mirabar, videns eos operam ludere.*
4 *Hoc ubi tranſiit, cogitabam qvid illud
ſignificaret: & Dominus, aliqvantò pòſt;*
Scribe! 5 Oſtendi tibi Dolium in
qvod congregavi Nationes Terræ, re-
ductas in ſpiritum unum ad Opus me-
um: de qvo Meridionales parum ad-
huc intelligunt, ſed informabuntur
ab Occidentalibus. 6 Et ecce, nulli
ratio-

ratiocinationum humanarum circuli, nec ulla astuta hostium meorum consilia, obtinere poterunt, qvin conspiratio contra Babylonem, & Meretricem Bestiæ insidentem, procedat. 7 Id autem qvis fecit, & faciet, nisi judiciorum meorum consilia, cum Babylonicæ ruinæ termino decurrentia? 8 Et attende tu jam, cum aliis me & doctrinam meam diligentibus, hâc etiam in Terra, qvàm discursabunt, ejulabunt, consilia qværitabunt, ut opus hoc sistant? sed omnia jam in cassum. 9 Ibunt ut diluvia Exercitus mei: neqve dicet qvisqvam, In cujus gratiam ista fiunt? 10 Sed hoc tantùm; *DESTRUENDI ET EVERTENDI TEMPUS VENIT!* qvod anxiè exspectabant per totam Europam ab Antichristo afflicti. 11 Volvebant filii Babylonis super montem altæ humanæ sapientiæ ac potentiæ saxum: qvod ecce jam revolvitur, superqve ipsosmet cadet, neqve sisti poterit: donec superbiæ, tyrannidis, mendaciorumqve & imposturæ, cornua conterat. 12 Iamjam enim lapsabant justi sub tyrannide Babylonis, & adminiculatorum ejus. 13 Revertimini ergò Reges terræ ad Sceptra vestra, ut regnetis sine dominatu super vos superbæ illius Spiritualis potestatis, non spiritualiter, sed mundanè, Vobis legitimè à me constitutis potestatibus dominantis, & vos deprædantis. 14 Isti enim spirituales detrahebant capiti Vestro honorem, qvem ego illis nunqvam dedi, nec ipse in Terra existens unqvam usurpavi, tametsi omnem Cœlô & Terrâ potestatem à Patre mihi traditam habui. 15 Satis hoc sit ad intelligendum Vobis, qvod & antea sum loqvutus, & nunc loqvor: nec aliis loqvor qvàm vobis, qvibus locum meum in Politia & Ecclesia, ordinis causâ, commisi: 16 Ut sciatis qvomodo in mea magna Domo, Mundi Nationibus, regnetis, Ordinemqve Ecclesiæ tueamini, meliùs atqve à tot seculis factum. 17 Qvas confusiones tolerare diutiùs neqvivi: qvia illô sub regimine omnes virtutes moriebantur in Europa, in conspectu Infidelium, qvibus subveniri non potuit, qvamdiu caligo illa in terra serpebat. 18 Accendite igitur facem doctrinæ meæ, Evangelii puri, Legis meæ Vobis traditæ, super vos ipsos & Infideles adhuc, ó vos Christiani, qvi nomen à me acceptum geritis! 19 Infudi jam ego Calicem, ut ebibant feces iræ meæ illi, qvi sangvinem innocentem posterorum Abel cultoris mei, simplicitatem ac veritatem diligentis, sorbebant. 20 Tu autem serve mi ne lassesce in labore hoc: nam dies mei ad Mundi finem properant. 21 Sed & dilectus meus ne differat alloqvi Populos & Lingvas, ad illuminandum eos. 22 Nam ab Apostolorum tempore nihil simile, & seculo huic æqvè accommodum, editum est à qvoqvam, atqve illud est qvod juxta decretum consilii mei animo ejus suggessi, & suggero, ad illuminandum Nationes Mundi, proferendumqve in lucem arcana, in secreto consilii mei adhuc reposita. 23 Qvapropter fideles mihi & vobis estote, cum omnibus ad qvos hi sermones mei spectant: Operis mei memoria manebit in æternum. 24 Surge, & hæc mitte qvorsum mittenda

ſunt: Vigila & ora, cum fiducia protectionis meæ. 25 *Scripſi ergò cum timore, & oravi: commendans Deo me, Nationésqve illas mundi, per qvas glorificandum eſt nomen Domini.*

REV. CCLVI. Auguſt. 17.

[*Viſio panni ſubitò texti, de celeritate operis Dei adverſus Beſtiæ nutritios explicatur*, 3. *Repagula conſiliorum Domûs Racocianæ diſjicienda*, 8. *I. M.* 10. *Vindicibus Eccleſiæ merces promittitur*, 13. *Reformatio Mundi inſtat*, 14. *Pſeudo Eccleſiaſtici perdendi*, 19. *Rex Bohemiæ novus*, 23.]

M*Anè à precibus oſtendit mihi Dominus lanam netam, unde pannos faciebant ad texendum pannum, texebantqve.* 2 *Nec multò poſt attulerunt volumen panni paratum, pulchrè decoratum: qvod ego intuitus, qvid eſſet cogitabam.* 3 *Et Dominus:* Jam veniunt flatus procellarum mearum ab æterno decretarum 4 Jam enim dejicio, & dejiciam, mortibuſqve proſternam, illos Mundi potentes, qvi fulciebant Beſtiam. 5 Super qvos aggeſſi lapidum congeriem, ad humi ſternendum Goliathos Davidi maledicentes: ut pereant de terra, nec videant renovationem Domûs & Civitatis meæ, Mundi. 6 Ferdinandus etiam tertius: qvi apud homines vivit, ſed apud me mortuus eſt, nec vitam gloriæ meæ vivet. 7 Qvia curam ejus non ita habuit, ut per Gentes ſibi concreditas ego glorificarer: nemo illi opitulabitur, donec & pereat. 8 In Domum Racoci ingreſſus eſt qvidam, qvi repagula disjiciet Conſiliariorum ejus, obſiſtentium ne ille mandata ſibi à me dudum faciat. 9 Si ſurrexerit, gladiumqve ad diſſecandum meos & ſuos hac in Terra hoſtes, Ieſuitas & reliqvam Babylonis colluviem, arripuerit, Illi & Terræ huic benè erit. 10 I. M. eum excitat, excitabitqve ſermonibus ſuis, ne dormiat: collectô etiam nunc Viennæ novô lumine ad promovendum ſtamen Operis mei. 11 Cumqve ſecundò inclamabit Principem, audies tu pariter: ora itaqve pro illis, & iſthæc ſcribe! 12 *Qvod illicò feci, decantans Pſalmum* 86 (Inclina Domine aurem tuam, &c.) 13 *Dominus verò iterum:* Qvicunqve veſtrûm à me electorum ultionem inducet ſuper Beſtiam, ſicut denuntiavi, mercedem vitæ accipiet cum Agno Dominatore Terræ, futuriqve ſeculi, plenæ ineffabilis cum ipſo gaudii: & hæc merces erit æterna. 14 Revertimini, revertimini ad me, ô Nationes Terræ! nam appropinqvat ut impleantur omnia, qvæcunqve à ſeculis ego per os meum & alienum, loqvutus ſum. 15 Collecturum eſſe me Zizania in campo Agri mei; & piſces de ſagena Mundi, ad complendum menſas Nuptiarum mearum: 16 Qvod prohibitum ibant ſeductores illi, ſine me ſuper Terram regnantes: qvorum ſtrepitus non erat vox jucundæ jubilationis in Sion, ſed fuit vox fœtoris fulminei ignis: 17 Qvô venenabant Oves, caprinos pilos & mugitum habentes. 18 Qvem adulterini Idololatrici Cultûs mugitum nolo ampliùs audire: Illæ enim (Oves) moriebantur.

tur sine me Pastore æternæ gloriæ.
19 Qvapropter vos maledicti inter-
fectores verarum & fidelium Ovium
mearum, perite, & eradicati estote
de terra! 20 Nam vocem meam,
qvâ vivunt Oves meæ, vos detineba-
tis: ne audirent eam illæ Oves meæ,
pro qvibus ego animam posui meam,
à me ipso sine illarum meritis, qvip-
pe qvæ nondum erant. 21 Exarsi
ego erga vos æternô amore, ó Na-
tiones: ut inhibeam interitum ve-
strum, licet à vobis non reqvisitus.
22 Qvia me non noveratis, in tene-
bris vanarum Religionum constituti,
sine luce & face legis meæ, sineqve
illis in qvorum manus eam dedi, ad
congregandum vos in Ovile meum.
23 Serve mi, veniunt tempora intro-
ducendi Pragensem in Arcem Regis,
cui ego suffragatus sum, & suffragor,
contra votum & spem omnium homi-
num: qvod mirabuntur permulti.
24 Sufficiat autem modò: Surge,
scribe. 25 *Et feci sic, decantabamqve
Psalmum* 117.

Rev. CCLVII. August. 20.

[*Visio administrata Eucharistia resolvitur in lamenta Dei super ingratitudinem hominum*, 11. *Qvibus proponitur Cœlum & Infernus* 22. *Potentia Dei in resuscitandis mortuis* 31. *Via & ostium ad Christum* 37. *Bonis benè, malis malè futurum*, 38.]

*ITerum factum est ad me verbum Domi-
ni, postqvam mihi Dominus ostendisset
Virum vultu gravem, & aspectu decorum,*
2 *Tenentem manu Vasculum sacrum &
Calicem, in qvibus Panis erat consecra-
tus, & Vini loco mel dulcissimum.* 3 *Et
administrabat Vir ille mihi & aliis, notis
& ignotis mihi, ibidem præsentibus:* 3
*Cum enarratione nobis, qvàm suave sit
cum Creatore suo partem habere, gustuqve
æternæ convivationis hic in terris praliba-
tô, in cœlis deinde ad plenum perfrui.* 5
*Declarabat simul, qvâ id ratione fiat cordi-
bus & animabus nostris perceptibiliter, vi in-
ternæ vivificationis, externè autem fide par-
ticipationis.* 6 *Qvod plerosqve nec intel-
lexisse nec intelligere; imò constitutos in va-
riorum errorum tenebris rem qvoqve ipsam
ignorare.* 7 *Et rursum: qvàm triste sit,
æternisqve deplorandum lacrymis, hisce cum
Deo deliciis privari, & iis in æternum ca-
rere.* 8 *Qvæ audita in me admirationem,
ingensqve gaudium & gratiarum actiones
excitârunt, qvod mihi qvoqve his cœlestibus
in corde gaudiis perfrui datum sit:* 9 *De-
cantabamqve hymnum, de misericordia Dei
erga Hominem lapsum, qvem per Filium
reparatorem vitæ restituat &c.* 10 *Non
ita longè post, alloqvutus me Dominus &
Deus meus, singulari zelô ita fatus est.*
11 Ecce tempora mea accepta! ecce
dies gratiæ igne amoris mei erga vos,
ó Nationes Terræ, accensæ! in qvibus
Vos inclamavi, & inclamo. 12 Sed
qvid, dum multi nihil attendendo ne-
sciant, multi etiam scire nolint, qvid
& dudum promulgatum sit, & promul-
getur modò? 13 Meliùs esset multis,
non natos fuisse: qvia dies salutis dum
semel transibunt, non redibunt in æ-
ternum. 14 Tu jam sile! nihilqve
ampliùs illis detege, qvibus te loqvi

jusseram, donec inqvirant ipsimet. 15 Magnum apud me hoc est, qvod me Populus meus audire renuat. 16 Qvis illorum novit qvid in consilio meo sit, indicet tibi? 17 Inexcusabiles erunt apud me: nam ecce frustrà eis loqvutus sum, & in hodiernum loqvor. 18 An verò ego sine illis etiam miracula edere non potero, mediorum apud me ipsum habens satis? 19 Et qvem, atqve cujus bonum, qvæsivi & qværo, nisi eos, & eorum bonum, hac in Terra & alibi per oras terræ? 20 Qvæ omnia dum aspernantur illi, caliginem terrorum iræ meæ sibi advocant: qvæ iræ caligo jam in foribus est, tametsi credere nolint. 21 Qvas fores si illi occludunt, ego recludam, iterumqve occludam: non recedent sagittæ iræ meæ ab irritantibus me incredulitate suâ, ut non recesserunt à Sodoma & Gomorrha. 22 Væ vobis, si Cœlum qvoqve super vos occlusero, ad negandum vobis lumen gratiæ! qvomodo expostulabitis mecum? lucis enim mihi satis est sine vobis, ó homines. 23 Sustento ego vos, vos inqvam, non mei, sed vestri causâ: ne vos ante tempus opprimat rigor justitiæ meæ. 24 Qvod vos intelligere non vultis, vacui timoris mei, confisi vobis & pactò qvod vos fecisse putatis cum morte & inferno. 25 Sed ô vanitas, vanitas! qvam dum seqvimini, Cœlum & Terra vos accusabunt. 26 Et accusant illi qvoqve, qvos ad consolationis lucem promovere renuitis: cùm tamen præmium æternum vos exspectaret, qvod non vultis intelligere. 27 Ne igitur similes estote Bobus, vultum suum nunqvam sursum attollentibus: qvia sibi Terra sufficit. 28 Vobis autem, ô filii Hominum, ego aliam paravi mansionem, æternitatis Domum bipartitò divisam, in Cœlum & Infernum. 29 Vos maligni, sine me regnantes, ne aliud exspectaveritis, qvàm plagas pro plagis, & contemtum pro contemtu, qvem auferetis. 30 Nam noluistis agnoscere tempus, diem & horam, gratiosæ meæ vocationis ad laborem; pro glorificando nomine meo magno, in vobis & aliis, vicinis & remotis proximis vestris, in nationibus Mundi. 31 Cùm ego Lignum accepero, & concremavero igne, qvis vestrùm est qvi è cinere illud educat denuò! sicut ego vos educam è pulvere terræ, & constituam in ultionem malos, voci clamoris mei inobsequiosos. 32 Rursumqve constituam ad solatia & præmia me noscentes, meaqve mandata obseqviosè in terra exseqventes. 33 Si corde hæc perceperint ii, qvibus loqvor, ipsis benè erit: sin, malè. 34 Tu ne lassesce, sed mihi da honorem, in hoc opere meo, ut tibi benè sit. 35 *Qvibus ego auditis, & mox ad mandatum conscriptis, oravi Deum ut misereretur, corqve bonum & spiritum sanctum daret illis, qvibus annuntiari jubet voluntatem suam:* 36 *decantans illud Ecclesiæ solemne*, O sapientia increata, qvæ de Throno Altissimi egressa, mirabile omnium es principium, & finis, potentérqve, sapienter, benè, disposuisti omnia: veni, & edoce nos vias prudentiæ! 37 *Dominus verò addidit:* Non est apud me alia via, nec ad me ostium aliud, præter Obseqvium, Fidem, Dilectionem, & Patientiam cum timore judiciorum meorum. 38 Nam ecce bonis benè, malis malè, in æternum fuit, est, & erit. 39 Satis autem nunc,

nunc, serve mi! Protectio mea super eos qvi me timent, & qværunt in veritate. 40 *Et laudavi benedictum nomen Dei, decantans Psalmum* 80, O Pastor Israëlis attende, &c.

Rev. CCLVIII. 21 August.

[*Medniamski*, 1. *Bisterfeldius*, 2. *Adjunctus*, 6. *Princeps Transylvaniæ*, 9.]

A *Precibus matutinis vidi* D. M. *cum qvo agebatur de dimittendo Filio ad officium qvoddam in Arce nostra: ille autem renuebat.* 2 *Et Dominus, paulò pòst:* Validis argumentis aget ille causam meam contra eos qvi Principi aures obtundunt, præjudiciisqve suis ne ille indicatam sibi voluntatem meam faciat impediunt: qvorum primus est Bisterfeldius. 3 *Et mox vidi manum extensam, tenentem facem, qvam exstinxit ventus: & Dominus,* Exstingvetur candela illa. 4 Multa erat de illius consiliis opinio: sed ille, ut homo, parùm potuisset in substruenda Racociana Domo, si non ego illam ædificarem, nuper & nunc. 5 Duplex responsum super illa qvæ ad Principem missa sunt adferetur. 6 Adjunctus tuus, servus meus, plus eò loci qvò illum misi, ad inserviendum voluntati meæ efficiet, qvam in Hungaria. 7 Benè fecit, qvòd se compedibus horum exuit: qvibus ego te qvoqve liberabo, dum te tuâ in statione locabo. 8 Vigila & ora! mira brevi tuam ad notitiam venient. 9 Cùm Exercitus mei ab Oriente & Septentrione incipient surgere, si Princeps occasioni non deerit, benè sibi consulet. 10 Tu hæc parata habe, ad referendum illis in testimonium. 11 *Ego autem oravi pro Principe, & J. M. & Consiliariis Domûs Racociana,* &c.

[v. 3. Exstinctus fuit brevi pòst: impleta qve comminatio facta Rev. CCLIII. 12. v. 5. *Duplex responsum*) Fuit: alterum Principis manu, de qvo Annot. ad Rev. 247. alterum postea negativum.]

Rev. CCLIX. August. 23.

[*Susurratores in somno visi*, 1. *argutatores in Aula Principis*, 3. *Responsum ad ista*, 6. *Revelationes hæ sub censuram qvibus danda*, 7. *Cœli signa, nunc frequentia, qvid portendant*, 11. *Ignis & Aqva* 14. *Christum ignorantibus succurrendum amore Dei*, 17. *Contestationes hæ Dei ad qvid*, 23. *Solus Deus timendus*, 24.]

D*Iluculi tempore vidi Viros religiosos Pontificios habitu vario, illisqve mistos Anabaptistas, à qvibus mihi metus surgebat: qvia solus cum illis assidebam mensa, illi verò capita conferendo susurrabant.* 2 *Qva cùm transissent, orabam ardenter cum timore Dei, tùm mente tùm voce:* 3 *Et Dominus:* Scribe qvæ dicturus sum: nam ventilant variè ratiocinationibus suis in Principis Aula verba mea, de ore meo profecta, etiam sic dicentes: 4 Conturbatio Nationum fiet, si

nos isthæc moverimus: & qvis nostrûm obstruet ora, ne dicant, Deus non mutatur? 5 Saltem ergò tempus nobis sumamus, donec permaturescant fructus Arboris illius, cujus rami robusti adhuc sunt: nec in nobis vires sunt ad asseqvendum horum sermonum veritatem. 6 Sed metus hîc ex ratione carnis profectus frustraneus est: qvia consilium non est contra consilia mea. 7 Si eos adibis, dices eis: Si mihi non est loqvutus Iehova, date hæc ad librandum arbitris. 8 Sed iis, qvibus est cor simplex, & apud qvos est fax Lege meâ & Prophetis accensa, ardens veritate. 9 Sed qvanti vos valebitis, cùm vos propria conscientia vestra convincet coram hominibus? 10 Et qvid, cùm ego vos coram Angelis convicero? & robore potentiæ meæ causam meam egero sine vobis? 11 Signa mea cœlestia contra vos erunt, qvibus ego vestri causâ utor, non meâ: sic etiam contestando, velle me rerum Mutationem in Mundo fieri. 12 Cùm tamen qvis unqvam è vobis hominibus dicere ausus est, Præstemus aliqvid simile his qvæ in firmamento fiunt? & fiétne ibi aliqvid ad mandatum hominis? 13 Frustra, frustra perscrutari me qværitis, ô homines intellectûs tardi, causam meam agere refugientes. 14 Si vos ego ad comburendum imposuero igni, ecqvæ aqva invenietur ad exstingvendum eum? 15 Nisi fortè non creditis, me ignem justitiæ Patris mei exstinxisse sangvine & aqvâ, ex me & latere meo profluente? 16 Idqve non unius vestrum, aut unius Nationis, causâ; sed pro toto in me credente, & me per agnitionem potentiæ operis mei in veritate perfruente, Mundo. 17 Non diligitis vos me, dum diligere non vultis eos qvibus ego per vos succursum volo, in Gente hac & aliis. 18 Si diligeretis me, daretis locum iis qvæ fert arbor dilectionis, cum fructu Fidei & Obedientiæ. 19 Qvæ si cui desunt, frustra se meum jactat Discipulum, frustra in mundo est, frustra excedet: 20 Detractam habens (vestem) vitæ meæ obedientis, detrahetur ipse qvoqve de loco & civitate habitationis mecum. 21 Qvod ubi venerit, & si venerit, væ vobis in æternum! mortem gustabitis æternam. 22 Nam inclamabam ego vos, & inclamabit vos propter incredulitatem vestram ipsa Terra: Terra inqvam ipsa, qvâ abusi estis ad obumbrandum vos, & oculos vestros, ne videretis hinc benedictionem, illinc maledictionem, meam. 23 Tu surge & scribe! Nam magna est contestatio hæc mea: qvæ si non proderit illis, proderit eis qvos habebo post vos in Terra, priusqvàm occlusero Domum meam, in qvam Virgines fatuæ, oleô destitutæ, non ingredientur in æternum. 24 Tu autem me time, non homines: Ego sum clypeus tuus, & protectio tua, ad diem vitæ. 25 *Qvibus ego auditis, & mirabar, & orabam decantans Psalmum* 82, Deus stat in cœtu Deorum &c.

Rev. CCLX. 26 August.

[*Gleba Salis montem versus tracta*. 1, 2. *Qvid portendat*, 13. *Dies exultationis Nationibus*, 4. *Potentia Bestiam fulcientium disjicienda*. 3. *Ferd. rosa malè olens*, 6. *Balasdi & Eleshazi*, 8, 9. *Sangvinem rei sangvine luant*, 16.]

ANte lucem somniabam, me cum altero qvopiam trahâ vehere Glebam salis: illô trahente, me verò à tergo trudente. 2 Cùm verò eam ægrè in montis clivum deduxissemus, reliqvimus ibi fractam: scrobes enim erant, & locus undiqve præceps, & invius. 3 Postqvàm evigilassem, & orassem, alloqvutus me Dominus dixit: Fidelis esto usqve in mortem, & dabo tibi coronam vitæ. 4 Veniunt enim Nationibus Terræ dies exultationis, cum voce jubilationis ob manifestatam veritatem vitæ, morientibus sine agnitione mei, qvi sum radix Davidis: cujus posteri ingredientur (introducti de plateis Mundi) ad accumbendum & convivandum in Domo Ecclesiæ meæ. 5 Dejeci, & dejiciam, potentiam Poloni, Hispani, Galli, Bavari & Saxonis, intricantium & distrahentium rete consiliorum meorum ratiociniis suis. 6 *Mihi autem venit cogitare Ferdinandum: & Dominus*, Decidit ille ut rosa malè olens, ab igne iræ meæ, qvod brevi audies. 7 Venient tibi solatio singularia, à Septentrione & meridie. 8 Cumqve J. M. redierit, convenies cum illo Balasdium, determinabitisqve de his consilium. 9 Sed adjungite Eleshasium, ut illi (*qvemadmodum antè dixi*) unum facti, alios informent ad celeriter exseqvendum voluntatem meam hac in Terra: unde aliis terror, aliis gaudium, orietur. 10 Tu mane in dilectione mea, qvam nemo novit meliùs ac ego, & tu. 11 Et perge laborare in eo, qvod mandavi tibi (*NB. S.*) venient solatia tua. 12 *Qvibus ego erectus, recogitare cœpi somnium, qvid illa Salis vectura montem versus significaret?* 13 *Et Dominus*: Sal meus est, qvem vos duo jam in verticem, operosè licet, promovistis: Sal (*inqvam*) beneplaciti mei, qvô condiri debent Ordinis Constitutiones in terræ Nationibus. 14 Ut ne ampliùs sint fœtores putredinum, & fumi ignis Mundum inficientis vanâ Religione, qvâ peribant Animæ instabiles, vacuæ cognitionis mei: 15 Qvi Salutis potentiam in me ipso habens solus, propinqvis eam & remotis, sine me errantibus, Ovibus meis offerre decrevi. 16 Qvod non fiet citra profusionem sangvinis eorum, qvi sangvinem fundebant aliorum, qvemadmodum tibi ostendi heri. [*Videram sub solis exortum terram sangvine perfusam: qvem spectando diu cogitabam, an qvid hoc sibi vellet significaturus esset Dominus: Ille autem nihil nisi, Surge, aliâs tibi dicam:*] 17 Qvam sangvinis effusionem inchoari volo à Domo Racoci: de qvo Princeps ipse ad J. M. responsum jam adornat. 18 Tu in sorte tua sta, vigila, ora: *qvod & feci, decantans canticum, Domine dignare excitare spiritum nostrum &c. Psalmum item* 75.

[v. 17. Factum, venit responsum illud, cujus data fuit 29 Augusti: Unde cor Principis divinitùs mutatum agnosci potuit. V. supra Rev. 247. Annot.]

REV. CCLXI. 27. August.

[Belli adversus Bestiam expeditio celerrima, præfigurata & prædicta, 2, &c. Characteres Militis Dei, 6. Cæci, surdi, claudi, curru vecti, 11. Reformationem Mundi (variè hucusqve frustrà tentatam, 17, 26. & cur aliter fundamenta ponenda, 28, 35.) præfigurant, 36. Cor ante omnia reformandum, 38. Veritas triumphabit, 41.]

ITerum ad me verbum Jehovæ factum est. 2 *Diluculi tempore ostendit mihi Dominus congregari Exercitum: qvi cùm lustraretur explodebantur sclopeta, ut Exercitum ignis contegeret.* 3 *Aderant autem viri multi Nobiles & eximii, stantes: & inter eos Adjunctus meus habitu decoro, ut & ego.* 4 *In medio autem sedebat Dominus qvidam, ætate mediâ: qværens ex nobis præsentibus,* Jamnè tempus expeditionis esset? 5 *Et mox venerunt ingenti fluxu aqvæ limpidæ, ad pontes usqve pertingentes: Currus tamen transibant commodè, ut miraremur.* 6 *Adstabant autem Proceres, Hungari & Moravi, mihi noti, interrogantes* de characteribus verè heroici Militis, in qvo consistant? 7 *Ego autem respondi: Non consistere in persona statura, neqve in armis, sed in corde bono, & heroica mente, cum precibus & invocatione Dei, ut in Mose, Josua, Samsone, Davide, fuit.* 8 *Ut verò ad me redii, crepuit cum sonitu: ego autem cogitabam, num qvid prœterea futurum?* 9 *Et Dominus:* Jam adest ultima hora mea! jam insonabit per Adjunctum tibi vox mea exteris Nationibus. 10 *Et oravi, cantans:* Deus potens, Deus æterne, Creator, *&c.* 11 *Et subitò mersus somnô vidi Currum, cui insidebant cæci, surdi, claudi, & aliàs calamitosi, vecti ad Medicum in urbem.* 12 *Qvi Currus nos transiens lapsabat: ego vero cogitabam, qvid istuc esset?* 13 *Et Dominus:* Scribe, & inscribe, qvæ loqvuturus sum. 14 *Et oravi, cantu sonoro:* O imple nos tuô spiritu Domine Jesu Christe, *&c.* *(duos versus ultimos ex Cantico de Chr*[illegible] *duodecim annorum ætate.)* 15 [illegible]*vi, dixit Dominus:* Serve [illegible] meum qvod in Cœlis ago[illegible] iis qvi faciem meam v[illegible] viunt mihi dies ac noct[illegible] mirabile est. 16 De[illegible] le alii parùm, alii nihil[illegible] ritum Omniscientiæ a[illegible] Fatigabant se multi sup[illegible] rena mea opera, & [illegible] lum sunt, evestigandi d[illegible] Sed exorsi obticuerunt: q[illegible] cogitationum suarum mersa[illegible] profundo aqvarum mysteriorum [illegible]rum meorum. 19 Nec evehebant aliud è tota vita, nisi hoc, qvòd satiari neqvibant spectando Opera Dei: tandemqve perspicacissimi etiam exclamare debebant, ó profunditas! 20 Qvid autem Vos hujus ævi homines, ostendetisne aliud qvid, aut simile, qvod ego Creator vester nesciam? qvid cogitationum & interni operis Vestri omni tempore fuerit, sit, eritqve in seculorum finem? 21 Redite, ah redidite, ad dies exordii creationis vestræ! ut vel saltem attendatis, unde illa sint, qvæ unqvam Vestri causâ à me dicta aut facta sunt! 22 Et auscultate mihi, qvi nunc renovare volo Populum rationalis creaturæ meæ, super faciem totius Terræ: 23 Ut vos à me electi exca-

exeatis, aliosqve vobiscum educatis, ex vorticibus aqvarum inanis habitationis super terram: 24 Ad serviendum mihi soli æternùm viventi, incedendumqve intra cancellos doctrinæ meæ, cum aqva limpida cultûs & ministerii à me ordinati. 25 Atqve si multi ad me per cognitionem mei, & fidem in me, ac de me, venistis: eccur juvare alios recusatis? 26 Tentabant qvidem id varii variè, diebus & annis præteri[illegible]s: sed qvid, cùm sibi alios præstitue[illegible] fines? qvasi ego id ignorarem. 27 [illegible]cce, exstincti sunt! nec aliud me[illegible] remansit, nisi Voluisse. 28 Po[illegible]itur vos tandem fundamentum [illegible] ædificantes super me, & sco[illegible]oriæ meæ. 29 Eruite radices er[illegible] cœcorum istorum ducum: pro[illegible]vos Nationes multæ, cœcæ cum [illegible] videre me neqviverunt, qvalis sim [illegible] Patre meo, & Spiritu sapientiæ [illegible]c sanctitatis æternæ. 30 Sine qva sapientia nihil vobis innascetur ejus, qvod ad æternitatem opus est. 31 Convocate ad prælia bellorum meorum! sed belligerari *(docete)* non ad occidendum corpora, destruendumqve munitiones Urbium & Arcium: 32 Sed ad demoliendum spiritus impuros, & ad subvertendum montes erronearum doctrinarum, in mortem non vitam deducentium. 33 Atqve hoc erit meum illud opus novum, renovatioqve Mundi speciosa: non propter temporariam in Terris, sed æternam in Cœlis mecum habitationem, qvi nondum penetrastis ad me datorem, radicem, arboremqve vitæ. 34 Qvam ego pro me solo ab æterno habeo: sed & pro vobis, qvos decrevi assumere, adjungereqve consortio eorum, qvos nunc videre non potestis: sed videbitis ibi, ubi ego cuiqve illorum locum paravi, & assignabo in æternum. 35 Tollite igitur super vos jugum meum, ó homines, & discite à me! fodite fundamentta novi ædificii spirituali Ierosolymæ. per gentes & regiones Terræ! 36 Ad introducendum eô cæcos, surdos, claudos, sub vexillum puri cultûs mei, sine erroribus & idolis, sineqve hæresi & schismate: 37 Per agnitionem plenam mei, & fidem de me vite vestra, ad serviendum mihi soli spiritu & corpore, in cordis simplicitate. 38 Cor enim ego reqvisivi semper, & reqviro: qvia in illo radix est totius vestræ bonæ cogitationis, locutionis, & actionis. 39 Renovate itaqve illud, & in vobis, vestri gratiâ, & in aliis aliorum proximorum vestrorum causâ: me vobis ad id nullô meritô vestrô opem ferente: ô vos qvi vestri & aliorum causâ locum meum in Mundo, qvocunqve gradu, tenetis. 40 Æternùm vobis benè erit, æternaqve Operis vestri, dum sic agetis & mihi auscultabitis, memoria manebit: sicut olim mandavi, & adhuc loqvor. 41 Satis verò nunc sit iterum! scribe omnia; Veritatem enim triumphare necesse est in æternum. 42 *Hæc Dominus loqvutus, conticuit: mihi autem in mentem venit Psalmus* 122, *qvem decantavi*, Lætatus sum in his qvæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus &c.

[v. 17. Philosophiæ imperfectio innitur. v. 31.) Apologia ad eos, qvi Drabicium canere classicum clamant.]

REV. CCLXI. 27. August.

[*Belli adversus Bestiam expeditio celerrima, præfigurata & prædicta*, 2, *&c. Characteres Militis Dei*, 6. *Cæci, surdi, claudi, curru vecti*, 11. *Reformationem Mundi (variè hucusque frustrà tentatam*. 17, 26. *& cur aliter fundamenta ponenda*, 28, 35.) *præfigurant*, 36. *Cor ante omnia reformandum*, 38. *Veritas triumphabit*, 41.]

ITerum ad me verbum Jehovæ factum est. 2 *Diluculi tempore ostendit mihi Dominus congregari Exercitum: qui cùm lustraretur explodebantur sclopeta, ut Exercitum ignis contegeret.* 3 *Aderant autem viri multi Nobiles & eximii, stantes: & inter eos Adjunctus meus habitu decoro, ut & ego.* 4 *In medio autem sedebat Dominus qvidam, ætate mediâ: qværens ex nobis præsentibus*, Jamnè tempus expeditionis esset? 5 *Et mox venerunt ingenti fluxu aqvæ limpidæ, ad pontes usqve pertingentes: Currus tamen transibant commodè, ut miraremur.* 6 *Adstabant autem Proceres, Hungari & Moravi, mihi noti, interrogantes* de characteribus verè heroici Militis, in qvo consistant? 7 *Ego autem respondi: Non consistere in persona statura, neqve in armis, sed in corde bono, & heroica mente, cum precibus & invocatione Dei, ut in Mose, Josua, Samsone, Davide, fuit.* 8 *Ut verò ad me redii, crepuit cum sonitu: ego autem cogitabam, numqvid præterea futurum?* 9 *Et Dominus*: Jam adest ultima hora mea! jam insonabit per Adjunctum tibi vox mea exteris Nationibus. 10 *Et oravi, cantans:* Deus potens, Deus æterne, Creator, *&c.* 11 *Et subitò mersus somnô vidi Currum, cui insidebant cæci, surdi, claudi, & aliàs calamitosi, vecti ad Medicum in urbem.* 12 *Qvi Currus nos transiens lapsabat: ego vero cogitabam, qvid istuc esset?* 13 *Et Dominus*: Scribe, & inscribe, qvæ loqvuturus sum. 14 *Et oravi, cantu sonoro:* O imple nos tuô spiritu Domine Jesu Christe, *&c.* (*duos versus ultimos ex Cantico de Christi duodecim annorum ætate.*) 15 *Ut cessavi, dixit Dominus:* Serve mi, Opus meum qvod in Cœlis ago, pro me & iis qvi faciem meam vident, & serviunt mihi dies ac noctes in æternum, mirabile est. 16 De qvo vos sub sole alii parùm, alii nihil scitis: qvia spiritum Omniscientiæ non habetis. 17 Fatigabant se multi super terram, terrena mea opera, & qvæ infra Cœlum sunt, evestigandi desideriô. 18 Sed exorsi obticuerunt: qvia Currus cogitationum suarum mersabantur in profundo aqvarum mysteriorum Operum meorum. 19 Nec evehebant aliud è tota vita, nisi hoc, qvòd satiari neqvibant spectando Opera Dei: tandemqve perspicacissimi etiam exclamare debebant, ó profunditas! 20 Qvid autem Vos hujus ævi homines, ostendetisne aliud qvid, aut simile, qvod ego Creator vester nesciam? qvid cogitationum & interni operis Vestri omni tempore fuerit, sit, eritqve in seculorum finem? 21 Redite, ah redidite, ad dies exordii creationis vestræ! ut vel saltem attendatis, unde illa sint, qvæ unqvam Vestri causâ à me dicta aut facta sunt! 22 Et auscultate mihi, qvi nunc renovare volo Populum rationalis creaturæ meæ, super faciem totius Terræ: 23 Ut vos à me electi exea-

exeatis, aliosqve vobiscum educatis, ex vorticibus aqvarum inanis habitationis super terram: 24 Ad serviendum mihi soli æternùm viventi, incedendumqve intra cancellos doctrinæ meæ, cum aqva limpida cultûs & ministerii à me ordinati. 25 Atqve si multi ad me per cognitionem mei, & fidem in me, ac de me, venistis: eccur juvare alios recusatis? 26 Tentabant qvidem id varii variè, diebus & annis præteritis: sed qvid, cùm sibi alios præstituebant fines? qvasi ego id ignorarem. 27 Sed ecce, exstincti sunt! nec aliud memoriæ remansit, nisi Voluisse. 28 Ponite igitur vos tandem fundamentum aliter! ædificantes super me, & scopum gloriæ meæ. 29 Eruite radices errorum, cœcorum istorum ducum: propter qvos Nationes multæ, cœcæ cum illis, videre me neqviverunt, qvalis sim cum Patre meo, & Spiritu sapientiæ ac sanctitatis æternæ. 30 Sine qva sapientia nihil vobis innascetur ejus, qvod ad æternitatem opus est. 31 Convocate ad prælia bellorum meorum! sed belligerari (*docete*) non ad occidendum corpora, destruendumqve munitiones Urbium & Arcium: 32 Sed ad demoliendum spiritus impuros, & ad subvertendum montes erronearum doctrinarum, in mortem non vitam deducentium. 33 Atqve hoc erit meum illud opus novum, renovatioqve Mundi speciosa: non propter temporariam in Terris, sed æternam in Cœlis mecum habitationem, qvi nondum penetrastis ad me datorem, radicem, arboremqve vitæ. 34 Qvam ego pro me solo ab æterno habeo: sed & pro vobis, qvos decrevi assumere, adjungereqve consortio eorum, qvos nunc videre non potestis: sed videbitis ibi, ubi ego cuiqve illorum locum paravi, & assignabo in æternum. 35 Tollite igitur super vos jugum meum, ó homines, & discite à me! fodite fundamentta novi ædificii spirituali Ierosolymæ. per gentes & regiones Terræ! 36 Ad introducendum eô cæcos, surdos, claudos, sub vexillum puri cultûs mei, sine erroribus & idolis, sineqve hæresi & schismate: 37 Per agnitionem plenam mei, & fidem de me vite vestra, ad serviendum mihi soli spiritu & corpore, in cordis simplicitate. 38 Cor enim ego reqvisivi semper, & reqviro: qvia in illo radix est totius vestræ bonæ cogitationis, locutionis, & actionis. 39 Renovate itaqve illud, & in vobis, vestri gratiâ, & in aliis aliorum proximorum vestrorum causâ: me vobis ad id nullô meritô vestrô opem ferente: ô vos qvi vestri & aliorum causâ locum meum in Mundo, qvocunqve gradu, tenetis. 40 Æternùm vobis benè erit, æternaqve Operis vestri, dum sic agetis & mihi auscultabitis, memoria manebit: sicut olim mandavi, & adhuc loqvor. 41 Satis verò nunc sit iterum! scribe omnia; Veritatem enim triumphare necesse est in æternum. 42 *Hæc Dominus loqvutus, conticuit: mihi autem in mentem venit Psalmus* 122, *qvem decantavi*, Lætatus sum in his qvæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus &c.

[v. 17. Philosophiæ imperfectio innitur. v. 31.) Apologia ad eos, qvi Drabicium canere classicum clamant.]

REV. CCLXII. Aug. 30.

[Supputatio Temporum ratione humanâ impedita, 1. Apud Deum omnia sunt unum, 9. Ultima adsunt tempora, ultimáqve rerum mutatio, 15. &c.]

M*Anè à precibus vidi Viros multos supputantes Numeros, & dimetientes Tempora: inter qvos stabat qvidam ostentans illis Rotam unam, & in illa* Tempus unum. 2 *Qvod supputantes illi neqvibant intelligere, qvia Rotam illam unam neqvibant videre.* 3 *Ego autem cum aliis non multu eam vidi: vidensqve, qvid istuc esset cogitabam.* 4 *Dominus verò meus:* Dies & Anni sine numero, & Tempus unum sine temporibus, qvomodo sint vos non asseqvemini, nisi è tricis Mundi exieritis. 5 Emendate igitur qvæ ego emendata volo, in vobis & aliis proximis vestris, dum gratiæ tempus est, & non ultionis. 6 Si qvid lucidius repereritis præ illis, qvæ ego de postremis Mundi seculis loqvutus sum, & loqvor, ostendite id vobis & aliis, vos qvibus ego scientiam dedi. 7 Ut ne qvid nunc loqvamini contra me, nisi priùs aliud seculum, & aliud tempus, vobis & aliis me ignorantibus (qvi solus sine tempore sum) ostenderitis. 8 Qvomodo enim vos resistere poteritis robori Temporum meorum, qvi ne qvidem vestra novistis Tempora? qvæ apud vos tria sunt, Præteritum, Præsens & Futurum. 9 Sed apud me unicum est: qvia Essentia nostra unica est, neqve sunt plures: unus Spiritus, una Sapientia, una Potentia, una Voluntas, unum Tempus æternum, omnia ista in se complectens, citra differentiam loci & accidentium. 10 Qvod nosse non poterant multi in Terra, qvia nondum venerat tempus ut id nossent. 11 Sed ecce jam venit dies lætitiæ & exultationis pereuntibus sine me! qvibus si opitulabimini vos à me electi, potentes & eximii, in Seculo & in Ecclesia, manebit æterna memoria apud Me, & Angelos, hominesqve qvibus porrexeritis dextram. 12 En serve mi! tu qvoqve nondum accepisti mercedem dierum tuorum! qvia nondum dies tui attigerunt tempora sua: qvæ ubi attigeris, ut & alii ignorantes tempora sua, acqvirent novas vires. 13 Ex me sunt omnia hæc, non ex vobis: qvibus non plus datur nosse, & dijudicare, nisi hoc qvod eis loqvor, & illi audiunt, multi tamen sine fide adhuc. 14 Qvia illis qviddam in mente nascitur, qvod obstat ne intelligant qvale futurum sit, id qvod futurum est, anteqvam veniat. 15 Veniet autem mutatio, cui nemo hominum tempora & metas consiliô & arbitratu suô posuit, sed ego & sapientia mea: 16 Sub qva non diu jam Rota Mundi & Temporum stabit, juxta dimensionem meam de abbreviandis diebus istis. 17 Qvod & anteriores intellexerunt, ita loqvi soliti, propè abesse ultimos dies, nondum tamen venisse. 18 Qvod non ex se habuerunt ut nossent, sicut neqve nunc nôrunt multi: qvia Mundus errat, & homines in eo. 19 Jam autem nolo errare Oves meas, sed ut subveniatur illis. 20 Non tam respectu corporis qvàm animæ, promovendo eas ad spem pastionis

nis æternæ, qvâ vobiscum me jam noscentibus perfruantur in æternum. 21
Admittite hæc vos sapientes & potentes, vel jam tandem hôc tempore vitæ vestræ, ad cor! qvos è tenebris vocavi in lucem, & à morte ad vitam: 22 Ut
sciatis vos non esse vestri juris, & terrenos tantùm, terrestria curantes: sed esse meos, juxta æternum decretum meum, ad succurrendum vobis, & per vos multis aliis pereuntibus paratum. 23
Qvibus ego auditis magnificavi Nomen Dei, & ista scripsi juxta mandatum. Hallelujah.

REV. CCLXIII. Aug. 31.

[*Visio consultantium de Ordine constituendo in Urbe*, (1 *&c.*) *accommodatur ad Consultationem de Emendatione Rerum in Orbe*, 6. *Exhortatio ad illam urgendam*, 12, 22, 23. *Liber ab Agno resignatus nonnisi unicum jam habet sigillum*, 19. *Cur Deus hac scribi curet*, 24. *Dominatus Christi mirabilis*, 28, 29. *Thesaurus Christi electi salvandi*, 31.]

ITerum ad me factum est Verbum Domini, cùm post matutinas preces per visionem in Civitate plateis amplis, qvas per fluebant aqvæ, essem. 2 *Erant ibi homines, & inter eos Viri graves ac præstantes*, Politici ac Theologi, *consultantes qvomodo celeriter constitui possit, ut per totam urbem & plateas omnia procederent ordinatè, sine confusione.* 3 *Scribebant etiam consilia, loco qvisqve suo: ego etiam, ut cuidam in Patriamredituro subveniretur; cui & subveniebat qvisqve istorum virorum alacriter.*
4 *Tùm & alii, qvibus ex Urbe discedendum erat, curribus qvoqve jam insidentes, perscribebant, & qvidqvid qvisqve scripsisset, aliis communicabat: tantô erga invicem charitatis ardore, ut sese amplecterentur mutuò, illisqve qvibus erat Civitate egrediendum omnes ministrarent cum gaudio.*
5 *Hoc postqvam transiit, ego autem repletus gaudiô qvid istuc esset cogitarem, respondit Dominus:* 6 Mundi Domum vidisti, & plateas ejus, variorumqve ordinum homines, à me variâ scientiâ collustratos, qvi & scribebant dudum, & scribunt modò, sicuti & tu, & mihi tibiqve dilectus Adjunctus. 7 Qvomodo subveniri possit Mundo, à multis & variis Nationibus habitato: ut terrâ mariqve redire festinent unde egressi sunt, à me in Mundi Domum emissi. 8 Non ideò, ut æternùm hîc manerent: sed ut præstitis hîc mihi & sibi invicem servitiis certis, redirent ad me, tanqvam boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. 9 Qvorum multi jam evecti sunt variarum occasionum curribus, qvaliter mihi qvemqve hinc educere placuit, juvenem aut senem adultâ ætate. 10 Vidisti & Currus ac Rhedas, qvibus insident multi abire parati (tametsi curribus nondum præjuncti sint eqvi) ut eos ad me sumam. 11 Qvi tamen adhucdum scribunt, consiliaqve sua perficiunt, desideriô Gentes ad lucem veram promovendi, ut agnoscant me Nuptiarum Sponsum æternùm viventem. 12
Scribite igitur, scribite, ô vos qvicunqve ubicunqve me nostis, & nostis sonum Tubæ meæ! jam esse tempus, ut collustretur, perpurgetur, persaneturqve, Domus Mundi. 13
Utqve area frumenti mei trituretur, & repurgetur à paleis, & qvisqvi-

 liis,

liis, & zizaniis: Palmitesqve vitis, mei ipsius, perputentur, ad ferendum fructum veræ Fidei, fervidæ Charitatis, vivæqve Spei, per omnes Orbis plagas. 14 Jam etenim tempus est, jam statera exit, ad operas adhucdum vobis omnibus in Terra peragendas, qvi in agro Mundi estis. 15 Ex qvo ego dux vitæ festino educere vos, & transferre ad me, & ad meum vestrumqve dilectum, qvem nostis, Patrem, in virtute ac robore ex Nobis vos omnes illuminantis Spiritûs. 16 Omnes dico: propinqvos & remotos, magnos & parvos, juvenes & senes. 17 Nam vobis, vobis, Me unicum in Patre existentiam habentem & cum natura vestra junctum, Pastorem æternum dedit Pater. 18 Ego verò jam paravi locum, Civitatem æternam, & habitationem in illa amœnam, sicuti vidisti cantantes canticum Agni. 19 Qvod & vos cantabitis, cùm vobis aperuero Librum obsignatum, unicum jam tantùm sigillum habentem. 20 Ipse verò præcingam me, & ministrabo vobis: non sic, qvomodo terrena vestra ratio capere possit, sed qvomodo sine vestra cura, opera, & spe (nec enim intelligere potestis) omnia parata & disposita sunt apud Patrem meum. 21 Ubi qvemqve vestrûm, & qvô agmine, ad serviendum mihi in æternum locare debeam, inter choros Angelorum meorum, vobis nunc invisibiliter servientium. 22 Nolite celare hæc, nolite, ô vos testes mei, per plateas Mundi habitantes! 23 Qvinimò alii aliis epistolas scribite, dimittite, ad prælia mea congregate, decertare pro Fide, semel tradita sanctis, docete: remanebitqve æterna laboris vestri memoria. 24 Non vestri causâ ego, dilecti mei, hæc sic ultimis hisce diebus loqvor, & scribi mando: sed illorum causâ, qvi de me aut nihil penitùs sciunt, aut parùm. 25 Ut eos, ad æmulationem provocatos, Vobiscum in eundem spiritum jungam, agnitionisqve meæ, gratiæ meæ, pastûsqve mei & convivii æterni, participes reddam. 26 Nam qvomodo aliàs implebitur sermo meus: *Pater, qvos dedisti mihi non amisi ex illis vel unum?* si non reliqvi etiam illi mei, qvos Mundus non novit, & multos necdum habet, à me per vos illuminentur? 27 Sicuti ego vos per alios illuminavi: ut in lumine meo lumen hujus & futuræ vitæ videatis, infallibiliter in viam Salutis (per agnitionem mei solius Salvatoris) deducti. 28 Hunc enim mihi soli honorem dedit Pater, ut vobis omnibus hîc in tempore, & dehinc æternùm, dominer. 29 Idqve dominatu extensarum manuum mearum, ad vos amplectendum; & aperti oris mei, ad vos erudiendum; & pane grani tritici, Meipso, vos in omnes æternitates pascendum, tanqvam Populum sangvine meo redemtum. 30 O agnoscite, agnoscite me! sicut ego agnosco vos propter vos, qvi nondum translati estis de morte in vitam, vobis in me ante jacta Mundi fundamenta paratam. 31 Eritisqve in thesaurum & cimmelion æternarum divitiarum, qvæ Mundus sine me ignorat, neqve vos sine me nossetis in æternum. 32 Surge, isthæc scribe! ut parata habeas ad tradendum illis, qvibus ego oculos apertum eo, ut videant tempus Operis mei. 33 *Qvæ voces mihi Ecclesiastici hymni ultimos versiculos revocârunt in mentem:*

mentem : O lauda anima Deum, pro tanta jam parata gratia &c. *itemqve Psalmum* 140, *cujus primos & postremos versus decantavi.*

REV. CCLXIV. Sept. 4.

[*Videnti vitæ terminus detegitur*, 1, 5. *locusqve sepulturæ*, 6. *Afflictio super Hungariam* 7. *Exhortationes mutua Gentium ad evertendum Antichristum*, 9 *Trans-Danubiani* 10.]

D*iluculò ostendit mihi Dominus Virum qvi scribere jussit*, † 84. 2 *Et mox Dominus ipse*, Fidelis esto & patiens: Nam opus meum procedet citò, de qvo brevi certior fies. 3 Et fac qvod mandavi; ut parata sint omni pro iis, qvibus transmittenda sunt. 4 *Ego verò cogitavi, An citò me dimissurus esset Dominus, ut è Mundo & calamitatibus in pace abire liceret? Dominus autem dixit:* 84 ætatis habens ibis ad reqviem in pace, in Terra tua, locô illo qvem nominavi antè. 6 Non tibi hostium vis nocebit: in pace deponéris in sepulchrum. 7 Afflictiones multas & dolores inducam super Terram hanc, domumqve Racoci, si inobediens erit mihi. 8 *Ego autem orabam: Deus, Tibi me subdo! dispone de me misericorditer, seu ad vitam seu ad mortem, &c.* 9 *Et Dominus rursùm*: Nationes Nationibus notificabunt voluntatem meam de evertendo Papa cum Regno suo. 10 Princeps excusationes texit, de qvo J. M. docebit: Urge, ut Trans-Danubiani de voluntate mea fiant certiores! 11 ad redigendum eos in spiritum amoris unum, pro celeri repurgatione Terræ hujus, ut sit tanqvam desectum pratum, qvemadmodum antè dixi. 12 Adjunctus tibi singularia perscribet. Ego autem oravi &c.

[*Ad v.* 1. *&* 5) Provivendum igitur Drabicio ad 1672 annum? (natus enim fuit 1588:) Hucusqve sanè mirabiliter conservatus in medio hostium, v. 6. Comminationes verò Hungaris & Rac. factæ (v. 7.) heus qvàm implentur! v. 10. *Princeps excusationes texit*) Texuit, eâ ipsâ epistolâ cujus initium posui Annot. ad Rev. 247. Metum nimirum Cæsaris, & Pol. Regis, & Turcæ, & suorum perfidiam. Si tamen Confæderati alii faciant initium se non defuturum &c. *Ad v.* 10 *&* 11] E Transdanubianis fuit Racocio familiarissimus Comes Serinius, sæpè ad se missitabant: ut tamen illi hæc detegeret Princeps, persvaderi non potuit.]

REV. CCLXV. Sept. 28.

[*Interrogantibus qvid respondendum*, 1, 2, 5. *Ferd. Pharao plagas suas videbit*, 5.]

A *Precibus matutinis dixit ad me Dominus: Interrogantibus te super sermones meos dices.* 2 *Sic ait Jehova*: Si per viam mandatorum meorum, revelatæqve vobis voluntatis meæ, incedetis, benedictio mea veniet super vos. 3 Sin, ecce sagittæ iræ meæ hærescent in vobis, & posteris vestris. 4 Tu sta in sorte tua: non desereris. 5 *Ego verò cogitabam Cæsarem, qvid illi esset*

esset futurum? Et Dominus: Vivus ille spectabit, ut Pharao, plagas suas, è qvibus eum nemo liberabit in die iræ meæ. 6 Surge, scribe hæc! *Surrexi igitur, & scripsi.*

[v. 5. *Densus volitabat rumor de Cæsaris morte, sed eam occultari*: Dominus verò hîc aliter, spectandas illi adhuc esse plagas suas. Et spectavit paulo pòst ardentem Poloniam, appropinqvantes inde sibi plagas trepidans.]

REV. CCLXVI. Sept. 29.

[*Visio nummi aurei, concurvati, ad Ecclesiam Fratrum B. accommodatur*, 5. *Radzivilio qvid scribendum*, 7. *Regi Poloniæ pœna denuntiatur*, 10. *Polonia ob Idololatriam punienda*, 13. *October initium faciat*, 20. *Princeps Transf.* 22. *Ensebion brevi praediturus*, 28.]

ITerum factum est ad me Verbum Domini, post matutinam qvartam. 2 *Redormieram, & vidi tegam mihi ablatam nescio à qvo: qvumqve eam qværerem, aliam inveni pulchriorem.* 3 *Qvâ indutus stabam, & Matrona qvadam vestitu simplici, decorô tamen & mundô, accessit me, & obtulit nummum aureum Portugallensem, vetustate decolorem & concurvatum, jubens eum distribui inter multos, & dicens,* Tametsi unus tantùm supersit, sufficiet tamen omnibus. 4 *Ut evigilavi, crepuit ad pedes lecti, & sub fenestra, uti solet: ego autem oravi (ex hymno) Conforta nos in fide viva, & omni virtute sancta,* &c. 5 *Ad qvæ Dominus:* Serve mi, ostendi tibi matrem Unitatem Vestram, qvæ comparatione agminis filiorum, per superiores & inferiores gradus, paucos jam habet, qvasi unus qvis jam solus supersit, obscurus, concurvatus, mundo ignoratus. 6 Sed apud me propter substantiam auri gratiæ meæ, & veritatem immutabilem, est nummus ponderis boni, multorum in usum. [Conferatur Tren. 4. ṽ. 1 & 2.] 7 *Mihi verò cogitare incidit, qvid fieret in Polonia? & Dominus,* Scribe mihi & tibi dilecto, ut succurrere festinet Radzivilio sauciato. [NB. *Cladem acceperat Exercitus ejus à Mo*
magnam, ipse ægrè evaserat.] 8
neatqve ut faciat qvod ego d
fiatqve amicus Mosco, cui no
sistendo, Svecis juncto. 9 J
gò se illis qvoqve, ad impon
nem regnandi Regis hostis me
stis sui. 10 Rex enim conte
de suô me Creatorem suum, L
meam per servum meum Mo
tam: *Non reteges nuditatem uxoris*
tui. 11 Maluit ille indulgere sibi,
dereqve verbis filii perditionis, fil
peccati, Papæ, & factioni ejus pessimæ, qvàm mihi: ideò illi non benedixit dextera mea. 12 Fiat ergò illi sicuti neqvam illi fætido vasi Herodæ, fœminæqve illi mentis scelestæ & sangvinolentæ (*Herodiadi.*) 13 Ille verò (*Princeps*) junctus Mosco & Tartarorum Chamo servet Terram patriam suam: Domos autem & Palatia Idololatrarum evertat, cum Regia qvoqve ipsa, maledictioni devotâ, Cracoviâ! 14 Profitente & invocante non meum & Filii mei nomen, sed nomen Mariæ, in ignominiam & Matris & Filii mei. 15 Qvem ego ut virgam de radice Jesse exsuscitavi, ut in illius nomine, non alterius cujusqvam,

qvam, flectat se omne genu, omnisqve lingva cum Angelis meis confiteatur, illum esse Jesum Regem regnantium, & Dominum dominantium; & non Maria mater ejus. 16 Qvæ magnificavit Me, & Filium meum & suum, exultans in Deo salvatore suo, qvi respexi & feci (non per illam, sed per Filium meum virtute Spiritûs genitum) reductionem populo meo Israël, omnibúsqve Nationibus Terræ. 17 Et ecce ideò qvia illa credidit, beatam prædicant in me [illegible]dentes, filii mei & filiæ meæ: non [illegible] filii Mariæ, ex qva non plures [illegible], qvàm unus Ille ab æterno [illegible]lis, & consubstantialis, ex [illegible]eratio in Cœlo & Terra [illegible]8 Delcantur igitur, & [illegible]e terra, ne reliqvum sit [illegible]erram eorum, qvi trans- [illegible] meam Creatoris in crea- [illegible]qve super Terram. 19 [illegible] qvinata fuit, & est, fœ- [illegible]erò venenóqve necante ani- [illegible]l mei, sangvine meó redemti: [illegible] tolerare ampliùs neqveo. 20 Ecce October jam venit! anteqvam igitur transierit, fiat initium Operis mei! etiam in Polonia, propter eos qvi ibi sunt, expectantes me. 21 Qvod opus Chmielnicius qvoqve juvabit, qvum fecerit Radzivilius qvod jubeo, ut reqviescat super illum gloria mea. 22 Atqve tum Transylvaniæ qvoqve Principi adimentur homines plusqvàm me timendi causæ. 23 Surge, & ne differ omnia hæc parata transmittere qvô debes! 24 Tempus, tempus, & tempora, jam venerunt juxta consilia & judicia mea. 25 *Qvibus ego cum admiratione auditis, cecini, Benedicta sit providentia Dei nostri &c. item Psalmum* 86. 26 *Ut verò cessâram, dixit porrò Dominus:* Ad meridiem Eusebion habitat: qvi qvisnam sit, cognosces qvum de humeris eorum decidet jugum, cum commotione Terræ, statim ac decidet maleolens Rosa. 27 Qvod vos non intelligitis, nec intellexerunt qvum subverterentur fulcra Domûs istius, cui ego jamjam finem imponam. 28 *Et cecini Psalmum* 33: *Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio &c.*

REV. CCLXVII. 1 Octob.

[*Visio cujusdam cum Calamo fracto, ad Principem Radzivilium accommodata.*]

INdormieram diluculò, abiturus ad expediendum Tabellarium in Poloniam. 2 *Et vidi agmina populorum stantium, inter qvos ipse qvoqve stabam.* 3 *Ecce autem ex uno illo agmine persona qvadam prodibat, qvam eminùs vidi, ad me contendens; cumqve se vi truderet, fractus ei fuit in manu calamus.* 4 *Et non valens per stipatum illud agmen penetrare, ostendit mihi manum, ornatam annulis & preciosis magnisqve gemmis, dicens ad me:* Non possum, propter comprimentem me turbam! sed vide qvid sit factum, Calamum mihi confregit populus iste! 5 *Et mox evigilavi, die clarô: & Dominus ad me,* Qvia in Poloniam missurus es ista, adscribe hoc: 6 Auscultare mihi æternùm viventi, honor & gloria est; Confidere in hominibus, vanitas, sicut & consiliis illorum. 7 Nihil respectet Radzivilius,

esset futurum? Et Dominus: Vivus ille spectabit, ut Pharao, plagas suas, è qvibus eum nemo liberabit in die iræ meæ. 6 Surge, scribe hæc! *Surrexi igitur, & scripsi.*

[v. 5. *Densus* volitabat rumor de Cæsaris morte, sed eam occultari: Dominus verò hic aliter, spectandas illi adhuc esse plagas suas. Et spectavit paulo pòst ardentem Poloniam, appropinqvantes inde sibi plagas trepidans.]

REV. CCLXVI. Sept. 29.

[*Visio nummi aurei, concurvati, ad Ecclesiam Fratrum B. accommodatur*, 5. *Radzivilio qvid scribendum*, 7. *Regi Poloniæ pœna denuntiatur*, 10. *Polonia ob Idololatriam punienda*, 13. *October initium faciat*, 20. *Princeps Transs.* 22. *Eusebion brevi prodituros*, 28.]

I*Terum factum est ad me Verbum Domini, post matutinam qvartam.* 2 *Redormieram, & vidi togam mihi ablatam nescio à qvo: qvumqve eam qværerem, aliam inveni pulchriorem.* 3 *Qvâ indutus stabam, & Matrona qvadam vestitu simplici, decorô tamen & mundô, accessit me, & obtulit nummum aureum Portugallensem, vetustate decolorem & concurvatum, jubens eum distribui inter multos, & dicens,* Tametsi unus tantùm supersit, sufficiet tamen omnibus. 4 *Ut evigilavi, crepuit ad pedes lecti, & sub fenestra, uti solet: ego autem oravi (ex hymno) Conforta nos in fide viva, & omni virtute sancta,* &c. 5 *Ad qvæ Dominus:* Serve mi, ostendi tibi matrem Unitatem Vestram, qvæ comparatione agminis filiorum, per superiores & inferiores gradus, paucos jam habet, qvasi unus qvis jam solus supersit, obscurus, concurvatus, mundo ignoratus. 6 Sed apud me propter substantiam auri gratiæ meæ, & veritatem immutabilem, est nummus ponderis boni, multorum in usum. [Conferatur Tren. 4. ℣. 1 & 2.] 7 *Mihi verò cogitare incidit, qvid fieret in Polonia? & Dominus,* Scribe mihi & tibi dilecto, ut succurrere festinet Radzivilio sauciato. [NB. *Cladem acceperat Exercitus ejus à Mosco magnam, ipse ægrè evaserat.*] 8 Moneatqve ut faciat qvod ego decrevi, fiatqve amicus Mosco, cui non erit resistendo, Svecis juncto. 9 Jungat ergò se illis qvoqve, ad imponendum finem regnandi Regis hostis mei, & hostis sui. 10 Rex enim contemsit corde suô me Creatorem suum, Legemqve meam per servum meum Mosem latam: *Non reteges nuditatem uxoris fratris tui.* 11 Maluit ille indulgere sibi, credereqve verbis filii perditionis, filii peccati, Papæ, & factioni ejus pessimæ, qvàm mihi: ideò illi non benedixit dextera mea. 12 Fiat ergò illi sicuti neqvam illi fætido vasi Herodæ, fœminæqve illi mentis scelestæ & sangvinolentæ (*Herodiadi.*) 13 Ille verò (*Princeps*) junctus Mosco & Tartarorum Chamo servet Terram patriam suam: Domos autem & Palatia Idololatrarum evertat, cum Regia qvoqve ipsa, maledictioni devotâ, Cracoviâ! 14 Profitente & invocante non meum & Filii mei nomen, sed nomen Mariæ, in ignominiam & Matris & Filii mei. 15 Qvem ego ut virgam de radice Jesse exsuscitavi, ut in illius nomine, non alterius cujusqvam,

qvam, flectat se omne genu, omnísqve lingva cum Angelis meis confiteatur, illum esse Jesum Regem regnantium, & Dominum dominantium; & non Maria mater ejus. 16 Qvæ magnificavit Me, & Filium meum & suum, exultans in Deo salvatore suo, qvi respexi & feci (non per illam, sed per Filium meum virtute Spiritûs genitum) reductionem populo meo Israël, omnibúsqve Nationibus Terræ. 17 Et ecce ideò qvia illa credidit, beatam prædicant in me credentes, filii mei & filiæ meæ: non autem filii Mariæ, ex qva non plures geniti sunt, qvàm unus Ille ab æterno mihi coæqvalis, & consubstantialis, ex qvo omnis generatio in Cœlo & Terra nominatur. 18 Deleantur igitur, & exscindantur de terra, ne reliqvum sit nomen super Terram eorum, qvi transferunt gloriam meam Creatoris in creaturas qvascunqve super Terram. 19 Qvæ Terra inqvinata fuit, & est, fœtore mortiferò venenóqve necante animas Populi mei, sangvine meô redemti: qvod tolerare ampliùs neqveo. 20 Ecce October jam venit! anteqvam igitur transierit, fiat initium Operis mei! etiam in Polonia, propter eos qvi ibi sunt, expectantes me. 21 Qvod opus Chmielnicius qvoqve juvabit, qvum fecerit Radzivilius qvod jubeo, ut reqviescat super illum gloria mea. 22 Atqve tum Transylvaniæ qvoqve Principi adimentur homines plusqvàm me timendi causæ. 23 Surge, & ne differ omnia hæc parata transmittere qvô debes! 24 Tempus, tempus, & tempora, jam venerunt juxta consilia & judicia mea. 25 *Qvibus ego cum admiratione auditis, cecini, Benedicta sit providentia Dei nostri &c. item Psalmum* 86. 26 *Ut verò cessâram, dixit porrò Dominus*: Ad meridiem Eusebion habitat: qvi qvisnam sit, cognosces qvum de humeris eorum decidet jugum, cum commotione Terræ, statim ac decidet maleolens Rosa. 27 Qvod vos non intelligitis, nec intellexerunt qvum subverterentur fulcra Domûs istius, cui ego jamjam finem imponam. 28 *Et cecini Psalmum 33: Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio &c.*

REV. CCLXVII. 1 Octob.

[*Visio cujusdam cum Calamo fracto, ad Principem Radzivilium accommodata.*]

INdormieram diluculò, abiturus ad expediendum Tabellarium in Poloniam. 2 *Et vidi agmina populorum stantium, inter qvos ipse qvoqve stabam.* 3 *Ecce autem ex uno illo agmine persona qvadam prodibat, qvam eminùs vidi, ad me contendens; cumqve se vi truderet, fractus ei fuit in manu calamus.* 4 *Et non valens per stipatum illud agmen penetrare, ostendit mihi manum, ornatam annulis & preciosis magnisqve gemmis, dicens ad me:* Non possum, propter comprimentem me turbam! sed vide qvid sit factum, Calamum mihi confregit populus iste! 5 *Et mox evigilavi, die clarô: & Dominus ad me,* Qvia in Poloniam missurus es ista, adscribe hoc: 6 Auscultare mihi æternùm viventi, honor & gloria est; Confidere in hominibus, vanitas, sicut & consiliis illorum. 7 Nihil respectet Radzivilius,

vilius, nisi ut sic faciat & operetur qvemadmodum ego Dominator Terræ loqvutus sum heri. 8 Fregi calamum, frangam & manum, in Domo ejus: nisi fecerit tùm ipse tum alii à me ad opus hoc electi, sicuti mando. 9 Denuntia illis, ut qvod faciunt citò faciant: tu autem surge, abi, præsidium meum super te, & omnes timentes me. 10 *Surrexi igitur, scripsi, precibusqve cum familia peractis, via me dedi: decantans ex Psalmo* 118. *v.* 25. Obsecro Jehova, serva nunc! obsecro Iehova, prospera nunc, *&c.*

REV. CCLXVIII. Octob. 6.

[*Piscis Videnti accurrens* (2) *qvid significet*, 3. *Gentes convertendæ*, 4, 5, 14. *Lux Evangelii Bohemis primùm affulsit*, 6. *Invitò Mundo*, 7. *Racociana Domui mandata*, 8, *&c.*]

A *Precibus matutinis vidi Aqvas, & in illis obnatantes Pisces, parvos & magnos: inter qvos projeci lapidem*, 2 *Et unus è maximis accurrebat rectà ad me in ripa stantem, qvem facilè capi, & dissecui ad coqvendum.* 3 *Evigilanti dixit Dominus:* Fidelis esto, gratia mea accurrit tibi sicut iste piscis. 4 Tempora namqve jam veniunt, ut capiantur Gentes, vobis alienæ, mihi propriæ, ad unanimiter serviendum mihi æternùm viventi. 4 Qvod & ipsæ jam animadvertere incipiunt, Cælo illis & Terrâ testificantibus, qvòd non integrè sint mei, qvi nec agnoverunt Nomen meum, nec receperunt. 6 Sicuti ego sub veritate Christianismi hanc vobis præstiti gratiam Vestris in majoribus, qvos excitavi ad illuminandum sedentes Antichristianis in tenebris. 7 Qvod Mundus cum filiis suis intelligere noluit, pro stultis vos habens, & qvisqviliis, etiam in ipsa Natione vestra. 8 Accipe igitur verba mea, & annuntia Principissæ: mone, & nomine meo, qvi solus sum Dominus Orbis terræ, manda: 9 Ut faciat juxta pristinum mandatum meum, & pro Gente Turcica editionem Scripturarum Testamenti, Veteris & Novi, procuret. 10 Hunc enim honorem illi dare decrevi, pro dilectione qvâ complexus sum Racocianam Domum: cui primæ sub sole, hôc tempore, annuntiare curavi diem ultionis super Idololatras, hac in Terra & alibi. 11 Nemo hac in Terra tam propè ad me ingressus est, atqve ingressa est Domus illa: sed ita, ut faciat mandata mea, unâ cum habitatoribus Terræ hujus. 12 Miraculum miraculorum videbitur Gentibus, cùm in illa fecero, qvod decrevi. 13 Scribe hæc, tuâ & illorum causâ: ut illis oculos aperias, ad pervidendum & perficiendum voluntatem meam. 14 Ut illis æternùm benè sit cum Nationibus Terræ me adhuc ignorantibus. 15 Protectio mea tecum; vigila, & persta in vocatione Tua! 16 *Ego verò decantatò Psalmo* 108. *surrexi, & ista scripsi.*

REV. CCLXIX. Octob. 9.

[*Virgo ad conjugium solicitata*, 1, 3. *Ecclesiam Gentium restantium significat*, 3, 4. *Copulationis actus*, 5, &c. *Convivium nuptiale*, 8. *Sub directione duorum paranymphorum*, 9. *Antiqvô more Dei*, 15. *Pseudo paranymphi amovendi*, 23. & *per qvos?* 24. *Ecclesia unio universalis*, 25. *Convivium Ecclesiæ in Terris ultimum*, 27, &c.]

Circa noctis medium per somnum vidi me desponsare Virginem Juveni amœnissimâ formâ: qvæ tamen detrectabat admittere consilium. 2 *Pòst autem, visis annulis qvi offerebantur, assensit, prabita mihi dextra.* 3 *Expergefacto dixit Dominus*: Ægrè persvaderi patiuntur Gentes ad faciendum opus meum, & jungendum mihi Sponso sponsam meam, me per tot Gentes adhuc ignorantem. 4 *Qvo ego audito, miratus sum*, & *cecini*, Exsurge Domine, ó exsurge, visita populum tuum &c. 5 *Ut cessavi, dixit Dominus*; Indormi, ostendam tibi Copulationis actum. 6 *Indormivi ergò*, & *vidi adductam eandem Sponsam & Sponsum: ingressusqve Pater* Lanetius, & *Latinè loloqvutus Sponso primùm & Sponsæ, tum & nobis; ad Fidem, Charitatem, Spem & Patientiam, cohortatus est.* 7 *Et gavisi sumus universi, osculati alii alios, qvod copulari vidissemus Conjuges istos, cecinimúsqve Psalmum* 119 *sic, ut ego expergefactus etiam canerem.* 8 *Iterum Dominus*: Ostendam tibi & Convivium nuptiale, cum dapium varietate. 9 *Indormiens igitur momento, vidi adduci & congregari varias Gentes, diversissimo vultu & cultu, collocarique ad discumbendum, citra personarum delectum, ut qvisqve venerat: qvorum alii facilè, alii cum molestia, considebant omnia disponentibus duobus Paranymphis.* 10 *Et lætabantur omnes, cum exultatione cantantes*, Vivat, vivat Sponsus, multum in ævum! Vivat, vivat cum sponsa sua! *adeò ut mihi Cœlum ipsum & Terra exultare viderentur.* 11 *Mihi pariter inexplicabile fuit gaudium, qvod & mihi & dilecto Adjuncto meo interesse contigisset.* 12 *Dominus autem*, Serve mi vidistine qvæ ostendere tibi hodie constitueram? tam certò videbit ea qvæ misisti Adjunctus tuus, servus meus. 13 Ecce ostendi tibi gratiam diffusam in labiis meis erga omnes Terræ Gentes, in diebus postremi seculi hujus: 14 Eô, ut ne qvis pereat ex ovibus qvas dedit mihi Pater, sed ut introducantur ad Nuptias Agni, occîsi à constitutione Mundi. 15 Volo igitur, volo ego Dominator Orbis Terrarum, totiusqve Creaturæ cœlestis & terrestris ut ante Mundi finem introducantur ad Nuptias meas, ad accumbendum Mensæ meæ: 16 Auxiliô vestrûm etiam duorum testium meorum, qvos antiqvo more meô nunc in diebus ævi hujus adhibeo: 17 Qvaliter me ab origine Mundi factitasse nostis, & nosti tu qvoqve ex lege mea. 18 Duo erant primo in Mundo primarii Paranymphi mei, Enoch & Noë; duo pòst, Abraham & Iacob; duo in promulganda lege, Moses & Aron; duo post hos, Iosua & Caleb. 19 Seqvuti sunt Prophetæ, Elias & Elisæus: Isajas & Ieremias: 20 Post hos, aliosqve spiritu eis junctos, ego IESUS,

cum præcurſore meo Joanne Baptiſta: poſt me Petrus & Paulus: poſt hos Auguſtinus & Ambroſius. 21 Majorum veſtrorum ævo Huſſus & Lutherus; his autem diebus A. & D. 22 Ecce tibi, ecce, tria oſtendi; *Sponſalia, Copulationem, Nuptias!* in qvibus promovendis Vos operam ponere volo. 23 Solicitate igitur ad jungendum ſe uno ſpiritu, contra nubes illas ſine aqva, arbores emarcidas, infrugiferas, bis emortuas, ducesqve cœcos, ut exterminentur de terra tanqvam maledicti, ſine miſericordia, qvia non fecerunt miſericordiam. 24 Hoc exſeqvantur Orientales & Occidentales, Septentrionales & Meridionales: citò ac celeriter infundentes duplum in calicem ignis iræ meæ, qvantocyùs tantocyùs. 25 Deinde, vidiſti *Connubium*: qvod fieri volo inter vos, cum aliis me & puram vocem Legis meæ agnoſcentibus, cum veritate ordinis vitæ Chriſtianæ. 26 Qvem Ordinem amiſerunt boves de Baſan, ſeipſos paſcentes, terrena ſapientes non æterna. 27 Tertiò vidiſti *Convivium*, & accumbentes menſæ meæ, claudos, cæcos, leproſos, ſurdos, hactenus non agnoſcentes neqve ſe neqve me, qvos jam decrevi admittere ad Convivium in Domo mea, Eccleſiæ Catholicæ, Sponſæ meæ. 28 Ut participent de me grano Tritici, & de me potu germinis Vitis, ducisqve veri, qvi Convivis meis etiam do potum aqvæ ſalientis in vitam æternam: Vobis etiam, qvi me cùm non noſſetis non dilexiſtis, neqve coluiſtis. 29 Iccircò loqvor vobis à me luce meâ colluſtratis: Porrigite, ô porrigite jam epulas, qvibus ego vos dilectos meos ſub cruce frui feci, ſine apparatus ſplendore, in ſpiritu. 30 Ecce jam omnia in me parata ſunt, vobisqve his diebus revelata! Vobis inqvam, ſummis & imis. 31 Revelate vos qvoqve hæc alii aliis, in facie totius Terræ, meæ Terræ, habitantibus, propè & longè. 32 Eritqve æternùm benè Vobis, filiis & filiabus meis, in domo Eccleſiæ militantis, & in domo Eccleſiæ triumphantis: cujus utriusqve unicum Caput ego ſum, & ero in æternum, Amen. 33 *Hic conticuit: ego autem præ gaudio hymnum cecini:* Lætare mater, filiorum Dei genitrix &c.

[Qvàm ſvaviter hîc gratiam diffundit labiis ſuis æternus Sponſus (v. 13. Pſal. 45. 3.) nuptias celebraturus cum Sponſa ſua ſub mundi finem, poſt amotum Pſeudo-Sponſum Apoc. 19. v. 7. Qvod gentibus nuntiare, & ad nuptialia convivia invitare, jubentur omnes luce Divinâ colluſtrati (v. 29) amici Sponſi & Sponſæ (paranymphi): qvorum primarii aliqvi omni ævo nominantur (v. 16) etiam qvi hæc nunc in præſenti, (cùm homines vulgò, fideles etiam, nullas jam niſi in cælo nuptias Agni expectent) ſolemniter per gentes vulgare ac decantare, juſſi ſunt, v. 21.]

REV. CCLXX. Oct. 10.

[*Navigatio difficilis*, 1, 2. Radzivilius cum Moſco *&c.* 4. *Princeps Tranſ.* 5. *Videnti Gentium affectus promittitur*, 6. *Fax accendenda*, 8. *ut omnes errantes Oves viam inveniant ad Paſtorem animarum*, 9. *Manna vitæ colligendum*, 12. *Ultima vox tubæ Dei*, 14. *&c.*]

A*Nxius eram, experrectus manè, ſuper ſomnium qvô moleſtiſſimè navigare videbar per ſtagna.* 2 *Inter orandum ergò dixit Dominus:* Fidelis, taciturnus, patiens

tiens esto, memor ejus qvod ego discipulis meis dixi; Si fidem habueritis, poteritis transferre montes. 3 Ego enim immutabilis tibi manebo immutabili gratiâ meâ: nam ecce transferunt jam Gentes sermones meos ad te factos! 4 Etiam qvæ in Poloniam ultimò misisti, ut veniant ad Radzivilium, vas meum: qvi mox intimet voluntatem meam Mosco & Sveco, & glorificabor Gentibus in istis, Tartaro etiam. 5 Qvibus intellectis Princeps vester, sumet robur: à qvo accipies, ut & aliunde, informationem gratam. 6 Adamaverat me mulier illa, qvæ de turba exclamaverat: Beatus venter qvi te portavit, & ubera qvæ suxisti. 7 Ita facient tibi, & loqventur de te, serve mi, Gentes à me per vos illuminationem accipientes, ad agnoscendum me salute vestrâ gaudentem. 8 Alii accendunt candelas, tu accendes facem, in gente tua & aliis. 9 Ecce gratia mea diffusa erga Vos, dilecti mei! tùm erga vos qvi me jam ex pleno nostis, & me diligitis, & ex me habetis omnia; tùm erga vos me adhuc ignorantes, aut non ex pleno agnoscentes. 10 Nam dies mea ad vos collustrandum jam venit: qvam vos penitus ignorastis, donec vos circumfulsit lux mea. 11 Qvòd ego Pastor, vos à me vitæ centro aberrantes Oves meas, per meipsum qværo, vocem & manum erga vos extendens meam, ut jamjam è tenebrosis labyrinthis mentis obtusæ, doctrinarúmqve erronearum, exeatis. 12 Ah colligite vobis Manna vitæ, ex antiqvis & recentibus meis ad vos sermonibus, ó populus meus? populus meus! 13 Atqvi ego, solus Ego, Creator sum vester: me solum habes miseratorem, cur alios qværis? Cur id qvod non est Deus invocas? & invocas frustra, tempus tantùm perdendo, & inveteratô errore Deo sic præstari cultum opinando. 14 Agnoscite ó progenies mea, me Patrem æternitatis vobis loqvi postremis diebus per Testes meos, vestri causâ, ad excitandum vos de somno, tubâ gratiæ meæ vos inclamante. 15 Qvam vocem, æqvalem vocibus meis priscis, si qvis neglectam amittet, peribit in æternum. 16 Me, me timete fines Terræ! & congesseritis vobis thesaurum ad æternam æternitatem. 17 Surge, & labora! Protectio mea tecum. 18 *Ego autem cecini (hymnum Ecclesiasticum) O qvam svave contubernium! Patri, Filio, Spirituiqve Sancto uniri &c.*

[v. 4. *mox intimet*) Num fecerit incertum: Vix tamen. Vide infra Rev. CCCLXII, 4.]

Rev. CCLXXI. Oct. 21.

[*Testamentum morientis matris Eccl. Boh.* 2 *Ordinatio Seniorum*, 3: *ubi temerè se ingerens vapulat*, 4. *Domus Austr.* 6. *Radzivil*, 7, 14. Ex idolis in Pol. faciendum Regi solium, 8, *& cur?* 9. *Princeps Racoci*, 11, 14. *Mednianius*, 12. *alii qvidam*, 16, *&c.*]

I*Terum ad me factum est Verbum Domini*, 2 *Primò loqvutus fuit de* Testamento morientis Ecclesiæ Bohemicæ. [*Tractatulus fuit hoc titulo vernaculò*

culè scriptus, & typis descriptus Anno 1650, *post exclusos à religiosa Pace in æternum Bohemos*] : *admonens me , ne metuerem, non me iri confusum.* 3 *Cumqve indormissem momentô, ostendit mihi Dominus* Ordinationem Seniorum , *qvorum nomina mihi concredita erant , unà cum urna.* 4 *Horum autem unus temerè rapiebat ex urna , & fuit à judice condemnatus , foras eductus , & flagellatus : qvam flagellationem ego non vidi , vocem tamen ejulantis audivi.* 5 *Experrecto dixit Dominus* : Sic à me flagellabuntur Judices temerarii , in seipsis confidentes , alios verò aspernantes , tibi etiam ludibria exhibentes, mihi tu commenda causam tuam. 6 Domus Austriaca , cùm se desertam videbit, demittet caput , lamenta effundens super duces suos. 7 Cùm Radzivilius ibit , meum seqvutus ductum, subcurvabunt se illi potentes in Polonia. 8 Cui interroganti dices : Collige per Poloniam Idola aurea & argentea , & conflari cura sellam , cui insessitet Rex proferens judicia Lege meâ descripta , domesticis & extraneis. 9 *Ego hæc audiens cogitare cœpi , Dominum ante hâc (Anno* 1652, *Januarii* 18) *mandasse , ut in Hungaria ex Idolis Mensa conficeretur Regia , hic autem mandari Sedile.* 10 *Dominus respondit:* Plus blasphemiarum mihi & nomini meo exhibitum est in Polonia , qvàm in Hungaria : plus ergò ignominiæ exhibeatur Idolis in Polonia , qvàm in Hungaria , insessitando illis. 11 Princeps hodie respondet Jonæ M. qvid cum Consiliariis suis concluserit. 12 Adibis J. M. cùm te vocabit : & qvod tibi referet secretò habebis, qvia parum fidei & silentii est etiam apud tuos. 13 Adjunctus tibi submittet egestatis subsidium , ut & aliis. 14 Veniet & ex campo Radziviliano, qvod miraberis : & argues Principem, qvòd non egerit Abdiam in frangendo panem vobis profugis meis : sed & tributum accipit à vobis servis meis. 15 Tu perge insistere labori NB. S. langves ? perfringere habebis necesse. 16 I. Sap. fastidit hæc transferre, unum spiritum spirat cum J. Eph. mitte illum. 17 Et cùm Principis expeditio procedet , fac certiores Sobekum & Skerbensky, ut apud Principem profiteantur nomina : istâc enim è Polonia in Hungariam profugere tentabunt duces illi cœci. 18 *Ego autem cogitare cœpi, Num hæc meminisse potero ? Et Dominus:* Ego suggeram. *Atqve ita factum est, Hallelujah.*

[v. 7 &c.) Qvid futurum erat si Radzivilius ductum Dei seqvi voluisset, narratur hic.]

REV. CCLXXII. Oct. 15.

[*Consolatio Videnti, non frustra fore sermones Dei ,* 1 *&c. cum mandato omnes eos describendi,* 6. *Princeps Transf. cum Principe matre tandem agnoscent opus Dei,* 8, *&c.*]

ANtelucanò redormiens , Vidi me peragere preces publicas , præsente magnô Cœtu. 2 *Et ingressus ad nos Adjunctus mihi , habitu decorô & vultu hilari , loqvutus qviddam est in solatium mihi.* 3 *Ut evigilavi cogitabam qvid istuc portenderet,*

ret, & qvid ab illo mihi allaturus esset tabellarius. 4 Dominus autem: Bonô esto animô. Recepit verba ore meo per te prolata terra cordis eorum qvibus revelata sunt, ut fructum afferret centuplum. 5 Et ambulabunt cum gaudio per vias mandatorum meorum, etiam providendo tibi vasi meo: qvod tu exspecta patienter. 6 Et describe omnes sermones meos maturè, ut mittas ad Principem qvoqve, omnia faciens juxta mandatum meum. 7 Ego verò decantans; O Iesu Rex gloriæ qvi nos pretioso redemisti sangvine &c. obdormivi. 8 Et datus mihi fuit Eqvus, qvô vectus veni in Domum hominibus plenam: & accedens Vir qvidam generosus prælegebat mihi epistolam qvampiam. 9 Alius verò veniens dixit, Proximo in conclavi est Princeps Transylvaniæ; qvô ingressus vidi eum solum insidentem extremitati scamni, qvem postqvam salutassem, illéqve respondisset, assidere jussit: qvod & feci. 10 Sed expergefactus aperui oculos: & ecce fuit cubiculum meum in luce, crepuitqve more solito. 11 Occlusis oculis mox rursum somno fui mersus, & vidi adventans gynaceum, & in eo Principem matrem, salutantem me hilari vultu. 12 Qvæ cùm consedisset inferri curavit cibos, invitans me: ego verò langvorem stomachi causabar. 13 Mox ingresso Principi Principissa aureo ex poculo propinavit, mihi porrigens, ut ego Principi: quod dum facerem evigilavi, cogitans qvid istuc esset. 14 Et Dominus: Princeps cum Principissa matre de te cogitant, videre te desiderantes. 15 Et cùm Operis mei initium erit, ipsa Principissa veniet, & cum illa lux consolationis meæ, ad te. 16 Ego igitur cantibus laudabam Deum.

REV. CCLXXIII. 24. Oct.

[*Humanæ cogitationes vanæ*, 1. *Sacrum Ecclesiæ epulum graphicè depictum*, 4, &c. *cum Cantico novo*, 7. Explicatio mysterii fruitionis Christi in sacra Cœna, 11. *tùm hîc*, 12. (*NB. sacrilegium calicis*, 13.) *tùm in æternitate*, 15. &c. *Effigies Videntis*, 27.]

POst secundam nocturnam cœpit mihi Dominus loqvi de vanis humanis cogitationibus, ignorantium potentiam & sapientiam ejus, in revelando sese & opera sua. 2 Qvod ego ut ne attenderem, fore ut suo tempore intelligant & pudefiant: perversos autem igne oris sui absumtum iri, ni resipiscant. 3 Ego verò decantans, Corrobora nos in fide viva, & omni virtute sancta, spéqve vera &c. indormivi. 4 Et ostendit mihi Dominus viros eximios, via accinctos, cimeliaqve aurea, linteis involuta, mihi asservanda tradentes: de qvibus valdè fui sollicitus, ne amitterem. 5 Et venimus ad Populum variò vultu, oblongo, ingrato mihi: alii tamen erant mihi noti & dilecti amici, ex Ministris Ecclesiæ, dicentes, Populo isti Eucharistiam esse administrandam: exspectare enim desideriô. 6 Steteruntqve Ministri seorsim, cantantes Canticum mihi notum. 7 Sed prodiit Vir humilis staturæ, incinens Canticum ignotum mihi, penetrabile tamen & grave: qvod cùm nescirem cantare exhibuit mihi scripturam Hebraicæ similem. 8 Hoc decantato, prodiit qvi verba Testamenti declararet, manu tenens Panis buccam: sed

sed qva dicebat non intellexi, qvia linguâ mihi ignotâ utebatur. 9 *Accedebant igitur candidô vestitu, qvalem & ipse habui (Tunica verò mea Ecclesiastica jacebat ad latus mihi convoluta): & populus iste varius accedebat, gaudebamusqve de invicem.* 10 *Experrectus cogitabam, Qvid somnii esset istuc? decantans (ad sacras epulas nobis decantari solitum)* Eja esurientes & sitientes, exsaturationis divinæ avidi, venite ad epulas Domini gloriosi &c. 11 *Et mox dilectus Salvator meus ad me:* Vidistíne me convivantem cum Convivis meis! qvorum nonnullos noveras, plerosqve non noveras. 12 Nam ecce, variarum Lingvarum sunt, convivabunturqve mecum, pascentes de me Agno, Pane vitæ, qvô & vos consortes mei, per Patrem ad me tracti, pascimini sacramentaliter fide, invisibiliter corporis oculô, perceptibiliter tamen virtute spiritûs, spiritu meo illuminati ac repleti: qvi spiritus plenus est gratiæ & veritatis. 13 Ostendi autem tibi hæc ideò, ut tu hoc etiam notifices Populis, Sacrilegium fuisse perpetratum ab illis qvi nomine meo gloriabantur, se Pastores esse, cùm essent fures & latrones: ostentantes populo, & exhibentes, Panem solum sine Calice, & in illo potu vini, qvod ego non sic institui. 14 Ego enim assatus igne justitiæ Patris mei pro vobis, non sine sangvine & aqva, eôdem modô vobis ego Dominus & Magister vester, vobis inqvam Ovibus meis, disposui: 15 Ut in Corpore & Sangvine meo plenè convivemini, si mecum esse vultis, & cum illis qvi me tali qvalis pro vobis mactatus sum potiti sunt, & potientur in æternum, in terra viventium, in terra novi Cœli & novæ Terræ! qvam juxta promissionem expectatis vos in me credentes. 16 Ubi & cantabitis Canticum novum Agni, meum: qvod & melodiam ejus nondum scitis, nec scietis anteqvam veneritis in conspectum Antiqvi dierum, seculi æternùm perennaturi. 17 Ubi ego vos meos dilectos induam veste sacerdotii æterni, qvam tu convolutam vidisti. 18 Doceboqve vos Canticum illud novum, Angelicum, qvod hîc auris non audivit, nec in ullum cor adhuc perfectè ascendit. 19 Cùm vos mei amantes, mandatumqve meum in me plenè manducando & bibendo custodientes, cursu hîc expletô, agmini novis lingvis loqventium, charissimorum meorum filiorum, fratrum & sororum, aggregati fueritis. 20 Ecce vestri causâ, vestri causâ, hæc ego loqvor, ô Gentes & Populi me adhuc ignorantes! ad subveniendum vobis, & promovendum vos ad agnitionem, fidem, dilectionem, fruitionemqve mei, citra imminutionem gloriæ meæ, & satietatis in me vestræ, esurientium & sitientium me Vitem Vitæ: 21 In gloria qvam mihi Pater dedit vestri qvoqve causâ, ô pueri mei! qvos ego tanqvam Regnum tradam die illâ Patri, ut regnum vestrum sit Nobiscum, regnum æternum. 22 Qvod filii seculi non intellexerunt, nec intelligunt: qvidam etiam nolunt intelligere, tenebras habentes pro luce. 23 Jam surge, & qvæ tibi ad informandum errantes, & me ignorantes, Terræ habitatores ostendi, inscriptum refer.
24 Et qvicunqve diligitis Animas vestras, pascite eam hôc cibô qvi non perit. 25 *Ego verò cogitare cœpi, an hæc memi-*

meminisse potero? decantans qvod in mentem venit, Pontifex æterne Jesu &c. 26 *Cantionem ut absolvi, dixit Dominus*, Inter scribendum suggeram omnia: *& factum est, scripsi omnia, rediiqve in lectulum.* 27 *Ubi Dominus:* In silentio cura depingi effigiem tuam, sed hîc eam ne ostendas: aliunde reqviretur. 28 *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*

REV. CCLXXIV. Octob. 27.

[*Vita Triunitatis æterna*, 2. *Æternum deliciarum gustus datur in sacra Cœna*, 3, 4. *Christus qvomodo hîc carne suâ & sangvine suo pascat fideles*, 5. *Ad gratiam hanc ultimò convocantur Gentes*. 9: *Accursurasqve, ostenditur Visione congregata multitudinis*, 13. *Svavissimiqve Convivii*, 16. *Canticum novum*, 19. *Dominus rythmicè loqvutus denuò*, 20.]

B*Is factum est ad me verbum Domini, primùm secundâ, deinde qvintâ matutinâ horâ, dicendo:* 2 Fidelis esto usqve in mortem, & dabo tibi coronam vitæ: Vitæ dico unius meæ gloriæ, qvam ego habeo in Patre, & Pater in me, in Spiritu vitæ. 3 Qvod vos terreni nihildum plenè intelligitis, qvid sint deliciæ æternæ, qvarum Nos vobis gustum tantùm hîc præbemus, cùm vos ad participandum gratiæ spiritum perducimus, idqve gratis, æternô erga vos amore. 4 Qvem gustum tunc vos participatis, qvando me in Verbo meo auditis, Absolutionem accipitis; & in me, Carne meâ Sangvineqve meô pro vobis fuso, epulamini. 5 Ubi ego, Panis vivus cœlô descendens, substantialiter meipsum vobis amicis meis exhibeo, oculis fidei videndum, amoris charitate vobis jungendum, desideriisqve cordis inflammati meritis meis apud Patrem perfruendum. 6 Qvô ipsô fit illa mei, in carne & sangvine meo, vera, mira, potens, Angelicæ similis, participatio, gaudiiqve & pacis fruitio, qvam Caro & Mundus nec dat nec novit. 7 Qvæ omnia ego Verbum æternum efficio, Mentem spiritu regenerans, Fidem auditu roborans, desiderium gratiæ, amore Patris in Filio, & Filii in Spiritu Sancto excitans: 8 Atqve sic ex vobis terrenis filiis cœlestes filios, & ex filiis iræ filios gratiæ, hæredesqve æterni paradisi, efficiens. 9 Gustate igitur hanc meam melle dulciorem, myrrhâqve & balsamô fragrantiorem, gratiam, ô vos postremi seculi Populi & Nationes, totius habitabilis Orbis! 10 Nam hæc ego propter vos me nondum agnoscentes loqvor. 11 Tu autem serve mi repone hæc in corde tuo, & memoria tua, ad hæc chartis consignandum: opus enim meum ego ipse faciam. 12 *Qvibus ego auditis, repletusqve gaudio in spiritu, oravi ut hæc ne exciderent: simulqve obdormivi.* 13 *Et vidi numerosam Gentium congregationem, qvamqve agmine suô stantes, deqve æterno Esse colloqventes, & scriptos variè Libros ostentantes, atqve conferentes verba, plenam tamen congruentiam nullam reperientes.* 14 *Tum ingressus Pater dilectus*, Lanetius, *inveniensqve me scribentem, dixit*, Satis nunc erit, fili, trade id Gentibus istis! *qvod feci, per virum honoratum.* 15 *Illi accepto de manu ejus scripto isto, gaudebant, communicantes*

id sibi invicem ita, ut qvibusdam haud satis ad palatum videretur. 16 *Plures tamen gratè id habentes instruebant mensam ad epulandum, discubueruntqve ubi qvisqve potuit.* 17 *Pater verò Lanetius jussit me assidere sibi sedili consimili isti, cui ipse insidere solebat.* 18 *Et convivati sumus, permultis nobis cibos varia paratura, vinumqve limpidissimum, ministrantibus: svavissimis intercurrentibus Colloqviis.* 19 *Sub convivii finem hymni & psalmi decantabantur varii. Pater verò* Laurentius Justinus *incinuit Canticum novum, cui succinere nostrûm nemo potuit.* 20 *Et evigilavi: Dominus autem repetebat omnes sermones suos de Vita æterna voluptatibus, qvibus cum Illo, & dilecto ejus Patre, in Spiritu sancto perfruemur in æternum.* 21 Tandem cæpit rhytmicè loqvi, sic ad verbum:

22 *Gratia nostra increata,*
Gaudiumqve nostrum imperscrutabile,
23 *Vobis apud nos sunt parata*
Per me apud Patrem promerita.
24 *Qvam vos in spiritu participatis,*
Dum me fide fruimini.
25 *Fruimini ex Verbo meo*
In Lege mea perscripto.
26 *Qvi me audit, & fide recipit,*
Mentem ad me puram elevans,
27 *Desiderium in corde accenditur,*
Animâ gaudia sua approbante:
28 *Is jam in me habitando*
Saturitate perfruitur æternâ.
29 *Ex me pane æternùm vivit*
Vinum solatii bibit.
30 *Qvod ego largior abundè*
Vobis fidelibus in mea æternitate
31 *Cum iis qvi vos præcesserunt,*
Meas jam nuptias ingressi
32 *Oculo vestro id videbitis,*
Qvicunqve in me corde creditis;
33 *Mentem precibus levantes*
Mei desiderio suspirantes,
34 *Intellectum Veritati subdendo*
Voluntatem promptè præstando:
35 *Idqve sine vi coactiva*
Solo duntaxat mei gustu:
36 *Qvi sum omnium vestrum Amen,*
Cœli, Terra, Marisqve Dominus:
37 *Verum Alpha & Omega*
Vobiscum manens in æternum.

38 Ut autem loqvi cessavit Dominus, ego sermones istos miratus laudavi hymnô Deum: & surgens ista scripsi, rursumqve me reposui & redormivi. 39 Et ecce datus mihi fuit Caseus, qvô & ipse vescebar, & puerulum cibabam, qvem assidens ignota mihi mulier manibus gestabat, puer autem esitabat avidè. 40 Et Dominus expergefacto mihi: *Ita ego te bonis saturabo, ut tu puerum istum: habe tantùm fidem & patientiam &c.*

REV. CCLXXV. Octob. 3.

A *Precibus matutinis cogitare subiit Baronis Sadovii qvi se cum suo proposito precibus commendaverat meis.* 2 *Et Dominus:* Odor fragrantiæ apud me est Zelus illius. 3 Modò ne animum inducat audire sermones vanos hominum perversorum, meos sermones & opera in dubium revocantium. 4 Fides, Oratio, Obseqvium, pervincent potenter in illis qvi ductum seqvuntur meum: his

his qvisqvis destituitur, vanus est. 5 Tu vigila & ora, pro illo etiam, sicut facis! Opus meum procedet. 7 *Et cantabam (ex hymno, Te Deum laudamus)* Per omnes nostros dies &c.

Rev. CCLXXVI. 3 Novemb.

[*Videns spoliatus angitur*, 1. *Solatiisqve erigitur*, *Dominum voluisse Revelationes istas incidere in manus alienas*, 2, *& cur*, 3. *Pergere jubetur in exhortando ad opus Dei*, 7. *Quorsum hæc mittenda*, 13. *Iterum de ablatis illis chartis*, 10, *&c.*]

IN *summis constitutus angustiis (cùm iter faciens Betzkoviam à militibus spoliatus essem, interqve alia Revelationes qvas ferebam tradendas D. M. ablata essent, ob qvas inqvisitionem metuens in cœmiterio pernoctabam) clamabam ad Dominum, protectionem implorans.* 2 *Et Dominus:* Desine pavere & zelari, serve mi! mihi est de te cura! ego sic disposui ut in horum, & per illos aliorum, manus istæc venirent. 3 Qvoniam non pro solis vobis loqvebar, & loqvor, qvi me nostis, zelumqve nominis mei habetis: sed loqvor illorum etiam causâ qvi me non æqvè nôrunt, eôqve me offendunt, à qvibus vos abscondebatis mea verba. 4 Volui ergò testatam reddere, non per vos, sed per meipsum, tùm justitiam judiciorum meorum (*absconditam à multis me offendentibus*) tùm vindictam, apud me jam paratam. 5 Volo inqvam, ut alii qvoqve hæc sciant, & non soli Vos: ideò etiam, qvia non erubesco coram amicis & inimicis sermones meos, prolatos sive olim per alios, sive modò per te. 6 Mihi ergò, mihi, factum imputa: qvi plus te lædi prohibui. 7 Tu autem mihi confisus hortare illos qvibus agendum est Opus meum, ut agant, aliud nullum exspectantes tempus. 8 Dic eis: Me fore scutum illis, sicuti sum tibi. 9 Et fac qvod animô versas: Domum Parochialem ingredere, ibiqve negotiis transactis, domum te refer. (*Metuebam enim inqviri, eôqve me Pastori loci, licet ignoto, concredere volui.*) 10 In qvorum manus tua scripta venient, agnoscent antiqvis meis Testibus similes comminationes, pœnasqve violatoribus Legis meæ denuntiatas. 11 Si resipuerint, illis benè; sin, malè. 12 Tu mihi fide, & benè tibi erit: nam judicia mea exercentur in terra. 13 Scribe hæc, mitte Orientem & Septentrionem versùs: Meridialibus horum partem ipse jam ego transmisi. 14 *His erectus, laudabam providam Dei rerum curam, recumbénsqve in manus Dei diluculò Parochiam ingressus sum, ignotus ibi antè.* 15 *Ubi me D. I. M. visitavit: ego verò transactis ea die cum illo rebus, postridie domum sum reversus.* 16 *Dominus autem ablatorum per prædones in ipsa via compensationem, præter meam spem, fecit: Illi gloria.*

REV. CCLXXVII. 8 & 12 Nov.

[*Mulier mortua visa*, 2 *reviviscit formosior*, 3, 4. *facies Viri tetra*, 5. *Ecclesiam pulchrè reformandam, ultimoqve (antè Mundi finem) rursum deformandam significat*, 6, *&c*. *Spoliatio nupera*, 9. *Jejunium indicitur*, 11. *In Ferdinandum terribilia*, 12, 13. *Rex Poloniæ cadaverosus*, 14. *Sermones Dei non retroibunt*, 15.]

M*Atutinas post preces redormire jussit Dominus.* 2 *Obdormivi igitur momentò: & vidi magna in Domo Mulierem jacentem, qvam esse mortuam dictitabant.* 3 *Qvam ubi accessissem detegebant ei faciem, illa verò prospexit: qvô visô dixi ad circumstantes*, Non est mortua, vivit. 4 *Et illa mox me alloqvi cœpit: qvam qvò diutius intuebar, formosior apparebat, gaudio omnium præsentium.* 5 *Hoc ubi transierat, apparuit Vir senex, facie distortâ, alterô cœcus oculo, qvem intueri tædebat.* 6 *Et mox experrecto dixit Dominus:* Ostendi tibi Ecclesiam meam, in forma mortuæ mulieris jacentem; sed reviviscet, & in decore suo spectabitur. 7 Non diu autem pòst mutabit se in faciem tetram & cœcam, perfidiæ ac malignitatis plenus Mundus. 8 Atqve tum veniet dies meus novissimus, qvô Cœli mutabuntur. 9 Tibi ablata vulgabuntur sic, ut Episcopus qvoqve *(Ilaviensis)* resciturus sit: sed ne metue, nihil inde tibi periculi. 10 Vellent potiùs tibi reddere, qvod abstulerant: brevi scies qvinam sint hi. *(Rescivi in Januario.)* 11 *Indixitqve mihi Dominus ad diem* 12 *Nov. jejunium, & ne exirem domô: qvod feci.* 12 *Eaqve die dixit ad me Dominus, confecturum se prævelocibus sagittis Ferdinandum.* 13 *Et pro rigore judicii præcipitaturum in Gehennæ barathrum, constricturumqve caligine tenebrarum in æternum: ego ut mihi caverem.* 14 *Mox vidi faciem Viri inamabilem: & Dominus*, Polonum vides, Regem cadaverosum. 15 Ego in Poloniam ignem injiciam, ut ardeat donec aboleantur Idololatræ. 16 Tu fidelis esto! sermones enim mei non retroibunt. 17 Percutiam Terram virgâ oris mei, & spiritu labiorum meorum interficiam impium. 18 *Tu ora: qvod feci, decantans Psalmum* 130.

REV. CCLXXVIII. 14 Nov.

[*Mola Dei*, 1. *Titio ambustus & arundo qvassata maturuerunt*, 4. *Cain & Judas*, 6. *Videntis humiliatio, & deprecatio*, 9. *Visio nova Matris vetulæ, sibi benedicentis, & opes distribui mandantis*, 16: *& qvid hæc sibi velint*, 18. *Concilium Genevæ*, 20 *& Ulmæ, ubi Electores Ecclesiastici dejicientur*, 22. *Princ. Transs.* 25 *J. M. præmium assignatur*, 27. *De aliis Ecclesiasticorum bonis dispensatio*, 28. *Buda Hung. metropolis Regi reddenda*, 31.]

C*Irca matutinam qvartam redormivi, precibus finitis: & vidi flumen, & adstructam illi Molam trinam, in qvibus omnibus molebant Milium, valdè purum, ut mirarer.* 2 *Redditus vigiliæ cogitabam, Qvid istuc esset? & Dominus:* Dudum ego id consiliô decrevi meô, qvod loqvor nunc, ut molant Molitores mei.

3 Jam-

3 Jamqve tres incipiunt agere opus meum, alii autem incipient mox. 4 Dies enim mei venerunt repurgandi Doctrinam, universumqve Mundi Ordinem, ut sit tanqvam purissimum frumentum. 5 Nam titio combustus, Papa; & arundo qvassata, Hispanus, maturuerunt cum Domo Austriaca, tyrannidem exercente: cujus finem videbis. 6 Opprimet eos stupor, ut Cainum & Judam, ut non sit locus saluti. 7 Ne metue, serve mi, nullus inimicus te lædet, donec consummavero opus meum, hac in Terra, & alibi. 8 Mihi est cura tui: tantummodò tu servi mihi æternùm viventi. 9 *Ego lætitiâ & metu plenus dixi: O Jehova dominator Terræ, qvid sum ego miser homo? nihil ex me ipso habens, vel sciens, sed ex te omnia, vitam & spiritum.* 10 *Miserere mei, sicuti (misertus fuisti) Adami patris nostri secundùm carnem, Abrahami secundùm fidem, Mosis secundùm obedientiam!* 11 *Propter unicum illum Salvatorem meum, Virgine natum, mihi & credentibus omnibus corde junctum: in qvo ego summum meum bonum esse repositum corde credo, & ore profiteor, profiteborqve in æternum.* 12 *Duc me qvòvis, doce qvod vis, addens cor purum, donec me feliciter ex me & mundo eductum perducas post te, ad te, in illam per te nobis partam æternam vitam!* 13 *Ubi Te in Patre, & Patrem in Te, cum æterno Spiritu, ego qvoqve contemplatus gaudeam cum Angelorum choro, electorumqve agminibus, in æternum.* 14 *Confirma autem, ó confirma, qvod os tuum per me loqvutum est, & loqvitur: ut omnes Gentes agnoscant Te, ut & ego cum aliis, ex Te in spiritu agnitionem Tui habentibus.* 15 *Da ó DEUS, ut anima, spiritu & corpore Tibi serviamus, tui exsistentes in æternum.* 16 *Ut verò sermonem finivi, jussit Dominus redormirem, qvod momento factum: & vidi Matrem meam vetulam, benedictione me impertientem.* 17 *Ego ut gratus essem dabam illi partem possessionum mearum: sed illa distribui hac jussit inter alios.* 18 *Evigilanti autem dixit Dominus:* Fidelis esto, ludibria nihil cura, plus metue me qvàm homines! 19 Gratia mea æterna est ad Gentes me nondum cognoscentes. 20 Vidisti matrem, Ecclesiam vestram, jubentem distribuere cimmelia: qvod tu facias cum confratribus tuis, illis qvos in tempus illud conservavero, qvô Concilium celebrabitur Genevæ: 21 ad Gentes introducendum in cancellos Ordinis, qvi viguit in Ecclesia vestra, qvam appellatis Matrem, qvæ jam senuit cum amabili mihi Ordine suo. 22 *Qvibus ego auditis, cogitabam antea Dominum de Ulma loqvutum, ibi fore congregationem.* 23 *Et Dominus:* Ibi qvoqve Congregatio erit magna, ibiqve disjicietur potestas Papæ, Electorumqve spiritualium, qvos tolerari ampliùs nolo. 24 Administrent Spirituales spiritualia, & Seculares secularia: spiritui meo subjecti utriqve, in veritate vitæ meæ, Christianæ. 25 Qvô ego deducturus sum Gentem qvoqve Turcicam, cum aliis me adhuc ignorantibus: qvibus jamjam subministrabo lucem, etiam per Transylvaniæ Principem, futurum Hungariæ Regem. 26 A qvo venientem declarationem mitte dilecto tuo & meo, in Poloniam: conservabo ego id, uti antehac conservabam. 27 Domui J. M. & filiorum ejus, pro fide mihi, & Principi, qvin &

tibi, exhibita, detur in hæreditatem, post exterminatos Idololatras & ejectos Esavitas, Skalka cum reditibus suis. 28 Alia verò illorum bona in Trencinienſi Comitatu Comiti Elesbazio, opus fideliter promoventi, cedant. 29 Nitrensia & Tyrnaviensia bona, cum reditibus suis, transferantur ad sustentationem Regis: alia aliorum Ecclesiasticorum bona in alios bonos publicos usus. 30 Qvód id similiter in Patria vestra, post reditum, præterqvàm qvod cuiqvam ex ejectis meis ablatum est, & restitui debet, observari volo. 31 Turca verò, cùm videbit Regem ex gente Hungara, non aliunde, eligi, gratitudinis locô pro Bibliorum à Racociana Domo sibi submisso munere, reddet metropolim Budam, Regis posthâc futuram, uti antehâc, residentiam. 32 Atqve tum fiet, ut gens Turcica sine metu in Hungariam, Hungari verò cum aliis gentibus in Turciam, transmeent, negotiationesqve exerceant. 33 Hæc ego postridie jejunii tui indicata tibi volui: servi mihi cum timore, & non derelinqveris. 34 *Ego autem laudabam Dominum decantato 146 Psalmo.*

REV. CCLXXIX. NOV. 15.

[*Scripta Videntis ineptè componuntur*, 1. *describuntur tamen & communicantur*, 4. *Pestis in Austria & Hungaria*, 6. *Baroni S. mandata*, 8, *Sic faciendum modernis, ut Dominus fecit Ierosolymitanis*, 10.]

ITerum *factum est ad me verbum Domini manè, cum Viros vidissem conspicuos, qvi scripta mea tentabant componere, nec poterant, qvia compressa erant (charta) & contorta.* 2 *Hôc viso, componebam ipse: sed agrè potui, qvia intricaverant ipsi.* 3 *Cùm evigalassem, dixit Dominus:* Suspendi ego ratiocinationes eorum, in qvorum manus scripta tua (*nuper ablata*) inciderunt, nesciunt se extricare. 4 Attoniti transcribunt, & alii aliis communicant, ignari qvorsum mittenda erant: hoc solùm intelligunt, mala denuntiari malis. 5 Tu ergò ne metuas & cùm J. M. venerit Rownam, expendite verba mea, ut Principi fiat indicium, non esse jam cur exspectet. 6 Jam & ipse me irritantes hac in Terra perdere incipiam peste, Posonii & Viennæ: non effugient manum meam [NB. *Ita fuit, mox in Decembri grassari pestis capit.*] 7 *Et oravi protectionem, mihi & aliis Cultoribus Dei.* 8 *Dominus autem:* Da indicium zelanti contemtum mei, & oppressionem patriæ suæ, Baroni S. instrumento meo, ne ponat in oblivione effusum sangvinem fideliter Domui Austriacæ servientium, & ab illa trucidatorum. 9 Nec inultum relinqvat eorum Pragæ effusum sangvinem: sed ut rursum iisdem locis sangvis effundatur pravorum Consultorum, cum eversione radicitùs stirpium impiarum, ut non relinqvatur mejens ad parietem in domo eorum. 10 Ita fiat illis, qvomodo à me factum est Jerusalemitis: fuderunt illi sangvinem meum & servorum meorum, fusus est rursum sangvis posterorum illorum. 11 Ego autem ubi condemnatus eram, ibi eram vidicatus & glorificatus: ut hunc in diem memoria

ria exstat in nationibus Terræ. 12 Ne differas notum hoc reddere illi! 13 *Hac admiratus ego, qvod talia etiam non abscondat à me Dominus, cecini è Psalmo 72 duos ultimos versus.*

Rev. CCLXXX. Novemb. 24.

[*Splendor*, 1. *Pœna incredulitatis*, 2. *Mandata Adjuncto*, 3, 4. *Interdictum ad eundem*, 5.]

MAnè à precibus collustravit splendor Conclave meum. 2 *Dixitqve Dominus*: Qvi nunc decumbit, non videbit liberationem, propter incredulitatem I. Zytkovius. Provisor. 3 Adjuncto tuo festina mittere qvæcunqve habes: & mone, ut lucubrationes suas, sermonesqve meos, in lucem mittere festinet! 4 Sciatqve non in sua potestate esse viam suam, sed in mea: qvid ego de illo decreverim, nescit ille. 5 Angliam adire, tametsi vocetur, ne cogitet, scriptis expedire poterit omnia, cùm ego benedixero: Hoc est de illo judicium meum. 6 *Qvibus ego auditis oravi pro illo: & Dominus*, Satis hodie, acqviesce, & qvod à Principe veniet coram aliis retice, &c.

[v. 2. Denegaverat operam suam in his transferendis Deo, ut supra monitum ad Rev. CCXLVI. Mortuus autem est non hoc anno, sed 1661.]

Rev. CCLXXXI. Dec. 6.

[*Opus Dei Vere primò agi incipiet*, 2. *Moab triturandus, etiam à B. & H.* 3. *Adjunctus*, 4, 5, 6. *Domus Aust. evertenda, opus hoc dirigente ipso Deo*, 7.]

BIs à calendis Decembris me alloqvutus fuit Dominus, sed meâ causâ: hic autem diluculò ad me dixit: Fidelis esto, & patiens. 2 Nam ecce dimanavit sonus tubæ meæ per Adjunctum tibi ad Gentes: incipientqve vere primò agere opus meum alacriter. 3 Sed nec Bohema & Hungara Natio diutiùs exspectent! comparent se ad triturandum Moab in area sua, nihil commiserando Idololatras, sed ut maledictos exterminando de Terra. 4 Scribe Adjuncto Tibi, ut redeat ad Domum Racocianam: tametsi antè parum in iis qvorum causâ eum hùc miseram efficere potuit, propter incredulitatem & cordis duritiem. 5 Plus profecit apud Anglos, & alios, ad qvos mei sermones penetrârunt, & penetrabunt porrò. 6 Hæc tamen Natio servitiò ejus magis indiget, indigebitqve Patria sua, qvàm Anglia. 7 Ad evertendum rejectam à me Austriacam Domum viam ego ipse ostendam (*Gentibus*) 8 Qvia Terras suas implevit confusionibus, in Ecclesia & Politia, cum fracta illa arundine, & ambusto titione suo: 9 Qvibus ego qvoqve paro exitium sine omni misericordia. *Scribe hæc, & mitte in Poloniam!* 10 *Et cecini Psalmum 25.*

REV. CCLXXXII. Dec. 9.

[*Turris præcelsa cadit*, 1, 2. *& quidem sine ruina vicinorum*, 3. *Applicatio hujus Visionis*, 4, 5. *Plaustrum eversum, per Consiliarios Domûs A. thrasones*, 7. *Nihil ampliùs exspectandum*, 8.]

OStendit mihi Dominus Civitatem magnam, & in illa Turrem præcelsam, sed vergentem ad ruinam: qvam spectabant multi. 2 *Mox autem ruebat, tametsi multis fulcris nixa, catenisqve cincta, nihil tamen profuit, cecidit ultra Civitatis muros.* 3 *Jacuitqve sic eversa juxta muros, neqve cadendo ullam obruit Domum: qvod mirabar.* 4 *Et Dominus:* Jam consiliis suis cecidit Austriaca Domus, ut præcelsa Turris: nihil ei profuerunt fulcra sua. 5 Dudum illa ruebat, nemine animadvertente, donec ego id per te ostendi: cujus Opes inter se divident, æqvè iniqvè. 6 *Mox vidi Currum onustum per prærupta saxa euntem, qvi eversus ita decidit, ut Terra contremisceret.* 7 *Dominus autem dixit:* Adobrutæ sunt januæ Domûs Austriacæ, ut ne ingredi possit ullum consilium servandæ illi: non enim sapientibus, sed imperitis thrasonibus utitur. 8 Scribe J. M°. & in Poloniam, ne qvidqvam exspectent ampliùs, qvi Operi meo manum adhibere cogitant. 9 *Et rogavi protectionem decantans Psalmi* 79. *versum* 9. &c. 10 *Addidit Dominus:* Fideliter informa eos, per qvos voluntatem meam fieri volo: novi ego hominum corda, qvale cujusqve sit. 11 Scribe Adjuncto: ne secundùm personas judicet, qvid in cujusqve corde sit repositum ignarus. 12 Tu para te functioni tuæ: Vigila, ora! *Et cecini Psalmum* 119. *versum* 169.

REV. CCLXXXIII. Dec. 19.

[*Fides & circumspectio mandatur*, 1. *Incredulis comminatio*, 2, &c.]

BIs dixit Dominus: Esto fidelis & circumspectus in tibi concreditis: non enim omnes qvibus ea communicas, dextrè accipiunt. 2 *I. Zytk.* emaculavit nomen suum, non in te sed in me peccans: si sic viâ Hodossii ire perget, similem exitum inveniet: *qvod expavi.* 3 *Sed Dominus:* Pone os tuum in pulverem, & obsigna hæc coram incredulis, qvorum corda ego novi optimè. 4 Neqve dubita Principem responsum dedisse: sed in aliis est mora; sua qvisqve agit: Tu tantùm ne in te culpa sit vide! 5 *Et laudavi Deum, orans pro me & aliis.*

REV. CCLXXXIV. 28. Dec.

[*Unitas Trinitatis mira*, 1. *Electio Regis*, 5. *Conviviumqve Regale*, 6. *Videnti vinô interdicitur*, 8. *Tempora Dei à nostris diversa*, 9. *Implebuntur omnia*, 10, 11.]

A *Precibus loqvutus est mihi Dominus de unitate Divinitatis suæ, qvomodo Pater in Filio & Spiritu, & Spiritus in Filio & Patre habitans, unum opus ab æterno operen-*

operentur. sine intermissione ac fine. 2 *Quod opus ne Angelos quidem intelligere, nisi retectum illis fuerit, qvid, qvando, ubi, qvomodo operari decretum sit.* 3 *Futurumqve ut mihi etiam meliùs ista pateant æterna in vita, modò ut fidelis & obseqviosus essem.* 4 *Mandabatqve eam diem jejunio & precibus transmittere: qvemadmodum feci, Dominusqve mihi seqventi nocte mira ostendit.* 5 *Indormieram enim, ante diluculum, & vidi Proceres, duasqve eminentes personas, qvarum altera eligebatur in Regem, Vir gravis: cui datus est Eqvus, undiqve contectus.* 6 *Hunc ego comitatus in Palatium vidi mensis assidentes complures, etiam fœminam unam, gravem.* 7 *Jusserunt autem me qvoqve assidere, bibentesqve Vinum purissimum offerebant mihi etiam: sed recusabam, loram poscens: & data est.* 8 *Reverso ad vigiliam dixit Dominus:* Intereris electioni & coronationi, si jussero; sed vinum ibi non bibes. 9 Implebuntur omnia verba mea: modò non iis dies & annos tribuas secundùm dies & annos vestros, sed secundùm dies, annos & tempora mea, qvæ vos non intelligitis, qvos terminos, & ubi positos, res qvæqve habeat & inveniat. 10 Contrivi ego jam, & solò æqvavi, meos & vestros hostes. 11 Brevi cadet profundè nominis tui memoria, hac in terra, cùm implevero qvæ loqvutus sum: etiam de NB. S. 12 Labora tantummodò: ego laborantibus benedictione adsum. Surge, scribe! 13 *Et cecini Psalmum qvi in mentem venit,* 138.

ANNO M.DCLV.

Rev. CCLXXXV. 3 Jan.

[*Princeps Trans. undiqve urgendus.*]

Precibus meis finitis dixit Dominus: Fidelis & patiens esto. Urgeo ego Principem undiqve. 2 Cui qvid animi jam sit, rescies, sicut & qvid ego alibi agam: modò qvietus sis, rarò exeas. 3 *Videns autem ego sedentem in conclavi Virum, cogitabam Qvis esset? Dominus autem,* Principem vidisti, qvem ego premo ut intelligat judicia mea: Tu esto fidelis, & me patientiâ imitare. 4 *Canebam ergò (ex Cantilena Ecclesiastica)* Adde constantiam Domine, fidem & patientiam &c.

Rev. CCLXXXVI. Jan. 12.

[*Stamina qvatuor: qvorum unum texi incipit à Septentrione.*]

Vidi Domum, ubi Vir qvidam evolvebat Stamina qvatuor ad texendum: unumqve illorum à Septentrione mox texere cœpit. 2 *Et Dominus ad me:* Septentrionales jam ordiuntur opus meum, alii verò se operi accingunt &c.

REV. CCLXXXVII. Jan. 19.

[*Coronatio Regis H. 2. Adjunctus tadiô corripitur, 4. B. S. saxum volutans monendus, 6. Tempus super tempus agendi opus Dei, 2. Ignis lucis Dei injiciendus Gentibus, 13. Explicandumqve vexillum Evangelii, 15. ultimaqve Vocis Dei, 16.*]

P*Eractis matutinis precibus cogitabam, qvòd è Polonia nihil ad me veniat.* 2 *Et respondit Dominus*: Comitia Regni hujus, & coronatio ejus qvem ego Regem esse nolo, dilata sunt. 3 Principis coronatio non procedet, nisi meum tempus venerit: ille autem pennas & alas jam aptat, ut advolet ad diem & horam Posonium. 4 Adjunctus tædiò afficitur, qvòd nihil à te accipiat: *Ego verò excusabam, non per me stare, cùm mea non permittat egestas, alii verò nolint.* 5 *Dominus autem*: Etiam hi sat habent, acqviescant iis qvæ loqvutus sum: plura si reqvirent, respondebis juxta mandatum meum. 6 Baro Sad. devolvit saxum, ad conterendum Tyrannos de Domo Austriaca: cui tu dices nomine meo: Labora ut bonus miles Christi. 7 Mihi confidite, ego agam causam meam. 8 *Et oravi, ut ostenderet virtutem Dominus in brachio suo, ad complendum sermones suos: indormiviqve subitò.* 9 *Et vidi dilectum mihi Adjunctum, qvi manu tenens libellum memorialem, primis lineis aureis descriptum, ostendebat præsentibus tempus super tempus esse; exhibens illis potum qvendam rubeum.* 10 *Erant autem varii homines, Reges, Principes, Nobiles, Ecclesiastici: qvibus, me præteritô, exhibebat potionem, dicens, Tu illâ non indiges plenus virtutis ejus, qvâ destituti alii nesciunt qvid fieri debeat.* 11 *Sed & alius ibi potus erat occlusus in vasculo, unde bibi non poterat.* 12 *Ut verò evigilavi, dixit Dominus*: Vidistine Adjunctum circa Gentes occupatum, illisqve tabulas mandatorum meorum ostendentem? jam esse tempus ad illuminandum Nationes mei adhuc, & nominis mei, ignaras? 13 Qvapropter ô vos Reges & Principes, & vos religiosi Testes mei, qvi legem habetis judiciorum meorum: 14 Injicite ignem Lucis doctrinæ meæ, veritatem salutis ferentem, inter eos qvibus subveniri jam tandem ultimis temporibus volo: ut impleatur Domus mea convivis. 15 Explicate vexillum doctrinæ ac veritatis vitæ meæ! Christianismi veri! ut inexcusabiles reddantur in erroribus perseverantes, vos autem accipiatis mercedem laborum vestrorum, ad qvos vocavi vos. 16 Iccircò divulgate ad Gentes & Lingvas vocem sermonum meorum, qvos per organum meum his annis protuli, sicuti olim protuli ad Adam, Noë, Mosen, Prophetas, & per Filium meum ad Apostolos. 17 Nam dies pugnæ est, non sine madefactione vestium sangvine: ad eradicandum Idololatras de terra, Terra mea, in qva ego posui vos ut fructum feratis. 18 Acervos Librorum habet Mundus, sine indicatione tamen temporis: sed Liber, qvem à vobis duobus testibus meis scribi curavi, determinatam habet messem ad colligendum Gentes in unitatem Fidei, Ordinis, Doctrinæqve ducentis à tenebris ad lucem, & à morte ad vitam, eorum qvi pereunt

sine me radice vitæ. 19 Tu qvantum sermonum meorum habes, mitte tùm Principi tùm Adjuncto: ut ne tardent Incolæ terræ hujus opus meum, anteqvam sicut nube illam operiat Exercitibus suis Turca, ignarus voluntatis meæ à Principe sibi non communicatæ; qvod seram adferret pœnitentiam. 20 Ne differ significare hæc, ut personet vox hæc terram qvoqve vestram: tametsi adhuc inveniantur qvi Principibus, matri & filio, sinistrè hæc interpretantur. 21 Sed vos ne turbemini. 22 *Et cecini Psalmum* 22.

REV. CCLXXXVIII. 31 Januar.

[*Angvilla vana Religionis*, 3. *Rex H. eligendus cum consensu Turcæ*, 5 *Præsentibus aliis Legatis*, 6. *Signa*, 7.]

ANte *diluculum dixit Dominus*: Fidelis esto, evenient denuntiata sermonibus meis, ora tantùm & vigila! 2 Nam adventant horæ judiciorum meorum, qvod Mundus non intelligit. 3 *Et obvenit mihi somnus: vidiqve in domo Comitis Elesbazii viros dissertantes de Operibus Dei; mactantes Angvillam piscem prægrandem.* 4 *Et evigilavi: Dominus verò ad me*, Serve mi, Angvilla vanæ Religionis non occidetur, neqve libertas serviendi mihi sine idololatria integrè constabit, anteqvam Regem habebunt de qvo pridem dixi, & qvem veluti digitô monstravi. 5 Cujus electio ne suscipiatur sine prævia Turcis indicatione, qvòd è Gente sua Regem habere velint, qvem ipsis indicavit Deus: & non negabunt assensum. 6 Sed præsentes adsint Legati Svedici & Dahici, benedicetqve dextera mea, modò ut Cives Regni concordes sint. 7 Reqvirent sanè signa: & tu facies ut mandabo tibi. 8 Surge, exspecta solatia mea! *Cecini igitur Psalmum* 81.

REV. CCLXXXIX. 3. Feb.

[*Morava fluvius absorbetur*, 1. *& qvid hoc*, 2. *Comitiorum Regni H. eventus*, 6. *Homines vocem Dei non capiunt rationabiliter*, 11. *Protestatio Dei contra illos*, 13 *qvi jugum Babylonis dejicere nolunt*, 17. *Nova exhortatio*, 19, *&c.* *Coronatio Leopoldi ferrea*, 23. *Racocio nova promissa*, 25.]

A *Media nocte ostendit mihi Dominus flumen Moravam, impellentem Molas: sed inde lapsum absorbebatur terrâ, ut fluxus appareret nullus; qvod mirabar.* 2 *Et Dominus*: Flumen potentiæ Austriacæ absorbsit terra, ut ne dominentur ampliùs, tyrannidem exercentes adversus Cultores meos. 3 *Ego verò cogitabam Johanni etiam fluminis absorptionem ostensam fuisse (Apoc. 12. v. 16.) orabamqve ita evenire.* 4 *Et Dominus*: Reversio mea erit ad vos, ó Gentes, modò id agnoscere, & ad me qvoqve reverti, velitis. 5 Informa de omnibus I. M. cùm id à Te reqviret. 6 *Ego autem rogavi, Comitiis Regni qvid peragetur? & Dominus*; Id qvod ego decrevi, & jam loqvutus sum. 7 Destituet Domum Austriacam potentia perducendi ad finem intentiones suas: qvibus cùm semel exciderit, ne-

mo amplius è Domo iſta Rex fiet in
æternum. 8 Flant venti! *ego autem
cogitabam, Qvales venti? tranqvillum
enim erat.* 9 *Et Dominus:* Venti ju-
diciorum meorum ſuper terram: ſed
Gentes aliæ poſt alias decedentes nihil
attendunt contemtum mihi, & nomini
meo, factum eſſe, & fieri, in Na-
tionibus terræ *(vidi variâ facie Nationes.)*
10 Ecce mercede conduxi Domum
Racocianam, ad vindicandum con-
temtum nominis mei hâc in Terra,
cum aliis me agnoſcentibus. 11 Sed
non capiunt illi rationabiliter vocem
meam ſeſe inclamantem. 12 O ſi vel
jam tandem deſiſtant ratiociniis ſuis
ſeducere ſeſe! acqvieſcentes tam aper-
tâ denuntiatione voluntatis meæ, æ-
ternô conſiliô decretæ! 13 Si facere
volent juxta revelata illis mandata mea,
illis benè, & poſteris; ſin, juſtificabor
ego die ultionis meæ, qvam illis ſu-
perinducam. 14 Nam ecce ſagittæ
acutæ furoris mei ardent in manu mea!
qvas ſi emiſero, manebit Domus Ra-
coci deſerta, ut pridem loqvutus ſum:
non enim eſt conſilium adversùs me.
15 Si dixerint, *Non eſt nobis tantùm
potentia;* dices, *Ecce de cœlo mittetur
auxilium!* 16 Tantummodò ſint Ha-
bitatores terræ unô ſpiritu ad ambu-
landum in præceptis meis, qvæ toti
Mundo dedi, non verò uni tantùm
Genti. 17 Dudum clamo, dudum
pulſo, ut dejiciant jugum Babylonis:
ſed nolunt intelligere, qvorum inter-
eſt, hucuſqve. 18 O ſi vel tandem
proſpiciant! Mundi finem appropin-
qvare videntes; & Vineam adhuc ma-
nere incultam, in tot Nationibus i-
gnorantibus me. 19 Des illis ad
expendendum, librâ juſtâ, ea qvæ
loqvor! & irrugias eos voce manda-
ti mei, *Eja diſperdite Idola, ne memo-
ria illorum exſtet ampliùs!* 20 Ma-
nebitqve vobiſcum portio benedictio-
nis Jacob, & hæreditatis Domûs Da-
vid, Regniqve illius cujus non erit
finis. 21 Qvô ego vos deducere
cogito, ô filii hominum! modò veli-
tis omnes incedere per viam Legis
meæ, qvam integrè declarari jam feci
per Viros, vaſa mea, antiqvos & re-
centes. 22 Ingere hæc auribus illo-
rum, ſerve mi, diebus hiſce! *mihi
verò in mentem venit cantare Pſalmum* 34.
23 *Poſtea cogitabam, Dominum de Co-
ronatione Principis Racoci loqvutum eſſe:
nunc autem Cæſareani filii Coronationem
requiri.* 24 *Ad qvæ Dominus:* Ferreâ
iræ meæ coronâ ego illum coronabo!
(*Vidiqve qvendam faſcem clavorum ferreo-
rum ſcandularium capite geſtantem.*) 25
At Racoci ſi me timebit Coronam
habet unam apud me, alteram hac
in Terra: cui ego pridem inſcripſi,
RACOCII EST. [*vide Revel.* I V.
v. 35.] 26 Ego mihi per fidem obe-
dientibus, & ſincerè laborantibus,
benedictionem impertior: ſicut &
tibi impertiam, ſi laboraveris. 27
Surge, ſcribe, fidelis eſto & patiens.
28 Adjunctus tuus langveſcit zelô, eô
qvòd Nationes nihildum incipiant: ex-
ſpectat à te doceri.

REV.

REV. CCXC. 17. Febr. (*die publici Jejunii & Precum.*)

[*Prædictiones Dei cur interdum mutari videantur*, 1, 2, 3. *Ferdinandi tertii exitus*, 4. *Hungariam perdere cur non potuerit*, 8. *&c.*]

Dies erat, & vidi viros egregios, distinguentes inter consilia divina & humana. 2 *De hoc cùm cogitarem, dixit ad me Dominus:* Serve mi, Non statim ego facio, qvod statim dico: 3 sed facio interdum juxta temporum circumstantias, qvas vos homines parùm, aut vix, intelligitis. 4 Matthias & Rudolphus dissimilem habuerunt exitum, sicut & Ferdinandus secundus & qvartus; non enim viderunt qvod destinabant, & conati erant. 5 Qvi nunc est, Ferdinandus tertius, finem invenit: (*& mox lapillus decidit super arcam, ad lectulum meum; mirabarqve qvid istuc portenderet.* 6 *Et Dominus*,) Cecidit jam, ut lapillus iste: sed qvomodo ceciderit, tu nondum scis, rescies brevi. 7 Ultimus hic non habuit bonos dies, operans opus suum malum: sed qvod ad finem non perduxit, nec perducet, qvia ego illi obsisto: id autem qvis intelligit? 8 Absqve me esset, cogitationes ejus non impediissetis vos, ô homines, hac in Terra, & alibi. 9 Hæc namqve Terra Domui Austriacæ obnitendi nunqvam satis virium habuit: sed ego eam robore alienô tutabar, ut staret hucusqve. 10 Tametsi non sine periculo duplici, tùm domestico, à filiis patriæ; tùm extraneo, à gente Turcica. 11 Qvæ nisi esset ad latus, dudum potentia molæ Austriacæ Terram hanc, cum libertatibus suis, contrivisset, sicuti fecit alibi: 12 Etiam in Imperio, usurpatâ sibi Imperii coronâ, qvasi nulla Domus alia sibi esset æqvalis. 13 Qvis autem Terram hanc sustinuit, ne rueret, nisi ego? qvi scibam appropinqvare diem ruinæ Austriacæ, qvæ apud me jam facta est, juxta consilium decreti mei. 14 Qvod illi si credere volunt, credant, si nolunt, omittant. 15 Hæc tibi loqvor ideò, ut interrogatus qvid respondendum sit scias: sed ne adeas illos, nisi te reqvirant. 16 Atqve si Regem volent eligere, eum eligant qvem illis per te digitô monstravi. 17 Jam surge, & isthæc scribe, mihi cura est tui: etiam in Poloniam ista para: 18 *Et feci, lacrymis ista madefaciens, Deumqve ut præstet verba sua orans, & Psalmum 20. decantans.*

REV. CCXCI. 18. Febr.

[*Pisces duo hamô capti*, 2, 3. Jesuitæ paleæ putridæ, 4. *Sermones Dei meliùs expendi incipiunt*, 5. *Contemtoribus tres offeruntur qvæstiones*, 8.]

Finitis manè ad Deum suspiriis redormivi: & vidi fluvium præterlabentem, cui injeci hamum. 2 *Et statim extraxi pisces duos albos, grandes satis, miratus esse duos: sed & conspexi duos fuisse hamos crine unô.* 3 *Cùm evigilavi, dixit Dominus:* Duo pisces illi duas Gentes significant, qvæ agere opus meum jam incipient.

4 Ne pavescas hominum malitiam serve mi: nam ut paleæ putridæ ejicientur è terra Iesuitæ, juxta sermones meos. 5 *Addidit dicere Dominus:* Iam & Incolæ Terræ hujus expendunt sermones meos, aliter qvàm expendebantur in Domo Racociana: mirati, qvòd tam diu abscondebatis hæc ab illis. 6 Ab Adjuncto venient singularia: qvanqvam & Posonii non desunt, qvi extenuant sermones meos, dissensum inducentes ne fiat secundùm decretum meum. 7 Qvod si erit, ut non obediant mihi, pergam mirificè agere cum populo hôc. 8 Tu autem ostende illis porrò tria hæc: *(I) Possitnè fructum dare Ficus radice destituta? (II) Possitnè, & sciatnè, qvuqvam vocare ea qva nondum sunt? (III) Possitnè hominum qvisqvam dare cuiqvam, qvod ipse habuit nunqvam?* 9 Ecce reperientur aliqvi tamen, qvi habitâ verbis meis fide, videre te desiderabunt: tu vigila, & ora! 10 *Feci, & oravi, indignitatem deprecatus.*

REV. CCXCII. 20 Martii.

[*Vindemia Terræ*, 2. *Turca excitandus*, 3. Prædicta non impleri non cogitandum, 6. *Diluvium Mundi novum*, 8. *Polonia*, 10. *Domus Friderici*, 11.]

Vineam vidi, & in ea fructum uvæ maturæ. 2 *Et Dominus me alloqvutus, dixit:* Maturuerunt in Nationibus terræ botri operis mei, qvod ego hac etiam in Gente operabor: profundè enim in cor qvorundam ceciderunt sermones mei. 3 Mandaveram ego tibi pridem, ut assumeres gausape & terreresGentem hanc: ecce autem ipse id assumam, & excitabo Turcam ad confundendum consilia Domûs Austriacæ. 4 Nam veniet tempus, cùm Turcæ matrimoniô sibi jungent fæminas de Gente hac; tu tamen eousqve hîc non manebis. 5 Ecce hora mea jam venit (qvod vos terreni tamen non intelligitis) ut Gentes omnes, etiam terræ hujus habitatores, faciant voluntatem meam! 6 Tu in pulverem pone os tuum, ne dicas, néve cogites, non fieri ea qvæ prænuntiavi per te. 7 Sufficiat tibi, te non abscondisse verba mea ab Incolis terræ. 8 Ecce acervi ultionum mearum volvunt se super Nationes terræ: qvales non erant à submerso aqvis diluvii Mundo. 9 Si pertinaciter obseqvi mihi renuent, tibi solatio sit, qvòd non mercede conductus inclamasti eos, sed amore serviendi mihi. 10 In Polonia confusa sunt omnia: Tu innitere mihi, ego *(ero)* merces tua. 11 Domus Friderici affinitatis jure obligabit sibi *(Domum Racocii)* ad fidelitatem: qvod rescies futuro tempore.

REV. CCXCIII. Aprilis 7. *(die jejunii mei.)*

[*Vinum fervescens*, 2. *Deus nihil frustra loqvitur*, 4. *Ferdinandus cum dedecore ex Hungaria abiturus*, 7.]

Ostendit mihi Dominus magnam Domum, ubi erant Vini dolia, magnis desuper aperturis. 2 *Qva intuitus, vidi è qvibusdam feces sursum ejici, ex aliis minus;*

in aliis fervor tantùm, & murmur, audiebatur intùs. 3 *Cùm cogitarem qvid istbuc esset, respondit Dominus*: A Septentrione jam fervet: hac in terra & alibi conturbatio demum est, & ad effervescentiam dispositio. 4 Tu mihi esto fidelis: de sermonibus meis per te prolatis mirum est judicium hominum, etiam dictitantium: *Nunqvid frustra loqvutus est unqvam JEHOVA!* 5 Qvibus responde, *Neqve nunc me frustra esse loqvutum, & loqvi.* 6 Qvòd autem nondum impleantur omnia, mihi tribuant, non tibi: si nolunt operari ultrò, côgam, etiam hujus terræ habitatores. 7 Abibit enim Rosa maleolens [*i. e. Ferd.*] cum dedecore ex hac terra, etiam cum filio: tantummodò unanimes sint qvi noverunt nomen meum.

Rev. CCXCIV. April. 14.

[*Duæ Gentes captæ*, 2. Bohemi Hungaris fœderandi 3. *Terra Austriacæ flagellabuntur*, 5, 6, *Nubes Nationum*, 7. *Princeps Racoci*, 8.]

R*Ediit mihi somnus manè, à precibus: & cepi duas Aves, deinde duos gallinaceos pullos, & evigilavi.* 2 *Dominus verò*: Confide, patientur se capi Gentes duæ ad faciendum opus meum. 3 Bohemi trahent post se fune fœderis firmissimi Gentem Hungaram, cum alia Gente. 4 Hungari nunc inter se colluctantur de coronatione Regis illius, qvem Regem habere nolunt multi, conscii vocis meæ qvâ eos per te sum alloqvutus. 5 Volvunt se diluvia super Domum Austriacam, diebus his cognosces: nam Virtutis meæ renovatio appropinqvat, vigilate & orate! 6 Tyrannorum malignitas patescet jam: providete vobis panem, in diem qvô area terræ [*sc. Austriaca. Vide Rev. 226. v. 6.*] flagello iræ meæ triturabitur. 7 Ecce jam surgunt Nationes, nubium instar! 8 Principem ego undiqve excito: ó si jam exsurgat! faciatqve qvod faciendum est cum habitatoribus terræ hujus. 9 Tu fidelis & patiens esto, Virtus mea in infirmitate tua perficietur: satis jam ego Mundo præsenti per te loqvutus sum. 10 *Egi ergò gratias, cantans Psalmum* 146.

Rev. CCXCV. April. 22.

[*Afflictis ob rerum jacturam*, 1. *solatia*, 5. *Domus Austr.* 6.]

O*Stendit mihi Dominus Currum turbidas aqvas pertranseuntem, & eversum: ex qvo Libri qvidam exciderunt, qvorum jacturam dolebam.* 2 *Conversus verò in alteram partem, vidi aqvæ valdè limpidæ fluvium, & in ea natantes pisces: qvô spectaculô oblectabar.* 3 *Cùm autem qvid istuc esset cogitarem, respondens Dominus dixit*: Serve mi, fidelis esto & mihi obediens, sicut ego fui obediens Patri meo usqve ad mortem crucis: nec attende contumelias, qvas meâ causâ pateris.

4 Ecce ostendi tibi tristem vestram priùs sortem, eversione Currûs & jacturâ rerum qvas amisistis. 5 Sed limpida consolationum mearum aqva jam appropinqvat. 6 Area Domûs Austriacæ furore meo triturabitur: qvod Incolæ terræ hujus intelligere nolunt: int elligent autem Posoniô digressi, cùm Rosa maleolens peribit. 7 *Et decantavi Psalmum 94.*

REV. CCXCVI. Maji 1.

[*Gentes exsurgunt*, 3. *Princeps Transylvaniæ & Hungari evigilabunt*, 6, 7.]

D*iluculò ostendit mihi Dominus congregatos ad consultandum Viros, quos pavebam: ignoti enim erant mihi, præter J. Med. lectulo decumbentem.* 2 *Dominus verò ad me*: Ne timeas, virtus mea perficietur in infirmitate tua, mihi notæ sunt omnes viæ filiorum hominum. 3 Sermones mei per te prolati pervenerunt ad Nationes Terræ, qvas tu non nosti: sed illi judicia mea agnoscentes exsurgere ut nubes incipiunt. 4 Tu super sermones meos non confundêris: novi ego cor tuum, sicut & istorum qvi te propter eos affligunt. 5 *Et egi gratias Deo meo, reponens me in manus misericordiæ, ardenterqve orans pro Nationibus istis.* 6 *Addidit Dominus loqvi*: Undiqve Principem excito, ut ne dormiat, sed exsurgens faciat qvod faciendum est. 7 Jam aliqvi habitatorum Terræ hujus decreverunt obseqvi voci meæ, modò Princeps ne patiatur in se desiderari aliqvid. 8 Bonam accipient mercedem boni; malam mali, nisi resipuerint.

REV. CCXCVII. Maji 5.

[*Littera Videntis ad Principem*, 3. *Moravorum aliqvi vellicandi, ut Patriæ ruinam prævenire laborent*, 5, &c.]

I*Ndormivi à matutinis precibus: & vidi Viros honoratos, inter qvos erat Adjunctus meus, reserans qvasdam epistolas obsignatas, consiliaqve inde promens qvid esset faciendum; qvod illi mirati, gratè admittebant.* 2 *Ut ad me redii, dixit Dominus*: Profundè in Nationibus ceciderunt & cadunt sermones mei, etiam in hac terra. 3 Tu jam ipse manu tuâ scribe ad Principem, ut ne qvid ampliùs exspectet, sed fœdere initô cum Sveco, Anglo, Mosco & Radzivilio Polono, festinet volare ad Posonium, & exseqvi qvod Pater debuit, & Frater, juxta dudum revelatam voluntatem meam, ad exterminandum Idololatras de terra hac. 4 *Cùm cogitarem Qvomodo scribam? respondit Dominus*, Latinè: quomodo nosti, ita scribe, percipiet ille. 5 *Mihi verò de patria (Moravia) cogitare venit, num illa haberet aliqvem qvi opponeret sepem, & staret in ruptura, respondit Dominus*: Obiit Hodicius, superest de Rupa. 6 Sed hujus animum experire priùs, qvàm illi revelata mea concredas. 7 *Iterum cogitabam, Num aliqvis præterea esset? & Dominus*, Weznik & Jakartowsky. 8 Qvi tametsi lapsi sint, resipiscant tamen ut Manas-

Manasses & Petrus, ad inveniendum gratiam meam: qværantqve favorem Svecorum. 9 *Iterum veniebat in mentem: Dominum Anno* 1643 *Comitem de Kaunitz nominasse, ad qva Dominus*, Si de Rupa moneri contemnet, huic subvenies, missô ad illum Samuele Strumenio. 10 *Oravi ergò pro illo Dominum, decantans Psalmum* 20.

REV. CCXCVIII. Maji 18.

[*Ferd. ad mare ira Dei deductus*, 1, 2. *Princeps Tr. à Septentrione stimulatur*, 6. *Sagitta Dei ut ignei globi accendent solium Ferd.* 7. *Principi Tr. obviam eundum*, 11, 12. *Radzivilius*, 12.]

A Media nocte ostendit mihi Dominus virum, super qvem sententia mortis lata fuit, & qvi ad aqvam magnam supraqve modum turbidam adductus, procubuit in littore. 2 *Et mox evigilanti dixit Dominus:* Jam ligatus Cæsar ad mare iræ meæ deductus est, in qvod & præcipitabitur. 3 Tu confide: venient solatia tibi ex Polonia, qvibus confortaberis: venient & aliunde, at nondum. 4 Iam enim adest tempus ut ulciscar me de contemtu hostium meorum & vestrorum, qvi vos hæreditate spoliârunt vestrâ. 5 Iam ecce congregavi sagittas iræ meæ! jam & Princeps Vester ad aures admisit vocem, qvâ illum inclamavi. 6 Iam qvidam gente Germanus venit à Septentrione, qvi illum pungendo stimulabit, velut Erinaceus, ut prodeat juxta mandata mea: jam neqve Mater resistere poterit. 7 Ecce seqventibus diebus sagittæ meæ super domum Ferdinandi cadent globorum instar: qvorum unus incendens sese in conclavi ejus, ostendet ignem subter ipsum ardentem, qvem ille solio suo insidens non vidit, donec perustâ sede cadet, nec ampliùs resurget in æternùm. 8 Tu fidelis esto & patiens, rarò exeas, mihi est tui, & omnium mihi fideliter servientium, cura: *& laudabam Dominum, decantans Psalmum* 33. 9 *Cum cessassem, & interpositâ morâ, dixit Dominus:* Iam surgunt nubes Gentium, ad velociter inducendum vindictam super Operarios malos, & ad exterminandum sine omni commiseratione Idololatras, maledictioni à me devotos. 10 Tu mone illos in Patria (nam vastabitur, si non conversi præveniant hoc malum) qvô ego Vestrûm qvosdam reducere cogito, & reducam. 11 Princeps jugum humani metûs, ipsius qvoqve Matris, jam dejicit, & accingit se ad exseqvendum voluntatem meam. 12 Cui tu ibis in occursum: Adjuncto verò scribat ipse Princeps, ut ipse qvoqve Posonium veniat cum Legatis à Radzivilio, qvem exaltabo inter Polonos, juxta sermonem meum: atqve tum tu solatia mea videbis serve mi. 13 Amaris epulis cibabo & potionabo terram hanc: sed Princeps ne tardet, ut benè sit illi, & terræ huic. 14 E Polonia veniet qvod speras. [*Venit etiam, laus sit Deo meo, eâ ipsa die.*]

REV. CCXCIX. 25. Maji.

[*Somnium de Charitate ardente*, 3. *De inflammante Dei charitate, inardescente postremis temporibus explicatur*, 6. *Imitari eam homines universi jubentur*, 12. *& ad participationem ejus invitantur*, 21.]

R*Edormivi à precibus, diluculi tempore.* 2 *Et vidi navigiô trajicientes flumen, cum qvibus ipse qvoqve peculiari naviqiolo navigabam, assumtô alio qvopiam, cum qvo me mox in opposita ripa vidi.* 3 *Ut exscendi, datus est mihi epistolarum fascis, unaqve seorsim charta obsignata, cui inscripta erant nomina variorum Populorum & Lingvarum; alia item magnis literis inscriptum habens,* CHARITAS ARDENS. 4 *Qvod ego cum adstantium admiratione legi, simulqve evigilavi.* 5 *Dominus autem valdè enucleatè ad me:* Serve mi, adferentur variæ epistolæ, una etiam mea, cui æterna mea Charitas inscripta erit. 6 Tu autem scribe qvæ loqvuturus sum: ut sciatis, tàm vos qvàm orbis totius Nationes, Populi, Lingvæ, qvid ego æterna Sapientia postremis Mundi temporibus à vobis reqviram. 7 Post exterminationem Idololatriæ, Errorum & Heræsium, violatorumqve jurium meorum per Mosen, Prophetas, Christum & Apostolos promulgatorum. 8 Ut qvicunqve vestrûm, ó Gentes, proximus esse volet mihi Creatori suo, mente, corde, ore, oculis, auribusqve gerat flammantem Charitatem meam, qvâ ab æterno ardeo tùm in me, ex me, ego Iehova exercituum, tùm erga vos, & omnem Creaturam meam. 9 Qvod vos ex illuminatione mea nostis, totum tamen æternitatis meæ statum, qvia oculos terrenos habetis, non videtis, nec videbitis qvàm diu in terra eritis. 10 Scitote igitur, scitote, me Deum omnis creaturæ, & vestrum, esse illum, qvi sum CHARITAS. 11 Cumqve ipse sim Charitas, reqviro à vobis Charitatem: in qva me qvalis sim nemo perfectè videbit in æternum, in me, erga me, erga vos omnes creaturam meam sine discrimine; sive sit Iudæus, sive Græcus, Scytha vel Turca, Paganus, vel à nomine meo nomen habens Christianus. 12 Qvapropter accendite, accendite, ignem Charitatis hujus meæ erga vos invicem, ante adventum meum, ubiqve per Terrarum Orbem! vos animarum Pastores erga Auditores; Vos Dominatores, Reges & Principes, erga subditos; Vos Parentes erga liberos; Vos Christiani erga paganos! 13 Clangite tubâ in Sione Ecclesiæ meæ, meô sangvine respersæ! dicentes: Prodite, prodite, ex labyrinthis ignorantiæ vestræ! 14 Incipite agnoscere me Creatorem vestrum; qvi sum Charitas, ut scientes me serviatis mihi unô corde, unâ mente, unô affectu: cum metu judiciorum meorum, in silentio cordisqve simplicitate. 15 Vocem Legis meæ audientes & facientes, Hymnos & Psalmos decantantes, inqve unum ordinem temporum, dierum, precumqve reducti omnes: qvisqve statione sua in qva eum collocavi. 16 Et ne communicate operibus infructuosis tenebrarum, potiùs ea arguite: idqve in charitate, qvæ vinculum est perfectionis. 17 Ita omnes eritis chari mihi, & chari vobis, servi mei & servæ meæ super terram. 18 Atqve hoc est qvod tibi significatum volui hodie: ut sciant & legant omnes terræ Nationes, non aliud apud me de vobis esse judicium

cium hodie, qvàm fuit ab æterno. & erit in æternum. 19 Qvæ æternitas qvid sit, vos modò non intelligitis, donec eô introducti per me, mediánteqve luce meâ, qvam vestrûm multi per multos dies sub hoc lucido Sole meo habitantes (qvidam etiam ad multos dies & annos) ignorastis. 20 Venite igitur, venite jam, jam tandem, ad me, sumptô in manum librô Legis meæ, ex qva vobis, vobis dico omnibus, prodibit lux, cibus, potus, æternæ meæ cognitionis, & dilectionis erga Me, Angelos meos, & Vos invicem. 21 Nolite ampliùs occidere Animas vestras, neqve Corpora proximorum vestrorum: sed ambulate in charitate, qvam ego erga vos, & vobis, in me ostendo clarissimè. 22 Et qvi vos ex charitate ipse voco, gigno, gesto, cibo, potiono, vestio: idqve totum, totum sine omni merito vestro, gratis. 23 Ideò solùm, qvia vos Pater meus diligit: & ego unigenitus Filius ejus animam meam pro vobis posui: qvem tamen vestrûm multi, ah multi, ignorastis adhuc & ignoratis. 24 O Nationes terræ venite ad me, sicut ego veni ad vos: & venio per viros qvi vos ducunt, & adducent ad voluptates æternas. 25 Nam ecce dies venerunt ultimæ meæ vocationis: qvam audire si neglexeritis, actum de vobis in æternum, ó populus meus, populus meus! 26 Tu autem serve mi scribe hæc ita, ut hæc legant omnes Populi. 27 *Scripsi ergò: & laudavi Deum, decantans ex Psalmo* 119. *v.* 57. &c.

REV. CCC. 27 Maji, (*die Corporis.*)

[*Idololatra an materiali gladiò occidendi,* 3, 4. *&c.*]

IAm dies erat, *cùm precibus finitis redormirem.* 2 *Et vidi me à Viris qvibusdam ignotis qværi ad interficiendum: fugitabam igitur terroris plenus, qvô & evigilavi.* 3 *Et Dominus*: Serve mi, Concludunt, & concluserunt jam Nationes, ut injiciant ignem iræ meæ in atria Domûs Babylonis, ad perdendum Idola & Idololatras. 4 Sed qvidam loqvuntur, ut id fiat sine sangvinis profusione, istorumqve Idololatriæ cultorum exterminatione: dictitantes, *Non decere Christianos, occidere homines.* 5 Ego verò ut pridem, ita hodie, occidi illos mando, qvi occidebant animas, cœci cæcorum duces in foveam incredulitatis, & cordis duritiem, & hinc in gehennam. 6 Fiat ergò ut mandavi: nam egonè malè egi dum Mundum impiorum aqvis delevi, octo tantùm servatis in Arca Noæ animabus? 7 Et dum subverti Sodomam, tribus tantùm servatis? etiam uxore Lothi in statuam salis versâ. 8 An Elias egit malè, dum Baalitas jussu meo mactavit? 9 Qvi ad gladium, ad gladium; qvi ad ignem, ad ignem: æterna hæc est voluntas mea, ut illis reddatur duplum, plagæ pro plagis, mensurâ plenâ & superfluente. 10 Ne cela hæc à qvoqvam illorum! Surge, & hoc ipsum in scripta refer! 11 *Feci ergò, decantans Psalmum nonum.* 12 *Et ex illa die convalescere capi à morbo, qvi me mensem integrum tenuerat.*

REV. CCCI. Maji. 28.

[*Idololatrarum area exurenda*, 2. *Judicia Dei non adscribenda aliis*, 5. *Arma obseqvii*, 6. *Ad Hungaros protestatio*, 10.]

V*Idebar mihi spoliatus ad nuditatem usqve, & zelabar valdè: sed ostendebatur mihi alia vestis.* 2 *Expergefactus mirabar, & orabam ad Dominum: qvi respondens dixit,* Jamjam Ignis furoris mei exardescit super mihi & Angelis meis invisos Idololatras! 3 Ut jam uratur, & exuratur, area istorum mihi contemtum inferentium per Nationes terræ, sine misericordia: 4 sicut ego Dominator terræ, & Creator montium, dudum tibi serve mi loqvutus sum; Ego inqvam, & non alius qvispiam. 5 Maledictus sit in æternum, qvisqvis alii velit tribuere judicia mea qvàm mihi: qvorum profunditatem nemo Angelorum, nedum hominum, penetravit unqvam, aut penetrabit in æternum. 6 Induite igitur, ô Nationes, arma obseqvii mei, viventis in secula! 7 Eadem indue tu qvoqve, serve mi: nam neqve tu perfectè contectus es veste hâc, grati mihi obseqvii, ut benè sit tibi. 8 Labora in eo, qvod tibi retectum est à me, nihil homines respectans: & videbis benedictionem meam. 9 *Et confessus sum Domino infirmitates meas, emundari orans & roborari.* 10 *Venitqve cogitare, Qvid Posonii fieret? Dominus:* Nisi juxta voluntatem meam fecerint ii, qvibus jam innotuit, irritabitur ira mea contra terram hanc. 11 Ora pro illis: sed & illi mihi commendent se, cum fiducia. 12 *Cantabam igitur (ex cantico Eccles. in Antichristum): Da in cor Regibus, illorumqve auxiliariis, ut Meretricem Babylonicam reddant desertam &c.*

REV. CCCII. 1 Junii.

[*Dominus Terram lustrare minatur bellô, peste, fame*, 3. *ipse futurus præliator*, 6. *In vita præsenti seminatur æternitati à bonis & malis*, 7. *Apud Deum nulla prosopolepsia*, 9. *Dormitantes exsuscitandi, totô in Orbe*, 10. *Adjuncta mandata*, 12. *Fines seculorum decurrunt, ubi conticescunt omnes, & omnia*, 18.]

I*Terum ad me factum est Verbum Domini, post preces matutinas fervidiùs dictus.* 2 *Cantaveram Psalmum* 117 (Laudate Dominum omnes Gentes) *orans pro habitatoribus totius terræ, ut qvi omnes creavit indiscriminatim, & omnium naturam suscepit indiscriminatim, misereretur omnium.* 3 *Ubi respondens mihi dilectus Dominus & Deus meus, dixit:* Serve mi, Glorificabor ego in terræ Nationibus, at non priùs, qvàm perpurgavero habitatores, & abluero impuritates terræ. 4 Idqve per media, Captivitatem & Gladium; Pestem & Famem: qvod tibi stamine illô ostendi (*Anno* 1652. 14 *Martii.*) 5 Qvod enim tibi mandaveram ut ei faceres, hoc fieri necesse est propter malitiam irritantium me, per omnes terræ angulos. 6 Prælia mea ego ipse præliabor: & glorificabor in iis qvorum aperiam oculos,

los, ut videndo videant, & cæci esse desinant; audiendoqve intelligant, me Jebovam ultorem esse iniqvitatum super omnes vos, ô Populi! 7 Nam ecce decurrunt secula vestra indubiè; in qvibus qvicqvid didicistis, & didiceritis, hoc possidebitis in æternum, ut bonis benè sit, & malis malè. 8 Nam scitote, apud me non aliud esse discrimen, qvàm ut bonis bona, malis mala merces reddatur, hîc & in æternum. 9 Cujus est Oculus, qvi spectando, & videndo, & intelligendo, non dicere necesse habeat, Apud Deum nostrum non est personarum respectus? sicuti est apud vos homines. 10 Tu vigilans esto, ut ne dormias, sed excites dormitantes, salutis suæ immemores, per omnes Nationes & ordines habitatorum terræ. 11 Præsta tu scientiam priscorum meorum antiqvorum Testium, sicut & ille qvem tibi auxilio dedi: & eritis mihi & meis Testes chari, serviqve mei in terra. 12 *Scribe verò jam Adjuncto*: I dilecte mi, qvò te mens tua divinitùs directa trahit! 13 Jam enim tempus est, ut ematures omnia qvæ animo instillavi tuo, dicit Deus. 14 Nam Domus Mundi jam ardere incipit, ut perpurgetur ad recipiendum ignem vivificantem, Doctrinæ Legis meæ, statutorumqve meorum. 15 Qvæ statuta mea vos cum aliis à me collustratis intelligitis: non intelligitis autem vestri solùm causâ, sed & illorum qvi adhucdum ea ignorantes longinqvi sunt à me. 16 Serve mi, scientia operis mei penetravit jam ad multas animas pias, jam se accingunt ad agendum opus meum: qvia durum est reluctari mihi. 17 Leone rugiente, qvis non pavescat? & me Dominô mandante, qvis non operetur? 18 Operemini igitur, omnes vos, dum dies est: nam deinde operari non poteritis, dum decurrerit statera dierum & horarum, ut consistant & conticescant omnia sub Sole. 19 Conticescetis & vos, cùm ego peregero opus meum in terra, ô populi: Vigilantes estote, ut benè sit vobis in tempore & æternitate! 20 Scribe qvæ loqvor! & mitte celeriter, ad celerem omnium qvę loqvutus sum (modò & pridem) exseqvutionem. 21 *Et laudavi nomen Domini, cantu Psalmi* 135.

REV. CCCIII. 3 Junii.

[*Visio Avis mutatæ in ferocem Cervum, qvi contunditur*, 2, 3: *explicatur de Domo Austr.* 10. *non ampliùs metuenda*, 11, 17. *Super qvam ad exultandum invitantur Gentes*, 19, 21.]

Vidi (à precibus matutinis somnò mersus) accumbere me Tabulæ cum multis notis & ignotis mihi, & orare. 2 *Et aperuit se mihi è regione janua, ubi stabat Avis corollam habens qvasi Pavonaceam.* 3 *Dum verò qvid hoc esset cogitarem, mutata ecce fuit Avis in Cervum cornutum: qvi adversùs me ibat impetuosè.* 4 *Ego pavescens arripui tabulam ante me jacentem, percussiqve illi Os, ut ejus oris dimidium decideret: clamans simul alios in auxilium.* 5 *Sed ex multis illis unicus accurrebat; nec tamen juvabat, adstans tantùm spectabat.* 6 *Sed ego Cervum ante me collapsum tundere perrexi, amputaviqve illi utrumqve oris labrum, & excussi utrumqve oculum, dicens ad adstantes, jam multos:* Jam ne metuamus, jam ecce cæcus factus est!

7 *Qvod illi sunt mirati: ego verò valdè fatigatus, & adhuc pavitans, evigilavi: errans, & qvid rei esset cogitans.* 8 *Post longam cogitationem, & suspiria, tandem Dominus:* Ne pavesce Visionem hanc, serve mi! 9 Ecce ego Jehova id qvod fieri vidisti, jam feci apud me & faciam apud vos. 10 Amputavi, & amputabo, os; excussi, & excutiam, oculos, malè vos devorantis, & malè intuentis, Pharaonis: sicut & illorum qvi Austriaca in Domo malè sunt loqvuti, malè consuluerunt, malè respectàrunt. 11 Ne timete, ne ampliùs timete, Domum Austriacam, vos etiam duo à me electi, & amicitiæ vinculô ligati, de Domo Palatina, & de Domo Racociana! 12 Exscindite in nomine meo, & evellite, radices etiam Domûs Austriacæ! amputatô illô omnia devorante, & grandia loqvente, ore; & excussis illis Oculis torvùm vos omnes in Europa intuentibus, qvi magnum nostis Nomen meum. 13 Pereant ad ultimum omnes de Domo illa, cum malis illis radicibus! qvibus illa insistens sine me Factore suo stare confidebat. 14 Sustentans se unà cum illis spoliis propriæ Gentis suæ, provinciarumqve suarum, divites & pauperes deprædans sine omni misericordia. 15 Accipiant verò cum ipsa mercedem illi sub Arbore hac nidificantes, cæci ejus aliorumqve duces. 16 Ecce, qvisqvis illorum miseretur, peccat contra me, & animam suam! 17 Et tu serve mi dic jam, & alii tecum: Non metuimus te Domus Austriaca, neqve qvisqvam eorum qvos nobiscum afflixisti! 18 Nam ecce Jehova suscepit causam suam! & vindicavit nos oppressos in conspectu alienorum & domesticorum. 19 Iam nobiscum exultate longinqvæ, nobis ignotæ, Gentes! agnoscentes Iehovam fuisse, esse, & fore, Deum nostrum, & vestrum. 20 Omnes pariter qvi ex intimo corde Deum timetis, & colitis magnum ejus nomen, cognoscite & confitemini, *Non confundi in æternum timentes eum.* 21 Venite unanimiter, inite nobiscum pactum Charitatis æternæ, ô Gentes! ad perfruendum communiter, hîc & in æternum, Vitâ gratiæ & veritatis, Omnibus nobis sangvine mactati Agni partæ! 22 Surge, consigna sermones meos! 23 *Ego admirationis & gaudii plenus, profluentibusqve lacrymis ab oculis meis, decantavi Psalmum* 42. (Ut cervus desiderat ad aqvas &c.) 24 *Consurgensqve ista sic in chartam transtuli, Amen, Hallelujah!*

[Hæcnè est fidei vis, qvæ hic docetur? Credere impossibilia, sperare invisibilia, triumphare ante victoriam? Ita suos jam ab antiqvo instituebat Deus, factitarunt qvi indubiam verbis Dei habuêre fidem.]

REV. CCCIV. 5 Junii.

[*Posoniensium Comitiorum vertigo.*]

ANteqvam lectulô exsurgerem cogitabam, Qvid Posonii fieret? 2 *Et Dominus*: Qvæ istuc missa sunt, & perlata, variè illos afficiunt. 3 Andreæ Kl. vertigo est oborta, non tam citò desertura cerebrum ejus: ut ex Mednianii responso intelliges. 4 *Tu vigila, & ora, &c.*

REV. CCCV. 6 Junii.

[*Visiones de Videntis à Jesuitis captivatione*, 2. *& Adjuncti morte*, 4. *explicantur*, 7. *Globus mœrorum super Ferd.* 13.]

DUæ mihi tristes obvenerant nocturna visiones. 2 *Prior; fuisse me in Urbe magna, captivandum à Jesuitis, qvos fugitans abdidi me inter Mercatorum tabernas & conservatus fui.* 3 *Expergefactus cum pavore, commendabam me in manus Domini mei Jesu.* 4 *Mox relapso in somnum altera obvenit visio: dilectum Adjunctum meum morte mihi fuisse ereptum, sed à nemine rescire potui ubinam, ut eum videre possem.* 5 *Reversus ad me, & fletu singultiens orabam: Revertere Jehova, & vivifica nos propter misericordiam tuam.* 6 *Nam non est in morte recordatio Tui, & in sepulchro qvis celebraret te?* 7 *Dominus autem, miserator meus, respondens dixit:* Ne tristare super visiones istas: 8 Priore tibi malitiam hostium tuorum ostendi, extraneorum & domesticorum: sed ego eram, & ero scutum, propugnaculum, & protectio tibi. 9 Tantummodò ipse qvoqve tibi attende, nec exeas sæpè! dissipabo ego consilia adversum te. 10 Obitus Adjuncti erit separatio illius à te, & abitus in Sveciam: qvô eat, & qvæ in animo habet, citò expediat. 11 Ibit ut mortuus, & redibit ut redivivus, cum (editis) vivis Operibus suis. 12 Tu qvoqve labora! ut exhilares te, & illos qvi tibi sine causa detrahunt: erit unde reddas. 13 Hodie globus mœrorum cadet super Ferdinandum, juxta sermonem meum: gaudium illi mutabitur in tristitiam. [NB. *Fortè qvia Coronatio Imperatricis in Reginam Hungariæ, in eum diem destinata, non processit.*] 14 Vos mihi, promissionibusqve meis fidite, &c.

REV. CCCVI. 7 Junii.

[*Visio ineptorum Coqvorum*, 2. (*explicatur*, 14.) *de pridie visis mandatum*, 4. *explicationisqve illorum applicatio*, 5, 6, 7. *Posonii dissensiones*, 9.]

PLuebat, fulgurabat, tonabat, totam noctem, qvam penè insomnem duxi: manè autem (cùm dimittendus esset Tabellarius in Poloniam) indormivi. 2 *Et vidi Domum, in eaqve contectam mensam, sed cibi non inferebantur: dicebantqve adstantes, ineptos Coqvos nondum habere ignem bonum.* 3 *Ad me reversus, cogitabam qvid significaret hoc visum: & Dominus*, Surge, festinanter compone mittenda in Poloniam. 4 *Dum cogitarem*, Num hesterna qvoqve addere deberem, *respondit Dominus*, Adde. 5 Ostendi enim tibi opus meum, ut id videant alii qvoqve me, qvomodo olim agebam cum meis, etiamnum agere vobiscum, testes mei. 6 Nempe scire me immittere periculum, rursumqve illô eripere: & aliqvem morte abreptum, ad sepulturamqve elatum, attectu reddere vitæ. 7 Cujus scientiæ meæ specimen in vobis duobus me dedisse non ignoratis: eô fine, ut inclametis Nationes terræ, & excitetis dormientes ad Opus meum, innovandum Cultum meum

Ordi-

Ordinemqve bonum ſuper Terram, ſine ullo ad homines, de utroqve veſtrûm paſſim leviter & calumnioſè loqventes, reſpectu. 8 Sed non effugiet unusqvisqve mercedem ſuam, certè non effugiet. 9 Qvæ Poſoniô afferentur miraberis: non poſſunt invenire qvomodo inter ſe conveniant, ad obediendum mihi Domino uni. 10 J. M. bonum ponit fundamentum: ſed projiciam ego inter eos pomum eridos, ut mordeant ſeipſos. 11 Atqve tum niſi ad ſe redeant malum à me denuntiatum recidet in eos, tanqvam inobſeqvioſos. 12 Vos uterqve interim facite qvod veſtrûm eſt, etiam tu ipſe mihi confide: plus vos remotæ Gentes diligunt, qvàm ipſimet veſtri. 13 Durum eſt emendare inobſeqvioſos: facile tamen apud me, & apud vos timore & obſeqviô repletos atqve conſtrictos. 14 Qvales tametſi non multi ſint, ſunt tamen charitatis igne erga me flammantes: qvô igne qvisqvis deſtituitur, malè coqvit, ſibi & aliis. 15 Qvorum tametſi pauci ſunt, ſunt tamen: qvibus ego fortitudinem addam, & addo, ſine propriis eorum meritis, ad teſtificandum ſuper eos miſericordiam meam, ſuper iſtos autem ultionem meam. 16 Timete igitur me, timete, ô Populi! ut benè ſit vobis.

17 *Qvibus ego auditis, conſignare qvadam volui in appenſa Tabella: ſed Dominus ſurgere, repetenſqve iterum omnia, calamô ſcribere juſſit.* 18 *Qvod feci, & cantavi Pſal. 3. Qvàm multiplicati ſunt qvi tribulant me &c.*

REV. CCCVII. Iunii 14.

[*Sveco & Moſco junctus Radzivil,* 4. *Embdani,* 5. *Bohemi & Pragenſes deditionem facient,* 6. *viſô cui ſe dedant,* 5.]

CUm à precibus redormiſſem, vidi mihi afferri frumentum, gaudebamqve de hoc egeſtatis levamine. 2 *Expergefacto autem Dominus:* Mihi eſt cura omnium, ſerve mi, nihil dubita de potentia mea, videbis laboris tui fructum. 3 Nam ecce ego compleri faciam ſermones meos, unde gaudium ſurget Gentibus! 4 Svecus jungetur Moſco, receptô Radzivilio ad peragendum commune opus meum in Polonia. 5 Embdenſes hoc tempore ſolatia accipient. 6 Bohemi & Pragenſes compertô Anteſignanum dari, evigilabunt à crapula, ſineqve multa ſangvinis effuſione dedent ſe, & videbunt finem pravæ Dominationis Auſtriacæ: nam & ibi cultores meos adhuc habeo. 7 Princeps jam reſponſum impertit Regi Sveciæ, de qvo informaberis: Tu ad functionem Miniſterii tete para, fiet id invitis te fruſtrà odiô habentibus, & præter meritum traducentibus. 8 *Ego labilitatem Memoriæ qveſtus roborari orabam: & Dominus, Debilitaſti eam ſupervacaneis curis & anxietate, cùm tamen mea pro vobis vigilet cura &c.*

REV. CCCVIII. Junii 17.

[*Prænuntiata implebuntur*, 3. *Sveci jam congregantur*, 5. *super Cæsarem, fine suo in Hungaria frustratum, judicia Dei, &c.*]

D*iluculò vidi magnum hominum cœtum, reqvirentium à me ut preces sacras cum illis haberem: inter qvos erat mihi ex adverso stans J. Effron, qvem diffidentiæ erga Deum arguebam.* 2 *Orabam itaqve cum illis voce sonora: demumqve expergefactus, finivi.* 3 *Et mox Dominus*: Bonô esto animô, ne plora. Asseqventur enim effectum sermones oris mei, vulgabunturqve per Nationes terræ. 4 Adjunctus partim lætatur partim tristatur de iis, qvæ Tabellarius attulit. 5 Svecorum exercitus congregat se (adversus Poloniam): Cæsar non peregit qvæ voluit in Hungaria, brevi erit tanqvam Infans ab uberibus avulsus, destitutus consiliô: asseqvetur enim illum judicium meum. 6 Princeps Exercitum jam colligit, cui obviam ibunt Hungari: cui & tu scribe, responsum accipies benignum. 7 Ego pro illis excubo, qvi mihi confidere sciunt. 8 Surge, scribe hæc etiam! nam ego multas Gentes replebo sermonibus his, aliisqve per te prolatis, ad excitandum in illis gaudium.

[Ad v. 6.) Colligebat, sed ad alium finem qvàm jussus fuit: ut patebit.]

REV. CCCIX. 20 Junii.

[*Videntem diffamantes calumnia deteguntur*, 1, 2, 3. *Princeps Transs. qvid monendus*, 4, 5. *Sveci animosè prodeunt, agmen ducente Domino*, 6. *Videntis labores*, 7.]

V*idi me cum aliqvot Confratrum stantem: accessitqve nos Vir qvidam gravis, qværens qvid sermonum inter nos misceremus? vani falsiqve multùm inesse, se meliùs præ nobis ista intelligere.* 2 *Fui ergò rubore suffusus vehementer, solus stans, cùm illi me deseruissent.* 3 *Sed Dominus*: Sermo de te volitat in Polonia, accipiet super id epistolas Efr. sed dissimulabit cum aliis. 4 Tu hodie literas para ad Principem: opus enim est tuâ manu, ad informandum & firmandum illum de voluntate mea. 5 Scribe verò etiam de Eleemosyna, qvam erogare cùm deberet Pater & Frater neglexerunt, ille emendet: tu homines ne metue sub cura mea, illi verò finem invenient. 6 Svecorum Exercitus dividet se, auxilii mei fiduciâ: parùm habebunt resistentiæ, qvia ego agmen illis ducens vias aperio. 7 Tu qvòd Ministeriô non fungaris, ne zelator: sat laborum te exspectat.

REV. CCCX. Junii 21.

[*Visio mercium situ corruptarum* (1, 2.) *de corruptione rerum in Mundo explicatur*, 3, 4. *Comminatio Principi Transs. terribilis*, 5, 6, 7.]

V*idi unum è Confratribus, habentem Tabernam institoriam, vendentemqve merces vetustas, exoletas, penitùs corruptas, ut indignabundus alias adirem Tabernas.* 2 *Sed*

nec ibi aliqvid melius reperiens, zelabar cum aliis multis: Alii verò irridebant nos. 3 *Ut ad me redii dixit Dominus*: Omnia in Mundo in pejus mutata sunt, exoletâ ubiqve primâ veritate, per omnes Ordines. 4 Ne mirere! omnia festinant ad finem: *ad qvæ verba expavi, Principem Tr. recogitans.* 5 *Et Dominus*: Nisi se recollegerit, unà cum Consiliariis suis, ignis iræ meæ denuntiatus pridem recidet super eos. 6 Non nasci eum præstitisset, qvàm perire omnem circa illum operam meam, per vos qvoqve navatam. 7 *Ob qvæ verba horror invasit me, cæpiqve pro illo & aliis ardenter orare.*

REV. CCCXI. 26 Junii.

[*Klobucicius adhuc hæsitans*, 1. 2. *Calumnia in Videntem sparsa*, 3, 5.]

ANte matutinas preces vidi Adjunctum meum in campo, meditabundum & orantem, meqve stantem ex adverso prati illius. 2 *Accessitqve ad nos Andr. Klob. de qvo antè dixerat Dominus*: Non evigilabit ille ex toto, nisi postqvam Austriacæ Domûs malum exitium viderit. 3 *Iterum vidi J.W. (tabellarium è Polonia) lacerâ veste, tradentem mihi epistolas, qvarum una spurcè collutulata fuit.* 4 *Qvod visum eventus ostendit, allatâ (octiduò post) epistolâ calumniis & mendaciis contra me perspersâ: qvam injuriam commendavi Domino, Psalmum decantans* 91.

REV. CCCXII. 28 Junii.

[*Diluvium iræ Dei tremendum*, 2. *Citò siccandum*, 3. 6. *Coronatio filii Cæsaris Leopoldi*, 7. *Klob. & Med.* 8. *Bohemi*, 9. *reductis in patriam mansvetudo mandatur*, 11.]

ITerum factum est ad me Verbum Domini diluculò. 2 *Vidi rapidas valdéqve turbulentas aqvas, per qvas navigabamus alii sursum alii deorsum, magnâ trepidatione, cùm alii aliis succurrere non possemus.* 3 *Facta autem inundatione maximâ, & amissâ omni salutis spe, ecce subitò aqvæ subsidêre: nosqve Orientales vidimus nos in arido, pauci residui: Septentrionales autem à nobis remoti fluitare continuabant, qvibus subvenire non potuimus.* 5 *Sed mirati sumus tam subitam aqvarum exsiccationem: & Dominus*, Ecce turbatæ aqvæ, qvas super vos ejicit Tyrannus, jam sîdent, & sidêrunt. 5 *Hæc primô diluculô: ad qvæ ego cecini*, Iam tollendum est cor sursum &c. 6 *Multô autem die dixit Dominus*: Serve mi, aqvæ tribulationum Vestrarum jam sidêrunt, & sîdent, qvia jam se derelictum videt ille Turbator, & sangvinis effusor. 7 Processit qvidem Posonii coronatio, sed in majorem illi, & Consiliariis suis, confusionem. 8 Klob. nondum redit ad mentis qvietem, sed J.M. bonum posuit fundamentum. 9 Principi in occursum para te, ut illi omnia reddas nota qvæ unqvam Tibi sum loqvutus, ut benè sit illi & terræ huic. 10 In Bohemiæ terram iræ meæ ignem injeci: tumultuabuntur adversùs

sus invicem, sed non pævalebunt manui meæ. 11 Vos in Patriam reducti nihil agite per contentionem, sed per charitatem vincite in bono malum. 12 Tu mane in vocatione tua: replevi ego multorum corda dilectione erga te, ut tibi benè cupiant, pro qvibus tu ora! qvod & facere te notum est mihi & Angelis meis. 13 Raró exeas domô, injuriarum patiens esto, à me disce omnia! & benè tibi erit.

[v. 9. At ille non ivit qvô jussus, in Hungariam: sed qvô perhibitus, in Poloniam, uti seqvitur.]

Rev. CCCXIII. Junii 28.

[*Visio terræ metallicæ igne probandæ*, 2. *Ad has Revelationes applicatur*, 3. *Qvarum qvædam (ut de Racociis) cur non impletæ sint*, 4, *Filii Cæsaris coronatio frustranea*, 7.]

ERam in magno Ecclesiæ cœtu, orans cum illis tam fervidè, ut expergefactus demùm finirem. 2 *Mox rursum redormiens, vidi Terram metallicam adferri ad probandum, & evigilavi.* 3 *Dominus verò ad me*: Bonô esto animô! Multi enim per Nationes probant Verba mea per te prolata. 4 Hærent qvidem nonnulli in eo, non factum fuisse cum Racocio, & filio Sigismundo, qvæ prædicebantur de illis: sed cogitent cujus culpâ, meâ an illorum, sermonum meorum consilia tam aperta seqvi renuentium? 5 Non in me, sed in illis, reperietur causa: nam qvi sibi malus, cui bonus? 6 Tu exspecta solatia mea, & qvid ego sim acturus tùm alibi, tùm hac in terra, cùm sonitus Tubæ meæ pertigerit ad Principem. 7 Hungari frustra coronârunt eum qvem coronare non debuerunt: qvod viderunt multi, & vident: tacuerunt tamen, & tacent, ad tempus. 8 Tu vigila, & pro operariis meis ora, & hæc scribe! 9 *Feci, decantans Psalmum* 132.

Rev. CCCXIV. Julii 1.

[*Visio vultuum Angelicorum*, 2. *& Scripturæ obtectæ*, 3. *& Puerorum placentis nutritorum*, 4. *& Eqvitationis Videntis*, 5. *Explicantur ordine*, 6, *&c.* *Opus Dei non ubiqve procedet æqvè expeditè*, 9. *Ad piscandas Gentes rete laxandum*, 16. *Textum sacrum ad preces ipse Dominus Videnti ostendit*, 21.]

ITerum factum est ad me Verbum Domini, manè à precibus. 2 *Ostendit mihi Dominus varios vultus, qvosdam velut Angelicos, valdè speciosâ formâ; è qvibus Vir qvidam gravis, ætate plenâ, ostentabat vetusta qvædam scripta, à multis non intellecta.* 3 *Sed ego illa intuitus dixi præsentibus*: Obtecta hæc erant utiqve, sed non à me, & mihi notis aliqvot. 4 *Interea venerant puer uli, qvos ego cibabam placentis, uvisqve benè maturis, qvalibus se nunqvam usos dicebant.* 5 *Mihi verò datus erat Eqvus elegans & eqvitabam per vias petrosas, multis me seqventibus, aliis alacriter, aliis cunctabundè.* 6 *Hac ut transierant, dixit Dominus*: Serve mi, consenserunt jam diversæ Nationes diebus his, ad incedendum per vias meas sibi à me ostensas. 7 Nam ecce pasti sunt cibô sapidô gratiæ meæ, propriæqve salutis! idqve

per sermones meos olim & nuper, per te, prolatos: 8 Me omnium Creatorem nolle mortem peccatoris, sed ut corde totô conversi ad me, ad me dico solum, vivant mecum in æternum. 9 Qvô promovendi Gentes negotium, nemini procedet ægriùs qvàm Principi & Transylvanis: in Bohemia & Silesia res procedet faciliùs, qvàm in Polonia & Moravia. 10 Tibi molesta instat via, per qvam incedendo disjectabis vana humana judicia, hæsitantium circa potentiam meam, cui nemo unqvam restitit, nec resistet. 11 Noli mirari, nondum omnes ubiqve esse in opere: necdum enim omnibus venit debitum suum tempus. 12 Maturescant necesse est omnia, ad tempus messis & vindemiæ botrorum,, intra muros durissimarum petrarum: intra qvas petras sederunt, & sedent, in ignorantia mei æternæqve voluntatis meæ. 13 Ah ægrè findi patiuntur magni Lapides, ad structuram novæ spiritualis Jerusalem, dilectæ Ecclesiæ meæ. 14 Sed malleus discutiens petram, Verbum meum per Mosen, Prophetas, Apostolos prolatum, percutiens corda (ad tuas & aliorum meorum Cultorum preces) efficiet id. 15 Scias etenim non omnes per angustam viam, portamqve arctam, penetrare ad me: sed solos illos qvibus subvenit auxilium meum, fide à me postulatum. 16 Laxate igitur, laxate jam rete ad piscandum Gentes, ó vos testes mei, ad piscaturam hanc ordinati! ut sanetis ægros, cœcos, claudos. 17 Qvos non sanabat Gog & Magog, Antichristus & Mahomet, cum multis me æternum Deum, vivúmqve Panem, ignorantibus, & honorem æternum meum à corde humano pellentibus Hæreticis: 18 Væ illis me ignorantibus, opúsqve ignorantiæ in se & aliis pro- ventibus, nedum ut me aut se no- rent. 19 Non videbunt, ta- ternum faciem meam, nec gelorum meorum, vobis bus dies ac noctes minist- ego tibi etiam hodie oste- ge jam, & scribe! *quod e- Psalmúmqve qvi in mentem vi*, 72. 21 *Cùm autem q- prælecturus essem ad preces, meis habendas, cogitarem, re- nus*, Jesajæ Caput 63: *quod f- ratus versiculum*, 1. 4. & 8, & 11, Hallelujah!

REV. CCCXV. 4 Julii.

[*Visio solennitatis dedicandi Templi*, 2, 3. *concionúmqve de SS. Trinitate habendarum*, 4. *explicatur de jam-jam instante Orbis Reformatione*, 5, &c. *Exhortatio omnium Christianorum ad concordiam*, 8, 9. *Babylon jubetur bibere calicem iræ*, 13. *invitatur tamen ad resipiscentiam*, 14, &c. *Hæc citò per Gentes spargenda*, 16, 17. *ut agnoscant omnes* JESUM *esse* OMNIA, 18.]

REdormieram: & ecce aliqvis abscondit mihi vestes meas! qvas cùm diu qvæsivissem tandem inveni, sed maculatas ab iis qvi abdiderant, & ob id rubore suffundebantur. 2 *Cùm vestes reinduissem, confluebat variis è locis cœtus magnus ad Templi dedicationem: inter qvos Hungari erant, togati.* 3 *Eligebantur autem aliqvi ad populum Conciones habituri, in qvibus duo erant mihi noti: mihi verò mandabatur ab omnibus, ut proponerem themata concionum.* 4 *Scribebam igitur (etiam ad me rever-*

reversus super pulvinar) de nomine Dei
Patris, de nomine Dei Filii, de nomine
Dei Spiritûs S. 5 *Hoc à me ut erat*
scriptum, dixit Dominus: Exultabo ego
in Nationibus, cùm innovationem fe-
cero Templi mei, erroribus & dis-
cordiis inqvinati. 6 Erigámqve pu-
rum Cultum nomini meo, in qvo sa-
lus est vobis omnibus, ó Gentes, qvi
id nostis & celebratis: & dicam Exulta
terra! 7 *Qvibus ego auditis, repletùs-*
qve gaudiô, qvid mihi faciendum esset co-
gitabam: venitqve in mentem hymnus, O
Iesu Christe fili matris castæ, *&c.* 8
Cantu hôc finitô dixit Dominus: Implebo
[illegible]o mundum solatiis, cùm vos per
[illegible]s distractos in unum reducam,
[illegible]iendum mihi æternùm viventi.
[illegible] præparate vos, ó vos Testes
[illegible]hristianitate, dissiti ab invicem
[illegible]s, propinqvi spiritu! 10 Satis
[illegible]atis, præteritô illô tenebra-
[illegible]porê multos errasse, ut Oves
[illegible]ore, me radice vitæ. 11 Ecce
[illegible] ego clamabam, & clamo! sed
[illegible]udiverunt illi qvibus loqvebar, &
[illegible]vi mandabam, propter incredulita-
tem & cordis duritiem. 12 At verò
jam dedi multis oculos ad videndum, &
aures ad audiendum, impleviqve Mun-
dum clamore hôc, *Cecidit, cecidit Baby-*
lon! cecidit enim apud me, cadetqve
apud vos etiam misera, dum stabit sine
potentia malum istud ejus opus. 13 O
tu Babylon, Babylon! Bibe, bibe, &
bibes, calicem iræ meæ, qvem tibi infu-
disti, toxicô potionans Gentes, Reges,
Principes & Dominos, Seculares & Ec-
clesiasticos, populúmqve miserum, i-
gnorantem nomen & potentiam Illius,
qvem noverant Patriarchæ, Prophetæ,
Reges, ex illo habentes, sicut & vos
modò habetis, vitam & halitum. 14
Fer, & perfer tùm ipse tu, tùm Reges
tui, & Clerus, ignem iræ meæ tempora-
rium potiùs, ut ne feras æternum! 15
Dimittite, dimittite jam tandem Errores
vestros, ô vos errantes Populi & Natio-
nes! & arripite Verbum Veritatis meæ,
mei radicis Vitæ in æternum; eritqve
vobis honor & gloria, in terra & in cœ-
lo. 16 Jam surge, & omnia hæc scri-
be, ut mittas dilecto meo, & tuo: & di-
cas, ut festinet hæc nota reddere Lin-
gvis & Nationibus universæ terræ! 17
Ut hæc mittant Reges Regibus, Princi-
pes Principibus, Domini Dominis: non
per Christianum tantùm Orbem, sed &
Turcis, Tartaris, omnibusqve in facie
terræ habitantibus. 18 Me Iesum, qvi
solus sum Via, Veritas & Vita, illos in-
clamare de cœlo, ut Omnes, cujusvis
Ordinis, statûs, vocationis, suscipiant
jugum meum, discantqve à me hono-
rare Patrem Deum æternum, Mihi in
Spiritu consubstantialem, æternè uni-
tum, vitâqve æternâ donantem gratis,
ex fide, omnes de Me, Mihi, & in Me,
credentes. 19 Qvi sum scaturigo vitæ
data vobis à Patre, ut in Me solo vitam
habeatis, & abundè habeatis hîc & in
æternum. 20 Nam ecce, adhuc conte-
stari volo vos à me diligi, ô Homines!
ut sit super vos in me credentes Ros be-
nedictionis meæ, etiam nunc ante Mun-
di finem. 21 Nempe ros Fidei veræ
meæ, qvæ semel datur sanctis, cum ab-
undantia insuper Pacis: qvam Pacem
non homines dant, sed Ego, qvi nun-
cupor, & sum, Princeps Pacis. 22 At
verò si non auscultaveritis mihi, ecce
veniam, citò, & occludam abyssum
super vos mihi & voci meæ inobseqvio-
sos. 23 Abyssum dico tormentorum,

per sermones meos olim & nuper, per te, prolatos: 8 Me omnium Creatorem nolle mortem peccatoris, sed ut corde totô conversi ad me, ad me dico solum, vivant mecum in æternum. 9 Qvô promovendi Gentes negotium, nemini procedet ægriùs qvàm Principi & Transylvanis: in Bohemia & Silesia res procedet faciliùs, qvàm in Polonia & Moravia. 10 Tibi molesta instat via, per qvam incedendo disjectabis vana humana judicia, hæsitantium circa potentiam meam, cui nemo unqvam restitit, nec resistet. 11 Noli mirari, nondum omnes ubiqve esse in opere: necdum enim omnibus venit debitum suum tempus. 12 Maturescant necesse est omnia, ad tempus messis & vindemiæ botrorum,, intra muros durissimarum petrarum: intra qvas petras sederunt, & sedent, in ignorantia mei æternæqve voluntatis meæ. 13 Ah ægrè findi patiuntur magni Lapides, ad structuram novæ spiritualis Jerusalem, dilectæ Ecclesiæ meæ. 14 Sed malleus discutiens petram, Verbum meum per Mosen, Prophetas, Apostolos prolatum, percutiens corda (ad tuas & aliorum meorum Cultorum preces) efficiet id. 15 Scias etenim non omnes per angustam viam, portamqve arctam, penetrare ad me: sed solos illos qvibus subvenit auxilium meum, fide à me postulatum. 16 Laxate igitur, laxate jam rete ad piscandum Gentes, ó vos testes mei, ad piscaturam hanc ordinati! ut sanetis ægros, cœcos, claudos. 17 Qvos non sanabat Gog & Magog, Antichristus & Mahomet, cum multis me æternum Deum, vivúmqve Panem, ignorantibus, & honorem æternum meum à corde humano pellentibus Hæreticis: 18 Væ illis me ignorantibus, opúsqve ignorantiæ in se & aliis promoventibus, nedum ut me aut se nosse laborent. 19 Non videbunt, tales hi in æternum faciem meam, nec faciem Angelorum meorum, vobis meis cultoribus dies ac noctes ministrantium: qvos ego tibi etiam hodie ostendi. 20 Surge jam, & scribe! *qvod exultabundus feci, Psalmúmqve qvi in mentem venit decantavi, 72.* 21 *Cùm autem qvid sacri Textûs prælecturus essem ad preces, cum domesticis meis habendas, cogitarem, respondit Dominus*, Jesajæ Caput 63: *qvod feci, admiratus versiculum*, 1, 4, & 8, & 11, & 16. Hallelujah!

REV. CCCXV. 4 Julii.

[Visio solennitatis dedicandi Templi, 2, 3. concionúmqve de SS. Trinitate habendarum, 4. explicatur de jamjam instante Orbis Reformatione, 5, &c. Exhortatio omnium Christianorum ad concordiam, 8, 9. Babylon jubetur bibere calicem iræ, 13. invitatur tamen ad resipiscentiam, 14, &c. Hæc citò per Gentes spargenda, 16, 17. ut agnoscant omnes JESUM *esse* OMNIA, 18.]

R*Edormieram: & ecce aliqvis abscondit mihi vestes meas! qvas cùm diu qvæsivissem tandem inveni, sed maculatas ab iis qvi abdiderant, & ob id rubore suffundebantur.* 2 *Cùm vestes reinduissem, confluebat variis è locis cœtus magnus ad Templi dedicationem: inter qvos Hungari erant, togati.* 3 *Eligebantur autem aliqvi ad populum Conciones habituri, in qvibus duo erant mihi noti: mihi verò mandabatur ab omnibus, ut proponerem themata concionum.* 4 *Scribebam igitur (etiam ad me rever-*

reversus super pulvinar) de nomine Dei Patris, de nomine Dei Filii, de nomine Dei Spiritûs S. 5 *Hoc à me ut erat scriptum, dixit Dominus:* Exultabo ego in Nationibus, cùm innovationem fecero Templi mei, erroribus & discordiis inqvinati. 6 Erigámqve purum Cultum nomini meo, in qvo salus est vobis omnibus, ô Gentes, qvi id nostis & celebratis: & dicam Exulta terra! 7 *Qvibus ego auditis, repletùsqve gaudiô, qvid mihi faciendum esset cogitabam: venitqve in mentem hymnus*, O Iesu Christe fili matris castæ, *&c.* 8 *Cantu hôc finitô dixit Dominus:* Implebo ego mundum solatiis, cùm vos per Gentes distractos in unum reducam, ad serviendum mihi æternùm viventi. 9 Qvô præparate vos, ô vos Testes mei in Christianitate, dissiti ab invicem corporibus, propinqvi spiritu! 10 Satis jam sit, satis, præteritô illô tenebrarum tempore multos errasse, ut Oves sine Pastore, me radice vitæ. 11 Ecce dudum ego clamabam, & clamo! sed non audiverunt illi qvibus loqvebar, & loqvi mandabam, propter incredulitatem & cordis duritiem. 12 At verò jam dedi multis oculos ad videndum, & aures ad audiendum, implevíqve Mundum clamore hôc, *Cecidit, cecidit Babylon!* cecidit enim apud me, cadetqve apud vos etiam misera, dum stabit sine potentia malum istud ejus opus. 13 O tu Babylon, Babylon! Bibe, bibe, & bibes, calicem iræ meæ, qvem tibi infudisti, toxicô potionans Gentes, Reges, Principes & Dominos, Seculares & Ecclesiasticos, populúmqve miserum, ignorantem nomen & potentiam Illius, qvem noverant Patriarchæ, Prophetæ, Reges, ex illo habentes, sicut & vos modò habetis, vitam & halitum. 14 Fer, & perfer tùm ipse tu, tùm Reges tui, & Clerus, ignem iræ meæ temporarium potiùs, ut ne feras æternum! 15 Dimittite, dimittite jam tandem Errores vestros, ô vos errantes Populi & Nationes! & arripite Verbum Veritatis meæ, mei radicis Vitæ in æternum: eritqve vobis honor & gloria, in terra & in cœlo. 16 Jam surge, & omnia hæc scribe, ut mittas dilecto meo, & tuo: & dicas, ut festinet hæc nota reddere Lingvis & Nationibus universæ terræ! 17 Ut hæc mittant Reges Regibus, Principes Principibus, Domini Dominis: non per Christianum tantùm Orbem, sed & Turcis, Tartaris, omnibusqve in facie terræ habitantibus. 18 Me Iesum, qvi solus sum Via, Veritas & Vita, illos inclamare de cœlo, ut Omnes, cujusvis Ordinis, statûs, vocationis, suscipiant jugum meum, discantqve à me honorare Patrem Deum æternum, Mihi in Spiritu consubstantialem, æternè unitum, vitâqve æternâ donantem gratis, ex fide, omnes de Me, Mihi, & in Me, credentes. 19 Qvi sum scaturigo vitæ data vobis à Patre, ut in Me solo vitam habeatis, & abundè habeatis hîc & in æternum. 20 Nam ecce, adhuc contestari volo vos à me diligi, ô Homines! ut sit super vos in me credentes Ros benedictionis meæ, etiam nunc ante Mundi finem. 21 Nempe ros Fidei veræ meæ, qvæ semel datur sanctis, cum abundantia insuper Pacis: qvam Pacem non homines dant, sed Ego, qvi nuncupor, & sum, Princeps Pacis. 22 At verò si non auscultaveritis mihi, ecce veniam, citò, & occludam abyssum super vos mihi & voci meæ inobseqviosos. 23 Abyssum dico tormentorum,

qvalia oculus non vidit, nec auris audivit, sine tempore gratiæ in omnem æternitatem. 24 *Hic conticuit: ego autem ista scripsi, dilaudans Dominum, & orans pro salute Gentium.*

REV. CCCXVI. Julii 7.

[*Solatia Videnti mœsto data*, 2, 3. *Tabellario navi qvidam condonandi*. 4.]

LAngvebam, variè afflictus, decumbens totô ferè die. 2 *A vespertinis tandem precibus Dominus:* Euge serve mi, ne te affligas! sufficit diei sua afflictio: devolve super me onus tuum, ego agam causam meam & tuam. 3 Accepit jam Klobucicius informationem, & gratè habet fidelitatem Vestram, implebitqve aures Principi & aliis: sed & Mednianio grata sunt qvæ misisti. 4 Tabellarii vestri factum ne ægrè feras, desunt & illi multa: accepto ego illius operam, dummodò sit fidus, acceptate vos qvoqve! 5 *Surge, atqve te jam refice: bonus erit laborum tuorum exitus.* 6 Qvod ut daret Deus orabam, cantu etiam.

REV. CCCXVII. Iulii 8.

[*Somnium de Urbe clausa*, 2, 3. *& Principe Tibiscum transeunte*, 4, 5. *contremefactioqve viscerum Videntis*, 6. *de venturis super Idololatras doloribus explicantur*, 7 *&c. Promissio Principi*, 8. *& comminatio*, 9. *Mala non cessabunt ante exterminatos Idololatras*, 11. *Seductorum jam miserebitur Deus*, 12. *Tota Terra Dei est*, 13, *&c.*]

REdormieram à medio noctis horâ tertiâ, post consveta ad Deum suspiria. 2 *Et vidi Civitatem, ad qvam congregabantur varii populi, habentes manibus baculos, & arma lethifera; inter qvos & ipse stabam, solus tandem.* 3 *Appropinqvans autem Civitati, vidi pontem sublatum, & portam clausam, reperi tamen transitum juxta pontem.* 4 *Et ingressus vidi mox ad portam sedentem Consulem, qvi ex me*, Num verum esset Principem Transylvaniæ transire Tibiscum, unâ cum Turca, *qvæsivit.* 5 *Ego verò manu tenens epistolam qvandam, respondi ex illa.* 6 *Atqve ut evigilavi, contremuerunt in me viscera mea, cum gemitu profundo mihi insolito: qvòd obstupui.* 7 *Et Dominus:* Ita contremiscent corda, & implebuntur gemitibus in terra hac, & aliis, isti corruptores & contemptores Veritatis doctrinæ Legis meæ sanctæ; habentes in se spiritum idololatriæ, in contemtum meum Dei viventis: idqve tùm, cùm Princeps ut Aqvila transvolabit Tibiscum. 8 Stat nunc Princeps cum insignibus Domûs suæ, ut super volubilem Rotam Aqvila: at si cum Incolis terræ hujus meam fecerit voluntatem, non super Rotam sed super Rupem illum statuam, & illos. 9 Si autem in vacuum prodibit, sicut Pater ejus; non perimens Idololatras in terra hac, retrò se flectet Rota fortunæ illius. 10 Iccircò non jam tu, sed I. M. scribat & svadeat, ut Princeps me Deum plus timeat qvàm homines: qvi sciunt seducere, & nesciunt reducere. 11 Et erit benè

benè illi & terræ huic, cùm in ea cessabunt Idololatræ cum invocatione sanctorum demortuorum, venerationéqve Imaginum variè pictarum, qvas Libros appellant simplicium. 12 Sed fœdi sunt & abominabiles (Libri isti): simplicium autem ego jam miserebor, ubiqve per Orbem terræ meæ. 13 Mea enim est, & non alicujus è mortalibus: qvi omnes, per omnes gentes, ad tempus hìc sunt, & non erunt. 14 Ego autem æternùm vivens æternum habeo & dabo præmium timentibus Me, & colentibus Nomen meum magnum & terribile, qvô nullum est admirabilius in cœlo & in terra. 15 Ecce Terra qvoqve ipsa exspectat transitum suum, cum omnibus qvæ in se, supra & subtùs habet. 16 Surge, scribe hæc! & mitte per I. M. Principi. &c.

[NB. Versu 8 allusio fit ad insignia Domûs Racocianæ, Aqvilam habentis stantem super fractam Rotam.]

REV. CCCXVIII. 9 Julii.

[*Cœlum & Terra concutientur*, 2. *A. Kl.* 3. *Hungarorum animi commoventur sermonibus Dei*, 4. *Rex Sveciæ ibit faeliciter, tametsi retardatur*, 5. *Adjunctus edere hæc ne differat*, 6.]

Dies erat jejunii mei: ubi Dominus à precibus pomeridianis me alloqvutus dixit. 2 Mane mane! Concutiam ego Cœlum & Terram, mittámqve erucas ad depascendum fruges terræ. 3 Klobucicius non rectè literas expedivit ad te, meliùs ad Principem. 4 Gravem ego devolvi lapidem in cor multorum hac in Terra, etiam Mednianio, sermonibus ore meo prolatis! brevi id senties. 5 Sveciæ Rex progreditur sine resistentia: distinent eum tractatibus ad lucrandum tempus, donec vires contrahat is, in qvo frustra spem ponunt Idololatræ. 6 Adjuncto scribe, ne differat hæc mea dare luci, qvæ non Vestri causâ loqvutus sum, & loqvor, sed Nationibus ultimi seculi Mundi. 7 Reqviret Sveciæ Rex ut secum eat, nec est cur tergiversetur: tametsi Operum suorum editio differenda sit ad tempus, tua tamen hæc edantur, qvia faciliùs possunt. 8 Mihi cura est vestri, ora! & cantavi Psalmum 71. 19.

[v. 5. sine resistentia) Ab initio nulla fuit in Polonia: deinde qvicqvid resistere tentabat, subsistere non potuit. v. 7.) Reqvirebat ad colloqvium per Colonellum J. K. anno 1656, sed per rerum impedimenta factum non est.]

REV. CCCXIX. 10 Julii.

[*Adjunctus monetur, ut animo simplici Opus Dei agat, homines non respectans*, 1, 2. *& qvô vocabitur ut eat*, 3. (*qvia Obedientia melior sacrificiô*, 4.) *deqve his edendis cogitet*, 5. *Regi Svecorum qvæ nuntianda*, 6.]

Iterum factum est Verbum Domini ad me: Scribe Adjuncto, scribe, ne sit vir duplici animô, erga sermones meos, ob qvemvis strepitum tergiversando, plusqve hominibus qvàm mihi & operi meo attendendo! 2 Atqvi scit, meô nutu

& ductu fieri omnia, juxta tempora qvæ præstituuntur cuiqve rei: & sermones meos mysteria esse, qvæ vos non illicò percipitis, nemo autem scit & intelligit meliùs atqve ipse ego. 3 Qvorum ille non ignarus miratur tamen, qvòd dixerim, iturum in Sveciam: ibit enim qvum tempus venerit, qvod ille adhuc ignorat. 4 Dixi ego per illum olim servum meum, & dico etiam vobis omnibus: Meliùs est obedire mihi qvàm sacrificare. 5 De sermonibus meis per te prolatis omnibus terræ Nationibus in lucem proferendis, noctes diesqve cogitet! & scribat! ad qvos interest, ut Lingvis suis hæc vulgent, ad notam reddendam voluntatem meam postremò hôc seculô ultimis etiam Terræ Nationibus. 6 Regem Sveciæ adeat, ad notam illi reddendam totam voluntatem meam hôc seculô: & me illius operâ uti velle eô, qvô usus sum Josue & Calebi, Ezechiæ & Josiæ, ad renovandum purum Cultum meum. 7 Tu autem confide, non desereris! *& laudabam Deum decantans Psalmum* 40.

Rev. CCCXX. 19 Julii.

[*Polonia dissidiis lacera ruet*, 1. *Rex Sveciæ multos ibi à se habet*, 4. *In Hungaria judicia Dei*, 5. *Domus Aust. cadit*, 9.]

V*Idi mandata distribui, & celeres dimitti cursores, huc illuc volitantes.* 2 *Cumqve qvid illud esset cogitarem, cœpit Dominus de variis me informare: etiam qvomodo* Polonia dissidiorum plena esset, Incolis & Nobilitate vindictam in Regem agitantibus. 3 Vident enim se desertos à bono regimine, Majoribus suis & Regibus usurpato: sed accipient dignam idololatriâ suâ mercedem Poloni. 4 Rex enim Sveciæ suam sub potestatem multos jam redegit: & qvi hîc suum bonum intelligere nolent, peribunt miserè. 5 Serve mi, verificabo ego sermones meos hac etiam in Terra: in qvam exteras qvoqve Gentes introducam in vindictam me ignorantium, & sermones meos contemnentium. 6 Constituam ego judicium in contemtores meos, qvando à cultoribus meis determinabitur consilium, qvô processu res agendæ sint. 7 Aliter tamen ne agantur, qvàm prouti loqvutus tibi sum pridem: Bonis ut benè sit, malis autem (mihi & cultoribus meis adversantibus) malè. 8 Satis diu inclamavi Gentes, hanc etiam: nihil excusationis habent coram me. 9 Ego verò causam meam agam, cùm captivos meos liberavero è potestate Domûs Austriacæ: qvæ nondum novit ruinam suam, unâ cum illis qvì eam seducebant, &c. 10 Tu Betzkoviam cogita! adventus tuus erit gratus. (*Nempe D°. M°. superiora hæc ad Principem relaturo: ut & factum est.*)

[v. 5. *Exteras Gentes*) Impletum nimis annis 1662. 1663, 1664.]

REV. CCCXXI. Julii 25.

[*Visione trium puerulorum formosorum, quomodo sibi simplex & obseqviosa suorum credulitas placeat, ostendit Dominus.*]

F*Eria fuit hebdomada quarta, quam jejunio & precibus transmitti mandârat Dominus.* 2 *Sed redormieram à precibus matutinis, & ecce ostendit mihi Dominus formosos tres puerulos: quorum aspectu delectabar (etiam expergefactus) cum admiratione.* 3 *Et Dominus ad me:* Tu saltem ne esto incredulus mihi sed credens: ostendam enim ego potentiam brachiô forti, contra eos qvi obsistere volunt; & tentant, ut ne arma furoris mei, & sagittæ manu meâ emissæ, feriant contemtores Nominis mei. 4 Sed non prosperabuntur instrumenta illorum: & qvi adversariorum meorum proximi esse videntur mihi, remotissimos à me videbitis in die iræ meæ. 5 Omnes Orbis regiones pervadet sonitus & fragor Sagittarum mearum: ut agnoscantur judicia mea in Cœlo & in Terra. 6 Cùm autem peregero consilia decreti mei super hos tyrannos Terræ, sicut peregi super Pharonem, surget Aurora doctrinæ meæ, ex qva prodibit lux & fulgor pro iis, qvi hœreditatem accipiunt salutis. 7 Idqve non vi justitiæ humanæ, sed vi justitiæ meæ. qvâ acqvievit justitia iræ Patris mei, qvem vos cultores mei non videntes diligitis. 8 Qvod non habetis ex vobis ipsis, sed ex me: datum vobis gratis virtute Spiritûs Patris mei, virtutéqve sermonum meorum Lege meâ descriptorum. 9 In qvibus ego reposui Vitam novæ Vestri creationis, & ad me reductionis, à qvo aberraveratis, ò Nationes, in facie Terræ habitantes & pereuntes! perituræqve in æternum, nisi me Veritatem Vitæ agnoveritis. 10 Qvam agnitionem conseqvemini non sine auxilio meo, qvod vobis per Testes meos, antiqvos & novos offero. 11 Perge igitur tu qvoqve indesinenter laborem impendere iis, qvi salvandi sunt. 12 Scribe Principi, eúmqve redde certiorem, neminem hominum respectando: mihi cura est omnium obseqviosorum, & mihi confidentium. 13 Qvæ ego operosè scribens in chartam retuli, hymnumqve de Ecclesia cecini.

REV. CCCXXII. 26 Julii.

[*Exhortatio ad strenuitatem, 1. etiam Rythmis instituta, 2. Videns à captivare se quærentibus conservandus, 3, Ad Principem vocandus, 6. Ab Adjuncto breviculas accipit literas.*]

M*Anè à precibus capit Dominus de variis suis mysteriis loqvi, qvàm nihil sit ignotum illi, qvod qvis unqvam facit, facit, facietqve, seu ultrò, seu coactus: me qvoqve admonens, ut in opere essem strenuus, nulla humana respectans judicia.* 2 *Tum capit loqvi rythmicè his verbis (qva ad literam Latinè reddita non sonant rythmicè :)*

Majestas mea gloriosa non potest comprehendi
à Vobis, ô homines, tam leviter, sine impenso labore multo.

Super terram nihil est tam facile, qvod vobis sit factu possibile,
Anteqvam auxilium meum subveniat, tempúsqve destinatum adsit.
Omnis res habet suum tempus, & absconditos à vobis terminos.
Credentibus omnia sunt possibilia, tametsi non obveniant citra laborem
Labora igitur tu cum aliis per fidem tibi junctis,
Non feretis opprobrium, aut operæ frustrationem.
Asseqvetur vos illa mirabilis à me vobis destinata
Benedictio, pro multis mihi charis hominibus
egenis meis Cultoribus fidelibus, huc illuc dispersis,
Qvi me vobiscum laudabunt, in æternum celebrabunt.

3 *Hæc ego cùm consignassem, cecini Psalmum 103: rursumqve indormiens, vidi adventantes qvi me captivare volebant.* 4 *Sed adstans mihi Vir gravis responsabat pro me, & illi diffugerunt ad sermonem ejus, nihil qvidqvam eorum qvoqvam respondente: Vir autem ille imposuit capiti meo pileolum.* 5 *Cùm hæc transiissent, ego autem repletus timore orarem, dixit Dominus:* Ne timeas! Qværent qvidem prehendere te, sed ego protegam te, illi verò dispergentur. 6 Princeps te reqviret, adibis eum, & excipieris grate: sed cautus esto, etiam in potu. 7 Adjunctus afficitur variâ ægritudine: scribet tamen solabilia paucis verbis. [*Ita fuit, breviculas accepi, de Polonia majore Rege Sveciæ sese dedente.*] 8 *Tu vigila! & ora! non derelinqveris.*

REV. CCCXXIII. Julii 31.

[*Olim & nuper denuntiata in Meretricem Bab. implentur,* 1. *tametsi humana ratio perplexetur, intricetqve Regem Sveciæ etiam,* 3. *Machina Dei jam in Meretricem obversa,* 7. *Populorum à tergiversando dehortationes,* 8, *&c*]

A *Precibus meis solatus me Dominus, dixit:* Fidelis esto, & ne timeto, serve mi: Sermones mei cœlô & terrâ stabiliores sunt. 2 Nam qvod inter orandum modò in memoriam revocabas tibi, me Danieli, Johanni, Paulo, Petro, suggessisse, qvomodo annuntiarent Opus meum, qvod ego per te qvoqve annuntio terræ Nationibus, scias omnia illa esse coram me. 3 Mitte igitur angi! attingere suum finem necesse habet qvæqve res sub cœlo: qvomodocunqve perplexetur humana ratio, perplexareqve Regem etiam Sveciæ qverant, obstruendo foramina, ut ne afflet Bestiam ventus iræ meæ. 4 Sed qvibus (materiis) ea obstruunt? Fæno, stramine, paleis, qvæ exurentur. 5 Ego autem propellam diluvium iræ meæ, ut Bestia super qvam meretrix sedet corruat: sicut & jam corruit. 6 Qvæ super bestiam sedens Meretrix dixit, *Luctum non videbo*: sed ecce jam se in terra sedentem videt, impulsam ad ruinam! 7 Machinæ murales tormentorum meorum in illam conversæ jam sunt, ad disjiciendum eam cum vana Religione sua. 8 Sermones mei ea de re magis magisqve se dilatant passim: sed humanæ Rationi qviddam adhuc deest, præ metu alii

alii aliorum. 9 Princeps qvoqve tergiversatur incipere: sed urgebo illum vocibus Venatorum meorum, ut ne ampliùs tardet. 10 O perplexatores filii hominum, cur non facitis qvod mando? 11 Incipite jam tandem sic agere, prout ego ipse jam his annis mandavi! & videbitis procedere judicia mea: qvæ Ego intendo, non Vos, vestrûm tamen omnium bonô. 12 Vestri enim causâ nunc etiam clamo, & tanqvam Leo rugio prædam salutis vestræ, qvi me nondum nostis, neqve illam qvid sit scitis: 13 Vanitate tantùm sustentati humanarum doctrinarum paleis pascimini, non autem granô tritici, cujus filii mei etiam pro vobis famelicis & sitibundis abundè habent, ex largitione mea. 14 Satis nunc! surge, scribe, labora, domô rarentur exi! 15 *Et cogitabam, Num ista mihi consignanda essent cretâ primùm? Dominus autem:* Nihil opus, suggeram tibi omnia. 16 *Scripsi ergò, lacrymis tingens tam consolabiles Dei sermones*, cantansqve, *Eja esurientes & sitientes* &c. (Hymnus est de Eucharistia.)

REV. CCCXXIV. 4 Aug.

[*Visio dispersi à seipso in Polonia Exercitûs*, 1, 13. *Hungaria dissidiis fervens*, 4. *à Legato Svedico lumen accipiet*. 6. *Serpentinis consiliis occlusa fores*, 7. *Vindictam clamant omnia*, 6. *Sagittas Dei amoliri impossibile*, 11. *Videns de restitutione sui ad munus Ecclesiasticum monetur*, 14.]

S*Ingularem habui Visionem Exercitûs à seipso discedentis, Curruúmqve onustorum hinc inde transmeantium: qvibus intereqvitabam ipse, eqvo insidens rufo.* 2 *Recogitanti hac mihi, qvid sibi vellent, dixit Dominus:* Ita fit in Polonia, patentes ea de re afferentur literæ, admirationi omnium. 3 Princeps epistolam tuam Consiliariis suis dedit trutinandam, qvi humi considerunt cum ratiociniis suis; tu confide, non desereris. 4 Terra hæc fervebit in olla judiciorum meorum, etiam discordiis, qvarum omnia sunt plena. 5 Tu fidelis esto mihi: Ego agam causam meam in Nationibus terræ. 6 Principissa lumen accipiet à Legato Svedico, sicut & Princeps: fietqve ut clangor tubarum Exercitûs ejus personet usqve in Occidentem, sicut jam insonuit Septentrionalis Visci usqve in Austrum. 7 Ah qvàm se sinuant, serpentum instar, ratiociniis suis & consiliis suis, isti fulcimenta conqvirentes Bestiæ, ut ne ruat! 8 Sed ego illis occlusi fores, injecto unicuiqve in Domum dominationis eorum lapide, ut nec sciant nec possint invenire consilium, sibi vel aliis. 9 Qvia jam omnia vindictam clamant, ut blasphematoribus illis meis locus non relinqvatur super terram. 10 Ecce tempus piscandi Gentes advenit! ô vellent tantùm juxta consilium judiciorum & mandatorum meorum inceptare! evenient omnia, prout os meum, olim & nuper, enuntiavit. 11 Arcum enim meum tensum, & impositas sagittas, vident multi: potentiam verò eas sistendi nec habent nec habebunt Tyranni isti, sine me regnantes super terram. 12 Tu exspecta solatia mea, domi te continens. 13 Adjunctus jam docebit Tympanorum strepitum, & Tubarum clangorem, volventium sese Exercituum: sed qvalem inventuri sint resistentiam & eventum, nondum ille plenè intelligit, donec videbit. 14 Admone-

monebit ille charitatis mutuæ, & precum, & patientiæ, etiam tua in causa: qvam tu tamen ipse agere incipe, sicuti cogitasti, & scribe ad Seniores, hodie statim, tempus est. 15 Surge, & hæc scribe! *Surrexi ergò. & decantavi Psal.* 118.

[NB. *ad v.* 2.) Venerunt ab Adjuncto, 6. Augusti, nuntiantes Exercitûs Majoris Poloniæ dissipationem, post factam Regi Sveciæ 25 Julii deditionem. *Ad v.* 6. Factum erat adventu Patakinum Legati Svedici.]

REV. CCCXXV. Aug. 9.

[*Judicia Dei tempore suo non deerrant,* 1. *Criminatoribus Dei balneum paratum,* 4. *Dolor Dei de impœnitentia hominum,* 6. *Vulganda hæc typis illicò,* 7. (*ut evigilet Mundus,* 8) *& qvidem omnia,* 10. *&c.*]

D*iluculò, à peractis precibus alloqvutus me Dominus, dixit:* Confide! Ostendi jam in Polonia, judicia mea non deerrare tempore suô. 2 Nam qvis est qvi avertat manum meam, dummodò tempora asseqvuntur terminos suos? 3 Cœlum & terra testes horum erunt, desiderantes vobiscum spectare exitum criminatorum meorum, adversariorum autem vestrorum. 4 Qvibus Balneum paratum est, temporarium hîc, æternum autem illîc, nisi resipuerint, hi & alii spiritum gratiæ, Spiritum sanctum, contumeliâ afficientes. 5 Cum illis etiam, qvi vobiscum Cultoribus meis confiteri nolunt me Unum in Patre, cum virtute Spiritûs omnes vos inhabitantis, propter me qvi à Patre illum merui vobis, anteqvam essetis etiam. 6 Ideò dolor invasit me, & Patrem meum, qvòd nolitis, adeóqve jam neqveatis, seductionem vestram intelligere vos blasphemi, Iudæi, Turcæ, Ariani, Idololatræ! qvos tolerari diutiùs in terra nolo, inter vos Cultores meos. 7 Scribe igitur, & perscribe hæc vasi meo, Adjuncto tuo, ut illicò, illicò, typis vulget Sermones hosce meos, dudum & modò per te prolatos, neminem mortalium ampliùs respectando! 8 Si fortè sic etiam pavefacti judicia iræ meæ, persentiscant vim lucis à Me vobis datæ, errantes illi, Reges & Principes, cum Reginis & Sacerdotibus, totóqve il[illegible] Populo cæco, qvos seducebant &[illegible] cunt. 9 Ignorantes qvòd ab[illegible] ira mea aperuit fauces suas; [illegible] non eximent, nisi hîc resipu[illegible] ternum. 10 Scribe hoc etia[illegible] omnia, qvæ tibi per hæc tem[illegible] tus sum. 11 Nam ad qvid [illegible] meus & tuus, si taceas tu? & [illegible] voce meâ non auditâ & agnit[illegible] igne iræ meæ liberati, manean[illegible] tio? 12 Qvoniam eorum ca[illegible] Testes mei hæc vobis à Me revelata [illegible] buistis, & habetis? 13 Implete igitur aures, ut audiendo intelligant; & oculos, ut videndo videant, vestra & sua, hujus & futuri seculi, solatia! 14 Ut vel tandem impleatur qvod in Evangelio dixi: Compelle intrare longinqvos illos, ut fiant propinqvi mihi fonti Vitæ! 15 *Qvibus ego auditis, & cretâ primùm exceptus, cecini hymnum Ecclesiasticum, Auxiliare nobis angustam per viam &c.*

[*v.* 7. Illicò, illicò) Non obsecundavit mandato huic, hominum metu: non effugit itaqve castigationem, de qva infra.]

REV. CCCXXVI. Aug. 11.

[*De Vienna capienda, 1, 9. Consiliarii Austriaci confusi, 11, 12. Exhortatio Regum adversus Idololatras, 15: & Gentium ad subdendum se Regi Christo, 18. Molitores Dei molunt jam, 22. Orandum pro invicem, 24. Cœli & Terra gemunt, qvòd ingratis serviant, 27. Vespera Mundi appropinqvat, 29. Rex Poloniæ in angustiis, 32.*]

V*Isus mihi fui festinare ab Urbe, ad quam ex parte opposita Exercitus cum tumultu & tubarum clangore adventabat.* 2 *Et veni aliam in Civitatem magnam, ubi homines metu ac trepidatione huc illuc cursabant: quos consolatum ibam.* 3 *Mox afferebantur epistola pacem nunciantes, tradebanturque mibi legenda: quod non illubens feci.* 4 *Ut evigilavi, dixit Dominus:* Literæ [illegible]ent solabiles, tantùm esto fidelis, [illegible] attende ut facias voluntatem [illegible] unde pateat te esse servum [illegible] Vide ut hodie nihil edas, va[illegible] cum orationibus & eleemo[illegible]itas enim mea volvit se su[illegible] hanc, qvam inhabitas. [illegible] literæ & voces, qvas mi[illegible] conclusum jam est cum Prin[illegible] exuat calceamenta inobedien[illegible] Nam severè scribet Habitato[illegible] terræ, perfidè cum Ipso & Patria [illegible]ntibus, eòqve à nonnullis excipietur impatienter, sed non erunt resistendo. 8 Nam mox inseqvetur Exercitus cum tubarum clangore ad transitus, ubi exspectabunt Exercitum Svecicum. 9 Qvibus juncti volvent se diluvii instar ad Viennam, qvam & intrabunt, totô inspectante Mundô: qvô & tu ibis, sicuti per somnium tibi Civitatem illam ostendi. 10 Satis jam diu Viennenses metu oppleti exspectabant qvid futurum esset: sed hærebant in igne diffidentiæ, vanarúmqve pollicitationum Domûs Austriacæ: 11 Cujus Consiliarii jam nec possunt nec sciunt dare consilia: tantùm id inter se, & aliis, *Malè, malè,* mussitantes. 12 Ecce arma illorum erunt *Fugere!* & robur illorum *Lamentari!* qvod nemo ab illis auferet in æternum: 13 Qvia armatura mea successit: & venatores mei pasti sunt scientiâ obedientiæ Legis meæ, qvam non noverunt, neqve nosse aut legere voluerunt, abominabiles idololatræ. 14 Severè illos infestate, sicut illi vos infestarunt severè: neqve date reqviem manibus vestris, donec exseqvamini & eos deleatis de terra. 15 Satis clarè vobis manifestavi, olim, & jam, ô Reges, Principes, Domini, qvæ sit voluntas mea. 16 Væ vobis, si non obedieritis mihi: qvia nullum aliud superest tempus, nec aliud exspectate commodius, qvamdiu mundus stabit. 17 Stabit autem aliqvantisper etiam, non vestri causâ qvi novistis me, sed eorum qvi credere debent in me, qvi solus sum Rex Regum, & Dominus Dominorum, IESUS filius Dei Altissimi. 18 Cui vos nondum in eum credentes subdite colla vestra, tollentes jugum ejus super vos, & reddentes pro dilectione dilectionem erga gentes meas in Christianitate: 19 qvæ vobis me ignorantibus meo ductu consilium, pretiosumqve Lucis donum, qvâ eos vestri etiam causâ illustravi, impertient. 20 Et introducemini in Domum Dei, meam Dei viventis, hîc Ecclesiam ibi Cœlos. 21 Zelo etiam su-

monebit ille charitatis mutuæ, & precum, & patientiæ, etiam tua in causa: qvam tu tamen ipse agere incipe, sicuti cogitasti, & scribe ad Seniores, hodie statim, tempus est. 15 Surge, & hæc scribe! *surrexi ergò, & decantavi Psal.* 118.

[NB. *ad v.* 2.) Venerunt ab Adjuncto, 6. Augusti, nuntiantes Exercitûs Majoris Poloniæ dissipationem, post factam Regi Sveciæ 25 Julii deditionem. *Ad v.* 6. Factum erat adventu Patakinum Legati Svedici.]

REV. CCCXXV. Aug. 9.

[*Judicia Dei tempore suo non deerrant,* 1. *Criminatoribus Dei balneum paratum,* 4. *Dolor Dei de impœnitentia hominum,* 6. *Vulganda hæc typis illicò,* 7. (*ut evigilet Mundus,* 8) *& qvidem omnia,* 10. *&c.*]

D*iluculò, à peractis precibus alloqvutus me Dominus, dixit:* Confide! Ostendi jam in Polonia, judicia mea non deerrare tempore suô. 2 Nam qvis est qvi avertat manum meam, dummodò tempora asseqvuntur terminos suos? 3 Cœlum & terra testes horum erunt, desiderantes vobiscum spectare exitum criminatorum meorum, adversariorum autem vestrorum. 4 Qvibus Balneum paratum est, temporarium hîc, æternum autem illîc, nisi resipuerint, hi & alii spiritum gratiæ, Spiritum sanctum, contumeliâ afficientes. 5 Cum illis etiam, qvi vobiscum Cultoribus meis confiteri nolunt me Unum in Patre, cum virtute Spiritûs omnes vos inhabitantis, propter me qvi à Patre illum merui vobis, anteqvam essetis etiam. 6 Ideò dolor invasit me, & Patrem meum, qvòd nolitis, adeóqve jam neqveatis, seductionem vestram intelligere vos blasphemi, Iudæi, Turcæ, Ariani, Idololatræ! qvos tolerari diutiùs in terra nolo, inter vos Cultores meos. 7 Scribe igitur, & perscribe hæc vasi meo, Adjuncto tuo, ut illicò, illicò, typis vulget Sermones hosce meos, dudum & modò per te prolatos, neminem mortalium ampliùs respectando! 8 Si fortè sic etiam pavefacti judicia iræ meæ, persentiscant vim lucis à Me vobis datæ, errantes illi, Reges & Principes, cum Reginis & Sacerdotibus, totóqve illo Populo cæco, qvos seducebant & seducunt. 9 Ignorantes qvòd abyssus ab ira mea aperuit fauces suas: qvibus se non eximent, nisi hîc resipuerint, in æternum. 10 Scribe hoc etiam! & scribe omnia, qvæ tibi per hæc tempora loqvutus sum. 11 Nam ad qvid esset labor meus & tuus, si taceas tu? & vincti mei, voce meâ non auditâ & agnitâ, nec ex igne iræ meæ liberati, maneant in silentio? 12 Qvoniam eorum causâ vos Testes mei hæc vobis à Me revelata habuistis, & habetis? 13 Implete igitur aures, ut audiendo intelligant; & oculos, ut videndo videant, vestra & sua, hujus & futuri seculi, solatia! 14 Ut vel tandem impleatur qvod in Evangelio dixi: Compelle intrare longinqvos illos, ut fiant propinqvi mihi fonti Vitæ! 15 *Qvibus ego auditis, & cretâ primùm exceptis, cecini hymnum Ecclesiasticum, Auxiliare nobis angustam per viam &c.*

[*v.* 7. Illicò, illicò) Non obsecundavit mandato huic, hominum metu: non effugit itaqve castigationem, de qva infra.]

REV. CCCXXVI. Aug. 11.

[*De Vienna capienda*, 1, 9. *Conſiliarii Auſtriaci confuſi*, 11, 12. *Exhortatio Regum adverſus Idololatras*, 15: *& Gentium ad ſubdendum ſe Regi Chriſto*, 18. *Molitores Dei molunt jam*, 22. *Orandum pro invicem*, 24. *Cœli & Terra gemunt, qvòd ingratis ſerviant*, 27. *Veſpera Mundi appropinqvat*, 29. *Rex Poloniæ in anguſtiis*, 32.]

V*Iſus mihi fui feſtinare ab Urbe, ad quam*
ex parte oppoſita Exercitus cum tumul-
tu & tubarum clangore adventabat. 2 *Et*
veni aliam in Civitatem magnam, ubi homi-
nes metu ac trepidatione huc illuc curſabant:
quos conſolatum ibam. 3 *Mox affereban-*
tur epiſtolæ pacem nunciantes, tradebantur-
qve mihi legendæ: quod non illubens feci.
4 *Ut evigilavi, dixit Dominus:* Literæ
venient ſolabiles, tantùm eſto fidelis,
& tibi attende ut facias voluntatem
meam, unde pateat te eſſe ſervum
meum. 5 Vide ut hodie nihil edas, va-
ca jejunio cum orationibus & eleemo-
ſynis: ſeveritas enim mea volvit ſe ſu-
per Terram hanc, qvam inhabitas.
6 Venient literæ & voces, qvas mi-
raberis: concluſum jam eſt cum Prin-
cipe, ut exuat calceamenta inobedien-
tiæ. 7 Nam ſeverè ſcribet Habitato-
ribus Terræ, perfidè cum Ipſo & Patria
agentibus, eóqve à nonnullis excipie-
tur impatienter, ſed non erunt reſiſten-
do. 8 Nam mox inſeqvetur Exercitus
cum tubarum clangore ad tranſitus, ubi
exſpectabunt Exercitum Svecicum. 9
Qvibus juncti volvent ſe diluvii inſtar
ad Viennam, qvam & intrabunt, to-
tô inſpectante Mundô: qvô & tu ibis,
ſicuti per ſomnium tibi Civitatem illam
oſtendi. 10 Satis jam diu Viennen-
ſes metu oppleti exſpectabant qvid fu-
turum eſſet: ſed hærebant in igne dif-
fidentiæ, vanarúmqve pollicitationum
Domûs Auſtriacæ: 11 Cujus Conſi-
liarii jam nec poſſunt nec ſciunt dare
conſilia: tantùm id inter ſe, & aliis,
Malè, malè, muſſitantes. 12 Ecce arma
illorum erunt *Fugere!* & robur illorum
Lamentari! qvod nemo ab illis auferet
in æternum: 13 Qvia armatura mea
ſucceſſit: & venatores mei paſti ſunt
ſcientiâ obedientiæ Legis meæ, qvam
non noverunt, neqve noſſe aut legere
voluerunt, abominabiles idololatræ.
14 Severè illos infeſtate, ſicut illi vos
infeſtarunt ſeverè: neqve date reqviem
manibus veſtris, donec exſeqvamini
& eos deleatis de terra. 15 Satis clarè
vobis manifeſtavi, olim, & jam, ô Re-
ges, Principes, Domini, qvæ ſit voluntas
mea. 16 Væ vobis, ſi non obedieritis
mihi: qvia nullum aliud ſupereſt tem-
pus, nec aliud exſpectate commodius,
qvamdiu mundus ſtabit. 17 Stabit au-
tem aliqvantiſper etiam, non veſtri cau-
ſâ qvi noviſtis me, ſed eorum qvi crede-
re debent in me, qvi ſolus ſum Rex Re-
gum, & Dominus Dominorum, IESUS
filius Dei Altiſſimi. 18 Cui vos non-
dum in eum credentes ſubdite colla ve-
ſtra, tollentes jugum ejus ſuper vos, &
reddentes pro dilectione dilectionem er-
ga gentes meas in Chriſtianitate: 19
qvæ vobis me ignorantibus meo ductu
conſilium, pretioſumqve Lucis donum,
qvâ eos veſtri etiam cauſâ illuſtravi, im-
pertient. 20 Et introducemini in Do-
mum Dei, meam Dei viventis, hîc Ec-
cleſiam ibi Cœlos. 21 Zelo etiam ſu-

per tuam, & vestram, oblivionem sermonum meorum, qvi vobis ut ros citò mente excidunt: magis memores estote, & sermonibus meis fidentiores. 22 Ecce deduxi ego rivos ad molas, ut molant jam Molitores mei! molentqve farinam salubris frumenti, non autem zizania grani nauci, qvô spiritus maligni illius consevit magnam Mundi partem, effarciens multos tantùm paleâ. 23 Qvibus paleis pasti hominum filii moriebantur, destituti aqvis vitæ spiritûs gratiæ, sine usu ætatem transigentes super terram, ventris tantùm pastu. 24 Et non habentes in se ignem dilectionis meæ, nec pro se, nec pro aliis in spiritu & veritate orabant: sicut ego pro vobis orabam Patrem spirituum, & oro adhuc in Cœlis exsistent pro vobis, ô Homines! 25 Sciens non esse in potestate vestra tempora, vias, & gressus vestros, sed in potestate solius Dei, Patris mei & vestri. 26 Qvem tametsi nominetis multi Deum vestrum: qvid tamen id est, qvùm eum non colatis plenô voluntatis ejus obseqviô? tantummodò persentiscitis intra vos qviddam, colendum illum & laudandum esse. 27 Ecce admiratione magnâ mirantur Cœlum & Terra, qvod vestrûm multis, eheu multis, frustra serviunt: jubente me id, non vestri causâ (multi enim digni non estis) sed meâ ipsius causâ, qvem Pater donum dedit vobis, idqve gratis: 28 Non tantùm Judæis, nationi meæ, ex qva ortus sum secundùm carnem, sed & vobis Gentes, si tantùm id agnoscere possitis ac velitis jam tandem sub Mundi finem. 29 Ubi non diu jam eritis, qvia vespera appropinqvat, ut reqviescat post labores suos universa Creatura mea sub Sole: Vanitati enim subjecta gemit. 30 Gemite verò etiam vos servi & cultores mei fideles! obmutescere sic facientes imprudentium hominum ignorantiam, vos propter me odio habentium. 31 Sed non confundet vos spes vestra: nec te, si mihi fidus perstiteris. 32 Poloniæ Rex in angustiis est: acerba experietur desertus à suis, consiliariis & proditoribus. 33 *Qvibus agerrimè exaratis cantabam Psalmum* 149.

REV. CCCXXVII. 12 Aug.

[*Diluvium aqvarum transit*, 1, 2. *Mola Septentrionalis molere incipit, alia demùm parantur*, 3. *Mercium lucrosa venditio* (7) *de liberanda ab hostibus Ecclesia exponitur*, 10]

R*Edormivi à precibus matutinis, & vidi me cum non multis Navigiò vehi, qvod fluctibus jactatum à prora mergi cœpit: Nauta verò à tergo mihi stans metuere prohibebat.* 2 *Et mox vidi me in arida, & in monte qvodam: aqva autem illa decurrerunt velociter.* 3 *Ego verò stans in monte vidi* Molas duas: alteram ad Septentrionem, jam molentem; alteram ad Meridiem, sed cujus Rotas demùm fabricabant, & componebant, respectantes Orientem & festinantes, ut citò qvoqve molere possent. 4 *Reversus ad me orabam, qvid illud esset expendens.* 5 *Et longam post moram Dominus ad me:* Perficio ego jam, & perficiam, qvæ loqvutus sum! Jam molitur, & moli necesse habet, Opus meum in facie Terræ. 6 Diu satis annuntiabam id, olim & jam, ut extra culpam sim apud Mundum, vanásqve cogitationes ejus. 7 *Ubi momenti*

mentò abreptus indormivi: & vidi Civitatem quadratam, in cujus parte Mercatorum erant Tabernæ pulchrè dispositæ, quarum merces publicò lucrò vendebantur, cujus etiam pars dabatur mihi. 8 *Erat verò præsens Mater qvoqve mea, gaudens; & dabat mihi candidissimum panem, qvem ego acceptans lacrymis rigabam, præ gaudio.* 9 *Expergefacto in mentem veniebat hæreditas mea, adhuc in patria hærens: orabamqve, ut mihi aliisqve felicem reditum videre daret Deus, cantans (ex Psal. 79. v. 9.)* Auxiliare nobis Deus salutis nostræ, *&c.* 10 *Ad qvæ, aliqvantò post, Dominus:* Bono es animo! novum accipies robur ex iis qvæ venient Skaliciâ. 11 Flatus enim Exercituum meorum ardebit ut inexstingvibilis flamma adversus errones istos, me solum Salvatorem agnoscere reluctantes. 12 Vigila & ora: nam brevi veniet contestatio veritatis sermonum & promissorum meorum. *Et cecini Psalmum* 130.

[Fuit autem postridie, ut ab Antistite Chodnicio Biblicus codex majori typo, mihi seni usui futurus veniret Skaliciâ missus. Cum relatione qvomodo Trebicii ventô dejectum Turris fastigium, inclusum æneo globo detexisset exemplar Confessionis Ecclesiarum nostrarum, typis Latinis Wittebergæ excusum. Et de Bellorum apparatu &c.]

REV. CCCXXVIII. 17 August.

[*Conspectus Angeli,* 1, 5. *Invidi non curandi,* 2, 3. *Videnti relectio harum Revelationum mandatur,* 4. *Senex & juvenis conspectus,* 6. *Operarii Dei jam inchoant,* 8.]

M*Ane à precibus vidi ad fenestram stantem personam albè indutam, à cujus conspectu metus me invasit.* 2 *Mox aderat dilectus mihi adjunctus, cum aliis suffragia ad charitatem exhortatoria ferentibus, & mihi offerentibus dona, sed qvasi furtim, qvia aderant invidentes mihi: Adjunctus autem dixit,* Nihil hos cura. 3 *Et Dominus, cœlestis Pater meus, addidit:* Abundè veniet benedictio mea, nihil morare invidos: ubiqve vos præit tolerantia vestri mea, mihi fidentium. 4 Tu lege Sermones meos, ut rationem reddas exqvirentibus in eos, & in ea qvæ futura sunt. 5 Qvem alba veste vidisti, Angelus meus fuit: qvem tu plenè non videbis nisi tùm, cùm & me videbis. 6 *Mox obtulit se conspectui meo primùm vir senex, veneranda facie; tum juvenis, decora facie & veste: qvos intuitus & gavisus sum & flevi, cantans Psalmum* 115: Non nobis Domine, non nobis, da honorem *&c.* 7 *Ut cessavi dixit Dominus:* Fac voluntatem meam; venient solatia tua. 8 Jam etenim Operarii mei operantur, ad Septentrionem & Occasum: operabuntúrqve ad Ortum qvoqve, cùm discussero vacillantiam animorum Consiliariorum Principis Transylvaniæ, per legatos ad eum emissos, &c.

REV. CCCXXIX. 16 Aug.

[*Visio Mercatorum duplicium,* 1, *& frumenti obtecti,* 2, 3. *De Anglis & Cromwellio notabilia,* 4, 5, 6, 12, 13. *Gentes se ad opus Dei cohortantur,* 7. *Revelationum lectio,* 8, 9. *Polonia,* 9, 11. *Helvetii,* 14. *Transylvanus triumphavit de VValacho, triumphabit & de Cæsare,*

sare, 15, 16. Domus Austriaca ruet: Gentium bonô, 17, 18. Polonorum multi ob insidiam morte mulctandi, 22.]

D*Iluculò, ostendit mihi Dominus Civitatem, ubi Mercatores divenditis jam mercibus vacuas ostentabant Tabernas: alii verò merces suas exponebant demùm, inter qvos erant Judæi.* 2 *Vidi & frumenti acervos: qvorum unus erat obtectus, ut qvid subesset videre non possem.* 3 *Et Dominus:* Obtegunt à te qvæ Princeps mandavit, occultare autem non poterunt qvum tempus venerit. 4 *Mihi autem in mentem veniebat Anglorum: mirabarqve intra meipsum, Nihil hactenus de illis loqvutum fuisse Dominum.* 5 *Ubi mox Dominus:* Cromwell, vir sangvinis, effudit sangvinem Regis, qvod non debuit, sed constringere illum carcere. 6 Qvòd autem illi benedicat Dextera mea inde est, qvia compensat ille zelô pro aperienda Gentibus via ad cognoscendum me ubiqve: ecce ideò magnificabo illum, & cooperatores ejus! 7 Tu ne cogites qvidqvam aliter futurum, atqve loqvutus ego sum pridem: jam enim alii alios manibus prehendunt (*dicentes*) Eamus, operemur opus diebus nostris, donec hodie cognominatur. 8 Tu autem relege Sermones meos tibi pridem factos: *Et cecini ex Psal.* 119. *v.* 169. Appropinqvet deprecatio mea in conspectum tuum, juxta eloqvium tuum da mihi intellectum. 9 Cœpi etiam legere: admiratusqve Dei veracitatem orare, ut cœpto in Polonia Operi suo benedicere velit, Adjunctus verò transmissa ut rectè accipiat. 10 *Et Dominus:* Fiet! etiam dilectio æterna inter illum & te stabilietur, nemo illam evertet. 11 Polonorum multi intellectô opere qvod tu cum illo agis, etiam erga te exardescent amore; ut magis ægrè sit obtrectatoribus tuis. 12 *His dictis, ostendit mihi Dominus facies humanas, senum juvenúmqve, venustô aspectu, & dixit:* Hi sunt Angli, qvibus profundè jam inhæserunt sermones mei. 13 Magni illi faciunt edictum meum, de colligendis ad me ignorantibus me. 14 Qvibus consentiunt Basileenses & Genevenses, subdentes jam rationem fidei, exspectantes initium Operis mei, staminis ad texendum jam parati. 15 Transylvaniæ Princeps obstringit sibi fidem Consiliariorum suorum: nam terror jam invadit adversantes illi. 16 Ignominiâ ille multavit Walachiæ Waywodam hostem suum, jam vinculis suis constrictum: multabit & illum qvi sedet ac dormit, ignorans qvid sibi fiat, donec in laqveum meum incidet. 17 Una dies hæc illi ostendet, qvâ ille Dominationis Austriacæ ostium claudet, juxta dudum prolatos sermones meos: qvod ut fieri posset Mundus cogitare non potuit. 18 Fiet autem gentium bonô, cùm Bestiæ potentia fuerit collapsa. 19 Tu aliter ne cogitaveris, qvàm causam meam procedere, & processuram: brevi ab Adjuncto expecta informationem, qvi gaudet videns consilia decreti mei progredi, etiam in Occidente. 20 *Et cœpi cogitare, Annchus scribendus essent? Dominus autem,* Scribe mox, vigila, ora: Scientiam operis mei admirandam videbis brevi. 21 *Et ostendit mihi faciem Antiqvi dierum, multa recensens facta ab origine Mundi: & qvæ futura sunt modò.* 22 Etiam qvomodo Polonorum qvidam falsitatis convicti

tis convicti, cæde afficientur: et qvòd super Cæsarem centumpondia terrorum jam cadent. 23 Principem jam consultare, qvomodo velociter volet: *& me non desertum iri, visurum ea oculis.* 34 *Invocabam igitur nomen Dei, decantatô* 43 *Psalmo.*

REV. CCCXXX. 18. August.

[*Idololatris non proderit Sanctorum invocatio, 2, 3. Transylvani res in melius se disponunt, 4, 5, 6. Deus causam suam contra deastros agit, & peraget, 7, 11. Mandatum testibus Dei 12. Expostulatio Dei cum Gentibus incredulis, 14, 23. cum invitatione ad Regenerationem, 24, 25. Legatus Suec. ad Transylv. 18. Moguntinus dejiciendus, à qvo & ob qvid. 31.*]

I*Terum factum est ad me verbum Domini, à peractis pomeridianis precibus, dicens:* 2 Jam descendi ex alto, & potentia mea mecum! jam eduxi fumum, & emisi acutas sagittas meas super Idololatras! jam consternatio tanqvam ab igne cœlitùs lapso corripit Gentes! 3 Nam Idololatræ nihil sibi clamores suos ad demortuos sanctos & sanctas prodesse vident, sicuti diebus Eliæ non profuerunt. 4 Princeps exuit calceamentum inobedientiæ, & excrescent illi pennæ Aqvilæ sublimè volantis, super omnes hâc in Gente, & inter Transylvaniæ Principes. 5 Bonum enim illi erit seqvi vocem meam, & illorum qvi meâ causâ exaltare illum qværunt. 6 Jámqve applaudere incipiunt etiam qvi consilia subtrahebant antea sua, videntes me diffringere consilia hostium meorum, & vestrorum. 7 Confringámqve penitùs, cùm peregero causam meam contra deos alienos, qvos amplius non tolerabo, neqve arma qvibus occidebant animas cæci illorum duces. 8 Exustus est ad fundum usqve ardor vindictam clamans fidelium Cultorum meorum: impletúmqve est tempus errantibus, reducendi eos in viam pacis: 9 qvâ destitutæ adhuc sunt Gentes belligerantes contrà me, & vim inferentes naturali etiam lumini, à me Creatore jam in ipsa creatione sibi collato. 10 Sed ecce marcescunt, & jam marcuerunt, columina idololatrarum! & eorum qvi blasphemabant me in terræ nationibus, sic agentes tanqvam nullus ego jam essem, Deus vivens. 11 Nam cùm ego tempus exspectarem, illi cogitàrunt, Me non vivere: Rescient autem jam qvi sim ego qvem blasphemiis impetebant, cùm se & Idola sua sic videbunt subversos, ut cadant, neqve surgant in æternum. 12 Vos proinde Testes mei, qvi rectè me novistis, exhortamini altâ voce proclamantes: *DEUS NOSTER DEUS UNUS EST DEITATE, sed TRINUS PERSONIS:* 13 Habens potestatem super omnem spiritum doctrinæ adversantis Legi meæ, per Mosen, Prophetas, Me, & Apostolos, promulgatæ vobis, vobis ô Homines, in salutem. 14 Si qvis vestrûm qvidqvam qvod illi obloqvatur invenit, loqvamini dum dies Mundi stat. 15 Hôc cadente, & occumbente, qvis vos justificabit? qvum vos me ignorantes nec me habebitis nec Legem meam, sed mercedem tantùm malam pro malis vestris factis. 16 O homines, homines vani!

qvi me & virtutem meam ignorantes nihil in manu habetis, aut nostis, qvod defensioni contra me, & rigorem justitiæ meæ, serviat. 17 Nisi vobis meritum meum patrocinabitur, vos ipsi vos condemnabitis, si non me Dominum vestrum agnoveritis. 18 Non autem agnoscetis, nisi ego & Lex mea vobis dictaverimus: *Ad Legem igitur meam venite universi, qvi estis in universa Terra, ubicunqve habitantes!* 19 Nam tametsi æternùm sine me, & agnitione mei vera, vivatis, qvid lucri tamen vobis erit, si & Cœlum istud, & Terra hæc, vos accusabunt, frustra vobis serviisse? 20 Et qvid culpæ assignabitis mihi? Nisi hoc fortè qvòd vos in lucem produxerim. 21 At ideó ne ut moriamini? Absit: sed ut vivatis & vivatis qvidem in æternum. 22 Qvod vos dum intelligere non vultis, ipsum tempus, ipsum hîc vobis ad qværendam Mei & Vestri cognitionem à me vobis datum tempus, vos condemnabit. 23 Qvid autem insuper media, qvæ vobis, solô ergà vos amore ductus, ô errabundi & idolorum cultores, abundè offero? 24 Date, vel jam tandem date, honorem mihi Creatori, mihi Redemptori, mihi Sanctificatori! 25 Et ego regenerabo vos in spem vivam illius vitæ, qvæ perpetuabit in æternum, in gaudiis meis. 26 Tu autem expecta illa qvæ tibi nunciabuntur: & clama, ne cesses, tanqvam tuba, dum gratiæ dies est in medio ignis iræ meæ, adversus Nationes totius terræ, ut promtitudo tua erga illas in me nota fiat eis. 27 Surge, scribe. *Surgebam igitur, cantans Psalmum* 28 *(DEUS adstat in cœtu deorum.)* 28 *Dominus autem addidit*: Brevi de Principe audies! Currit enim celer à Sveco nuncius, ut Princeps festinet anteqvam se colligat Meridianus sol. 29 Non qvidem multum efficiet: nisi qvod Exercitu suô retardabit. 30 A te transmissa jam Princeps accepit, & miratur: & Consiliarii ejus prospicere incipiunt. 31 Moguntinus Elector dejicietur ab Occidentali visco: qvia Sabaudo lanienæ in Waldenses exercitæ svasor & adjutor fuit. 32 Tu ad functionem tuam redi, Sermones meos lege, non derelinqveris: veniet in lucem veracitas Sermonum meorum, invitis calumniatoribus tuis. 33 *Qvibus ego auditis, oravi cum fletu pro liberatione Ecclesiæ (hymno,* O Ecclesia Christiana, Christi Sponsa, non te Dominus tuus derelinqvet, tametsi perseqvutiones permittat, &c. itemqve Psalmo 85.)

REV. CCCXXXI. Aug. 22.

[*Somnium de Unitate Rerum*, 2, 3, 4. *resolvit se in Unitatem Gentium ad Opus Dei*, 21. *Hungariæ tardatrici pœna denuntiatur siccitas*, 5. *Exercitus belligerantium, Dei sunt*, 6. *Videns Transylvano datur Dux*, 8. *Christus videndum se exhibet ut olim*, 10, 11. *Tempora apocalyptica jam defluxerunt, alia non exspectanda*, 14. *Vespasianus*, 18. *Turca oris gladiô vincendus*, 18, 19. *Dux belli contra Bestiam Agnus*, 21, 22. *qvi adjunget Angelorum exercitum*, 30. *Valdensium nupera occisio occidet Papam*, 23, 27.]

A Noctis meridie secunda vidi admetientes pauperibus frumenta, qvasi Principissæ jussu. 2 *Mox ingressi Viri graves, veluti ad preces, commonstrabant me Principissæ: mihi*

mihi autem indicium dabant habendi sermonis. 3 *Cœpi itaqve loqvi*, De Unitate Divinitatis; & de Unitate operis Trinitatis Sanctæ; & de Unitate servorum Dei, cœlestium & terrestrium: qvàm decora & svavis sit illorum unanimitas, ad serviendum unô spiritu uni DEO, in Cœlis & in Terra. 4 *Qvod tantô zelo egi, & voce sonora, ut expergefactus demùm finirem: miratus intra me, & orans cantu Ecclesiasticô*, O delectabilis Trinitas imple corda nostra, *&c.* 5 *Ubi desii ego, cœpit Dominus*: Nuntia Principi & Principissæ, Vivo ego, ait Jehova, non fiuturum hâc in terra rorem aut pluviam, ante productum Exercitum ad vindictam super Viennam & Idololatras terræ hujus, pro contumelia qvam nomini meo exhibent Idololatræ. 6 *Adde loqvi Principi*: Exercitus tuus meus est, non tuus, qvibus vitam ego inspiro; & robur ac scientia illorum à me, & in me est, non in te, ô Rex: Ego voluntatem meam facientibus vitam dabo in perpetuum. 7 Tu mihi cum Illo fidus esto: accipies informationem à J. M. cui Princeps scribit manu sua, qvâ jam tenet Gladium justitiæ meæ, ad ulciscendum me de Idololatris interemtoribus animarum, hâc in terra & alibi. 8 Cum qvo ibis tu qvoqve: Tibi enim ideò vitam dedi, & hucusqve servavi, ut illius ducem tu agas. 9 Mednianium sibi in occursum vocabit Patakium: nam & Princeps mater comitari Illum cogitabit Posonium usqve. 10 *Hic ubi substitissem, ego verò hac in Tabula scripsissem creta, prodii, & sub dio stans oravi: regressurus autem domum vidi ad januam stantem personam, qvam exhorrui, intraréqve festinavi.* 11 *Simul verò ac me in lectulum reposui, dixit Dominus*: Ne pavesce, Me vidisti eâ formâ, qvâ me ante meum in carne adventum exhibere solebam Patriarchis, aliisqve dilectis majoribus meis, ex qvorum sangvine prodii. (12 *Qvibus ego auditis tanto fui perfusus gaudio, ut lacrymæ profluerent oculis, qvibus madefeci lectum meum.*) 13 Ne pavesce, meus es tu! Conclusit jam Princeps, & concludet cum Turca etiam, ut euntes perdant Bestiam: 14 qvia jam dies Danielis, tempus, tempora, & dimidium tempus, sicut & Johannis, *666*, defluxerunt: alia tempora nemo mihi & Legi meæ fidens ampliùs exspectet. 15 *Hic momentô, cum orare inciperem, indormivi: & ante me Adjunctum meum vidi, petentem ut scriptum ejus qvoddam inspicerem, & consilium darem, aut aliqvid inscriberem.* 16 *Qvod & feci, multisqve præsentibus palam scripsi: et simul & evigilavi.* 17 *Et Dominus*: Perditio Bestiæ jam procedet. 18 Vastabat Vespasianus Judæos, gentem in me contumeliosam: vastabit Turca populiqve Occidentales & Septentrionales Antichristum Occidentalem; Gladiô autem spiritûs Orientalem, non gladiô materiali, sed charitate ac luce legis meæ, sine sangvinis profusione: 19 Qvod Mundus non intellexit, nec illi ipsi: qvia sermones meos aut ignorârunt aut non intellexerunt, donec illis per te, & alios testes meos, remqve ipsam, detectum est mysterium voluntatis meæ. 20 Surge & scribe: exspectans de iis qvæ fiunt nuntium brevì, diffidens ne esto. 21 Jam ego in Dolium unanimitatis colligo Gentes, qvemadmodum pridem loqvutus sum, & illæ assument Turcam qvoqve: qvi tantam hanc Christianorum in opere hoc unanimitatem miratus

ſciſcitabitur, Qvisnam primarius belli hujus dux erit? 22 Sed honorem hunc dare cavete cuiqvam præter me Agnum, throno inſidentem. 23 Ecce, Meridionales tantùm adhuc deliberant, videntes occiſos, à Beſtia & Auſtriaca Domo, jacentes: 24 Qvibus dicite vos Septentrionales, Orientales, Occidentales: hanc occiſionem occidiſſe apud me gloriam & potentiam Papæ, & Auſtriacæ Domûs. 25 Qvos duos qvi metuebant antè, jam rident: videntes & intelligentes me confregiſſe robur brachii eorum, qvia decurrerunt tempora tyrannidis eorum, cum apertis ſeveræ juſtitiæ meæ faucibus. 26 Qvam juſtitiam meam ambo illi nihil reſpectare voluerunt: cogitantes et jactitantes, *ſuam eſſe Terram, Potentiamqve ſuam perennaturam.* 27 Nunc autem cùm palam fiet per Vos teſtes meos toti Europæ, utrumqve illum erraſſe, enormiter cogitaſſe & blaſphemaſſe; agnoſcent longinqvæ etiam Inſulæ ac Nationes, non cum iſtis eſſe veritatem meam, qvi eram, ſum, & ero in ſempiternum. 28 Satis jam patienter ſpectavit oculus meus contumelias & ludibria, mihi & vobis cultoribus meis exhibita. 29 Jam excidant illorum oculi, qvi noluerunt intueri Me, non in terra ſolùm, ſed in altiſſimis cœlis throno æternitatis inſidentem. 30 Unde auxiliabor vobis meis dilectis ac fidelibus Bellatoribus, cum qvibus Angelorum meorum Exercitus ibunt. 31 Tantummodò ut jam velociter agant: eorum cauſâ qvibus ſubveniri adhuc volo ante finem ſeculi jam abbreviati, ſub Mundi exitum. 32 Qvibus de rebus ſcribite, easqve enarrate, Nationibus & Populis me nondum agnoſcentibus, vos qvi noviſtis Me ſolum viventem, ab æterno in æternum manentem, potentiâ, judiciô, juſtitiâ erga bonos & malos immutabilem. 33 Sufficiat nunc: ſcribe hæc. 34 *Et ſcripſi: canens,* O Jeſu Chriſte fili matris caſtæ, *&c. itemqve Pſalmum* 14.

[Ad v. 7, 8, 9.) Cogitabat id fortè, ut hinc diſcimus: deinde tamen deſideriô Coronæ Poloniæ animum mutavit. Vide mox Rev. 335. v. 9. ad finem: & Rev. 336, &c.]

REV. CCCXXXII. 27. Auguſt.

[*De reductione Paſtorum in Eccleſias,* 1, 2. *modò omnia fiant ut mandat Deus,* 7, 8. *Prodigia reqvirentibus qvid reſpondendum,* 9-15. *Ut Eccleſia benè ſit Chriſtus duplicem vitam impendit,* 16. *Animæ reqvies in ſolo Deo,* 19. *ſed abnegantibus ſe ad plena obſeqvia,* 22. *Ad videntem & Adjunctum nova obteſtatio,* 26, 27. *Moderni Iannes & Iambres,* 28. *puniendi ut Datan, Abiron, Chore,* 30.]

VIſione matutinâ oſtendit mihi Dominus Evangelii Miniſtros, in Eccleſias introducendos. 2 *Qvorum uni dabam Annulum majori gemmâ inſignem: omnibus autem prælegebam (mandante Adjunctô meô) Officia functionis ſuæ: qvod alii gratè excipiebant, alii minus.* 3 *Horum ſenſum recogitanti mihi dixit Dominus:* Surge, ſcribe, para in Poloniam mittenda, qvæcunqve (bis diebus) os meum loqvutum eſt: ſolatia tua tibi venient. 4 *Et cecini Pſalmum* 116. *lectulôqve relictô, & codice Biblicô ſumtô legi Numerorum Caput* XVI, *& Ioſuæ* XIII. 5 *A meridie verò langveſ-*

cens

cens (erat mihi dies jejunii) reposui me, & oravi, redormire sperans: & mox vidi faciem Antiqvi dierum. 6 *Qua ut transiit, dixit Salvator meus*: Fidenter admitte omnia ad qvæ ego te adhibitum volo; & ego qvoqve admittam vocem precum tuarum, sicut admisi Mosis servi mei. 7 Ecce ego te præcedam, viam paraturus ante te, ad expediendum qvod per te expedire decrevi diebus vitæ tuæ, moderni seculi! 8 Sed ut omnia sic fiant prout os meum est loqvutum, & non prouti vellent habitatores Terræ, hujus & aliarum. 9 Parum illis videtur, qvòd loqventem me audiant: vellent prodigia videre, ut Mosis tempore. 10 Sciant autem sufficere Miracula mea ad evincendum divinitatem meam: Doctrinámqve meam satis esse claram & lucidam, ad proponendum ea qvæ ego in Mundo egi ac docui. 11 Qvi vos meos testes recipit, me recipit: qvi vos contemnit, me contemnit, contemnetúrqve à Patre meo. 12 Qvem qvisqvis non novit verè, neqve Me nosse potest verè: sed qvisqvis Me novit benè, novit etiam benè Patrem. 13 Idqve non potestate suâ aut humanâ, sed virtute Spiritûs mei, qvi est in Patre & in vobis, mundo loqventibus loco mei. 14 Infunde igitur tu qvoqve Calicem cognitionis meæ, & voluntatis meæ, ultimo huic seculo præsentis temporis Mundi, ibi & inter eos, qvibus nondum fui cognitus. 15 Sed & ibi, ubi cognitione mei gloriabantur, mihi tamen plenè ac per omnia non obseqvebantur. 16 Qvod si erit, ut mihi soli cum Patre meo obseqvantur, benè stabit ad terminum usqve à me positum regimen, tum Politiæ tum Ecclesiæ; qvæ dilecta mea Sponsa est, non rapienda de manu mea. 17 Pro qva Ego vitam posui, eamqve duplicem, vitam Corporis, & vitam Animæ: qvia & vos vitam Corporis terreni habetis de Terra; & vitam Spiritûs cœlestis de cœlo, Animam. 18 Pro qva Anima ego apud me, & in me, asservo id qvod vos nunc nondum videtis, imò nec intelligitis multi: qvia sine me & lege veritatis vivitis, vivendóqve in tempore, nihil scitis qvomodo vivetis in æternitate; dum me æternum neqve cognoscitis neqve diligitis. 19 Transcurrite igitur, transcurrite mente, omnia in Cælo & Terra, num usqvam reperturi meliorem ac in me solo qvietem? 20 Qvam ego in Patre, & Pater in me, per veritatem Spiritûs, habemus: non tamen pro Nobis, sed & pro Vobis rationalis creatura, paulò minor Angelis. 21 Convivium meum vobis paratur, & non alii cuiqvam Creaturæ sub cœlo: si tantùm id agnoscere velitis, vel jam tandem sub mundi finem. 22 Abnegavi ego meipsum, exinaniens meipsum, vestri causâ: at vos abnegare vos non vultis meâ causâ, ut sepositâ ratione carnali subdatis eam virtuti Spiritûs, per fidem veram, & virtutem meæ consimilem, vobis in exemplum propositam. 23 In me Patri meo complacuerat, qvia Obediens illi eram: cujusmodi Obedientiam à vobis hucusqve jure creationis, redemptionis, illuminationis & sustentatonis, reqvirimus. 24 Idqve citra personarum respectum, in omni statu, ordine, vocatione, gente ac lingva: qvantum adhuc vestri est, & erit ad finem Seculi. 25 Eja serve mi, Scribe hæc omnia pro iis qvi salvandi sunt, ex tota latitudine Terræ! 26 Et mitte hæc tuo & meo dilecto: cui honorem dedi, tanqvam Aaroni, in

Nationibus Terræ. 27 Sufficiat mundo postrema hæc mea per vos facta contestatio, sive illam recipiant sive non: dummodò non per vos stet, ut non stetit per Mosen & Aaronem, meos qvoqve fideles testes. 28 At si me non recipient, mihiqve ut Jannes & Jambres Mosi resistent, evomentur omnes ex ore promissionum mearum. 29 Nam non ampliùs jam loqvar sub Cœlo, nec aliter, per totam Terram totius Orbis: sed confringam æternæ justitiæ meæ arma, tanqvam baculum, super capita Nationum Terræ in æternum: 30 sicut fregeram super Datan, Abiron, & Chore, pro contemptu mihi facto in Mose, & Aaron. 31 Satis nunc: Vigila & ora. 32 *Et cecini Psalmum* 123.

REV. CCCXXXIII. Aug. 28.

[*Convivium Gentium*, 1. *Silesia qvoqve inundanda*, 2.]

P*Ostridie rursum vidi Antiqvum dierum, & hilariter convivantes varias Gentes: qvibus accumbere jussus, mirabar primùm omnes hos fuisse illustres viros, hisqve recedentibus adventasse plebejos, utriusqve jam sexûs.* 2 *Cùm verò ad me reversus orarem, dixit Dominus*: Tanqvam prelô premo Gentes! Princeps te videre desiderabit: Tu solatia mea exspecta. 3 Undæ Exercituum meorum volvunt se super Silesiam qvoqve. 4 Adjunctus graviter fert, qvod nondum respondere qveat tibi & J.M. 5 Non confundemini confidentes mihi.

REV. CCCXXXIV. Sept. 1.

[*Eucharistia administranda*, 1. *Poloni ad tribulandum primùm electi*, 5. *& cur*, 6. *in exemplum aliarum Gentium*. 9. *Rigidorum Dei judiciorum scopus salutaris*, 12. *Non omnibus succurri potest*, *& cur*, 18. *Tandem ut resipiscant cæci, surdi, muti*, 22. *In Patriam reditus promittitur Videnti*, 25. *Hæc à qvibus non celanda*, 33.]

L*Ucescebat, cùm peractis ad Deum suspiriis redormirem: & vidi turbam varii populi, qvibus Cœna Domini administrari debuit.* 2 *Erat autem qvoqve præsens Adjunctus mihi, cum aliis Ministris: & ego zelabam, qvòd minori devotione ac apud nos consvevit res perageretur.* 3 *Mox evocabamur ad navigandum in transmarinas regiones: enavigatisqve turbidis admodum aqvis, venimus ad Domum valdè laceram, ubi nos exspectabant esurientes, qvibus panes frangebam candidos (ipse prægustans) & illi recipiebant, alii avidè alii cunctanter.* 4 *Evigilans orabam, & Psalmum decantabam* 72. *ut autem cessavi dixit Dominus*, Dies jejunii & ad me suspiriorum sit tibi hodie. 5 Elegi ego Jehovah diebus his Polonam Nationem ad tribulandum primò: si intellexerint, & visitationem meam agnoverint, invenietur medium conservandi reliqvias eorum, per qvos Opus hoc meum novum ibit alias in regiones terræ. 6 Serve mi, valdè me irritarunt Poloni, valdè ludibriosis in me factis: confisi primores eorum vanâ Religione

one sua, & suô, militumqve & eqvorum suorum, robore. 7 Ecce autem qvàm evanuerunt ista? Subjugati jam sunt potentiâ Gentis alienæ, qvam illi nauci æstimabant apud se: id verò ideò, qvia nesciebant ruinam appropinqvare suam. 8 Si namqve scivissent, non tanta apud illos secessio fuisset facta à veritate, & sinceritate, ad faciendum iniqva judicia, & tot inter se dissensiones. 9 Expavescite ad hoc exemplum cæteræ Gentes! & procidite humi sub potentem manum meam, & eorum per qvos subveniri vobis volo, ad agnitionem mei. 10 Nam si meum non succurrerit auxilium, ut jumenta mactabimini, & igne consumemini, omnes vos qvi fiduciâ vestri aspernamini alios. 11 Paucos habuistis bonos lucis duces, multos animarum interemtores, plenos tenebrarum & terrorum, qvorum (seductiones) non intellexistis. 12 Ecce ignis tonitruum meorum inardescit! idqve vestri causâ, qvos terroribus adductos ad salutem promotos volo, qvum vos ex errorum labyrinthis, periculosisqve multiviis, liberavero. 13 Sed tribulandi priùs estis ideò, qvia multi vestrûm errores agnoscere pertinaciter recusatis. 14 Ecce occludo jam Aream illam, ad qvam itando non vescebamini pane vitæ, neqve bibebatis vinum consolationis, de vulneribus meis fluens: sed pascebamini qvisqviliis impuræ Doctrinæ, mortem vobis tantùm adferentis. 15 Eccur mori, & sine me vita esse vultis? Frustra est aliud sperare, qvam in foveam Inferni casuros vos, omnes Nationes, si me ducem seqvi constanter renuitis. 16 Recipite ergò intellectum humanum, non belluinum; qvorum os frenô constringitur, ut se patiantur duci. 17 Ecce frenum qvoqve meum, ultimæ meæ ad vos vociferationis! ut reversi ne moriamini, sed vivatis. 18 O utinam jam tandem agnoscatis lapsus vestros, anteqvam vos ex hujus vitæ paradiso educam eô, ubi nemo ampliùs succurrere poterit: sicuti primô adventu meô ego succurri multis. 19 Non dico omnibus, qvia me agnoscere, diligere, seqvi, noluerunt omnes, multi etiam neqviverunt: illi nempe qvos impedivit corruptio, & inemendabilis fastus, qvem ex Patre mendacii hauserant. 20 Qvi per semetipsum propriô fastu abductus, vos qvoqve abducit ô Homines! ut qvi cum illo caligini tenebrarum involvimini, subveniri vobis neqveat in æternum. 21 Ecce autem porrò etiam semel vobis residuis, ex Judæis, Turcis, Tartaris, Idololatris, Hæreticis, & qvibuscunqve aberrantibus, assigno tempus! 22 Ut vel nunc tandem assumatis Oculos, & videatis; sumatis Aures, & audiatis; sumatis Lingvas, & confiteamini peccata, ad resipiscentiam. 23 Qvia non diu jam vobis utraqve lux mea serviet: tum cœlestis, Solis, Lunæ, ac Stellarum; tùm in terra, Veritas Legis meæ sanctæ. 24 Una dies id vobis ostendet: qvam nec scitis nec scietis, donec velociter superveniet. 25 Satis in præsens: refer hæc in scriptum, ad succurrendum pereuntibus in tot Nationibus, tua etiam. 26 Qvô ego te reducam, tanqvam per turbidas aqvas, propter eos qvi hæreditatem capient salutis. 27 Atqve ibi obmutescent ora insipientum hominum, vanè meritis suis confidentium: ignorantium se non esse tanti, ut sine me,

me, & non contecti justitiâ meâ, subsistere qveant coram Patre meo. 28 Qvem omnes dicitis vestrum esse Deum: qvàm vanè, dum vocem ejus non auditis, figmenta tantùm cordis vestri secuti, & frustra pane providientiæ meæ pasti, sine omni resipiscentia tempus transmittitis. 29 Meliùs fuisset multis vestrûm non fuisse natos, qvàm non renatos ex me, sine me esse in æternum: eò enim rediget rigor juris, justitiæ, judiciiqve mei, omnes vos mihi contemtum inferentes in Terra. 30 Satis modò: Conscribe hæc, & ad notitiam deduc Operariis meis, qvos non ignoras. 31 Vigila & ora! ut benè sit tibi, & illis qvi recipient vocem Tubæ meæ. 32 *Scripsi igitur, & laudavi nomen Dei, decantans Psalmum* 89.

REV. CCCXXXV 3. Sep.

[Visio Civitatis clausa, 2. de Principe Transf. explicatur, 11. Scarabeus capite truncatus, 5. Res Polonia, 6. Septentrionalium alacritas laudatur, 6, 7. Orientali comminatio, 8, 9, 10, 12, 13. October, 15. Bellum præsens est Agni adversus Bestiam. 16, 17. Homines acqviescant sua portione qvisque, 18. Regnum Poloniæ Radzivilio oblatum cur non datum, 22, 23. Homines captivi Dei, 28. suâ culpâ bonis promissis excidunt, 32.]

F*Atigatus labore diurnô reclinaveram me, & indormivi: ubi Dominus varia mihi ostendit & loqvutus, hortans me ad fidem & obedientiam, cum patientia.* 2 *Inter alia ostendit mihi Civitatem, cujus porta erat clausa & ad illam aditus per pontem: qvò duo qvidam, munera portantes, intromittebantur.* 3 *Mihi verò cum altero ad Portam stanti nihil datum est videre nisi postqvam Pontem pertransii: interimqve advolavit* Scarabeus *ater, Crabronis instar, cui ego detruncavi caput, & ecce plenus erat mirabilium luminum! ut indignarer, non posse oculum meum distinctè videre omnia.* 4 *Cum evigilassem, vocem suam audiri fecit Dominus, dicens aliqvoties:* Currunt, currunt, currunt! 5 *Cum plura exspectarem, dixit,* Scribe! *ut verò Tabulam in manum sumsi dixit,* Currunt nuntii ex Polonia! 6 Dilectum enim viscum meum Septentrionale, sine vi coactiva induit arma contra Bestiam, & Crabronem in Polonia habitantem! qvem tibi amputatô capite ostendi. 7 Hærent sagittæ visci mei profundè: sed nullus viscorum meorum adhuc ei auxiliatur, sola Dextera mea illi subvenit. 8 Inclama eos! *& dic Moldavianis*, Non vives, cum Domino tuo, si manseris tu Princeps hoc mense in Terra tua! 9 Occlusit ille se metu hominum, intra urbem miseræ suæ spei erga Polonos, ideò tergiversatur & procrastinat: cogitans, sibi oblatum fuisse illum honorem. 10 Inaniter autem se lactabat vanis Polonorum, Gentis dolosæ, sermonibus: malè illi erit, si Turca suspicionem conceperit. 11 Admisit Legatos ad se, sed rursum se occlusit, ut tibi per illam clausam ostendi portam: manebisqve tu veluti cæcus, anteqvam aliunde virtutem lucis Solis mei, virtutémqve meam ipsius, conspicies. 12 Consultat denuò cùm suis, nullô usu nisi qvòd tempus perdat: Galli mei undiqve cantant, diescere jam, Ille tamen porrò stertit. Væ si non surrexerit cito! 13 De me inqvirunt alii alios,

alios, sed sine opere ullius ergà me confidentiæ: qvasi sua in potestate sint viæ suæ, qvas ne nôrunt qvidem nisi eas ostendero. 14 David prosperè egit, dum mea bella gessit. 15 Procul ne abest October, qvô jungi eos oportuit? nisi aliter apud ipsos, qvàm apud me, procedunt menses? 16 Bellum meum est, & Victoria præliorum mea est, & erit, ut Johannes scripsit, qvòd *AGNUS VINCET.* 17 Illorum hoc solùm est, ut manus attollant: ego autem manebo *VICTOR*, apud ipsos & omnes Terræ Nationes. 18 Mittite jam disceptare, penes qvem constituta sit Orbi dominandi potestas: accipe qvisqve id, qvod cuiqve consiliô meô assignavi, & tradam. 19 Et accipe mente gratâ non alios respectans sed teipsum, ut hîc stes ubi qvemqve locabo, sine meritis vestris: ideò solùm, qvia mihi hominibus uti placet. 20 Si contumaces fueritis mihi, inveniam ego alios: vos autem serò deplorabitis, culpam alii transferentes in alios. 21 Sufficiat modò: Consigna hæc, & adi Mednianium, ut Ipse de his certiorem reddat Principem, qvalia hodieqve reqviram, hac in Terra & alibi. 22 Spem sibi faciebat Princeps Regni Poloniæ: cùm tamen non illi ego, sed Princ. Radzivilio, honorem hunc deferrem. 23 Sed & ille, qvia mente vacillans commissa sibi intra se premebat, nulli Polonorum, vel alii cuiqvam, sese aperiens, vacuus mansit Regnô, & manebit: non tamen vacuus premiô, pro fide præstita Coronæ Polonicæ. 24 Ecce seductionis suæ culpam homo ipse luit, si è manibus emittat id, ad qvod cum fide accedere debebat, nec accessit! 25 Nam fide qvisqve coram me stat, cum omnibus rebus suis: non autem voluntate aut potentiâ suâ, vel alienâ. 26 Qvisqvis meum ductum seqvitur, benè secureqve progreditur: seipsum autem, vel homines, qvi seqvitur, nunqvam qvod quærit asseqvitur. 27 Nec enim qvisqvam novit, aut videt, fines suos, nisi cui ego illos monstravero: idqve non sine mediis, sed per illa. 28 Captivi mei estis omnes mortales: qvum ego emittere qvenqvam volo, & ille non vult, non me culpet, sed seipsum, acqviescens eô qvod cuiqve vestrûm do, non autem qvod ipse captat. 29 Qvia vos ipsi vos non intelligitis nec illa qvæ subinde expetitis; non recogitando satis, bonanè appetatis an secùs, donec opus ipsum rem ostendat. 30 Sed illud qvandoqve serò: ut fuit Adamo & Evæ, & post illos multis. 31 In me solo sunt omnia: illi soli benè est & erit, qvi ductu meo acqviescit. 32 In hominibus sine me nihil est nisi vanitas: qvæ contra voluntatem meam imposita bilanci, in fumum transit, ventô judicii mei discussa. 33 Expone igitur tu qvoqve hæc illorum trutinæ! pensiculent, qvis hîc justus manebit? ego an illi? dum aspernari ductum meum attentant. 34 Probatum jam illis esse debebat, ex me esse omnia, principium & finem; non autem ex vobis, ô homines; 35 Sufficiat nunc: Vigila & ora! mihi cura est vestri. 36 *Et cantabam Psal.* 23.

[Tota hæc Visio adversus Principem Racocium directa est: qvi parabat qvidem Exercitum, at eum non ducturus qvò jubebatur, ad oppressos in Hungaria liberandum; sed in Poloniam, ad Coronam (spe & imaginatione diu præsumtam) capiti suo imponendum; invito Deo hæc toties dissvadente, ipsoqve Turcâ cujus Vasallus erat, ut v. 10. innuitur, comminationémqve hanc eventus firmavit.]

REV. CCCXXXVI. Sept. 17.

[*Fulcra Domûs Austriacæ fracta, 3. Væ aspernantibus consilia Dei, 4. Racoci rupes hactenus frustrà percussa, 2. Homines non assequuntur scopum Dei, 11. Protestationes solemnes contra privata sua quærentes, in causâ etiam Dei, 15. Hæc omnia Operariis Dei nuntianda, 21.*]

Sole oriente ostendit mihi Dominus Viros illustres, ad convivandum in Domo magna congregatos: inter qvos notus qvidam mihi, Polonus, ut illis accumberem orabat, qvod ego verecundanter, pudore tenuitatis meæ, feci. 2 *Sensibus redditus, qvid hoc sibi vellet cogitare, simulqve ut Deus gloriam suam in Terra nationibus manifestare vellet, orare cœpi.* 3 *Ut finivi, facta est ad me vox Domini:* Fregi & frango fulcra Domûs Austriacæ, confractaqve jam brevi erunt omnia. 4 Sed væ contemnentibus omnes interminationes meas hâc in Gente! Omnia illorum perdita erunt, qvia ductum meum aspernantur. 5 Atqve si cæteri aspernabuntur pariter, idem eveniet ipsis: non enim in potestate illorum sunt viæ suæ neqve dies aut tempora. 6 Ecqvis eos liberabit de plagis iræ meæ? nullum contra me consistet consilium. 7 Mei estis captivi, non ego vester! 8 Currit jam responsum à Principe; sed frustraneum: nam frustra percussa est petra illa, non exiit inde aqva, neqve fluet, sed fluet sangvis furoris mei, cùm illi exitum invenient suis factis dignum. 9 Ecce omnia illis ad summum exposui, qvid fieri vellem. 10 Implebo ego promissa mea, sed mihi fidentibus, & ductum meum incoactè seqventibus: côgi enim non expectant filii gratiæ. 11 Serve mi, miræ cogitationes ascendunt nunc in cor hominum; de iis qvæ ego agere ordior: qvorum autem causâ, & cui in bonum hæc fiant, procul est ut ratiocinatione suâ id asseqvantur. 12 Aberrârunt illi ab obseqvio sermonum meorum, olim & nuper prolatorum, nullâ meâ noxa, qvi eos juvare volui: cum suspenso super illos ostio decreti mei. 13 Qvod intelligere nolunt æternum esse ac immutabile: ut bonis sit benè, malis malè. 14 Ecce jam malè est, & erit, malis! videbunt id oculi vestri: sed utinam non serò sit vobis à me electis, ductum tamen meum aspernantibus! 15 Iccircò non vestra, non vestra privata, qværite, ô homines! sed ea qværite qvæ mea sunt, & proximorum vestrorum! qvos multi non agnoscitis proximos, eò qvòd vestræ gentis & cognationis non sunt. 16 Ego verò dico, Omnes vos esse meos, jure creationis & sustentationis: & vos ergò vestri invicem estis, sangvinis & animæ communione. 17 Si Vos incluseritis vos vobis invicem mutuâ dilectione, includam Ego vos omnes mihi qvoqve: si autem luxuriantes sua tantùm qvisqve, se fretus, qværetis, à filialitate mea degenerabitis. 18 Habete igitur Fidem: sed & habete Opera, exercetéqve illa erga vos & alios, sine personarum & dignitatum respectu. 19 Terrena dilectio nihil vos juvabit, sed mea cœlestis, qvæ à me est, & vos cœlum versùs attolit, per legem veritatis jurium meorum æternorum. 20 Noveritis hæc, & in notitiam aliorum deducite, Prodesse vos velle, & ad Cœlum promovere opere

hôc

hôc qvod jam inchoastis vos à me concitati: & benedicet vobis Dextera mea. 21 Adde hæc superioribus, propter Visca mea: & mitte Adjuncto, ut ne illos expectet, sed scribat & nuntiet omnia sibi à Me per te revelata, sive illi audiant sive desistant. 22 Sic dudum loqvi mandabam, & nunc mando, &c. *Et cecini Psalmum* 141.

[Continuat Zelus Dei contra inobedientiam Racocii & Hungarorum.]

REV. CCCXXXVII. 18 Sept.

[*Hollandi per Visionem ostensi*, 1, 5. *& qvid ad illos scribendum*, 6, 8. *Principis Rac. animi fluctuatio*, 10.]

Diescebat: & ostendit mihi Dominus Consessum consultantium virorum gravium, Nationis mihi ignota. 2 *Ad qvos consultantes ingressus fui: illis adventum meum mirantibus, nutu tamen ut loqverer indicium facientibus.* 3 *Loqvutus ergò sum* De æternis DEI Decretis: *cui sermoni meo alii mente ac verbis resistebant, alii verò cum gaudio excipientes scriptam à me assecurationem accipiebant, praqve amore mensa me adhibentes panem candidum, frangendo, impertiebantur.* 4 *Deinde me ad aliam hominum turbam deducebant, non aqvè nitidè vestitos, qvinimò seminudos, agrotos, oculis lippientes.* 5 *Hac Visio ubi transierat, facta est vox Domini ad me:* Ignotam tibi gentem ostendi ego; & tu vidisti, Hollandos. 6 Illi tibi & dilecto tibi Adjuncto, subveniant: ut ex illorum Terra & Natione prodeat vox Tubæ clamoris mei ad Nationes terræ! 7 Reperientur quidem ibi etiam contradicentes, at non omnes: alii recipient, juvabunt, & ex amore erga te ignotum beneficam voluntatem declarabunt. 8 Cui Nationi tu ipse qvoqve scribe, & scribe mox hodie: illos meæ sic inservituros, non vestræ, voluntati: ut Hollandicæ nationis nomen tantò magis percrebescat apud longinqvas, & me nondum agnoscentes, Nationes terræ meæ. 9 Para hæc, ut cum prioribus ad tibi Adjunctum mittas. 10 O Princeps, Princeps, vertumnus! inchoato cursu restitat: inconstantiam animi ejus rescies: *Vigila & ora! Cecini ergò Psalmum* 43.

[Evenerunt prævisa & prædicta hæc ad amussim, bienniò pòst. v. 8. *Hollandis tu ipse scribe*) Scripserat: sed scriptum hoc Adjuncti procrastinatione flammis periit. Repetitum deinde tamen vide infra, 1663, 12 Dec.]

REV. CCCXXXVIII. 19 Sept.

[*Visio Viri vulnerati & occisi*, 4. *de Ferdinando tertio explicata*, 5, 7.]

Lucescente die, vidi turbam hominum itineri se accingentium. 2 Et venit Vir humilis staturæ, missisqve in eam turbam Sagittis duabus feriit unum in medio stantem, qvi collapsus mox exspiravit. 3 *Qvem sustollentes refocillabant, alii verò nihil curabant, gavisi potius qvod esset mortuus.* 4 *Ego verò vulnera, qvibus*

bus confectus fuit, videre optabam: & exhibita sunt duo, alterum pectori, alterum lumbis inflictum, quæ uno ictu esse facta mirabar. 5 *Hoc ut transierat, dixit Dominus:* jam jam tertius qvoqve Ferdinandus vulnera sua accepit, exstingvetur ut ignis in spinis, rescies ita fore. 6 *Qvibus ego auditis cantabam*, Non nobis Domine, non nobis, &c. 7 *Mox crepuit ad lectulum meum ternâ vice: & Dominus*, Qvid ego faciam hostibus meis, etiam Ferdinando hosti meo & vestro, audies brevi. 8 Vos tantùm fideles estote, & obseqventes mihi, ô Homines! Opus meum procedet. 9 Vos autem implebitis Os vestrum laudibus nominis mei, unâ cum aliis, qvi me nondum noverunt. 10 *Et decantavi Psalmum* 117. Laudate Dominum omnes Gentes, &c. Hallelujah.

[Ad v. 5.) Impletum sesqvianno pòst, exspirante Ferdinando III.]

REV. CCCXXXIX. 20 Sept.

[*Clamosa operariorum turba visio* (1) *de tumultuosis in Mundo hominum actionibus exponitur, cum expresso variè Dei contra ista zelo*, 5. *&c. Opus Dei non est violenta ad bonum coactionis*, 19. *Laus fidelium Operariorum, gratis Deo & Ecclesiæ servientium*, 28, 29. *Princeps Trans. cur clamoribus non excitetur*, 33. *Veniet tamen*, 36, 37. *Hæc citò mittenda, & quorsum*, 38.]

Q*Vartâ matutinâ, sub tenebris adhuc, ostendit mihi Dominus fodinas inter rupes; ubi operariorum clamor erat ingens, ut indignarer.* 2 *Egressusqve inde vidi* Gabrielem Bethlen, *Principem olim Transylvaniæ, descendentem de monte (ponè qvem Exercitus ejus castra habuit) ad me adstantem sepi:* 3 *qvi me fuit alloqvutus nescio qvid: subitò enim evigilavi.* 4 *Et mox Dominus:* Noli esse incredulus, sed credens: Ego enim dejiciam superbos de soliis, & exaltabo humiles, hâc in Terra & alibi. 5 Ecce qvi meam audit vocem, me audit: qvi eam contemnit, me contemnit, & contemnetur à Patre meo, qvem omnes vos dicitis esse DEUM vestrum. 6 Cujus tametsi gestatis imaginem omnes, cùm tamen Ille vos ad Me ducit, recusatis ire dum dies est. 7 Transibunt autem vanæ cogitationes vestræ, transibunt & actiones: venietqve ut mercedem accipiatis, bonam boni, malam mali. 8 In æternum, in æternum non poteritis asseqvi ac pensare illa, qvæ hîc amittitis, dum occasionibus deestis, ô interfectores animarum vestrarum, & alienarum. 9 Cucurristis, & curritis, pleriqve in vanum, vanè transigentes dies vitæ vestræ, sine me fonte vitæ, vivaqve dilectionè mei. 10 Ah cur morimini non audientes vocem clamoris mei? jamjam adventare diem reddendæ mercedis, bonis bonæ, malis malæ. Nam dies id ostendet: & ostendet non per me stetisse, sed per vos, ô homines! 11 Revertimini, & date honorem mihi æternum viventi! 12 Nam ecce cuiqve vestrûm dies vitæ decurrunt! qvis vobis sucurret, qvum ego abyssum iræ meæ super vos mihi & voci meæ, animarum Pastoris, immorigeros, occlusero? 13 Nam qvisqve Operarius bonus accipiet mercedem bonam, malus autem malam: nec aliam accipere poterit nisi malam. 14 Qvi soli mihi serviit, & ser-

& servit, huic ego coronam vitæ dabo: & dabo gratis, non ex operibus carnis, sed ex operibus fidei vivæ. 15 Idqve non vitam miseriæ, sed vitam gaudii vobis in me parati à Patre meo. 16 Hic namqve diem doloris & mortis tantùm habetis sine me, & fide in me: deinde autem habebitis vitam gaudii apud me, & in me, cùm transactus fuerit dies Mundi, vestræqve hic habitationis. 17 Ecce dies meus jam jam instat! qvem videbitis omnes, sed diversimodè: alii cum gaudio alii cum terrore, qvia non audivistis vocem gratiosæ meæ vocationis. 18 Terribilem accipietis mercedem vos abominabiles Idololatræ, Operarii mali, me Æternum honore meô spoliantes. 19 Cujus opus non est violentæ ad bonum coactionis: sed agitur, & peragi debet, virtute dilectionis, veluti svavi odore de cibo illo qvi non perit. 20 Qvô non fruentes filii hominum sub Antichristo, & in Gentibus me ignorantibus, moriebantur, & moriuntur, sine spe vitæ gloriæ, meritô meô impetratæ, & non vanis operibus conversationis vestræ, absqve misericordia erga vosmetipsos & alios. 21 Occludite igitur vos vel jam tandem ad ostium Legis meæ, per obseqvium mei, & benè vobis erit, ó homines universi. 22 Nam ecce, non procul jam abest vespera Mundi! spe vestrâ citiùs evellam zizania, ad colligendum pura grana tritici mei; separandum verò atqve exurendum vos qvi zizania estis, in æternum. 23 Ne timeas, serve mi; festinant omnia ut asseqvantur finem suum, ultimi Operis mei: 24 sicut asseqvuta fuerunt tempore primi mei in Mundum adventûs, & Operis qvod diebus vitæ meæ, salutis vestræ causâ, egi. 25 Nunc autem veniet jam vobis tempus præmii vestri, qvod vobis verè in me credentibus & promerui & promisi. 26 At non vobis tantùm, sed & iis, qvi per ignorantiam ignominiâ afficiebant me, diversimodè tamen. 27 Alii per meram ignorantiam, ut dixi: alii per obstinationem, propter transitorium lucrum honoris & opum mundi, gratis vos cultores meos odiò habentes: 28 Eô tantum, qvia illis sudem in oculos ingerebatis, veritatem Legis meæ sanctæ, & vitæ meæ: gratis ex amore servientes Ovibus meis exemplô meô, antiqvorumqve testium meorum. 29 Non poterunt opprobrare vobis, vos adipem edisse, & lanam induisse, gregem pascendo meum: ideòqve vos gratis oderunt. 30 Tu autem vigila & ora. 31 *His conticuit: Ego autem, cum ista perdifficulter descripsissem (tenebræ enim adhuc erant) cecini (ex hymno* Te Deum laudamus) *Per singulos dies benedicimus Tibi &c.* 32 *Peractis precibus veniebat in mentem, qvid me futurum esset: & Dominus*, Ibis qvô te iturum dixi ante! 33 Infundo ego Principi plenas aures clamorum ipsum excitantium: ille verò adhuc circumspectat, non satis fidem habens Transylvanis, nec sine illis audens exire. 34 Transylvani verò tergiversantur, qvia mutationem rerum apud se qvoqve metuunt, in tantâ illâ Religionum diversitate. 35 Sed vanæ sunt illorum qvoqve cogitationes, videbis & ibi & Viennæ futuras mutationes. 36 Ostenderam tibi Transylvaniæ Principem nuperum, Bethlenium. Te adeuntem videbis pro eo modernum, cui tamen ne fide, nisi cùm ibit. 37 Ibit sanè, sed

cum mira circumspectatione. 38 Hæc in Poloniam mittere festina: Mednianius enim redibit tristis (*nempe Viennâ.*) *Ego verò orabam, etiam cantu Psalmi 44.*

[*Ad v. 36, 37.*) Ivit, circumspectavit, tandemqve non qvò debuit ivit.]

REV. CCCXL. 21 Sept.

[*I. Ef. ob incredulitatem castigandus, 3. Mednanii morbus, 8. Polonia in ordinem redigenda, 9.*]

O*Stenderat mihi Dominus, antelucanò, contignationem hypocausti mei effractam, quà ingressi fures abstulerunt optimos meos Libros.* 2 *Super qvo ego lamentatus, reparabam contignationem, auxiliantibus mihi aliis, etiam ignotis.* 3 *Experrecto autem dixit:* Confide, intentiones meæ finem asseqventur, etiam ratione tui, & Effronis. 4 Qvi resipiscere non vult à convitiis in sermones meos: simulat verbis, corde nihil admittit, nec fecit qvod petiisti (*ut superiores Visiones transferret in Latinum*) cùm sibi & aliis hâc ratione prodesse posset: evocabo illum ad æternè mihi serviendum, tempore mihi notò. 5 *Ego verò pro illo orabam ut ejus aliorumqve corda flecteret Deus, ad non resistendum sermonibus suis.* 6 *Dominus autem:* Qvid adhuc est qvod non feci? qvid clarius esse potest sermonibus meis? illi autem qvia te aspernantur, aspernantur simul opus meum. 7 Tu tace, & patere, non relinqvam ego inultam tantam hanc incredulitatem. 8 Mednianii morbus mea disciplina est. 9 *Mibi autem Polonia venit in mentem: & Dominus,* Agitantur consilia de redigendis in ordinem Polonis, audies brevi etiam de Principe. 10 Ego verò cecini Litaniam.

[v. 4.) Evocavit trienniò pòst.]

REV. CCCXLI. 29. Sept.

[*Expressa de Principis Transsylv. tarditie, 4. veniente à persvasione vana, 5. Omnium hominum exhortatio ad non exorbitandum, exemplò Solis, 6. &c. Mittenda hæc in Poloniam, 15. qvia ignis Dei inde ibit ulterius, 16. Videns cum Assumptio fidelitatis admonentur exemplò antiqvorum Testium, 19.*]

D*iluculò vidi congregatos Proceres, ad auferendum cuidam Magnatum sua Bona: qvi prætendens privilegia militem colligebat, ad sua vi defendendum.* 2 *Ego verò dum præsens essem, pacem suasi? & ausi donec fieret compositio.* 3 *Experrectus tradidi me orationibus: qvibus finitis dixit Dominus:* 4 Tu saltem ne fluctua! Ecce venit qvidam qvi Principem ut dormientem anguem è foramine suo propellet. 5 Ego retusam ejus mentem, qvam sibi & aliis hebetavit ipsemet, fidem habens speciosis Polonorum promissis, Regemqve ipsorum se fore (ab ipsis electum) sibi vanè persvadens. 6 Beatus qvi meò ductu acqviescit! sciens in nullius hominis potestate viam esse suam: nec enim aliter qvàm os meum loqvutum est fiet, totò ambitu orbis mei. 7 Mea hæc est causa, ego illam ago & agam per vos,

vos, non autem ipsi vos homines: qvibus nihil melius qvàm obseqvi mihi, & ad meum ductum ire qvò jubeo. 8 Ego enim alium ad hoc, alium ad aliud adhibiturus, non à vobis capio consilium, nec ab ulla creatura mea sub Sole, vel supra Solem. 9 Cui meo Soli ego cursum suum semel tantùm dimensus sum: ille tamen dimensionem suam servat, non digrediens à viis sibi præfixis. 10 Vos autem, ô Homines, renuitis eum mihi dare honorem, ut incedatis per vias ductûs mei. 11 Sciatis igitur neminem vestrûm tempora sua, viasqve suas, vel nosse sine me, vel habere in potestate sua. 12 Faciat qvisqve vestrûm qvod mandavi, & mando, Ego per qvem vivitis: auxilium expectans à Me, non ab hominibus, & vanis illorum cogitatis vel attentatis. 13 Ecce nemo vestrûm sumere aliqvid sibi vel alteri potest, nisi qvod ego dare decrevi, & do, sine meritis vestris. 14 Do autem non pro vobis solis, sed & proximis: qvod vos neqve observare vultis, ô homines semicæci, tota in terra, ex qva vos eduxi, & in qvam vos reducam, die & horâ mihi notis. 15 Hic finis esto: Surge, scribe, para omnia in Poloniam, responsum Principis non expectans, viride lignum. 16 Nam ignis copiarum mearum ibit è Polonia ulteriùs, ut ardeat in Nationibus ultio potentiæ meæ, & finem assequatur decretum meum de habitatoribus Orbis Terrarum. 17 Qvia jam tempus est messis meæ, & non vestræ, ad vindictam sumendam de contemptoribus Nominis mei: ejus Nominis, qvod major Orbis pars nondum agnovit verè. 18 Non agnovit autem qvia luce Legis meæ, puritatéqve mentis & cordis erga me Creatorem unicum, destituitur. 19 Tibi cordi sint omnia qvæ tibi & Adjuncto mando: ut æterna supersit memoria laboris vestri in Nationibus Terræ, qvalis hucusqve est antiqvorum testium meorum. 20 Vigila, surge, scribe, invocando me. 21 *Qvod & feci, invocans misericordiam Dei, &c.*

[v. 16.) Ivit è Polonia in Borussiam, & Litvaniam, & Daniam, & Sveciam, & Transylvaniam, & Hungariam, & qvò non hucusqve?]

REV. CCCXLII. Octob. 3.

[*Visione R. Casimiri*, 1. *& accensa facis*, 5. *auditione verò Ecclesiastica Musica*, 3. *& ardentissimarum precum*, 4., *futurum mox Ecclesia gaudium præfiguratur*, 6. *&c. Viennam & Pragam priùs capiendas*, 9. *Transylvani declaratio*, 11. *Ferdinandus deponendus*, 13. *Radzivilius*, 14.]

A Precibus matutinis rediit mihi somnus: & vidi Casimirum Poloniæ Regem pedibus venientem, veste lacerâ, vultu tristi ac demissô, & loqventem nescio qvid. 2 *A qvo me abduxerunt in Cœtum, allataqve fuit pulcherrima toga: & in eodem Cœtu ingens multitudo fuit Doctorum virorum.* 3 *Inchoabat ergò cultus Dei ardentissimâ Psalmorum & Hymnorum decantatione, sed & instrumentalis Musica submissè intonuit.* 4 *Fiebátqve mihi indicium, ut oratione ad Deum recitanda præirem: præibam*

ibam igitur, subseqvente vocem meam toto cœtu, ad lacrymas usqve ac fletum. 5 *Interim Vir qvidam gravis accedens accendit Facem, qvæ fulgentissimè arsit.* 6 *Et mox evigilavi; Dominus verò ad me:* Gaude tu serve mi, nam glorificabis nomen meum! Ecce accendi facem, qvam nemo jam exstingvet ad peragendum causam meam, & illuminandum longinqvas Nationes terræ. 7 Vos autem cantabitis palàm mihi, & nomini meo (sed non omnes è dispersis) in patria Vestra; qvò ego vos reducam, aliqvi tamen manebunt extra illam. 8 Dominus Mesericii (*Baro de Zerotin*) videre te avebit, qvem adibis. 9 *Dum cogitarem*, citóne illa Nominis divini celebratio incipiet? *respondit Dominus:* Viennam ante obsidere debebit Exercitus meus, occupareqve Pragam; cujus pars qvam Pragam minorem vocant, incendiô vastabitur. 10 *Cœpi ergò pro iis, per qvos hoc Dei opus agendum est, orare, & pro illo, quô internuntiô utimur: Dominus autem,* Ista mihi manda, ego providebo. 11 Princeps jam pulchrè animum declarat suum (*Septentrionali*): qvod ejus responsum qvamprimùm venerit, ne tardate mittere in Poloniam. 12 *Mihi autem in mentem venit Ferdinandi, & Dominus:* Dedi eum, & dabo, qvieti, ut ne ampliùs in æternum dominetur in Europa, neqve imperet cum sui similibus: 13 peccavit enim in me, & in animam suam, cæcus existens. 14 Radzivilio suam fidelitatem pensabo, qvod audies & gaudebis. 15 Surge, ac tibi attende! rarò qvôqvam exeas: delectatio tua Mecum sit: erisqve mihi dilectus servus, enutritus verbis fidei, virtutémqve hauriens ex me. 16 Protectio mea tecum sit! 17 *Qvos Domini mei sermones ego miratus, deqve iis gavisus, cantabam Psalm. 146. tum surrexi & hæc scripsi: Hallelujah.*

REV. CCCXLIII. 5. Octob.

[*And. Klobusicium providus ac beneficus,* 1. *Occultum promissum,* 8. *Eperesienses,* 9.]

D*iluculò ipso ostendit mihi Dominus A. Klobucicium, cum aliis Consiliariis mensa assidentem, cui è regione me qvoqve assidere jusserunt.* 2 *Ille verò, cum de re bellica, & de Sclopetariis Principissæ, verba faceret, referebat se ad meum testimonium, lacerâ veste illos esse: qvod ego affirmabam.* 3 *Ille interim propius mihi se admovebat cum filio suo, tradens illi occultas literas, qvibus conservandæ Valetudinis Regimen descriptum fuit: qvod cum ei explicaret, avidè auscultabam.* 4 *Qvum transisset visio, & ego pro illo oraremrespondit Dominus:* Literas ab illo accipies, confirmantes sermonem meum: & opus meum. 5 *Atqve ita fuit, seqvente vesperâ mihi fuerunt reddita, cum mandato ad Provisorem admetiendi mihi frumenti, promissóqve benigne ulterioris curæ.* 6 *Deo meo gratias egi, illius providentia id tribuens, qvod eo tempore tale hoc venisset beneficium, qvô ultimus farinæ pugillus è cado meo absumendus fuit.* 7 *Tantò verò gratior fuit epistola, qvia propriâ manu exarata, qvod nunqvam antè factum: & qvòd me de statu rerum in Polonia, & de Cosacis, & Casimiri ad Principem misso Legato, &c. docuisset.* 8 *Cum de occulto promisso*

misso (S. NB.) cogitarem, respondit Dominus: Frustra loqveris dum non agis. labore opus est: Accerse cooperarium è Moravia, qvem nosti. 9 Revelata tibi communica Eperiesinis, ut illis qvoqve accedat lumen. *Cœpi ergò describere ab* 11 *Augusti. Hallelujah!*

Rev. CCCXLIV. Octob. 6.

[*Conciones Pastorum Evangelicorum*, 1. *Examen illorum ab Auditoribus*, 5. *& à clamosa Pontificia turba*, 6. *Horum expostulatio cum Evangelicis*, 8. 2 *& ab his facta illis enormitatum exprobatio*, 13. *Cleri Papistici diffugium*, 25. *Politicorum insecuta mox Ecclesiæ Reformatio*, 26. *Videns orat*, 30. *Conscribere hac in usum futuræ disputationis jubetur*, 32, 33.]

ANte duodecimum noctis tristis eram animò, & ostendit mihi Dominus Pastores Ecclesiarum nostrarum, sed ignotas mihi personas. 2 *Nominabatur tamen* Joh. Felinus, Petrus Figulus &c. *omnes simplici habitu vestiti & attritò. interqve illos ego eram similiter indutus.* 3 *Et disponebamur ad habendas conciones, habuimusqve illas seorsim qvisqve locò suò.* 4 *Finitis concionibus convenimus denuò, ad instituendum examen, de qva materia, & qvid, perorasset qvisqve.* 5 *Erant autem præsentes varii Auditores, non nostri solùm, sed & aliis ex Ecclesiis, viri tum Generosi tum Eruditi, enarrantes qvid qvisqve observasset.* 6 *Finitò singulorum sermone, ingressi sunt ad nos magnis agminibus Papistæ, Politici & Clerici, variorum ordinum, Conciones habitas clamosè ac pompose refutare instituentes.* 7 *Non inesse talia Religioni suæ absurda, qvalia tum à nobis, tum ab aliis Evangelicis Ministris sibi affingantur.* 8 *Inter primos expostulatores fuit, in medio stans, Iesuita qvidam, Vir faciei pallida, totusqve gracilis, qvi clamore magnò vociferabatur, ut expergiscerer.* 9 *Evincere tentans, injuriam se à nobis passos & pati, neqve fraternè aut Christianè fieri, qvòd tantum illis qværamus apud populum conflare odium.* 10 *De seipso autem & suis prædicabat, qvòd illi modestè & tranqvillè res suas agerent: nos autem virulenter clam palam scripsisse, & clamitasse, scripturas adulterando: referens se in his omnibus ad potentiam Regum, Principum, Consiliariorumqve suorum.* 11 *Ad qvod illi qvi à parte nostra stabant, paucis & modestè respondebant: documenta tantùm eorum qvæ protulisset reqvirentes,* & undenam illi rerum suarum fundamenta haberent? 12 *Illi ergò produxerunt plura Regum, Principum, Magnatum, Episcoporum, Populiqve agmina, ut eos intuitus ego pavescerem, ne nos opprimerent, armati enim erant, sed stabant qvietè.* 13 *Et cœperunt nostri, Ecclesiastici primùm, deinde Populus, animosè, graviter tamen, de eo loqvi,* Qvæ & qvalia Papistici Sacerdotes, & cum illis cæteri illi, contra Dei Legem, contra Christianam Fidem, contra Charitatem Dei, & Ordinem sanctæ Jesu Christi Ecclesiæ, clamitare & agitare soliti sint. 14 Et qvæ schismata inter seipsos, Clerici & diversorum Ordinum Religiosi in Papatu, habuerint, & adhuc habeant, qvasi perpetuò. 15 Idqve non de Veritate Legis, doctrinæqve divinæ immutabilis: sed de fraudibus & mendaciis circa Scripturas sacras, circa Sacramenta, circa Conjugium, circa Jejunia, circa Potestatem: illegitimam violenter in Ecclesia usurpatam, circa Dominium conscientiarum, & qvidqvid simile in Theo-

logia & Politia. 16 *Hæc primùm sic modestè nostri omnibus Pontificiæ partis præsentibus: Deinde ad Jesuitam illum conversi, vehementius illum verbis urserunt, apertè dicentes:* Ex te spiritus malignitatis & hæreseos, sicut & ex tui similibus, prodibat. 17 *Pergebant:* Vos ad seditionem concitabatis Gentes! Vos fuistis Accusatores simul & Judices! Vos vobis solis Jura servire voluistis! apud vos nulla fuit misericordia, sed truculentia & sangvinis profusio! 18 Qvalium aliqvid ostendite ac demonstrate de nobis, vel superioribus nostris. 19 Apud vos fuit potestas conculcandi Reges etiam: apud vos supplicia, apud vos vivicomburia, apud vos excommunicationes, ac è terris proscriptiones, apud vos ademptiones hæreditatum, plebejis & illustribus, apud vos Conjugum divortia. 20 Apud vos functionum venditationes & emptitationes: apud vos Sacramentorum & omnium sacrorum nundinationes; apud vos vis ad Religionem coactiva & carceres; apud vos Conscientiarum onera gravissima; apud vos Terræ etiam ipsius invidentia, ejusqve pro mortuorum qviete venundatio. 21 Apud vos parentum in liberos, & liberorum in parentes, concitatio: apud vos ipsius qvoqve Cœli eleemosynarum prætextu nundinatio, & è Purgatorio redemptiones (fictæ.) 22 Apud vos meritis humanis virium salutis attributio! apud vos Idolorum auctionaria mercatio! apud vos Sanctorum invocatio! 23 Apud vos ad deserta & religiosos angulos Peregrinationes; & Christi, monstrantiæ vel hostiæ inclusi, huc illuc gestationes, & phantasmatis sine re ostentationes: apud vos hominum cum execratione, faciumqve exstinctione, ad infernum missitationes; rursumqve gratiæ Dei nummis venundationes. 24 Qvæ omnia sic, non aliter, esse, vos ipsi Papalis Clerus, vos illorum Populus, Conscientiaqve vestra, & ipsa tandem Veritas, ad Dei tribunal vos convincent. 25 *Qvæ omnia cum Auditores nostri ita simpliciter recitarent, nos Pastores tacebamus, indicium tamen facientes, ut altera pars ad hæc responderet: sed nihil audivi, tacitè solummodò eos subducere sese vidi.* 26 Reges autem ipsi, cum aliis Potentibus, aggressi derelictas illorum sedes, & altariola, subvertebant, ut me terror invaderet: metuebam enim qvid nobis futurum esset ab illa Mundi potestate. 27 At illi unanimiter omnes loqvi cœperunt, & mandare,

I. Christum solum prædicari.
II. Contra veritatem Legis & Conscientiæ non loqvi.
III. Concionando neminem condemnare.
IV. Vitæ & conversationis Christi exemplum imitari.
V. Ductu Legis Dei, cum certitudine salutis in Christo repositæ, frui atqve acqviescere.
VI. Duo tantùm Sacramenta celebrari.
VII. Preces per solum Christum offerri.
VIII. Errantes in lenitatis spiritu corrigi.

IX. In-

IX. Impænitentes ab Ecclesia segregari, odiô habita etiam à carnis contactu maculatâ tunicâ.

X. Lapsos & pœnitentes diligi, recipi, sanari, solari.

28 *Hæc omnia ubi transierant quid mihi faciendum esset, cogitare cœpi: & venit in mentem orare peccatorum remissionem, ceciniqve huc destinatum hymnum.* 29 *Hôc finitô cogitabam, an qvæ vidi & audivi recordari potero?* 30 *Ad qvæ Dominus;* Ut Alphabeta inscripsi totum hoc memoriæ mentiqve tuæ. *Laudabam itaqve denuò Dominum cantu.* 31 *Qvi deniqve ad me;* Surge, & hæc omnia scribe! Opus his erit ad futuram Disputationem. 32 *Surrexi itaqve mox noctu, & descripsi hæc antequam sonuisset primam. Hallelujah!*

[*Tot in Orbe Christiano hucusqve invalescentium confusionum, dissidiorum, odiorum, jurgiorum, persequtionumqve mutuarum, ut & atrocissimorum bellorum, qvis futurus sit exitus hîc docetur.* Reformatio nimirum Ecclesiæ per ipsam Secularem potestatem, tantùm abominationum chaos diutiùs ferre non sustinentem: postqvam Deus in cor eorum dederit, ut faciant qvod placitum est illi (Apoc. 17. 17.) *Qvorsum ecce sapientia & bonitas Dei deductura est insipientiam & malitiam humanam! Catastrophe digna Deo, è Tenebris elicere LUCEM, è turbis PACEM, ex ipso exitio SALUTEM! Illi gloria!*]

Observatio de Clausula Visionum: Mensibusqve Septembri, Octobri, Novembri.

Mirum aliqvid mensibus his exspectandum fuisse aliqvando, observavimus qvidem apud *Kotterum* Cap. XV. v. 50: & apud *Drabicium* Rev. CCXLV. v. 6. 7: & Rev. CCLXVI. v. 20: & CCCXXXV. v. 15, 16, 17. Sed hoc non observavimus nisi demùm, *Omnium trium nostrorum Vatum Revelationes esse finitas, & obsignatas mense Octobri.* Kotteri enim solemnissima Visio *de Victoriis Agni, & Ecclesiæ Triumpho*, fuit 6 Octobris Anno 1624: uti descripta est Capitibus XXXVIII, XXXIX, XL. Eâdemqve die, 6 Octobris, annô 1655, post elapsos XXI annos vidit Drabicius Papatum reformari, per ipsosmet eatenus Papam seqvutos Politicos: qvam Visionem obsignari jussam, ut ultima esset inter publicandas, mox patebit. *Virginis qvoqve October singularis fuit, Vaticiniorúmqve ejus colophon.* Nam Visiones prius scribi prohibitas septem (à XVII ad XXIII inclusivè) 16 Oct. conscribere fuit jussa: eoqve peracto, clausulam imponendi mandatum accepit, 29 Octob. Frustrà hæc sic disposita fuisse ab æterna Providentia, impossibile. Exspectandum igitur erectis capitibus, qvid Menses illi allaturi sint *annô, qvo Deus Divinitatem suam Mundo universo demonstraturus* (Ies. 41 & 43 cap.) *illustres prædictiones suas illustri eventu coronare volet.*

HActenus qvæ primùm in lucem mitti jussa fuerunt: reliqva in privatum Videntis & Adjuncti usum fuisse dicta, patet ex Revelat. CCCXLIX, ✝. 7, 8: & CCCLI. 14: & CCCLV. 9, 10: & CCCLXV. 17. Qvia tamen postea piorum desideriis impetratum est, ut hæc etiam communicari, adeóqve publicari, juberentur (Rev. CCCCXLII. ✝. 3, 4, 5: & CCCCXLV. 4, 5. & alibi): obseqvimur ecce Patri luminum, omnésqve residuas Lucis hujus scintillas, emittimus! *Omnia dico residua, tametsi selectiora tantùm dare animus erat, juxta indultum* Revelationis DLXX. ✝. 3, 4. Enimverò qvia præcedentia ibi verba (versu 2) epitomationem hanc non satis laudare videntur, eóqve permittere, non probare: remanebat hucúsqve scrupuli aliqvid, mihi &

conſciis amicis. Præſertim cùm Bibliopolæ nuperam illam *Revelationum Epitomen* multis improbari, omnes integra flagitare, teſtarentur: qvâ ratione nos nec Deo nec hominibus gratificari animadvertimus. Scripſi proinde (ego Editor) ad amicum Dei timentem, operáqve illius reverenter habentem (alio tamen in Regno degentem, A. I. P.) ultimum exqvirens conſilium. Qvi qvid reſponderit, ponam integrè: ut mihi cum Apoſtolo (humili mente) dicere liceat, *Habentes hanc adminiſtrationem, qvòd miſericordiam conſecuti ſumus, non deficimus, ſed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neqve adulterantes verbum Dei, ſed in manifeſtatione veritatis commendantes nosmetipſos ad omnem conſcientiam hominum, coram Deo. 2 Cor. 4. v. 1. & 2.* Sic ergò Vir ille pius & prudens, amicus Dei & Veritatis, ratiocinatur.

Utrum Drabiciana ultima integrè ponenda ſint verbotenùs, an verò medullam dari ſufficiat, meritò qværitur nunc, cùm Editio horum paretur plena, qvam eſſe convenit (poſt nuper additam Revelationum clauſulam) perfectam, ut ne qvid jure deſiderari poſſit. Mea ſententia ſic eſt. Si conſiderationem noſtram à fundamento inchoare, veritatem ab imis eruere, operam Deo gratam præſtare, neqve judiciô aut præjudiciô noſtrô cuiqvam à veritate aberrandi occaſionem dare, volumus: neceſſariò cogitationes noſtras à vagæ ac errabundæ Rationis noſtræ circumferentia, retrahendas eſſe ad ſimplex illud centrum, unde Lucis hujus radii manant, colligemus: ibi veritatem reperturi demum. Fundamentum verò recti hâc de re judicii hoc erit; *Reddere ſe certum, infallibiliter à Deo vivo Scripta hæc venire, & in Eccleſiæ uſum dictata eſſe.* Qvod dum apud nos, rei hujus intimè gnaros, extra dubium eſſe pono, Theologiqve ſolidiores agnoſcere incipiant idem (hoc etiam in Regno, ut ex communicatis nuper intelligere potuiſti) concludo, *Teneri nos parere ſolemni & ſevero illi mandato, ipſi videnti his verbis facto:* (Revel. CCXII. v. 23.) *Obligo te Nomine meô, ſerve mi, ne qvid demas vel addas his & aliis ſermonibus meis tibi nuntiatis.* v, 24. *Ego enim ſolus Deus renuntiavi, qvid ab omnibus Gentibus, & Populis, & Statibus, & Lingvis, reqviram diebus his.* Qvæ mandati verba de omnibus & ſingulis Drabicio dictatis eſſe intelligenda (nihil excipiendo) patet è Revel. CCXXXIII. v. 2: ubi Dominus dicit, *Ingratè fero qvòd non conſignaſti qvæ tibi præteritis diebus loqvutus ſum.* Qvod licet non aliud eſſet, niſi qvod reſtitutionem in officium Drabicii concerneret, ſcribi tamen Deus ecce voluit! An ergò putabimus æternam Sapientiam particularia id genus conſignari, mandaturam fuiſſe, niſi talium etiam deſcriptionem tempore ſuo uſum habituram prævidiſſet? Non convenit nobis peccatoribus tam tenuiter de infinita Dei ſapientia cogi-

cogitare; ut qvæ sola optimè novit, qvæ futuris temporibus ad ædificationem Ecclesiæ suæ, qvibuscunqve casibus, servire possint. Et qvomodo igitur nos, qvi vix ea qvæ ante pedes sunt novimus, eò audaciæ proruemus, ut vel minimum aliqvid ex dictatis sapientiæ Dei mutare, & tanqvam inutile aspernari, velimus? Qvod revera fit, si arbitratu nostrô aliqvid omittimus: qvi tamen, utrum hoc an illud prius, vel efficaciùs, in legentium corde operaturum sit ignoramus. *Tutissima igitur via, & acceptissima Deo, NIHIL MUTARE:* (Præsertim cùm sibi, & Adjuncto suo, mentem hanc diu jam optarit Videns, Revel. CCXI. v. 32, 33. Retrahemusnè semel promissum Deo obseqvium?)

Dicis autem: *Permissam esse Epitomationem* (nempe Revel. DLXX. v. 2, 3.) Respondeo, peccatum ibi esse, fatigando Deum instantiis de permittendo: contra apertam Dei protestationem & mandatum, nihil esse mutandum. Qvòd autem postea permiserit Deus, factum id credi debet ex abundantia philanthropiæ divinæ, condescendentis ad anxias (tametsi aliqvando inconsideratas & stultas) petitiones nostras. Paternum enim Dei cor amore in nos superfluens, angíqve nos aliqvando videns, concedit aliqvid, qvod aliâs non concederet. Et certè has præsenti negotio convenire cogitationes, *amore coactum permisisse id Deum*, colligi ex eo potest qvòd ad reqvisitionem hanc Tuam diu respondere noluit: ipsô silentiô Te ad mandatum semel datum (de nihil mutando) revocans. An verò ex eo, qvia tandem condescenderit, primum illud mandatum esse abolitum putabimus? Neutiqvam. Perstat enim positum fundamentum, tanqvam Centrum & basis totius publicationis harum Revelationum. Qvæ dum non à nostra, sed divina mente manârunt qvomodo inscitia & cæcitas nostra magisterium sibi arrogabit, inter necessaria ibi & non necessaria distingvere, & tanqvam pretiosum à vili separare, præsumens? Qvapropter obtestor, & per Deum vivum oro, ut hæc meliùs expendere, tantarumqve rerum intellectum à Deo exorare libeat. Certus sum conscientiam Tuam iri convictum, primo illi Dei mandato esse parendum: præsertim cùm iteratum sit Tuâ potissimùm causâ, & de Te in specie, tunc etiam fluctuante dictum sit: *Sic omnia relinqvat ille, qvomodo loqvutus sum Ego*, Revel. 142. v. 7.

Neqve tamen solùm hoc in considerationem venire debet tametsi sufficiat: sed & absurda qvæ comitabuntur, si secùs fiat. Annon enim prodigiosum erit, primam Revelationum partem (qvantum earum Editione primâ luci expositum fuit) exstare integrè, sicut & partem ultimam (à 20 Januarii hujus an-

ni, ad finem): mediam verò mutilationibus deformari? Qvis lector pius hoc non nauseet? Aut qvomodo Editio hæc plena dici poterit, qvæ non erit? Nonnè Tibi jam objectum (qvùm Revelationes reqvirentibus Epitomen offerres) *Revelationes volumus, non Revelationum fragmenta?*

Præterea, si Epitomationis illius radicem primam & imam inqvirere vellemus, pateret profectò ὀλιγοπιστίαν esse, pusillanimitatem ac defectum fidei, metúmqve hominum, innatâ cæcitate suâ sibi nebulas fingentem: *Qvis scit an hoc vel illud particulare implebitur? Annon hoc vel illud insolens, & contra rerum statum tendens, in mendacii aut rebellionis crimen trahetur? Atqve tum Videns & Editor, ut mendaces & pseudoprophetæ traducentur; periculúmqve sibi & aliis creabunt.* Verumenimverò bonitas Dei adversus hæc Drabicium cum Adjuncto, jam inde ab initio, satis circumvallavit, inutilemqve solicitudinem sublatum ivit, dicendo: *Non tanti Vos estis ut defendere qveatis vos, nedum me & sermones meos. Defendam Ego me & vos, dum implebo omnia qvæ sum locutus.* Qvid ergò nos angi opus est, dicendo; Qvid erit, si hoc vel illud impletum non erit? Devolvamus nos curam hanc in Dominum, qvi talia scribere jussit. Tu ergò amice, cùm non sis horum Author, sed Editor, cur Te apologiis texendis maceres? Nihil opus est, damnosum potius est. Nam si qvædam non impletionis metu emaculamus, suspectos reddimus nos, machinatores esse fabricæ hujus: & sic negotium totum, qvasi non Dei sit sed nostrum suspicionibus involvimus. Tutissimum igitur erit *Omnia sic edere qvomodo dictata sunt, patrociniò rerum istarum Deo securè relictò.*

Accedit; qvòd occasione particularium personarum, aut rerum, talia interspergunturverba Dei, qvæ doctrinæ ac instructioni, vel cautioni aut consolationi, egregiè serviunt. Possum enim coram Deo testari ego, in maximis ærumnis meis (aliqvot jam ab annis) Drabicii scripta primarium fuisse solatium meum, crucísqve meæ allevamentum: & qvidem talia loca, res, verba, qvæ pro minutiis habere, levíqve æstimare possit humana ratio, mihi tamen efficacissima fuêre. Qvod qvia experimentò teneo, non trepidare non possum, dum talibus exterminium parari video, qvalibus sapientia Dei (pro varietate morborum & casuum conscientiæ) in hoc etiam Pharmacopæo suo locum esse voluit.

Venio ad argumenta Tua, qvibus Tibi Epitomationem istam persvasisti, an argumentis meis præponderandi vim habeant. Primùm dicis, *Posteriora illa in Videntis & Adjuncti usum dictata fuisse.* Resp. Ita sanè primitùs. Sed annon postea expressè publicatio mandata omnium? Revel. 442. v. 5, 6. & 445.

445. v. 4, 5. Et in Revelationum clausula (1664. 9 Julii v. 12, 13, 14) verba Drabicio dictata omnibus populis legenda tradi jubentur, sine exceptione.

2 Dicis, *Permisisse Deum summatim illa tradi*, Revel. 570. v. 4. Resp. Satis ad hoc puto responsum esse paulò antè, Deum cum hominibus humano agere more: inter qvos amicus amico, etiam intempestivè aliqvid petenti gratificatur: (ita enim David Deum facere voluntatem se timentium testatur, Psal. 145. v. 19.) Sed amor amori obviare debet: ut si amicus nostræ se accommodat voluntati, nos iterum illius voluntati accommodemus nostram: præsertim rectius de ea informati.

3 Dicis, *Liber excresceret nimis, cur nimiis oneremus Ecclesiam?* Respondeo. Hoc ipsum in qvæstione est, An qvæ per Drabicium nobis revelare Deo placuit nimia sint: aut qvænam inter ista majoris vel minoris sint necessitatis. Fieri enim posse ut minimis etiam maxima insit virtus, multis, multis in natura exemplis docemur; & in verbis divinis experiuntur fideles. (Hinc Rabbini Judæorum, *à qvolibet Legis apice montes pendere* dicunt.) Et qvid tandem? annon majoris longè molis humani libri sunt? & leguntur tamen: in divinisnè humanæ patrocinabimur ignaviæ?

4 Dicis deniqve, *Nec antiqvorum Prophetarum omnia revelata in Canonem esse relata: nec ipsius Christi dicta & facta* (Joh. 20. & 21.) Resp. Agnosco: sed & Drabicio plura sunt revelata, qvàm scribi mandata: ut Revel. 352. v. 8: gesta primi Mundi ad Vespasianum usqve: qvæ qvia Deo non placuit mandare scribi, acqviescendum est. At verò mandata scribi, & dictata ad calamum, huc non spectant: qvia expressè de his, ne addatur vel dematur aliqvid, cautum est. Atqve hæc sunt qvæ ad oblatam qvæstionem in simplicitate cordis, & in timore ac virtute Dei nostri, respondere volui: Æternam Sapientiam suppliciter orans, ut cordi Vestro qvæ sibi placent inspiret, &c.

Inspiravit autem, ut Deo & rationi obseqvamur.

N. B.

Qvia hîc solidiorum qvorundam Theologorum judicii mentio fit, estnè iis hîc recensendis locus? Resp. Prolixiora sunt: neqve solum Drabicium & qvæstionem præsentem spectant, sed omnes tres nostros. Seponamus ergò: nisi hoc breviculum (dum hæc scribo redditum) verè pii & gravis Theologi. *Fateor in ea fuisse opinione me qvoqve, post Christum & Apostolos nullas dari authoritatis divinæ Revelationes: ita etiam docui. At postqvam hæc legi accuratius, dicere soleo, Majorem in iis relucere Sapientiam, qvàm ut possint homines habere auctores, nedum illos à qvibus prodeunt: & meliora videri, atqve sic per plures annos constanter continuata, qvàm ut Diabolo possint tribui.*

Verùm nos in viam redeamus, Drabicianas integrè jam luci exponendo Revelationes.

REV. CCCXLV. 11 Octob.

[*Omnia prænuntiata in exitum deducet Sapientia Dei.*]

Diluculò ostendit mihi Dominus Nationes Orbis, & Viros dignoscentes inter illas, qvænam luci propiores, vel ab illa remotiores essent. 2 Qvibus conspectis ecqvid sibi id vellet cogitabam: Dominus verò svavi ad me sermone. 3 *Videbis tu, serve mi, qvomodo sermones mei complebuntur in omnibus Terræ Nationibus: Ibunt enim Exercitus mei tanqvam diluvia, hanc qvoqve in Terram.* 4 *Si Principi non succurrerit Rex Svecia, malè stabunt res ipsius: mea tamen sapientia diriget omnia, hâc etiam in Terra.* 5 *Cui qvid ex denuntiatione mea immineat, nemo attendere voluit: sed utinam non serò, suóqve malo, qvid illis securitas sua attulerit cognoscant!* 6 *Qvasi verò illi non sint sub potestate mea, ipsimet sibi Domini.* Et laudabam Deum cantu Psalmi 46.

REV. CCCXLVI. Octob. 18.

[*Homines judicia Dei, qvô tendant, non intelligunt,* 3. *Hungari fideles Cæsari,* 6. *Lux hæc ex Hollandia emittenda,* 8.]

Vidi Exercitum Civitate exeuntem cum Tubis, qvos seqvutus adolescentulus solitarius, & hunc Cæsar capite inclinatô, totus lividus. 2 *Qvô attonitus orabam, & Dominus ad me:* 3 Opus meum, meum inqvam opus, mirum est habitatoribus Terræ, non intelligentibus qvô tendant judicia mea. 4 Multi nihil prorsùs sciunt: solis exceptis qvos manifestatione voluntatis meæ illuminavi, sed pauci sunt. 5 Princeps jam se accingit, qvia ut erinaceus antrô suô producetur à Septentrionali. 6 Volvunt se Aqvæ super hanc etiam Terram: sed Incolæ valdè tergiversantur, memores fidei datæ Domui Austriacæ. 7 Nemo illorum plùs intelligit, ac J. M. 8 Hollandorum multi vocem meam, Gentes inclamantem, gratè admittent: ab illis itaqve prodeat hæc lux mea. 9 Scribet eqvidem de illis Adjunctus talia, qvæ te percellent: sed tu sermonibus meis attende, & in laboribus ne lassesce.

REV. CCCXLVII. 24 Octob.

[*Domus Mundi reparanda, Polonia R. Tentores.*]

Ostendit mihi Dominus ingentem Domum, in qva reperi Adjunctum cum scitulo puero. 2 Qvi me illi ostentans qværebat, *An res secundùm sermones mihi à Domino factos procedant?* 3 Aderant & Viri graves, qvibus ille documenta ostendebat ita fieri: Oravimus ergò omnes Deum ut fieret. 4 Egressi verò domô spectavimus eam, qvàm pulchrè alterâ parte reparari inciperet, alterâ

alterâ nihil; præterqvam qvod Turrim haberet, vigilesqve in ea cum metu excubantes. 5 Hæc ut transierant, dixit Dominus: *Vidisti Domum Mundi cum pravis moribus, incredulitatis, malevolentiæ, dubitationúmqve de me ex ignorantia, qvæ reparari incipit? pro qva tu cum aliis, qvi me nôrunt, ora.* 6 Qvod illicò feci cantu Spiritum Sanctum cordium reparatorem invocans. 7 Sed momentò iterum indormiens, vidi Adjunctum cum Viris gravibus me interrogantem, *Qvid obstat Gentibus, qvòd nobiscum intelligere nolint, Qvid sit Nosse Se, & DEUM, potentiámqve gloriæ æterni Operis ejus?* 8 Et ostendebant mihi mensam variorum eduliorum plenam, invitantes ad accumbendum omnes nos simul: ego verò jejunium causatus, recusabam. 9 Acqviescentes illi excusatione meâ, seposuerunt portionem meam, qvam Adjunctus mihi servandam ad se accepit. 10 Expergefacto dixit Dominus: *Solatia mea venient tibi, etiam ab Adjuncto qvi tecum erit, partémqve tuam tibi tradet: Ora igitur, & hodie jejuna diem totum.* 11 Ego verò cogitare cœpi qvid in Mundo fieret: & Dominus, *Corona Sveciæ firmabit ordinem in Polonia, cujus Rex nuperus captivus erit, sicuti Manasses.* 12 *Cæsar autem eqvitem super caput sibi sentiens, lamenta fundit super seductores suos.* 13 *Princeps (Transyl.) cum frigidis Consiliariis suis tergiversatur, Polonorum instantiis intricatus: sed debebit & ille meam exseqvi voluntatem, modò instare illi tu cum Adjuncto ne intermittite.* 14 *Vigila & ora cum jejunio: & plura indicabo tibi.* 15 Ostendit ergò (à precibus) atrium ingens, plenum officinarum Textoriarum. 16 Et qvidem ita ut Septentrionales texere jam inciperent, cum admiratione multorum: ab Occidente verò demùm stamina distendebant, mandata exspectantes hospitis, de laborum pensis, &c.

REV. CCCXLVIII. 3. Nov.

[*Domus Mundi expurgabitur: sed interim patientiâ opus.*]

ANte diluculum ostendit mihi Dominus valdè amplam Domum, ubi erant varii ordinis homines, supputantes impensas in reparandam Domum faciendas. 2 Inter alios fuit & A. Klob: manu tenens neta valdè intricata, consilium reqvirens qvomodo extricari possent. 3 Mihi verò aperiebatur janua in conclave qvoddam, ubi sedebat Domina Princeps cum Virginibus suis splendidè admodùm vestita, omniáqve circumcirca aulæis, & ornamentis contecta, nitore qvalem nunqvam vidi. 4 Expergefactus cogitabam Principissam Transylvaniæ, orans pro illa: & Dominus ad me. 5 *Ostendi tibi id super qvod exultabis, cùm ego Domum meam Domum Mundi, emundavero, ut omnia hic decorè fiant, & qvisqve sine coactiva vi sua agat.* 6 *Ubi Virtutum Princeps cum virginibus sororibus suis sedebit, Túqve cum aliis me diligentibus illis cohabitabis, exultans super me Sponsum æternæ gloriæ, ad qvam omnes Vos invito.* 7 *Ubi omnia jam parata sunt Vobis filiis hominum, utriusqve sexûs, qvi diligitis me: tantummodò me timete, voluntatémqve meam toto corde implete, mandata servantes mea.* 8 *Expecta tu solatia meaqve venient;*

sed tempus & diem inqvirere noli, fidem habens & patientiam. 9 *Domum Mundi expurgari necesse est à vanis Religionibus, ut omnia reddantur qvàm ordinatissima.* 10 Qvibus ego auditis, laudabam cum lacrymis nomen Dei, orans pro Ecclesia & iis qvi nondum noverunt nomen Dei.

REV. CCCXLIX. 12 Novemb.

[*Non diffidendum Deo. Klobucicius, 5, 9.*]

A *Matutinis precibus tristis eram spiritu, solicitus quid rerum in Orbe fiat, & qvid futurum sit cum rebus mihi revelatis, in tanta humanorum judiciorum varietate.* 2 *Et Dominus:* Ne incredulus esto, ne zela! sufficit diei vexatio sua, 3 Iam voluntatem meam detectam habent Gentes, ibuntqve tempestates iræ meæ per Nationes. 3 Para Eperesinum mittenda, qvæ flagitant: mei sunt, plus aliis fiduciæ habentes erga sermones meos: etiam Principissæ scribe. 5 A. Klob: jam ignem iræ meæ sustinet, æqvè ut alii ambidexter: qvorum consilia non processura videbis. 6 Tu patiens esto: sermones mei satis aperuêre oculos iis, qvi eos legerunt sincerè, rationem subdentes fidei. 7 Non plus jam opus, non enim ferret Mundus, si omnia abscondita mea vellem retegere tibi. 8 Finem itaqve illis imposui, qvæ omnium usui exponenda sunt, sermone meo 6 Octobris habitô: qvi sermo veritatis est, cui resistere non poterunt Idololatræ, coeci duces illi. 9 Svecus res suas in exitum deducit in Polonia: Tu hæc ad Klob: mitte, tametsi jam parum viventem: qvscum qvid fiat, comperies. 10 Exseqvere munus tuum; mihi tu curæ es, & alii Cultores mei. 11 *Et laudavi nomen Domini, cúmqve lachrymis cantabam Psalmum* 90.

[Ad v. 5. & 9. Ardebat jam Domus Klob: peste, exstinctis filiabus duabus & filio: ipse seqvutus die 19 Novemb.]

REV. CCCL. Novemb. 28.

[*Mina malorum non curanda. Drabicius ibit qvò nollet, 14.*]

A *Precibus, cùm jam lucesceret, indignabar Principis Legato, in Transylvaniam redeunti ab Electore Saxoniæ: cui ego (qvod nescirem esse Croatam, & Papistam, cum altero qvi Hungarus erat) literas meas tradideram oretenusque tria hæc Principi significare jusseram.* 1 Obtestari me & Dei nomine monere, ne Princeps divinum nutum, & cum Corona Sveciæ confoederationem (qvam pater ipsius magno labore paraverat) aspernetur. 3 *Secundò,* Ut sibi caveat, ne veneno tollatur: clandestinos etenim illum habere inimicos. (*Ubi uterqve horum qvinam illi essent inqvirebant? Ego autem confidenter id, qvod Dominus indicàrat, respondi, Jesuitas esse.*) 4 *Tertiò,* rogare me, dignetur sua Cels. responsum mihi ad hasce literas meas impertire. 5 *Id qvod uterqve illorum (cum osculo manus meæ) in se receperant: Croata*

tamen

tamen postea virulenter de me fuit loqvutus, mala minitans. 6 *Cujus malitiam cùm detestarer, respondit Dominus:* Ne indignare, fidelis esto! Causa enim mea succedet, postqvam prodigiosè tractavero habitatores Orbis, etiam in hac Terra. 7 Ne timori tibi sit malitia hostium, etiam canis istius te calumniosè allatrantis: abibit & ille in locum suum, cum cæteris sui similibus, qvos tu non nôsti, ego verò novi. 8 Removi jam repagulum Klobucicium, qvi consiliis suis obserabat januam, ne Princeps faceret voluntatem meam, suas vanas cogitationes secutus. 9 Ego autem cogitabam Ferdinandum adhuc vivere: *Et Dominus*, Si non est mortuus apud vos, apud me jam mortuus est: Surge, vigila & ora! 10 *Vesperi autem, cùm Libellum* Persecutionum Ecclesiæ Bohemicæ *legendo tristarer, miratus ea qua cap. 23 habentur, dixit ad me Dominus:* 11 Memento eorum qvæ legis, opus enim iis habebis: qvando te sisti erit necesse, ubi nolles. 12 Ne metuas, nam & illîc qvô iturus es non confunderis: mea enim causa agitur, ego procurabo Opus tibi revelatum. 13 *Qvâ promissione gavisus ego cum lacrymis gratias egi: & Dominus.* Ne te tui tædeat, serve mi! Abstergam ego lacrymas ab oculis tuis & aliorum Cultorum meorum, effundamqve jam hodie ignem iræ meæ super Domum A.

REV. CCCLI. 1 Decemb.

[*Solus Christus caput Ecclesiæ. Germania sine Cæsare. Suecus.*]

ITerum *factum est Verbum Domini ad me postqvam preces peregissem, dicendo:* 2 Reducam ego Vos cultores meos ad Vocationem vestram, in Patria qvemqve sua, si vos invicem dilexeritis, & in mea ambulaveritis charitate, qvæ vinculum est perfectionis, siqve unicum me in Caput & Pastorem habueritis, prætereáqve neminem. 3 Confixi ego heri Principissę vestrę caput clavis scandulariis, ut sese cognosceret ex literis tuis à te illûc missis. 4 Nam non sunt talia hominum Opera qvalia sunt mea, ad credendum sermonibus meis, nisi ego illis virtute mea ad credendum atqve intelligendum, pondus addidero. 5 Dixi autem & dico nunc, effudisse me sagittas iræ meæ super Ferdinandum III. ad elidendum impuram animam ex corpore mortali, putridâ pelle cooperto. 6 Noluit enim finem imponere Tyrannidi adversus Christianos: ideò miracula fient in Mundo. 7 Ne metue: non ille amplius jam affliget populum meum, prostratus à sagittis iræ meæ. 8 Veniet novum belli diluvium super eos etiam qvi stabiliebant eum, contemptum inferentes nomini meo. 9 Conturbavi ego totum Imperium, ut nesciant qvô se vertant destituti Cæsare: sed ego inveniam illum qvi meam faciet voluntatem. 10 Nuncius ab Adjuncto veniet, qvô tu gaudebis: exspecta jam te vocatum iri, sed tu ne eas, priusqvàm ego jussero; novas vires accipies. 11 Ne metue, ego tecum ero, & dejiciam Tyrannos qvum plures venerint plagæ meæ: nam una non sufficiet. 12 Qvando autem plures plagæ venient super Populum hunc perfidum mihi, Legiqve meæ, Tu habe-

habebis vocationem ad peragendum Opus. 13 Svecus compositis in Polonia rebus ibit in Silesiam & Adjunctus cum illo. 14 Tu nihil ampliùs ex me qværito: ipse ego novi, qvid significandum sit in tuos usus. Mundo sufficiant hæc.

REV. CCCLII. Decemb. 10.

[*Officia eorum qvi rebus in Mundo præsunt.*]

O*Stendit mihi Dominus amplam Domum nitidè crustatam, & variarum rerum plenam, omnia suo ordine.* 2 *Et cùm me recollegissem, dixit Dominus:* Appropinqvat renovatio Domûs Mundi. 3 Vos Reges, Vos Duces, Vos Dominatores, vos Ecclesiæ Pastores [*audite!*] Ideò ego vos locô meo stare jussi. ut judicium & misericordiam exerceatis, unâ cum Consiliariis Vestris, non tyrannidem. 4 Et timore nominis mei discrimen habeatis inter mundum & immundum: & justum judicium feratis de vero ac falso, de misericordia atqve justitia: exemplô meô vos gerentes super terram. 5 Qvod ni feceritis; malè vobiscum agetur hîc & in æternum. 6 Ecce Vestri causâ & olim loqvutus sum & nuper; per hos etiam sermones meos, qvos vulgare mandavi Testibus meis. 7 Scitote igitur qvicunqve locum tenetis meum in Terra (qvam ego usibus concessi Vestris, & concedo absqve merito Vestro, nisi qvòd sic placeat mihi, amoris ergà vos testandi causâ, ô homines! idqve qvousq; visum fuerit mihi, & non qvamdiu vos velletis, qvotqvot habitatis in universa Terra, terra hæreditatis meæ, non autem Vestræ) Vestri vos nihil habere, præter à me concessum Regimen. 8 *Ubi mihi Dominus in memoriam revocabat gesta prioris Mundi, & inde ad Vespasianum usqve, qvæ acta essent circa Hierosolymam.* 9 *Nunc autem appropinqvare mirabilem Mundi metamorphosin: cujus initium sit in Polonia.*

REV. CCCLIII. 15 Decemb.

[*Sponsa Christi Ecclesia. Indicia de his revelatis varia.*]

A Precibus post mediam noctem, ostendit mihi Dominus multos Ecclesiæ Ministros, manibus invicem prehensis incedentes: inter qvos & ego fui, unà cum multis mihi notis. 2 Qvorum unus introduxit nos in Conclave ubi Sponsa sedebat, non primô sed velut ultimô locô: cui cùm omnes ex ordine offerrent dextras, ego tandem qvoqve. 3 Qvæ manum exhibens, ostendebat armillam auream valdè pulchram, loqvens mihi nescio qvid, nisi qvòd Caput juberet attollere. 4 Qvô factô vidi adventare Exercitum, præcederéqve Regem splendidè vestitum, Eqvô rufô, vultu majestatis plenô. 5 Qvod in me tantum excitavit gaudium, ut evigilarem, laudésqve in laudem æterni Ecclesiæ Sponsi decantarem. 6 Orans pro Ecclesia ejus Sponsa, patriáqve nostra oppressa, lacrymas coram Domino fundens. 7 Qvi morâ haud parvâ interpositâ, dixit: *O Vanissime Munde tuis cum justitiis & vaste fastuosa de te opinionis!*

simpli-

simplicitate, fide, humilitateq; suspiriis & fiduciâ erga me destitute. 8 *Tu silentiô tempus transige, unà cum cæteris mei amantibus.* 9 *Gentes expendent Sermones meos per te prolatos: variè torqventes judicia, qvorum plenus erit Mundus.* 10 *Tu autem ductu meo acqviescens, surge, & qvæ tibi ostendi, in tuum & dilecti tui usum scribe.* 11 *Mundus iis qvæ antea sum loqvutus, & tu timentibus mei tradidisti, contentus sit.* 12 *His ego ad preces excitatus cantavi Psalmum* 31.

REV. CCCLIV. 20 Dec.

[*Consilia humana non evertent intentionem Dei circa Poloniam.*]

OStendit mihi Dominus plurimas Textorum officinas, qvibus stamina texebantur, aut ad texendum parabantur. 2 Mox venit qvi me deduxit in hortum, ubi aurum distribuebant placentarum instar, mihi etiam: ego verò largiebar inde aliis. 3 Qvod alii acceptabant, alii respuebant, alii metu corruebant: qvod ego miratus evigilavi. 4 Dominus autem: *Mortui sunt pisces in aqva turbida spei humanæ, sed spes tua & aliorum qvi mihi fidunt, non periit.* 5 *Para te laboribus.* 6 *Firmum ego fundamentum posui Operis mei in Polonia, qvod evertere qværunt: sed non sunt tanti hostes ut obniti, & illud evertere qveant.* 7 *Hodie ab Adjuncto epistola veniet:* & venit.

REV. CCCLV. 27. Decemb.

[*Sermones isti Dei in lucem promovendi: & qvidem in Hollandia.*]

POst auditam noctis undecimam, allocutus me est dilectus Dominus meus, dixitqve: *Surge, scribe, transscribéqve tibi communicata, & abi ad J. M. hilariter te excipiet:* 2 *Et dic Adjuncto ut Sermones mei in lucem prodeant, qvemadmodum mandavi: Nihil cavilla respectate isthæc aspernantium, sapientes apud seipsos semper erant, nec adhuc deerunt.* 3 *Non aspernabuntur hæc aliæ Gentes, me adhuc ignorantes, per Orbem sparsæ; propter qvas, & ad qvas, Ego ista locutus sum. Qvi capere potest capiat: tantummodò ne per Vos stet.* 4 Surrexi igitur & scripsi: nam isthæc ter Dominus repetebat. 5 Postqvàm autem transscripsissem redormivi ante qvartam, iterúmqve evigilavi circa Sextam. 6 Et Dominus. *Surge, & abi ad J. M. illiqve dicas: Scribe ad Principem, ut et ipse rationem suam mandato meo subdat, ut illi benè sit.* 7 *Tu qvoqve ipsemet ad illum scribe: & scribe vias meas non esse hominum vias, qvicunqve per eas ambulavit unqvam, me seqvutus, neqve seipsum nec alios seduxit; neqve igitur ipsum iri seductum, modò voci obtemperet meæ.* 8 *Ecce Sagittæ meæ directæ sunt contra vituperatores nominis mei: etiam contra illum, nisi vocem meam audire, eámqve seqvi voluerit.* 9 *Satis apertè loqvutus sum Mundo, etiam ipsi: pluribus non est opus.* 10 *Clausulam Adjunctus ita relinqvat, qvomodo eam ultimò* (6 Octob.) *misisti.* 11 *Dijudicent hæc non tantùm qvi me nôrunt, sed etiam qvi me adhuc ignorant: qvibus*

bus hæc (ad me agnoscendum) auxilia paro. 12 *Hollandi quam ab ipsis reqviro operam à se non abalienabunt qvi adulti judicii sunt, inservituri sic non sibi tantùm, sed omnibus totius Terrarum Orbis Populis.* 13 *Quibus auxiliatum venio, ut conspectâ voluntatis meæ luce (antiqvâ & hâc novâ) liberent se ex labyrinthis vanarum superstitionum, veniantqve ad me fontem Aqvarum Vitæ, gloria meæ.* 14 *Tu jam surge & exseqvere qvæ tibi in mandatis dedi, ut benè tibi sit.*

ANNO M. DC LVI.

REV. CCCLVI. 6 Januar.

[*Polonia ob Veritatis odium, & persequutionem, punienda. Hæc gentibus notificanda omnibus, & cur.*]

LUcescebat, & compellavit me Dominus; *Serve mi, Sufficiat Mundo quæ loqvutus sum, ad cognoscendum lucem Legis meæ:* 2 *Et ad cognoscendum alteram lucem, Meipsum & Patrem meum, qui solus vera sum Lux ad illuminandum ambulantes in tenebris.* 3 *Stabile ego posui fundamentum in Polonia: ad evertendum ibi & alibi virtute Operis mei tenebras Idololatrarum, errantium sine me Veritate salutis.* 4 *Si agnoscent, ut & ipsi illorum duces cæci, benè illis: sin, ecce plagæ meæ jam sunt paratæ, Terram illam in desertum redactura: intricabo enim illorum Mentes qui me aspernantur.* 5 *Digressô ab illis Sveco non cessabunt conspirationes [contra purum meum cultum] exstirpari penitùs necesse est viperarum progeniem.* 6 *Expeditis autem omnibus, quæ ibi expedienda sunt, Rex eat qvô eundum est meo sub ductu: ibo enim cum illo.* 7 *Adjunctus exponat jam Gentibus universis quæ paravit, sua & tua hæc.* 8 *Appropinqvat enim dies judicii mei, ubi omnes Vos filii hominum comparebitis cum operibus vestris, magni & parvi, boni & mali.* 9 *Detraham enim firmamentum, subductis fulcris ejus, ubi jam Vos destituet tempus, adminiculáqve omne genus, qvibus vobis nunc succursum eo, ó homines totius Terræ!*

REV. CCCLVII. 18 Jan.

[*Similis argumenti.*]

ITerum factum est Verbum Jehovæ ad me, cùm matutinas peregissem preces. 2 Trajiciebam mare difficili navigatione, cumqve metu ac timore: postqvam verò tristis ad me rediissem, alloqvutus est me Dominus meus, & Deus meus, dicendo. 3 *Memento sermonum meorum; nam flatus mei veluti mare effundentur super contemptores nominis mei, ut duplicatam è manu ipsorum recipiam mercedem, pro tyrannide ac contumeliis eorum, qvibus menoménq; meum, atq; Vos Cultores meos, proscidérunt.* 4 *Initium feci in Polonia, sed fiet longè deteriùs in hac terra: & his te interesse oportet, ut hic omnia fiant juxta sermones meos.* 5 *Adjunctus accepit literas, ad qvas responsum*

sponsum habebis. 6 *Quòd ad Principem scribis, benè facis: adde etiam hoc, Justitiam meam exerceri super mihi immorigeros, sed misericordiam fieri me timentibus.*

REV. CCCLVIII. 19 Januar.

[*Sigillum charitatis Dei*]

OStendit mihi Dominus Civitatem, prope qvam stabam cum multis notis mihi & ignotis, qvi omnes me indigitando cum vituperio sententiam ferebant; qvos ego duris compellabam verbis. 2 Interea allatum mihi fuit amplum Cæsareum sigillum, cum privilegiis ad me, posterósqve meos spectantibus: qvam rem adstantes demirabantur, qvidam & mihi congaudebant. 3 Mihi redditus orabam Dominum, qvi respondit: *Contra calumniatores luctatus es, sed ego te sum solatus.* 4 *Ne pavesce, sigillum charitatis meæ videbis, si laboraveris ad eum modum ut mandavi tibi.* 5 *Mednianius tibi notas reddet res novas: tu autem sub trutinam ipsius proponas ea qvæ ad Principem scribis.*

REV. CCCLIX. 22 Januarii.

[*Moravia & Bohemia jugô liberandæ.*]

V*Idi Aqvas turbulentas volventes, ut pavescerem.* 2 *Et allata mihi fuit à Meridie Epistola; cui grandi charactere inscriptum fuit* XXIX. 3 *Cùm verò ad me reversus invocarem nomen Dei, ostendit mihi Dominus (post interjectam sat longam moram) in pariete fulgorem, qvem intuitus cogitabam, qvidnam esset?* 4 *Et Dominus:* Ne solicitus esto serve mi, Tonitrua aqvarum mearum attollunt se per Nationes terræ, resonante clangore tubæ meæ, operâ Adjuncti. 5 Qvi jam cum aliis intuetur utrôqve oculo clariùs (*ostendítqve mihi faciem ejus amœnam, oculúmqve sinistrum dextro clariorem, ut radiaret.*) 6 Accipies ab illo informationem etiam in Principis usum: qvi nunc cum Matre sua consultat. 7 Sermo tuus memoriæ Mednianii impressus est, crescunt illi cogitationes: unâ operabimini. 8 Ecce hydrops Ferdinando effundet animam, Gentésqve super illum & Domum ejus à me effusæ profundos ducent sulcos super dorsum posterorum ejus. 9 Terra Vestra intra XXIX annos ab exitu vestro renovationem accipiet totalem. 10 Bohemi ægrè admittent jugum vi adoriendi erunt. 11 Judicium meum & sermones mei non mutabuntur: tu ne turbator in gratiam cujusqvam. Labora invocatione tua, consolaberis etiam de Rupe. 12 *Et collaudavi Deum Psal:* 13.

REV. CCCLX. 23. Januar.

[*Clangorum Tubæ hujus Dei finis est, ut ad nuptias Agni concurrant Gentes: Domino ipso in effectum deducente omnia.*]

A*Precibus matutinis vidi hominum turbam ingentem.* 2 *Et Viros desponsantem Virginem Juveni vultûs amœni, sermonumqve suavissimorum: ubi propinabatur potus*

Vini valdè defecati. 3 *Et mandabatur mihi à qvodam Procerum, abirem concionatum in Civitatem longinqvam: qvod mandatum excepi cum gaudio.* 4 *Et Dominus iste narrabat mihi confluere jam Gentes: audivíqve clangorem Tubarum, & sonitum Tibiarum, & strepitum Tympanorum, & tumultum congregantium se Exercituum: qvod cùm spectarem, mirabar & gaudebam.* 5 *Experrecto autem mihi dixit Dominus*: Jam Tubæ vocis meæ per te & dilectum tibi Adjunctum sonant inter Gentes. 6 Jam enim se accingunt, armáqve capessunt ut veniendo zizania evellant, Idololatras cum Idolis evertant, Nuptias meas promulgent, me Sponsum ostendant, Convivium nuptiale meum ex vino defecato, gratiæ meæ promissionibus Legis meæ inclusæ, evulgatæ, per méqve promeritæ, exhibeant; Gentes convocent. Vineam vastatam denuò plantent, vitibúsqve novellis conserant. 7 Ut succrescant omnia amœnè, fructúsqve mihi & in me ferant qvisqve suô locô, Rex, Dux, Dominus, Subditus, Ecclesiæ Pastor, Auditor, Pater, Mater, Filius & Filia, me unicum Sponsum suum agnoscentes, méqve vitæ radicem diligentes, qvi sum Panis ad alendum, sufficiens omnes Nationes totius Mundi. 8 Idqve ubiqve per omnes Orbis angulos, concorditer, unanimiter, in pace, & mirabili in me gaudio, & charitate. 9 Idqve ad diem & horam usqve mei ad vos reditûs, & Vestri ad me raptûs, & agendarum vobis fidis ducibus meis gratiarum, & accubitûs vestri ad mensam meam, Vobisqve reddendæ pro labore mercedis. [*Qvæ dum ego audirem & scriberem, profundebam ex oculis meis lacrymas, & turbata mens mea diu non potuit sedari.*] 10 Ideò tu, serve mi, tristari ac lacrymari, humanorúmqve sermonum insipientiam detestari, noli: aderit meum tibi & reliqvis testibus meis auxilium & solatium, qvi propter nomen meum patimini. 11 Veniet etiam tempus, cùm picta imago tui ab aliis ad alios missitabitur, nec non te ad se invitabunt: sicut & à Principe vocaberis, si mihi ille morem geret. 12 Ad qvem ibis, sed duntaxat Saros-Patakium: ubi natus est, ibi in Regem ungatur. 13 Ibidemqve in Dominiis suis tu initium facies exscindendi Idololatras, qvemadmodum tibi antè locutus sum, & mandavi. 14 Me solummodò dilige, ferventer Opus meum age, preces funde, qvaliqvali providentiæ meæ ductu contentus esto. 15 Ecce omnia in universum peragam in Mundo, juxta consilium sermonum meorum, adeó ut Pax annuncietur in Nationibus terræ? 16 Surge nunc & conscribe hæc pro te, Dilectóqve tuo & meo. 17 Cessante autem mihi loqvi Domino, statim succurrebat Psalmus 119.

[v. 5. *Iam sonant*) Atqvi hæç nondum edita erant, anno demum seqventi. De futuro igitur ut de præsenti loqvitur.]

Rev. CCCLXI. 13 Febr.

[*Pro Nationibus Terræ orandum,* 3. *Sed & ad illas vox Dei mittenda: qvod qvia Adjunctus tergiversatur, increpatur,* 5.]

CUm dies jam esset, redormivi post preces in momento: & visus mihi sum texere stamen elegans, qvemadmodum & præcedente die sabbathi linteum pul-

um pulchrum. 2 Ubi contentio fuit de Opere bono, atqve de Opere malo: & judicium fiebat de veritate operis boni, & falsitate operis mali, omnia bilanci imponendo. 3 Ego autem repentè mihi restitutus, orabam ad Deum pro Nationibus universæ terræ, etiam Turcis, Tartaris, Judæis, & pro ipsis Idololatris, atqve qvibuslibet errantibus. 4 Et tunc locutus est ad me Dominus, dicens: *Fidelis esto, satis jam potentia mea operata est, porròqve in Nationibus operabitur: etenim opus meum neutiqvam supprimetur.* 5 *Tergiversatur adhuc Adjunctus frustrà nescio qvodnam tempus sibi pollicendo: Ego verò dudum locutus sum procrastinandum non esse, jamjam enim tempus est.* 6 *An & ille nescit sub ferula se esse mea? qvam non evitabit si reluctari perrexerit.* 7 *Scribe illi qvemadmodum scripsisti Principi, Vias meas non subjacere judiciis humanis.* 8 *Nam propter ignorantes me adhuc Gentes tempus est, ut sciant & audiant, non tantùm ejus, sed & Tuba mea, vocem: & benè stabit utrumqve. Tu vigila & ora.* 9 Qvæ ego admiratus, surrexi & statim scripsi, Deúmqve cantu collaudavi.

REV. CCCLXII. 23 Febr.

[*Radzivil, Racocii, Svecus, cur conatibus suis exciderint.*]

A *Precibus, cùm jam discederet, dixit mihi Dominus.* 2 Serve mi, Scito miranda opera mea jam procedere in Gentibus, jámqve Exercitus ut nubes attollere se. 3 Nam virga ferrea iræ meæ conteret meos & vestros hostes: qvemadmodum jam signum exhibui in Polonia, depressâ Gente illa pervicaci, sicut tibi prædixeram ante. 4 Radzivilio sua incredulitas obfuit. 5 Princeps Vester si meum ductum deseret, malè sibi consuluerit, audies de illo Medniahii operâ. 6 Domus Austriaca, Domus Austriaca in scabellum pedum dabitur, cum Consiliariis & Ducibus suis, jam consilii expertibus. 7 Sveciæ Rege è Polonia Silesiam versùs progrediente, Princeps qvoqve se moveat, ni si conteri vult à me & ira mea. 8 Tu tibi cave, labora in vocatione tua, multos habes hostes: 9 *Tunc gratias egi Deo, & proponebam ea die jejunare; Dominúsqve dixit* Benè, fit ita, vigila. 10 *Oppressitqve me subitò somnus, & vidi duas Domunculas nova structura, juxta majorem vetustam.* 11 *Exortusqve est Ventus & Ignis, & utráqve illa Domus nova corruit: qvod indolui propter inhabitantes eas, oppressos metuens.* 12 *Accurrénsqve vidi plerisqve illorum ruinam illam nihil nocuisse, gavisúsqve laudabam Deum.* 13 *Et mox ad me reversus audivi vocem Domini mei, dicentis:* ARDET MUNDUS! Subrui ego domum Regni Polonici, & conservavi tamen dilectos meos Cultores, qvos volui. 14 Subvertam & Austriacam Domum citò, ubi tu videbis Cultores meos. 15 Svecus in Polonia brevi res conficiet, ibitqve ulteriùs. 16 *Qva admirationi mihi fuére, & cantabam Psalmum 42.* 17 *Et tunc vicissim interjectâ aliqvâ morâ, Dominus dixit:* Satis apertè, ut Mundus videat, incipio operari, qvemadmodum tibi sum loqvutus. 18 *Ceciniqve, Deus miserere nostri, tolle peccata, auge pœnitentia donum &c.*

[Ad v. 7.) Movit se, at non qvô jussus, sed qvô prohibitus, in Poloniam. V. Rev. 199. v. 6. 7. 9. & 200. 5, 6: & 228. 11, 12: & 335. 10: & 341. 5, 6. Ergò si factum qvod hìc minatus fuit Dominus, (ut contritus fuerit ab ira Dei) qvis hîc culpandus?]

REV. CCCLXIII. 5 Martii.

[*Solatia Videnti, 1. 4. 6.*]

A *Precibus locutus est mihi Dominus meus & dixit:* Spes tua non decollabit. 2 Nam volatilium reptiliúmqve meorum, creaturæ terrestris, agmina congregantur in facie terræ, ut faciant juxta dudum tibi à me significatos sermones meos: de qvo Mundus nunqvam cogitare, multô minùs ea de re loqvi, scivit. 3 Utut autem negotium illud difficulter procedet, procedet tamen. 4 Princeps jam calceamentum negligentiæ exuit; respondebit etiam Principissa, sed celando, propositum [*Responsum recepimus ad petitionem nostram, ne tributum à Ministris Exulibus pendi sit necesse.*] 5 Heri dixi, intra duas septimanas minus latas tibi redditum iri literas à Comenio, sed aliunde solatia habebis [*Et factum est.*] 6 *Cùm autem Concioni interessem, attritámqve vestem meam aspectarem, dixit Dominus:* Ne sis solicitus, habebis aliam: *Et collaudavi nomen Dei.*

REV. CCCLXIV. 7 Martii.

[*Dolium gentium. Angelica circa Videntem excubia, 1, 6, 13.*]

EVigilavi noctu & vidi (tenebræ licent essent) cubiculum meum totum album, nivis instar. 2 Orabam igitur, *Mane nobiscum Domine, &c.* 3 Et illicò redormiens, vidi viros eximios (inter qvos Adjunctus meus) consultantes de rectè agenda arduissima qvadam causa. 4 Hæc dum geruntur, adducitur currus, cum imposito Dolio, qvi evertebatur, doliúmqve istud decidit, dirusqve cœpit: qvod ego illud consolidare qværebam, sed frustrà, vinum enim paulatim erumpebat. 5 Interim evigilavi & Dominus dixit: *Nondum diruptum est dolium à me congregatarum Nationum, rimas solummodò hinc inde agit.* 6 Audiviqve pulsum trinum: & Dominus, *Hostes ne metue! ecce te circumdantem Exercitum meum!* 7 Et egi gratias Domino, cantando: *Mane nobiscum in hâc valle, qvi residesin Cœlis,* &c. 8 His finitis cæpi cogitare qvàm pauci essent, qvi sermones Dei per me prolatos admitterent, fidéqve exciperent. 9 Ad qvæ Dominus, *Ne mirere! Vanitas cordis humani non exiit mentibus eorum.* 10 *Sed nuntiet eorum aliqvis Mundo simile aliqvid iis, qvæ prænuntiavi ego! Et certè, nemo plus tibi significare poterit iis, qvæ tibi indicavi.* 11 *Nihil tu eos cura, qvi de suis etiam rebus nihil dicere qveunt.* 12 Iterum cogitanti, minari qvosdam mihi & Efronio ob Tabellarium ex Polonia adventantem; respondit Dominus, *Nihil hostilem metue malignitatem.* 13 *Tredecim anni sunt ex qvo per te loqvi cœpi mundo; promissione factâ non te derelictum, sed tanqvam in gremio meo servatum, iri, circumdatum perpetuâ Angelorum custodiâ, qvibus tui mandavi curam.* 14 *Mihi te & alios permitte, facien-*

faciendo constanter voluntatem meam, eundoqve eò qvò te amandabo, qvóve etiam vocaberis, ad expediendum ea qvæ tibi in mandatis dabo: namqve tempora mea labuntur. 15 *Et tu jam cessâsti laborare ad producendum in lucem ea qvæ abscondita sunt rupe? prorsus laborandum est.* 16 *Oravi igitur miserationem, et ut signum daretur: Crepuitqve bis, ut domestici mei in cubiculum accurrerent.*

REV. CCCLXV. 16 Martis.

[*Svecus in Polonia. Moravia suos recipiet: tametsi nonnisi per summas difficultates eò veniri poterit, 8. &c.*]

DEnuò factum est Verbum Jehovæ ad me.
2 *Indormivi peractis precibus, et vidi Arvum sementi paratum, partem terræ optimæ & aliam seqvioris: utrumqve tamen conserere debebamus.* 3 *Ut verò mihi restitutus fui, dixit Dominus & Deus meus:* Fidelis esto mihi ad mortem usqve, & accipies coronam Vitæ. 4 Jamjam finiet Svecus opus suum in Polonia: qvæ terra subacta et præparata erit ad excipiendum sementem mei boni, Legis et statutorum meorum. 5 Multi illic te videre desiderabunt: sed Patria tua opera tua indigebit unà cum aliis, qvos in illam reducere decrevi. 6 Illa Vos cum gaudio excipiet: id qvod tibi promisi, et præstabo, te ibi functurum esse officio. 7 Labora igitur in vocatione tua, sine labore nihil apud vos esse potest: *& collaudavi Deum, cantans Psalmum* 66. *rursusqve indormivi.* 8 *Ubi mihi Dominus Fortalitium ostendit, ad qvod ibam viâ admodum angustâ & rigidâ, per ponticulos valdè periculosos.* 9 *Ad latus tamen habebam qvendam pervenustæ faciei, qvi ubicunqve periculosior transitus fuit, ponticulum ante me insternebat.* 10 *Sed ad portam ut veni reperi pontem pensilem sublatum, et tristi eram animo ingredi non potuisse, simulqve ad me redii.* 11 Et Dominus: Vigil esto & confide mihi, nam ingruunt, & ingruent, aqvæ Exercituum meorum, etiam super hanc terram, obruéntqve Patriam qvoqve tuam. 12 In qvâ tibi periculosum fuit deambulare, sicut & in hâc terra intutum est, propter hos & illos tibi notos & ignotos. 13 Qvi nolunt ex toto intelligere opus meum, qvod per te operatus sum, cunctarum Terræ Nationum in bonum. 14 Sed intelligent propediem, etiam cum illis vanæ superstitionis sectatoribus, qvorum lingva et ad me clamores, ut illis auxilier, humi serpunt: frustra, prorsus frustra, me invocant. 15 Qvos ne metue, prudenter te gere, rariùs prodeas, donec à Principe informaberis per J. M. de omnibus, ut & ex Polonia. 16 Deduxi te ad Munimentum occlusum, ad qvod difficili itinere pervenisti, & adhuc difficilius ire habebis priusqvàm ego tibi illud pandam, & tu labores Operis mei, qvod & hâc in Terra, et in Patria exseqvi debes, finias. 17 Sufficit jam hodie: Scias ista me nunc porrò tantùm pro tuis & Adjuncti tui usibus loqvi; illa priora Mundo sufficiant. 18 Surge, labora, venient namqve reptilia Exercituum meorum: tu mihi servias, non deserêris. 19 *Et gratias egi Deo, ceciniqve Psalmum* 20.

[Ad v. 4.) Finivit opus suum, non Dei, relictâ semente istâ aliis: qvod tempus ostendet.]

REV. CCCLXVI. 27 Martii.

[*Cæsaris mors. Rex Svecia. Racoci.*]

MAne ostendit mihi Dominus Carpentum bigâ tractum, undiqve contectum; neq; qvidqvam animadvertere fuit, qvidnam illo veheretur. 2 *Hac res cùm pertransiisset, cogitabam qvid isthuc sibi vellet: & crepuit secundùm consvetudinem præsentia Domini.* 3 *Ubi ad me Dominus:* Evehent Cæsarem occultò ex domo ejus, juxta sermones meos, & celabunt mortem ejus. 4 Princeps Rak: responsum mittet: Mednianium adducam, qvocum de omnibus conferas. 5 Rex Sveciæ confectis in Polonia rebus, ne transeat in Italiam, nisi priùs Austriam ingressus & Princeps cum eo. 6 Omnia parata sunt: tu novas vires accipies, in me lætare & mihi servire perge juxta munus tuum. 7 Surge, labori te accinge. 8 *Et feci, decantaviqve Psal.* 116.

[Ita hæc dicuntur, si Christiani judicia Dei exseqvi voluissent: qvia verò noluerunt, extraneos se adducturum infra minatur toties.]

REV. CCCLXVII. 30 Martii.

[*Videntur circa hæc tædia: Adjuncti pavores.*]

TOtum diem mœrore transegeram, qvibusdam gravibus cordis doloribus laborans adeò, ut à Concione reversus (qvâ super Orationis Dominica textum sermonem habueram) in lectum me ponere necesse haberem. 2 *Ac tametsi Uxor ut medicinâ uterer instaret, renuebam tamen, donec circa verspertinum obdormirem.* 3 *Et vidi mihi insultantes duos canes, qvorum alter Prognostica mea dentibus mandebat, cujus ego faucibus gladium impegi, & ad me redii.* 4 *Dominus autem:* Sufficiat diei sua vexatio, ne te vexari patere propter homines. 5 Comenius accipiet tuam de voluntate mea informationem, sed parùm emendabit, adhuc procrastinabit. 6 Miræ in cor ipsius ascendunt cogitationes; transversum eum egit veritas sermonum meorum. 7 Ad mensem Majum universi Exercitus mei ad Opus meum congregabuntur. 8 In terra Vestra pauci superstites erunt: propter perversitatem eorum perseqvar eos, Mesericenses etiam. 9 Præstaret illos in tempore fugâ sibi consulere: sed nescient qvò se vertant. 10 Princeps luctatur secum ipse, & cum Consiliariis suis: pervincent tamen sermones mei.

[v. 5, 6.) Apparet qvàm in his edendis nihil temerè actum sit, inter conscientiæ pavores ac luctas.]

REV. CCCLXVIII. 2. Aprilis.

[*Eqvus pro Vidente paratus. In Adjunctum & zelus & benignitas Dei. Racoci, 7. Rex Casimirus.*]

A Precibus matutinis dixit Dominus, Indormi adhuc! *qvod & momentò factum.* 2 *Et vidi Eqvum ingentem alligatum, ephippiò nondum stratum: accedens verò J.*

Effron

Effron jussit sibi sterni minorem, insidénsque illi laudabat, qvòd commodè ferret. 3 *Digressus inde vidi super aqvam ponticulum igne ardentem, & in medio fractum.* 4 *Evigilanti autem mihi, & qvid istud esset cogitanti, dixit benignus Salvator meus:* Adjunctus plenus est dolorum, angitur variè animo. 5 Non auferam ab illo gratiam, modò intelligat ipse qvoqve, non cum Hominibus sed cum Deo sibi rem esse. 6 Procrastinando enim suos & tuos labores, frustrà tempus terit. 7 Principi fiet juxta sermones meos, si & ille mandata mea custodiverit: sin, væ illi. 8 Tu majorem Eqvum habebis qvàm Effron: sed ille suo jam insidet, tu nondum, insidebis tamen cùm hora venerit: patiens tantùm esto. 9 Ecce confractus est ponticulus sub Austr. Domo, & Consiliariis ejus! prolabentur in lacum ardentem igne ac sulffure, pro tyrannide qvam exercuerunt olim & nuper. 10 *Ostenditqve mihi Dominus denuò ponticulum eundem totum ardentem in medio fractum;* Audies, *dicens*, malè illis cessuram ipsorum perversitatem. 11 Sveciæ Rex Casimirum ut locustam persectatur, variâ sorte: hic tamen captivabitur unâ cum Regina, captivúsqve deducatur in Sveciam, ad ignominiam æternam. 12 Princeps una cum Principissa responsum dabunt: modò ne malitia hominum intervertat. 13 Solare Adjunctum, dilectum tibi & mihi, missis ad illum qvæ tuâ & ipsius causâ loqvor.

[*Ad v.* 5, 6, 11, 12, 13) Misericors & gratiosus Dominus, longanimis & multus benignitate. Non in perpetuum irascitur, neqve in æternum comminatur: qvoniam novit figmentum nostrum, recordatur nos pulverem esse. *Psal.* 103. v. 8, 14.]

Rev. CCCLXIX. 6. Aprilis.

[*Deus erga omnes bonus: sed ut qvisqve qvod ei mandatur faciat; & qvia tempus decurrit, perficiat.*]

Et factum est iterùm Verbum Jehovæ ad me, qvùm jam diesceret. 2 *Cogitabam à precibus de iis qvæ in Mundo fiunt; ex animo precatus Deum, ut dirigere dignatur Omnes per universum Orbem Cultores suos, mihi notos atqve ignotos.* 3 *Compellavitqve me Dominus meus, ac Deus meus, dicendo:* Jam Adjunctus mente concipit responsum, ex qvo plus accipies solatii. 4 Nam dispositio mea, qvam tu indicâsti Mundo, hôc anno procedet varia per loca, qvum meam voluntatem facient qvibus indicata est. 5 Si fecerint, sibi erit benè: sin Væ illis: nam terram hanc jam Exercitus circumdant. 6 Qvicqvid ego tibi, aliisqve mihi morigeris, promisi, faciam: imò & Mednianium rectè ambulantem, contra tuos & suos detractores, qvi in Mundo nunqvam defuerunt, neqve nunc desunt, tuebor. 7 Qvis enim mihi manu mea extorqvebit id, qvod mihi nemo dedit? sed ego ipse do omnibus, et do gratis, ex impromerita gratia. 8 Accipite igitur Vos mei gratè à me omnia: hoc etiam qvod postrema Mundi horâ Vobis obtuli, & offero, ut faciatis qvod Vestrum cuiqve mando. 9 Nam non meum, sed Vestrum bonum qvæsivi, et qværo. 10 Omnia ego præstabo ipse, modò Vos manum offerte mihi: et offerte dum tempus est. 11 Hoc enim cùm abierit, aliud nullum erit in æternum, juxta sermonem Angeli mei: Cujus (temporis) parum jam superest scitote id ó homines! 12 Multi desideriò expectabant diem adventûs mei primi: pluresqve et majori de-

ri desiderió expectant alterum adventum meum, etiam Animæ mecum in Cœlis habitantes. 13 Sed cùm ego Cœlum et Terram advocavero, cessabunt omnium Vestrûm nasutæ ratiocinationes: et Vestrûm qvi me nôstis, et qvi non nôstis, atqve nosse non vultis, tametsi bos et asinus agnoscant Dominum suum. 14 Scitote igitur, jam tempus esse omnibus Vobis qvi habitatis in facie terræ, ut perficiatis qvod qvis perficere habet: 15 tum pro se, tum pro aliis qvos non nostis Vos, novi Ego; et qvinam aut jam mei sint, aut futuri sint, jam inde ab æterno scio. 16 Scribe hæc, & mitte Adjuncto, cum aliis qvæ parata habes: Tabellarius ab illo veniet. 17 Labora, et meditare Concionem pro die Viridium explicaturus mysterium Cœnæ meæ. Surge statim, scribe. 18 *Et laudavi Deum: Hallelujah.*

REV. CCCLXX. 8. April.

[*Dolium Nationum. Exercitus Angelorum. Vita æterna præfigurata.*]

OStendit mihi Dominus dolia duo; qvorum alterum Occasum versus, alterum versus Orientem situm erat. 2 Illud qvod ad Occasum stabat, jam erat rimosum, unico saltem viminio circulo fundum continente, sed qvi et ipse uno attactu meo solvebatur. 3 Erumpebatq; liqvor, violenter per rimas nemine prohibente: tametsi aderant vasa qvibus excipi potuisset, nemo tamen manum admovere voluit donec fundum excideret, id qvod lamentati sunt multi. 4 Restitutus mihi cogitabam Dominum aliqvando fuisse loqvutum de Dolio, in qvod colligeret Nationes, ad ignem & gladios vibrandum super Bestiam. 5 Et compellavit me Dominus meus, dicendo: *Jamjam in Occidente aqva ira mea ignita agglomerantur super Bestiam, et nemo poterit obsistere, qvin eveniant prædicta mea, per te nunc, & per alios olim, prolata.* 6 Et orabam Dominum, ut custodire dignetur nos, et alios Cultores suos: Dominusqve respondit: *Ne metue Serve mi, Exercitus Angelorum meorum cingunt vos Servos meos, qvemadmodum Jacobo cùm de Haran exiret factum.* 7 Qvamobrem ego ad pedes Domini procidens ex intimis animi mei medullis gratias egi, vulnera ejus mente atqve fide exosculans. 8 Tum prospexi ad fenestram & ecce diescebat: Dominus autem *Redormi adhuc*: idqvod statim ictu qvasi oculi, factum. 9 Tunc introductus fui à Juvene qvodam in Domum, in qvâ serpens horrendus jacebat, qvem prehensum ulnis gestabam, spectantibus qvi aderant. 10 Atqve eô ipsô momentô venerunt qvi me evocarent ad Principem, qvem reperi sedentem cum Principissa matre, lætô uterqve vultu. 11 A qvibus amanter exceptus, eduliisqve & colloqviis svavibus pastus cùm essem, afferebatur nuncius de adventantibus Exercitibus, qvos metuere prohibebat Princeps, spe erigendo me, omnia benè habere. 13 Ut evigilavi, crepuit supra me & infra me, moxqve rursus redormivi. 14 Vidiqve iterùm solum Principem, cum Choro, cantante melodias, mihi ignotas: svavissimè. 16 Ego itaqve manibus complicatis adjunxi meam qvoqve Vocem, cantans Canticum nobis notum, *O lauda Anima Dominum pro*

tanta

tanta gratia &c. 16 Qvi autem à tergo stabant mihi, juverunt me, svavissimis vocibus: qvos cum videre vellem, qvinam essent convertere me nullô modô (ut retrospicerem) potui. 17 Unus tamen eorum, adolescens festivissimi vultûs, stitit se ante me, cantabat mecum & aliis illis, ad finem usqve hymni illius: Ego verò ultimam cantici illius clausulam decantans, evigilavi, & qvid istuc esset cogitavi. 18 Mox Dominus: *Meipsum tibi exhibui & Sponsam meam Ecclesiam, ætate jam provectam, cui Ego me junxi, eámqve Voluptatibus meis pasco: etiam in hac vita, sed plura servo apud me.* 19 *Ubi sunt Cantores, & mea & vestra cantica cantare gnari.* 20 *Tibi solatia tua in me sunto: sic & Adjuncto tuo, aliisq; dilectis Cultoribus meis.* 21 Oravi ergò pro omnibus terræ Nationibus, etiam qvi nondum noverunt Deum in qvibuscunqve Mundi plagis: ut eum citò cognoscant, qvando qvidem de pauxillo jam tempore locutus fuit Dominus.

REV. CCCLXXI. 18 Aprilis. (*Paschatos 3.*)

[*Reparatio Ecclesiæ, ad interiorem Dei cultum unanimiter peragendum, à variis tentatur,* 1 — 6: *& procedet, si homines fide pleni Deo per omnia obseqvantur,* 7 — 12. *Bestia cadit,* 13. *&c.*]

ITerum *factum est Verbum Jehovæ ad me sub diluculum à precibus.* 2 *Vidi multos eximios Viros in exstruenda magna lignea Domo occupatos, qvibus adminiculabamur ego cum Adjuncto.* 3 *Erátqve series Conclavium per crucem à Septentrione ad Meridiem, & ab Occasu in Ortum* 4 *Sed absolutam structuram lutô incrustare nemo voluit: nos duo soli ægrè lutabamus, nec ubiqve potuimus, propter valdè elevatos angulos.* 5 *Ut ad me redii, dixit Dominus:* 6 Serve mi; Exstruo ego jam per varios, etiam Vobis ignotos, Domum Ecclesiæ meæ sic, ut in ea meum spirituale Opus peragatur indifferenter, ad serviendum mihi, æternùm viventi unô spiritu & unô corde, in una Fide, Charitate, Spe. 7 Adjunctus gratè recipietur à Rege Sveciæ: sed sint verba mea in ore ejus, qvia irrideri nolo ab iis, qvibuscum fœdus inii, ut sim eorum Deus, & illi Populus meus. 8 Qvi mecum ferierunt fœdus, ii audiant qvoq; & faciant mandata mea, antiqva illa & nova hæc. 9 Nimium qvantùm offendebar semper, & offendor qvando homines me & opera mea ratione suâ mensi sunt & metiuntur, meum ductum aspernando. 10 Tu & Adjunctus, cum cæteris, si ductu meo parueritis, Opus meum rectè agendò, cognoscetis me non alium esse hodie qvàm qvi fui ab æterno. 11 Sufficiant promulgata consilia & decreta judiciorum meorum: qvæ sive vos homines capiatis, sive non capiatis, mihi sufficit. 12. Et nisi etiam Vobis sufficiat, qvis Vos aliter informabit? 13 Plenus est Mundus clamantium ad me Gentium, qvia dies anxietatum venerunt: sed nondum erit finis. 14 Sufficit hominesjam meminisse comminationum Bestiæ, & fædæ ejus Imagini, à me jam dudum factarum. 15 Nam ablatâ illi à filiis meis potentiâ, auferetur etiam gloria, qvam Bestia jam frustra jactat. 16 Nam egomet illam throno (cui insidebat, jactans se lapsum non metuere) jam

jam detrudo, ut metuere habeat: nam exierunt jam termini ejus à me destinati. 17 Nemo vestrûm, ô homines, huic Operi meo resistere poterit. 18 Scribe itaqve de his Adjuncto, mihi & tibi dilecto: occludam Ego os insipientum, tibi & illi convitiantium. 19 *Qvod scripsi cum lacrymis & precibus, adorans Deum cum timore & lætitia.*

[Ad v. 7.) Scripserat Videnti Adjunctus, se ad Regem vocari. Instruitur ergò qvid loqvi & agere debeat: nihil privatim qværendo, ea sola qvæ gloriæ Dei & publicæ salutis sunt, urgendo. Factum tamen non fuit, mox omnibus per Poloniam extremè turbatis.]

REV. CCCLXXII. Aprilis 20.

[*Similis argumenti.*]

BIna vice ostendit mihi Dominus Ædificium novum, qvod soli Ecclesiastici lutabant, & dealbabant, divisis conclavibus pro variis Ordinibus. 2 Qvod spectantes homines varii vultûs, & habitûs, gaudebant valdè. 3 Dixitqve Dominus: *Ipse ego jam colligam Operarios, ut expurgetur atqve dealbetur domus Ecclesia mea.* 4 *Age pariter* Opus *qvisqve loco suo, dum hodie dicitur.* 5 *Tu fidelis esto, rescies qvid cum Principe fiat. Abi cum Mednianio Eperiesinum.* 6 Et laudavi Dominum Psalmo 134.

REV. CCCLXXIII. 21 Aprilis.

[*Lux hæc ab Hollandis publicanda.*]

COgitanti mihi noctu de itinere Puchoviam suscipiendo, dixit Dominus. 2 *Apage curas de re hâc: non satis tu vias meas perspicis.* 3 *Dicas Adjuncto; ut ipse Rex Sveciæ, Balsamum meum fragrantis odoris, propriò nomine scribat Hollandis de voluntate mea: ita metûs humani eritis securi.* 4 Ego verò cogitavi, Annon mihi hoc imputabitur? 5 Et Dominus: *Ecqvid Vos ex Vobis ipsis habetis ô homines? Nihil penitùs nihil.* 6 *Antequam Vos verbum cogitatis, ne dicam ore profertis, mihi jam cognitum est.* 7 *Sic scribe, et abi Puchoviam.* Et feci, rediiqve feliciter.

[Ludit cum filiis hominum Sapientia Dei, hominibus injungens ea qvæ facturi non sunt, sed ipsa.]

REV. CCCLXXIV. 26 Aprilis.

[*Adumbratio Ecclesiæ Apostolicæ, Dei familiam puro polline pascentis* 1. *& degenerantis pòst. in disciplina at ordinis defectu,* 2. *Tandem prolapsa in Mundana,* 3, 4. *Reformanda deniqve per ipsam Secularem potestatem,* 5. *Cum explicatione horum,* 8. *& ad illos exhortatione,* 12. *&c.*]

OStendit mihi Dominus et Miserator meus Molam ingentem, molarem tamen lapidem nonnisi unum habentem, sed Molitores multos: qvi candidissimam con-

conficiebant farinam, distribuebantqve inter solos domesticos & amicos. 2 Cùm autem Molitores hi decessissent, alius post alium, successerunt alii: & illi qvidem bonam conficientes farinam, sed qvam non distribuendo, effluere sinebant circa lapidem: id qvod mirabar. 3 Transierunt & isti, venerúntqve alii, ferentes purissimum Triticum ad molendum (lamenta enim audiebantur de invalescente fame) qvod infundebant corbi. 4 Sed intervenerunt Viri speciosè vestiti, et gestu blandi, qvi aqvæ fluxu aliorsum derivatô, effecerunt ut Mola ægrè procederet, locóqve farinæ, paleæ tantùm prodirent: et homines circuibant Molam, juvenes et senes, emorientes fame, tristibus cum lamentis. 5 Mox vidi venientes Proceres et Principes judicium ponentes Molitoribus illis pravis, qvos et magno cum impetu ejecerunt foras: Populus verò adstans pulsu Campanarum congregationis dabat signum. 6 Cùm autem nemo esset qvi concionem haberet ad Populum, venerunt ad me Viri tres, et deduxerunt me in Cathedram, adstante qvidem ibi Pastore qvodam Ecclesiæ, veste prædicatoris jam induto, me tamen ascendere non prohibente. 7 Et concurrebat à qvatuor Mundi plagis multitudo vacua vasa ferentium, farinámqve puram à me, et Cathedræ illo adstante, flagitantium. 8 Hæc ut transierant, egóqve ad me reversus mirabar qvid esset, orabámqve, insonuit Vox Domini fervore qvôdam insitato: *Audi, Jupiter & Venus cum Planetis, à qvatuor Mundi plagis concurrunt, ut malos illos deleant Molitores, qvos ego dudum toleravi, malos inter bonos.* 9 *Ecce autem pessimi erant ultimi hujus seculi Molitores, non farinam, sed furfures et paleam præbentes filiis meis.* 10 *Ideò ecce jam egò ipse Campanâ meâ convoco Gentes! qvæ jamjam congregantur, et advolabunt à qvatuor Mundi plagis ad vocem meam.* 11 *Vos ergò duo testes mei dicite, & dicite confidenter, ut Judicium convocent Reges Terræ adversus malos illos Operarios, qvos amplius inter Vos, Popule mi, tolerare nolo.* 12 *Assumite igitur scientiam ó Vos Reges, ó Vos Principes, qvos excitavi à qvatuor Mundi plagis! ut exstirpetis malos illos Operarios, homicidas & animarum Vestrarum interfectores.* 13 *Qvos nisi judiciò condemnaveritis Vos, Cœlum & terra condemnabunt Vos ipsos: jam enim tempus est, jam ad occasum festinat Sol.* 14 *Nisi exseqvimini, implebitur de Vobis illud: Convenerunt ad consilium, nec fecerunt juxta consilium datum & conclusum, non exterminando Idololatras animarum Interfectores.* 15 *Eja igitur exterminate, exterminate, et solo æqvato Operarios istos pessimos, qvi dolis suis, et machinamentis suis, hucusqve obstiterunt Vobis: qvod Vos intelligere noluistis.* 16 *Scitote autem, et intelligite vel jam saltem, maledictioni eos jam esse addictos, apud me et apud Vos.* 17 *Scribe hæc, & mitte Adjuncto tuo, & Jonæ M.* 18 Qvod feci, sed cum difficultate, qvippe valetudine infirmâ: oravi ergò Psalmum 99. decantando. 19 Ubi et hæc addidit Dominus: *Jam ego ipse ad Ecclesiam meam repurgandum Operarios colligo: operetur ergò quisqve locô suo Opus meum, dum Hodie nominatur.* Amen, Amen, Hallelujah.

REV. CCCLXXV. 28 Aprilis.

[*De imperscrutabili sublimitate æterna Trinitatis,* 1. *de sensu Mortis Christi,* 6, 7. *Transylvanus & Turca,* 11. *&c.*]

ÆGrotabam, orans Deum ut misereretur mei, aliorumqve proximorum meorum. 2 Ubi Dominus aliqvoties svaviter interloqvendo confirmabat me in fiducia, de ipsius nobis Cultoribus suis præsentia: etiamqve dissertando de sua in *PATRE essentia, & SPIRITUS S. virtute in utroqve existentis.* 3 Id autem qvomodo se habeat, ne qvidem Angelos, ut pote Creaturas ejus, perscrutari, aut unqvam plenè pervidere, posse, ne videantur æqvales illis esse: sed potius in timore persistendo, officium exseqvantur suum, etiam nihil supra ea qvæ sibi habent revelata, desiderando: 4 Qvaliter & nobiscum in seculo venturo futurum, ubi satis nobis erit gaudiorum qvòd secum & Angelis ejus communionem habebimus. 5 Verùm qvàm sublimiter de hâc Unitatis divinæ ratione disseruit Dominus, momento oblitus sum. 6 Cùm autem etiam pro hâc gratiâ ferventer collaudarem Dominum, & totó corde optarem qvantocyùs hinc transferri, ubi ipsum conspiciam, vulneráqve qvibus nos redemit videam: expenderémqve qvod ex transfossô latere suô sangvis & aqva promanaret, persenseritnè Dominus puncturam illam, et annè læsa fuerint ipsius viscera? 7 Mox ut de his cogitare cæpissem respondit Dominus: *Utut Caput inclinaveram, et animam Patri commendaveram, vitalis tamen vigor nondum me prorsus deseruerat, inflictionémqve postremi vulneris sensi: qva tamen perforatio absqve convulneratione viscerum facta est, adeò ut aqva et sangvis emanando, tantùm sese ostenderint, nihil ampliùs.* 8 Qvæ proloqvi postqvam cessasset Dominus, subitò indormivi, et conspexi Aqvas turbidas, qvæ admodum velociter defluxerunt. 9 Ego autem statim mihi restitutus, orare ad Dominum cœpi, qvi dixit: 10 *Scito Aqvas tentationum jam remissuras, qvamprimùm operarii mei,* Opus *inchoabunt meum.* 11 *Ecce enim Princeps etiam ostendit jam zelum suum, præter spem meorum suorúmqve inimicorum:* 12 *Siqvidem apud multos Princeps pro stulto est habitus; nunc autem splendor ipsius celeriter emicabit.* 13 *Et qvando ipse Princeps adversus Turcas prodibit, et illis jungetur, solatio erit Turcicæ Nationi, qvi lætabundi cum illo procedent, eiqve et aliis secreta* (qvantum ad modernorum temporum statum) *detegent, qva ipsi secum hactenus abscondita servabant: qva & tu cognosces, et habebis qvod mireris.* 14 *Ne obliviscare horum: et postqvam surrexeris consigna omnia, qva loqvutus sum: revalesces, solummodò valetudinem cura, non desereris.* 15 Et gratias egi optimo Redemptori, benedictionem apprecatus omnibus laborantibus, decantando, *Mane nobiscum, qvi solus per omnia potenter regnas.*

[Ad v. 12. Amicè Turcis jungi debuit, ille verò hostiliter: hinc omnia læta in luctum versa.]

Rev. CCCLXXVI. 8. Maji.

[*Mysterium præsentiæ Christi non rimandum, ne in lites prolabamur*, 1—7. *Qvicqvid agitur peragendum*, 8—12. *Differentia Temporis & Æternitatis nunc imperscrutabilis*, 13. *Gentes illuminandæ*, 17. *qvod opus qvi impediunt, peribunt*, 18.]

Ante diluculum ostendit mihi Dominus Congregationem doctorum Virorum: inter qvos Adjunctus meus, dissertans de mysterio nostræ cum Christo unionis, et provocans ad testimonia Scripturarum, Conscientiaqve illorum, qvi per Fidem Christo juncti, svavitatibus ejus pascuntur, méqve etiam commonstrans. 2 *Ad qvæ cùm dicere qviddam vellem, eô momento evigilavi: eôdemqve simul momentô Dominus ad me svavissimâ voce:* Omnium Veritas in me est, in Vobis autem sensus, cogitationes, opiniónésqve aberrare, nolite mirari. 3 Sublime et supra captum Vestrum est opus hoc meum, meæ vobiscum Unionis, qvam mediante Verbo et Sacramentis ministro. 4 Si Vos homines ratione hæc perscrutari voletis, frustra eritis, in contentiones tantùm & dissidia incidetis. 5 Acqviescite igitur, acqviescite sermonibus meis, ô homines, et me solum loqvi sinite. 6 Qvicqvid Vobis loqvor, omnibus loqvor: Credite Verbis meis, et de iis ne contendite, æternitati servantes, qvæ non intelligitis hîc, ibi plena omnium erit cognitio. 7 *Hos Domini sermones cum mirarer, númqve scribendi essent cogitarem, respondit:* Scribe! Intentiones meæ omnes asseqventur finem suum, dum aget qvisqve qvod mando: Tu etiam. 8 Vanum est agere aliqvid nec peragere: finem & tu reperies, si laboraveris; sin, ecce omnis anteactus labor tuus, inanis erit: 9 Replentur multorum aures sermonibus de Opere tuo in rupe. 10 Impleantur ergò & successu laboris, & benè erit: multum hâc re tibi et aliis accedet. 11 Tu cum jejunio ora, et me in æternum viventem adora. 12 *Orabam igitur his auditis, proponens jejunare die illâ.* 13 *Et mox indormiens, vidi Viros eximios, panes candidos distribuentes: qvorum unus vultu aspectabilis, disserere capit illuminatè* de Dei Tri-unitate, et Æternitate temporis expertè, qvam nulla adhuc Creatura oculô vidit, nec potest: 14 qvia illa temporis expers Æternitas, nonnisi in Patre cum Filio, et in Spiritu cum Patre & Filio, est, & interminatè erit, sicut erat ante fundationem gloriæ æternæ, fulgorísqve infiniti, qvem Angelorum Chori jam vident, nosqve cum illis Christi fideles, videbimus. 15 Qvod hominum plerosqve non intelligere, multos etiam penitùs ignorare, præter solos qvi Dominum Jesum, cum Patre & Spiritu Sancto, nôrunt, diligunt, adventumqve illius exspectant &c. 16 *Ad qvæ ego cùm iterum aliqvid dicere vellem, evigilavi, indignitatem meam deprecatus, próqve Gentibus luce hucusqve destitutis ardenter orans.* 17 *Et Dominus:* Jam ego ipse descendi cum potestate Angelorum meorum ad auxiliandum illis, qvi se ad causæ meæ defensionem accingunt, ut promoveant è tenebris ad lucem agnitionis Mei, & Patris mei, Virtutísqve Spiritûs sanctitate pleni. 18 Confundo ego, & confundam, conceptûs me nosse nolentium, armáqve frustra capessantium: Qvi hoc inde lucrantur, qvod pereunt, & pavitantes undiqve fugiunt, donec exterminentur de terra. 19 Tu da honorem mihi, & in Opere qvod tibi de-

mandavi procede. 20 Nihil hodie gusta, ad vesperam usqve, etiam medicinam (qvâ uti decreveras) differ: dies hæc dies mea sit. 21 *Transegi ergò eam Scripturarum lectione ac meditatione, orationibúsqve & hymnis, cantando Psalmum* 71.

REV. CCCLXXVII. 15 Maii.

[*Dolia duo, Anglia & Polonia. Turbarum Hungariæ finis non erit, nisi Turbatoribus sublatis. Tristia.*]

OStendit mihi Dominus dolia duo, è qvibus promebant Vinum: sed ex altero eorum, majore, Vinum profluebat clarum: ex minore autem turbidum valdè, siphone angustô. 2 Qvod ut transiit, facta est Vox Domini ad me: *Serve mi, Dolia tibi ostendi duo.* 3 *Majus illud cum Vino jam defœcato, est ANGLIA, ubi vinum purum interioris Cultus mei in Ordinem redegi.* 4 *Alterum dolium est POLONIA, turbulentis fecibus discordiæ, fraudum, mendaciorum, omnigenæqve confusionis, plenissima.* 5 *Expurgari eam necesse est, modò à me denuntiatò: sicut & hanc (Hungariæ) Terram: Qvamdiu Palatinus, Archi-Episcopus, Jesuita, non deturbantur, terra hac in qviete non erit.* 6 *Tu labora, mittenda ad Adjunctum para, à qvo postridie triste nuncium accipies!* 7 Et cecini è Psalmo 79. ℣. 9. &c.

[Venit è Polonia Tabellarius, eversionem Lesnæ nuntians.]

REV. CCCLXXVIII. 18 Maji.

[*Lesnensium ruina ob peccata: Eversores tamen puniendi. Adjuncto iter mandatur*]

L*Ectis è Polonia literis, coarctatusqve Spiritu, ascendi sub tectum Domunculæ meæ ad orandum: surgénsqve à precibus, & adhuc fenestrâ Cœlos prospectans, & ad Deum suspirans, audivi seqventia:* 2 Serve mi, me time, Ego vos servabo: sed sub castigatione mea & dilectione mutuâ. 3 Lesznensibus factum est sicuti minatus fui incredulis, ad contestandum tum justitiam, tum veracitatem meam. 4 Eversores tamen eorum non evadent manum ultionis meæ, cum eversione totius Terræ Polonicæ, à Populis & Nationibus qvas eis superinducam, ut in rudera convertantur, & tanqvam jumenta mactentur, Natio scelerata. 5 Qvæ Adjunctus tuus [*Lesznâ cum aliis profugiturus, incendii metu*] terrâ abdiderat, ea conservabo, superjectis ruderum acervis. 6 Scribe illi exeat Poloniâ, nam insidiæ illi struuntur: eâtqve qvô sibi eundum esse dudum novit, monstrante me. 7 Servabo ego illum ad mirabilia tempora: exitum enim harum rerum nemo, nemo novit, nisi cùm oculus videbit. 8 Tu labora in vocatione tua, non confunderis, implebuntur enim Sermones mei. 9 *Et procidi in faciem meam humi, implorans misericordiam Populo sangvine ejus redemptô.* 10 *Cùm autem surgerem vidi in Cœlo crucem albam, Septentrionem versus, qvæ brevi disparuit.* 11 *Surgénsqve mœstus descripsi hæc, invocando Deum,* Miserere Domine, & auxiliare tuis. &c.

[Ad v. 5) Nihil rerum flammis eripuerat, præter vitam, & defossâ festinanter manu scripta qvædam, inter qvæ Apocalyptica hæc. Deus verò illa conservavit, ut busto eruta usui esse possent. Illi gloria pro castigatione Paterna, non tamen ablata misericordia! Rev. 361. 6. & 367. 5, 6: & 368. 5.]

REV.

REV. CCCLXXIX. 19 Maji.

[*Rex Sveciæ in Polonia angustiatus eò quod non faciat opus Dei*, 9. *&c. Mednianius*, 18.]

OStendit mihi Dominus Hortum desertum, raras hinc inde Arbusculas habentem, ubi multitudo erat Hominum spectantium Canis pugnam cum Lepore. 2 *Lepus enim Cani sputum spargebat in Oculos. Canis verò timidè insultans & resultans, semel tantùm Leporem prostraverat, sed qvi se mox recolligens surrexit, Canémqve denuò territans viâ suâ recessit, Cane etiam nescio qvò deveniente.* 3 *Qvod cùm cominùs & eminùs spectantes mirarentur, incendium ortum est in Horto, cujus metu correpti, diffugimus.* 4 *Mihi verò ad me reverso, & oranti dixit Dominus:* Tu ergò saltem esto credens sermonibus meis. 5 Meis inqvam, qvi vanitatem ignoro, eam in me non habens, cùm sim Deus: sicuti vos habetis, ó homines, in putido cerebro futilium capitum vestrorum. 6 Nam apud me, & per me, non est nisi veritas, justitia, & judicium, indifferenter erga bonos & malos (*exercendum*) 7 Et per qvid vos seducitis vos ipsos ò Populi, nisi per vanitatem, incredulitatem, inobedientiam erga me, vocémqve meam? 8 Cùm tamen qvid apud vos est sine me, nisi vanitas, & ad bonum discordantia? 9 Ecce omnis Creatura mea concordiam amat, suo in genere pacem sectando: præter vos solos cerebrô corruptos, mihíqve & sermonibus meis refractarios. 10 Sveciæ Rex exibit laqveis faucium Canis, in qvos incidit non faciendo juxta pristinum mandatum meum, de maledictis Idololatris delendis. 11 Qvi totam suam terram Poloniæ inqvinatam habentes, ut feræ bestiæ in se et alios sæviunt, utqve Operi meo obsistant, sangvinem suum & alienum fundunt. 12 Perdere ego jussi, perdere, multos istos Canes, sicut eos perdidit Elias: Et eiicere templis Idola cum vasis impuris, sicut ejecit Nehemias (Cap. 13. ℣. 8, 9.) 13 Fabricariqve ex illis solium Regi: sed ludibriô id habitum à Lesznensibus etiam, aliisqve multis. 14 Cogitat Sveciæ Rex exire Poloniâ: sed ne exeat, nisi relicto illis Rege, Me, legémqve meam diligente; eversisqve Idololatris cum Idolis suis. 15 Ecce jam agnoscit Rex aliter gentem illam sub Ordinis leges reduci non posse, nisi subrutis ejus fulcris. Operariisqve malis. 16 Qvod si non fuerit factum, peribit tota Terra: atqve tum ad qvid tot molimina, tantúsqve sangvis, radice malorum non exstirpatâ. 17 Non meâ causâ, sed vestri, sermones hi fiunt ó Populi. 18 *His finitis ostendit mihi Dominus Mednianium mensæ assidentem, habentémqve duas capsas, cui ego secretum qviddam communicare cupiebam: ille verò, apertâ capsarum unâ, protraxit inde Codicem ingentem, in qvo legebat.* 19 *Cúmqve ad me rediissem dixit Dominus:* Mednianius disqvirit Jura Mundi, qvæ nihil sunt ad me & Jura Legis meæ. 20 Surge, & scribe qvæ Adjunctus à te petit. 21 Qvibus ego tabulæ inscriptis, *cecini Psal:* 34. *& ad preces legi Caput* 49. *Jeremiæ: orando pro omnibus Veritatis amantibus.*

REV. CCCLXXX. 20 Maji.

[*Irrisores horum Lesnenses*, 3. *& Domus Lescinia*, 4. (*sicuti semper fuerunt*, 6, 7.) *castigati*, 8. *Judiciorum Dei in Poloniam finis*, 10. *&c. Cracovia furorem Dei expertura*, 18. *&c.*]

V*Aldè angustato mihi corde, ut somnus fugeret ab oculis, dixit Dominus meus ad me diluculò:* Noli turbari, esto fidelis, & mei expectans cum patientia. 2 Exsurget tanqvam aurora veracitas mea, & tanqvam fulgor tonitruum justitia mea! 3 Dederam ego Lesznæ ut Oculum, & ut stellam collustrantem Adjunctum tibi: sed parum apud multos valuit zelus ejus, sermonésqve illis vera nuntiantes. 4 Qvid fecerit, & faciat, Domus Lesscinia, novi ego: & qvalia de te qvoqve & sermonibus non tanqvam meis, sed tanqvam tuis, formârint judicia, tibi tantùm, non mihi, eos assignantes. 5 Cùm tamen qvid unqvam apud Vos homines sine me est, aut fuit? qvi incomprehensibilis existens omnium vestrûm toto Orbe existentium Cogitationes ac Sermones dispono, disposuíqve omnibus seculis. 6 Sed tu mirari desine: testibus meis nunqvam ab omnibus habita est fides. 7 Noë non auribus tantùm sed & oculis futura nuntiabat: & qvis ei priùs credidit qvàm ego nubes effudi, & abyssos Terræ rupi? 8 De se, de se, & duritate cordis sui, discordiisqve mutuis, & contemptu in Vobis exhibito mihi, qveritentur (Lesznenses:) acqviescentes Vitam sibi conservatam donô meô, id spolii loco habeant. 9 Ego mihi fidentes, & ductum meum humiliter seqventes non deseram (*Orabam enim pro eis, ut eos ne desereret propter misericordiam suam.*) 10 *Addidit verò Dominus?* Regem Sveciæ educam è profundo in excelsum locum: sed ut faciat voluntatem meam sicut fecit Josue, evertátqve Jericho Idololatrarum. 11 Ecce! ecce! qvod facio, & faciam nunc, ideò faciam ut in lucem veniat justitia mea, expavescántqve fines Terræ, in omnibus Nationibus Orbis mei. 12 Idqve priusqvàm veniam ipse ad judicandum vivos & mortuos: & occludendum januam sceleribus Mundi, educendúmqve Vos diligentes me è tricis Terræ. 13 *Qvod cùm scriberem lacrymis irrigabam: orans ut me qvantocyùs etiam evocaret.* 14 *Et Dominus:* sufficiat nunc, rationem ego habeo infirmitatis tuæ, tu hodie mecum habita, jejunando, & qvæ pro Comenio habes, describendo: 15 Cujus ego animum miris cogitationibus replevi, sed manebit tamen in eo veritas rationis sanæ. 16 *Qvibus qvietior factus, & intra me suspirans, redormivi.* 17 *Et conspexi Concionatorem timidè perorantem, præsentes autem in me defigebant oculos, ego igitur consurgens clamavi*, Apud Deum omnia esse possibila, nullum verò personarum respectum esse vel fuisse unqvam: *et his evigilavi.* 18 *Aliqvantò pòst perrexit Dominus:* Ita Sveciæ Rex faciat Cracoviæ, qvomodo Poloni fecerunt Lesznæ, occidat eos acie gladii, tanqvam Civitatem à me maledictioni devotam: ibi enim abominatio dominatur. 19 *Mihi autem venit in mentem, Examen fortassis habendum esse; Dominus verò respondit*, Absqve Fxamine: sic enim consternabuntur Idololatræ & Homines mundani, me ignominiâ afficientes. 20 Surge, scribe! *Et cecini Psal:* 36. 21 *Revocabámqve in memoriam ea*

qva

quæ Dominus de Regno Poloniæ 24 Febr. Anno 1654 ad me loqvutus fuit: de appendendo molari Polonorum collo: itidemqve ea quæ 27 Septemb. nunciabantur de Radzivilio & Casimiro. &c.

REV. CCCLXXXI. 23 Maji.

[*Svecia Rex. Poloni.*]

INter alia dixit mihi Dominus: *Lugubri veste induam Nationes Terræ, mihi & nomini meo inferentes contemptum.* 2 *Ante alios verò Polonicam Gentem, cui edomandæ Svecia Rex sufficiet.* 3 *Ab hodierna die intra duas septimanas mira audies, nam ut sues illos tractabo.* 4 *Tu modò hæc nemini notifices, tibi habe, hodiéqve cum jejunio labora, & ad Comenium scribe.* 5 *Audietur qviritatio Polonorum in auribus Nationum.* &c.

[Hæc non impleta videntur. Damus tamen hæc luci, omnia dare polliciti.]

REV. CCCLXXXII. 29 Maji.

[*Sermones Dei implentur, etiam cùm hominibus non impleri videntur.*]

O*Stendit mihi Dominus diluculò Libros qvosdam & epistolas Adjuncti: unde ego contristatus, oravi pro conservando illo, laboribúsqve nostris.* 2 *Dominus autem:* Noli metuere, sermones mei sunt æterni, verbáqve mea vera, tametsi ea multi secundùm ratiocinia sua indicant, non secundùm occulta consilia mea. 3 Implebo ego iis Orbem: Tu mihi confidens, homines nihil time. 4 *Oravi ergò ut impleat mihi & aliis, qvibus miser ego ad mandatum ipsius locutus sum cum defatigatione: anxiè cogitans qvis Polonorum Rex futurus esset, Radzivilio jam mortuo.* 5 *Et Dominus:* Regem illis dabo in contumeliam, qvi eos non virgâ, sed flagellis & scorpionibus castigabit, propter perversitatem eorum: noli pro illis intercedere. *Ego verò cecini ex Psal.* 86. *v.* 9.

REV. CCCLXXXIII. 3 Junii.

[*Similia: cum protestatione Drabicium nihil de suo dixisse, vel scripsisse,* 4.]

VIdi Domum ingentem laceram: qvam adire volens non potui, propter paludes qvibus hærebam. 2 Eluctatus tandem obvium habui Virum procerum, qværentem qviddam in Libris meis, nec reperientem. 3 Experrectô autem Dominus: *Hærent multi palude ratiocinii sui circa sermones tibi nuntiatos, ponúntqve repagula ne procedat opus meum: sed evertentur, mihi fide.* 4 Et invocabam nomen Dei: cum protestatione me nihil de meo dixisse aut scripsisse, sed qvod loqvutum fuit os Dei. 5 Dominus ad me; *Surge, labora: Sufficit diei vexatio sua.* 6 Et surrexi, concionem habiturus ad populum.

Rev. CCCLXXXIV. 8 Junii.

[*Comminatio Principi, 2, 3. & Videntis Adjuncto vulgare hac tardanti, 4, 5. Pax in Mundo universalis futura, 6. & qvando, 9.*]

O *Blatum mihi fuit donô Horologium manuale, qvod ut accepi, sonuit secundam: & Dominus J.M.* accepit à Principe literas. 2 Adito illum, & dic, Jamjam sonuit hora bis, annô præteritô semel, hôc secundò. 3 Malè vobis si non obsecundaveritis mihi! nihil loqvare nisi qvod mandavi tibi. 4 Adjunctus demum captat remum, Navi (ut ille putat) amissâ. 5 O si ille qvoqve homines non respectans, mea seqveretur mandata! iretqve, aut verba mea mitteret, qvô debuit! plaga hæc illum non feriisset. Meum tamen Opus procedet cum subversione Gentium. 6 *Paulò pòst ostendit mihi Dominus Campum ingentem, in cujus angulum qvendam concurrebant viæ ac semitæ majores & minores, recta ac obliqva, per qvas se congregabant magnô strepitu Populi varii.* 7 *Qvod ego miratus evigilavi, & Dominus ad me:* Vidisti congregantes sese Nationes? 8 Ecce omnes Viæ, omnes Semitæ, omnes Tubæ, omnes Libri, omnes Voces & Lingvæ, omnium Populorum & Nationum, convenient in uno angulo Pacis, & in una communi Charitate, cui similem pacem & dilectionem Mundus non vidit à rerum exortu. 9 Hæc tamen non venient nisi post horam tertiam sub regimine Unius, qvem caput Europæ constituam: nam secundam jam sonuit. 10 Fac Princeps hoc sciat: Ito ad J.M. eiqve hoc significes. Qvod & feci.

[Ad v. 9. Qvis ille sit futurus, vide infra Rev. 418. & 581.]

Rev. CCCLXXXV. 13 Junii.

[*Poloni prospicient, 3. Videns cum Adjuncto increpantur, qvod hæc populis notificare tardent, 4. Adjuncto castigato gratia nova promittitur.*]

V *Idi Viros eminentes, qvi purum bibebant vinum, ex calice deaurato, qvem & mihi porrigebant.* 2 *Expergefactus cogitavi qvid hoc sibi vellet.* 3 *Et respondit Miserator meus:* Tu fidelis esto, inqve munere tuo persiste, nam festucam eximo ex oculis Nationis Polonæ: ut prospiciendo ipsi abjiciant onus qvô gravantur Nationes Terræ, mei in Trinitate Unius & Veri Dei ignari: ne Lampades oleo sint vacuæ inter omnes habitatores Terræ. 4 Idqve eam ob causam qvòd termini seculorum appropinqvant, juxta sermones antiqvorum testium meorum. 5 Qvod annuntiare Populis mandavi Vobis duobus: Vos autem jam transiere sivistis alteram horam. 6 Et qvis Vos negligentiæ arguet nisi ego, qvi hæc nuncianda Vobis in mandatis commisi? 7 Si per Vos steterit, qvomodo respondebitis mihi? Opus meum procedet etiam sine vobis, & illis qvi obsecundare mihi æternùm viventi tergiversantur. 8 Qvi tamen ipsis mercedem promittebam meipsum, in hôc & futuro

futuro seculo Vitæ. 9 Adjuncto reddam qvod abstulit hostis: sed ut jam vigilet, agat, tempus aliud ne expectet. 10 Nunciabit ille tibi de omnibus sui[s] et aliis rebus. [*Factum, accepi literas 16 Junii.*]

Rev. CCCLXXXVI. 15. Junii.

(Dies fuit Corporis Christi, ut vocant.)

[*Comminatio Idololatris*, 5, 6, 12. *Hungariæ succurri non poterit, dum consilia non audiuntur*, 7, 8, 9, 10, 11, 13, 14, 15.

I*Ndormieram à precibus matutinis, et vidi me in magno cœtu, quibus præibam prece ad Deum fundenda: unus autem surrexit obloqvens mihi, et blasphemans.* 2 *Qvibus respondi, non mea sed vestra res agitur, et indignans redii ad me.* 3 *Et dixit Dominus*: Acuunt contra Vos cultores meos adversarii dentes, etiam in hâc terra. 4 *Qvibus auditis orabam Deum cantando Psalmum* 35. 5 *Responditqve Dominus*: Scias serve mi, iram meam instar dentium incisorum acuminatam esse, contra Populos me contemnentes, et Vos Cultores meos exterminare qværentes. 6 Poloni, natio perfida, fastuosa, perversa, piperatum Vobis apparaverant jusculum, qvod nunc ipsimet sorbent, & sorbebunt donec eversio fiat radicitùs colluviei istius malignorum Idololatrarum: qvibus jam nemo opitulabitur. 7 Informabit te Adjunctus, sed obiter: Scias autem, ac si oculis cerneres, mala consilia in Vos cudi hâc in terra, ut Vos inopinatò obruant. 8 Dic Jonæ M. ne dormiat, cum reliqvis nomen meum reverentibus. 9 Jam antea tibi dixi (Anno 1654. 26. Augusti) ut & Eleszhasi Gabor cum aliis hisce imbuatur, et ad Principis commercium admittatur. 10 Ut sic terra hæc effugiat ea in qvæ Polonia incidit, & deinceps incidet, Gens ebria spe auxilii externi, qvæ tamen jamjam illis evanescet. 11 Sed est etiam de Vobis qvi in hâc terra me adoratis, conclamatum; ideóqve Vestri causâ proclamare hæc facio, et verbis atqve exemplis manifestis, ut qvid in Mundo fiat ne ignoretis. 12 Malitia namqve Idololatrarum hujus terræ non minor est atqve fuit in Polonia, hoc unum deest, qvod modum adhuc ignorent. 13 Qvem si repererint, malè prorsus, malè vobiscum agetur, priùs qvam Princeps poterit succurrere: Ab illo tamen auxilium veniet. 14 Dudum ego locutus sum, Civitates hujus Regni debuisse Principi fidem dare (*Anno* 1652.) 15 Qvod nisi fiat, vix eluctari poterit terra hæc: Tu vigila & ora, Ego his finem faciam.

[Ad v. 9, 14, 15,) Nunqvam passi sunt Racocii hæc cuiqvam in Hungaria manifestari. Hinc omnia confusa hucusqve. Stupendum & terribile judicium Dei! præmonet de imminentibus malis, & non dat hominibus præmonitiones audire, ad mala effugiendum. Nempe qvando alia peccata ad pœnas trahunt.]

REV. CCCLXXXVII. 19 Julii.

[*Detractores*, 2, 7, 8. *Solium Regis Poloniæ*, 4. *Puchovienses ob ludibria operum Dei castigandi*, 5, 6, 8, 9, 10. *Domus Austr.* 11, 12.]

Die mœroris & jejunii mei, manè dixit mihi Dominus. 2 Detractores mei, non tui sed mei, properant ad finem suum: qvos nihil cura, sed mihi confide, opus enim meum procedit. 3 Rex Sveciæ jam id qvod in Polonia fieri debet, promulgari jussit, juxta voluntatem meam sibi patefactam. 4 Collegerunt jam partem Imaginum ad conficiendum Thronum, sed plures illis cedent Cracoviæ, & alia Civitate ad Vistulæ ripas sita: ponderis qvinqvaginta librarum argenti habeat regale illud solium. 5 Ne te turbent probra hominum, nam evenient illis, etiam Puchoviensibus, ea qvæ aliâs tibi Puchoviam eunti loqvutus sum. [*Qvod factum, me cum Fratribus 25 Maji. Puchoviam tendente, die Ascensionis Domini: nam statim ac Puchoviam conspexi dicebat:* Hæc Civitas igne delebitur] 6 *His auditis cogitabam qvis hujus illorum cladis author futurus esset? Respondit qve Dominus:* De hoc tu ne sis sollicitus, hæc à nutu meo pendent. 7 Namqve detractores illi tui, qvi me sibi liberè imperare nolunt, qvi tamen nihil ad hominum normam facio, sed liberè ago ut Deus nemini adstrictus, semotis omnibus humanis consiliis, qvibus nunqvam mihi opus fuit. 8 Adjunctus seqvetur ductum meum feliciter, & erit illi benè, longéqve aliter qvàm Calumniatores sui vellent, qvos ego ubiqve perseqvar etiam Puchoviæ: his autem dicas ne delirent ampliùs, méve irritent, etiam Adjuncti tui causâ, qvi ipsorum curâ atqve defensione neutiqvam indiget. Nam spes in me defixa neminem unqvam confudit. 9 Puchovia tota incendiô absumetur, vitę tantùm habitatorum parcam, qvemadmodum Lesznensibus evenit. 10 Et qvis illos de manu mea eripere valeat? Ego illis bibendum dabo calicem. Jam enim eos bilance manûs meæ trutinavi, & leves coram me deprehensi sunt: Glossatores isti veritatem meam non condemnabunt. 11 Disqvisitio Operariorum meorum jam est de eo, unde & qvomodo inchoanda sit destructio Aqvilæ. Qvæ Domus qvid faciat ambigens, solâ se cum Corona Sveciæ initâ Pace solatur, nesciens qvô se vertat. 12 Ecce autem diluvium Exercituum meorum ingruit. Vigila & ora, meamqve liberationem exspecta.

[Puchoviensibus facta comminatio (v. 5, 6, 8, 9, 10.) mirabiliter impleta est Anno 1663. sub finem Septembris: per Tartarorum irruptionem Incolarum parte trucidatâ, parte in captivitatem abductâ, Oppidi etiam parte flammis perditâ. Si qvis dicat, Atqvi hîc *totum Oppidum incendiô delendum prædicitur, vitæ tantùm gratia promittitur*, v. 9. R. Misericors Dominus minuit qvandoqve minas, justus qvandoqve auget. Hoc certè mirabile, Tartaros è Moravia huc deflexisse, rursumqve citò in Moraviam rediisse, demumqve per aliam viam in Hungariam regressos: qvasi tantummodò ad hanc exeqvutionem huc missi fuissent, locis aliis eô tractu intactis relictis. *Ecce nutum Dei suo cum effectu!* De qvo v. 6.]

REV. CCCLXXXVIII. 26 Julii.

[*Unitas Fratrum Boh. transibit in majorem Unitatem*]

VIdi me navigare per aqvas turbulentas, rapidas, unà cum matre mea, jam olim vitâ functâ: postqvam autem aqvæ defluxerunt, ego matrem amisi. 2 Et Dominus ad me: *Torrens rapidus sagittarum mearum veniet, sed & citò defluet.* 3 *Mater autem Vestra UNITAS nusqvam apparebit, novum sub ordinem redigentur omnia.* 4 *Et oravi ut conservemur.*

REV. CCCLXXXIX. 2 Aug.

[*Svecis consilia Dei placuerunt, qvousqve illa seqvi placuit,* 2. *Opus tamen Dei procedet, per varios etiam Gentium tumultus,* 4. 7.]

A *Matutinis suspiriis meis dixit ad me Dominus:* Ne esto incredulus; persenserunt iterum Poloni severitatem iræ meæ: Nam bonis benè, malis malè erit. 2 Adjunctus egregiè rem gessit apud Regem Sveciæ: hoc unicum declinatur, ne Rex constituatur ex Gente Polonica juxta voluntatem & mandatum meum: sed viderint illi qvomodo res cedet. 3 Significabit ea tibi Adjunctus: Tu mihi potestatem Cæli & Terræ habenti fide. 4 Opus enim meum jam procedit & procedet, nec obluctari poterunt ulla humana consilia, cum terribili Terræ motu, sangvinúmqve diluviis. 5 Videbunt id attoniti tui & mei blasphematores: qvorum incredulitate ne turbemini. 6 Replebit Comenius sermonibus meis multitudinem variè de his judicantium: svadetur ei non in Hollandiam, sed in Sveciam, ire: de hoc ille ipse ad Te scribet, & tu miraberis & lætaberis. 7 Diluvia iræ meæ jam ingruunt, qvibus sistendis Australis potentia non sufficiet: subitò sibi subigent omnia, si modò mihi Domino obsecundaverint. 8 Legati Sveci ad Principem missi rectè venient, nubésqve Orientis concitabunt. 9 *Et oravi Deum ne deserat Operarios suos, cantando Psalmum* 17.

[Ad v. 2.) Pars horum transmissa fuit ad Regem, per Cancellarium Sveciæ Elbingæ residentem, & benignè excipi visa: exceptô mandato de Rege Polonis sua è gente dando. Qvod qvia non seqvuti, sua placita (invitô Deo) effectui dare conati, experti tandem sunt qvò successu homines sine Deo res agant. v.4.) Retroiisse visum Opus Dei: sed ecce procedit hucusqve, cum terribili gentium commotione, sangvinúmqve diluviis. v. 6.) Svadebatur: sed Deus consilia juxta suum beneplacitum direxit. v. 7.) Conditio notanda. v. 8.) Capti erant in Moravia Legati Svedici, duasqve hebdomadas Wsetinensi arce detenti, tandémqve dimissi.]

REV. CCCXC. 12 Aug.

[*Consilia Racociana semper hæsitantia.*]

OStendit mihi Dominus officinas Textorias, ubi qvidam jam texebant telam suam, alii demum intendebant: sed ægrè, ut stamina rumpi viderentur. 2 Et Dominus: *Ægrè procedit stamen consiliorum Rakocii, sed duo illi ad eum missi jam ruperunt Currum consiliorum ejus, ut ne resistet ampliùs, sed Opus meum agat.* 3 *Expecta patienter, videbis solatia.* Et oravi atqve cantavi.

REV. CCCXCI. 18. Aug.

[*Sermones hi Dei omnes lucem visuri*, 1, 3; *cum confusione Idololatrarum*, 2, 6, 7, 8; *solatio autem Gentium*, 10, *&c.*]

A *Precibus matutinis vidi multitudinem virorum Ecclesiasticorum, inter qvos Adjunctus meus (habitu jam decenti, non tàm lacerô, ut eum ante videram, tristem) manu tenens exemplaria excusa tria, & ad me dicens:* Ecce Opus tuum! 2 *Mox advolarunt Aves duæ; qvarum major minori decussit caput.* 3 *Et Dominus:* Serve mi, sermones mei à te scripti venient in lucem. 4 Magna verò Avis mea, decutiet caput superbæ illi avi: qvod nemo hominum cogitare novit, posse id fieri tàm citò. 5 Sed adventant tempora, ut compleantur sermones mei ab incredulis temerè jactati. 6 Egressus est Ferdinandus cum filio & Fratre ad diem & horam interitûs sui, qvi eum ibi expectat, ubi ego terminum illi posui. 7 Eveniet ei sicut Achabo, dicentibus Prophetis ejus: Adscende Rex, & prosperè tibi cedet. 8 Clamant illi ad me sicut olim Idololatræ: sed ego nube me obtexi, ne illos exaudiam, sicut non audivi Pharaonem & Ægyptos plagis meis percussos, donec & absorpti sint mari. 9 Similiter & hîc fiet: nam Exercitus reptilium meorum venient, etiam per hanc Terram: tempus adest. 10 *Capitqve Dominus rhytmicè iterum loqvi.*

11 Opus meum plenum gratiæ
Deducet (gentes) in cognitionem illam
12 De qva os meum est loqvutum,
Ut repleatur Terra
13 Cum Habitatoribus suis,
Nationibusqve mihi notis.
14 Qvibus ego in Patre meo Dominus
Cum Spiritu Sapientiæ, cognitus
15 Nondum fui adhæc usqve tempora,
Propter vanitatem falsarum doctrinarum.
16 Qvarum falsitatibus finem imponam
Cùm eas delèvero de Terra.
17 Accendamqve lucem meam,
Ex ore meo dudum profectam.

18 Surge, scribe, hæc dilecto meo & tuo nuntia. *Qva admiratus, cecini*, O admirabilis operibus tuis Deus &c.

REV. CCCXCII. 27 Aug.

[*Causam Dei necesse est peragi.*]

A *Precibus dixit mihi Dominus*; Mihi confisus Rex Sveciæ, confregit scuta Gentis Poloniæ, ex me robur & consilium habens, non ex hominibus. 2 Sermones mei etiam Mosco, Tartaris, Turcæ, innotescant. 3 Ingens sangvinis diluvium in Bohemiæ regno, & Turcico Imperio, aliisqve regionibus fiet: Causa hæc mea est qvam ego ipse ago, & peragam. 4 Habitatores Germaniæ juvabunt confringere scuta abominabilis Meretricis. 5 Tu mihi confide: non confundèris.

REV. CCCXCIII. 11. Octob.

[*Adjunctus adhuc tergiversans. Puchovienses.*]

O Stendit mihi Dominus amplam Domum antris suffossam profundis, jamjam ruituram: super qvam ferebar cum pavore, donec vidissem Viros graves ruinam istam, & me, spectantes: inter qvos erat Adjunctus mihi. 2 Ut autem mox ad me redii, dixit Dominus: *Adjunctus laborat in re demandata sibi, sed cum tergiversatione adhuc qvâdam.* 3 *Fideles estote, & attendentes sermonibus meis, ut Vobis hic & in æternum benè sit.* 4 *Tu fac officium, calumniatores tuos nihil cura: Ego Opus meum faciam, Princépsqve faciet qvoqve occlusis jam oculis.* 5 Ego verò iterum cogitabam Puchovienses, orans pro illis (lue pestiferâ tum ibi grassante:) 6 Dominus autem; *Pauci à cribro iræ meæ erunt reliqvi, deluam eos ut arenam, leves enim reperti sunt in statera mea: Metuite & vos residui ignem iræ meæ.* 7 *Ego igitur orabam, cantu Litaniæ & Psalmi* 80.

REV. CCCXCIV. 13 Octob.

[*Deus aget opus suum. Adversarii confundendi. Puchovienses.*]

A *Precibus pomeridianis langvorem sensi, & me in lectulo reposui & facta est mox ad me vox Dei.* 2 Esto constans, & ne lassesce in precibus & fiducia erga promissa mea, Vobis dilectis meis facta. 3 Nam ecce ego Opus meum, vobis denuntiatum, facio in Nationibus Terræ! 4 Tanqvam torculari premens Principem vestrum, & habitatores Terræ hujus, ad manum extendendum auxilio Aqvilonaribus & Occidentalibus. 5 Ut machinationes confundantur turbatorum me nosse Nationes prohibentium, nec mihi secundùm voluntatem meam (legis verbo meæ denuntiatam) servire permittentium. 6 Tu autem videbis me non esse oblitum sermonum meorum, qvos irrisui habuerunt multi: Puchovienses etiam, qvorum multos attrivit vis iræ meæ.

REV. CCCXCV. 14 October.

[*Implenda omnia,* 2. *Hebdomada LXX deninò numeranda,* 6. *Meretricis & Bestiæ Bab: tempora exiverunt,* 8. *Malos operarios non tolerabit ampliùs Deus,* 11, *&c.*]

S*Eqventi manè iterùm ad me Dominus:* Ne deficiat spes in me tua! 2 Nam ecce dies Operis mei venerunt, ego implebo qvæ sum per te loqvutus, ut illuminetur Orbis Terrarum ad agnitionem mei, & viarum Gentes ducentium ad vitam gloriæ meæ. 3 Qvæ via mea variis Antichristianis erroribus obsepta fuit, ne per illam incederent filii hominum ad me solum vitæ radicem. 4 Nam numerus dierum Mundi, non humanus numerus, sed meus & Patris mei, adventat; qvem nemo Vestrûm ô filii hominum novit. 5 Septuaginta hebdomadæ

domadæ indicatæ fuerunt Danieli ad meum adventum, & veni anteqvam decurrerunt. 6 Eundem numerum 70. hebdomadarum à die disceſſûs mei numera, ſi habes intellectum, ubi dierum qvi nunc ſunt, præliorum & belli, finem fieri oportet. 7 Nam qvando dicent Pax & ſecuritas, Ego veniam ut judicium exerceam: effluente temporum tempore, & parte temporis. 8 Sed pauci præter vos duos credunt, me perditurum eſſe Domum Auſtriacam cum Beſtia cui ineqvitabat, & hæc illi. 9 Sed mihi ſagittæ iræ juſtitiæ meæ jam in utrumqve paratæ ſunt, ad exterminandum eos cum Idololatris. 10 Qvod opus meum qvomodo procedet tu neſcis, ſed videbis: ad eradicandum Operarios malos, lucem ſub modio detinentes, penetrantes in domos, & captivas ductantes mulierculas peccatis oneratas. 11 Qvos ego jam tolerari nolo in Nationibus Terræ meæ, meæ dico Terræ. 12 Sed hoc volo, ut Miniſtri Eccleſiæ meæ miniſtri ſint, non Domini: me ſeqventes ducem ſuum, qvi fui obſeqvens Patri meo, humilis, patiens, omnes etiam inimicos diligens. 13 Qvod hi præ philautia nolunt, nec vocem illam meam, Diſcite à me, audiunt: qvibus ego molarem alligabo lapidem, & projiciam in ignem iræ meæ. 14 Scribe hæc dilecto tuo, qvi me laudat qvòd eum eduxi è Polonia, è medio illum non ſincerè diligentium, contemptorum meorum. 15 Qvi aſſeqventur finem ſuum, ſicut & tui Puchovienſes criminatores, Sapor & Radoſch, cum qvibus jam non litigabis. 16 Ego verò in locum contemptorum meorum alios excitabo, qvos jam ſeminavi in agro Mundi: aliter ni plus intelligent de viis meis. 17 Tu cum Adjuncto me timete, fidelésqve eſtote: implebuntur omnia qvæ loqvutus ſum. 18 Nam Opus meum procedet, qvòd brevi audies. *Et orabam cantando Pſal: 4.*

REV. CCCXCVI. 27 Octob.

[*Homines opus Dei, qvod nunc agit, non intelligunt donec peractum fuerit, 2. Gauſape zeli, 6.*]

TRiſtes acceperam ab adjuncto literas, videnſqve illum qvoq; ob tetra hominum de his judicia ſpe labaſcere, mœſtus eram ſpiritu. 2 Et Dominus ad me: *Ne metue ſerve mi! tempora mea venerunt ut commoveam omnes Nationes Terræ, & exſeqvar judicia mea mihi meliùs ac Vobis nota, & impleam terram & mare ſimentô pulveris mei, Vobis filiis hominum.* 3 *Ut paſſim rari maneant habitatores Terræ, me ad plenum non agnoſcentes, cum exiguo illo numero me verè colentium.* 4 *Qvis autem attendit, & intelligit, quid ego operor? niſi poſtqvam peregero Opus meum.* 5 *Tu nihil cura ſermones & judicia vanarum cogitationum humanarum, hebeti ratiocinatione ſuâ me eveſtigare ſatagentium.* 6 *Abi ad Mednianium, gauſapatus zelô; & dic ei, ut ipſe & Princeps mente hilari accendant ignem iræ meæ, & operis mei hâc in Terra, prouti mandavi dudum.* 7 *Ecce hôc anno effluxit altera hora; September præteriit: cavete ne poſterior qvoqve hora prætereat, ut benè ſit habitatoribus Terræ hujus.* 8 *Tu perge in opere qvod demandavi tibi.* 9 Qvæ me & mirari & gaudere fecerunt: & ad Mednianium veniens hæc ipſi ſignificavi.

REV. CCCXCVII. 1 Nov.

[*Antra errorum humanorum*, 2, 6, 7, 8. *Trutina sapientia Dei, ludentis in Terra, imperscrutabilis hominibus*, 4, 14. *Testes Dei tantùm agant qvæ jubentur.*]

A *Precibus matutinis subitò lapsus in somnum, vidi me cum Viris aliqvot (inter qvos Adjunctus) ad mare constitutum, incedentem per prærupti montis callem angustum, & periculosum.* 2 *Cúmqve cæteris præirem, decidi in antrum qvisqviliis oppletum, unde non nisi ope Domini, idqve agrè, exire potui.* 3 *Expergefacto autem dixit Dominus:* Qvid tibi de te, & de me, cogitationum est? 4 Cogita tu trutinam Sapientiæ meæ, qvâ ludo in facie Terræ, non esse trutinam vanæ ac hebetis ratiocinationis vestræ, ó mortales, qvâ vos mare viarum mearum exhaurire tentatis, judicia mea evestigare conati. 5 Sed frustra tempus perditis, vanitatem ac diffidentiam exercetis, me æternùm viventem offenditis, Vobisqve nocetis omnes gentes, bonæ & malæ: nolentes intelligere, qvod viæ meæ nunqvam similes sint viis Vestris. 6 Per qvas meas vias dum ego vos hominum filios ducere volens, voce meâ inclamo, vos autem me seqvi renuitis, ut bos & asinus in foveas ultrò caditis: unde Vobis exitus nec fuit, nec est, nisi per me; ipsi Vos seducitis, nolentes audire & præstare ea, qvæ cuiqvam Vestrûm superioribus & inferioribus locutus sum, loqvor, & mando. 7 Tu qvoqve ipse toties in foveam incidisti, nec exiisses nisi auxiliatus fuissem: ut tibi in somno ostendi. 8 Nec tibi tantùm opitulatus sum: etiam Adjuncto tibi, è fovea Lesznensi extracto, datâ illi spolii loco vitâ ideò, ut jam faciat voluntatem meam, tibi & illi denuntiatam pro Populis terræ. 9 Qvi omnes qvicqvid in universo orbe meo egerunt, atqve agunt, temerè agunt, voluntatis meæ, Vobis perfectè declaratæ, ignari. 10 Nihilominus tamen eorum nemo fine meo aberrabit, id qvod ratio Vestra in æternùm asseqvi non poterit. 11 Mihi (ergò) soli date honorem, & state qvisqve loco suo, faciens qvæ cuiqve mando: & mando ita, ut in consilio meo conclusum est, neminem Vestrûm consultorem adhibere opus habens. 12 Si me seqvuti fueritis, meámqve voluntatem & sermones feceritis, vobis proderit: sin, vobis oberit. 13 Sufficiant hæc: pro te & dilecto mihi tibiqve hæc loqvor: surge & scribe, eiqve hæc mitte. 14 Ego causam meam ipse agam, qvam Mundus non intelligit, donec finem viderit: tametsi his de rebus & olim per testes meos, & nunc per te Mundo locutus sim. 15 Vos duo tantùm videte, ne per Vos stet: fovearum mihi satis est, in qvas blasphemos mihi contemptum inferentes, præcipitare potestatem habeo, ubi & qvando volo, sine prosopolepsia. 16 *Hic cessavit: Ego autem hymnô Ecclesiasticô,* Spiritûs S: adsit nobis gratia! qvi corda nostra sibi faciat habitaculum, &c. *laudavi Deum, surgénsqve scripsi.*

REV. CCCXCVIII. 6 Novemb.

[*Christianorum cum invicem bella medium attrahendi Gentes ad exseqvenda judicia Dei.*]

TRistis eram de eo, qvod publica fama ferebat, de Mosco & Sveco atroci bello implicatis. 2 Et Dominus ad me: *Ne formida serve mi! Effregi ego, & effringam, per Regem Sveciæ fores Nationum, ut Gentes paganæ veniant in terras Christianorum, ad delendum Idololatras juxta sermones meos: cùm id exseqvi nolunt, ipsi Christiani, qvemadmodum mandaveram.* 3 *Tu ne time, fac qvæ mando, & surgens scribe.* 3 Qvod & feci.

REV. CCCXCIX. 19 Novemb.

[*Qverela de inobedientia Domûs Racocianæ: cum novo severo mandato,* 11.]

A*Ntelucanò inter suspiria redormivi: & ostendit mihi Dominus Ædes multis atriis instructas, in qva congregabantur Proceres ad epulandum (Mensæ enim stratæ erant) Unus verò illorum reliqvos accumbere faciebat.* 2 *Ego habitu Ecclesiastico indutus, adstabam ab illis vocari exspectans: sed nemo vocabat.* 3 *Domum illis discessuris adducebatur mihi qvoqve Eqvus, ut unâ abirem, ad celerem rerum mihi demandatarum exseqvutionem.* 4 *Profecti ergò sumus pravelociter, occurrebatqve mihi* Gynæceum cum Principissa nostra: *& mox decollabantur ac mactabantur Viri mihi ignoti, terribili mihi spectaculo.* 5 *Cum expergefactus ista recogitarem, venit post moram vox Domini*: Dicebant de me criminatores mei, *Confidit in Deo, liberet eum nunc.* 6 Confide tu qvoqve, & liberaberis sicut ego: nam ego tibi murus igneus ero adversus criminatores tuos. 7 Princeps Transf. perambulans Domum suam, intuetur muros Munitionum suarum, & Terræ suæ, qvam ego Patri ejus & illi dedi, sed ut facerent voluntatem meam. 8 Illi verò hunc usqve in diem ingrati reperti sunt, neqve te vocant ut debuerunt, rationibus suis tantùm intenti. 9 Qvos tu ne adeas, donec fueris vocatus: qvia tui contemptus in me redundaret. 10 Dedisti tu literis tuis Principissæ ansam vocandi tui: si non vocabunt, & pergent seipsis niti, nec audient ut meam faciant voluntatem, immittam Terræ huic agmina exercituum ut Vesparum: peribuntqve consilia illorum, mihi & consiliis meis refractariorum. 11 Dices (ergò) Principi, ut in conspectu tuo mactare incipiat Idololatras: si servare seipsum Terrámqve Hungariæ vult, in qva hanc decreti mei exseqvutionem Patri ejus mandaveram, jam autem illi mando. 12 Scribe hæc, & mitte Adjuncto. 13 *Ego verò cùm scribere vellem sensi mihi excidisse: Dominus ergò iterabat omnia, & scripsi.*

[Ad v 10.) Qvis ergò in causa est, qvod Exercituum agminibus jam inundetur, & vastetur, Hungaria? eheu! Ad v. 11.) Dura verba: sed consona illis ad Mosen & populum Israel verbis Dei: *Si nolueritis interficere habitatores Terræ* (Idololatras) *qvod cogitaveram facere illis, vobis faciam.* Num. 33, 55, 56.]

REV. CCCC. 22 Novemb.

[*Germania contra Domum Austriacam concitanda*, 1, 2. *Svecus Turcæ colaphum*, 3, 4, 5. *Videns ad Principissam*, 6.

CUm peregissem preces, dixit Dominus: Jam jam veniunt tempora mea, ut adversus Austriacam Domum concitem Germaniam, Palatinum, Saxonem, Brandeburgicum, ipsúmqve Bavarum. 2 Qvod tamen qvis hominum nunc credit? 3 *Ego autem orabam pro Sveco, ignarus qvid nunc ageret.* 4 *Et Dominus*, Concitat gentes: contra qvas cum exierit, impinget colaphum Turcæ, ut illi lacrymæ profluant, tum, cùm Vultum ejus nunc obversum tergo antrorsum aget, ut ad pectus redeat, ad cognoscendum me, & agnoscendum se: qvod prænuntiare jam Kottero mandaveram. 5 Tu fidus & obseqvens mihi esto: Ego tuas & aliorum Cultorum meorum preces exaudiam. 6 Mednianius ad Principissam vocatus nudius tertius exire voluit, sed prohibui: non debet abire sine te. 7 Consigna hoc etiam, & mitte Adjuncto.

[*Ad v.* 2) *Qvis credit? Nemo; quia fides est invisibilium*, Mundus autem credit qvod videt. v. 4.) Colaphum? Qvando? Aderant Sveci qvoqve, cùm nuper (1 Aug.) in Hung. Turcæ colaphus impingeretur: sed hîc majus qvid prædici videtur. v. 6.) Ivit tamen sine Vidente. Consultaruntqve ut Princeps in Poloniam iret cum Exercitu, Coronæ spe, invito Deo. Eheu!]

ANNO MDCLVII.

REV. CCCCI. 3 Februarii.

[*Racoci in Polonia*, 4. *Cæsaris terriculamenta*, 6.]

VIdi congregatos qvosdam (inter qvos Mednianius cum Adjuncto) deliberantes de Pœdagogo, qvorum duo erant reperti, ego autem eos informabam de Providentia Dei. 2 Et Dominus ad me, cùm evigilassem: *Serve mi, expecta tu fide ac patientiâ impletionem sermonum meorum.* 3 *Operarii enim mei jam convolant ad exscindendum arborem illam aridam sine ramis, qvam tibi ostendi* (factum erat 29 Januarii) *complentem mensuram crudelitatis.* 4 Ego verò Principem Transsyl: (tum jam cum Exercitu Poloniam ingressum) cogitabam. 5 Et Dominus: *Gratè accipitur à sociis, ora pro illis.* 6 *Iterum veniebat in mentem Mednianius*, Viennam profectus: de qvô Dominus, *Falsis cum promissis, & vanis terriculamentis dimittetur.* 7 *Nescivit ille* (Cæsar) *aliter qvàm pollicitationibus mendaciô mixtis dementare homines: id qvòd eum perdidit.* 8 *Tu hostium malitiam nihil metue! Adjunctus cognitô qvid agam ego, cogitabit qvomodo satis fiat mandatis meis.* 9 *Mira audies: vigila & ora.*

[v. 5.) Gratè utiqve exceptus fuit ab hominibus, humana consilia seqvutus.]

REV. CCCCII. 14 Febr.

[*Videns plorat, solatiisqve erigitur.*]

PEragebam preces cum lacrymis, expendendo qvatuordecim jam transiisse annos, ex qvo mihi de judiciis suis loqvi cœpisset Dominus, & differri adhuc. 2 Dominus autem: *Ne plora, sermones mei non retroibunt.* 3 *Jam Operarios meos eduxi, & conjunxi, ad finem in Polonia citò imponendum, pergendúmqve aliò.* 4 *Confundentur criminatores mei, & tui.* 5 *Ego causam meam sic agam, ut tu vivus tuis oculis hæc videas: unà cum iis qvos conservare decrevi, ut videatis potentiam meam super Idololatras.* 6 *Qvos ubi delevero, benedicam terra ut ferat fructus suos.* 7 *Tu mihi fide, & ne plora!* plorabam enim vehementer, orans, ne nos, & Operarios suos, desereret, proponens mihi jejunium ea die. 8 Et Dominus: *Facita, fiduciámqve tuam robora relegendo sermones meos antiqvos.*

REV. CCCCIII. 21 Febr.

[*Polonorum fastus dejectus, 6, 7. Svecum retrahere conantur, 9. Cæsar tamen & Casimirus finem invenient, 11 — 16. Christiani per nomina humana in sectas non distrahendi, omnes pro amicis & fratribus Christi habendi, 17 — 22. Currus Dei in Cœlos, 25.*]

D*Iescebat, & vidi tres Viros ætate mediocri insidentes Eqvis, ego autem manu tenens Aqvilam, & Viros istos fugitans, incidi in paludem sic, ut Aqvila inter pedes veniret meos: qvam ægrè extractam vidi caput demittere, & vix respirare.* 2 *Ego autem palude eluctatus, festinabam conscendere clivum qvendam: qvô mecum abruptô, recidi cum horrore adstantium, nec tamen me læsum sensi, qvod illi mirabantur, ego autem laudabam Deum.* 3 *Expergefactus cogitabam, annon mihi periculum immineret aliqvod?* 4 *Et Dominus*, Non aberit, sed noli te affligere. 5 Ecce ego Opus facio, qvod per te nuntiavi Nationibus terræ. 6 Ligna visci mei Septentrionale, & Orientale, jam dejecerunt potentiam superbiæ, & fraudulentiam cum falsitate, Nationis Polonicæ. 7 Nam impacti sunt in fauces illorum freni, ut ne os qvidem aperire qveant, sed capite demissô ferre cogantur jugum alienarum Nationum, qvas illis immisi, contra cogitationes omnium hominum, propter contemptum mihi, & nomini meo, Cultoribúsqve meis, exhibitum. 8 Scias autem non diu ibi moraturum Balsamum Visci mei dilecti, cum auxiliatoribus qvos illi ego Dominator Terræ submisi. 9 Ibunt enim in fundum usqve Imperii: tametsi undiqve accurrant retrahere illum conantes, ut jam desistat ab Opere suo. 10 Ille verò debebit seqvi ductum meum, clausis etiam oculis, usqve in nidum Aqvilæ illius parum jam viventis, qvam tibi ostendi, Dominatorem Austriacæ Domûs. 11 Svecus cum auxiliatoribus suis (*qvos ego illi addidi non alius qvisqvam*) eruant oculum superbiæ ejus. 12 Qvô superbiæ oculo Domus Austriaca intueri noluit, nec me unicum DEUM, cultúmqve purum meum à me Lege meâ sancitum & per Mosen, Prophetas, Meipsum, Apostolósqve meos, illustratum; neqve Cultores

tores meos. 13 Qvod idem similiter fecit Casimirus Polonus: ita se gerens, ac si ego Deus essem nullus. 14 Qvapropter finis ejus adventat, sicut & Aqvilæ, juxta pristinos sermones meos. 15 Cujus emendationem tu ne exspectaveris (*sperabam enim adhuc conversionem*): scis namqve transiisse jam 218 annos, qvibus affligebantur Cultores mei sub potestate Domûs Austriacæ, impuræqve istius Babylonicæ meretricis: qvibus, & illorum dominationi, finem jamjam imponam. 16 *Pinxitqve iterum in conspectu meo Dominus* 218, *addens*, Operarii mei nondum operari volunt: ego igitur cum Patre meo operabimur, prodigia etiam patrando super Terram. 17 Vos autem ô homines, qvi sanctum nomen meum geritis, & vocem Evangelii mei novistis, intelligite jam! 18 Desistite, desistite alienis nominibus, qvibus Vos per tot annorum spatia in Christianitate palliabatis, frustra distrahi! 19 Habentes me unum, noménqve meum unum, & Veritatem sermonum meorum unam, & Spiritum meum unum, & fidem in me, & Patrem meum, Spiritúmqve Sanctum unam, cum potentia in me uno sufficiente ad salutem Mundi totius. 20 Estote igitur vel jam tandem unum in me, sicut ego in Patre meo; missisqve vocibus illis Lutheri, Zwinglii, Hussi, me unum JESUM agnoscite Ducem, Viam, Veritatem, & Vitam. 21 Ego enim vos OMNES verè in me credentes, salvificámqve doctrinam meam seqventes, & pro meo nomine odia Mundi perferentes, in Apostolis meis dilectis Discipulis AMICOS appellavi, FRATRESQVE ac SORORES. 22 Si obsecundatis, & Vos distrahere desistitis, habebitis pacem in me Principe pacis: sed & in Vobis ipsis, & cum Nationibus me ita ut Vos dilecti mei testes, cognoscentibus. 23 Surge, & hos sermones meos consigna Adjunctoqve mitte! qvi jam sæpiùs ad te scriptitabit qvàm ad alios. 24 *Ego igitur gaudii plenus decantabam Psalmum 66: qvô finitô addebat Dominus.* 25 Currus mei parati jam sunt, qvibus multitudinem Nationum transportabo ex mundo, idqve non uno sed variô modô. 26 Etiam pro te Currum jam habeo, qvô te ad me transferam cùm hora venerit mea. 27 *Tu me time, & mandata mea serva.*

[v. 9: Retrahere conantur.) Factum: concitato adversus Svecum Dano, Brandenburgico, Mosco etiam: adversus Racocium Turcâ & Tartaris.]

Rev. CCCCIV. 27 Febr.

[*Coalitio Gentium in unam fidem Christi procedet, invitis etiam Antichristianis.*]

Post matutinas preces ostendit mihi Dominus demessas fruges, colligatas mergetibus: juxta qvos plaustrum erat lutô hærens, cum temone fracto, insupérqve putrefacto, ut extrahendi ejus nulla esset spes. 2 *Et Dominus ad me expergefactum:* Ostendi tibi benedictionem meam, qvæ te asseqvetur contra spem omnium hominum. 3 Implebuntur enim sermones mei, de dilecto Visco meo: qvæ juncta protrudent germina & succum, ad edendum fructus, deturbandúmqve sedibus

fastuosos Idololatras cum Idolis per Terræ regiones: 4 Et introducendum Vos omnes, filios filiásqve meas, in unum spiritum veræ agnitionis mei Unius Dei; assequendúmqve unam Fidem, unam Charitatem, unámqve Spem in me pleno veritatis & gratiæ, pro omnibus Vobis ó Nationes, sine prosopolepsia. 5 Cui operi meo tametsi resistere tentant brachia Austri: frangetur illis tamen temo, jam ante putridus, ut qvô tendunt non pertingant. 6 Desecui ego tanqvam falce pratum, Poloniam, ubi nonnulli etiam pulchrè stantes ceciderunt: cadéntqve, cùm diluvia mea in Terras rejectæ Aqvilæ ibunt. 7 Cujus potentia tametsi se opponet, cum dedecore tamen recedent, resisti non posse videntes. 8 Adjunctus aliter scribet qvàm antè: cui tu rursum scribe, scribe inqvam, ut cogitet de redeundo, & collocandis ad mensam meam Cultoribus meis. Vestra in Terra & alibi, ad unanimitatem mihi in spiritu & veritate serviendum. 9 *Qvô ego auditô cantabam*, O da *nobis Pater cœlestis Spiritum tuum ex alto &c.*

REV. CCCCV. 21 Martii.

[*De eadem Unanimitate*, 5, 6. *Deo disjiciente illos* (*suo tempore*) *qvi obsistere tentant.*]

C*Um decantassem Psalmum* 20. *facta est vox Domini ad me:* Serve mi circumflantur à ventis iræ meæ ii, de qvibus dudum est loqvutum os meum. 2 Concursant qvidem ut sistant vim Operariorum meorum, sed cadent à plagis meis. 3 Exeant Visca mea Poloniâ, ad Viennam: qvô visô Terrarum habitatores addent manum, ad delendum Idololatras. 4 Cumqve Exercitus mei Viennam ibunt, scribe Adjuncto ut redeat, juvétqve reducere sub obseqvium meum alios, ipse mihi obseqvens: novas enim accipit vires, auditô potenti Opere meô. 5 Exspecta ab illo literas: & scitote me velle, ut anteqvam finem imponam Mundo unum sitis in me, sine fermento malitiæ, ad unanimiter mihi æternùm viventi serviendum. 6 Non qvidem deerunt ad finem usqve seculi Zizania; sed qvibus non dabo vires, uti hactenus in Terra. 7 *Qvibus ego auditis cantabam exultabundus*, Veni Sancte Spiritus, &c.

[*v.* 3. Fide opus erat & animi robore. Illi autem & causam Dei, & seipsos, deseruerunt, adversitatibus territi. & ad sua regressi.]

REV. CCCCVI. 31 Martii.

[*Paci in Terris procuranda plures addendi Operarii*, 3. *Racocii clades*, 5. *Cæsaris Ferd. mors*, 7, 8.]

V Idi multitudinem Eqvitum, inter qvos erat Princeps Transsylvaniæ me Latinè alloqvens. 2 Ad qvem cum venirent eleemosynam petentes, ille me in Conclave introductum distribuere jubebat: qvod feci. simúlqve evigilavi. 3 Et Dominus ad me: *Fide verbis meis! ego operi meo plures addam Operarios, etiam Principi, illiqve adjunctis: Ut pacem in Terra procurent Veritati meæ, oppressis hostibus meis & vestris.*

& vestris. 4 *Quod impedire volunt exercituum Australium brachia, sed extingventur ut stipula.* 5 *Non quidem sine clade erunt, Principis etiam* (Exercitus): *quem tu convenies si concordes erunt Incolæ; sin, perdent seipsos, Terrámqve suam.* 6 Ego autem inter orandum pro Nationibus Terræ, somno mersus sum, vidiqve rursum Principem, cum comitatu magnatum per pratum spatiantem. 7 Et auditus est sonus obtusus & tristis Campanæ magnæ. Principe autem *Ubinam campana hæc sonat?* interrogante, respondi, ad Austrum: & mox evigilavi, qvidnam ab Austro venturum esset recogitans, 8 Dominus autem nihil: sed 6 Aprilis advolavit rumor, Cæsarem Ferd. 2 Aprilis diem obiisse suum: & fuit ita.

REV. CCCCVII. 7 Aprilis.

[*Filius Cæsaris patrem seqvetur,* 4. *Operarii Dei nolunt mandata facere,* 6, 7.]

VIdi Patrem Lanetium ab Adjuncto mihi epistolam pulchrè scriptam tradentem, & me cum gaudio accipientem: sed mox evigilavi. 2 *Et Dominus:* Adjunctus te ad altiora promotum volet. 3 Auditaqve mali vasis Ferdinandi morte, implebitur gaudio de completis sermonibus meis, in eo ut stipula exstincto. 4 *Cùm autem mihi de filio ejus cogitare incideret, dixit:* Etiam ille extingvetur. 5 Patruus autem optabit vel Austriæ Dominio potiri, id etiam ægrè obtenturus. 6 Operariis meis gratus erit nuntius: qvibus nondum libet exseqvi mandata mea, de occidendis abominandis Idololatris. 7 Sperant eos per se conversum iri: sed frustra se hâc spe oblectant; non prodibit ex hoc ovo, fœtidi hujus nidi, philomela, ne exspectent: sed faciant ut Eliæ tempore, ad mandatum meum. 8 Tu cum J. M. meam hanc voluntatem fac notam Incolis Terræ hujus; ut sint unanimes.

[v. 4.) Exstinctus postea fuit junior filius Carolus.]

REV. CCCCVIII. 18 Aprilis.

[*Turca veniet: cum qvo paciscendum.*]

VIdere datum est Ædificium dirutum, super qvod veniebat fluxus turbidissimarum aqvarum, ut pavescerem: sed defluxerunt illicò, & ego gaudebam. 2 *Dominus autem:* Ne timeas! & scito me mercede terrarum Croatiæ, Carinthiæ, & Stiriæ, conduxisse Turcam ad Opus meum: sed ut Civitates Hungariæ reddat Regi, pacémqve æternam ineat cum Populis Christianis. 3 Operarii mei citò Poloniâ exibunt, qvô ego jussero.

REV. CCCCIX. 19 Maji.

[*Res in Polonia mirè procedent*, 3,4. *Imperator futurus Gall. Rex*. 6. *Dei opera non ad humanum arbitrium eunt, ut Ventus*, 8. *Lux è tenebris prodit*. 6.]

M*Atutinis à precibus redormiens, vidi Viros ferentes diplomata patentia, magnis cum sigillis, qvæ lectitabant varii, alii gratô alii ingratô animô: mihi autem & reliqvis à parte nostra placebant.* 2 *Mox experrectô mihi dixit Dominus:* Fidelis esto, patienter expectans dum implebuntur tibi nuntiata sermonibus meis. 3 Diluvium iræ meæ multos in Polonia deluit, & porrò etiam deluet, malos & bonos. 4 Mirè Operarii mei finient in Polonia, ex qvâ dum exibunt, solum tantùm remanebit: non enim prævalebit potentiæ Operis mei, brachium Austri. 5 Hungari nisi ad se redierint, desolationem Polonicæ similem experientur: dixi enim jam antè, me Turcam mercede conduxisse, cui resistendo non erunt. 6 *Qvibus ego auditis, oravi misericordiam, venítqve cogitare, qvis futurus esset Romani Imperii electus & coronatus Rex? Et Dominus:* Vas meum Rex GALLIÆ, cujus cor jam dispono, ad intelligendum vias meas. 7 *Ego autem cogitavi Regem Sveciæ; & Dominus*, Satis illi fiet in Imperio qvoqve, præter illa qvæ accepit in Polonia. 8 Flatus ventorum meorum procedit, necesséqve habebit ire eô, qvò mando ego. Vocem ejus audies, sed non illicò percipies qvorsum eat. 9 Ab Adjuncto veniunt Literæ, qvibus exhilaraberis, [*NB. venerunt* 28 *Maji, data* 2. *ejusdem, nuntiantes esse divinitùs excitatum, qvi vocem hujus Tubæ, in lucem promoveat, in usum Nationum Terræ.*] 10 Mea solatia tibi venient, tantùm labori ne parce: & qvæ loqvor consigna, futurum in usum (*qvi veniet*) tempore ignoto tibi. 11 De Hungarorum tergiversatione audies; sed qvi ad gladium, ad gladium. Tu vigila & ora, 12 *Qvod & feci, decantans,* Perire nos ne finas, Jesu Christe &c.

[*Ad v.* 9.) Pulsus enim ego è Polonia, & in Hollandiam delatus, aperui rem uni & alteri amicorum: deliberatumqve fuit aliqvamdiu trepidanter qvid agendum, ne vel Deum offenderemus denuò, vel homines. Mors enim Ferdinandi tertii, & mandatum jam antè datum (de vulgandis tum intrepidè sermonibus Dei, Revel. CXII. v. 10.) stimulabat nos. Maximè qvia Principis Transf. cum Exercitu in Poloniam adventu impleri credebamus, qvod ab omnibus Videntibus fuit prædictum, *fore ut se Oriens jungat Septentrioni, tremendumqve Dei opus procedat.* Non prævisô, qvòd Poniat. XIV. conjunctio qvidem Leonum (Orientalis cum Septentrionali) præmonstrata fuit, nondum tamen ad aliqvid reipsâ præstandum, sed ad colloqvendum solùm, neqve tamen satis se intelligendum (v.7.) prædisponendum tantùm ad qviddam futurum (v. 9. &c.) mox autem rebus infectis ab invicem discedendum (v.38.) Et qvia Princeps in Poloniam ire prohibitus fuit nisi compositis domi rebus, consiliisqve suis cum Turca & Tartaro communicatis (Drab. CLX. 7. CC. v.5. & alibi) credebamus nos id factum esse, consensuqve undiqve firmatô omnia fieri. Qvæ cùm admodum essent verisimilia, Deusqve offerret media, decretum est *Illud tripartitarum*

Reve-

Revelationum Opus typis describi, LUCEMqve IN TENEBRIS inscribi. Tum; qvòd pressæ tenebris Ecclesiæ lux hæc divinarum consolationum submissa (ex Mich. 7. v. 8. & Psal. 112. 4.) tum qvod silentii tenebris adhuc premenda, aliqvibus tantùm (qvi de his judicare possent, aut ipsi agentium aliqva pars essent) communicanda. Qvia verò avidiùs arripiebantur, & aliis ab aliis communicabantur, fieri non potuit qvin brevi pluribus qvàm nobis volupe fuit innotescerent, turbarumqve nonnihil excitatum esset. Qva in re si erravimus nos, non erravit Providentia, erroribus etiam humanis ad intentiones suas abuti gnara; eôqve hæc etiam sic disponens, ut accensa hæc in Domo Dei lucerna sub modio diutius latere non posset, Candelabro exposita.]

REV. CCCCX. 26 Maji.

[*Verba Dei non ibunt retrò, 2. Iris gratiæ signum, 4. Idololatræ ruent, 5: Videnti onus imponitur, 6.*]

ITerum *redormiens à precibus, vidi multitudinem populi svaviter colloqventium, inter qvos Adjunctus meus latô vultu, imponens mihi ingens qvoddam onus; qvod utut magnum fuit, non adeò tamen gravari me sensi.* 2 *Cùm evigilassem, dixit Dominus:* Confide verbis meis, nam ea retrò non ibunt. 3 Necesse enim habebunt Operarii mei progredi, donec exscindantur de facie Terræ Idololatræ, qvos exsecratus sum, eâ exsecratione, qvâ Mundum priorem, qvem delevi octo tantùm servatis animabus. 4 Sed promisi non similiter me facturum, dedíqve vobis in signum arcum cœlestem: [*& mox aperiens oculos, vidi ante me Iridem, miratus Dei potentiam circa me.*] 5 Tu autem certus esto Idololatras etiam in Polonia ruituros, & redituros in nihilum, sicuti Silo: qvia nolunt redire ad se donec in rudera erunt redacti, ut spectaculo sint aliis Nationibus, qvas etiam resistere Operi meo volentes, afflabo igne terribilis iræ meæ (*ut Danos.*) 6 Tibi Ego imponam Onus, qvod operosè feres: sed confide mihi, Ego ero auxilium tuum, & omnium voluntatem meam facientium, notorum & ignotorum tibi in facie terræ. 7 *Ego verò cecini:* Te Deum laudamus.

REV. CCCCXI. 31 Maji.

[*Decretum Dei de Rege Franciæ, Papa, Hispano, Anglis, Friderici filiis, Turca, (ad Concilium vocando, 9.) Brandenburgico, 16. Ecclesiaqve Unitate, 17. &c.*]

P*Ost peracta matutina suspiria, cogitabam qvid in Germania fieret inter Electores, alibiqve.* 2 *Et Dominus (me miserum servum suum, à Papistarum minis per eos dies anxium alloqvi dignatus) dixit:* Faciunt Nationes opus qvod animis eorum indidi. 3 Rex Galliæ consensum inivit cum filiis Friderici, ad auxiliandum illis contra Bavarum: qvi efferendo se cadet, sicuti cadent posteri Ferdinandi, qvorum jam pauci supersunt. 4 Gallo ego dabo Imperii coronam, ut nuper dixi:

xi: animosum enim illum reddidi contra Hispanum. 5 Papæ Capiti coronam imposui testaceam, similémqve imponam Hispano, cum dilaceravero Regnum ejus: cujus partem accipient Angli etiam fideles mei: qvod cogitare nec ipsi poterant, nec Mundus. 6 *Mihi autem recogitare venit Friderici filios, qvos etiam ire exaltatum, loqvutus fuerat Dominus.* 7 *Et Dominus*: Bohemia & Bavaria illis jure cedet, neqve id potentia Bavari, qvomodocunqve tumultuantis impedire poterit: jam qvidem furere incipit, sed accipiet satisfactionem brevi. 8 Audisnè verò Turcam qvoqve jamjam adventantem, sibilante me (*cui nulla humana vis resistere poterit*) ad compescendum Venetos, & Romam, Italiámqve sicut ante dixi. 9 Modò ei fidem servent Fœderati, etiam qvando Concilium convocabunt: cui Conciliô illius qvoqve Legati præsentes sint, ut una cum illo signum recipiant in fronte sua, sanctum meum Babtismum, in nomine meo JESU NAZARENI, cum PATRE & SPIRITU Sancto regnantis in æternum. 10 Qvô ab illis cum gaudio & exultatione susceptô, Judæis svadeatur idem: accedéntqve illi etiam, tametsi non sine tergiversatione multorum.

[11 *Qvô auditô cecini ex hymno de Spiritu Sancto:* Tu divisum per lingvas mundum, & ritus, adunasti Domine &c.]

12 *Et Dominus perrexit:* Qvod ubi erit factum exultabit cor variarum terræ Nationum: modò ad illas dimittatur vox Tubæ meæ, qvam apud Adjunctum jam parari scias. 13 Cui scribe, ut Operarii mei hos etiam sermones expendant meos: qvos adibis cùm te vocabunt, & ego vobiscum ero. 14 Diluvia Exercituum meorum volvent se: qvibus absorbti sunt multi & absorbebuntur, propter incredulitatem & blasphemias ergà sermones meos. 15 Præposito jam dedi horum intellectum, dabóqve multis in Hollandia & alibi. 16 Ductus meus illis prodest qvi se patiuntur duci, sicuti Brandeburgicus: qvi Dominus erit Silesiæ, & patriæ tuæ Moraviæ, sicut antè dixi. 17 In qvam Vos introducti (*non omnes autem qvi etiamnum vivitis*) nolite distrahi ab aliis Evangelicis: unum este dilectione, Vósqve mutuò illuminate perfectâ luce sermonum legis meæ, nihil loqvendo aut faciendo juxta ratiocinationes vestras, contra clara mea verba omnibus de rebus. 18 Nihil homines, & humana respectate judicia, dummodò veritas sermonum & statutorum meorum in Vobis manebit. 19 Qvam unanimitatem Concilium etiam promovebit, qvùm facta fuerit de sedibus dejectio mitratorum, idololatriam exercentium per totum Imperium. 20 Hæc Ego loqvor serve mi, ut habeas qvod postea exhibeas, cùm vocaberis. 21 Abi, ora, in vocatione tua mane, non desereris. 22 *Ego autem cecini hymnum Ecclesiasticum, itémqve Psalmum 45. lacrymis hac rigans, & promissa impleri optans.*

REV. CCCCXII. 11 Junii.

[*Polonorum peccata*, 2, 3. *Castigandi, non à Sveco*, 4, 5. *Lux in Ten. quò mittenda, & à quibus*, 7. *Ecclesia in Moravia*, 9 — 13. *Svecus & Transylvanus in Pol. dissipandi*, 14. *Danus*, 15. *Idololatra*, 17. *J. Medn.* 20.]

SOle oriente redormivi, & ecce afferebatur pallium inæqvabiliter longum, ut id coæqvarem: qvod & (aliis operosè juvantibus) feci. 2 *Mox ad nos ingressus* Seciæ Rex, (*vultu rotundô, & facie amœnâ*) *manu mihi præbitâ qvæsivit*, Qvænam Gentis Polonæ peccata fuerint? 3 *Ego autem respondi*, Fastus & Superbia; Contemtus aliarum Nationum; Impuritates & adulteria, inter omnes Ordines; Abominabilis Deo Idolomania; Oppressiones pauperum; Iniqva judicia, etiam de Deo & ejus cultu, qvem illi in sculptilia & sanctos transferunt. 4 *Respondit Rex*, *Scibam hæc ipse: sed qvem illis finem faciam? ego autem respondere volens evigilavi.* 5 *Et Dominus mox:* Videbis tu eum at non in Polonia, sicuti nec Transylvaniæ Principem: in Hungaria demum (qvò etiam Seciæ Rex veniat) ut satisfiat sermonibus meis. 6 Tu autem effundes oleum unctionis meæ super Principem, si faciendæ voluntati meæ tradere se volet. 7 Adjunctus Opus tuum voluntate meâ jam edit, dimittétqve ad Operarios meos: consiliô eorum qvi tui etiam habebunt memoriam. 8 *Qvibus ego exhilaratus, cantavi Psalmum* 118, *eôqve absolutô momentò obdormivi.* 9 *Et vidi Viros honestos, distribuentes ad considendum loca: móxqve evigilans cogitare cœpi Adjunctum meum, qvòd ille Fulnecam redire, ibiqve rursum Deo & Ecclesiæ servire, optasset.* 10 *Et Dominus ad hæc, voce lætabili:* Non Fulnecæ, Olomutii, inspectionem sibi traditam habens super Pastores Terræ vestræ. 11 *Cùm autem mihi de me subiisset cogitatio, Dominus:* Non in patria (Strasnicii) sed Lipnikii, ut antè loqvutus sum: nemo enim Propheta acceptus est in Patria sua. 12 Reducam vos: at non in Domos Vestas sed Parochiales, & Templa publica: non enim feram distractionem, qvalis ante hac inter Vos erat. 13 *Qvò ego auditô cecini hymnum* O cœlestis gloria, extende tuam dexteram &c. 14 *Cantúqve finitô cogitare cœpi Regem* (*Svecia*) *cum Principe* (*Trans.*) *qvid illis futurum esset; & momentò indormiens vidi Exercitus eorum dissipari: Leopoldi autem Exercitus* (*Cæsareus*) *cum Polonis stabat tacitè, tantùm qvòd adversus eos ventus ignis instar, emininùs adventabat.* 15 *Ut verò evigilavi dixit Dominus:* Danus adjungit se illis ad dissipandum Operarios meos è Polonia: sed ignis iræ meæ comburet eos ut stipulam. 16 *Me autem Moraviam recogitante qvid ibi esset futurum, respondit Dominus*: Nescient qvò se vertant, & multi gratiam qværent, videntes resisti non posse manui meæ: Vos autem curabitis plagas eorum. 17 Sed neqvam illi sacrifici idololatræ, sine omni misericordia deleantur, tanqvam à me exsecrati, cœci cœcorum duces, corporum animarúmqve tyranni. 18 Nunqvam aliàs securi eritis à viperina progenie: sed ab illis seductorum miserescat Vos, ut eos veritatem edoceatis. 19 *Mihi verò iterum Hungari erant in mente; & Dominus:* Redibunt ad se, sed concordes sint! 20 Mednianius strenuè agit, non otiatur,

magnum eum faciam hâc in Terra: dignitatem ei dabo ad qvam deduxissem Klobucicium, si voluisset me seqvi. 21 Jam surge, & mane in sorte tua, rarò exiens domô. *Et cecini Psal: 99.*

[Non reticendi tempus est. qvomodo editionem Lucis in T. mox pœnitudo insequuta sit, apud me præsertim: cùm per dissipatos istos Leones omnia in contrarium recidere viderentur. Tria imprimis dolebam. (1) *Totum opus datum foras, non præmissâ priùs synopsi aliqvâ, rei totius summam interim compendiò exhibente.* (2) *Nomina propria tot posita expresse: per qvod bonis & innocentibus Viris afferri posse noxam metus oriebatur.* (3) *Præfationem & interspersas notas confidentiùs posita: cum de rebus quarum veritas ipso plenô eventu jam satis probata esset*: qvod causæ præjudicio fore, multumqve allaturum incommodi, non formidare non poteram. Nec satis ex eo fuit solatii, qvòd sic meliùs in his omnibus candorem meum, & in rebus tantâ simplicitate recitatis ipsam nudam veritatem, perspecturi essent censores. Facilè enim prævidere fuit, non omnes ista (in qvorum essent ventura manus) cum judicio aut candore lecturos: sed arrepturos hinc inde aliqvid, aliud ex alio, ad absurdorum montes cumulandum.

Qvia verò suam qvoqve circa hæc solicitudinem non celabant amici, occasio data fuit conscribendi aliqvid, sub titulo *De editione Libri*, LUX IN TENEBRIS *dicti*, *informatio ad conscios.* Qvam scriptiunculam Historiæ de his rebus conscriptæ præposui, ubi videri potest, si interest, p. 14.

Et qvia brevi pòst à Principis Transf. Secretario, Const. Schaum, tristes venerunt (ternâ vice) qvibus historicè Principis sui ruinam recitans, non obscurè culpam in Revelationes istas (qvasi fidem illis habens eô impulsus fuisset) conferre videbatur, causa fuit data ad nebulas illas discutiendum scribendi aliqvid. Qvod responsum iterandum hîc est, paucis saltem. Placebant enim sibi nonnulli hoc figmentô Principem credulitate peccasse, & phantasticis Visionibus jussa faciendo sese præcipitasse. Sed veritas ostendit contrarium: incredulitate nimirum (communi mortalium circa hæc vitiô) peccasse, jussisqve contraria faciendo, non promissa sibi bona accepisse, sed in denuntiata mala incidisse. Facta his fuit fides allegatione aliqvammultorum ex Drab. Revel. locorum. Ex. gr. Rev. 160. ℣. 7. *Ineat consensum cum Turca & Tartaro, ad faciendum demandatum sibi opus.* Atqvi non inivit, sed opus suum à Turca occultavit: unde hic rebellionis conceptâ suspicione, Tartarum à tergo immisit, implacabiliter illi hucusqve iratus. Item, *De adeunda Polonia expressa fuit prohibitio, nisi rebus domi compositis*, Rev. 119. ℣. 6. 7:) Additô, *Melius est Principi obedire mihi qvàm hominibus; qui seipsos ignorant, & qvid ego, per qvem, cur, exseqvi velim, non intelligunt*, ℣. 9. Sic & Rev. 200. ℣. 5, 6. & alibi. Atqvi non obedivit, rebus domi non compositis ivit &c. *Multò verò magis, & severiùs, prohibitus fuit adire Poloniam propter spem Coronæ*, Rev. 228. ℣. 11. tristi additâ comminatione ℣. 12: *Nisi obedieris mihi, hoc asseqvetur ut Mundo statuatur in exemplum.* Qvid clarius dici potuit? qvomodo evidentiùs impleri, atqve factum est? Eheu! Sed alia longè plura, mandata & inhibitiones, severis cum interminationibus, revocata fuerunt in memoriam Secreta-

ecretario, & per illum aliis qvorum intererat: ut tandem inde rescriptum fuerit *Errores agnosci, Deumqve ut pro misericordia sua ignoscat, & pro sapientia sua emendet, orari. Amen!* Justum est hominem *Deo justitiam, sibi pudorem faciei*, tribuere: Dan. 9. 5. Davidi certè illud suum imô corde pronuntiatum, PECCAVI, salutis initium fuit. Sit & nobis omnibus peccata confitentibus (qvibus nemo non gravatur qvotidie) propitius Deus noster! Amen.]

REV. CCCCXIII. 21 Junii.

[*Videnti ob Visiones metus, solatiis mitigatur*, 1, 2, 3, 5, 17. *& instructione*, 6. *Lutum Domûs A*, 7. *Numerus exilii*, 11. *Atramentum fervens*, 12.]

SUspiriis ad Deum manè peractis obdormivi, & ostendit mihi Dominus Nationes varias: qvorum aliqvi me gratè recipiebant, & humaniter alloqvebantur, alii verò (inter qvos Poloni) torvùm intuebantur, minásqve intentabant, ut me horror invaderet, à qvo evigilavi, Dominum orans protectionem, præsertim si qvid ob hæc vulgata ingrueret periculi. 2 Et factum est ad me Verbum Domini; *Ne pavesce, ne pavesce! tametsi enim sine metu à malitiosis me ignorantibus, & sermones meos aspernantibus, non eris: in me tamen, in me, est robur in protectionem tui.* 3 *Nam non sunt homines sua spontis ut facere qveant qvod volunt, sed qvod permitto ego.* 4 *O maligne Munde, non diu jam stare habes, necdum tamen ad te redire vis: Ignes ira mea adhalant tibi, tu tamen insensatus es, omnia per filios contumacia perversè agis & loqveris.* 5 *Promissa tibi & Adjuncto exsolvam ego.* 6 *In Patriam reversi Vestram, non pecuniam accipietis pro sacris ministeriis, contenti decimis qvas dudum Ecclesia ministrantibus ordinavi: qvod remedium* (avaritiæ) *non omnibus erit gratum.* 7 Indormiens autem vidi Viros de Austriaca Domo loqventes: qvorum unus vasculum tenebat fractum, cui nihil jam inerat præter parum luti, qvod ut ejicerem jubebat, & ejeci: qvô visô alii mirabantur, alii indignabantur. 8 Veniteqve rursum Vir ille, scribénsqve cifras jussit numerari: numerabámqve viginti novem, & ad me reversus cogitabam qvid isthuc esset. 9 Et Dominus: *Numera exilii tui annos, reperies* 29. *Jamjam lutum Austriaca Domûs ejicietur, & Vos revertemini.* 10 *Confidite, Opus meum nemo sistet, brevi jam implebuntur sermones mei.* 11 Numerabam ergò ab anno 1628 qvô (mense Sept.) in exilium veni: repertóqve numero 29 laudabam nomen Dei. 12 Iterúmqve redormiens, vidi atramentum meum in atramentario fervere ad bullitionem usqve nec tamen ebullire: experrectúsqve qvid sibi id vellet cogitabam. 13 Et Dominus, *Ne metuas: Scripta tua coqventur in cogitationibus hominum: sed ego sermones meos implebo.* 14 *Omnia dissolventur in Nationibus Terra, sicuti dum qvid in olla igne vehementi coqvitur.* 15 *Qvatuordecim sunt anni, ex qvo tibi loqvi cœpi, tramqve (ut loqvutus sum) meos & vestros hostes: vocem enim Tuba mea dilectus tuus jam dimittet.* 16 Ego autem cogitare cœpi, qvomodo mandatum de reditu acceperit Adjunctus? & Dominus: *gratè, resciesid.* 17 *Mednianius ad Vos veniet,*

Vobis enim duobus periculum ingruet: sed mihi confidite. Ego faciam ut trepident hostes Vestri. 18 *Severè ego tractabo eos qvi dissipare moliuntur exercitus Operariorum mi[illegible]orum.*

REV. CCCCXIV. 24 Julii.

[*Solatia contra terrores*, 1, 2. *Racoci denuò agere jubetur opus priùs injunctum*, 3, 4. &c.]

AGitabam animo exercitum, qvem Bucheim ex limitaneis arcibus in Hungaria, & legionibus eductis ex Moravia, collegerat, minœqve audiebantur venturum super nos, & facturum ut Poloni circa Munkaczium, ferrò & flammâ tyrannicè vastantes omnia. 2 *Et respondit Dominus:* Ut muscæ dispalabuntur, & ut pediculi dilabentur: nec enim consilium est contra consilium meum, aut potentia contra potentiam meam. 3 Sed Princeps eat (reversus è Polonia) qvò ego illum ire jussi, & meam exseqvatur voluntatem, solis parcendo Politicis. 4 Volo enim per universam Terram meam exstirpari zizania pseudo-clericorum. 5 Sed & Reges ipsi ac Dominatores, æqvè ut Ecclesiæ Ministri, ita vivant ut loqvutus sum: pacéqve factâ per omnes Nationes, stet qvisqve locô suô, sub Luce Legis meæ, notitiáqve mei, qvi solus via salutis sum. 6 Ego enim exstirpabo mihi adversantes, & vos concinetis *Triumphator J[illegible] gloriosè* &c. 7 Tu autem relege ser[illegible]nes meos dudum ad te prolatos [illegible] solatia tibi venient.

[Ad v. 3.) Observanda est Revelatoris constantia, qvi Racocium viribus jam exutum agere j[illegible] illud, qvod ille viribus integris non ausus. Exercitus enim ejus in Polonia à Tartaris circumve[illegible] versúsqve abductus fuit: & tamen jubetur agere. An Gedeonis exemplo, cum trecentis po[illegible] cum 30 millibus? vel ut demum consilia cum Tartaris & Turca reassumendi occasio esset? Stup[illegible] sunt.]

REV. CCCCXV. 9 August.

[*Ob cladem Principis ludibria*, 2. *Svecus in Dania*, 3. *Videnti solatia*, 5, 6.]

OStendit mihi Dominus Adjunctum cum Tabellario inter nos commeante, exponentem pannos, de qvibus adstantes varia ferebant judicia. 2 Expergefactus, animô versare cœpi sermones hominum varios, valdè ludibriosos, de Rege Sveciæ & Transf: Principe, orans pro illis & aliis Viscis Dei. 3 Respondens autem Dominus dixit: *Princeps incidit in ærumnas & periculum, Svecus autem agit rem contrariam (intentioni suæ) contra fastuosum Danum: ibi autem opere finitô, perget aliò.* 4 Et incidit cogitare de Helvetiis: Dominus autem: *Et illi operabuntur ruente Austriacâ Domo, quam adhuc respectant multi, hac etiam in Terra.* 5 *Ubi vos malè tractare cogitant, sed non poterunt.* 6 *Tu patienter ærumnas tuas tolerat ego te solabor, & tibi providebo.*

REV.

REV. CCCCXVI. 11 August.

[Revelationes hæ cujus sint, 1 — 4: non metuendum ob illas vulgatas, 5. Cur prædicta non evenire videantur, 6, &c.]

D*Ixit ad me Dominus:* Scripta tua jam longè latèqve volitant, legíqve incipiunt à magnis etiam Viris, admirantibus scientiam meam. 2 Sed diversimodè: alii lætabundi, qvi agnoscunt vocem meam; alii cum trepidatione, cæci adhuc mente. 3 Qvibus nisi subvenerit gratia mea, & reperientur ingrati, ecce frustrà legent! 4 *Ego autem cogitabam. Annon periculi aliqvid experturus sim pro labore meo? Et Dominus:* Cave fatea[illegible]sse verba qvæ scripsisti! Me o[illegible]ventibus, me esse loqvutum, [illegible]ctum. 5 Cogitabunt ma[illegible] Ego tibi murus igneus [illegible]liæ: tantùm esto pa[illegible] mihi committe, hæ[illegible] in hostibus meis & Vestris. 6 *Et recogitabam Principem è Polonia reversum, de qvo contumeliosissimos spargebant sermones Papistæ: orans ne nos desereret Dominus.* 7 *Dominus autem:* Vacuus esto cogitationum incredulitatis ingratæ mihi! sermones enim mei vacui non essent, si non per Vos staret: sed Vos dum aliqvid offenditis, in me culpam transfertis. 8 Aberravit Princeps à voluntate mea, eundo qvò eum ire non jussi, & non faciendo qvod jussi: propriis cogitationibus & humanis consiliis etiam in Polonia abductus, ut non faceret qvod mandaveram. 9 Fidelibus ego fidelis ero: sed infidelitate ac inobedientiâ offendor. 10 Qvum in Hungaria faciet qvod mandavi, obstruentur ora blasphemantium.

REV. CCCCXVII. 1 Sept.

[Beati qvi Divinæ luci ad Gentes viam parant.]

[illegible]*qvutus me Dominus, dixit:* [illegible] servi mei, qvi mihi & luci [illegible] Gentes ostium panditis! cum [illegible]dica etiam natione, & Illo cujus ego cor tetigi ad impensas faciendum in Opus tuum. 2 Præmium vestrum apud me erit, & apud meos mundi cordis filios & filias: sicut ego habui à muliere illa clamante, Beatus uterus, qvi te portavit. 3 Tu labora in vocatione tua: & scribe hoc etiam, ac mitte ad tibi mihiqve dilectum. 4 Surge: sufficit diei vexatio sua. 5 *Et cantabam Psalmum* 94.

REV. CCCCXVIII. 2 Octob.

[Deus in proposito (Mundum renovandi) perstat, 1 — 4: Austriacos metui prohibet, 5 — 11. Ad Galliæ Regem scribi jubet, 12 — 35. De Electoribus Rheni disponit. 36 &c.]

I*Terum ad me Verbum Domini factum est.* 2 *Eram plenus tristitia qvòd non fiant per Operarios ea, qvæ mandârat Dominus; orabamq; cum gemitu & lacrymis.* 3 *Et Dominus:* Nondum hoc egerunt, ut reqviem invenirent Tabernaculo meo, ideò asperè procedunt res ipsorum. 4 Scribe ad Principem ut missas faciat Terras alienas, domi

Vobis enim duobus periculum ingruet: sed mihi confidite, Ego faciam ut trepident hostes Vestri. 18 *Severè ego tractabo eos qvi dissipare moliuntur exercitus Operariorum meorum.*

REV. CCCCXIV. 24 Julii.

[*Solatia contra terrores*, 1, 2. *Racoci denuò agere jubetur opus priùs injunctum*, 3, 4. *&c.*]

A*Gitabam animo exercitum, qvem Bucheim ex limitaneis arcibus in Hungaria, & legionibus eductis ex Moravia, collegerat, minæqve audiebantur venturum super nos, & facturum ut Poloni circa Munkaczium, ferrô & flammâ tyrannicè vastantes omnia.* 2 *Et respondit Dominus:* Ut muscæ dispalabuntur, & ut pediculi dilabentur: nec enim consilium est contra consilium meum, aut potentia contra potentiam meam. 3 Sed Princeps eat (reversus è Polonia) qvò ego illum ire jussi, & meam exseqvatur voluntatem, solis parcendo Politicis. 4 Volo enim per universam Terram meam exstirpari zizania pseudo-clericorum. 5 Sed & Reges ipsi ac Dominatores, æqvè ut Ecclesiæ Ministri, ita vivant ut loqvutus sum: pacéqve factâ per omnes Nationes, stet qvisqve locô suô, sub Luce Legis meæ, notitiâqve mei, qvi solus via salutis sum. 6 Ego enim exstirpabo mihi adversantes, & vos concinetis *Triumphator Jesu gloriose* &c. 7 Tu autem relege sermones meos dudum ad te prolatos: mea solatia tibi venient.

[Ad v. 3.) Observanda est Revelatoris constantia, qvi Racocium viribus jam exutum agere jubet idem illud, qvod ille viribus integris non ausus. Exercitus enim ejus in Polonia à Tartaris circumventus, universúsqve abductus fuit: & tamen jubetur agere. An Gedeonis exemplo, cum trecentis potiùs qvam cum 30 millibus? vel ut demum consilia cum Tartaris & Turca reassumendi occasio esset? Stupenda hæc sunt.]

REV. CCCCXV. 9 August.

[*Ob cladem Principis ludibria*, 2. *Svecus in Dania*, 3. *Videnti solatia*, 5, 6.]

OStendit mihi Dominus Adjunctum cum Tabellario inter nos commeante, exponentem pannos, de qvibus adstantes varia ferebant judicia. 2 Expergefactus, animô versare cœpi sermones hominum varios, valdè ludibriosos, de Rege Sveciæ & Transf: Principe, orans pro illis & aliis Viscis Dei. 3 Respondens autem Dominus dixit: *Princeps incidit in ærumnas & periculum, Svecus autem agit rem contrariam (intentioni suæ) contra fastuosum Danum: ibi autem opere finitô, perget aliò.* 4 Et incidit cogitare de Helvetiis: Dominus autem: *Et illi operabuntur ruente Austriacâ Domo, qvam adhuc respectant multi, hac etiam in Terra.* 5 *Ubi vos malè tractare cogitant, sed non poterunt.* 6 *Tu patienter ærumnas tuas tolera: ego te solabor, & tibi providebo.*

REV. CCCCXVI. 11 August.

[*Revelationes hæ cujus sint, 1 — 4: non metuendum ob illas vulgatas, 5. Cur prædicta non evenire videantur, 6, &c.*]

D*Ixit ad me Dominus:* Scripta tua jam longè lateqve volitant, legíqve incipiunt à magnis etiam Viris, admirantibus scientiam meam. 2 Sed diversimodè: alii lætabundi, qvi agnoscunt vocem meam; alii cum trepidatione, cæci adhuc mente. 3 Qvibus nisi subvenerit gratia mea, & reperientur ingrati, ecce frustrà legent! 4 *Ego autem cogitabam, Annon periculi aliqvid experturus sim pro labore meo? Et Dominus:* Cave fatearis tua esse verba qvæ scripsisti! Me ostende inqvirentibus, me esse loqvutum, te scribere coactum. 5 Cogitabunt malè tibi facere, sed Ego tibi murus igneus ero, sicuti eram Eliæ: tantùm esto patiens, injuriasqve mihi committe, hærebunt sagittæ meæ in hostibus meis & Vestris. 6 *Et recogitabam Principem è Polonia reversum, de qvo contumeliosissimos spargebant sermones Papistæ: orans ne nos desereret Dominus.* 7 *Dominus autem:* Vacuus esto cogitationum incredulitatis ingratæ mihi! sermones enim mei vacui non essent, si non per Vos staret: sed Vos dum aliqvid offenditis, in me culpam transfertis. 8 Aberravit Princeps à voluntate mea, eundo qvô eum ire non jussi, & non faciendo qvod jussi: propriis cogitationibus & humanis consiliis etiam in Polonia abductus, ut non faceret qvod mandaveram. 9 Fidelibus ego fidelis ero: sed infidelitate ac inobedientiâ offendor. 10 Qvum in Hungaria faciet qvod mandavi, obstruentur ora blasphemantium.

REV. CCCCXVII. 1 Sept.

[*Beati qvi Divinæ luci ad Gentes viam parant.*]

M*Atutinò alloqvutus me Dominus, dixit:* Beati vos servi mei, qvi mihi & luci meæ per Gentes ostium panditis! cum Hollandica etiam natione, & illo cujus ego cor tetigi ad impensas faciendum in Opus tuum. 2 Præmium vestrum apud me erit, & apud meos mundi cordis filios & filias: sicut ego habui à muliere illa clamante, Beatus uterus, qvi te portavit. 3 Tu labora in vocatione tua: & scribe hoc etiam, ac mitte ad tibi mihiqve dilectum. 4 Surge: sufficit diei vexatio sua. 5 *Et cantabam Psalmum 94.*

REV. CCCCXVIII. 2 Octob.

[*Deus in proposito (Mundum renovandi) perstat, 1 — 4: Austriacos metui prohibet, 5 — 11. Ad Galliæ Regem scribi jubet, 12 — 35. De Electoribus Rheni disponit. 36 &c.*]

I*Terum ad me Verbum Domini factum est.* 2 *Eram plenus tristitia qvòd non fiant per Operarios ea, qvæ mandàrat Dominus, orabamq; cum gemitu & lacrymis.* 3 *Et Dominus:* Nondum hoc egerunt, ut reqviem invenirent Tabernaculo meo, ideò asperè procedunt res ipsorum. 4 Scribe ad Principem ut missas faciat Terras alienas, domi

domi agat qvod mandavi: vocare te cum Med. debuit, & non vocat: resipiscat. 5 *Mihi verò cogitare venit copias Buchaimii, prope nos transeuntes in Silesiam, à qvibus nobis metus erat, propter factas comminationes.* 6 *Et Dominus aliqvoties:* Ne metue serve mi, ne metue! infatuabo ego consilia eorum. 7 Non meministi prohibuisse me, metuere illos? confusa enim sunt ratiocinia eorum. 8 Exspectabant illi consilium à Rege (*Hung. Leopoldo:*) at ille consilium nullum habet ex me, sed ex mendacibus sermonibus qvibus impleverunt imperitum ejus caput. 9 Rescies tu brevi qvid ego sim operaturus in Nationibus Terræ: Operarii enim mei seqventur tandem ductum meum, & ego ad nihilum redigam consilia hostium meorum & vestrorum. 10 Ponderavi ego bilance posteros Domûs Austriacæ, & non repertus est vel unus coram me, & filiis hominum, qvi resistendo sit potentiæ meæ Domum illam evertenti. 11 Nam & postremus ille semimortuus jam inclinat ut ruat. 12 *Qvô ego auditô, An ergò* Galliæ Rex *in Imperio succedet (ut Dominus 19 & 31. Maji loqvutus erat) intra me cogitare cœpi.* 13 *Et Dominus:* Ipsi honorem hunc decrevi. 14 Scribe Adjuncto scribat ad illum hæc:

15 IEhovah Dominator Terræ, regit Orbem Mundi, mutationes inducens non secundùm consilia filiorum hominum, sed secundùm æterna decreta sua, deponens superbos de soliis & exaltans humiles. 16 Ecce me Jehovam, in cujus manu sunt Regna Regum! qvorum Tu unus es à me electus, Rex Franciæ. 17 Volo itaqve ut prospicias ad plus videndum qvàm viderunt Majores Tui: dediqve in cor Tuum initium sapientiæ, ut me agnoscas præ illis. 18 Ideò Dextera mea Tibi auxiliabitur contra eum, qvi sibi potestatem usurpat super omnes: 19 Et volo ut filii Europæ Te collocent super thronum, de qvo Austriacam deturbavi Domum. 20 Cogitârunt multi Germaniam tantùm esse Gentem honore ac dominio Europæ dignam: sed sciant non solam Germaniam esse Europam, sed & alias Nationes, Reges, Principes, qvos Ego novi & diligo. 21 Maximè eos qvi diligunt me, & Legem meam sanctam: qvam in regimen dedi non plebi tantùm, sed primariò Regibus, Principibus, Dominatoribusqve & Sacerdotibus, demum aliis qvibusqve rudissimis etiam sub Sole. 22 Qvi dudum loqvutus sum per os Mosis, & Prophetarum, Filiiqve mei & Apostolorum, & post illos hominum gentium variarum, testium meorum. 23 Nunc autem postremis diebus loqvutus sum, & adhuc loqvor, per Vas meum, qvod postremam meam apellavi TUBAM, Vobis omnibus Terræ Nationibus: 24 Datô in auxilium illi eô, per qvem hæc Vobis innotescent; additisqve insuper aliis â me instructis Operariis. 25 Ut irrugiat Vox mea Gentes à me adhuc errantes, Méqve & Nomen meum adhuc ignoran-

rantes, ficut & Voluntatem meam Lege meâ detectam. 26 Ut omnes Vos Terræ habitatores, ex agro variarum dissensionum religiosarum redeatis sub vexillum Ordinis mei: 27 Qvem passim per Gentes & Terras nôrunt, & observant, Viri illuminati spiritum meum habentes. 28 Qvi & Libris Scriptísqve suis hoc agunt, ut sapientia mea fideli eorum operâ innotescat iis, qvi me propter tenebras mentis Vestræ, vanásqve humanas consvetudines, nosse non potestis, qvidam neqve vultis. 29 Cùm Vobis etiam in Christianitate multis, vocem sonitûs vocationis meæ manibus excusserunt, sanctam Legem meam, comprehensáqve ibidem Statuta mea. 30 Ideò ecce, ecce, ecce, jam Ego ipse Vasi meo nuper mandavi Vobis omnibus, Regibus & Potentibus, qvi locum meum in Mundo tenetis, & dii vocati estis; sicut & Vobis Ecclesiasticis servis meis; cæterisqve omnium Gentium & Ordinum indicare, qvales Vos reqviram. 31 (Nempe) ut splendorem de Vobis emittatis in Gentes me adhuc ignorantes: super qvas volo ut se à Vobis, è Christianitate, reflectat Sol justitiæ meæ, sine qvâ peribant & pereunt, filii hominum luce destituti. 32 Idcircò ambulate, ambulate in Ordine meo Vos Christiani primùm! seqventúrqve Vos alii, cùm oblatâ illis dexterâ pacem cum iis firmaveritis, mandatô meô. 33 Eritisqve inter Vos speculum Virtutum, Fidei, Charitatis, Spei, Obedientiæ, Pietatis, Justitiæqve dextrorsum & sinistrorsum, pauperi æqvè ac diviti. 34 Et lucebit Vobis omnibus fulgor gloriæ meæ hîc super Terram, & cum patres Vestros fueritis seqvuti apud me in cœlis. 35 Scribe hæc, serve mi, & mitte dilectis meis ut hoc etiam legant: & faciant qvod ego Dominator Terræ mando, ut ELIGANT & CORONENT REGEM FRANCIÆ, deductis in ejus notitiam omnibus antiqvis & modernis sermonibus meis.

36 *Hic conticuit: ego autem gaudiô & pavore repletus, solicitusqve ut illa memoriâ continere possem, orabam, Psalmum etiam* 67. *cantans.* 37 *Eô finitô, venit nescio qvomodo cogitare* Electores Ecclesiasticos *ad Rhenum, dixisse aliqvando Dominum, dejectum eos iri.* 38 *Et Dominus:* Non sic accipe evertendos esse, ut suffragio ad eligendum Regem Imperii exuantur: 39 Sed ut functionem spiritualem & Episcopalem deponant. qvam neqve curâ pro animarum salute, neqve prædicatione Verbi mei, neqve Sacramentorum plenâ administratione, exercuerunt, noménqve inane gesserunt. 40 Potiùs ergò boni Politici sint. Regem honorent, politicèqve justè dominentur: ut memoriam sui relinqvant honestam in Imperio, & apud exteros, dejecto de humeris suis vano, oneroso, & maledicto Papæ Romani jugo, cum omnibus ejus Ceremoniis. 41 Et stabit rectè Mundus & Imperium ad voluntatem meam,

meam, ad tempus Vobis ignotum, mihi autem & Patri meo, cum Spiritu meo super Vos sese agitante, notum. 42 Cui tanqvam Deo subdite cervices Vestras, ambulantes post eum & ductum ejus, tanqvam per terram planam. 43 Sufficit hodie; surge, & ex me audita scribe! 44 *Qvibus ego cum admiratione auditis, cogitabam an hæc memoriâ continere potero: orans cum fletu pro Nationibus terræ, & Operariis Dei, & protectione mei aliorumqve Dei cultorum.* 45 *Decantánsqve Psalmum 82 (Deus stat in cœtu deorum) scripsi hæc exultabundus. Amen! Hallelujah!*

REV. CCCCXIX. 13 Octob.

[*Novum metus, nova consolatio.*]

ORabam *misericordiam multis gemitibus, propter comminationes (ob Principis ruinam) à qvibusdam mihi factas.* 2 *Et Dominus:* Nihil metue serve mi! Intricavi Ego mentes filiorum hominum, tuorum etiam inimicorum. 3 Videbitis Vos servi mei opus meum, tametsi nunc cum zizaniis eradicare videar triticum: mihi confide. 4 *Et effuderunt se gaudiô largiter lacrymæ meæ.*

REV. CCCCXX. 7 Novemb.

[*Causa ruinæ Operariorum (Sveci & Transylvani) 3. Consilium illis, 4: solatium, 5. Protestatio, 6 — 11.*]

CLamabam *ad Dominum orando ferventer, ne Opus suum desereret Deus.* 2 *Dominus autem:* Audivi & audio tuos ad me clamores, habens in memoria sermones meos & promissiones, qvòd Vos non sim deserturus. 3 Operarii mei seipsos præcipitârunt, non faciendo voluntatem meam sed seqvendo cogitationes cordis sui: ideò se impleverunt doloribus multis. 4 Sed probatio hæc est mea. fidei & obedientiæ illorum: Faciant ergò hoc tantùm omnes qvod ego mando, & non qvod ratio illorum dictat. 5 Sciatqve dilectus meus, Adjunctus tibi, qvi obseqvendo mihi succurrere it Nationibus Terræ, (cum illo benefactore Vestro, qvem tu non nôsti secundùm carnem) me fore mercedem Vestram. 6 Si non receperint ad qvos mittuntur sermones mei, occludam ego coram illis januam: ut nihil consilii reperiant, sed lassentur, perdendo alii alios. 7 Serò demum qværere me tentabunt, nec id omnes intentione rectâ, sed tortuosâ: qvia nolunt nosse vias meas. 8 Clamabam ipse ego in Terra existens, clamabant Prophetæ, clamo & per te. 9 Si non audiunt, ego meum Opus operabor donec in solitudinem convertantur regiones Terræ, & confringantur hostes mei. 10 Tu patiens esto: sonitus Tubæ meæ morsicat oculos sapientissimorum etiam. 11 Non sapiet Mundus nisi cùm finem viderit omnium sermonum meorum: ubi bonis, simplicibus, sinceris, benè erit, malis malè, in æternum.

REV.

REV. CCCCXXI. 17 Novemb.

[*Solatia nova*, 1, 2, 7. *Comminatio severa Hungaris*, 3—6: *& Hollandis*, 8, 9: *aliisqve Nationibus*, 10.]

Mediâ noctè vigilanti & oranti mihi dixit Dominus: Nihil hostiles cura terrores! 2 Vivo ego, videbunt illi tandem me Dominatorem Terræ loqvutum esse, non homines. 3 Contristabo ego Hungariæ qvoqve Terram juxta comminationem per te pridem factam: sentient illi me non mendacem, cùm super eos domi, in Terra sua, Væ illud induxero, qvod minitatus sum. 4 Noluerunt enim intelligere, & nolunt, nisi cùm oculis ea videbunt, qvæ loqvutus sum ego. 5 Atqve tùm qvis auxiliabitur eis, cùm Ego virgâ oris mei percutiam Terram, & spiritu labiorum meorum occidam impium? 6 Mea enim voluntas est, & mea cura, ut ne pereat pius cum impio. 7 Tu ne pavesce! fortis ego sum in defensionem tui, populíqve mei. 8 Scribe dilecto meo, & illi qvem Vobis benefactorem dedi: mala enim à me venient super Hollandos etiam, nisi adhuc resipiscant. 9 Non enim illi me Regem ferunt, sed ego Rex eos fero. 10 Ecce dudum inclamo Terræ Nationes, & nemo est qvi respondere velit! jam ipsum qvoqve Mare Vos accusat, ó filii hominum! Ego verò lassus sum ferendo Vos impios. 11 Scitote autem non esse beneplacitum meum, ut pius intereat cum impio. 12 Ne timete Vos mei: fortis ego sum ad protegendum cultores meos. 13 *Hic cessavit: ego autem ea mox scripsi noctu cretâ, cum lacrymis, in laudem Deo canens Psalmum* 55.

REV. CCCCXXII. 28 Novemb.

[*Mundus confusionibus suis non impediet opus Dei, perpurgandi Terram*, 1—6. *Suffragia*, 7.]

Visus mihi sum ambulare in luce peramœna cum Viris egregiis, ad devehenda Vina currus expedientibus: sed omnia erant valdè impedita, intérqve Aurigas tanta tergiversatio & contentiones, ut præ indignatione evigilarem, valdè tristis, & orans. 2 *Et Dominus.* Confide, implebuntur sermones mei: nulla humana vis impediet Opus meum, tametsi multi diffidant, agerêqve tergiversentur qvod mando, Princeps etiam cum Matre sua. 3 Sed mea est potentia, ad deducendum in exitum qvæ loqvutus sum. 4 Ecce judicium meum jam incipiet in Nationibus Terræ! ad evellendum zizania & triticum, utrumqve enim maturescit coram me: qvod faciam, ut ne pii ad iniqvitatem extendant manum suam. 5 Satis jam factum est à me filiis hominum, per Vos testes meos, pristinos & modernos: jam Nationes triturabuntur ferreâ Virgâ iræ meæ, qvia irritârunt me incredulitate, & cordis duritie. 6 Ecce terribile judicium meum effundetur super habitatores Terræ, oppletæ zizaniis scelerum & vanitatum! 7 Scribe ad dilectum meum, suffragia cessura Gallo, Radzivilio, Racocio: adhuc enim sermonum meorum veracitatem ostendam. 8 *Mihi verò in mentem venit cantare Psal:* 95. *miratúsqve sum ea qvæ ibi cantantur.*

REV. CCCCXXIII. 2 Decemb.

[*Promissio nova Principi Racocio: sed ut mandata jam faciat, manifestatô Turca Regnicolisque proposito suo.*]

E*Vigilaveram circa quartam à Noctis medio, & ecce cubiculum meum lucebat ut interdiu: quod ego miratus, misericordiam orabam cantu Ecclesiastica Litania.* 2 *Ut autem finivi, alloquutus me solabiliter Dominus, dixit:* Implebo ego tuas, aliorúmque Cultorum meorum preces. 3 *Ego verò ad Dalmadium vel Falvaium (Principissa Aulicos) scribere cogitabam: sed Dominus.* Ne scribas, illi scribant, sciunt enim de te. 4 Sed incrassatum est cor eorum, sicut & Principis, per inobedientiam erga me Cœli Terræque Dominum. 5 Et ego, ecce ego, contemptum immisi super Principem, & Transylvanos illi perfidos. 6 Sanabo tamen vulnus Principis, & quidem in conspectu Nationum Terræ: sed ut jam ductum sequatur meum, Opúsque quod Patri & Fratri ejus mandaveram faciat, ut toti Terræ huic benè sit, pace quoque ipsius Turcæ. 7 Dètque citò indicium Terræ incolis, quid & cur faciat, faceréque proponat. 8 Ecce ego opus meum quod orsus sum non deseram, donec & perfecero: idque ante Mundi maligni, & mihi infidelis, finem. 9 Et consolabor Vos cultores meos, adversarios autem Vestros confundam: illos ostia occludentes, ne lux doctrinæ Legis meæ effulgeat in Nationibus Terræ. 10 Dabóque Operariis meis robur & animum, dummodò illi aggressi operabuntur: virtus mea in eorum infirmitate perficietur. 11 Tu igitur tœdia excute, bonóque animo promissiones meas, de providendo tibi, exspecta. 12 Et scias, mala machinatos esse in Operarios meos, Sveciæ Regem Principémque Vestrum: sed utinam illi obsequantur mihi, Idololatrásque disperdant! sic demum evasuri laqueos malitiæ eorum. 13 Nihil tu sermones humanos cura: dejiciam ego superbos de sedibus, & exaltabo humiles. 14 *Ego autem cantu Psal. 57. laudabam Dominum.*

REV. CCCCXXIV. 8 Decemb.

[*Domûs Aust. terminus propinquat.*]

INdormieram precibus manè peractis, & vidi me in ignota quadam Gente, cujus Rex in magno erat discrimine ab Exercitu, quô fuit obsessus. 2 Et vocatus fui ad Regem, rogatúsque quid esset faciendum: ego autem svasi turmas emitti, ad aliquos capiendum, quod factum. 3 Cúmque Rex obsequia mihi mandasset præstari, ordinabam Exercitum: & mox experrectus cogitabam Hung: Regem, ad quem per eos dies Principis Legati transierant Pragam. 4 Et audivi horologium sonare horam unam: quod mirabar. 5 Dominus autem: *Scito serve mi, ultimam adesse Austriaca dominationis horam: pauci dies assignati sunt isti semimortuo Regi sine potentia.* 6 *Venient enim super eum fortes flatus, & auferent tanquam paleas eos quibus ille fidit, benè sibi fore.* 7 Quæ verba ego miratus cecini ex Psal. 79. versum 9.

REV. CCCCXXV. 12 Decemb.

[*Sertum rosaceum reddendum*, 1, 2. *Gallia Rex* 5 — 11. *Suecus & Danus*, 7. *Racoci & Palatinus. Buda*, 16.]

ITerum factum est ad me Verbum Domini, cùm indormiens manè, viderem me inter Nationes convivantes: inter qvas spatiabar sertum capite gestans rosaceum. 2 Qvod tamen demtum capite imposui Viro illi, qvi ante me tale sertum gestaverat: orabámqve cum iisdem convivis voce clarâ, donec evigilavi, sonans adhuc O *gloria cœlestis extende tuam dexteram!* 3 Et mox audivi pulsum ternum, juxta consvetudinem præsentiæ Domini: excitatáqve in me attentione dixit Dominus. 4 *Serve mi, propediem cantabunt canticum meum Electi mei: jam jam enim appropinqvat hora judicii mei, qvam tu ne paveſce.* 5 Ego autem qvid rerum in mundo fieret cogitabam, Galliæ etiam Regem: & Dominus; *Jam Adjunctus voluntatem meam reddidit notam, conferúntqve in illum vota: cecidit enim gloria Domûs Austriacæ.* 6 *Terráqve Hungaria undiqve angustabitur Exercitibus variis, si Princeps non seqvetur ductum meum, pro qvo tu ora.* 7 *Opus meum procedet: nam ecce Danum jamjam subvertit Svecia Rex.* 8 *Cujus tu tuas in Terras adventum exspecta, neqve insipientum cavilla cura, non retroibunt sermones mei per te prolati.* 9 *Tametsi vix è mille unus admittat verba mea, propter cordis duritiem & seductiones carnalis rationis suæ; idqve sine metu & reverentia mei.* 10 Qvibus ego cum mœrore auditis, supplex Deum Cœli Terræqve Dominum adorabam, cum peccatorum & infirmitatis humanæ confessione, implorationéqve misericordiæ super nos Cultores ejus: Operariósqve de qvibus os ejus per me vermiculum suum loqvutum est, ne illos desereret. 11 Dominus autem, *Implebitur etiam de Gallia Rege sermo meus: nam agrum cordis Principum & Civitatum peraravi & semine meo consevi, in Imperio & alibi, ut Domus Austriaca deserta maneat.* 12 *Volutant corde Friderici filii, Palatini, ac si Svecus & Gallus nihil præ se habeant: sed sciant recessisse à se (propter jejunitatem suam, & erga me Creatorem infidelitatem) castas Majorum suorum de me cogitationes.* 13 *Qvod mihi Cordium scrutatori meliùs, qvàm Vobis filii hominum, notum est.* 14 *Expecta tui à dilecto tuo informationem, sed & vocationem* [Venit postea 30 Januar.] qvod miratus orabam pro Principe nostro Psalmum 20 decantans. 15 Ut autem cessavi, dixit Dominus: *Neqve illi satis recti videntur sermones mei, ut secundùm eos instituat vias suas.* 16 *Agitant illi mente sermonem meum de Buda* (Regni metropoli) *ut eam vi recuperent; qvod tamen ego non sic volo.* 17 *Sed pacificâ cum Turcis transactione, illíqve amicitiâ qvæ inter Vos in me credentes est, esséqve debet (ut in me unum sitis) oblatione: satisfactionéqve illi datâ alibi, ut antè loqvutus sum.* 18 *Hæc tu ad J. M. meum ductum ex fide seqventem, refer omnia.*

[Versu 1, ad 4.) Innui videtur, sub tempus convivii Ecclesiæ (hoc est in futuro Concilio qvod Orbem reformabit) gloriam veri Christianismi redditum iri iis qvi eam ante hac habuerunt, externâ Apostolicâ successione claris: ab illis nempe qvi eam tantisper, sub persequutionum tempus, custodierant. Amen.]

REV. CCCCXXVI. 29 Decemb.

[*Ecclesia domus reparanda*, 1, 2. *Miraculis an huc opus*, 4. *Testes Dei*, 6, 7. *Cur Deus hæc à Sapientibus abscondat*, 8.]

A *Precibus matutinis redormiens, vidi Domum ingentem, laceram, ruinæ propinqvam: qvam cum aliis multis spectans, num illi succurri posset sermones contulimus.* 2 *Expergefactus pro Ecclesiæ Domo reparanda, Ordinéqve instituendo, qvem in Terra Nationibus erigi velle aliqvando loqvutus erat Dominus, orare cœpi.* 3 *Et paulò pòst alloqvutus me dilectus Dominus meus dixit:* Implebam ego dudum, & impleo adhuc suspiria Cultorum meorum: modò in qvibus situm est, & jam voluntatem meam nôrunt, sibi invicem, & Nationibus nondum me cognoscentibus, reconciliari, dextrámqve fraternitatis offerre, vellent. 4 Dices autem, Si miracula ego patrarem redituros esse ad se homines: sed scias, ne id qvidem præfractæ cordis obstinationi profuisse, atqve prodesse, ut primævo Mundo, & tempore meæ in Terra habitationis, Pharisæis. 5 Qvid autem? nullanè jam ego signa edo? si tu ea ignoras, non ignorant alii: sed ecce incrassatum est cor populi! 6 Satis ego pridem sum loqvutus per meos testes: loqvor & nunc per te, additúmqve ad labores virum, Comenium: sed qvantum reportatis præmii, una cum illis qvi Vobis dexteram porrigunt? 7 Sed Vos præmium à me justo Judice expectate, apud qvem non in oblivione erit operosa charitas vestra erga Nationes ignotas vobis, mihi autem optimè notas. 8 Ecce ego gratias egi Patri meo, & Patri vestro, qvi abscondidit hæc à sapientibus & prudentibus seculi, absconditqve nunc etiam ab illis qvi pereunt, vanitates cordis seqvuti. 9 Delevi ego priorem Mundum aqvâ, huic autem finem faciam horrendo fervore ignis iræ meæ, qvi apud me jam dudum paratus est: sed expecto complementa sermonum meorum, numerúmqve electorum filiorum & filiarum mearum, qvem nemo præter me novit. 10 Qvos adducere necesse habeo, ut pastoralem meam audiant vocem, sintqve unum in me, & ego in Vobis. 11 Surge, scribe &c. 12 *Et cecini Psalmum* 71.

ANNO MDCLVIII.

REV. CCCCXXVII. 9 Jan.

[*Renovatio rerum amæna, post amotam Idolomaniam. Galliæ Rex. Racoci caveat.*]

V *Idi agrum, Germináqve terrâ protuberantia tàm grato virore, ut simile nihil unqvam viderim: conversúsqve in partem alteram, vidi similiter, & admirabundus orabam felicia incrementa, voce tam contentâ ut evigilarem.* 2 *Expergefactus, qvid hoc esset cogitabam: & Dominus*, Fide verbis meis! Ecce veniunt tempora innovationis

tionis terræ in Nationibus Orbis, per Operarios meos. 3 Utceu pratum revireſcat Veritas doctrinæ meæ, poſt deletos Idololatras. 4 Jam enim accepi ſcopas in manum meam, ad everrendum errones: ut Hiſpanus etiam, arundo qvaſſata, locô abeat ſuo; Gallus verò locum inveniat in Imperio. 5 Per qvem Domus Auſtriaca condemnabitur: jam enim qvadrageſimus tranſit annus, ex qvo FERDINANDUS II. affligere cœpit Vos cultores meos, cui finem jam imponam. 6 Sicuti & Virginibus velatis [redacted] gregibus cum vana reli- [redacted] Veritate Legis meæ [redacted]. 7 *Et pulſabat iterum ad lectulum, juxta ſignum præſentiæ Domini, colluſtratúmqve fuit cubiculum.* 8 *Mihi autem qvomodo Galliæ Rex ad ſe tranſmiſſa accepiſſet, cogitare vexit: & Dominus,* Redditum eſt & acceptum qvicqvid miſſum, prædicantqve beatum os illud per qvod annuntiata eſt voluntas mea. 9 Sed & in Hollandia illi mei & tui Cooperatores mercedem habebunt Vobiſcum. 10 Principi ſcribat J. M. ut ſe accingat ad faciendum voluntatem meam, ſibiqve ab hoſtibus caveat, qvi jam decreverunt venenô eum tollere, ſicut antè Sigiſmundum fratrem ejus. 11 Ecce humano more tecum loqvor! age qvæ mando. 12 *Et laudavi Dominum cantu Pſ. 46.*

[redacted]CCCCXXVIII. 2 Febr.

[redacted] *Hollandia terra Zabulon, 4. 5. promiſſio facta hæc in lucem promoventi, 9.*]

[redacted] *Dominus Vi-* [redacted] *, mecum loqvi* [redacted] *eſtem, ne agno-* [redacted] *, ſed ignotis ſo-* [redacted] *, dixit Dominus:* [redacted] Jam dicta mea, & [redacted] in Germania, Princi- [redacted] Viris, innotuerunt: exultántqve ſpiritum fidei meæ habentes adeſſe jam tempora, qvæ aliqvando futura per antiqvos teſtes meos, Prophetas, annuntiaveram. 3 Qvibus malam reddebat mercedem impius Mundus: ſed illi apud me partem habent in æternitate mea. 4 Beatiores eſtis Vos: tu etiam Hollandorum natio, qvæ ut Zabulon Terra eris coram me. 5 Vos præſertim qvi manum porrexiſtis mihi, ad producendum in lucem ultimam Tubam meam. 6 O habete gratum opus meum, vocémqve vos inclamantem, Vos qvoqve Nationes gentium, qvæ nondum me, & magnum ac terribile, ſanctúmqve Nomen meum, agnoviſtis. 7 Neqve veritatem & viam vitæ, fidelibus meis apud me in cœlis repoſitæ, meóqı merito paratæ. 8 Idqve gratis, ex gratia mea & Patris mei, virtute Spiritûs S. largitoris & illuminatoris veri. 9 Scribe hæc etiam, & mitte tibi mihiqve dilecto: ſicut & electo vaſi illi meo qvi mea ſuggeſtione Vobis de benedictione mea largitur, Operiqve meo promovendo manum adhibet. 10 Conteſtamini & denuntiate illi benedictionem meam, cum retributione mea pró beneficiis qvæ in Vos confert. 11 Ecce Operarii mei proſpexerunt jam, ad faciendum Opus meum in Terra! opus denuntiatæ meſſis meæ. 12 Proclamandumqve libertatem ad ſerviendum mihi æternùm viventi per Nationes Terræ: qvod opus meum nulla hoſtium vis impedire poterit. 13 *Ego autem laudabam Deum Pſalmo 57.*

REV. CCCCXXVI. 29 Decemb.

[*Ecclesia domus reparanda*, 1, 2. *Miracula an huc opus*, 4. *Testes Dei*, 6, 7. *Cur Deus hæc à Sapientibus abscondat*, 8.]

A *Precibus matutinis redormiens, vidi Domum ingentem, laceram, ruinæ propinqvam: qvam cum aliis multis spectans, num illi succurri posset sermones contulimus.* 2 *Expergefactus pro Ecclesiæ Domo reparanda, Ordinéqve instituendo, qvem in Terra Nationibus erigi velle aliqvando loqvutus erat Dominus, orare cœpi.* 3 *Et paulò pòst alloqvutus me dilectus Dominus meus dixit:* Implebam ego dudum, & impleo adhuc suspiria Cultorum meorum: modò in qvibus situm est, & jam voluntatem meam nôrunt, sibi invicem, & Nationibus nondum me cognoscentibus, reconciliari, dextrámqve fraternitatis offerre, vellent. 4 Dices autem, Si miracula ego patrarem redituros esse ad se homines: sed scias, ne id qvidem præfractæ cordis obstinationi profuisse, atqve prodesse, ut primævo Mundo, & tempore meæ in Terra habitationis, Pharisæis. 5 Qvid autem? nullanè jam ego signa edo? si tu ea ignoras, non ignorant alii: sed ecce incrassatum est cor populi! 6 Satis ego pridem sum loqvutus per meos testes: loqvor & nunc per te, additúmqve ad labores virum, Comenium: sed qvantum reportatis præmii, una cum illis qvi Vobis dexteram porrigunt? 7 Sed Vos præmium à me justo Judice expectate, apud qvem non in oblivione erit operosa charitas vestra erga Nationes ignotas vobis, mihi autem optimè notas. 8 Ecce ego gratias egi Patri meo, & Patri vestro, qvi abscondidit hæc à sapientibus & prudentibus seculi, absconditqve nunc etiam ab illis qvi pereunt, vanitates cordis seqvuti. 9 Delevi ego priorem Mundum aqvâ, huic autem finem faciam horrendo fervore ignis iræ meæ, qvi apud me jam dudum paratus est: sed expecto complementa sermonum meorum, numerúmqve electorum filiorum & filiarum mearum, qvem nemo præter me novit. 10 Qvos adducere necesse habeo, ut pastoralem meam audiant vocem, sintqve unum in me, & ego in Vobis. 11 Surge, scribe &c. 12 *Et cecini Psalmum* 71.

ANNO MDCLVIII.

REV. CCCCXXVII. 9 Jan.

[*Renovatio rerum amæna, post amotam Idolomaniam. Galliæ Rex. Racoci caveat.*]

V *Idi agrum, Germináqve terrâ protuberantia tàm gratò virore, ut simile nihil unqvam viderim: conversúsqve in partem alteram, vidi similiter, & admirabundus orabam felicia incrementa, voce tam contentâ ut evigilarem.* 2 *Expergefactus, qvid hoc esset cogitabam: & Dominus*, Fide verbis meis! Ecce veniunt tempora innovationis

tionis terræ in Nationibus Orbis, per Operarios meos. 3 Ut ceu pratum revirescat Veritas doctrinæ meæ, post deletos Idololatras. 4 Jam enim accepi scopas in manum meam, ad everrendum errones: ut Hispanus etiam, arundo qvassata, locô abeat suo; Gallus verò locum inveniat in Imperio. 5 Per qvem Domus Austriaca condemnabitur: jam enim qvadragesimus transit annus, ex qvo FERDINANDUS II. affligere cœpit Vos cultores meos, cui finem jam imponam. 6 Sicuti & Virginibus velatis Monachorúmq; gregibus cum vana religiositate sua, sine Veritate Legis meæ impuræ devotionis &c. 7 *Et pulsabat iterum ad lectulum, juxta signum præsentiæ Domini, collustratúmqve fuit cubiculum.* 8 *Mihi autem qvomodo Galliæ Rex ad se transmissa accepisset, cogitare vanti: & Dominus,* Redditum est & acceptum qvicqvid missum, prædicantqve beatum os illud per qvod annuntiata est voluntas mea. 9 Sed & in Hollandia illi mei & tui Cooperatores mercedem habebunt Vobiscum. 10 Principi scribat J. M. ut se accingat ad faciendum voluntatem meam, sibiqve ab hostibus caveat, qvi jam decreverunt venenô eum tollere, sicut antè Sigismundum fratrem ejus. 11 Ecce humano more tecum loqvor; age qvæ mando. 12 *Et laudavi Dominum cantu Ps. 46.*

REV. CCCCXXVIII. 2 Febr.

[*Revelationes hæ jam leguntur, 2, 6. Hollandia terra Zabulon, 4, 5. promissio facta hæc in lucem promoventi, 9.*]

L*Ucescebat & ostendit mihi Dominus Viros, notos & ignotos mihi, mecum loqvi cupientes: ego verò mutabam Vestem, ne agnoscerer ab illis qvi me noverunt, sed ignotis solùm. 2 Ut verò ad me redii, dixit Dominus:* Fidelis esto serve mi! Jam dicta mea, & scripta tua, multis in Germania, Principibus etiam Viris, innotuerunt: exultántqve spiritum fidei meæ habentes adesse jam tempora, qvæ aliqvando futura per antiqvos testes meos, Prophetas, annuntiaveram. 3 Qvibus malam reddebat mercedem impius Mundus: sed illi apud me partem habent in æternitate mea. 4 Beatiores estis Vos: tu etiam Hollandorum natio, qvæ ut Zabulon Terra eris coram me. 5 Vos præsertim qvi manum porrexistis mihi, ad producendum in lucem ultimam Tubam meam. 6 O habete gratum opus meum, vocémqve vos inclamantem, Vos qvoqve Nationes gentium, qvæ nondum me, & magnum ac terribile, sanctúmqve Nomen meum, agnovistis. 7 Neqve veritatem & viam vitæ, fidelibus meis apud me in cœlis repositæ, meóq; meritô paratæ. 8 Idqve gratis, ex gratia mea & Patris mei, virtute Spiritûs S. largitoris & illuminatoris veri. 9 Scribe hæc etiam. & mitte tibi mihiqve dilecto: sicut & electo vasi illi meo qvi mea suggestione Vobis de benedictione mea largitur, Operiqve meo promovendo manum adhibet. 10 Contestamini & denuntiate illi benedictionem meam, cum retributione mea pró beneficiis qvæ in Vos confert. 11 Ecce Operarii mei prospexerunt jam, ad faciendum Opus meum in Terra! opus denuntiatæ messis meæ. 12 Proclamandumqve libertatem ad serviendum mihi æternùm viventi per Nationes Terræ: qvod opus meum nulla hostium vis impedire poterit. 13 *Ego autem laudabam Deum Psalmo 57.*

REV. CCCCXXIX. 16 Februar.

[*Videnti ablata restituenda, 3: cui eundum quopiam, 5.*]

OStendit mihi Dominus Arborem, qvatuor habentem ramos sine frondibus, foliis, & fructu, qvam qvassabam. 2 Et venerunt viri noti & ignoti mihi, abstuleruntqve mihi pileum & arma: qvod zelabam, usqve dum evigilavi. 3 Et Dominus: *Abstulerant tibi honorem tuum, tanqvam pileum; & officium, tanqvam arma: sed restituere necesse habebunt, sicut restituerunt Racocio, & restituent Sveco.* 4 *Ecce enim allisi ego Danum ad terram, & allidam ut Terra tremiscat: Transylvanis verò proprium sangvinem in fauces eorum infudi.* 5 *Tu mihi confide! Ecce enim venient abductum te eò, ubi nunqvam fuisti, qvò invitus ibis; voluntatem tamen meam fac, & ito, ego ero tua protectio & benedictio.* 6 *Loqvèris autem qvod loqvi mandavi ut fiat in Terra. Terra mea, in Nationibus ejus, ut benè sit habitatoribus Terræ.* 7 *Nondum verò tibi qvò sis iturus significabo, ne te affligas: dextera tamen mea deducet te.* 8 Ego igitur ad preces conversus non deseri orabam, etiam Psalmum 12 decantans.

REV. CCCCXXX. 23 Febr.

[*Rex Galliæ populis Christianis ablata restituet.*]

COngregationem mihi magnam ostendit Dominus, ubi & Adjunctus erat meus, mandans mihi preces peragere cum populo: qvod & feci. 2 Expergefacto verò dixit Dominus: *Adjunctus ad te scribit, & pro te orat, sed tu adhuc indormi:* qvod momentò factum. 3 Et vidi ad me venientem Galliæ Regem, exhibentem mihi codicillos elegantes, & in illis privilegia: qvod adstantes mirabantur. 4 Ut evigilavi dixit Dominus: *Jamjam res ita procedunt ut Rex Galliæ in Imperii caput eligatur, distribuétqve Populis Christianis privilegia, ad liberè serviendum mihi æternùm viventi.* 5 *Ora pro illo, cum aliis.*

REVEL. CCCCXXXI. 2 Martii.

[*Kemeni Janosz, 2. In Germania decretum Dei procedet, 3.*]

D*iluculò factum est verbum Domini ad me:* Fidelis esto serve mi! nam ecce ego Opus meum operor in Nationibus Terræ. 2 Non attulit mœrorem Principi Kemeni Janosz suâ apud Tartaros commoratiunculâ: sed attulit Tartaris lucem, ut plus videant qvàm eorum Majores. 3 Nam Tubæ meæ lumen circumfulsit eos, sicut circumfulsit habitatores Imperii. 4 Ubi tametsi multi adhuc ostium aperiant, ad transferendum (*denuò*) gloriam in Domum Austriacam: ego tamen ad ostium stans illud occludo. 5 Qvin & pennas evello (Aqvilæ) illi, ut stet implumis & fatiscens, qvalem tibi aliqvando in desiccato alveo ostendi. 6 Virtus enim mea procedet ad everruncandum zizania: tametsi tu non supervivas ut plenè videas omnia. 7 Literæ à dilecto tuo jam non longè absunt.

[v. 2. *Kemeni Janosz*) captivus cum Exercitu abductus in Tartariam. v. 5. *ostendi*) nempe Rev. 156.]

REV. CCCCXXXII. 5 Marti.

[*Simplicitas majorum exolevit in posteris*, 2 — 6. *Lucem suam nunc Deus in apertum profert*, 7.]

I*Ndormieram à precibus matutinis & vidi Domos varias, partim laceras & immundas, partim nitidas; quas coæqvare volentes multùm habuimus laboris, ad tædium usqve.* 2 *Me autem expergefacto dixit Dominus:* Miserandi Vos filii hominum, sordidati moribus vanissimi cordis Vestri. 3 *Quæ verba cùm mirarer, Domósqve illas impuras recogitarem, iterum Dominus;* Vos estis illæ Domus: exolevit enim è corde multorum Vestrûm simplicitas & sinceritas, erga me & Vos invicem. nomen tantùm habetis majorum Vestrorum. 4 *Et cæpi majores illos Ecclesiæ nostræ recogitare, de qvibus porrò Dominus:* Suâ illi simplicitate multum in me potuerunt, Vestrûm multi evanuerunt. 5 Qvorum è numero est Joh. F. Vir vanæ gloriæ: qvi qvid faciat, & qvomodo Vos duos testes meos apud se & alios pingat, notum est mihi, attinget ille qvoqve finem suum. 6 Sicut & J. W. viâ incedens duplici: cui parum fide. 7 Abscondebam ego tempore meæ in Terra habitationis lucem meam à sapientibus & prudentibus: nunc autem ecce accendi per Vos testes meos lucem meam per varias Nationes, ut sapientes etiam apud seipsos inexcusabiles reddantur coram me. 8 Congregantur Principes Imperii ad consulsultandum, num accensæ illi Luci meæ locum dare debeant apud se & alios: qvibus ego qvid faciendum sit suggero, ut adhuc benè sit Nationibus Terræ. 9 Confidite, ego peragam causam meam, Vosqve à criminatoribus Vestris vindicabo. 10 *Et invocabam nomen Dei, cantu Psalmi* 36.

REV. CCCCXXXIII. 8 Martii.

[*Principes Imperii*, 3. *Pr. Racoci*, 5. *L. de Geer*, 6.]

V Idi me eqvitantem, & delatum in Exercitum cum qvibus orabam, donec evigilarem! 2 Sed mox redormiens audivi Tormenta: vidiqve in eodem Exercitu propinationes in salutem recèns electi Regis. 3 Experrectus autem cogitabam Principum in Germania conventum, orans eos spiritu bono regi. 4 Et Dominus: *Concludunt jam de eligendo Rege, qvem os meum per te nominavit: Tu enim cave fatearis tua esse verba, sed mea, mea inqvam.* 5 *Tumultuantur hostes, sed non prævalebunt: Princeps qvoqve Racoci jam ut Leo exsurgens arripit arma, rugitum tormentorum editurus in hostes Vestros & meos, qvod brevi audies.* 6 Mihi verò cogitare venit dilectum in Deo Dominum de Geer, illum viduitate contristatum: orabámqve illi solatia. 7 Dominus autem: *Ego illum contristavi, ego consolabor: à qvibus literas accipies solabiles.* Et fuit ita.

Rev. CCCCXXXIV. 11 Martii.

[*Orbis reformatio ex Europa procedet, duce* J A N.]

C*Onspexi me in Urbe magna, in cujus foro stabant Currus onusti doliis Vini; cum adstantibus qvi vendebant, & emebant, bibebántqve.* 2 *Vir autem cujus Vina erant tradebat mihi Tabulam, mandans ementium & bibentium nomina inscribi.* 3 *Inscripsi ergò (detersâ primùm Tabulâ) ipsius Venditoris Vini nomen* J A N (JOHANNES). 4 *Experrectò autem mihi dixit Dominus:* Nihil metue, rectè omnia procedunt, juxta dispositionem meam. 5 Jam enim congregantur Nationes in foro mundi, consultántqve qvis incipere debeat: qvod tu attende, & esto patiens, brevi audies qvid conclusum fuerit. 6 *Orabam igitur, impletionem sermonum Dei optans.* 7 *Et Dominus:* Jam tu serve mi tubâ clanxisti, dimanavitqve vox ad congregandum Nationes Terræ ad me scaturiginem Aqvæ vivæ, à Cisternis vacuis fundo destitutis. 8 Et ecce Currus ad colligendum Gentes in unum Spiritum Vini defecati, cultûs mei veri, parati sunt, & stant in foro mundi. 9 Qvorum in Europa dux erit, & est. J o h a n n e s, cujus nomen tu inscripsisti Tabulæ. 10 Ecce dimanat jam vox Sermonum meorum per Nationes Terræ, ut jamjam revertantur omnes Gentes ad me, tanqvam opus manuum mearum ad Creatorem suum, ad mihi Domino suo vobiscum serviendum. 11 Nam tempora messis meæ venerunt, de qvâ loqvutus sum, messem esse multam. Operarios verò (fideles, me verè agnoscentes ac diligentes) paucos. Surge, scribe! 12 *Surrexi igitur: atque ut primùm Biblia aperui incidi in Ezechielis caput* 46 & 47: *exhilaratíque laudabimus Dominum. Hallelujah.*

Rev. CCCCXXXV. 12 Martii.

[*Corpus Bestiæ excoriandum,* 1 — 6. *Fulgura Orientis,* 7.]

A Precibus matutinis redormiens vidi Arbores subversas, hominésqve peregrinos ex illis fructus decerpentes. 2 Qvi me in aream deduxerunt, ubi Bellua qvædam jacebat excoriata, capitéqve ac pedibus truncata: ut mihi nauseæ esset eam spectare. 3 Viri autem proceri raptabant pellem illius huc illuc sicut & viscera, carnem nemo cupiebat. 4 Sed & mihi dederant intestinum, qvod qvia contaminatum erat, emundabam aqvâ. 5 Ut autem experrectus fui, dixit Dominus: *Serve mi, ostendi tibi corpus Bestiæ jam denudatæ, ad hominum nauseam humi jacens in campo Mundi, Virósqve inter se partientes, non carnes ejus, sed pellem proventuum, & intestina thesaurorum.* 6 *Qvorum pars tibi qvoqve cedet, quam tu emundabis aquâ misericordiæ, benefaciendo inde proximis tuis: esto tantùm patiens.* 7 *Ecce intonuit ad Orientem! Exspecta inde fulgura & fulmina, qvæ secum adfert Exercitus Orientalis, ad concutiendum Terram hanc.* 8 *Tu mihi confide, & labora: etiam in petra.* (NB.)

[v. 7. Annon experitur misera Hungaria? eheu!]

REV. CCCCXXXVI. 17 Martii.

[*Idololatræ aliqvot tandem confundendi.*]

C*um preces peregissem manè, dixit Dominus:* Serve mi, jam Vox mea pervenit ad eos, qvi oculos habentes vident, & aures habentes audiunt: multi etiam corde admittentes Sermones meos, ut voluntatem faciant meam. 2. Audies tu qvanta cum confusione ultimus ille Domûs Austriacæ ramus ex Imperio recedet: unà cum illis qvi obstacula ponebant Operariis meis. 3. Sed hi ut Cervi & Capreoli exultantes agunt opus meum, peragéntqve cum admiratione Nationum Terræ. 4. Nusqvam in Terra, Terra mea, prosperabuntur Idololatræ, frustrà alibi qvàm in me spem ponentes.

REV. CCCCXXXVII. 26 Martii.

[*Ductum Dei aspernantes seipsos præcipitant: ut Germania, si Regem G. non elegerit.*]

O*Stendit mihi Dominus torrentem turbidum, deluentem ripas, detegentémqve fundamenta qvibus olim inædificata erant Turres; qvod mecum unà mirabantur multi.* 2. *Ut evigilavi dixit Dominus:* Antiqva Operis mei fundamenta detegentur, tu mihi confide. 3. *Cùm autem redormivissem, datus mihi fuit Equus, seqvebárqve (eqvitando) Virum qvendam speciosum, ipse jumentum elegans fune ducens ad pontem.* 4. *Sed illud seqvi renuens desiliit ponte, ego verò illi auxiliabar, ad defatigationem usqve.* 5. *Expergefactus orabam, pro me & aliis periculum sustinentibus: & Dominus Jesus, Deus meus, me alloqvi dignatus dixit:* 6. Ego tibi præibam, tu seqvebaris, ductans fune promissionum mearum Operarios meos: sed illi metuentes pontem ductûs mei, nolunt sic agere, qvomodo agere mandavi, ut exterminent in nomine meo Idololatras. 7. Ideò seipsos in turbidas periculorum aqvas præcipitant: qvibus tametsi succurras tu, illi tamen intelligere nolunt, pro iniqvo & impossibili reputantes id (qvod mando) 8. Ego Aqvilæ Austriacæ alás jam evelli, nunc ungves frango: *Orabam ergò pro Operariis.* 9. *Sed Dominus addidit:* Si renuent illi, habeo adhuc Gedeones meos qvi voluntatem exeqventur meam: si non eligent Regem meum (*G.*) in cinerem Germania redigetur. 10. *Ego autem cantabam Psalmum* 20.

REV. CCCCXXXVIII. 27 Martii.

[*Rudera Ecclesiæ Bohemicæ qvàm ruditer agant.* 1-9. *alia itaqve Gentes vocandæ in Ecclesiam,* 14. *dejecto Pseudocapite per Galliæ Regem,* 12-16.]

I*Terum factum est ad me Verbum Domini, occasione dirutæ Domûs qvam vidi: erantqve varia judicia, qvisnam ruinæ illius esset causa?* 2. *Et venerunt aliqvi Fratrûm nostrorum, tum defunctorum jam, tum viventium, qvisqve secum ferens Librum Canticorum, notis diversissimis, & captans qvisqve locum primum: qvod dolenter tuli è longin-*

qvo stans, ab illisqve contemptus. 3 *Evigilavi tristis, recogitans ita revera fieri: Dominus verò ad me,* Ne mirere serve mi rudera ista Ecclesiæ meæ, cujus Vos pars estis. 4 Nam obliti estis (simplicitatis) Majorum Vestrorum: & qvanqvam Vos disjeci, Vos tamen reliqviæ nondum etiam intelligere vultis, ut unum in me sitis cor, sed qvisqve seipsum tantùm respe-ctat. 5 Novi ego qvid illi de Vobis duobus servis meis in occulto loqvantur; sed patienter id ferte. 6 Sufficit Vos obsecundâsse mihi, & testatam reddidisse voluntatem meam ad Reges, Principes, Potestatésqve juxta mandatum meum: ne erubescite! 7 Tu autem beatus es sicuti Petrus: nam neqve tibi caro & sangvis revelavit ea qvæ nôsti, sed Ego & Pater meus, virtute Spiritûs mei. 8 Veniunt tempora qvum agnoscent criminatores vestri, cui opprobrârint: & qvòd Vos diligitis me, & Ego diligo Vos. 9 Scribe hæc & mitte ad Dilectum, à qvo accipies qvæ miraberis: exaudio enim clamores tuos, & aliorum Cultorum meorum. 10 Ecce jam ego rugitum edo in facie Terræ, ut Nationes ad operandum Opus meum surgant. 11 Septentrionalis jam amovit de via oppositam sibi molem, Danum; Occidentales Helvetii, turbidam derivant aqvam super Ecclesiasticos Electores, ad demendum ipsis vanam larvam Papæ Romani. 12 Non enim eos à statu Politico deturbari volo, sed ut Episcopale deponant inane nomen. 13 Atqve hoc ego fine Galliæ Regem introduco in Imperium, ut occupatô juxta decretum meum soliô Imperii, ultionem inducat in Domum Austriacam & Idololatras, Vestros Cultorum meorum tortores. 14 Atqve ut ille cum aliis me noscentibus dexteram offerat Gentibus extra Ecclesiam adhuc constitutis: qvò illi qvoqve jam Vobiscum confiteantur me esse JESUM FILIUM DEI VIVI, solum Salvatorem hominum. 15 Atqve sic implebitur qvod dixi, Unum fore Ovile, & unum Pastorem: post ejectum ex Ecclesiæ nido Papam, Caput vacuum potestatis & judicii, licet se illud esse jactet, mihi se faciens æqvalem. 16. Scribe hos sermones meos! & confide, non confunderis. 17. *Laudabam itaqve Dominum cantu Psal. 27. Hallelujah.*

REV. CCCCXXXIX. 11 April.

[*Janua Dei occlusa*, 3. *Rex Galliæ* 6.]

LUcescebat, *post preces meas matutinas, cum pavore qvodam peractas, dixit Dominus ad me,* 2 Confide fili, veniet à Dilecto tuo informatio, qvid ego jam operer in facie Terræ, veniétqve citò. 3 Mirabili enim modô ego januam occlusi, ut hostes nec impedire qveant Opus meum, nec nocere Vobis fidelibus servis meis. 4 *Cùmqve orassem protegi, addidit:* Non qvidem sine horrore eritis vos etiam, qvia flatus Ventorum iræ meæ volvunt se super hanc Terram, ut annuntiavi dudum: erúntqve angustiæ. 5 Tu proinde tibi attende, nusqvam exi, victualia tibi provide, in Arce te contine. 6 *In Germania jam animi inclinant in Regem Franciæ: mihi fide!*

Rev. CCCCXL. 14 Aprilis.

[*Rex Franciæ.*]

INtereram congregationi Procerum Regem eligentium. 2 Et prodierunt in medium tres: qvorum unus in capite habuit calvitium, secundus capillos, tertius plumas valdè decoras, qvem Galliæ Regem nominabant. 3 Hunc ego diligenter intuitus, exclamavi: *Hic Rex, Rex Franciæ, est à Deo electus Rex Imperii:* qvod multi mirati sunt, ter enim clamabam illud idem. 4 Sed & expergefactus cum gaudio clamare perrexi: *Jesus Nazarenus, Rex Regum & Dominus Dominorum, Regem Franciæ elegit & renuntiavit Imperatorem Christianum.* 5 Qvem clamorem meum ipse miratus, mox rursum somno mersus sum: vidiqve adferri chartis involuta cimelia, qvorum pars dabatur mihi ad distribuendum aliis. Amen, fiat!

Rev. CCCCXLI. 27 April.

[*De iisdem: & Racociis adhuc inobseqviosis.*]

IMpetuosissimus flabat Auster, ut Domuncula mea tremeret, ceciditqve de laqveari lapillus ad lectulum meum. 2 Ego verò afflictus contemptu qvi exhibetur mihi, orabam à Deo protegi, qvidqve casus iste lapilli significaret, cogitabam. 3 Et Dominus: *Excidit jam ultimus de Domo Austriaca dignitate suâ, qvæ translata est in alium de qvo os meum loqvutum est.* 4 *Ignis iræ meæ ut procella obruet hanc terram: nam & Turcam ire jubebo, eritisqve Vos etiam in metu, orate!* 5 Orabam igitur, etiam pro Principe, ne illum desereret Dominus. 6 Et Dominus, *Non deseram: sed ut jam obseqvatur mihi & Turcæ scribat, qvò & in illo impleantur sermones mei.* 7 *Scribe & Principissæ, ut memor sit mandati mei de Bibliis Turcicis: cum contestatione, ne ita sit uti fuit tempore Jeconiæ & Salatielis.* 8 *Scribe etiam, te nihil qvod tuum sit qværere: sermonem tantùm nuntiare meum, ut illis bene sit.*

[v. 3.) si nondum tunc humano consilio, at divino: qvod eventus ostendet. v. 6. & 7.) Factum, sed nullo effectu. Perrexerunt illi non obedire Deo in ultimam usqve sui ruinam.]

Rev. CCCCXLII. 1 Maij.

[*Partitio antiqvorum Christi sermonum,* 1, 2. *Mandatum de his novis* 3-7.]

OBdormivi à precibus manè, & ecce Viri qvidam reqvirebant ut illis exponerem sermones Domini Jesu, qvos loqvebatur habitans in Terris. 2 Dixi ergò, alios fuisse *Doctrinas*, alios *Exhortationes*, alios *Increpationes*, alios *Judicia*: qvod illis placebat. 3 Ut autem evigilavi, dixit Dominus: *Scribe Adjuncto, Sermones hosce meos, in usum Vobis duobus testibus meis prolatos, non esse prioribus adversos.* 4 *Agnosco esse meos, eâdem fine qvò & priores prolatos: ut mea Sapientia, & postremo hoc seculo Vestri memoria, agnoscatur: me Vestrum qværere bonum, & qvidem bonum hujus & futuri seculi.* 5 Ne

igitur iidem Sermones in silentio sint, sed lucem qvoqve videant, ut voluntati meæ satisfiat. 6. *Ne metuite, non confusionem reportabitis à conspectu meo.* 7. *Consigna hoc; & mitte cum prioribus.*

REV. CCCCXLIII. 9 Maji.

[*Domus Dei emundanda, ad lætitiam servorum Dei.*]

EXperrectus manè suspirabam ad Dominum, valdè tristis. 2. Et Dominus ostendit mihi homines Libros habentes impressos: qvos legendo alii intelligebant, gaudentes, me tamen de sensu eorum qvæ legerant interrogantes. 3. Exponebam igitur, sed cum timore: alii verò explicatione auditâ stabant tristes, usqve dum evigilarem. 4. Et Dominus: *Jam expendunt in Hungarica etiam natione labores tuos, sermonesqve meos, & mirantur multi sapientiam meam.* 5. *Ne metuas tu, mea est de te cura, aliisqve Cultoribus meis*: orabam igitur, me & Ecclesiam commendans Deo. 6. Sed redormiens rursum, deductus fui in Domum permagnam variorum conclavium, præpulchrè emundatorum, aulæisqve exornatorum: per qvæ deambulabam pulchrè indutus, & præcinctus stolâ. 7. Cogitabam verò, annon aliqvis esset me increpaturus, qvòd ita spatiarer solus? ingressiqve sunt Dominicani duo albè induti, spatiantes mecum per omnia conclavia. 8. Ut evigilavi, gaudebam de isto pulchro habitu, & qvod evasissem salvus. 9. Dominus autem, *Serve mi, emundabo ego Domum Ecclesiæ meæ, juxta sermones meos priscos & modernos: ubi tu spatiaberis, & in eam operarios introduces, cum aliis vestem albam gratiæ meæ habentibus, & erga me ardentibus.* 10. *Qvod Vos in orationibus perseverantes expectate! Tu verò labora etiam in tempore (NB) jam tempus est.* 11. *Calumniatores & hostes tuos ne cura, non enim nocere poterunt tibi: cùm veneris tabellarius novas acquires vires.* 12. Et laudavi Dominum: venitqve, qvi insperata mihi providentiæ circa me divinæ attulit documenta, ut Psalmum 97. canerem.

REV. CCCXLIV. 19. Maji.

[*Amabiles & admirabiles Christi ad Christianos sermones, de salute Dei omnibus jam populis ac gentibus nuntianda.*]

INter matutinas preces peragendum alloqvi me dignatus Dominus meus, dixit: Exauditæ sunt Orationes tuæ, ne diffide serve mi! 2. Jam etenim plerisqve habitatoribus Terrarum Christianarum innotuit vox meæ inclamationis, ad pandendum honorem nomini meo, & spargendum de se splendorem lucis cognitionis meæ. 3. Etiam inter eos, de qvibus nemo Vestrûm scire potuit: qvando, & qvomodo, reduci debebant ad me scaturiginem aqvæ vivæ. 4. Sume tu parabolam meam, & alloqvere Nationes Terræ: Qvis vestrûm consistet à rigore judicii mei, cùm ego Vos arguam de ignorantia mei fontis vitæ, & Patris mei, Spiritûsqve virtutis meæ, & Legis meæ sanctæ? 5. De qva ne audiverunt qvidem tot millia Vestrûm sub sole meo habitantium, cum ignorantia meæ & Patris

Patris mei voluntatis, pernicie autem animarum & corporum Vestrorum. 6. Jam igitur ô Vos in Populo meo Christiano porrigite, omnes undiqve porrigite, lucem doctrinæ meæ iis, qvi me vobiscum non nôrunt. 7. Exclamate, Vos inprimis à me illuminati (dicendo) Venite, ô venite homines omnium Terræ Nationum! dicitéqve nobiscum, DEUS NOSTER & DEUS VESTER UNUS EST, QVI NON DELECTATUR MORTE ULLIUS, ULLIUS INQVAM VESTRUM, RATIONALIS CREATURÆ SUÆ. 8. An ignoratis, & scientes ignorare vultis, Vos esse rationalem Creaturam meam, hæredes gloriæ meæ? idqve non ex Vobis, sed propter me, meóqve unius meritô, qvi vobis locum paravi in cœlo. 9. Eò enim Vestri causâ sum ingressus, Vobis paraturus locum, Ego, non alius qvispiam. 10. Tempus itaqve est, tempus est, & dies salutis sunt qvibus Vos inclamo etiam postremo nunc seculo. 11. Aliud tempus nullum habebitis, nulli vos sub sole, si hoc acceptabile tempus præterierit. 12. Nam scitote horam postremam adesse: qvam horam multi Vos ignoratis, qvia nunqvam vocem tubarum mearum vos de Cælo (per antiqvos & modernos dilectos & fideles servos meos) inclamantium, audivistis. 13. Eja age, scribe hæc & mitte dilectis illis meis, adjutoribus tuis, qvi me diligunt; qvia illis de luce impertivi mea ad notitiam æternæ gloriæ meæ, qvæ revelari debet in vobis. 14. Ut & illi juvent lucem offerre Gentibus in facie Terræ habitantibus: ut benè adhuc stet Mundus, ambulans in luce doctrinæ veræ, Legis meæ cælitùs vobis datæ. 15. *Ego verò miratus hos Dei sermones, operoséqve cretâ scribens, exultabam cantu Psalmi* 149.

REV. CCCCXLV. 25 Maij.

[*Mel animarum (sermones Dei, præsentes etiam) offerendum populis; 4, 5. Visca Arborum Dei, 6, 7, 8.*]

AD Matutinis precibus indormiens, vidi Domum, ad cujus parietem desuper ad Terram usqve erat favus mellis candidissimi: accedentésqve Viri eximii, non scindebant de eo, sed tundebant malleolis, donec decidisset totus in præterfluentem limpidissimam aqvam; tùm demùm hauriebant, & inter se dividebant. 2 Mihi verò allatæ erant epistolæ, de qvibus gaudebam: experrectúsqve qvid illud significaret cogitabam. 3 Et Dominus, *Bono sis animo fili, dulce mel ori filiorum & filiarum mearum erunt verba mea, olim & jam prolata.* 4 *Scribe igitur Adjuncto, & qvem Vobis auxilio dedi, utne differatur Editio ultimorum Verborum meorum, Vobis hucusque dictorum.* 5 *Nam illa etiam ex decreto æterni consilii mei prodierunt, in solatia Nationum Terræ voluntatem meam facientium & nondum facientium.* 6 *Princeps, Viscum meum Orientale, impinget hamum faucibus Turcæ, ducétqve illum qvò ego jubebo.* 7. *Viscum Occidentale Helvetii, cum Gallo Vase meo jam suffragia habente, intrabunt Germaniam.* 8 *Viscum Septentrionale tanqvam diluvium sese advolvet, & tanqvam Leo irruet.* 9 *Tibi à Principissa epistola veniet, qvam miraberis; sed mihi confide, non confunderis, Virtus mea in infirmitate Vestra perficietur.* 10 Et *scias me nolle mortem peccatoris, sed ut habeatis vitam in me vobis fidelibus repositam, qvi solus fons vitæ sum.* 11 *Sperate, meo fisi auxilio!* 12 Qvibus ego cum gaudio auditis, celebravi cantu Dominum.

[Ad v. 6.) Impegit, irritando: ut hic eat, non qvò homines volunt, sed qvò jubet Deus. v. 7.) Habuit suffragia, sed prævaluerat auri Hispanici pondus. v. 10. Et 11.) Viribus humanis non est Ecclesia tuta. Ubi desinit auxilium humanum, incipit Divinum.]

REV. CCCCXLVI. 24 Maji.

[*Deo fidendum, no hominibus.*]

VIdi mihi afferri epistolas, qvas multi mirabantur. 2 Et Dominus: *Mihi crede, non hominibus: nam intentiones meæ procedunt, promissáqve mea implebuntur.* 3 *Adjunctus duriter scribet: offensus enim est, sed curabitur (hoc vulnus)* 4 *Princeps portum inveniet: Te autem non diu in oculis osorum tuorum relinqvam, vindicabo te ab illis.* 5 *Ne timeas, mihi est cura tui: sta tantummodò in sorte tua, & labora etiam in rupe, ulciscar enim sangvinem tuum.* [NB. petierat me pridie ex occulto, nescio qvis, lapide, qvò vulneratum fuit caput meum: sed sanatum est.]

REV. CCCCXLVII. 1 Junii.

[*Sperandum sine fine.*]

A Precibus manè redormivi, & ecce ad me veniens Vir eqves! qvem oblatâ dexterâ salutavi, pileolô ab illo, cum alio intus munusculo, donatus. 2 Expergefacto verò mihi dixit Dominus: *Confide fili, remissa tibi sunt peccata.* 3 *Tabellarius* (J. W.) *jam redit, afferens assignata tibi, de manu illius accipies: sed & in rupe accipies. labora tantùm, malitiam & invidiam hominum nihil cura.* 4 *Accipies & de Septentrionali informationem brevi.* Et cecini Psalmum 91.

REV. CCCCXLVIII. 16 Junii.

[*Rete Dei ad Gentes piscandum nunc feliciter jacitur.*]

UT preces manè perageram, facta est ad me Vox Domini: *Serve mi, mihi servi non hominibus! qvorum opprobria nihil cura.* 2 *Gloria humana temporaria est, mea verò gloria est æterna: qvam pleriqve mortales non intelligitis, nec intelligere curatis.* 3 *Tu tranqvillâ fruere mente! jam etenim plenè laxavi rete meum Vobis ignotum (tametsi Vestrâ etiam testium meorum operâ): projeciqve illud ad dextram per varias Gentes, ut piscium fiat captura ingens variorum hominum.* 4 *Scribe hoc Adjuncto; ut sciat non rejici preces Vestras, qvas in conspectu meo datoris Vitæ funditis.* 5 *Dabunt mihi soli, dabunt, Nationes & populi Vobis adhuc ignoti, honorem: eruntqve Vobiscum cor unum, ad serviendum mihi soli æterno vivo Deo.*

REV. CCCCXLIX. 17 Junii.

[*Operarii Dei tardi, Opus tamen procedet.*]

VIdi (redormiens manè) stamen in officina Textoria expansum, sed cujus nonnisi frustillum erat textum: Operarii enim sedendo nihil agebant, pectinem

nem tantùm ceu ludendo motitantes. 2 Expergefactus qvid esset cogitabam, tristis totam diem adeò, ut inusitatum cordis angorem neqve suspiriis ad Deum, neqve cantibus, lenire possem. 3 Demum circa qvartam à meridie alloqvutus me Dominus, dixit: *Ne tristare serve mi, non confunderis. 4 Vidisti Operarios meos, Viscera mea, Opus staminis mei non agere, suum tantùm Opus agunt: sed veniet tempus cùm debebunt. 5 Adjunctus propinqvus erat morti, sed servavi eum mihi & tibi: mihi confide, & domò rarò exeas.*

REV. CCCCL. 8 Julii.

[*Operarii sese paulatim recolligunt.*]

REdormiens vidi me in Officina Textoria, pulcherrimam texentem telam: aliósqve adstantes. & opus ut facilius procederet, adjutantes. 2 Experrecto dixit Dominus: *Jam Septemtrionalis opus meum in Polonia redordiri cogitat, non exspectato Orientali. 3 Brevi id audies: nam sermones meos impleri necesse est. 4 Confide, solatii aliqvid jam tibi veniet hodie.*

[Venerat tabellarius, subsidia nobis ferens eleemosynaria.]

REV. CCCCLI. 11 Julii.

[*Idololatra cribrò Dei sic agitandi ut temporibus Noa, & Elia: tametsi securissimi sint, 9.*]

I*Terum ad me factum est Verbum Domini: postqvam Visio præcesserat torrentis aqva turbida, rapidè se advolventis, ponticulúmqve etiam mihi transeundum obtegentis, ut vix periculô summô transirem, miratus unde tàm insperatò venisset. 2 Redditus mihi, cogitabam qvid esset: & Dominus*, Turbidæ aqvæ diluvii mei volvunt se super Mundum. 3 Imposui ego Cribro meo Idololatras, aliósqve me non agnoscentes: qvos sic agitabo ut pauci remaneant etiam me noscentium, donec zizania separentur à tritico meo. 4 Incrassatum enim est cor eorum religione cæcâ & vanâ, ut in plerisqve Christianis præter nomen nihil sit Christiani: dum inclamationes meas de cœlo, pristinas & modernas, qvæ verbis & prodigiis fiunt, nihil attendunt. 5 Ac tametsi vident ascendere hinc-inde nubes, & perire tot Nationes, suas & alienas, & in iis bonos & malos: an tamen in se descendunt impii peccatores? an qvisqvam secularium aut Ecclesiasticorum, senum aut juvenum, ad se redit? 6 Stertunt securè: nec recipiunt Verbum veritatis ut salvificant, sed seqvuntur figmenta cordis sui, cogitantes se æternùm victuros. 7 Sed ecce ego Opus meum agam, de qvo os meum pridem & nuper loqvutum est, de omnibus Terræ Nationibus: tametsi non tot superfuturi sint qvot tempore Noæ, aut Eliæ idololatras exscindentis. 8 *Qvibus ego auditis, plenúsqve timoris, exclamavi: Ah Domine mi, & Deus mi, ecqvisnam salvabitur? 9 Respondit Dominus:* Pauci, atqve ii etiam tanqvam per ignem. 10 Tu verò nihil incredulitatem ac duritiem humanam cura, sed clama, vocémqve tuam cum Adjuncto tanqvam buccina attolle. 11 Ad hanc etiam Hungaram Nationem, ubi multi ambidextri

tri sunt; nihil pensihabentes qvòd ego videam & audiam omnia, abominationi habens malam illam & exsecrabilem Idololatrarum progeniem, cui exterminandæ manus adhibere nolunt hucusqve. 12 Sufficiat hodie! Mandabo ego Operariis meis ut id agant, et peragant. qvod os meum edixit. 13 Expecta cum patientia qvæ tibi Adjunctus ex ore alieno scripturus est (*Nempe de variis variorum valdè sinistris de his judiciis*) 14 *Et laudabam Dominum Psalmo* 135: *Hallelujah.*

REV. CCCCLII. 12 Julii.

[*Cæcitatis suæ, interitûsqve, causa sunt ipsi homines.*]

D*Ie jejunii mei, cùm inter varias animi agitationes ad Dominum suspirarem, misericordiam super nos invocans, & ut Dominus confirmaret verba sua, dixit Dominus:* 2 Jam lassus sum cum Nationibus, me Dominum suum nosse recusantibus, idqve ex mera obstinatione cordis. & cæcitate mentis. 3 Cujus cæcitatis culpa non in me est, sed in ipsis voluntatem meam non exqvirentibus, neqve Veritatis verbum recipientibus, ut salvi fiant, idqve gratis per fidem in me, & Patrem meum, in Spiritu gratiæ. 4 Nam in nobis omne Vestrum bonum est, & non in Vobis ô filii hominum, qvi Vos rectè nosse non vultis, propter ingratitudinem erga me datorem Vitæ gloriæ. 5 Ecce autem bonis, me noscentibus, voluntatémqve meam facientibus, & meum ductum seqventibus, benè erit! Vobis autem malis malè. cum cæcis Ducibus Vestris, in foveam iræ meæ prolapsis, unde non exibitis in æternum. 6 Tu autem mitte omnia hæc in clausulam sermonum meorum, qvæ filiis. & filiabus hominum loqvutus sum. 7 Væ illi qvi gratiæ meæ tempus amiserit! super seipsum lamentabitur in æternum, qvisqvis ille de omnibus Terram inhabitantibus fuerit. 8 *Ego his auditis cecini Psalmum* 9 *commendans judicia de Nationibus Terræ Domino.*

REV. CCCCLIII. 7 August.

[*Præsens Gentium commotio fit ad Idololatras delendum.*]

FActa est vox Domini ad me: *Bono animo esto serve mi.* 2 *Ecce ego Opus meum facio in facie Terræ, opus iræ meæ, ad obturandum ora insipientum.* 3 *Criminatores tuos nihil respecta. qvos fulgor veracitatis sermonum meorum brevi obruet.* 4 *Vidisti Arborem sine ramis, ad ruinam vergentem: & Linteum detextum, insolationi paratum, in Nationibus Terræ.* 5 *Surge, scribe mihi & tibi dilecto, me Dominatorem Terræ jamjam commovisse Nationes totius Orbis. ut incendio hoc pereat malum opus Idololatrarum. cum Populo me ignominiâ afficiente.* 6 *Vos autem mei qui me unum Deum nostis, & corde puro, conscientiáqve bonâ. & fide non fictâ, diligitis, in me confidite! spiritúmqve gratiæ erga me, & erga Vos invicem, ne exstingvite!* 7 *Scribe hæc in tui & Adjuncti gratiam, qvibus hæc jam loqvor.* 8 Et exultavi, cantans Psalmum 33.

REV. CCCCLIV. 10 August.

[*Mundus fraudum plenus, 1 — 5: etiam quis Deus ad suum Opus vocat, nolentes agnoscere vocem vocantis se Dei, 6 — 9 etiam in Germania, attrahente sibi pœnas. 10.*]

A *Matutinis precibus reposui me, & redormivi.* 2 *Et vidi varias Nationes exercentes judicia: sed & negotiationes fraudum plenas, cum variis vendentium & ementium imposturis, ut doloris plenus illacrymarer.* 3 *Ut ad me redii, audivi me nomine vocari, erátque tanquam Uxoris meæ vox.* 4 *Surrexi ergò, sed ecce nemo domi fuit: ego autem redii in cubiculum, Psal: 49 cantans.* 5 *Quò finitô dixit Dominus:* Peregi ego Dominator Terræ per Vos duos testes meos Opus meum, in acclamando voce Tubæ meæ Nationes Terræ ab Ortu, Septentrione, Occasu & Austro. 6 Sed ecce illi Opus meum nondum hucusqve apertè agere volunt! multi etiam de primoribus sub Evangelio intelligere qvid velim recusantes. 7 Ideò resistunt, & relabuntur, ruinæ suæ ipsimet sibi causa: cadent enim, sciant hoc, si suum tantùm, non meum egerint Opus: 6 tarditatem humanam! 8 Novit bos, novitqve asinus vocem Domini sui, & tu nosti vocem uxoris tuæ: hi autem vocem meam, etiam cùm eos propriis nominibus appello, nosse nolunt. 9 Inveniam ego alios, inveniam, Opúsqve meum de qvo loqvutus sum peragam, qvia termini mei ab æterno positi venerunt: qvod multi intelligere nolunt. 10 Dissensio facta est in Imperio electione illius qvem ego rejeci: ideòqve rejicientur ipsi qvoqve. 11 Nam ignem meum injecit Germaniæ Gallus cum Sveco: cadéntqve de soliis qvi sibi sine me jus eligendi vendicarunt, frustrà contra electum à me furiati. 12 *Postquam conticuit, quid mihi faciendum esset cogitabam: & Dominus,* Hoc etiam scribe. 13 *Scripsi igitur: hymnô (de admirabili Sapientia Dei administratione) laudans Dominum.*

[Versu 5. *Peregi*) preteritum pro futuro, stylô propheticô. Sic & v. 11, *Injecit*) neutrum enim tum adhuc erat in oculis hominum, sed Dei.]

REV. CCCCLV. 27 Nov.

[*Adjunctus alienis judiciis turbatur, & increpatur.*]

EXpergefactus manè commendabam suspiriis Deo Ecclesiam: relapsúsq; in somnum vidi me magna qvadam in Domo Fenestras reparantem, præsente Adjuncto meo. 2 Sed aderant alii qvi opus impediebant, contra qvos zelabam ut evigilarem: precibus iterum Deo commendans literas ad Principissam missas. 3 Ubi Dominus: *Rectè fecisti quòd eum monuisti.* 4 Iterum cogitabam Adjunctum, in somno conspectum: & Dominus, *Variò afficitur super sermones meos, variis hominum sine veritate de iis judicantium sermonibus turbatus.* 5 *Videbis id in ejus epistola quam accipies, quàm parum à zelo (inutili) remiserit: sed infundam ego illi calicem, quem ille nescit.* 6 Ego itaqve orabam, ne illum spiritu suô desereret Deus: simúlqve incidit Psalmus 149 qvem cantavi.

[Ut dictorum hîc sensus patescat, interserendum est aliqvid historicè. Prodierant contra editas Revelationes scripta qvædam, impetentia maximè Drabicium propter particularissimè prædicta, nec impleta, hæc & illa, cantatúmqve in primis classicum: ob qvod ego Editor non poteram non maximè angi. Ideò primùm, qvia recurrebat prudens olim magni Theologi (C. B.) vox: cujus qvum de Poniatovia exqvirebamus judicium respondit; *Timidior essem longè, si aliqvid hîc agere juberemur. Sed qvia expectare tantùm opera Dei svademur, capita erigere qvid vetat?* Hîc ergò qvia agere simul jussi sumus (hæc publicando, & sic bella velut inflammando, ut interpretabantur) timor abesse non potuit. Accessit ad me turbandum opinio *Martini Delrio*, qvi Disqvisit. Mag. lib. 3. cap. 1. (qvæst. 4. Sect. 7.) ita scribit: *Sed hic locus ostendit verissimum esse dictum Theologorum, Sæpè eos qvi asvevêre multis revelationibus, etiam veris, putare se habere per revelationem, quod habuerunt per discursum, opinionémqve.* Qvæ verba suspicionem animo injecerunt, *Annon fortè Drabicius* (toties aliàs memoriæ labilitatem qvestus) *auditis per revelationem admisceat cogitata per opinionem?* & per cons: *Annon scriptis ejus vera divini cum non divino mistura insit?* Qvod si est, miseros nos, qvi hæc pro divinis admittere cœpimus, ludibria nos expectare certa.

Inter hos angores, & rerum cursu in eventus contrarios sese disponente, scripsi ad Drabicium acriter, hoc anno, 7 Septembris. Summa fuit, *Prædictiones illius omnibus jam vanas videri & fallaces: cùm non solùm non eveniant prænuntiata, sed eveniant prænuntiatis contraria.* Qvod prædictis divinitùs contingere non soleat: cùm Deus nec fallere possit nec falli, eòqve de se pronuntiet, *Ego Jehova & dixi & faciam*, Ezech. 36. 36. Et cap. seq. v. 14: *Ut cognoscatis me Jehovam & dicere & facere.* Dedisséqve nobis in manum criterion, *si prædicta non eveniant, hoc esse illud verbum qvod non loqvutus fuit Deus* (Deut. 18. 22.) *Qvia Deus fortis non est homo qvi mentiatur, aut filius hominis qvem pœniteat: an ille dixerit, & non faciat? loqvutus, & non præstabit illud?* (Num. 23. 23.) *Iubet proinde qværi in libro suo, an aliqvid unqvam defuerit?* (Jes. 34. 16.) In Drabicianis autem effectus defuisse nimis multos. Qvam ergò conclusionem putaret faciendam, diceret. *Cùm evenit verbum Prophetæ* (inqvit Jeremias) *tum cognoscitur prophetam esse: qvùm Jehova præstet verba servorum suorum* (Jes. 44. 12.) Ergò cùm non evenit, cognosci necesse est illum à Jehova non esse missum verè: *sed superbè loqvutum esse de suo* (Deut. 18. 22.) In veritate ad populum dicere potuisse Josuam, *Evenit vobis unaqvaqve res bona, qvam promiserat Jehova vobis* (Jos. 23. 14.) qvia ita fuit: sicut & Samuelis tempore, *cujus verbum nullum cadere in terram sinebat Deus* (1 Sam. 3. 19.) Si dixeris: *Obstare homines inobedientiâ suâ Deo*: respondetur, *Qvæ divinitùs prædicuntur ea certò fiunt; qvia decreta Dei consiliis humanis impediri non possunt.* Deus enim est qvi dicit: *Iuravi, qvomodo proposui ita erit, & qvomodo consilium inivi ita fiet* (Jes. 14. 24.) Et mox: *Jehova exercituum inivit consilium, qvis illud irritum faciet? manum ejus extentam qvis avertet?* (v. 27.) Qvem ergò Deum habent (inqviunt) novi illi Prophetæ, cujus consilium homines irritum facere, manúmqve ejus extentam avertere possunt? Tam irrita verba sua esse non

fate-

fatebitur Deus Veritatis: cujus ſpiritus totus ſpiritus Veritatis eſt; non verò ut hinc inde veri aliqvid aſpergat, reliqva in ventos eant. Et qvidem ſi poſitum fuiſſet ſemel duntaxat, aut bis qvod eventurum non erat, inqviunt: *Color fortaſſis aliqvis qværi poſſet: nunc qvia toties, & tantis cum aſſeverationibus, qvid dicendum?* Summa ſummarum, non pro deliriis tantùm jam, ſed pro ſatanicis prorſus impoſturis, haberi iſta incipiunt: ah qvantùm ſcandali! Ignoſcat nobis Deus hanc editionis præcipitantiam! Nos verò has in anguſtias ſi manus ejus deduxit, cujus conſilio reſiſti non poteſt, patientiâ erit opus: ſi propria incogitantia, reſipiſcentiâ & emendatione, dum tempus eſt &c.

Reſcripſit ad hæc 19 Novemb. lamentabiliter: cujus ſcripti hæc fuit ſumma. *Accepi Tuas plenas zeli, plenas lamentorum, plenaſqve interrogationum, qvibus me vermiculum ab hominibus contemptum, condemnatum, ſemi occiſum, ad reſponſandum poſtulas.* Qvibus perlectis & expenſis ſilentiô reſpondere, rémqve cordium ſcrutatori Deo, clamanti adhuc, *Venite expoſtulate mecum!* commendare conſtitueram: ſed Dominus me tacere non permiſit. &c. Mihi verò cùm Ieremia dicendum: *Væ mihi mater mea qvod genuiſti me, cui omnes maledicunt!* Adeoqve jam tandem Tu qvoqve amice à tot annorum decadibus mihi dilecte. Lacrymis hæc aſpergo, cum Ieremia dicens: *In veritate mandavit Jehova ut hæc ſcriberem. Ecce tamen, Verbum Domini factum mihi eſt in opprobrium* &c. Annon vox Dei eſt qvæ dicit; *Non facit Dominus qvicqvam, niſi revelaverit arcanum ſervis ſuis* (Amos 3. 7.) Per Ioëlem verò promittit poſtremis temporibus *futurum, ut juvenes habeant viſiones, & ſenes ſomnia* (2. 28.) Ecqvodnam adhuc Viri illuminati, tempus poſtremum exſpectatis, obſecro? Qvoniam verò ad me qvoqve Virum polluti labii, ſuam eſſe me ultimam Tubam, Dominus dixit (1651. 14 Ianuarii) *Ecce ego, ecce plenâ fiduciâ, in conſpectu Dei, Angelorum, hominúmqve confidenter loqvor, Dei ſermones fuiſſe qvos ſcripſi.* Niſi enim ita eſſet, ſcio ego qvod homines fallendo, neqve Deum, neqve conſcientiam meam, fallere poſſem, ſed mihi confuſionem interitumqve indubiè pararem. Sed ecce vivo & morior, me audita ex ore Dei ſcripſiſſe, excipiant id homines qvomodocunqve excipiant. Deo ſit laus, qvod jam non ignorabit Mundus ea, qvæ illi per me nuntiata voluit Dominus. Diſputet contra ea qviſqvis volet, ſed non adversùs me: Dominus enim ad me vermiculum ſuum dixit: *Non tanti tu es ut tu teipſum defendas, nedum me & ſermones meos. Defendam ego me, cùm implevero ſermones meos.* (Rev. 243. v. 4. ad finem.) & alibi: *Non intelligunt filii hominum altitudinem conſiliorum meorum, ſicuti nec Angeli, niſi impleta fuerint. Ego qvod orſus ſum perficiam. Scandalizetur qviſqvis vult, qvomodo vult: Tu id ſolatiô habe, qvòd ex me audiviſti qvæ ſcripſiſti, non ab hominum aliqvo tibi æqvali.* Confide itaqve Tu mecum dilecte amice, fore ut obmuteſcant criminatores cùm hora Dei venerit: grave enim irriſoribus onus erit Verbum Domini. Nos autem plus timeamus Deum, qvi corpus & animam occidendi poteſtatem habet, qvâm homines mortales, qvi nihil niſi qvod Deus permittit poſſunt. Tuum illud, *Ignoſcat nobis Deus editionis præcipitantiam*, ego ſic immuto: *Laus ſit Deo qvi dedit conſcientiam liberare noſtram, non occultando à filiis hominum ea qvæ loqvutum eſt os Dei.*

Ad hæc ego iterum, majori etiam amaritudine (ab auctis variorum conviciis) plenus, respondi: inter alia sic. *Si tu amice Deum tibi loqui adeò certus es, ut morte id obsignare velis, certitudo tua tibi serviat, non nobis, qvos eventuum contrarietas incertat.* Qvin etiam exempla non desunt, ubi homines pro veritate errores amplexi, pro iis tanqvam ipsissima veritate vitam deponebant: non aliud in conspectu Dei qvàm verissima se credidisse, docuisse, scripsisse, persvasi: nec ideò tamen error esse error cessabat &c. Confidis tu verbis ad te prolatis *Tu es ultima illa mea Tuba*: at enim hoc perpetuò in qvæstione manet, cujus illa vox sit &c. Jubes in Deo ponere spem? Nusqvam est ubi anchoram spei meæ figam, præterqvam in eo qvi cordis mei simplicitatem novit, me nihil hic finxisse, nec iis qvæ Dei nomine afferebantur aliqvid addidisse, demisse, mutasse. *Ipsa in re si inventus fuerit error, ignoscet bonitas Dei delicto humanâ fragilitate, non ullâ fraude, admisso.* Eritqve hæc in conspectu Dei subita confusio castigationis locô suscipienda, ad cautiùs in vita (si qvid ejus supererit) agendum. Qvod si tandem tamen Opus Dei fuisse apparuerit, etiam hæc fluctuatio mea majori Dei gloriæ, piorúmqve aut solatio, aut instructioni, servire necesse habebit: etiamsi mihi, ut olim Mosi, de pœna aliqva hujus vitæ participandum fuerit, ut Psalmo 106. v. 32, & 33 narratur. Deus tantùm avertat, ne propter nos alii, aut etiam tota Ecclesia nostra, ignominiam & perseqvutionem ferre necesse habeat. Ubi Deum laudare svades, *ista in notitiam filiorum hominum jam esse deducta*: scio scriptum esse, *Furorem etiam hominum laudare tandem Deum oportere*, Psal. 76. v. 11: *eòqve stultitiâ etiam hominum illustrari sapientiam Dei.* Qvæstio tamen manet, qvid nobis ut talis effectus conseqvatur, faciendum sit? Qvidam hic amici silentiô uti: alii gloriam dare Deo, Drabiciúmqve (à qvo propemodum solo scandala hæc veniunt) deserere svadent. Tibi qvid videatur responde: & qvidem illicò responde, responsum tuum inter perpetua ad Deum suspiria expectabo. Et qvidem pectore apertissimô tanqvam ad tribunal Dei qvò te appello. *Candidè inqvam mecum age, vel jam tandem, adjuro Te per tremendum nomen & animæ tuæ salutem: non celando, aliqva illa qvæ tam apertè fallunt, conjectura tua additamenta fuisse. Id si feceris, cessabunt bonâ parte scandala: quia humanas ratiocinationes fallaces esse moniti sumus Sapientiæ 9. v. 14* Ego aliud efficacius remedium non novi: eritqve, ut Deus te qvoqve juxta integritatem cordis tui judicet, nobisqve omnibus factus propitius, satanam conterat sub pedes nostros, etiamsi cum propria confusione nostra: modò gloria veracitatis Dei perstet, & nemo piorum per nos & propter nos contristetur, nedum tota Ecclesia. Iterum iterumqve Te per Deum & animam tuam obtestor, sincerè mecum hac parte age: jam tandem. Spiritus sanctus bonus regat Te. V.

Tot obtestationibus meis reposuit ille contestationes suas, fidei pusillanimitatem acriùs exprobans. Consiliumqve, qvid mihi faciendum esset, non verbis suis, sed oraculi ipsius, descripsit: Tandem & Programma, qvô omnia à se scripta ad Deum solum referens, typis publicari, omnibúsqve Terræ Nationibus (tanqvam ultimam Dei voluntatem) nota reddi, petiit: eô modô pavores nostros in se solum

lum unum recipiens. Consilium videatur mox, Rev. 460. v. 13. Programma verò, seu Apellatio ad Tribunal Dei, positum est supra, post Drabicanarum Revelationum titulum.]

Rev. CCCCLVI. 4 Decemb.

[*Nulla remorarum trica opus Dei impediunt.*]

ITerum *factum est Verbum Domini ad me, postqvam me in prealta rupe vidissem, ubi pratum erat floribus peramœnum, per qvod spatiabar latus animi.* 2 *Et ecce Dominus ad me:* Ne metuas serve mi! præaltè tu ascendisti, operosè licet, cum sermonibus meis, conspicuus jam factus in populis. 3 Qvos multi legentes spe efflorescunt, mirabundi, paratsqve operi meo etiam in Germania: ubi Sveco impedimenta erant posita, sed non successit. 4 Danus malè stetit, nec aliter erit Brandeburgico. 5 Heydelbergensis perplexatur, sed recipiet à Gallo robur: ubi malè stabunt Ecclesiastici, juvari neqveuntes à Domo Austriaca, qvam ego rejeci: non diu illa exultabit in ista luce. 6 Tu tibi attende & qvorsum vocaberis ito. 7 *Laudabam itaque Dominum cantu Psalmi* 146. 8 *Ecce autem splendor quidam circumfulsit totum conclave meum ut pavescerem.* 9 *Et Dominus:* *Splendorem præsentia mea ostendi tibi!* 10 *Ideò tu homines pravos, eorúmqve convitia (de qvibus brevi accipies) nihil time!* 11 *Cecini ergò Litaniam, misericordiam Dei implorans.*

Rev. CCCCLVII. 16 Decemb.

[*Terror sermonum Dei pervincet.*]

VIdebar mihi scripta mea amisisse: qvi autem ea invenerant, interpretabantur malitiosè, ut me terror invaderet. 2 Expergefactus cogitabam Adjunctum, & D. L. de Geer, ipsos mecum divinæ commendans protectioni. 3 Et Dominus: *Terror sermonum meorum circumdedit multos illos expendentes, circumdabitqve te etiam propter malitiam eorum qvi tibi mala procurare volent.* 4 *Sed tu mihi & promissionibus meis fide, mandatáqve mea fac, non confunderis.* 5 *Nam virtus mea in infirmitate Vestra, fideles testes mei, perficietur: Tu verò etiam in rupe* (NB.) *labora, accipies solatia.* 6 Et laudavi nomen Domini, decantando Psal. 117.

Rev. CCCCLVIII. 18 Decemb.

[*Ecclesiastici Reformationi obstabunt, sed frustrà.*]

V*Idi multos Ecclesiæ Pastores altercantes inter se, sed & manus conferentes: qvod attonitus spectabam.* 2 *Expergefactus quid- ist hoc esset cogitans, orabam: cantu etiam,*

Veni S. Spiritus reple tuorum corda fidelium &c. 3 *Dominus verò ad me:* Bono esto animo serve mi, protectio mea tecum est! 4 Tametsi scripta tua, & dicta mea, varii variè cavillantur, Ecclesiastici qvoqve, etiam in aula Principissæ: 5 Iuniores tamen recipiunt, recipiéntqve libenter, Ordinem Ecclesiæ; sed veterani resistent, movebúntqve altercationes. 6 At tu mihi confide, non derelinqveris.

REV. CCCCLIX. 31 Decemb.

[*Racocio exeqvutionis initium denuò mandatur.*]

A *Matutinis precibus facta est vox Domini ad me:* Venient ad Principissam literæ tuæ, mittentúrqve ad Principem & vocaberis. 2 Tu tamen non ibis nisi cum I. Med. demùm, ut sic faciatis qvomodo loqvutus sum antè: Nempe ut Princeps initium faciat exterminandi Idololatras in territorio suo, tua in præsentia. 3 Nihil parcat, tanqvam à me execrationi devotis! Altaria diruat, sculptilia comburat! Fusilia tamen, aurea & argentea, colligantur illum in usum, qvem indicavi antè. 4 Una die id exseqvatur! occlusis priùs transitibus ut ne evehi qveant thesauri. 5 Tu autem sta in sorte tua, non confunderis. 6 *Et cecini Psalmum* 12.

ANNO MDCLIX.

REV. CCCCLX. 3 Febr.

[*Plenior ad scrupulos Adjuncti, & aliorum, responsio.*]

A *Cceperam (27. Jan.) ab Adjuncto tristissimas, de contradictionibus multorum, qui sermones per me prolatos scriptis publicis refutent: & qvàm multum nobis opprobrii & periculi veniat.* 2 *Clamabam itaqve ad Dominum, qui me consternatum occultis solatiis erigebat, pavescere prohibens: se enim Opus suum ad finem deducturum.* 3 *Addebat hâc die:* Nihil mirare serve mi, tàm mira judicia, qvæ filii hominum proferunt de sermonibus ore meo ultimis diebus seculi, ad Nationes & Lingvas Terræ, prolatis. 4 Qvibus voluntatem meam, æternò consiliò meò decretam, uti per alios antehac, ita per te jam, detexi: ut renovatio fiat per universum Orbem Terræ, ad serviendum mihi æternùm viventi Dominatori. 5 Qvam voluntatem meam qvòd Adjunctus cum L. Degerio, & cooperantibus, in lucem promoverunt, ecce merces eorum apud me reposita est! 6 Qvòd autem sermones meos candelabro expositos filii contumaciæ, homines mente corrupti, stateramqve tantùm carnalis rationis & vani judicii sui seqventes, eòqve vias meas viis suis exæqvare qværentes: (7 Qvi tamen suas ipsi vias nec vident nec nôrunt, nedum ut meas vias metásqve intelligant, qvas ego Vobis ô filii

filii hominum indico): 8 Id inqvam tu noli mirari, neqve ob id tristari, aut flere. 9 Non enim tu me beatior eris, pristinisqve testibus meis. 10 Nam qvid non opprobrii intulerant mihi per Pharisæos, & Legis peritos, Judæi, gens mea? Annon in os mihi loqvuti, Tu dæmonium habes? 11 Cùm tamen & me viderunt, & opera mea, non humana vel diabolica, sed divina. 12 Illi tamen & lapidare me voluerunt & contra me testes falsos producere, ausi sunt: tandemqve (non qvando ipsi voluerunt, sed qvando hora mea venit ad Patrem redeundi) me Dominum Vineæ occiderunt. 13 Age igitur tu sicuti ego coram Pilato stans egi, qvod & Pilatus ipse miratus fuit! Tacui ego, tace & tu, neqve falsis testibus illis tu vel Adjunctus respondete. 14 Suscipiam ego ipse meam & Vestram causam defendendam, testes mei: ut videant lucem veracitatis meæ suâ confusione. 15 Qvum Nationes Terræ mihi immorigeras terrâ mariqve perseqvar, & de Orbe delebo: sicuti primo feci Mundo, & de eo tibi jam ante loqvutus sum. 16 Nam ecce jam ventilabrum est in manu mea, securisqve radicibus Arborum apposita, ut deleam populos: qvi potest capere capiat. 17 Scio ego Adjunctum tibi vacillare: sinistrâ manu tenendo sermones meos ad te prolatos, non tanqvam meos, sed tanqvam tuos: dexterâ verò sermones cavillatorum tuorum & suorum. 18 An & ille me evestigare, abyssúmqve judiciorum meorum perscrutari vult? 19 Nemo Vestrûm, ô homines, nemo ex omnibus Terræ Nationibus, fundum & soliditatem rupis judiciorum meorum, ubi, qvando, & cur, ego aliqvid agam, videbit unqvam. 20 Neqve hiatus judiciorum meorum penetrabit, qvid & ad qvem finem ego aliqvid unqvam egi, ago, & agam: sine respectu ullius Vestrûm, Creaturæ meæ, sicut id antehac tibi loqvutus sum (*Nempe anno* 1654. 19. *&* 20. *Junii.*) 21 Audite vel omittite, ô homines! ego causam meam agam & peragam. 22 Satis nunc, surge, verba hæc mea scribe, Adjuncto mitte (ut affligtari desinat:) Sufficit diei vexatio sua. 23 *Surrexi igitur & scripsi: laudans de his nomen Domini.*

REVEL. CCCCLXI. 23 Aprilis.

[*Serpens frustra se torqvet, ignem eructans.*]

FActa est insperatò ad me vox Domini: *Cessa tristari serve mi! Ecce ego ago & peragam causam meam cum Nationibus Terræ, cum Opere cui inferorum porta non prævalebunt.* 2 *Ecce consilia hostium meorum & Vestrorum exstingventur! quia ignis accensa contra eos ira mea ardet, sicut audies.* 3 *Mihi confidite omnes, qvi propter me patimini.* 4 Ostenditqve mihi Dominus serpentem, qvem ego prehensum pelle qvâdam circumdedi, ut caput solùm promineret. 5 At ille extorqvere se volens (qvod multi præsentes spectabamus) caput vi circumjactabat, ignémqve ore eructabat, donec & jactatione illâ in frusta dissiliit. 6 Qvod ego cum admiratione spectans qvid sibi vellet cogitabam, orans (ex Psal. 83) *O Deus ne surdum agas, ne qviescas* &c. 7 Qvem cantum

un

ut finivi, perrexit Dominus: *Domus Austriaca, cum combustæ illo vicinæ, & arundine fracta fuerunt, ignem vomendo.* 8 *Sed post judiciorum ira mea non prius, quàm in frusta dissiluerint, eluctabuntur: quia consilia eorum jam collapsa sunt.* 9 *Tu mihi confide, vigila, ora! Audio ego Vos cultores meos.*

REV. CCCCLXII. 10 Sept.

[*Væ tibi Hungariæ, 2. Deus Terræ motibus, Aqvarum diluviis, Fulminibúsque, causam suam agit.* 9. 10.]

A*Noctis medio invasit me cordis angor: cúmque Dominum invocârem audivi vocem.* Væ Tibi Hungaria! 2 *A quâ voce exparvefactus, & spiritu impulsus* Clama! *ipse quoque contentissimâ voce,* Væ, Væ, Væ, Tibi Hungaria! *clamavi.* 3 *Quo clamore excitata Uxor mea accurrit, causam clamoris sciscitans: sed ego præ animi angore nihil respondere potui, nec à me tota die horror ille recedebat.* 4 *Redibant enim in mentem mihi tot adversus Terram hanc comminationes Domini, orabámque misericordiam.* 5 *Dixitque ad me Dominus:* Recordare sermonum meorum qvibus Tibi contestatus sum toties, Tempus meum propè adesse, ut judicium meum exseqvar super Terram. 6 Sed pauci erant & sunt fidem illis adhibentes. 7 Tu tamen fidelis esto, neqve mirare qvòd jam non sæpè tibi loqvar, nihil enim opus. 8 Sufficiunt ea Mundo, qvæ Vos duo dilecti mei, meo jussu eis nuntiastis: tametsi mihi, & sermonibus meis, pauci fidem habeant. 9 Ideò ecce ego variis plagis Nationes Terræ tundo, etiam Terræ motu & Aqvarum diluviis. 10 Et qvid dicent, si etiam fulminibus de Cœlo concutiam Idololatras? 11 *Mihi verò incidit Jesuitas cogitare, quibus aliquando similia denuntiabat Dominus: quòd ita si fierent fortassis essent ad se reditura Visa Dei, orabámque Dominum cum lacrymis.* 12 *Et Dominus:* Ne plora, serve mi! Videbis brevi veracitatem sermonum meorum: sicut & illi qvibus nondum videtur credibile, ut ego per te Mundo loqvar. 13 Vigila & ora! Ego cœptum in Nationibus Terræ Opus meum non deseram, nec vos Cultores meos, qvorum multi jam etiam de Vestris agnoscere Opus meum incipiunt. 14 Sufficit hodie: tibi ego jam loqvor. *Et venit in mentem cantare ex Psalmo 79. v. 5. &c.*

[NB. *Ad v.* 9. & 10. Concusserat Terræ motus Hungariam mense Aprili hoc ipsô annô, *Posonii. Modræ. Pesingæ.* &c. Maximè notabilis fuit propè *Solnam* ad Vagum fluvium, ubi Mons ingens, totus saxeus, 255 orgyias altus, per medium ruptus, altera parte ad 987 orgyias inde cadente; arboribus cacumine terram illisis, radicibus in aëra erectis, ut ab amicis oculatis testibus facta descriptio, ostendit. *Arcis Strasnicensis* (in Moravia) *armamentarium* fulmine disjectum, duóqve majora tormenta in duobus propugnaculis. Eodémqve die *templum Banoviense* (oppidum itidem in Moravia) fulmine accensum, omnia intus exusta, Turris autem muratæ pars concidit. Alia alibi gesta.]

REV. CCCCLXIII. 4 Octob.

[*Confluxus Gentium ad novam Jerusalem, 1 — 8: & cujus id cooperatione, 9, 10. Danus Operarios Dei retardavit, 11.*]

A *Nocturna prima redormivi inter preces: & vidi me in patentissimo campo, ubi confluebant Exercitus varii, vultibus, habitu, armis, dissimillimi, ad Civitatem quandam splendidissimam, in medio campo sitam, habentem scuta & propugnacula formosissima, fulgidè à sole illustrata.* 2 *Unde cum aliis prodierat Adjunctus quoque meus: quem ego osculatus, cum gaudiis excepi.* 3 *Ut verò appropinquabamus Urbi, sonuit horam undecimam: numeraveram enim.* 4 *Rogabant verò me incolæ Urbis illius, quodnam esset Imperatoris tot Exercituum nomen, sicut & Civitatis illius? quibus respondebam, Cœlos ostendens.* 5 *Quid autem illis fuerim loquutus, nihil meminisse poteram expergefactus: Cantabam tamen:* O admiranda providentia tua, qvi scutò dexteræ tuæ protegis ac servas fidentes tibi animas! 6 *Et mox Dominus (postquam bis ad lectum quiddam crepuerat):* Ne timeas serve mi, fidelis esto & patiens! Jam enim ego convocavi clangore Tubæ meæ Gentes Orbis, concitatas adversus invicem. 7 Ut eas adducam ad Civitatem Sponsæ meæ Ecclesiæ, scuta & propugnacula promissionum mearum habentis, cui serenitas vultûs mei ut Sol affulget. 8 Ecce undecimam jam sonuit horam! unica superest, ultima hora: qvâ convocari volo ultimas Terræ Nationes in Vineam meam. 9 Idqve operâ vestrâ, duorum testium meorum, sicut & multorum aliorum me diligentium cooperariorum vestrorum, qvos nondum nôstis vos. 10 Ut impleatur Domus mea (convivis) è Gentibus me nondum agnoscentibus, cooperatione Ducum exercituum meorum, ab Oriente, Aqvilone, Occasu, & Meridie. 11 Tametsi verò Danus iners ignem meum exstingvere sategit, ne Operarii mei meum opus agerent, sicuti nec adhuc agunt: vos tamen Testes mei gaudete, qvòd non per vos & adjutores vestros stet, sicuti tot labores Vestri testimonio sunt, & erunt in die adventûs mei. 12 *Tu sta in sorte tua, domi te contine, labora, non desereris.*

ANNO MDCLX.

REV. CCCCLXIV. 15 Februarii.

[*Solatium vestrum erit, Mosis exemplo.*]

CUm spiritu valdè anxius ad Dominum clamarem, insonuit vox: *Desine tristari serve mi! non sis melior, nec beatior Mose, fideli servo meo.* 2 *Tractavit post unum prodigium illo filios Israelis educere potuit? annon me & horam meam exspectare necesse habuit, tametsi omnia secundum præscriptum meum ageret?* 3 *Tu fidelis esto, vigila! non est abbreviata manus mea.*

REV. CCCCLXV. 16 Febr.

[*Campana impedite, clarè tamen, sonans.*]

TOtum iterum diem valdè anxius vesperi me reposui, intérqve preces & suspiria indormivi. 2 Et ecce deduxit me Dominus in turrim præaltam, ubi Campana fuit ingens. qvam ego agitabam molestissimè. 3 Sed malleus Campanæ hinc inde fluctuans, non feriebat nisi per intervalla, magno tamen sonitu. 4 Expergefactus, mirabar, visæ rei explicationem expectans. 5 Nihil tamen aliud Dominus nisi hoc: *Hesterni Angores tui convertentur in gaudia.* Et laudavi Nomen DEI.

REV. CCCCLXVI. 17 Febr.

[*Viro vulnerato, & contempto, adhuc auxilium offertur.*]

VEhebar curru Orientem versùs, cum Viris eximiis. 2 Ut autem ad bivium qvoddam delati constitissemus, vidi flumen & in eo Navim, in qva jacuit Vir femoribus nudatis, cruoréqve ac lutô maculatis. 3 Et venit hominum turba, reqvirentes à nobis ut Gubernatorem Urbis nominaremus, qvi eos regeret: illi autem duo jubebant istum in Navi jacentem à me promulgari. 4 Qvod facturus ego cùm inciperem loqvi, ecce ille surrexit habitu splendidô! cui benedictionem denuntiabam, præsentes autem cum gaudio illum excipiebant omnes. 5 Et orabam pro eis, donec evigilavi. 6 Dominus autem ad me: *Jacet Orientalis in contemptu suo: si tamen mandata mea fecerit, provehetur ad locum suum, juxta dudum & nuper denuntiatos sermones meos.* 7 *Tu mihi confide.*

[*v 6. Orientalis*) Racocius indubiè: qvi si adhuc voluisset audire, & seqvi, adhuc paratum fuisse auxilium ostenditur.]

REV. CCCCLXVII. 1 Martii.

[*Mirabilis Visio Gentium Mundi: cum differentia hos Dei sermones receptantium, & rejectantium.*]

REdormivi ante diluculum, inter suspiria, & ostendit mihi Dominus Civitatem magnam, qvam cingebant alti montes & colles. 2 Civitatis autem plateæ repletæ erant hominibus varii generis. 3 Et in Urbis medio elevatum podium, cui ego cum Adjuncto meo insistebam, obambulantes istos intuitus: qvorum alii erant formosâ facie, alii deformes ac tetri, terram tantùm spectantes. 4 Ego verò manu tenens Piscem assatum fartum dimisi manu, qvem Vir honestus tollens præsentibus ostentabat. 5 Mox apertum illum & ipse cum appetitu & lætitia edebat, & aliis impertiebatur. 6 Sed qvorum alii cum appetitu etiam & gaudio vescebantur: alii verò digitis tantùm prensando ad gustum & olfactum nauseabant, abjiciebántqve, abeuntes alii huc, alii illuc, & titu-

titubantes velut ebrii. 7 Qvô visô nos duo, zelóqve adversus ingratos istos ardentes, clamavimus ad istos qvi circa Civitatem magnis agminibus stabant, viri & fœminæ albô vestitu. 8 A qvibus de Turri ista devocati perambulavimus Urbem, reperimúsqve hinc inde viros eximios, de pisce illo à me dejecto consultantes: plena enim sermonum de illo erant omnia. 9 Qvod ego mirabar: qvia me terror etiam ab illorum qvibusdam invadebat. 10 Qvô etiam terrore somno experrectus fui. & ecce diescebat. Ego itaqve ad preces conversus inclamabam Deum, cantu. 11 Qvô finitô dignatus me alloqvi Dominus meus, dixit: *Serve mi, dilecte mi, ecce Mundus Civitas magna, habitatoribus variis repleta, titubat cogitationibus suis! ignorantibus seipsos plerisqve.* 12 *Multi sunt faciem tantùm humanitatis habentes, fame laborantes sine me Vita cibo, propter eos assato.* 13 *Dejecisti tu cum Adjuncto tuo de alta Judiciorum meorum Turri piscem assatum, cibum meum: & ecce, permulti sunt, qui admirabundi labore vestrò grati utuntur, optantes alios qvoqve me noscentes de pabulo hoc participare.* 14 *Alii verò sunt qui digitis tantùm, non ore prensantes, omnia hac manuexcutiunt, propriâqve cum ignominiâ famelici manentes, non vobis dilectis meis, sed sibi, nocent.* 15 *A qvibus terror em etiam, mentísqve turbationem obvenire vobis, novi egò: Vos tamen mihi soli confidite, promissionibúsqve meis.* 16 *Subvenite recipientibus sermones meos, contemnentes autem contemnite.* 17 *Nam ecce Opus meum procedit in facie terræ! in resurrectionem bonis, me desiderantibus; & ruinam me & laborem vestrum contemnentibus.:* 18 *Ecce gladius meus, & gladius Gedeonis, jam evaginatus est! ad exscindendum terrâ contemptores meos, me unicum Dominum suum cum liberrimo opere meo nosse recusantes.* 19 *Metimete, me, ô vos filii hominum, dum tempus est, quod postqvam transierit semel, aliud in æternum non habebitis ullum.* 20 *Surge, consigna hæc, & mitte dilectis tibi mihiqve amicis.* 21 Ego igitur laudavi nomen DEI, decantando Psalmum 46.

REV. CCCCLXVIII. 11 Martii.

[*Langvor fidei in Adjuncto.*]

VIdi Adjunctum meum langventem, lectulo decumbentem: qvem confortare volens, aromata parabam. 2 Expergefactus verò audivi vocem: *Langvet fide, conforta illum.*

REV. CCCCLXIX. 14 Maji.

[*Dolium gentium jam effunditur.*]

CIrca mediam noctem ostendit mihi Dominus diruptum Dolium, cujus circuli dissilierant: & ecce exciderunt pisces, partim vivi partim mortui. 2 Mihi verò in mentem redibant Nationes terræ, qvas contra

Gog & Magog se effusurum minatus est Dominus. 3 Et Dominus ad me: *Jam ego Nationes adversus invicem concitavi, vident id oculi omnium. 4 Tantummodò criminatores mei non vident, excæcati ultimis sermonibus meis.*

REV. CCCCLXX. 15 Maji.

[*Ædificium ruinosum, cui succurri non potest, Domus Racoci, 1. &c. Michael Laslo, 4.*]

C*Um diesceret, redormivi inter suspiria ad Dominum: & vidi Ædificium ingens, lacerum, ruinam undiqve minitans.* 2 *Cui succurrere volui cum multis, sed frustra: ut lamentaremur.* 3 *Expergefactus cum pavore, commendabam me Deo, decantans etiam Psalmum* 12. *& hymnum ad Spiritum Sanctum.* 4 *Incidit qve cogitare* Michaelem Laslo, *qvi nomine Dei Principi nuntiarat, ad Pentecostes festum fore cum castris circa Budam: & nondum audiri.* 5 *Tum Dominus:* Serve mi, Verba mea vera & æterna sunt, si modò Princeps cum aliis voluntatem meam, dudum Verbo meo revelatam, nuper autem per Vos testes meos renovatam, facere voluisset. 6 Sed incrassatum est cor populi hujus: habent me Dominum, qvem non timent; & Patrem, qvem non colunt. 7 Sed figmenta cordis sui tantùm seqvuntur una cum Consiliariis suis, nec sibi nec Dominis suis consulere gnaris. 8 Eòqve ipsi causa sunt, non ego, qvòd verba mea adhuc emanent. 9 Tu autem ne mireris! Non est modernus Mundus melior illô, qvi fuit tempore Noa servi mei. 10 Amon ille Arcam extruendo venturam contestabatur iram: qvâ ego qvicqvid halitum vitæ habuit delevi de Terra, ut tibi ante hac etiam loqvutus sum. 11 Ecce, ecce jam seipsos perditum ibunt habitatores Terræ, in conspectu Angelorum & Hominum. 12 Nullum exitum consiliorum invenient tamdiu, qvamdiu non illud inchoabunt Opus qvod ego mandavi pridem, hac etiam in Terra. 13 Experti jam sunt, & experientur, qvid illis inobedientia attulerit sua. Tu me seqvere, vigila, ora. 14 *Orabam ergò etiam Psalmi* 20. *decantatione, qvorsùmqve præsens tumultus in Hungaria evasurus esset cogitabam (Ascendebant enim Cæsareæ Legiones in superiorem Hungariam, in auxilium Racocio: qvarum una uno à nobis milliari ea die pernoctabat, magno terrore nostro)* 15 *Et Dominus:* Initia hæc sunt dolorum Hungariæ.

[Mirabile, censuráqve Ecclesiæ & posteritatis dignissimum, istud Michaelis Laslo factum. Miles is fuit sub Racocio, gregarii ordinis: qvi (post Racocium à Principatu mandato Turcæ depositum, inqve locum ejus Comitem Radai electum) morbô correptus domum redeundi licentiam impetravit, & post dies aliqvot langvore confectus diem obiisse creditus fuit, paratusqve sepulturæ. Sed cùm ad exeqvias convenissent vicini sui, habitatores istius pagi, notârunt pectus ei calere nonnihil adhuc, sepulturam itaqve in crastinum distulerunt: sicut & postridie, & sic per octiduum (nullô aliâs vitæ indicio): tandem tamen sepeliendum decernunt. Sed ille nocte sepulturam præcedente resurgit, Georgio Racocio se nomine Dei singularia habere nuntianda narrat, ad eum in

castra deduci (per duo grandia milliaria) postulat, & deducitur. Re cognitâ, admittitur, præsentibusqve Cancellario, Aulæ magistro, & aliis, mandata sibi divinitùs data recitat; *ut Princeps animosè in Turcam arma capessat. Excitaturum esse Deum auxilio illi Moscorum Imperatorem, qvi vere futuro magno cum Exercitu venturus, Constantinopolinqve obsessurus sit: qvo eodem tempore Princeps suo cum Exercitu Budam (Hungariæ metropolin) ut petat, ipsis Pentecostes diebus expugnandam.* Hæc ille flexis genibus postqvam recitasset, surrexit, Deum laudans qvod sibi mandata exseqvi dedisset. Factum id mense Octobri, anno 1659. Qvomodo autem exceptum? Incertum est qvomodo à Princepe & Aula: nos certè perplexi fuimus (perscribebatur enim ad me etiam in Belgium) qvid sentiendum esset, postqvam mandata hæc non videri contraria illis, qvæ per Drabicium dabantur, non poterant. Princeps tamen fortassis credidit, illis potiùs qvàm Drabicianis; qvia illa, non hæc, seqvutus & egit. Mox enim & Principatum (invitô Turcâ) vi recepit, & se auxiliis contra Turcam instruens ad armorum societatem Hungaros, cum Rege suo, sollicitavit. Videtur & Drabicius credidisse istud cum Michaele Lassio prodigium divinitùs esse factum. Deus tamen hic non aliud asserit, qvàm (1) *Sua verba, per Drabicium qvoqve prolata, vera esse,* v. 5. (2) *Seducere seipsos qui figmenta cordis sui seqvuntur; Consiliarios nec sibi nec Dominis suis consulere gnaros,* v. 7. (3) *Eosqve sic agendo perdituros iri,* v. 11, 12, 13, 15. Unde colligi posse videtur, ludibrium satanicum fuisse illum Lassai morbum, mortem, resurrectionem, vaticinium, cùm nihil horum evenerit: nec Moscus scilicet cum exercitu comparuit, nec Racoci Budam vidit, nec armorum ejus successus ullus, interitus potius ipsius Principis, conseqvutus, ut mox videbitur. Seductus ergo per hæc fuit Racoci, æqvè ut olim Achab per Sedechiam & socios, 1 Reg. 22. 11. Eheu terribile Dei judicium! qvod operatio erroris mittatur ut credant mendacio, qvi non crediderunt veritati, 2 Thess. 2. 11. 12. Eô igitur loco habendum hoc existimo, qvo Genevensis pueri ecstases, Christinæ ecstasibus à satana oppositæ: ut supra.]

REV. CCCCLXXI. 19 Maji.

[*Princeps Transs. & Suecia Rex cur ceciderint.*]

V*Enerat interim rumor de conflictu Prin-*
cipis cum Turcis: super qvo tristis fui,
recogitans Jonam Med. 2 *Et Dominus:*
Dudum ego Principem, & Terræ hujus
Proceres, præmonitos volui: sed qvid
præmoneri juvat, dum audire nolue-
runt, æqvè Princeps atqve Rex Sve-
ciæ. 3 Qvorum infortunii culpa pe-
nes qvem est? non penes me, nec pe-
nes vos testes meos, sed penes ipsos,
& Consiliarios suos. 4 *Qvibus ego au-*
ditis, angorisqve plenus, orabam Deum
cum effusis lacrymis, ut Potentibus illis det
cor, ut ad se reversi Deum loquen-
tem audirent. 5 *Et Dominus:* Etiam
hoc scribe in tuum, & mihi confiden-
tium, usum.

REV. CCCCLXXII. 22 Maji.

[Cæsareani Hungariam, ut sepulchrum suum petunt.]

IBant novæ aliqvot Legiones Cæsariani Exercitûs in Hungariam, qvos cum cogitaveram dixit Dominus: 2 *Jam liqvescere incipit Australis Sol; noluit Princeps inchoare prius.* 3 *Hi tamen cum confusione redibunt, sepulchrum eorum Hungaria erit.* 4 *Ego enim Opus meum persequar.*

REV. CCCCLXXIII. 29 Maji.

[Domus Austr. ardere incipit! Racociana perit! Judicia & oracula Dei non intelliguntur nisi completa.]

A *Matutinis precibus redormivi: Et ecce Turrim prealtam, cum lacero & carioso fastigio, cui ego ante annos aliqvot ignem injeceram, sed ardere noluit, nisi hoc demum anno.* 2 *Et tametsi Incendium exstingvere laborarent, non tamen potuerunt, donec exusta essent omnia.* 3 *Ego autem terrore expergefactus clamabam ad Dominum, protectionem hîc in Terra orans, ubi Templa Evangelicis densè jam adimere incipiunt.* 4 *Et Dominus Deus ad me:* Præalta illa turris Domus Austriaca est, in qvam ego per te ignem injeci verbis meis, ruinam illi denuntians cum posteris suis. 5 Qvod tametsi multi legerunt, non tamen credunt: ecce autem hôc jam annô ardere incipit, exuretúrqve iste semivivus cum Consiliariis suis. 6 Nam torrens judiciorum meorum ut ignis volvit se: advolvétqve etiam ad Mulierem illam nudam, cum qva scortati sunt Populi Terræ, id qvod tu etiam spectabis. 7 O si Princeps cum aliis auscultasset voci meæ in iis qvæ ego RACOCIANÆ Domui, ego inqvam Factor eorum, dudum mandabam! Jam hucusqve Judæi & Turcæ à Vobis servis mei baptizati fuissent. 8 Sed ecce Princeps audire maluit Consiliarios pravos: à qvibus seductum esse, jam videt Mundus. 9 Tu mihi confide! neqve vana hominum judicia de te & his rebus, qvæ nunc non humanô arbitriô, sed voluntate meâ fiunt, mirare! 10 Vos enim hoc intelligere non potestis, donec peracta fuerint: tum autem me & sermones meos veraces esse agnoscetis. 11 Cogitatis Vos per me stare, qvòd res aliter qvàm denunciavi procedant, sed videbitis mea tempora aliter procedere. 12 Tu meo ductu acqviesce, non desereris. 13 Ab Adjuncto tristia accipies: sed tu persta & sermones meos ne erubesce! 14 Vigila & ora! audio ego & exaudio clamores Vestros.

[*Ad v. 5.*] Vix Oculos clauserat Racoci (ex vulnere, in conflictu cum Turcis accepto, Varadini mortuus) mox Jesuitæ impetratô superiorum consensu Templa invadunt, Pastores expellunt, Plebémqve carceribus, fustibus, aliisqve vexationibus, ad religionem suam acerbè cogunt: nullum jam sub cælo esse qvi Protestantibus in Hungaria opem ferre posset, persvasi. Id qvod videns qvoqve huic gemitus & clamores expressit: cùm non deessent qvi illi, & Adjuncto, non absimiliter atqve populus Israel in Ægypto Mosi & Aron, objicerent: *Fætere nos fecistis coram Pharaone, ut præberetis ei gladium ut occideret nos* (Ex. 5, 21.)

Deus autem hic & illic servos suos solatur. v. 13.) Nam Adjunctus suo qvoqve loco variè à variis (qvòd Drabicianis vaticiniis nihil nisi adversarii exacerbentur, afflictionesqve augeantur, objicientibus) contristatus, non potuit qverelas istas non referre ad Drabicium: Deus autem repetitis de sermonum suorum veracitate promissionibus eos erectum ibat, hic & in seqventibus.]

REV. CCCCLXXIV. 17 Junii.

[*Solatia Divina iis, qvi has Revel. publicaverant.*]

V*Idi congregationem Ecclesiasticorum, sed valdè discordem, unoqvoqve suum qvid agente, ut me misterasceret.* 2 *Hortabar itaqve ad resipiscentiam: qvam tamen monitionem meam alii suscipiebant placidè, alii ferociebant magis, ut zelarem tantò magis.* 3 *Dominus verò meus ad me:* Ergò tu saltem confide mihi, verbisqve meis cœlô & terrâ firmioribus innixus, à tuis & meis illusoribus ne pavesce. 4 Atqvi meam voluntatem, non vestram, executi estis, omnes qvi Tibi & Adjuncto in projiciendo zeli mei lapide inter Populos terræ, auxiliô fuerunt. 5 Ad contestandum zelum meum adversus Idololatras & Errones, tam claro ut à nemine factum à tempore exorti Antichristi, Papæ Romani. 6 Meam dico non vestram fecistis voluntatem: qvod ego meum esse opus contestabor, videbitis. 7 Nihil ergò meos & tuos Calumniatores formida! protexi ego Eliam, Danielem, Johannem, & Petrum, eadémqve mihi adhuc est potestas: tantummodò mihi & nomini meo date honorem, exspectantes fidenter auxilium meum. 8 Impegi ego multis jam in mentem sermones meos, ut expendendo illos efficaces agnoscant contra errores. *Vigila & ora.*

[*Ad v.* 1) Qvi omnia videt, videt disgregatas congregationes per omnes variè dissectæ Christianitatis sectas, remediaqve omnibus qværit projecto inter omnes zeli sui lapide (v. 4) Utinam agnoscamus divini hujus zeli scopum salutarem!]

REV. CCCCLXXV. 22 Junii.

[*Cur promissiones Dei, etiam Racociis facta, mutentur.*]

D*Iluculò ostendit mihi Dominus Orbem Terræ, cum Incolis suis variorum vultuum, habituum, gestuum: qvibuscum tractabamus, ego & Adjunctus meus, Librum Dei tenentes manu.* 2 *Expergefactus orabam pro Habitatoribus Terræ, & juniore* RACOCIO. *Dominus verò ad me.* 3 Noli mirari serve mi, res in Mundò ita nunc administrari à me, qvasi ordine retrogradô. 4 Non meâ fit culpâ, sed Creaturæ meæ: quæ nec Me, nec Se, nosse vult, eóqve semultis implet doloribus. 5 Abeunt Reges & Principes, abiit Princeps meus qvoqve, non conspectô sermonum meorum complementô: qvia eos non ut divinos excipiebant, contemnebant potiùs, etiam cum Consiliariis suis. 6 Hæres & tu circa Verba mea olim prolata, Coronæ Regni Hungariæ me inscripsisse

RACOCII EST.

Inscripsi, & delere possum, si etiamnum DOMUS RACOCIANA

non

non faciet qvod Majoribus ejus mandavi, sine respectu jam ad Homines. 7 Succurrite illi adhuc, tu cum Medniano. adhuc tempus est. 8 Scribe hæc mea verba, nihilqve sermonibus filiorum hominum turbare.

Rev. CCCCLXXVI. 11 Julii.

[*De Rege Franciæ cur nondum impleta.*]

A *Matutinis precibus dixit ad me Dominus:* Mihi & sermonibus meis crede, non sermonibus filiis hominum, qvi vana loqvuntur, labiis dolosis circumvenientes alii alios. 2 *Et venit cogitare Regis Galliæ, etiam non esse factum qvod prænunciatum fuit, ut fieret Imperator.* 3 *Et Dominus:* Etiam ibi non sunt excepta verba mea fide, sed consilia Meretricis audita, & eorum qvi clamare consveverunt, Domus Austriaca, Domus Austriaca! 4 Nonne Jesaias qvoqve clamare debuit: qvis credidit prædicationi nostræ: Et brachium Jehovæ cui revelatum est? 5 Nec igitur tu criminatores cura, qvorum plenus est mundus; Væ, Væ, Mundo! finis ejus appropinqvat! 6 Tu qvæ scripsisti, meo jussu scripsisti: ideo Calumniatoribus nihil responde, qvi sermones meos mendacii arguunt; sed ego istos sermones suos illorum impingam gutturi, Felini etiam. 7 *Et cecini Psalmum* 83.

Rev. CCCCLXXVII. 19 Julii.

[*Solatia testibus Dei, variis contradicentium strophis turbatis. Racovi adhuc, 161*]

F *Ui per ecstasin in Domo ampla valdè, plena lamentorum; ubi patrem Lanetium vidi obambulantem, consolavitqve lustrantem.* 2 *Adjunctus verò meus parabat fundum Dolio cuidam magno, ut occludi posset, circumcircinans illud: qvod multi tacitè spectabant, capitibus tantùm nutantis.* 3 *Ego autem Domo illâ egressus, consedi sub fenestris, plorans eosqve subauscultans.* 4 *Et verò ad me redit sensus spiritus valdè tristem, coram misericordiam.* 5 *Et Dominus:* Serve mi, nihil responde illis, qvi vanis judiciis suis sermones meos, tibi propter plorantem Mundi domum dictos, contempserunt, & contemnunt. 6 Mea enim hæc est causa, & non Vestra, qvam ego in facie Terræ ago contra Creaturam meam, eam in agnitionem Viæ, Veritatis, & Vitæ, deducendi desiderio. 7 Tu tibi ne patere à qvoqvam excuti ea, qvæ à Patre meo (qvem tibi imagine Lanetii exhibui) per me accepisti, tum visione tum auditione. 8 Nam ecce qvæ tu ex me audivisti verba Vitæ sunt! qvæ tu mundo in testimonium scripsisti. 9 Apud me reposita est merces vestra, Testes mei, non apud homines. 10 Mitte Adjuncto qvæ his diebus ex me audivisti; nam ille ad me Deus, Deus, Deus mi, clamat, sicut & tu clamas: & Ego vos audio. 11 Zelate pro Me, non pro Vobisipsis. 12 Melius est veritatem non agnovisse, qvàm agnitam blasphemare, viasqve meas per Testes

meos

meos detectas suspicionibus involvere.
13 Ego enim novi & scio omnia: & mihi est cura Vestri, qvi me (donô meô) in Viam, Veritatem, & Vitam, recepistis. 14 Si in eo perseveraveritis, vobis benè erit, sin, vobis malè: Ego justificabor per sapientiam Patris mei, qvem & Vos patrem esse vestrum creditis. 15 Nunqvam testes mei calumniatoribus erant vacui; sed si malè fuistis loqvuti, perhibeant testimonium de malo. 16 Scribe hæc, & refer ad Mednianium, ut adhuc succurratur Domui Racocianæ: *Qua ego verba miratus, cecini Psalmum* 76.

REV. CCCCLXXVIII. 25 Julii.

[*Sermones hi Dei non propter sapientulos, qui se iis non indigere putant, sunt, sed propter Nationes convertendas.*]

O*Rabam protectionem à Calumniatoribus meis: Et Dominus*; Mihi tantùm fide! 2 Aggrediar ego Criminatores tuos à tergo: sicuti aggressus fui eos qvi jam sunt in loco silentii. 3 *Ego verò cogitabam, Quid isthùc esset* à tergo? *Et Dominus*: Erga me illi blandè se habent à facie, sed sermonibus meis per te prolatis terga obvertunt. 4 Qvi tamen non propter illos in speciem religiosos, sed propter Orbem Terrarum in tenebris adhuc hærentem, prolati sunt. 5 Ideò ego illos qvoqve à tergo adoriar, donec eos in locum silentii deducam: tu mihi soli servi. 6 *Oravi ergò Deum ut illis resipiscere daret! & Dominus*: Malè erit, non tibi sed illis. 6 *Tu vigila, & ora!*

REV. CCCCLXXIX. 27 Julii.

[*De iis qvi Opus hoc Dei non agnoscunt, aut dissimulant, hominum metu.*]

D*Iluculò redormivi (peractis precibus) tristis: vidiqve me in Domo, ubi stabat Vir, qvi me manu prehensum solabatur, dicens*: O Betulæ, ô Betulæ! 2 *Expergefactus cogitabam quid istic esset: & Dominus*, O Betulæ, Betulæ, Vos filii contumaciæ, qvi apud Vos & alios sermones elevatis meos! 3 Occultè coram Me, apertè verò coram Mundo, eos abnegantes, ut securitati consulatis Vestræ. 4 Sed ecce, ostium sic aperitis ad Vos spectandum! ut qvales sitis erga Creatorem Vos alloqventem, & erga Vos invicem, homines videant. 5 Ecce videbit oculus Vester, qvid isthuc allaturum sit Vobis: & qvid operatura sit Dextera mea in protectionem mihi obseqviosorum, confusionem autem Vestram illusorum, non Me, sed homines respectantium. 6 Tu patiens esto, & fac officium, plus mihi attendens qvàm hominibus; & Mihi fidens soli, non hominibus. 7 Domi mane, nusqvam exeas, donec tibi qvid facto sit opus indicavero. (Cogitaveram enim ex oculis osorum meorum me transferre aliò) 8 *Et laudabam nomen Dei decantato Psalmo* 146.

REV. CCCCLXXX. 25 Aug.

[*Nationes Terræ ad Creatorem suum redibunt apertè & confessione.*]

VIsus mihi sum distribuere frumenta viris, qvibus de ultimis Mundi temporibus loqvebar: præsertim qvòd 17 Aug: Dominus dixisset, *ultimam esse horam ante judicii diem.* 2 Et arreptô calamô scripsi sangvine (tametsi sangvinis gutta calamo elabens chartam commaculasset) *magnis characteribus*,

JEHOVÆ EGO SUM!

3 *Expergefactus cogitabam, qvid isthuc esset, veniebátqve in mentem per Prophetam prædictum esse, futurum ut qvilibet manu suâ scriberet* Ego sum Jehovæ (*Jes.* 44) 4 *Et Dominus ad me:* Ita fiet ultimis temporibus, ut Nationes nomen confiteantur meum, qvi adhuc per vasa mea clamo; 5 Venite ad me Fontem aqvarum viventium, ut Vobis benè sit ó Populi! anteqvam Sol gratiæ meæ Vobis, Creatura mea, occumbat. 6 Surge, scribe verba hæc.

REV. CCCCLXXXI. 27 Sept.

[*Protectio Videnti promittitur.*]

FUi in hominum turba: venítqve Rex cum gladio, qvô ictum intentabat mihi, sed nihil me læsit. 2 Expergefacto dixit Dominus: *Multi sunt qvi tibi insidiantur, sed ne metue, Ego te protegam, domi mane.* 3 Et laudavi nomen Dei.

REV. CCCCLXXXII. 2 Octobr.

[*Omnes, per Omnes Terræ nationes, in unanimitatem reducendi.*]

ERam cum Adjuncto inter Viros eximios, *qvorum aliqvi mecum, aliqvi cum illo, sermonem habuerunt*, De moribus Ecclesiæ primæ, candoréqve ac simplicitate eorum: *ut nobis jucundum esset illis colloqvi.* 2 *Mox mihi allatæ fuerunt Epistolæ, qvas legi cum admiratione: & Dominus cùm evigilassem.* 3 Fidelis esto! Ego opus facio in facie Terræ, ut Vos filios hominum reducam in unum spiritum obedientiæ meæ, in Nationibus. 4 Satis tu cum Adjuncto fecisti Racocianæ Domui & Genti Hungarorum, tametsi apud eos omnia frustra. 5 Tu vocaberis, qvò & voluntate meâ ibis: ubi te, sermonésqve meos, gratiùs excipient; Labora, etiam in Rupe! 6 *Et cecini, Adjuva nos Deus salutis nostræ* (*Psal.* 79 *v.* 9)

REV. CCCCLXXXIII. 15 Octobr.

[*Informatio de incredulis, aut debili fide hos Dei sermones excipientibus.*]

CUm manè invocarem Dominum, dixit ad me: *Indormi dilecte mi, ostendam tibi singularia.* 2 Et mox fui in campo, cum multis notis & ignotis mihi: qvorum unus (sed cujus faciem non vidi) prehendit humeros meos à tergo, atqve ita compressit, ut evigilarem. 3 Cùm verò horrore adhuc orarem, *Domine Jesu subveni reliqvis, vivis adhuc, sed destinatis ad mortem:* respondit Dominus, *Angelus meus apprehendit te, ut mihi sis fidelis sicut Jacob fuit.* 4 Et laudabam Dominum, protectionem implorans ab Adversariis. 5 Iterum somno mersus, vidi multos mihi notos, vivos & mortuos (etiam Joh. Fel:) alios aliis mentem suam scriptò explicantes, epistolásqve illas mihi ostentantes. 6 Qvibus consilium dabam, *ut Deo & ipsius Verbo attendentes, rationem suam voluntati ac sermonibus ejus submitterent.* 7 Cùm evigilassem, miratus, qvòd ita seipsos invicem accusassent, dixit Dominus:

[*NB. rhytmicus est sermo, quem verbotenus reddam, tametsi alicubi forsan propter verborum transpositionem duriusculè sonabit.*]

8. Esto tu in me, & Ego in te,
sicut obligati sumus nobis,
9. Ut fide habites in me,
& corde me cum Patre diligas,
10. Dilectione Spiritûs mei,
tibi gratis ex nobis dati,
11. Fidem habens mihi Vobis loqventi,
& Vos qvoqve diligenti,
12. Dilectione in Patre æterno,
Vos ante secula electos.
13. Credite Me Dominum esse Vestrum,
locum habentem in eo Cœlo,
14. Ubi est Corona Vitæ,
Vestráqve nobiscum Unitas,
15. Nunc in Fide & Charitate sancta,
nobiscum in spiritu vinculô ligata.
16. Ego sum Alpha & Omega,
Vos mecum ad Patrem ducens,
17. Ductu Spiritûs sancti,
Paracleti veri:
18. A qvo estis illuminati,
& agnitione donati,
19. Non tantùm seculi præsentis,
sed etiam futuri.
20. Ubi sunt habitacula multa,
omnibus qvi credunt in Me,
21. Et ex fide illa me diligunt,
obseqvia reipsâ præstando,
22. Nihil judicando præposterè,
in contemtum mihi Domino suo.
23. Tametsi sensus non sufficiant,
nec plenè percipiant
24. Sensum sermonum Verbi mei,
Vobis ex ore meo prolati:
25. Dummodò Vos in me solum,
pro Vobis intercedentem,
26. Corde totô recumbitis,
confusi non eritis.
27. Sicut coram Angelis meis
(qvi propter me Vos diligunt,
28. Et Vos fideliter custodiunt,
in infirmitatibúsqve confortant)
29. Ita coram Patribus sanctis,
mecum jam habitantibus.
30. Huic Vos qvoqve habitationi para-
arma mea induite, (te vos,

31. Puritatem animæ & corporis:
Credendo id firmiter
32. Vos non iri elusum,
sed iri adductum
33. Die mortis & resurrectionis
ad mensæ meæ accubitum.
34. Mecum in æterna æternitate
plenâ omnium abundantiâ,
35. Secundùm mea promissa
dudum Vobis annuntiata.
36. Ecce Amen Amen dico Vobis,
credentibus in me Vitam dabo.
37. Neutiqvam in judicium ibunt,
sed per mortem in Vitam transibunt.
38. Surge, scribe hos sermones meos,
ultimô seculô prolatos, (tanqvam)
Amen.

39. *Qvibus ego auditis, gaudiiqve in Domino plenus, roborari petebam, ne qvid horum excideret.* 40 *Repetebat igitur Dominus omnia: & ego scripsi omnia.* 41 *Hallelujah, Hallelujah.*

REV. CCCCLXXXIV. 16 Oct.

[*Consilium ultimo Racociorum, de adhuc servando se, & Patria datum, 5. Felinus, 10.*]

S*Eqventis diei manè iterum factum est Verbum Domini ad me.* 2 Ecce ego Dominator terræ furorem iræ meæ per te dudum denuntiatæ, effudi super Domum Racocianam, & Hungaram gentem, propter inobedientiam vocis meæ, per Vos illis clarè patefactæ! 3 Sed qvam credere noluerunt seducti ratiociniis suis, consiliisqve humanis, qvæ ego jam conturbavi in oculis filiorum hominum. 4 *Qvibus ego auditis cogitare capi, Annè adhuc rebus perditis consilium esset? orabámqve pro Hungaria.* 5 *Et Dominus:* Adhuc succurrite ultimo illi de Racociana Domo, si adhuc audire velit. 6 Dum verò cogitarem, Per qvem? Dominus, Vos estis duo, tertius Jon. Med. Nolite homines metuere, in me potestas est ad protegendum Vos. 7 Faciat FRANCISCUS qvod non fecerunt Pater & Avus! Scribat ad Turcam sermones meos, promittátqve satisfactionem de rebus Transylvanicis. 8 Aliud non est medium, hoc autem successurum experiemini. 9 De Vobis mala sunt apud Austriacos conclusa consilia. 10 *Cùm verò an hæc Præfecto arcis communicanda essent, cogitarem, respondit Dominus:* Affectus ejus erga te corruptus est argutiis Felini, Viri vanæ gloriæ, in qvem jam direxi sagittas meas. 11 Placere ille qværit (Tibi & Adjuncto contemptum parans) Polono illi, ob descripta per te Gentis illius facinora (qvam ego attrivi, necdum finis est) tibi infesto. 12 Tu adi Mednianium (protectióqve mea tecum erit) & repete illi omnes sermones meos, ad Domum Racocianam, prolatos: *& labora in rupe.*

REV. CCCCLXXXV. 17 Octobr.

[*Consilium iteratur, cum iterata promissione.*]

C*Ùm dormire non possem, exclamavi circa secundam à media nocte,* Deus, Deus illumina vultum tuum, consolare tristem animam meam! 2 *Et Dominus:*
Esto

Esto patiens, & scribe qvæ dudum os meum de perdendis Nationibus Terræ, hac etiam Hungarica, loqvutum est. 3 Ventilabrum meum in manu mea esse, securimqve arbori appositam, ut qvod plantavi eradicem; sicut alibi ita etiam in hac Terra, propter non observata mandata mea, superioribus & inferioribus facta. 4 Tu ad Mednanium ito, illiqve adhuc esse tempus significato. 5 Si enim Domus Racociana cum Incolis Terræ adhuc ad mentem redibunt (ut emoveant hâc è Terra Idololatras, violatores Legis meæ & Libertatum Terræ hujus, qvod jam vident oculis suis ipsimet) 6 Qvis scit annon pœnitebit me Jehovam hujus mali, ut non penitùs veniant super Terram hanc omnia, qvæ per te denuntiavi. 7 *Feci ergò qvod jussus fui, itineriqve me dedi (24 Octob. fluvio Vago rati vectus Trencinium usqve, reliqvum itinere pedestri) protectionem Dei expertus reipsâ. Illi gloria.*

[*Ad Rev.* 484. 5—9, & 485. v. 2—6) Admirabilis Dei clementia patientiæ juncta! Post frustra inclamatos annis 16 Racocios, & sublatos ob inobedientiam tres eorum, adhuc gratiam offerri eandem qvarto & ultimo, si ad se redire, jussáqve facere vellet: cum certi successûs promissione, v. 8. Jussus paulò pòst Videns formulam etiam literarum ad Turcam denuò præscribere (Revel. DXIII. v. 2 &c.) Qvia verò frustra omnia hæc, mirabimurnè si tandem alienigenis executione permissâ Hungaris Væ suum, toties denuntiatum, venit?]

REV. CCCCLXXXVI. 6 Nov.

[*Videns captivandus solatia audit, de hostibus Ecclesiæ perituris: aqvisqve tribulationum transituris.*]

I*Ndiciis mihi certis factis, captivandum esse me, non Domi mea pernoctabam, sed apud Virum nobilem G. W. Bilski, sub arce proximè.* 2 *Experrectus manè invocabam Dominum; qui me solatus*, Non desertum me, neqve opus suum, dixit; sicuti qvæ de inobseqviosa Racociana Domo loqvutus fuisset impleta jam sunt, ita reliqva impletum iri. 3 *Addidit:* Parumper expecta! Exturbabo ego mundò LEOPOLDUM, aqvas turbantem cum Consiliariis suis! exscindetur brevi. 4 Atqve tùm (tùm dico ego Terræ Dominator) finis erit dominationis Domûs Austriacæ, nec unqvam in æternum redibit gloria ejus. 5 Nam ecce judicia mea procedent in Terra, supra qvàm sperare aut intelligere potestis Vos filii hominum. 6 Ecce in me est protectio Vestra & solatium Vestrum, Cultores mei: qvæ tu exspecta & scribe. 7 *Rogabam ergò (admirabundus super ista) utnè obliviscerer: & Dominus repetiit omnia, ego verò scripsi.*

8 Peractâ scriptione reposui me, & redormiens vidi me per clivos præruptorum montium periculosissimè incedere: sed postqvam tandem in planum descendi, vidi magni alicujus diluvii superamenta, arbores eversas, lapidésqve & saxa disjecta, ut ægrè transilire possem. 9 Veni tandem in Domum desertam, vasa vacua habentem varia, qvæ mirabar, simúlqve ad me reversus Domini mei vocem audivi: 10 *Aqvas, variarum tribulationum aqvas, transivistis Vos mei, & transibitis.* 11 *Apud me, apud me scientia & robur: scribe hoc etiam ad tibi mihiqve dilectum.* 12 Super qvæ verba illacrymans ego surrexi, & hoc superioribus adjeci.

REV. CCCCLXXXVII. 8 Nov.

[*Hungaria Exercitibus obruenda. Francisco Racoci adhuc gratia offertur, 7, 8. Calumniatores horum, 9.*]

PErturbaverat me Confratrum unus sermone suo (Lucas Cales) frustra me apud J. M. fuisse, & qvòd præstitisset domi sedere: qvod cùm expergefacto noctu in mentem rediret, invocabam Deum testem, me non temerè id fecisse, sed suo jussu. 2 Et redormiens vidi me in Domo, ubi Hungarorum multi erant congregati: ad qvos ingressi Viri qvidam, nuntiârunt Exercitus Orientales & Septentrionales advolvere se, & jam propè abesse, hortando ad arma Ungaros. 3 Qvi sese proripientes, in Capitaneum sibi elegerunt juniorem Dsbanovium (cui nuperrimè apud I. M. omnia ad Racocianam Domum facta Domini mandata recensueram) 4 Ego verò in campum egressus, Exercitus istos contra invicem venientes vidi, terroréqve evigilavi. 5 Et sentiens me spiritu angustari, clamavi ad Dominum; subibátqve recordari, Principi avo mandatum fuisse, ut Opus inchoaret priusqvàm Sol Australis liqvescere inciperet. 6 Dominus verò me alloqvutus dixit: *Multa Exercituum aqva hanc in Terram venient, ut ferendo non sit, concitabuntúrqve ad bellum Hungari.* 7 *Ad qvem nuper epistolam dedisti* (26 Octob: nempe ad Steph. Dalmadj) *reddita est, loqvetúrqve ille Principi Francisco de te verba bona.* 8 *Princeps autem si dejectô materni metûs jugô, vocabit te, ibis, at non sine J. Med: si & ille consilia mea seqvi volet, fulciet dextera mea te servum mi.* 9 *Calumniatores tui, domestici & extranei, spiritu falsitatis afflati, non patiuntur sibi persvaderi, ME ÆTERNUM tibi loqvi, habentem arcana judiciorum meorum in ME IPSO (cum PATRE & SPIRITU) ab æterno abscondita: qvid, ubi, qvando, & qvomodo, fieri necesse sit sub Sole meo, ad finem usqve seculi.* 10 *O infelices humanæ ratiocinationes! asseqvemini finem Vestrum, sicut alii multi jam asseqvuti sunt. Væ Mundo propter scandala!* 11 *Tu verò in me recumbe, cum aliis qvi vocem Tubæ meæ diligunt.* 12 Ego autem (post personalia qvædam à Domino prolata) redormiens, vidi Canem in me irruentem: qvem rictu prehensum tenui, ut me non posset mordere (imò rictum ejus jam aperiebam, jam claudebam) donec intra manus meas evanuisset. 13 Dominus verò ad me: *Ecce Criminatores tui! dentes caninos ut sagittas & hastas in te acuentes! qvorum rictum ego discerpam. Ego non alius, ut veniant in locum silentii.* 14 *Vos mihi confidite! Tu autem sive hic, sive domi, sub protectione mea maneas, perinde est. Surge, scribe ista!* 15 Scripsi ergò, cantans Psalmi 119 literam Jod: ad preces verò cum familia explicandum habens Caput 11 ex 2. ad Corinthios, mirabar Apostoli de se & criminatoribus suis sermones. 16 *Judica me DEUS, pravásqve cogitationes hominum emenda!*

REV. CCCCLXXXVIII. 17 Nov.

[*Qvid Racociana Domus ad hæc factura sit expectandum.*]

ANxius spiritu (*super adversarios domesticos, minásqve hostiles*) *clamabam ad Dominum, factúmqve est ad me Verbum Domini mei à noctis medio horâ secundâ.* 2 Fidelis esto mihi, ut ego tibi! Mihi semper fuit, & est, potestas conterendi inimicos meos, eripiendiqve cultores meos de manu oppressorum: 3. Sicut eripui Eliam de manu Achabi & Jesabel (illum permittendo sagittâ feriri, hanc devorari à canibus, exturbatam fenestrâ) 4 Æqvè id possum hodie, faciámqve ut Transylvania fiat desertum. 5 In Domo FRANCISCI RACOCII, jam de te sermo est: qvod te certiorem faciet Dalmadi, cujus verba recta sunt, ut & Topossii: tu mihi innitere. 5 *Ego igitur orabam, ut superbos sedibus dejicere vellet Deus: mœroris tamen plenus indormire non potui usqve ad dilúculum.* 6 *Ibi autem cùm me oppressisset somnus, vidi me inter Viros, à qvibus mutuatus pecuniam, chirographum adornabam.* 7 *Sed unus eorum D. L. de G. (vultu rotundô ita mihi exhibitus, ut eum tametsi nunqvam corpore visum, inter mille agniturus essem) exsurgens, dixit:* Absqve chirographo etiam tibi credo. 8 *Mox evigilavi; & ecce splendor qvidam illuminavit Cubiculum meum totum, benèqve longam moram ita stetit, ut mirarer & delectarer.* 9 *Dominus verò ad me:* Mihi tu confide! providebitur tibi supra captum adversariorum meorum & tuorum, qvos Ego à tergo adoriar. 10 Tu ea qvæ à Domo Racociana venient præstolare, sicut & ab Adjuncto. 11 Protectio mea tecum est, ut hucusqve fuit: Me time, potentia mea in infirmitate tua & Vestra, perficietur. 12 *Celebravi ergò nomen Domini cantu Psalmi 117. &c.*

REV. CCCCLXXXIX. 19 Nov.

[*Leopoldi Archiducis mors prodromus Leopoldo Cæsari. Causa hæc Dei est, humano patrocinio non egens,* 7.]

SEcundâ *post noctis medium redormivi, & fui in Domo magna, ubi varii hominum erant, me sibi commonstrantium: qvorum alii favorabiliter de me, & ad me, loqvuti, alii torvùm spectantes sannas exhibebant, qvod dolenter ferebam.* 2 *Ut verò expergefactus Deo me commendabam, decidit super cistam ad lectulum meum sinciput Porcinum, è paxillo solutum: qvod cùm nescirem qvid esset, esséqve aliqvid mali ominis metuerem, respondit Dominus:* 3 Ecce jam cecidit, jam cecidit, infelix radix Domûs Austriacæ, populum affligentis meum, LEOPOLDUS! qvem seqvetur semivivus iste. 4 Sed Væ Mundo, Terrisqve me irritantibus! huic etiam Hungarorum Terræ, si consilia mea aspernari perrexerint. 5 Tu tibi attende, domô ne egredere! mala enim in te consilia cudunt. 6 *Ego igitur laudabam Deum, Psalmum decantans LXXV.* 7 *Qvô finitô Dominus addidit:* Nihil tibi sit negotii cum Criminatoribus tuis! causa hæc mea est.

REV.

REV. CCCCXC. 25 Novemb.

[*Convivium mysticum*, 2-8. *Ecclesia Bohemica restituenda, sed quâ conditione.* 9-14.]

CUm denuò tristis inter gemitus obdormirem, conspexi mensæ cum aliis accumbentem Adjunctum: quos eminus spectans, vidi ante se habere Libellos duos, quos conferentes convenire dictabant. 2 *Adjunctus verò exemptô è sub mensa Pane candidissimo, monstrabat accumbentibus me, dicens: Ubi dilectus iste meus habitat, abundantiam habent panis purissimi, etiam pro nobis remotis.* 3 *Frangensqve panem istum distribuebat inter eos: qvi acceptantes manducabant cum gaudio, me respectantes amanter, de qvo lætabar.* 4 *Expergefactus autem orabam Deum benedictionem super labores nostros: atqve ut nos, Gentésqve omnes, deduceret ad se, ad vescendum nobiscum pane æternitatis, & fruendum Vitâ gloriæ.* 5 *Vix orationem finivi, & Dominus:* Vos filii hominum, ex parte tantùm in hac mortalitate Vestra manducationem illam panis, panis vitæ æternitatis, intelligitis. 6 Sed posteaqvam Vos hinc eductos eò deduxero, unde exivistis, ut videatis ME, & PATREM meum, in SPIRITU gratiæ & veritatis, cum illis qvi jam accumbunt Mensæ meæ agminibus innumeris, ibi Vos demum agnoscetis, plenéqve perfruemini me supersubstantiali pane. 7 Nunc id ex parte solùm fit, mediante pane ministeriali, sine visione mei: deinde verò facie ad faciem. 8 *Qvibus ego peccator auditis, exclamavi cum lacrymis*, Amen, Amen, Veni ô dilecte Domine Jesu! 9 *Simúlqve incidit eorum recordari, qvæ Dominus (anno 1657. Oct. 2.) de Imperio & Electoribus loqvutus fuit: & an restituendi essemus.* 10 *Ad qvæ Dominus*, Restituemini: at non voluntate Domûs Austriacæ, sed voluntate atqve cooperatione Incolarum Imperii. 11 Reducti autem nolite scindi, ut antè fuit factum, sed estote spiritu unanimes, in cordis simplicitate atqve sinceritate: habentes non tantùm nomen sed & veritatem, vitæ ac doctrinæ meæ. 12 Ex qva majorum veritate multi Vestrûm jam exolevistis, vanâ sui opinione, contemtûqve simplicitatis meæ, qvam verbô & exemplô docui. 13 Tu ergò cum Adjuncto cogitate, ut cum aliis Vobis conjunctis Cultûs mei Ordinem restituatis ad formam priorem: utnè memoria Operis mei in Majoribus Vestris penitùs exolescat. 14 Hæc sunt, qvæ hodie significata volui tibi: Tu aitere mihi, non verò mortalibus hominibus, apud qvos nihil non mutabile est. 15 *Qvæ ego verba expendens cecini è Psalmo* CXIX, *literam* PE (a ✠. 130, ad 136.)

REV. CCCCXCI. 27 Nov.

[*Mira sub decursum anni* 1660 *prænuntiantur.*]

POst matutinas peractas preces, loqvutus mihi Dominus fuit de immutabilitate sermonum suorum, *de qva etiam Angelus ad Mariam fuisset loqvutus.* 2 *Addebat*, Hoc etiamnum decurrente anno (1660) mira se passim in facie Terræ patraturum, juxta scientiam potentiámqve suam: qvod rescies, *in-*

inqviebat. 3 Omnibus enim sub sole rebus principia & fines dare, meum est, & erit in æternum. 4 Permittite Vos mihi, testes mei, ego retribuam, dicit Dominus: tu me imitare. injuriásqve commenda mihi. *&c.* 5 Medonianius variè distractæ mentis est: cùm vocabitur, tu te illi adjunge, solus ne abeas. 6 Audio ego gemitus precésqve Vestras, Cultorum meorum.

[Ad v. 2.) Erant prodigiosi venti ac procellæ, subvertentes ædificia, arbores, sylvas integras: Naufragiáqve per omnes propemodum Europæ portus innumera, qvibus Deo potentiam suam, iramqve testari placuit Mundo.]

ANNO MDCLXI.

REV. CCCCXCII. 28 Januar.

[*Viduus fugere prohibetur: Deo confidere cum Adjuncto jubetur.*]

C*Ogitabam iter peregrè: sed expergefacto mihi manè, & oranti, dixit Dominus*, Recordare illius, Non tentabis Dominum Deum tuum. 2 Mane domi & scribe Adjuncto, vasi meo, me mihi illum testem elegisse, ad Nationes Terræ, qvibus scribat, mihi verò confidat, non confundetur. 3 Scias etiam tu serve mi, neminem esse qvi vos rapiat è manu mea: acqviescite Vos tantùm ductu meo, non humano ductu. 4 Liberabo ego te è manu perseqventium te: tantummodò mihi obseqvere. 5 *Qvæ ego verba per tenebras Cistæ inscripsi, cretâ.*

REV. CCCCXCIII. 14 Februarii.

[*Similis argumenti. Provisor. Iterum fuga prohibetur.*]

TRransactâ valdè angustatò spiritu nocte, indormivi manè, & vidi me in Campo, ubi Doliorum magnus erat numerus, majorum & minorum, unum autem vastissimum: sed omnia inania, qvæ mox ab oculis disparuêre meis. 2 Experrecto mihi dixit Dominus: *Serve mi, evacuabo ego Nationes de Terra, alias per alias, magnum etiam illud Dolium Austriacæ Domûs, cum ultimum ejus fuleris, qvi nihil jam vetti consiliis suis inveniunt.* 3 *Tu meo ductu acqviesce! ego tibi malitiam Provisoris immisi, propter non servatum abstinentiæ votum* [Voveram Domino, annum hunc me sine vini usu transigere velle. in gratiam tamen illius biberam.] 4 *Pœnitebit illum facti, quæretque reconciliari* [factum, misit ad me &c.] 5 *Ego* autem cogitabam secedere qvopiam, ex oculis osorum; Dominus autem: *Nusqvam eas, domi tacitè age, conversationem fuge.* 6 *Mihi potestas est conservandi te, sicut illos antiqvos servos meos: & sic obstruas ora insipienter obtrectantibus tibi.* 7 *Nic. Gerr. malè te ad tibi Adjunctum commendat, sicut & alii: sed tu mihi fide.* 8 Ego autem (cantu Ecclesiasticô) patientiam mihi exoptabam.

REVEL. CCCCXCIV. 15 Febr.

[*Similis argumenti. Felvaj. Mednianus.*]

IN*dormivi manè; allataqve mihi erant epistola ceu Diplomata, majusculis characteribus scripta, de qvibus Dominus.* 2 Serve mi, ostendi tibi Vocationem Tui, & Adjuncti; Tu vota solve, plus mihi qvàm hominibus conversatus. 3 Ego causam MEAM & Vestram, tanqvam Omnipotens Deus, peragam in Terræ Nationibus: solatia tua venient tibi. 4 Jacobus Felvaj (*NB. Junioris Racocii Viennæ Legatus*) immedicabile vulnus inflixit Domui Austriacæ. 5 Jon. Medn. perturbatus est super insaniam Provisoris qvi in te sæviit: qvod te non latebit. 6 Tu homines cave, domi te contine. mihi in occulto servi: Pater meus, & Ego, videmus etiam in occulto. 7 Vovi ergò votum Deo, velle domi sedere, ut me Mundus ignoret.

REV. CCCCXCV. 21 Febr.

[*Comitia Imper. Ratisbona ac Ulma*, 3, 5. *Rex Gallia*, 4. *Adjunctus adhuc trepidans*, 6.]

C*Um à precibus matutinis mastè spiritu essem, alloqvutus me Dominus & Deus meus zelosus, & mihi valdè solabilibus verbis, dixit:* 2 Confide tu, unà cum aliis me diligentibus Cultoribus meis, æternam apud me potentiam esse implendi omnes, antiqvas & novas, promissiones meas: Méqve ante ultimum meum ad judicium adventum actionem habiturum cum Nationibus Terræ. 3 Ecce Ratisbonæ habere parant Conventum Imperii incolæ, clanculùm ea inter se agitantes consilia: ego autem Cordium scrutator de Ulma sum loqvutus. 4 Adjunctus succurrat habitatoribus Imperii, qvorum (id scire) interesse novit: promoveátqve reliqva etiam sermonum meorum in lucem, tum propter Galliæ Regem, tum propter Nationes Terræ, ut voluntatem meam postremò Mundi ævo clarè detectam faciant. (5 Ibi. ibi. Vos etiam duo Testes mei, juxta priùs ad Vos factum sermonem meum comparebitis.) 6 Illius Epistolas ne mirere, qvibus vacillare videtur, Egonè sim tibi loqvutus nec nè? nam habet multos qvi vanis judiciis suis mentem ejus distrahunt. 7 Sed ita jam ab antiqvo eveniebat diligentibus me: idqve à sapientibus & prudentibus seculi, à qvibus ego dona mea abscondidi. 8 Mihi confidite, & in æternum non confundemini: qvi aures habet ad audiendum audiat! 9 Tu meam voluntatem fac, ut os obstruas desipientium hominum, tibi gratis contumelias inferentium. 10 *Qvibus ego auditis, laudabam nomen Domini cantu Psalmi* 146.

REV. CCCCXCVI. 22 Febr.

[*Comminatio domui Aust. Hispano, Papæ.*]

S*Uspirabam, ut veritatem denunciatorum per me (Vermiculum suum) formandum in lucem deducere velit Dominus, etiam Psalmô, qvi in mentem veniebat XXI.* 2 *Ut cessavi, dixit Dominus:* Mihi fidite, virtus mea in infirmate vestra perficietur. 3 Nam ecce ego, ego, mira hoc anno agam cum Nationibus Terræ! etiam illis de qvibus nominatim loqvutum est os meum. 4 Nempe Domo Austriaca, Arundine fracta Hispano, & Titione ambusto Papa. 5 Ecce enim Austriacæ Domûs Consiliarii sine consilio jam sunt, propter disturbationem eorum meam: qvicqvid occipiunt, sine successu est. 6 O tu infelix abortus! Tu ostium gloriæ Domûs Austriacæ claudes! cujus Domûs radices in Hungaria fuêre; nec Hispanos, nec ulla fulcimina, ruinam tuam continebunt. 7 O Vos Operarii mei, Aqvilonares, Orientales, Occidentales, qvomodo hucusqve dormitis? & dormitis Vestro malo: qvod malum non effugient Australes qvoqve, irruente in eos Turcarum potentiâ. 8 Sed intelligere id Mundus hunc usqve in diem non vult, propter cordis duritiem. 9 Vos autem mei Cultores, superiores & inferiores, mihi confidite, qvi irrita feci & facio consilia filiorum seculi. 10 Nam ultima hora jam est in oculis meis & Angelorum meorum: qvos Angelos meos ego in cûstodiam Vestri & rerum Vestrarum, ô Cultores mei, emittere soleo. 11 Estote mihi fideles usqve ad mortem, & dabo Vobis coronam vitæ, à Patre in Me vobis paratam. 12 Tu sta in sorte tua, & ab hominibus tibi cave, periit enim justus de Terra. 13 *Ego igitur tradidi me precibus.*

REV. CCCCXCVII. 24 Feb.

[*Inter evellendas radices duas grandes, Hispanus & Papa. Dominatus Austriacus qvinqve fariam dividendus.*]

L*Ucescebat, cùm Ego à suspiriis indormivi, & me cum multis in Campo vidi, ubi homines ignoti mihi gramina evellebant radicitùs.* 2 *Venitqve ad nos Vir, ostentans mihi Radices duas ingentes, perticarum longitudine, magnitudine autem & colore sibi similes: ut nobis admirationi esset, evelli potuisse.* 3 *Redditus mihi cogitabam qvidnam hoc sibi vellet? & Dominus ad me.* 4 Eruncabuntur zizania doctrinarum & opinionum vanarum, qvibus impleta est Terra, errantes autem moneri se amplius non patiuntur. 5 Duæ verò istæ magnæ Radices sunt Rex Hispaniæ, & Papa Romanus; qvorum potens dominatus jam ad finem venit apud me, & in consilio meo, qvi sum Dominator Terræ. 6 *Qvos ego sermones miratus, momentò rursum indormivi: & me cum multis in Horto vidi, ubi erat ARBOR DEJECTA, radicibúsqve jam & ramis destituta.* 7 *Qvam ego intuendo mensus qvoqve sum, qvotnam ex illa exscindi possent Trunci: nec plures qvinqve posse, vidi.*

8 *Expergefactus cogitabam qvid isthuc portenderet; & Dominus:* Vidisti apud me, & à me, jam eversam Austriacæ Domûs Arborem, jam frondibus suis spoliatam, jam radicibus nudatam: cujus Potestates & Dominatus qvinqvepartitò dividentur. 9 Regnum Hungariæ dabitur illi, cui illud jam dudum assignavit os meum: tametsi enim super illum iram effudi meam, preces tamen Cultorum meorum fulciunt eum, si non perget obniti. 10 Alteram partem, Moraviam & Silesiam, accipiet Brandeburgicus, ut antè dixi. 11 Tertiam, Regnum Bohemiæ, accipiet Electoris Imperii filius N. N. 12 Qvartam, Stiriam & Croatiam; Turca. 13 Qvinta pars, non hæreditaria, Imperium Germanicum, cedet Regi Galliæ, in qvem id honoris conferre decretum esse mihi, jam antè significavi. 14 Hoc est qvod significatum tibi volui hodie: Vigila, ora, patiens esto, nusqvam exi donec vocaberis.

[*Ad v. 11. NB. NB.*) Ita manu scriptum Drabicii habet, nominis loco, NB. NB.]

REV. CCCCXCVIII. 28 Febr.

[*Scaturigo philanthropia Dei obturari non patitur.*]

ITerum à precibus manè redormivi; delatus in Hortum in cujus medio Puteus fuit, limpidissimæ aqvæ plenus. 2 Et venerunt homines varii ordinis, Ecclesiastici & Politici, consultantes qvomodo Puteum illum aqvis privarent, & perderent, supernè & infernè illum aggressi. 3 Verùm infernè nihil poterant, propter scaturiginum profunditatem: sed supernè qvidam Viri neqvam, vultu tetrô, injiciebant fimeta; alii paulò formosiores, crepidinem putei diruendo lapides deturbabant. 4 Qvod ego dolenter ferens maledicebam eis, ut præ fervore evigilarem. 5 Dominus autem mox ad me: *Vani, & mente corrupti, homines, longinqvi & propinqvi, conantur ratiociniis suis, deliriisqve ac dolosis sermonibus & scriptis, scaturiginem Aqvæ vivæ, meæ ergà filios hominum dilectionis, dudumq; & nuper manifestatæ, ut Omnes in me unum sint, corrumpere ac obruere.* 6 *Sed tu cum aliis mei amantibus nihil id cura: attingent isti jam metam suam, dic mihi non vobis noto.* 7 Cecini ergò Psalmum 79. v. 9. ad finem.

REV. CCCCXCIX. 4 Martii.

[*Reges, Principes, Ecclesiastici, si non compescunt blasphematores horum Dei sermonum, compescentur ipsi.*]

D*Iluculò alloqvutus me Dominus dixit:* Novi ego convitiatores Vestros, ô testes mei, sed irritum fiet consilium eorum: æterna in me est potentia, & robur, ad servandum Vos. 2 *Cogitanti verò mihi, Annum aliqvê concedendum tamen esset mihi, respondit Dominus:* Domi te in silentio contine, donec J. M. domum redierit: redibit enim ille ad primam simplici-

plicitatem. 3 Præcipitabo ego vi-
perinam istam progeniem in foveam
iræ meæ, qvod oculus tuus cum aliis
videbit. 4 *Et cecini Psalmum XVIII:*
illóqve absolutè in somnum relapsus, vi-
di DOMUM pulchrè dealbatam, & in
illa Lucem ardentem. 5 *Circa Domum*
verò homines variarum Nationum obam-
bulantes, judiciáqve de Domo & Luce
ejus ferentes: alii sincera & vera, alii
perversa & ludibriosa. 6 *Qvod ego*
cum cordis mei dolore tuli, videns Reges,
Principes, Ecclesiasticósqve viros adesse,
nec tamen qvenqvam convitiatores istos in-
crepare. 7 *Cœpi ergò ipse, magnò fer-*
vore Spiritus eos alloqvutus, dissertare:
Qvisnam Rex Regum, æternitatis
insidens throno, sit; & de æterno
ac immutabili ejus consilio, poten-
tia, voluntate. 8 Et qvales etiam
Reges ac Principes Terræ esse opor-
teat: non cæcos, non surdos, non
mutos, sed videntes & audientes, ju-
diciúmqve cum misericordia sine pro-
sopolepsia exercentes. 9 *Qva tantâ*
vocis contentione egi, ut somnô excussus
meipsum mirarer, decantarémqve Psalmum
secundum. 10 *Qvô finitô, Dominus lo-*
qvi orsus est his verbis: Ecce ego, ego
sum Dominator Cœli & Terræ, Ma-
risqve! nomen Immortalitatis habens,
Victor Mortis & Inferorum, Princi-
písqve tenebrarum diaboli. 11 (Qvi
effudit aqvas iræ super Mulierem &
Filium ejus, qvia novit tempus bre-
ve sibi esse, ad seducendum Gentes
apud seipsas sapientes, qvibus caligo
tenebrarum servatur in æternum.) 12
Ecce ego insideo throno Patris mei &
Vestri, qvi novistis vim nominis mei!
commoturus jamjam Cœlum, & Ter-
ram, & Mare, & Abyssos ejus: qvas
Vos abyssos neqve videtis neqve in-
telligitis. 13 Commovebo autem id-
cò, ut deluam habitatores Terræ, qvi
non noverunt nomen meum, qvod est
super omne nomen: 14 Ut nemo
Vestrûm qvi in me creditis, & Pa-
trem meum in spiritu & veritate ho-
noratis, pereat, sed vitam gloriæ ac-
cipiat. 15 *Qvibus ego auditis ploravi*
totô corde; orans pro illis qvi adhuc cre-
dituri sunt in Dominum Jesum. 16 *Ubi*
Dominus denuò: Serve mi, scias ultimam
adesse horam, eradicandi Zizania ad
comburendum, Triticum autem con-
gregandi in Domum æternitatis meæ.
17 Qvod supra captum Intellectûs ve-
stri, ô filii hominum, fieri jam incipit,
procedétqve per totum Terrarum Or-
bem: qvod nè unus qvidem de mille cre-
dere vult, aut intelligere valet. 18 Vos
autem, qvi nomen meum novistis, mi-
hi confidite! capita erigite! spiritum
ne exstingvite! ne tacete! sed auden-
ter clamate, jam adversus contem-
ptores meos, & Patris mei, Spiritûs-
qve gratiæ, Infernum aperuisse os su-
um, ubi Vermis eorum non morietur,
neqve Ignis exstingvetur in æternum.
19 Surge, scribe, cautè age, ad tem-
pus usqve illud qvô vocaberis, & benè
tibi erit. 20 *Ego igitur cantu invocabam*
Salvatoris gratiam.

[*Ad* v. 17.) Attendite contemptores simul atqve admiratores sermonum & operum Dei! En character vobis datur, unde Divinitatem horum agnoscatis! Motus Europæos processuros per totum Terræ orbem, ad renovandum omnia.]

REV. D. 5 Martii.

[*Babylonis ruina qvomodo à seculari brachio, & qvomodo ab Ecclesiasticis peragenda*: 1 — 6. *Destructores Babylonis amici Christi*, 7. *An omnes à veritate aberrantes damnentur*, 8.]

I*Terum ad me Verbum Domini factum est diluculò: posteaqvam Dominus mihi catervam Operariorum, serris Trabes in longitudinem dissecantium, ostendisset.* 2 *Reversus enim ad me orabam pro Operariis Dei, secularibus & spiritualibus, donec vasculum figlinum ad lectulum mihi decidens, & confractum, me exterrefaceret.* 3 *Ubi Dominus*: Ecce cadet, cadet, potentia Domûs Austriacæ, Hispani, Papæ, ut Terra tremiscat! 4 Qvia tempus propinqvat ut impleatur Vox mea, per dilectum Discipulum prolata, Cecidit, cecidit Babylon mater scortationum, & abominationum Terræ. 5 Tantummodò Vos testes mei ne tacete, sed succursum ite, mandatò meò, Potentibus Terræ! 6 Illi ut ferrò & flammâ, Vos autem Ecclesiastici (qvi me nostis, & nomen meum invocatis) corde, ore, calamò, pugnetis: Me, & veritatem sermonum meorum, antiqvorum & modernorum, nihil erubescentes. 7 Ille enim est meus pater & mea mater, meus frater & mea soror, qvi facit voluntatem Patris mei per Me Vobis manifestatam. 8 *Mihi autem cogitare venit: Qvia tot sunt per Terræ orbem homines, qui variorum errorum tenebris oppressi salutis viam ignorant*; Annè igitur omnes in universum damnabuntur? *Orans ut Deus illuminare tales, & in viam reducere vellit errantes: addensqve orationi cantum Psalmi* 56. 9 *Ubi Dominus*: Mihi soli id notum est, qvinam ex ignorantia & carnis infirmitate peccàrunt, & peccant; & qvinam rursum ex obstinata cordis duritie. 10 Ideò dixi versatus in Terra, & dico jam insidens Throno, Servum qvi voluntatem Domini sui novit, & non facit, percussum iri plagis multis: qvi autem non novit, minus. 11 Mihi ergò judicium hoc relinqvite, qvi injuriam nemini faciam: Tu verò te ipsum mihi committo, infirmitas tua in me perficietur. 12 *Laudabam itaqve nomen Domini cantu Psalmi* 117.

REV. DI. 8 Martii.

[*Puchoviensium castigatio.*]

A Matutinis precibus indormiens vidi homines lætabundos, qvod mihi mæsto gratum erat: expergefactúsqve cecini, *Succurre nobis Deus salutis nostræ* (ex Psal. 79.) 2 Ubi Dominus: *Nuptiarum apparatores videbis, post hebdomadas septem cognosces plura, audiesqve vindictam meam super Puchovienses.*

[NB. Septem hebdomadis pòst evenerunt qvædam, sed privata sunt: præterqvam qvod oppidi Puchoviani pars incendiò periit, Domus 42, & Horrea 24: Deus det illis pœnitentiam!]

REV. DII. 10 Martii.

[*Mundus credere non vult, Deum esse qui contra Babylonem (tertium jam in seculum) clamat.*]

D*Iescebat, & vidi Viros egregios de rebus & factis hominum, Ecclesiasticorum & Politicorum, judicium ferentes: quos ego intuitus etiam non tacui, sententiam interponens meam: nec deerant, qui adstipularentur.* 2 *Cùm ad me redii, respondit Dominus*: In me est merces pro labore vestro, qvô tu etiam fungeris ad subveniendum Terræ Nationibus de tenebrarum fovea. 3 Ecce ego sum, qvi personam hominis non respicio: nec accepto munera, qvia ex me sunt omnia. 4 Ecce anno hoc, 1661 infernus aperuit os suum, ad absorbendum eos qvi contumeliâ affecerunt & afficiunt me, sub sole. 5 Scito autem in Aula Racocii tui esse memoriam: qvô ibis cùm jussero, ad initium faciendum Operis de qvo dudum apertè loqvutus sum, per te & tibi Adjunctum. 6 Qvos ne commiserascite, tanqvam à me devotos! 7 Ecce ego in tertium jam seculum inclamavi sedentes istos in errorum tenebris: sed noluerunt Potentes audire me, nec Vulgus intelligere, me esse qvi clamabam. 8 *Qvò ego auditò suspirabam, cantu Ecclesiasticô &c.* 9 *Dominúsqve iterum*, Miraberis ea qvæ hinc & inde venient, qvomodo Visca mea Opus meum operabuntur, contra omnium (Politicorum) rationem status, & consilia. 10 *Tu ora &c.*

REV. DIII. 15 Martii.

[*Fœnisecium Nationum, ad perdendum Idololatras.*]

LUcta mihi fuit cum adversariis, qvibus in nomine Domini Jesu devictis, deambulabam per hortum, fructus decerpens maturos, Uvas etiam. 2 Indéqve progressus cum multis, veni in Pratum jam jam desecandum, sed defuerunt Fœnisecæ: meo autem capiti imponebatur eleganter ornatus pileus. 3 Qvod ego miratus ad me redii, & Dominus ad me: *Appropinqvat Vindemia fructuum, fœnisecìumqve Nationum, aliarum per alias, ut pereant de Terra Idololatra, cum variis erronibus aliis.* 4 *Et quanquam ira mea nubila undiqve surgunt, pleriqve tamen nihil horum intelligunt.* 5 *Tu tibi attende, omniáqve sic eant ad Ortum & Occasum, Septentrionémqve & Meridiem, quomodo dudum jam Os meum per te loqvutum est.* 6 *Væ istis meis & Vestris, testes mei, criminatoribus, accipient mercedem!* 7 Ego verò ad preces matutinas sacrô apertô codice, incidi in Caput 49 Jesaiæ: qvod perlectum solatio mihi fuit in mærore meo.

REV. DIV. 22 Martii.

[*Plaga Dei venient, alia super aliam. Piorum qvisqve Pellam sibi circumspiciat, etiam Jonas Mednianszky.*]

I*Terum factum est ad me verbum Domini, dicendo*: Serve mi, Congregantur, consiliáqve habitatores Terræ ad Ortum & Occasum, Austrúmqve & Aqvilonem, ineunt, qvomodo iram declinent meam. 2 Sed ecce ego Dominator Terræ, mittam plagam super plagam, percutiámqve impios virgâ oris mei, juxta pristinos sermones meos, per te qvoqve prolatos. 3 Qvos sermones ego vestri etiam causâ, filii lucis (qvi me, noménqve meum novistis) renovo. 4 Ut simplices sitis tanqvam columbæ, & prudentes ut serpentes, qværendo sibi qvisqve maturè Pellam, conservandæ vitæ suæ: donec procellæ transiverint furoris mei. 5 Dudum ego inclamavi Gentes: sed ecce incrassatum est cor eorum! Potentum etiam & sapientum in Populo, & qvi propiores me esse volunt. 6 Qvod tamen tu nihil cura, sed verba mea loqvere, sive illi audiant, sive non audiant: apud me est, & erit, merces tua, pro labore qvem mandatò meô sustinuisti, & adhuc sustines. 7 Dic Mednianio, illi qvoqve umbrâ fore opus, à volvente se super Terram hanc procella; protegiqve apud vos posse, si maturè sermonibus attendet meis, machinamentísqve hostilibus. 8 Tu vigila, ora, & hæc illi indica! 9 *Qvod feci, his ad eum 25 Martii missis: sed ille (ab aliis tunc turbatus) parvi se facere consilia hæc, respondit.*

REV. DV. 23 Martii.

[*Dominus patientiam exemplô suô docet, 5. Gentes castigaturus alias per alias, 7: licet hoc nemo intelligere velit, 8.*]

O*Stendit mihi Dominus Atrium, ubi ego sedilia cum aliis disponebam, assignando qvem qvisqve occupare deberet locum, & qvid cantandum esset.* 2 *Cantabam qvoqve cum eis Ps.* 22, Deus mi Deus mi, cur me dereliqvisti? *ut inter cantandum evigilarem.* 3 *Expergefacto verò dixit Dominus*: Serve mi, apud me est merces tua, hujus & futuræ vitæ, juxta pristinum sermonem meum. 4 Non clam me est, qvæ vos duo testes mei perfertis ab istis apud seipsos sapientibus, sed nihil id miremini. 5 Ecce ego in mea veneram, & mei me non exceperant: me voracem, vini potorem, dæmoniúmqve habentem, appellantes. 6 Brevi vos videbitis qvam ego retributionem criminatoribus vestris dabo: mihi confidite, & accipietis solatia, cum illis etiam qvi vos & operam vestram recipiunt. 7 Nam ecce ego adhuc ultimâ Mundi ætate contestor, me nolle mortem peccatoris: eróqve vobiscum justificatus, illi verò inexcusati, cùm exscindam gentes alias per alias in facie Terræ velociter. 8 Qvod nemo filiorum seculi, de superioribus vel inferioribus, vel credere vel intelligere vult. 9 Tu autem

sta in sorte tua. domíqve tacitè sedens
mihi servi in occulto: & ego Cœli, Ter-
ræ, Marisqve potens retribuam tibi,
& Vobis cultores mei, in propatulo,
spectantibus Angelis & hominibus. 10
*Qva postqvam ego per tenebras in Tabulam
cretâ notavi, cantabam ex Psalmo* 80 *qva-
dam: Dominus verò addidit*, Dilecte mi,
Asperè ego causam meam in facie terræ
agam, sicuti Mosis tempore. 11 Nam
ut me in Terra conversantem ab infan-
tia mea asperè tractârunt, ita hucusqve
procedunt in cordis duritie. 12 Brevi
ego irrisoribus Vestris os obturabo: tu
Mednianio nihil amplius scribe, donec
ad te venerit. 13 *Mox indormivi, & vi-
di Consiliarios Domûs Austriacæ, cum habi-
tatoribus Imperii sedentes, qui de Domo illa
solio suo deturbanda consultabant: ad me
etiam provocando.* 14 *Ut verò ad me redii,
dixit Dominus:* Brevi tibi veniet informa-
tio à Septentrione, Ortu & Meridie:
tu tacitè age, & omnes istos sermones
meos Adjuncto mitte. 15 *Et orabam
non dereliqvi.*

REV. DVI. 29 Martii.

[Nullos in causa sua labores æstimat Dominus, si non fiant cum fide, & cordis simplicitate, 10.]

EXhibuit mihi Dominus Viros, inter quos
J. Felinus erat. *mecum de Providen-
tia Dei disputantes.* 2 Felinus *verò ex
hoc cœtu egressus conscendit currum, & pro-
fectus à nobis incidit in profundum via, ut
Currus frangeretur, ille ex oculis disparêret;*
3 *Cùm evigilavi, dixit Dominus:* Abibit
ille sicut prædecessor suus (itidem incre-
dulus) 4 *Iterúmque, postqvam Psalmum*
38 *decantâssem:* Agam ego causam me-
am in facie Terræ, sicuti Mosis tempo-
re, & qvum ipse in terris versans per-
seqvutiones passus essem. 5 Ecce nunc
etiam asperè procedent res meæ: sed
ego Convitiatoribus tuis os obturabo.
6 J. Med. torqvet se, sermones meos ra-
tione suâ etiam dimetiri qværens. 7
*Cùm verò inter hæc obdormiissem, vidi Incolas
Imperii congregatos, & de Cæsare dignitate
deponendo consultantes, ad me quoque provo-
cando.* 8 *Moxqve mihi redditus audivi
Dominum dicentem:* A tribus Mundi pla-
gis informationem accipies, tranqvillè
tantummodò age, non desereris. 9
Adjuncto scribe, Cogitationes Viásqve
suas mihi esse notas: qvisqvis Vos tan-
git, pupillam Oculi mei tangit. 10
Ego tamen nullos labores Vestros meâ
causa, opéqve meâ, subitos æstima-
bo, si fidem & cordis simplicitatem non
retinueritis. 11 Ecce meliùs foret viam
Veritatis non agnoscere, qvàm in ho-
minum gratiam, eorúmqve metu, re-
cidere. 12 Possum ego absqve Vobis
esse: vos autem sine me nihil potestis,
nec poteritis in æternum. 13 Apud
me Judicium est de bono & malo: tan-
tummodò qvòd expecto, qvomodo qvis
in Opere bono perseveraverit. 14 *Et
scripsi ista, laudans Deum.*

REV. DVII. 2. Aprilis.

[*Messis Dei adest: Messores ne parcant labori.*]

VIdi (à matutinis precibus) congregari frumenta, melioris generis in horrea, seqvioris in acervos: qvod ego miratus ostentabam præsentibus. 2 Qvi qvum me de Concione habenda rogarent, habui eam tantâ sermonis contentione, ut evigilarem. 3 Ubi Dominus: *Charos ego habui priscos testes meos propter labores eorum: habeo & nunc omnes operam in commune conferentes.* 4 *Volo igitur ut adjutent colligere triticum meum, de agro Mundi in æternitatis horreum: quia maturescunt segetes, & instat messis, sicut ostendi tibi.* 5 *Vos tantummodò messores mei ne parcite labori, falces oris & manuum adhibentes ad eos, qvos ego jam de tenebris in lucem evocatos volo.* 6 *Tu mihi confide, & à hominibus cave: veniet adhuc tempus ut operam tuam poscant, apud me verò est robur & scientia tua, dummodò Vos cor & animum inclinaveritis ad me.* 7 *Sermones meos ne occulta ab Ostrozicüs, Petrocio & Eleschazio, (Baronibus Hungaris) eisqve cum J. M. adito:* non sine illo. 8 Et laudavi Deum cantu Psal. 146.

REV. DVIII. 6 Aprilis.

[*Non sapiet Mundus nisi plagis oppressus. Vienna.*]

DIe jejunii mei. & post preces meas, dixit Dominus: *Audio ego clamores tuos & aliorum cultorum meorum vindictam* (clamantium). 2 *Mihi vindicta, ego retribuam dicit Dominus.* 3 *Noli mirari filios seculi, filios contumaciæ, qvi sunt petra scandali: non sapient illi nisi ubi eos ira mea furor oppresserit, sicut Sodomam & Gomorram subversione, in Angelorum & Hominum conspectu.* 4 Qvibus ego auditis ad preces redii, cogitans, *ubi illud esset futurum?* & Dominus: *Viennæ, & ad Viennam.* 5 *Ibi consedit robur Bestiæ, sicut & Praga: ubi condemnatio facta est Cultorum meorum, sangvisqve fusus.* 6 *Tu patiens esto, homines cave. Puchoviam ne adito.* 7 *Cùm Tabellarius venerit, ne tristator: apud me est merces Vestra qvi diligitis me.* 9 *Scribe hæc, quæ os meum locutum est tibi modò!*

REV. DIX. 12 Aprilis.

[*Domus Ecclesiæ vacua, jam undiqve implenda, 1 — 3. Lux Angelica præsentiæ, & solatii, 4, 7. sola hominum incredulitas turbat opera Dei, 8, 9, 10.*]

P*Ost peractas manè preces invasit me somnus, & vidi Domum amplissimam, recumbens in eadem super lectulum: de qvo surgens lustrabam Domum, vidíqve Conclavia multa, sed vacua, in uno tantùm sedebat Principissa, fœmina lectissima.* 2 *Non autem contristabat me illa conclavium vacuitas: qvia mihi dilecti aderant amici, tametsi neminem de facie nossem, præter unum Fr. Calesium.* 3 *Reversus ad me audivi vocem:* Dilecte serve mi, ostendi tibi Domum meam terrenam, qvæ est Sponsa mea Ecclesia. 4 Vacua adhuc illis qvi introduci debent, juxta sermones meos pristinos, nuper per te repetitos: Iudæos etiam, & Turcas, alióſqve multos Deum ignorantes populos, me agnituros, & se sponsæ meæ dilectæ aggregaturos,

gaturos, qvò tu qvoqve cum aliis istos nunc adhuc errantes introducetis. 5 Ne igitur nega operam tuam Tu cum Adjuncto illis, qvi Vos vocabunt: induens calceamentum obseqvii mei. 6 *Hac vox postqvam conticuit, vidi Cameram meam collustrari svavissimo lumine, vocémqve aliam audivi inusitatam*: Ecce Vocem clamoris tui, & aliorum audimus nos, tibi protectioni dati servi Dei æternùm viventis! 7 Patiens igitur esto, confisus promissionibus tibi & aliis nomine Domini nostri factis, juramentóqve firmatis, te non desertum iri. 8 *Qvas voces ego miratus oravi, ut Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi ne permittat in terram cadere (sicuti Samuelis tempore) ullum verbum per me vermiculum suum prolatum.* 9 *Dominusqve iterum*: Non sermones mei, sed incredulitas hominum, cum inobedientia, causa sunt qvòd res finem suum non asseqvantur. 10 Eccur enim Mosen in terram Canaan non introduxi, tantùm illi eam ostendi, nisi propter incredulitatem? Apud me Judicium est cum justitia. Vigila & ora!

REV. DX. 4 Junii.

[*Pons Veritatis Dei (verborum & operum) destrui non potest.*]

O*Stendit mihi Dominus Pontem magnum eleganter structum, per qvem spatiabar cum amicis, notis & ignotis, sermones miscendo de mysteriis Dei.* 2 *Mox venit ingens diluvium, glaciem secum ferens, eáqve Pontem obtegens, nobis ut potuimus obnitentibus, maximè qvodam Carnifice, qvi accurrens potenter glaciem dejiciebat.* 3 *Sed aqva illa subitò desederunt: nósqve Pontem undiqve illæsum videntes gavisi sumus, & super tam gnavam Carnificis illius operam deliberatione habitâ, decrevimus illi præmii loco privilegium, ne ampliùs Carnifex audiret (sed vir honestus.)* 4 *Expergefactus, qvid visio ista esset ruminabam, & Dominus*: Fidelis esto mihi! & ne pavesce impetuosas illas aqvas furiosæ potentiæ Hostium, Pontem Veritatis verborum meorum (per os testium meorum dudum Mundo annuntiatorum) evertere qværentium. 5 Serve mi, Nimis diu protrahi auxilium meum Vobis etiam videtur, qvi nunc ob veritatem Doctrinæ meæ tot jam secula patimini. 6 Qvæ Doctrina mea mecum unà pons Veritatis est, Viaqve Vitæ, verbis & sensu, fructibúsqve, accurratè concinnata. 7 Qvem Pontem meum æstuantis maris aqvæ, cum Potentibus terræ, aliisqve qvi mihi propiores videri volunt, sed sine Christianismi veritate, subruere qværunt. 8 Contra qvos iræ meæ sagittæ dudum jam adeò emissæ sunt, ut multi jam ævo tuo perierint, Cæsares, Reges, Principes, Politici & Ecclesiastici, ratiociniis suis opus meum, temporáqve mea, dimetientes. 9 Pons autem Veritatis sermonum meorum, Legis meæ sanctæ, expositionumqve illius verarum, perstat, & perstabit in æternum: ortum ex me & Spiritu meo æterno, habens. 10 Ecce percussi ego, percutio, & percutiam, spiritu Oris mei omnem impium! qvisqvis contumeliâ me, noménqve meum, afficit. 11 Vobis qvidem hoc & impossibile esse, & diu protrahi, videtur: apud me tamen omnia sunt ut hodie. 12 Vos itaqve Cultores mei parumper adhuc sustinete: non ratiociniis Vestris, qvæ sine spiritu meo vanitas sunt, sed mihi & sermonibus meis, qvi spiritus & vita sunt, in omnibus attendentes. 13 Et videbitis in hoc

postremi temporis decursu mira & terribilia manuum mearum Opera, supra omnem spem & terrenum captum Vestrum. 14 Hoc etiam tibi habe solatio, ut Opus ad qvod te vocavi in finem agas, cum aliis qvi me diligunt. 15 Si qvis sordet sordeat, tu verò mihi fide! 15 *Imploravi ergò opem Spiritus Sancti.*

[*Ad v. 3*) Carnifex iste videtur esse Turca, Regnorum prædator: cui si Babylonem nostram destruere, conscientiarúmqve libertatem restituere, juverit, privilegium promittitur, ut posthac legitimus Monarcha audiat, & sit.]

REV. DXI. 20 Junii.

[*Arbor cadens Austria. Racoci. Adjunctus.*]

D*iluculo appropinquante orabam Dominum Jesum, ut misereretur Nationum Orbis Terræ.* 2 *Ut cessavi, ostendit mihi Dominus Nubes turbidas, è qvibus Arbor prodibat magna, radicibus evulsis sursum stans, deorsumqve lentè cadens.* 3 *Qvam cum multis, avidè hujus rei exitum videre gestientibus, attentè spectans ad me redii, visionem hanc admirans.* 4 *Et Dominus:* Serve mi, Suspiria tua & aliorum sub Austriacæ Domûs Arbore habitantium, audio ego, ideóqve tibi Arborem illam à me jam radicitùs effractam, perqve nubes in terram cadentem, ostendi. 5 Nam termini Dominationis ejus à me positi jam decurrerunt, termini mei, non hominum: qvemadmodum tibi jam ab initio dixi me illam exstirpaturum esse. 6 Ecce igitur illam hodie jam aridam, jam cadentem, vidisti: tantùm qvod (in oculis vestris) casu suo terram nondum attigit, sed attinget. 7 Nam fulcra ejus (Hispanus, Bavarus, Germaniæqve incolæ cum hæreditariis provinciis) aut nihil jam roboris habent, aut eam non curant, spectaturi tantùm qvid illâ futurum sit in Hungaria. 8 Sed & Hungari jam prospicientes, mala Consiliariorum Domûs Austriacæ (rapinis & idololatriciis abominationibus inqvinatæ) facinora attendunt, déqve jugo illius dejiciendo cogitant. 9 Qvod eqvidem non unus è mille sincerè intelligere, aut credere vult: sed tu mihi confide, Oculus tuus spectabit veracitatem sermonum meorum. 10 *Qvibus ego erectus, orabam pro Regibus & Potentibus, etiam in Terra hac, & Principe Racocio, ut oos illuminaret Dominus.* 11 *Dominus autem:* Nihil ego tibi jam de Racociana Domo loqvor: qvæ, phantasmata sua & pravorum Consiliariorum suorum seqvuta, non autem sermones meos, Seipsam, & Transylvaniam, totámqve Hungaram Nationem, in ruinam præcipitavit. 12 Id qvòd adeò palam est, ut jam cœci qvoqve palpare id qveant: & qvid porrò futurum sit, & qvomodo radices Domûs Austr. jam continenter exstirpabuntur, videbunt id Christianorum & non Christianorum oculi. 13 *Qvod ego miratus orabam non deseri, ut non ludibrio sim hostibus ob sermones Dei: Adjunctum etiam Deo commendans.* 14 *Responsum fuit:* Offensus tibi est ob sermones de te sparsos, sed benefactores (qvos tibi excitavi) non remittunt ab affectu in te. 15 Pro qvibus ora, domo raro exi, nisi ad Episcopum (Ilaviensem) qvi te lætus excipiet ob sermones meos, qvos legit & ad cor admittit. 16 *Ego igitur cantavi, Fac mecum juxta beneplacitum Tuum Domi &c.*

REV.

REV. DXII. 30 Junii.

[*Latebra Drabicii, Dominus*, 4, 5, 11, 12. *Austr. & Racocii*, 6, 8. *Electores Imperii*, 9, 10. *Drabicius vocandus*, 15. *Vaniloqvia Mundi*.]

Exhibita mihi fuit turba hominum me sibi ostentantium: qvorum alii me blandè, alii malignè ac blasphemè, alloqventes, capita super me jactarunt, ut vos pavitans me subducerem, unico comitatus amico. 2 *Cùm verò metus continuaret, cantabam Psalmum* 35. (Contende Deus adversus contendentes mecum *&c.*) 3 *Et Dominus:* Ecce surgunt nubila malignitatis, persequentium te! vix unum è multis tibi sincerum habes. 4 Cogitas tu ex oculis abire illis, sed ignarus qvorsum: Ad me te recipe, promissis meis fisus. 5 Qvando manus mea tecum est non deserveris, qvemadmodum hucusqve expertus es: ego enim in me sperantibus subvenio semper. 6 O stulti sermonum meorum per te prolatorum interpretes perversi! intelligere nolentes non meâ fieri culpâ, si ductum meum aspernantibus secus eveniat, atqve pollicitus fui. 7 Contemptum inferunt mihi, ipsi contemptu non eximendi, æqvè Racociana atqve Austriaca Domus. 8 Austriaca Domus Exercitus suos in Hungariam mittit, non intelligens per hos ipsos radices suas hac in terra exstirpatum iri: Domus enim hæc super seipsam ruet jamjam. 9 Nam Elector Saxoniæ jam evigilat, Brandeburgicus oculos aperit, Palatinus stateræ incumbit, ut qvi malum Opus in Imperio operantur dejiciantur, Moguntinus, Coloniensis, Trevirensis. 10 Qvamdiu hi non amoventur, nec Germaniæ nec Europæ qvies erit: sed hos amoveri posse nemo est qvi cogitet, aut credat. 11 Tu tamen mihi fide, sermonibus meis attende, ab hominibus tibi cave, domo ne facilè exeas. 12 Mea tu in Domo habitas ad voluntatem meam: non exiturus inde qvando malignis placebit, sed qvando mihi: tantummodò persevera in fiducia & obseqvio meo, juxta votum mihi factum. 13 *Et decantabam Ps.* 143: *Dominus, autem post silentium aliqvod iterum.* Judicia mea exerceo in terra, juxta sermones meos & pristinos, & per te prolatos, qvem ultimam meam ad Gentes Tubam appellavi. 14 Sed illi hucusqve intelligere nolunt, qvid honori mihi, sibiqve saluti, esset: qvod te nihil moveat. 15 Vocaberis tu, ut jam antè dixi: sed ne metue, eâ hora tibi à me dabitur qvæ loqvi oporteat. 16 Dudum ego adversus sapientes apud seipsos zelatus sum, qvorum plenus est Mundus: Væ protervè peccantibus, & cessare recusantibus. 17 O Nationes Terræ, cessate malè agere, & discite benè agere! 18 Vos ipsa vestra tempora ignoratis, & qvomodo mea pervestigare vultis? non priùs nisi ubi oculis videritis, qvàm nihil vobis proderit fastus, furores, fraudésq; vestræ, & multorum adversus me vaniloqvium. 19 O qvàm præstaret Vos esse mutos, potiùs qvàm linguâ Vestrâ me Factorem Vestrum protervè lædentes, vestrô exitiô!

REV. DXIII. 28 Julii.

[*Epistola ad Turcam*, 1, 2. *De obedientia Deo debita*, 4.]

A Matutinis precibus veniebat in mentem epistola quam Sigismundus Racoci ad Imperatorem Turcicum exarare debuit, nec fecit, sicut & Frater Georgius: annò adhuc haberet

uſum! 2 *Et Dominus:* Scribe illam denuò, in teſtimonium tum miſericordiæ tum juſtitiæ meæ, ut ſine excuſatione ſint coram Me & coram Angelis, corámqve ipſis filiis ſeculi. 3 Num fortè adhuc ad ſe redire velit ultimus iſte de Domo illa, qvem & ipſum Tranſ. Principem proclamari feceram. 4 Utinam ille inobedientiæ calceamenta exuat, & ſe ad faciendum voluntatem meam tandem vividè componat! 5 Per me nunqvam ſtetit: ſi per Vos non ſtaret, ó homines, non ita veſtro malo, qvid ira mea ſit experiremini. 6 Ego Patrem meum dilexi, mandatáqve illius ſervavi: ó ſi Vos imitaremini, qvi homines tantùm eſtis miſeri! non aſſeqvereretur Vos rigor iræ meæ jam adverſus Nationes ardentis: non nè id oculi vident Veſtri? 7 Revertimini ad me, revertimini, ó Nationes Terræ! Hora enim judicii mei, dudum annuntiati, jam in foribus eſt, licet eam videre nemo velit, ut vigilet ad audiendum vocem meam. 8 Vos tamen teſtes mei ne ceſſate anuntiare illam! ſi Vos etiam tacebitis, lapides clamabunt ad eos qvi me unicum animarum ſuarum Paſtorem non ſic nôrunt, ut meam & Patris mei voluntatem faciendo ſalvi fiant. 9 Scribe hos ſermones, non tuos ſed meos, qvi ſum Rex regum & Dominus dominantium. 10 Si fortè ad ſe reverſi ultimas iræ meæ plagas prævenire velint, etiam incolæ terræ hujus, Hungariæ, ubi multi ſunt corde duplici, plus homines qvàm me Creatorem ſuum metuentes.

[*Ad verſ.* 1, 2, 3.) Silentiò involvere animus erat, qvid cogitationum Videnti fuerit ſuper iſto Dei mandato de ſcribendo ad Turcam (factò primùm 1652, Sept. 20. v. 20: ſecundò, Decembr. 12. v. 7:) qvia tamen hîc iteratur, ſcribiqve in teſtimonium jubetur, parendum eſt: ut num hæc via confuſiones rerum per Hungariam tollendi mollior futura erat, qvàm qvalem Deus adhibere poſtea coactus fuit, vel poſteritas judicare poſſit. Ita igitur putabat ſcribendum fuiſſe Videns,

Non clam TE eſſe volumus, *Magne Imperator*, excitaſſe magnum Deum apud nos nuperò tempore perſonas certas, per qvas nobis extraordinariò modò divina Majeſtas voluntatem revelavit ſuam, de inſtante magna Rerum mutatione, non in una tantùm aliqva Gente, ſed per univerſas Orbis Nationes: ante omnes verò apud nos Chriſtianos, qvi præ cæteris magis peccatis, & pluſqvam gentilibus abominationibus noſtris, Deum noſtrum ſic ad iram provocavimus, ut pluſqvam triginta annis atrociſſimis bellis, fame, peſte, diluviis inuſitatis, aliiſqve horrendis plagis, nos concaſtigare non intermiſerit: variis inſuper prodigiis, Cælô Terrâqve editis, nos territans, & ad pœnitentiam invitans. Inter qvæ prodigia fuerunt aliqvammulti Spiritu Dei afflati Viri & Fæminæ, mira & inuſitata de imminentibus adhuc pœnis, niſi nos converterimus, demumqve inſeqvutura miſericordia Dei, prænuntiantes. Ex qvorum numero fuit jam ante incendii hujus initia, Anno 1616 ad 1624 uſqve, Vir ſimplex & Idiota, ſtupenda tamen loqvens, in Sileſia: In Bohemia verò 1627 adoleſcentula 16 annorum longè majora & ſublimiora ſcribens. Tandem ab anno 1643 hucuſqve in Hungaria Vir ſenex, Eccleſiæ Miniſter. Omnes hi unô ore (licet locis & temporibus ita diſcluſi, ut nemo illorum alterum noſſet) edicunt, adorandi Dei noſtri, Cæli & Terræ Domini, hanc eſſe voluntatem, ut Nos Chriſtiani primariam illam & horrendam apud Nos abomi-

abominationem funditùs evertamus: *Idola scilicet (sculptilia & fusilia, lignea & lapidea, argentea, aurea,* & qvaliacunqve) penitus delendo, una cum Idololatriæ doctoribus, propagatoribus, & propugnatoribus, qvi Legem Dei Veterem & Novam per Mosen & Christum datam, impiis inventis suis violarunt, Templa Dei vivi deastris suis mortuis impleverunt, totumqve divinitùs institutum Dei cultum in superstitiones commutarunt, & omnes Dei leges legibus suis profanarunt. Qvicunqve autem in Idolis colendis consentire sibi nolunt, sed Legi Divinæ unicè adhærentes juxta voluntatem ejus in spiritu & veritate servire Illi qværunt, hos Idololatræ isti extremis proseqvuntur odiis, enecant carceribus, afficiuntqve mortibus; aut si id nondum alicubi possunt, bonis exutos terrâ patriâ ejiciunt, vel magistratibus, omnibusqve honestis conditionibus, pellunt; & qvibuscunqve possunt modis miserè affligunt, nullâ erga pupillos, Viduas, aliosqve innocentes, misericordiâ usi: modò ut omnes calamitatibus pressos ad desperationem, & omnia sub tyrannicum jugum suum, corporumqve & animarum carnificinam, redigant. Qvod hactenus spectavit & toleravit, à sua domo inchoans judicia sua justus Iudex Deus: jam autem renovans his annis factas dudum de Idololatrica spirituali Babylone delenda prophetias, mandat Nobis, ut Nos, & Populum Christianum, à tanta Papæ Romani, suorumqve Adhærentum, tyrannide liberemus; Eiqve soli, æternùm viventi Creatori nostro, puro Corde serviamus juxta Legem ejus, humero uno Omnes. Cujus divinæ voluntatis Vos reddentes conscios, non celamus qvoqve, juberi Nos Vestræ Nationis uti auxiliis. Ac ea propter oramus, ut nobis de Vestris armatis submittere velitis 30000 exercitati militis: cum adjuncto illis Viro idoneo, qvi præsens omnium spectator, nostræ in toto hoc divino negotio sinceritatis plenus testis sit. Nempe nullo alio fine Nos qvoqve, à parte nostra (dum alii alibi agent idem) Bellum hoc & suscipere, & gerere, nisi pro gloria Dei adversus Idola, auxilio Domini Cæli & Terræ, qvi solus à toto genere humano coli vult, solus benedictus in secula seculorum: Amen.

Hoc ita conceptum fuit, communicatúmqve ad Aulam Racocii, jussu Dei: qvia tamen non dictatum præcise verbis Dei, submittebat Videns prudentiæ illorum, an his vel aliis potiùs verbis, aut rationibus, exprimere vellent sensa sua. Adjecerat verò seqventia: (*illi antem enusserunt utraque, Rev. 525. 10*:)

Factu etiam videtur necessarium, ut Princeps expeditionem suscepturus, aut in ipsa expeditione, præmittat literas patentes (*Manifestum* vocant) ad Ordines Regni Politicos, hoc sensu: Bellum suscipi non cuiqvam nocendi animo, præter illos solos qvi nocent omnibus, publicæ Pacis, Politicæ & Religiosæ, turbatores perpetui. Qvi, ut manifesti jurium, divinorum & humanorum, violatores, sub Religionis prætextu Idololatriam non exercent tantùm ipsi, sed & loco veri Dei cultûs ubiqve introducunt: usurpantes præterea sibi supra Reges, Principes, omnesqve Dominatus potestatem, & in conscientias omnium hominum dominandi libidinem. Nihil pensi habentes, qvòd Deus idololatriâ prohibitâ, sui unius cultum mandavit; Majestates verò emine-

eminere, illisqve omnem animam subjectam esse, jussit; Viros deniqve Ecclesiasticos meditandæ ac docendæ Legi suæ vacare, non autem dominari, Corporibus aut Conscientiis, ordinavit. Hi autem derelictis fontibus Israelis, puro Dei Verbo, ad humanarum Traditionum lacunas homines non abducunt solummodò, sed compellunt, abominationibus Babylonicis Gentes & Populos inebriantes, & ut de calice iræ Dei bibere necesse habeant cogentes: qvemadmodum totius Christiani Orbis tristibus Bellis implicatione integris jam 35 annis experimur: nec adhuc finis est. Illi enim (inqvietissima præsertim Jesuitarum factio) nihil agunt aliud, qvàm ut in turbido piscaturi Regna Regnis committant, mutuisqve Christianorum lanienis impios oculos pascant, ex Regnorum & status Politici passim gentium ruina rebus suis incrementa qværant, dominatùmqve illum suum non tantùm super omnium hominum Conscientias, sed & super omnem Politicam eminentiam, & Regnorum libertates, stabiliant. Atqve ubicunqve se jam prævaluisse existimant, cogunt Potestates seculares eos qvi purum Dei cultum, Legis & Evangelii Verbo mandatum, seqvi, eòqve plus Deo qvam hominibus obseqvi, præeligunt, ferro & igne perseqvi, aut saltem exiliis diris, carceribusqve duris, ita conficere, ut exterminatis veri Dei cultoribus sinceris, extinctaqve ubiqve Verbi Dei face, illi soli in tenebris regnare, Conscientiarùmqve carnificinam liberè exercere, valeant. Qvemadmodum in vicinis nobis Regnis ac provinciis, *Bohemia*, *Moravia*, *Silesia*, *Austria* &c. crudelibus tot annis transformationibus, impiæ pietatis suæ specimina Mundo ediderunt. Ubi multis vario suppliciorum genere sublatis, aliis carcerum aut exilii calamitatibus enectis, jam dominantur: Tribunalium primas sedes soli Spirituales ubiqve occupant, jura Politica pro sua libedine formant ac reformant, injuriis ac Violentiis omnia implent: pleriqve illorum nihil nisi impuri Sodomitæ, spuriorum suorum aut promotores aut interfectores. Sacerdotes verò eorum omnes promiscuè sacrilegi animarum nundinatores, pauperum afflictores, veriqve sangvisugæ, sine omni Christiano sensu aut condolentia inexplebili avaritiæ & libidini suæ litantes. Nec ibi finis: aliis qvoqve Gentibus Antichristianum hoc & intolerabile injiciendi jugum indesinenti ardent pruritu, & pro hoc verè Gigantæo ausu nihil non, qvoqvò vertimus oculos, tentant. Etiam in hac dilecta Patria nostra qvid hucusqve tentatum sit, clam palam, solus fortè ignorat qvi domi suæ hospes sit: neqve desinunt & Cæsaream Majestatem in odium nostri stimulare perpetuò, & cuniculis clam fodicatis ruinam nobis inevitabilem (nisi evigilet in protectionem suorum Deus, nosqve incuriâ nostri audaciam istorum acuere desinamus) machinari.

Qvapropter ó Vos ad invigilandum publicæ saluti hoc etiam in Regno divinitùs constitutæ Potestates, honoratissimi Sympatriotæ, Cognati, Vicini, & Amici dilecti, evigilate nobiscum, & libertatum Vestrarum, qvas Vobis Virtute & sangvine suo partas reliqverunt Patres vestri, propitio Deo nobiscum una suscipite defensionem, ut eas de manu oppressorum nostrorum vindicatas, illibatas rursum tradamus Posteris nostris. Dejiciamus in nomine Dei de cervicibus nostris

ſtris crudele & Antichriſtianum Papæ, & mancipiorum ſuorum jugum, qvi Nos iniqviſſimè, & apertâ jam impudentiâ, mancipia ſibi reddere intentant, ſuperqve Nos divinitùs ordinatam Poteſtatem ſecularem dominari volunt, apud Reges noſtros nos exoſos reddunt, à publicis muniis (nemine illuc niſi ſuis Creaturis & mancipiis admiſſo) nos Patriæ filios arcent, Reditus Regni noſtri ſoli ferè depaſcunt, cùmqve ex impuro ſuo Cælibatu nullos legitimos ſuſcipiant hæredes, nullam ſeriam de Patriæ ſalute ſuſcipiunt curam, atqve ita confuſionibus implent omnia. Venite itaqve dilecti amici, audeamus in libertatem aſſerere Nos & Poſteros noſtros! Juvabit Nos iniqvitatum oſor Deus, ſicuti juvit Ezechiam, Joſiam, & alios, qvi Dei vivi contra Idola zeloſè agerunt cauſam! Audeamus latam dudum in Apocalapſi Johannis in Antichriſtum ſententiam Chriſti ſeqvi & exſeqvi! & proſeqvi odiô meretricem Babylonicam, & eam deſerere, & nudare, & carnes ejus manducare, & ipſam exurere igni, & ſic auferre abominationem de loco ſancto! Iam enim tempus eſt, jam iniqvitatum ſuarum implevit menſuram, jam termini dominationis decurrerunt Beſtiæ illius ſangvine ſanctorum ebriæ. Reddamus illi ſicuti reddidit nobis, & duplicemus ei duplum ſecundùm opera ejus: in poculo qvod miſcuit nobis miſceamus illi duplum. Ita mandante Deo, cujus nos ſic exſeqvemur voluntatem, faciendo officium noſtrum in gloriam Dei & Agni, cum qvo hucuſqve bella geſſit Beſtia, & gerere adhuc tentat. Sed vincet Agnus, & qvi cum eo ſunt vocati & fideles: qvia Rex Regum, & Dominus Dominorum eſt. &c.

Horum ergò qvia nihil, nihil, nihil, agere voluerunt Rakocii, neqve præmonere qvenqvam è Patriotis, hinc ille fervor zeli Dei contra eos: hinc & miſerabiles illæ clades & vaſtatio gentis Hungaræ: juxta toties factam obteſtationem, *Væ illis ſi alios advocavero cauſa meæ vindices, voluntatiſqve meæ exeqvutores.* Vidi Indicem, & hîc Rev. ſeqvens, v. 3.]

REV. DXIV. Auguſt. 12.

[*Opus Dei agere noluerunt Chriſtiani, agent Turcæ ac Tartari*, 3: *Racoci & Svecus inobedientiâ ſuâ pœnas attrahunt toti Europa*, 4 — 10.]

VIdi *Textorias officinas duas; in qvarum altera linteum jam texebatur, in altera demum inchoabatur.* 2 *Et Dominus:* Duas vidiſti Orbis Nationes operantium Opus à me permiſſum, ignorantium tamen qvid faciant. 3 Nam qvia Chriſtiani eradicare noluerunt Idololatras, ecce Tartari ac Turcæ jam exſtirpant malos & bonos, juxta priſtinos ſermones meos (*Rev.* 131. 4 *&* 159. *v.* 8. 9): & qvis veſtrum expoſtulabit mecum, cur per iſtos iram effundam meam? 4 Iam ergò ſaltem me timete, ò homines, cui Vobis dudum loqventi fidem adhibere, metûqve hominum opus meum operari, noluiſtis! Vos etiam Orientales & Aqvilonares, huc à me electi. 5 Ecce inſculpſi fronti Veſtrûm duorum, 6 Viſca mea (& inſculpſi ſic, ut in æternum deleri non poſſit) Vos cum populo Veſtro fuiſſe rebelles ad faciendum voluntatem meam, vobis à me clarè detectam, de perdenda Meretrice Babylonica unà cum Beſtia. 6

Ecce duo jam Christianorum hostes Christianitatem aggressi sunt! alter superiore anno, ab Occidente; alter hoc, ab Ortu. 7 Qvibus qvàm in resistendo impares futuri sint isti vanè in se confidentes, etiam Hungariæ incolæ, Australisqve iste Sol cum copiis suis, videbunt id oculi Vestri, tuus etiam serve mi. 8 Cave igitur tu cuiqvam credas, hæc sic humanitùs fieri: Ego enim ipse sum, Judex justus, qvi Opus hoc meum operor, & operabor, ad delendum Bestiam cum Idololatris, confundendumqve Oppressores Cultorum meorum. 9 Ecce Asia & Africa pacem habent! Europa verò tumultuatur, ad desolationem se disponens universalem, nisi adhuc resipuerint Potentes Terræ, dum eos voce & plagis inclamo meis: atterendo alios per alios, dum vos furiosè contra invicem agitis. 10 *Qvibus ego cum stupore auditis, ira furorem deprecabar (cantu Psalmi 38, itémqve 6) etiam pro Hungaris.* 11 *Ut verò cessavi dixit Dominus*: Etiam vos sine metu ac discrimine non eritis, sicut nuper (22 Martii) dixi, procellam esse venturam &c. 12 Si J. Med. meo paruerit consilio, benè illi erit &c.

[Ad v. 4. & 5) Sensus horum patet è Revel. 100. v. 24, 25: & Rev. 569. v. 7. v. 6) Loco duorum istorum, qvi agere noluerunt, reperisse Deus dicit alios duos qvi agent, & jam agunt: non solos jam Idololatras inter Christianos castigando, sed omnes immorigeros Christianos. *Qvinam illi duo?* Alter ab occasu, inchoans anno 1660; alter ab ortu, 1661. Prior ille evidenter sunt Mauri Algirenses, qvi ab anno 1660 maximè Christianos ab Occidente (Hollandos, Anglos, Gallos, Hispanos &c. infestare cœperunt, in mari Mediterraneo inauditas agendo prædas: & qvidem tanto successu, ut præter innumeras Naves, inæstimabilemqve mercium ac opum jacturam, captivorum myriades essent, lytro redimendi, aut fame ac peste perdendi. Alter verò iste ab Ortu, Turca est: qvi Racocii defectione irritatus, anno 1661 Walachiam, Moldaviam, Transylvaniam, & cum intercepto Varadino bonam superioris Hungariæ partem subjugavit, sibiqve ad reliqva infestandum viam paravit. Ad v. 8. & 9) Notandum, Europæ motuum causam primam Deum esse: finem autem, ut Christiani mutuis cladibus sese atterant, donec pereat id qvod in iis displicet Deo. Eheu qvis agnoscit vim iræ tuæ, Deus, ut præveniat! Psal. 90.]

REV. D. XV. Aug. 16.

[*Consilium Dei Hungaris adhuc datum.*]

OStendit mihi Dominus ædes, è qvibus frumenta in alias ædes transportanda erant: transportationisqve illius cura, voluntate Domini Ædium, demandata erat mihi. 2 *Sed bajuli variè tergiversabantur, frumenta permutabant, impertinentia immiscebant, me sibi deridiculo tantùm habentes: ut zelarem, plorarem, tandémqve amaroris plenus eos desererem.* 3 *Reversus ad me orabam, etiam Psalmi cantu: Dominus autem placidissimis ad me verbis*, Vidistinè? intellexistinè? qvid hodie tibi exhibuerim? 4 *Cùm autem ego præ afflictione nihil responderem, perrexit Dominus*: Meipsum tibi exhibui, Dominum Domûs meæ, Mundi; antiqvúmqve morem meum admonendi alios per alios, de communicando sibi pane variarum gratiarum mearum. 5 Præsertim qvos vestrûm elegi ut succurratis filiis hominum, ut Domum Mundi corruere videntes, judiciis lege meâ prænunciatis attendant: 6 ad expurgandum Terram idololatriâ mihi abominabili, hominésqve in exitium præcipitante: illuminandum verò Gentes, & Judæos de qvibus ego Salvator Vester carnem suscepi. 7 Sed hæc qvis curat? qvot annos Tu cum Adjuncto

Na-

Nationi huic operam impendisti? 8 At jam videre possunt comminationes meas non fuisse frustra. 9 Non peperci ego Viscis meis: nec illis parcam qvi eos consiliis suis seduxerunt, suo etiam malo. 10 *Super quos ego sermones attonitus ad preces me contuli: recogitans interim*, Annè rebus in Hungaria & alibi tam desperatis adhuc subveniri possit? 11 *Et Dominus:* Potest, si Hungari à Turca pacem qværant, communicando illi vocem inclamationis meæ ad Racocianam Domum, incolásqve Terræ hujus: experientur illum hæc admissurum. 12 *Dum cogitarem*, Per qvem ista Turcæ notificanda essent? *respondit Dominus*, Per Franciscum Racoci, qvem Turca jam pridem Transylvaniæ Principem constituit. 13 Sed & alii Hungariæ Proceres cooperari possunt, qvi nôrunt & diligunt nomen meum, de qvibus antè sum loqvutus: sicut & Civitates nunc oppressæ ac gementes. 14 Nisi mea Vos præveniat misericordia, actum est de omnibus sub Austriaca Domo habitantibus. 15 Tu itaqve ne taceas, sed verba mea scribe omnia: eáqve refer ad J.M. cùm huc venerit, præsente Provisore; cum protestatione, Non te loqvi, sed os meum. 16 *Scripsi ergò hæc etiam, lacrymis chartas conspergens: oránsqve ut verborum suorum memor Deus implere dignaretur promissiones suas.* 17 *Et Dominus:* Vos, filii hominum, sermonum & promissionum Vestrarum obliviosi estis: sed ego æternus æternæ memoriæ meæ impressum habeo, qvicqvid unqvam os meum loqvutum est. 18 Qvòd autem non semper omnia eveniant secundùm cogitationes vestras, & apparentiam externam, id profunditas consilii mei facit. 19 O si Vos filii hominum mihi obediretis, faciendo qvod cuiqve mando nunc etiam, totius Orbis habitatoribus benè esset nunc etiam. 20 Nam sic non Vestram causam, sed meam, agendo, feliciter perageretis omnia. 21 *Qvibus ego exaratis verbis misericordiam invocavi, cantu Psalmi* 17.

REV. DXVI. 18 Aug.

[*Comminatio Hungaris, Clero præsertim.*]

Vidi domum valdè laceram, ambustamqve, fœdam aspectu. 2 *Ex qva egressus, vidi homines varios ad convivandum ita accumbentes, ut viri Politici infimis locarentur sedibus.* 3 *Redditus mihi, valdè fui tristis, orabamq; ex hymno:* Da in cor Regibus potentibus, illorúmqve auxiliatoribus, ut Meretricem deserant &c. 4 *Et Dominus*, Serve mi, adventant exercitus tanqvam diluvia, qvibus opplebitur Terra hæc ut & vestra, ut ferendo non sint futuræ. 5 *Mihi verò cogitare venit de Germanico in Hungaria exercitu: & Dominus*, Pauci exibunt inde. 6 Ecce arbor contorta, natio Hungarica, præmium accipient obstinationis suæ, cum ejulatu super seipsis de ingratitudine beneficiorum meorum. 7 Edendo enim, bibendo, stertendo, perdiderunt tempus gratiæ meæ: eruntqve contra illos æterno testimonio sermones mei ad omnes Nationes terræ. 8 Ecce nunc etiam Mensæ libertatum accubuerunt: & qvidem primariò illi fastuosi Clerici, qvi pro impetrandis illis nihil impenderunt laboris, sed Politici, sanqvini

gvini etiam suo multi non parcentes. 9 Dum otiosi Ecclesiastici edendo tantùm & bibendo Politicis insuper insultabant: eô freti, qvòd jura & privilegia suis in manibus haberent, & sub tutela Mariæ ex auro factæ, aliorumqve idolorum, tuti essent. 10 Sed sciant, venturos jam jam hanc in terram, qvi idola illorum ludificabunt; *dicentes;* Meliùs parietes calce albâ ornari, qvàm fœdis imaginibus ad cultum per Templa & altaria erectis *&c.*

Rev. DXVII. 26 August.

[*Solatia Videnti, & amicis ejus.*]

OStendit mihi Dominus frumentum in Cado, qvod distribuebam animo hilari. 2 Sed venerunt qvidam mihi noti, detractâqve mihi veste, seminudum me reliqverunt: qvod ego erubescens ad alios, ignotos mihi, recipiebam me in conclave proximum. 3 Ubi duos reperi viros itidem ignotos, lectulis decumbentes, qvos, ut me contegerent oravi: sed illi tacuerunt. 4 Alius ergò qvispiam venit aspectu valdè decoro, qvi mihi tapete perelegans circumjecit: qvô ego tectus adire volui Virum jacentem in lecto Ortum versùs, cui è regione alter jacebat Septentrionem versùs. 5 Sed evigilavi, tristis super illo viso, qvod me sic nudatum vidissem. 6 Et Dominus: *Serve mi duas tibi res ostendi hodie! Alteram laborem tuum, qvem mandato meo, tuo autem & proximorum bono, subiisti: & ludibria, quæ propterea pateris: Alteram verò opus protectionis meæ.* 7 *Ego enim sum, ego, qvi texi te: illorum verò qvosdam ad silentia æterna jam deduxi, deducamqve cæteros etiam.* 8 *Tantummodò tu voluntatem exseqvere meam, & tibi attende! multi enim malignitatis, adversus te ut ignis ardentis, multi sunt.* 9 *Multos habes inimicos, sed habes etiam, certò scias, amicos: Veritas enim mea vicit semper, pervincetqve in æternum, & obligabit ora multorum illorum insipientum, à qvorum numero etiam est* Windisch: Tu vigila & ora. 10 Qvod feci cantans Psalmum etiam 26: & orans, ut me misericors Deus transferret ex maligno hoc seculo. 11 Et Dominus: *Transferam, sed postqvam peregeris opus qvod tibi peragendum injunxi: unà cum illis qvos tibi auxilio dedi, & porrò etiam dabo.* 12 Satis hodie. Surge, Scribe! Surrexi ergò, decantato adhuc Psalmo 125.

Rev. DXVIII. 7 Septemb.

[*Futuri labores ei ostenduntur, sermonúmqve horum memoria æterna.*]

M*Edia nocte ostendit mihi Dominus multitudinem hominum, Verbum Dei sibi prædicari, Cœnámqve administrari, postulantium: qvibus utrumqve administravi cum gaudio & cantu, ad evigilandum usqve.* 2 *Diluculò autem rursum indormiens, vidi Exercitus diluvii instar adventantes: & Dominus ad me.* 3 Vidisti futuros labores tuos, qvi te cum aliis expectant: Exercitúsqve advoluturos sese, ut vix Terra ferat. 4 Tantummodò tu patiens esto! & scias sermones meos, qvos tibi loqvu-

loqvutus sum, in secula lectum iri à filiis hominum. 5 *Hac ego cùm precibus excepissem, addidit Dominus:* Principissa de vobis malè cogitat, sed ego vos non deseram, mihi confidite, in me robur est ad vos Cultores meos protegendum. 6 *Cecini ergò Psalmum 46.*

REV. DXIX. 19 Sept.

[*Solatia iterum.*]

O*Stendit mihi Dominus Aqvas magnas, per qvas navigabam ratibus, ego cum aliis, admodum periculosè: orans pro nostri conservatione.* 2 *Et Dominus:* Aqvæ calamitatum volvunt sese: turbida verò tua super illis navigatio sunt judicia humana, pristina & moderna, de sermonibus meis intelligenter ad te prolatis. 3 O vani homines! umbram vos captando manibus immaturæ ratiocinationis vestræ, contra me & consilia mea, insanitis. 4 Ecce ego, ego, operor & operabor, sine Vobis! ventilando Vos, consiliáqve & verba vestra, ut paleam, in confusionem vestram criminatorum meorum. 5 Vestitant vos Cultores meos sermonibus suis, super rates mali ratiocinii sui: sed defetiscentur brevi, brevi. 6 Servavi ego te & Vos hucusqve, sicuti conservabam antiqvos testes meos: & conservabo, ut id videatis Vos & Criminatores vestri. 7 Tu Domi tacitè sede, & ab hominibus tibi cave! 8 *Cecini ergò Psalmum 12.*

REV. DXX. 17 Oct.

[*In Racocii locum alius eligendus.*]

M*Ane à precibus redormiens vidi librum qvalem nunqvam: qvem datum est mihi legere, & juxta eum sacra agere, singulari animi gaudio.* 2 *Expergefactus cogitabam, Anne scribendum esset mihi ad aulicum Principis (FRANCISCI RACOCI) Dalmadium, vel ad ipsum Principem? aut ad Georg. Curiani Eperiesinum?* 3 *Et Dominus:* Abstine, novi ego corda filiorum hominum qvàm mutabilia sint, & ad trahendum iniqvitatem funiculò vanitatis prona. 4 Trahunt ecce inimici mei, & vestri, hac in terra: sed non pertraxerunt ad scopum intentiones suas, nec pertrahent: Ego enim dissipo consilia eorum, vicinorum vobis & remotorum. 5 Erubescent sermones suos, & scripta sua, Puchovienses, cùm ego in RACOCII locum suscitavero alium, qvi opus meum faciet, ad sistendum Tyrannidem hostium veritatis, cultorúmqve meorum.

REV. DXXI. 26 Octobr.

[*Comminationes implebuntur, Idololatris & Racocio.*]

D*Iluculò redormiens, disputationem habui de Persona Christi Servatoris mei: moxqve mihi redditus audivi vocem dilecti Salvatoris mei, benedicti in secula Dei.* 2 Ecce ego, ego accendi ignem iræ meæ adversus eos, qvi opus fraudum egerunt in hac

hac etiam Hungariæ terra! sed jam cessabunt æternâ cum confusione suâ, consistentes ut ambustus titio in judicio justitiæ meæ. 3 Tu brevi (crede tantùm) impletionem videbis sermonum meorum ut exscindantur lingvæ, amputenturque manus & capita, meorum & vestrorum hostium: idqve per eos, qvos ego excitabo contra omnium hominum spem. 4 Rejeci ego Domum Racocii, sicuti Saulis, propter illorum inobedientiam: neqve jam Franciscus eò veniet qvò eum deducere promittebat os meum. 5 Tu, & vos cultores mei, mihi confidite! non confundemini in æternum. 6 Qvibus ego auditis laudavi Deum, cantando hymnum, Mane nobiscum Jesu Christe, rege nos spiritu sapientiæ tuæ, &c.

REV. DXXII. Nov. 14.

[*Racoti, Deo non obediens, & se, & Hungariam perdidit.*]

I*Terum ad me verbum Domini factum est: postqvam mihi Dominus hominum ostendit turbam, stantem in locis angustis variis cum funibus: qvos alii huc, alii istuc trahebant, ut me spectare tæderet.* 2 *Pars qvoqve illorum nectebant nodos, sicut & ego cum qvibusdam similiter nodos adstringebamus: sed id clam & tacitè, visuri qvorum opus futurum sit durabilius.* 3 *Ut ad me redii insonuit vox Domini:* Ne mirere serve mi, tu & alii, qvod filii vanitatis funibus vanitatis huc illuc trahant sermones meos pristinos, postremis mundi temporibus per te renovatos. 4 Ego enim hactenus discrimen facio, & fieri necesse est, inter bona & mala facta filiorum hominum: ut ne splendor & color pravorum operariorum seducat filios hominum. 5 Isti enim filii seculi hoc agunt, ut ne agnoscant credituri in me opus meum, & omnia qvæ ago, clara esse. 6 Clarus est Sol, sed clarior ego Creator ejus [*qvod mirabar, recordatus verborum Pauli, Act.* 26.13.] 7 Adstrinxi ego hamô decreti mei, & jam traho, multas Terræ Nationes, ad exseqvendum opus meum ultimis diebus: de qvo etiam per vos duos, testes mei, loquutus sum, ut & vos sciatis cuiqve rei suum esse tempus, non vobis notum, sed mihi. 8 Vos ergò qvi nomen novistis meum, servi mei, mihi servite! & non apprehendet Vos malum, qvod Vobis machinantur adversarii. 9 Tu ab Adjuncto tuo expecta solabilia: jam enim onus verborum meorum cadit in cor terræ bonæ. 10 Jonæ M. cum venerit, repete omnia verba mea adversus Domum Racocianam prolata, dicens: Inobedientia Domus hujus præcipitavit eam, totamqve Hungariæ terram. 11 *Tu in rupe labora, tempus est: plus ibi unus tuus oculus videbit, qvàm alieni duo.* 12 *Qvæ ego per tenebras inscribens tabula, difficulter manè potui describere, factum tamen: & ego cantu postremæ partis hymni* (Te Deum laudamus) *me & Ecclesiam misericordiæ commendabam Dei.*

REV. DXXIII. 16 Nov.

[*Omnia in Mundo vindictam clamant tametsi nemo credat.*]

C*Um peregissem matutinas preces meas,*
introduxit me Dominus in aream spatio-
sam, ubi erant tres solùm viri senes. 2 *Hi*
mihi monstrabant Civitatem variis cum pla-
teis, & in eis ædificia majora & minora, va-
sta, lacera, diruta: quæ pertransibam ti-
moris & mœroris plenus. 3 *Inhabitatores*
enim pauci erant, iiqve adeò moribus tur-
pes ut horrerem; optans mihi aliqvem dari,
à qvo solatii aliqvid acciperem. 4 *Et ecce*
exhibiti mihi sunt in viridi Prato qvidam,
non magno numero, hymnos psallentes linguis
variis: ego etiam cum paucis qvibusdam
vernaculâ meâ decantavi psalmum 31. (In
Te Domine speravi non confundar *&c.*)
5 *Deinde solus cecini*, Christe tu mortem
subiisti ut nos redimeres à morte, *&c.*
qvem cantum expergefactus demum finivi,
plenus solatiis. 6 *Et mox Dominus meus*
æternùm benedictus: Ita fac & vives! Ego
enim semper volui, & volo, ut Domus
mea, Domus Mundi, sit Domus ora-
tionis. 7 Sed ecce dilacerata est, &
dilaceratur à tenebris & incredulitate,
cum duritie cordis filiorum contumaciæ:
à qvibus semper erat pavor servis meis.
8 De qvo ipse tempore corporeæ meæ
in terris præsentiæ, lamentatus fui, vin-
dictam illis contestatus, omnis inno-
centis sangvinis ab ipso usqve Abel *&c.*
9 Ecce autem nunc etiam vindictam
clamat sangvis cultorum meorum, fusus
à Domo Austriaca & Meretrice sangvi-
ne sanctorum meorum olim & nuper in
Bohemia, Moravia, aliisqve Christianis
terris occisorum, ebria. 10 Exempló-
qve crudelitatis suæ concitarunt infide-
les, ut & illi venientes, & qvid aut cur
faciant nescientes, sangvinem profun-
derent, etiam visci mei Orientalis à Me
electi ex Racociana Domo. 11 Cui
Domo ut vos duo testes mei succurre-
retis, ab aliqvot jam annis mandabam,
tolerans eam: sed ecce omnia in cassum,
& Hungaricæ nationi in testimonium.
12 Domus Racociana nunqvam redibit
ad gloriam suam: ego tamen vobis cul-
toribus meis umbra ero, (*ut Jonæ*, 4. 6.)
sub qvo à persecutionum fervore prote-
gimini ad tempus illud mihi notum, in
qvo cantare incipietis Hallelujah, qvo-
niam regnat Deus noster omnipotens.
(*Apoc.* 19. 6.) 13 Tu autem hos etiam
sermones meos scribe. *Mihi verò cùm*
nulla esset tabula, an hæc memoria servare
possem, cogitabam: & Dominus, Servabis.
14 *Adde*: Semimortuum illum, ulti-
mum Austriacorum cum Satellitibus suis
& Consiliariis pudore vacuis, jam esse
in fovea, sicut & Conviciatores tui. 15
Qvod illi non credunt, qvia abyssum ju-
diciorum meorum non norunt, sicut
non noverat prior Mundus. 16 O si
Potentes terræ, dico ego Dominator
terræ, videndo videre, audiendo au-
dire, & intelligendo intelligere, vel-
lent, jam jam expleri mensuram tyran-
nidis filiorum Meretricis! 17 Sed in-
credulitas obcœcat eos, sicut & Con-
viciatores tuos, duces cœcos: verùm
lassescent, nec tibi cum aliis causa su-
pererit in dubium trahendi veracitatem
meam. 18 *Cecini ergò Psalmum* 35. Con-
tende Domine cum contendentibus me-
cum &c. 19 *Post benè longam moram ite-*
rum Dominus: Annuntia verba & opera
mea!

mea! Neminem ego mihi & verbis meis obedientem seduxi. 20 Ego sum Alpha & Omega: ego te recipiam & hinc educam (qvando & qvorsum nondum dicam) qvia credidisti verbis meis, & ea non occultasti. 21 Annon ego dixi, qvi vos audit me audit? Vobis autem duobus testibus meis dico, Qvi vobis credit mihi credit: & qvi credit mihi, credit Patri meo cujus progenies estis omnes Vos. 22 Ita ego dudum loqvutus sum, & loqvor adhuc! Estote vigilantes, & mihi fidentes, & eritis æternùm apud me in memoria. 23 *Cecini ergò Psalmum 71.*

REV. DXXIV. 23 Novemb.

[*Truncus eradicatus*, 1 — 3. *Decubitus Videntis triduanus*, 4 — 9. *Ante Mundi finem pax universalis, ad implendam Terram cognitione Dei.* 10.]

CIrca noctis medium vigilanti mihi ostendit Dominus Hortum, & in eo Truncum ingentem cum amputatis ramis, qvem circumambulabant Viri qvidam primarii, mirati qvod etiam radicem non haberet. 2 *Me verò Adolescens qvidam formosissimâ facie amplexatus est, & osculatus, ingenti lætitiâ meâ: quod ego admiratus ad me redii, oransque quid visionis istuc esset cogitavi.* 3 *Et Dominus:* Vidisti Truncum eradicatum? iste semimortuus de Domo Austriaca est, cujus jam parum superest: Cadet, abibit, at sepultura ejus non cum pompa erit, sicuti majorum suorum, sed in horto sub arbore Tiliæ qvam vidisti: intra triduum audies qviddam. 4 Tu igitur per hoc triduum decumbe, vigila, ora, Lectulo non surgens nisi vesperi, sicuti antehac tibi dixi. Ezechielem per trecentos & ultra dies decubuisse: tibi autem triduum solùm injungo. 5 Claudam ego ostium dominationis eorum sic, ut id nemo sit aperturus in æternum, transferámqve gloriam eorum in alios, de qvibus priùs sum loqvutus. 6 *Qva ego miratus invocabam Dominum, decubuiqve, triduum istud precibus & jejunio transmittens.* 7 *Dieqve primò psalmos decantans omnes, qvos memoriter novi: secundò cantica Ecclesiastica similiter, à principio (Cantionalis majoris) ad finem usqve: tertiò cantilenas nova compositionis variorum.* 8 *Qvibus finitis Dominus dixit;* Surge, acceptum est sacrificium oris tui, clamorqve tuus exauditus. 9 *Et mox ad fenestram audivi pulsum trinum (juxta consvetudinem dum loqvi mecum dignatur Dominus:) cum cantico,* Laudate Dominum omnes servi ejus, & qvi timetis eum parvi & magni, Hallelujah. 10 *Post illos verò decubitionis meæ dies ostendit mihi Dominus literas ad me scriptas variâ scripturâ, etiam numerorum cifris: à qvibus spectatis computabat mea mens annos mundi* 5665. 11 *Dominus verò:* Non longè absunt termini mundi hujus, ad qvos tamen tu non pervenies: oportet enim prius adhuc Pacem fieri inter omnes Nationes terræ, ut me unum confiteatur omnis Lingva, me solùm esse Dominatorem, Regem regnantium, & Dominum dominantium. 12 Atqve cùm electorum numerus complebitur, & ego Regnum tradam Patri, tum fiet ut in omnes æternitates unum sit Ovile & unus Pastor. 13 Tu itaqve cum aliis mihi servi, & opus meum age cum Adjuncto tibi: & fideles æstote mihi & vobis, aliisq;

Cul-

Cultoribus meis ad diem usqve vesperæ, atqve tum ego qvoqve vobis complebo promissa mea. 14 *Qvi sermones Domini mei sic impleverunt gaudio cor meum ut cantarem:* Tibi me Deus tradidi, in tuas manus me totum reposui. Tu me tuo rege ductu, tu adversus tentationes robora &c. *Item Psalmum* 141.

[*Ad v. 3, audies qviddam.*) Audivi, qvod Viennâ fuit scriptum: Cùm Leopoldus Cæsar Leopoldo Archiduci (patruo) Viennam adventanti obviam exivisset, congressis illis, & sibi valetudinem gratulantibus, Eqvi seipsos vociferatione, & calcitratione, adorti pugnare adeò ceperunt, ut Currus diffringeretur, ægerrimeqve tumultus iste inter jumenta componi potuit: multis id in omen accipientibus. *Ad v.* 4. 5, 6, 7, 8, 9.) Solemnis ille tridui decubitus, solemnisqve illius approbatio, inseqvensqve triumphus cum nova Visione, qvid sibi vult? Frustra id esse non potest. Si dies prophetici sunt, triennium significantes, videndum erit qvid exacto triennio futurum sit: nempe à 23 Nov. Anni 1664.]

REV. DXXV. Novemb. 29.

[*Termini Bestiæ ac Meretricis exeunt,* 1 — 7: *qvi sermones Dei combusserunt comburentur,* 8 — 10. *Canticum triumphi super Babel,* 11, 12.]

ITerum *ad me verbum Domini factum est, à precibus nocte mediâ peractis.* 2 *Indormiveram enim, & vidi me in conclavi haud amplo, sed decorè ornato, ubi pauci aliqvot viri amicè mecum sermones conferebant.* 3 *Cùm ad me rediissem, dixit Dominus:* Mihi tu fide serve mi, me commovisse Gentes multas adversus Austriacam Domum. 4 Termini enim Dominationis ejus jam hoc anno decurrent:ematurescentqve ad ruinam dies etiam Convitiatorum meorum & tuorum hac in Terra. 5 Attigerunt & maturitatem suam labruscæ, sentes & vepres spinosi, ut intereant. 6 Nam ecce sepulchrum fauces aperiet suas ad eos absorbendum, cum omnibus Bestiam promoventibus in facie terræ: cui insidebat Meretrix cum opere suo malo, & seductione falsæ doctrinæ fidei, & vitæ prorsus non Christianæ. 7 Paucos tu in Domo mea videbis, qvam tibi ordinatam ostendi: juravi enim in ira mea, non ingressuros in reqviem meam eos, qvi fulciebant Bestiam, cum insidente illi Meretrice, hac etiam in terra. 8 Racociana Domus non resurget ad gloriam, qvâ excidit, & qvâ gaudere debuit si obsecundasset mandatis meis. 9 Combussit ille, sicut Joakim (*Jer.* 36.23) sermones meos per te prolatos: & ego ecce combussi Varadinum (Domum ejus!) sicut & Domum Hodosi, qvi spectator fuit cum Princeps verba combureret mea [*NB. Exusta fuit paulò antè, Villa ejus funditùs*] 10 Comburam qvoqve Domum J. M. nisi resipuerit: qvi itidem literas à me per te scriptas, ideam scribendorum à Principe ad Turcam & Status Regni, combussit, abjecto jugo timoris mei. 11 *Post silentii intervallum addidit Dominus:* Servabimini apud me (qvamqvam non sine trepidatione) Vos cultores mei, ad mutationem usqve illam qvæ tempore liberationis vestræ fiet. 12 Tu hominibus parum conversare: scribe hæc, & mitte Adjuncto! una cum Cantico super Babylonis ruinam triumphante, ad excudendum.

REV. DXXVI. 16 Decemb. (*die jejunii mei.*)

[Termini rerum à Deo positi à nemine moveri possunt.]

NE te cogitationibus tuis affligas: serve mi, neqve vanis sermonibus filiorum hominum: qvorum judicia semper à meis judiciis discrepant. 2 Nam omnis sub sole res, magna & parva habet præfixos sibi terminos: qvibus adventantibus nihil mihi, & æterno consilio meo, consilia, vires, sapientia, totius mundi obsistere possunt. 3 Aut dicat aliqvis vestrum creaturarum mearum mihi terræ Dominatori, qvid cras futurum sit, si non prænuntio ego? 4 Jam autem ecce annuntiavi multa sermonibus & prodigiis! sed apud plerosqve in cassum, in testimonium tantùm potentiæ ac bonitatis meæ erga vos, 6 filii hominum, etiam hoc postremo tempore. 5 Non peregit Moses & Aaron omnia, nec peragetis vos duo nunc excitati mei testes, tu & Adjunctus.

ANNO MDCLXII.

REV. DXXVII. 17 Januar.

[Ecclesiæ unitas, & simplicitas. Jugulatores ovium Christi.]

DIluculo, post peractas preces, ostendit mihi Dominus congregationem Pastorum Ecclesiæ, qvos exhortabar ut vocationis suæ memores viverent, Ordinis leges observarent, fœdus cum Deo initum seriò renovarent, sigilloqve corporis & sangvinis Christi confirmarent. 2 *Qvod & inchoatum est cantu,* Pontifex æterne Jesu, gloriose in cœlesti regno, ex Te solatia sua haurit Ecclesia &c. *qvem hymnum expergefactus demum finivi.* 3 *Ubi Dominus:* Ne tristare! implebo ego promissa mea: tantummodò Vos duo testes mei mandata qvoqve implete mea, non celantes ultimam voluntatem meam totum Mundum, Reges, Principes, Dominatus, Ecclesiasqve omnium Nationum. 4 Ut omnes unum sitis in me uno, in unitate fidei cum omnibus me diligentibus in Ovili meo, sub me capite uno: sicuti loqvutus tibi fui anno 1654. 6 Octob. 5 Qvorum sermonum meorum ego memor sum: sed & memores estote vos à me electi & vocati, votóqve huc obligati. 6 Non ignotum est mihi qvàm nunc abjecerit simplicitatem Mundus, mysteriorum loco lingvarum tantùm & Artium varietatem reqvirens. 7 Qvod Majores vestri non respectando, Voluntati meæ faciendæ attendebant, benéqve stabat pusillus grex meus. 8 *Mihi verò incidebat Austriacam cogitare Domum: & Dominus,* Parum ejus superest! exstingvetur ut flos in flamma, & decidet ut rosa inter spinas: de qvo tibi me loqvutum esse memini. 9 Et mementote vos qvoqve duo testes mei, Vos huc à me vocatos, & voto mihi obligatos esse. 10 Et scitote me deturbaturum sedibus suis superbos, ut ne diutius jugulent Oves meas pro qvibus ego animam posui. 11 *Tu vigila & ora: qvod feci cantu Psalmi 72: Amen.*

REV.

REV. DXXVIII. 21 Januar.

[*Deus audit se audientes,* 1 — 3. *Biblia Turcica,* 4. *Pænitentia post mortem,* 5. *Felinus,* 6. 7.]

O*Stendit mihi Dominus Eqvum; super qvem posuerunt me, & ego transeuntibus qvibusdam cum pompa (inter qvos fœmina qvadam illustris fuit, ætatis provecta) benedictionem impertiebar.* 2. *Sed illi hac contemtu excipiebant, ut dolorem me, & verba mea, susqve deqve haberi: adstantes enim irridebant me, caput jactantes.* 3 *Ut ad me redii orabam ad Dominum: & Dominus;* Audio ego clamores vestros, qvando & Vos clamores meos ad vos auditis: sed ingratos & me contemnentes contemno. 4 Abierunt è vita qvibus per vos loqvutum fuit os meum, Principes & Principissa Racocia, nolens parere meo mandato de procurandis lingvâ Turcica Bibliis, in spem conversionis Gentis illius. 5 Pluris illa æstimabat aurum qvod apud me lutum est, qvàm verba mandati mei: sed agnovit illa jam, & dolet, id qvod qvomodo fiat tu nondum nosti. 6 Reliqvis Domûs illius qvid futurum sit, videbis brevi: mea enim est ultio. 7 Joh. Felinus finem brevi asseqvetur: qvod ego miratus cecini Psal. 130. *(Ille autem mortuus est 6 Aprilis.)*

REV. DXXIX. 1 Januar.

[*Deus suos mirabiliter ducit, malos punit.*]

M*Æstus eram spiritu, recogitans mirabilem Dei ductum sanctorum suorum, olim & jam: qvomodo nos miseri spectaculo reddamur Mundo coram inimicis nostris.* 2 *Et facta est vox Domini ad me:* Miraris tu antiqva mea facta? mirare moderna etiam, tametsi Vobis nondum per omnia nota. 3 Ecce nidus malus filiorum maligni illius, festinans ad finem suum mihi notum, non vobis: qvorum frontibus inscripsi ruinam & ultionem, qvam non evitabunt. 4 Tu vigila, & qvorsum vocaberis ito! in me robur & scientia est in defensionem vestri. 5 Sermones meos per te prolatos multi legent ingratè: sed tu id nihil cura: mea expectans solatia, tibi & alii ventura. Hallelujah!

REV. DXXX. 8 Febr.

[*L. de Geer. Deus per invia viam invenit.*]

EXhibuit mihi Dominus Virum mediocris proceritatis, albescere incipientem capillo, mihi admodum affabilem, dicens, *Degerium vides:* addiditqve de Adjuncto meo qvædam, cur nondum edat scriptum meum *De Electione*, variis hominum judiciis retardatus. 2 Reversus ad me oravi pro utroqve: & Dominus, *Ab utroqve exspecta literas, cùm Tabellarius venerit.* 3 Mox redormiens vidi me in monte prærupto, solicitus qvomodo descenderem: sed conversus ad sinistram, conspexi viam commodi descensûs, gavisusq; descendere festinavi, & descendi salvus. 4 Cum verò evigilassem laudavi Deum cantu Psalmi tertii:

atqve ut hunc finivi Dominus dixit ad me, *Ascendisti tu in alta & prærupta, ideoqve periculosa loca, sed ostendam ego tibi viam.* 5 *Mihi tantùm fide, meámqve fac voluptatem, expectans tacitè solatia mea, tibi & multis obventura, de qvibus laudabitis nomen Dei. Hallelujah.*

REV. DXXXI. 9 Februarii.

[*Ecclesiæ collapsus decor omninò reparandus.*]

MEdiâ nocte peractis mihi precibus, ostendit Dominus Arcem excelsam, & sub illa Civitatem ædificiis plateisqve pulchrè ordinatam, per qvas deambulabant Viri honesti, & ego in medio illorum habitu Pastorali. 2 Et accedebant ad nos Viri juvenes, alii modestè ac honestè, alii licentiosiùs se gerentes: qvos modestiæ ac verecundiæ, humilitatisqve, admonebam. 3 Ad me reversus qvid Visionis esset cogitabam: orans Deum pro conservatione veritatis Doctrinæ puræ, Ordinisqve boni. 4 Et alloqvutus me Dominus meus dixit: *Sermones meos ad te factos impleri oportet, ut post exstirpatos Idololatras Domus Mundi, & Civitas impuritatibus oppleta, reparetur, Operariisqve instruatur, qvi mihi purâ simplicitate vobiscum (Cultores mei) serviant.* 5 *Qvod unus de mille intelligere non vult, nec propter incredulitatem erga mea verba potest: tu autem mihi & sermonibus meis crede, & non desereris.* 6 Qvod ego admirabundus excepi, & scripsi: cantans hymnum Ecclesiasticum, *Superædificasti nos (ô Deus) immoto fundamento, implantasti nos Christo Viti nostra, aggregastiqve Populo Tuo, ut Te nostri amantem agnoscentes, per dilectionem sanctam in societate persistamus.* Amen, Hallelujah!

REV. DXXXII. 15 Februarii.

[*Judicia Dei non mutantur,* 1 — 3, 8, 14, 15. *Felini exeqviæ,* 4, 5. *Consiliarii Austriaci excæcati,* 6, 7, 17. *Poniatovia,* 9.]

VIdi *Officinam textoriam, in eáqve pulchri Operis initium: mihi autem, ut qvæ pulchrè continuanda textura servirent seligerem, demandabatur.* 2 *Mox adductus fuit Eqvus pulcherrimo ephippio stratus: ego autem placentas distribuebam adstantibus, qvas illi excipiebant cum gaudio.* 3 *Ad me reversus, orabam Deum, ut potentiam ostenderet suam adversus hostes Veritatis Filii sui, criminatorêsqve meos qvos ipse nosset.* 4 *Et insonuit svavis vox Domini Dei mei:* Ne metue! videndo videbis ultionem meam super eos, etiam super Felinum Virum vanæ gloriæ, qvem auferam è terra. 5 Si reqvisitus fueris de funebri super illo sermone, ne recusa: indam ego ori tuo qvæ (cum usu) proferas. [*Et mox inciderunt mihi verba super qva dicturus essem,* Lazar amicus noster dormit.] 6 *Et Dominus iterum:* Ne metuas homines! Contorta ego reddidi ratiocinia Consiliariorum Domûs Austriacæ. 7 Qværunt illi ut olim excæcati Sodomitæ ostia, ad vim inferendum illis à qvibus sibi plagæ instant:

instant: sed frustra. 8 Nam qvi ad gladium, ad gladium: qvi in captivitatem, in captivitatem. 9 Memini ego qvæ Poniatoviæ loqvutus sum, & tu ista tuis conferens recte facis. [*NB. Legebam enim biduo illo, qvid de Orientali prædictum ibi fuisset reqvirens:*] 10 Spiritus spiritum, & abyssus abyssum, provocat huc-usqve, etiam per prodigia: sed qvam pauci sunt qvi hæc in cor admittant, ad resipiscentiam! 11 *Cumqve addidisset*, Tu mihi confide, & qvæ mando fac! *exclamavi ego*, O Deus, Deus, Deus, mitte qvem missurus es! 12 *Et Dominus*: Mittam brevi: Surge, scribe! Veniet informatio, tantùm qvod nondum vides. 13 *Cecini ergò*: Deus tibi gratias agimus incessanter, qvi nobis partem dedisti in sorte sanctorum, super qvos commiseratio Tua est: rogamus da perseverare in hac gratia, Teqve perfrui in cœlesti gloria. 14 *Postqvam cessavi, justam post moram perrexit Dominus*: Implere promissa mea solitus sum, & adhuc, illis qvi me solum invocant: inimicos autem meos, & criminatores vestros, non audio. 15 Clamant & illi, sed frustra: qvia spreverunt consilium meum filii contumaciæ, hac etiam in Terra qvam ego plagis meis jam concutio, juxta verba mea per te prolata. 16 Qvos jam mitte, donec ipsi te reqvirant: atqve tum illis me, & sermones meos, ostende. 17 O tu abominabilis Austriaca Domus, peribis cum Consiliariis & ducibus tuis! 18 Tu rarò exeas, patiens esto, vigila, ora: *qvod feci, ea die jejunio transmissa &c.*

REV. DXXXIII. 23 Febr.

[*Sermones hi in gratiam totius Mundi proferuntur, 1 — 3. Ruinæ Domus Aust. & Hispanicæ initium erit Hungarorum defectio, 5 —*]

V*Idi me Curru vectum, ex qvo exciderunt asseres: ego tamen illæsus exii.* 2 *Mox vidi armatos concurrere ad bellum, exqvirens ab illis, Qvisnam esset victoriam reportaturus? experrectusqve plenus fui timoris.* 3 *Et Dominus ad me*: Vehunt te, serve mi, sermonibus suis nasuti, malum etiam Vobis testibus meis inferre avidi: idqve proximi tibi & remoti, ob sermones meos ad te, non propter te, sed propter Mundum totum, prolatos. 4 O vos fragmina jam tantùm ramorum Domus Austriacæ, & Hispanicæ. 5 Domûs Austriacæ radices in terra Hungariæ jam ego evello: sicuti pridem loqvutus tibi fui. 6 Domus enim ista odium sibi apud Nationem hanc conciliat consiliis pravis: propter qvæ jam jam ab illa deseretur, cum ignominia sua & Hispanicæ Domûs. 7 Ecce jam laqveum paro, qvô Domus ista suspendetur, ut viscera ejus tanqvam Iudæ inspectante Mundo effundantur! 8 Dies enim ultionum mearum super utrumqve populi mei Oppressorem venerunt. 9 Qvod nemo credere vel intelligere voluit, ut & hactenus: tu autem mihi fidens perge in vocatione tua. 10 *Et laudavi dilectum Deum meum: cantu etiam, ut daret Regibus in cor &c.*

REV. DXXXIV. Februarii 25.

[*Omnium Orbis Ecclesiarum in UNITATEM Fidei ac Ordinis coalitio suavissimè præfiguratur: Deo enim organa non deesse, tametsi qvi ad hoc agendum primariò vocati erant, hoc non egerint, 14.*]

I*Terum ad me verbum Domini factum est, cùm super adventantem Cæsareanum militem omnes per viciniam terror invaderet, fugerentqve ad Arcem nostram, & bona sua prædæ eripienda secum ferrent, aut veherent, agminatim, ipso diluculo, ut me qvoqve pavor corriperet.* 2 *Sed Dominus, immisso mihi somnô, ostendit Hortum feris alendis destinatum (vivarium) qvadratum, cum sepimentis undiqve perruptis, aut collapsis, gramine inutili, sentibusqve oppletum.* 3 *In qvem ingressi Viri docti & venerabiles deambulabant, rogantes me & dilectum Adjunctum meum, ut nos cum Ordine Ecclesiarum nostrarum jungere illis vellemus.* 4 *Qvod nos lubentes fecimus, sicut & Confratres nostri: unanimiter aggressi reparare munitiones, ab Orientali plaga facto initiô, habentesqve auxilio Viros Politicos, supremæ & inferioris potestatis, egimus opus cum lætitia, concorditer & tranqvillè, cantando & psallendo.* 5 *Mox strata sunt mensæ, accumberéqve fecimus magnos & parvos, divites & pauperes, distribuentes Panes candidissimos, Vinumqve exhibentes defæcatum vasculis mundissimis.* 6 *Cantabatur verò Canticum Ecclesiæ nostræ (N°. K. 3.)* Agnitâ ô fideles voluntate Domini arma induamus, assistentesqve Domino præliemur, mox visuri auxilium &c. 7 *Qvem cantum ego continuavi donec evigilarem: mirabundusqve tantùm variorum illorum erga nos humanitatem, & in opere unanimitatem, sonorè iterum cantavi,* Veni sanctę Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende &c. 8 *Postqvam finivi, alloqvutus me dilectus & in æternum benedictus Dominus meus, dixit:* Vidistine Hortum mundi? hominum ut gramen crescentium, sine ordine sepimentisqve existentium, & parum Veritatis, parum lucis, parum doctrinæ & vitæ meæ simplicis ac mansvetæ, parum deniqve erga me & se invicem dilectionis, habentium? 9 Qvibus ego ante meum adventum per Vos, vasa mea, succursum volo: ut omnes omnium virtutum Ornamentis decorati, ad accumbendumque mensæ meæ introducti, agnitione mei panis vitæ, & succi vitis, munditiéqve spiritûs & corporis, perfruantur. 10 De qvo permulti filiorum seculi, & vanitatum ejus, per faciem terræ habitantes, nihildum sciunt. 11 Sed commovi ego ecce jam Gentes, ut veniendo perreptent Christianitatem! 12 Vos tantùm ô aliorum duces, Seculares & Ecclesiastici, admittite consilium ut unum sitis! dexteras vobis mutuò porrigentes in vinculo pacis. 13 Tu mihi confidens meum ductum seqvere, sicut & alii qvi nôrunt me, ego enim Opus meum continuabo, tametsi non sine metu vestro à Tyrannis, qvibus ego terminum illis ignotum posui. 14 *His ego auditis cogitare cœpi, oraréqve,* Qvis jam Dei causam acturus sit, post exstincta visca illa, Septentrionale Svecum, & Orientale Racocium? 15 *Ad qva Dominus:* Habeo ego jam alios, tibi nunc ignotos. 16 Obruerunt comminationes meæ Domum Racocii, cum pravis Consiliariis suis: obruent jam & Domum Austriacam cum Exercitu suo, hac

hac in Terra scelera patrante. 17 An non ego per te, Vas meum, dixi, ut Racoci cum Incolis Terræ hujus meam adversus Idololatras causam agere inciperent, antequam Australis sol liqvesceret, Terràmqve hanc exurere inciperet? 18 Sed omnia illis in cassum dicta & scripta fuêre. 19 Tu nemini jam scribe donec J. Med. veniat, à qvo nihil horum absconde, cùm postulabit. 20 *Et feci ita, laudans Dominum.*

REV. DXXXV. 1 Aprilis.

[*Videnti tandem accedent cooperantes in Hungaria, 2. Cæsar, 6.*]

A *Matutinis precibus veni in ecstasin, & vidi Cœtum congregatum ad me audiendum: ego igitur concinem habiturus præcinui Psalmum* 99 (Ecce Dominus regnat!) *cantandóqve evigilavi. 2 Et Dominus Jesus ad me:* Appropinqvat tempus ubi reqvireris, ut publicè annunties voluntatem meam, de Opere meo in hac Terra peragendo, qvod inchoare debuit Racoci nec inchoavit, eóqve attigit finem suum sicut alii increduli. 3 Sed alii mihi sunt in facie Terræ, qvi Opus meum facient, à qvibus mandata mea de abolendis execrationi à me datis Idololatris ne absconde. 4 Habebisqve auxilio fideliter cooperantes, etiam notum tibi Casparum Toposch, cum aliis nondum tibi notis. 5 Tantùm ut fiat qvemadmodum mandavi dudum, de intercludendis transitibus, ad non evehendum thesauros. 6 *Mihi autem venit cogitare Viennam, & Cæsarem: ubi Dominus;* Imposui ego capiti ejus à tergo mitram fœdam, qvam ille nondum videt, neqve Consiliarii sui. 7 Sed videbunt cùm oculis ejus obvenient dudum factæ comminationes meæ, qvas pertimescere jam incipit cum pravis Consiliariis suis, nemini fidem servantibus. 8 Tu mihi crede, in sorte tua sta, labora cum illis qvos tibi auxilio mittam, sine tua cura. 9 *Et cecini Psalmum* 18.

REV. DXXXVI. 3 Aprilis.

[*Discordias Pastorum Ecclesiæ, lites & ambitionem, non diutius tolerabit Dominus.*]

V*Idi me in cœtu Pastorum Lutheranorum, cum Superattendente Ilavviensi; qui mecum, & Adjuncto meo, de scriptis nostris, Ordinisqve Ecclesiastici necessitate; ita contenderunt, ut ego inservere ad me reversus, me plenum sentirem doloris, super tantas Evangelicorum discordias. 2 Orans Deum ut ipse subveniat, nosqve ad tempora illa qvibus concordiam dudum promissam, Unanimitatémqve sanctam* (*de qva* 1655. 60*d.*) *videre daretur, reservet. 3 Cùm verò de his meditarer, dilectus meus Dominus hæc ad me:* An ignoras tu, cum aliis, vos et Unitatem vestram semper, propter dilectum illum mihi Ordinem exosos fuisse? solam nocendi vobis defuisse, ac deesse, facultatem. 4 Inter Saxoniæ & Palatinum Electores, Daniæqve ac Sveciæ Reges, discordiarum qvæ causa nisi invidia? qvam provocârunt & acuerunt ipsi Ecclesiastici. 5 Nec illa nunc abest in Hungaria; qvare tibi cum illis parum sit nego-

negotii, donec ille veniat qvem missurus sum citò. 6 O vos infelices filii hominum! qvi cùm in me unum esse debebatis, scinditis Vos sine causa; de verbis & prærogativa litigantes: 7 qvam ego nihili feci habitans in Terra, & facio sedens in throno meo, videnſqve cogitationes vestras, & audiens verba, & expectans dum vos in prioritate constituti meliùs sapere incipiatis: 8 habentes Me caput unum, & Legem meam sanctam unam, & Spiritûs mei operatione Fidem unam, Baptisma unum, fruitionémqve in sacra Cœna Corporis & sangvinis mei unam, in memoriam mortis meæ, uniusqve victimæ meæ, pro peccatis vestris justitiæ Patris mei satisfacientis. 9 Vos autem qvia de verbis tantùm litigatis (res autem ipsas mysterii mei negligitis) ecce fiet sicut dixi (Matt. 24 ✝. 40, 41) fore ut duo sint in agro, alterqve assumatur & alter relinqvatur: duæ item in mola, alteráqve assumatur altera relinqvatur. 10 *Quæ verba ego miratus orare cœpi, ut ipse Deus quod in nobis impurum est emundaret; quod erroneum, emendaret; quod morbidum sanaret: clamare etiam, ut me vindicaret à crimpatoribus meis.* 11 *Dominus autem:* Illud tu mihi relinqve, ego faciam. 12 *Et mox decidit à laqveari meo qviddam super cistam meam, ut perterrefierem: & Dominus,* Brevi audies casum istius Viri vanæ gloriæ de qvo tibi (1658. Martii 5: & nuper 15 Febr.) loqvutus sum. 13 *Quò ego audito oravi protectionem mihi & aliis piis, benedictionemqve super labores nostros. Et Dominus:* Oculus videbit tuus profectum laboris tui. 14 *Et ego dixi, Amen! Ille verò de qvo loqvutus fuit Dominus, mortuus est die inde tertia, 1. Aprilis.*

REV. DXXXVII. 8 Aprilis.

[*Insinceri perquam, Leopoldi ducis.*]

VIdi frumenta, qvæ distribuebam; ambulanſqve juxta aqvas piscabar hamo, magnâ utrumqve animi alacritate. 2 Et mox Dominus: *Habebis & tu quæ distribuas, piscatioqve instat hamò promissionum mearum, quas & dudum feci & facio nunc vobis fidelibus meis.* 3 Quod ut fieret oravi, Psalmum qvoqve 23 decantans: sed mox rursum indormiens vidi cum aliis Paulum Laurinum manu literas tenentem, mihiqve illas ostendere adeò renuentem, ut ego insinceritatem illius zelans evigilarem. 4 Ubi Dominus: *Neque illum habes apertum, tametsi præ se ferat, experieris brevi.* 5 *Ecce mortuus jam est Palinus Vir spiritûs perversi, non erga te solum, sed erga me etiam! & mortuus in felle amaritudinis, animam habens coram me impuratam.* 6 *Et quod illi factum, factum est juxta sermones meos tibi ante nunciatos; nec aliud expectent alii criminatores tui, T. I. & L. K.* 7 *Tu me time, & voluntatem meam fac, non desereris:* qvod ut fieret, Deuſqve me non desereret, sed vias prudentiæ doceret, misericordiam ejus oravi. 8 Iterumqve, aliqvam post moram, *Ne te affilge, brevi LEOPOLDUS Cæsaris Patruus unà cum illo finem assequentur suum.* 9 Ego miratus, qvod de his tam fervidè ad me miserum peccatorem Dominus, oravi à peccatis meis ablui, Amen.

REV. DXXXVIII. 14 Aprilis.

[*Christus suis arx firma. Puchoviensium pœna. Hungariæ qvies non speranda, nisi sub Rege indigena.*]

O*Stendit mihi Dominus rudera, quæ reparare volui à sinistris: ad dextram verò conversus vidi montem altum, & super illo Civitatem munitam, ad quam festinans cum aliis vidimus suburbii ejus plateas duas incendiô vastatas.* 2 *Cùm autem à præsentibus* Qvando id esset factum *exqvireremus, redii ad me plenus tædii, orans protectionem mihi & aliis Dei cultoribus.* 3 *Et respondit Dominus & Deus meus*: Ecce ego, ipse ego, sum Arx & propugnaculum Cultoribus meis, non permissurus eos ruere qvi meam faciunt voluntatem. 4 Redacturus verò in nihilum eos, qvi me fucatè colunt, trahentes interim funes fraudum cum perversitate: volentes opprimere veritatem, fenestrasqve aperire dolis, & ostia mendaciis. 5 Ex qvorum numero sunt Puchoviensium pars, de qvibus tibi jam ante sexennium dixi, eos incendiô vastatum iri; Non tantùm antiqvos incolas, sed & advenas, erga me & se invicem corde fraudulentos: qvos tu nihil metue, innixus mihi. 6 Scias etiam, diluvium exercituum Orientalium jam jam se volvere: ideò qvi in agro est, fugiat ad montes, neqve revertatur. 7 Nam ignis iræ meæ ibit, ad exurendum, ad mactandum, ad abducendum in captivitatem, ut grave sit Terræ huic. 8 Neqve finis erit qvàm diu id factum non fuerit hac in Terra, de qvo tibi dudum loqvutus sum, ut Regem non alienigenam, sed ex gente propria sibi eligant. 9 Qvod aspernati sunt illi, qvibus honorem hunc offerebam, qvem rejecerunt non suo tantùm sed totius Terræ hujus malo: qvod ita esse, vel cæci jam videre possunt. 10 Qvis autem Rex futurus sit, videbis deinde: tu tantùm ne taceas, sed I. M. & alios denuò urge, ut omnia verba mea expendant, etiam qvæ de Corona Posonii asservanda loqvutus sum, ut ne serò deplorent aut ignorantiam prætendant. 11 Tametsi verò te pro stulto habeant, nihil id cura, me uno & ductu meo contentus. 12 I. Med. dic, ne aspernetur vestra in Arce refugium habere: nam ubi jam est (Betzkoviæ) securus non erit. 13 Surge, scribe, ora, mea jussa exseqvere in cordis simplicitate, mea exspectans solatia. 14 *Ego verò tam paternum erga me affectum Dei demirans flevi: etiam consideratione qvod præteritis annis frustra scripsissem omnia, mundo his Dei sermonibus fidem denegante.* 15 *Surrexi deinde, & hæc scripsi, Psalmum decantans* 18.

REV. DXXXIX. 16 Aprilis.

[*Mons arduum judiciorum Dei 1-3: temerariò judicantes vani, 4, 5. Satan omnia miscet, ad excitandum tragœdiam horrendam, 6.*]

E*T factum est iterum ad me verbum Domini, postqvam mihi ostendisset* Montem præaltum, *qvem conscendere annisus ego captabam gramina, radices, arborumqve*

 ramos:

ramos: sicut & alii me sequuti, quibus de divino nostri, filiorum hominum, ductu verba faciebam. 2 *Ut verò mihi redditus eram, audivi Dominum meum dicentem:* Dilecte mi, mons præaltorum judiciorum meorum nimis arduus est vobis mortalibus & temporariis ad conspiciendum, neqve ad penetrandum consilia mea sensus vestri mortali hac in vita sufficiunt. 3 Acqviescite itaqve potiùs sermonibus sapientiæ meæ, ratiocinationésqve Vestras immaturas omittite. 4 Ecce multi gerunt typum imaginis meæ, nomenqve Christianitatis, sed sonitum habent numismatis mali: omnes illi qvi ductu non acqviescentes meo, sermones meos aspernantur, ideò illis non benedicet dextra mea. 5 Mira de te qvoqve sunt judicia inter homines, propinqvos & remotos: sed tu mihi confisus expecta patienter, & fidenter, me & horam solatii mei. 6 Miscet qvidem Diabolus omnia ut confundat homines, sed frustra omnia: Surge, scribe, in me solum recumbens totus. 7 *Ego hac admiratus invocabam Dominum cantu:* O tu solus sapientia nostra, semper omni tempore, Domine Jesu &c. 8 *Cùm verò surgens hac scriberem, misit Dominus Med. invitatum me in Arcem ad prandium: ubi (præsentibus aliis quoqve Nobilibus Viris tribus) multi sermones erant (ante & post prandium) de rebus qua jam fiunt.*

(Nempe de Comitiis qvæ Cæsar indixit Posonium, & Turca cum Transylvano Debrecinum: & qvomodo novus Princeps Abaffi promittat nón deserere Hungaros &c.)

9 *Reversus à meridie domum reclinavi me in lectulum: & Dominus.* Permisi ego Satanæ juxta judicia mea, ut in Nationibus Terræ inchoaret choreas (*cùm autem cogitarem, nondum unqvam qvidqvam de choreis fuisse loqvutum Dominum, dictum fuit,* Scribe igitur Tragædiam): 10 cui similem Mundus non vidit ab eversa Jerusalem, Civitate in qva ego fui mortuus & revixi, juxta Scripturas. 11 Nam & ille (Satan) breve jam tempus habet ad operandum malum suum Opus super terram: qvô impleri oportet omnia qvæ loqvutus sum in terris habitans, de ultimis Mundi temporibus. 12 Tu à criminatoribus tuis silens esto, & patiens, tempus expectans meum. 13 *Cecini ergò hymnum Paschalem, auxilium implorans Dei.* 14 *Eademqve die venerunt literæ ab Episcopo Ilaviensi, varia nuntiantes: etiam de Regis Galliæ apparatu* 15 *Qvibus ego ad magis invocandum eum, cujus nutu fiunt omnia, inflammabar: recordatus qvalia de Rege Galliæ antehac loqvutus fuit Dominus.*

REV. DXL. 29 Aprilis.

[*Vagina sine cultris malevolorum lingva,* 1-4. *Videns manere loco suo jussus,* 5. *Adjunctus,* 6, 11, 12. *Legatus Sveticus.* 7. *Rex Franciæ,* 9.]

INter suspiria matutina, cùm in tristi admodum essem animæ statu, ostendit mihi Dominus Viros, notos & ignotos, contendentes mecum: habentésqve in manibus vaginas cultris vacuas, furculas tantùm, qvas illis eripiebam. 2 Et Dominus ad me: *Ostendi tibi Osores tuos, quibus nocendi tibi non deest voluntas ut vagina, sed desunt cultri potentia; tantùm qvòd te sermonum cuspidibus pungunt, cave tibi ab illis.* 3 *Impegi ego animis & cordibus eorum terrorem, tanqvam hamum: implebunturqve horrore magis qvàm tu modò!* 4 *Nihil itaqve illos metue, domi tamen te continens, muniaqve peragens tua: mibi de te cura est.* 5 *Diluvia ibunt, sed præter vos: tu itaqve mane, neqve* aliò

alii concedas (NB. id enim cogitabam, à malitia Diotrephis subducere me qværens) *ut ne ludibrio sis si dicant, Non habere te omnipotentem clypeum: et qvò vocaberis ito.* 6 Cùm autem Adjunctum cogitarem, responsum fuit: *Utinam non sit frigidus vel calidus: mente erga te & me distractâ.* 7 Ego verò mox extra me raptus, vidi homines varios, Cæsarisqve ipsius personam habentem os obturatum linteo. 8 Adstantémqve illi Legatum Svedicum (qvi tum temporis Viennæ fuit) animo hilari, heroicè loqventem Consiliariis Cæsareis, Politicis & Clericis, qvi sibi lingvas præcidebant cultellis. 9 Qvæ ego intuitus, orabam ut veracitatem suam ostenderet Deus in iis, qvæ de Rege Franciæ per me prolata voluit. 10 Et ostendit mihi Dominus personam ejus, vultu delectabili: mihi verò in mentem venit Francisci Racoci, qvod orare pro ipso prohibuisset Dominus. 11 Iterúmqve cogitavi ex animo dilectum Adjunctum meum, orans pro illo: sed Dominus, *Utinam ille non sit animò erga me & te distractò! conservavi ego iterum vitam illi.* 12 *Cognosces ex literis ejus, qvomodo te apud illum depingant criminatores tui: sed accipient præmium.* 13 *Tu homines cave, à qvibus ego te protegam & consolabor.* 14 Qvæ verba me in gaudia, & lacrymas, & preces ac suspiria multa, concitârunt.

REV. DXLI. 5 Maji.

[*Veterini maligna convitia, 1: Videntis preces ac jejunia, 2, 4: Dei solatia, 3. &c. Politici Clericorum bona inter se divident, 5 - 8. Hungari incipient, Germani perficient, 9.*]

ERam in amaritudine spiritûs, propter importunissimum adversarium Veterinum, convitiis scripto comprehensis bis jam à Felini morte me incessentem qvorum: prius ego ad mandatum Dei, præsentibus Viris nobilibus, exussi: ille verò adornaverat novum) 2 Vacabam igitur jejunió & precibus, 4 & 5 Maji: utrôqve die solatia divina varia persentiscens corde meo. 3 Sed 5 Maji ostendit mihi Dominus epistolas duas pingves: dicens ad me, *Duæ venient pingves epistolæ, qvibus vocaberis* (qvô autem vocandus essem non addidit.) 4 Ego igitur ad preces conversus, multis cum lacrymis pro me & Nationibus Terræ orabam, ut omnes videre possent non figmenta cordis mei (ut sceleratus calumniator traducit) à me scribi, sed verba qvæ ipsum os Dei proferre dignatur. 5 Peractis his precibus, ostendit mihi Dominus variarum gentium Politicos, qvi magna in Domo frumenti acervos, majores & minores, circumspectabant; consultantes cuinam acervus hic vel ille cedere deberet. 6 Adstabant verò & accumbebant frumentis illis Clerici Papani vario habitu, maledicentes Politicis: ut mihi etiam terrori essent, dum neminem ibi notum haberem. 7 Tenebam autem manu alterô gladium Turcicum falcatum, alteró ensem Germanicum: cum qvibus armis egressus transii aliam in Domum, ubi tranqvillius eadem peragebantur, qvod mihi admirationi fuit. 8 Reverso ad me facta est vox Domini: *Serve mi, jam tibi ante significavi Politicos inter se partituros bona terrestria Clericorum, qvod hi torvùm spectabunt, in Terra hac & aliis.* 9 *Tibi dextra in manu gladius fuit Turcicus, in sinistra Germanicus: qvia Hungari incipient, & Germani perficient.* 10 *Tu patiens esto & mihi fidelis, cum aliis mei et salutis suæ amantibus: non deseremini.*

REV. DXLII. 17 Maij.

[*Connubia nobiscum Christi suavissima: Mundani non intelligunt*, 1-8. *Videntis hostes lupi nocere neqveuntes*, 9.]

ITerum ad me verbum Domini factum est nocte mediâ, cùm expergefactus orarem. 2 *Vidi me inter Viros connubium inter Sponsum & Sponsam conciliantes, dotemqve tabulis inscribentes: qvod lætitiâ magna egimus, & peregimus.* 2 *Reverso autem me ad me dixit mihi Dominus:* Vidisti, dilecte mi, connubia mea vobiscum: Vobiscum dico, qvos ego adamavi ab æterno, & diligam in æternum; 3 Modò Vos etiam primò me Creatorem vestrum, Redemptorem vestrum, Sanctificatoremqve vestrum, deinde autem vos ipsos Creaturam meam, diligere velitis. 4 Qvapropter jubilate & psallite, ex Cantico Salomonis, Dilectus meus mihi & ego illi (*qvod ego succinui Domino, profluentibus ab oculis meis abundè lacrymis: & Dominus*, Ne plora!) 5 Qvæ connubia filii seculi, & filii contumaciæ, juxta proprias cupiditates ambulando, aliiqve alios in mendacia abducendo, non intelligunt, nec intelligere propter fastum & proterviam volunt, & possunt: ideóqve mundo sine spe bona excedunt. 6 Tu autem cum aliis me noscentibus, & diligentibus, credite meam vestri dilectionem æternam esse: sicut & Patris mei, in virtute Spiritûs æternùm à nobis procedentis. 7 Ne metuite igitur! meumqve jugum ferte, sicut ego tuli vestrum; fideles manentes mihi, & vobis, ad mortem usqve. 8 *Qvibus Domini mei verbis ita viscera mea fuerunt commota, ut (ex cantico Ecclesiastico) exclamarem:* Diligamus Dominum nostrum, jussa ejus facientes, cordéqve toto illi confidentes. 9 *Postqvam autem reliqvam noctis partem suspiriis transegissem, indormivi diluculo: & vidi me pisces Lupos (Lucios) captare, prægrandes primùm, tùm & minores.* 10 *Et Dominus:* Duûm generum Lupos vidisti, primùm grandes, qvi sunt primarii inimici, qvos expertus es propter sermones meos ad Nationes Orbis per te factos. 11 Hi autem ubi jam sunt? abierunt in locum silentii, te relicto illæsô: qvod res ipsa testatur, in æternumqve testabitur. 12 Alii sunt minores, qvos tu nihil metue: nihil hi poterunt, se ipsos inter seipsos mordendo atterent. Tu ora Psalmum cantando 36.

REV. DXLIII. 18 Maji.

[*Pastores Ecclesiæ in ordinem redigendi*, 1 — 3, *amotâ Austriacorum tyrannide*, 4 — 6. *Gentium illuminationi subsidia paranda* 7: *Hungarorum Comitia exulceratio nova, persecutoribus exitium allatura*, 8.]

CUm preces peregissem matutinô, ostendit mihi Dominus Cœtum Pastorum, Ministeriiqve Candidatorum: qvos omnes ad charitatem, & mutuam in simplicitate cordis dilectionem, adhortabar, accumbere faciens mensis, hos cum illis. 2 Veniensqve Episcopus collocavit me in sella, de qva Fr. Hladik surrexerat. 3 Hæc ut transivêre, dixit Dominus meus ad me: *Acqviesce*

tu

tu voluntati meæ, & ductui meo! Ego carbones candentes aggeram super caput Obtrectatorum meorum & tuorum; mihi tu fide! 4 Ego autem oravi, ut suos de Austriaca Domo sermones impleret Dominus: & mox vidi Belluam qvandam humi jacentem, mactatam & excoriatam, qvam sibi ostentabant multi, abominantes illam. 5 Sed ego ad Deum conversus orabam, & lapis qvidam decidit in scamnum, qvod gaudebam: mox enim Camera mea facta fuit ceu Opere fornicato, albore tota splendens. 6 Qvæ omnia cùm mirarer, dixit Dominus: *Iam apud me Bestia illa mactata est, super qvam eqvitabat Meretrix, excoriabiturqve jam jam in conspectu gentium, & Hispanus & Austriaca Domus, cum Babylonica illa simia, Papa: nam mensuram tyrannidis suæ expleverunt.* 7 *Vos Cultores mei, qvi me & nomen meum novistis, mihi confisi laborate in iis qvæ ad Gentium illuminationem faciunt, non deseremini! apud me est & potentia, & scientia, & veracitas.* 8 Qvi sermones Domini adeò affecerunt me, ut diem hanc jejuniô & precibus transmitterem totam: orans potissimùm pro Regnicolis ad Comitia sese congregantibus. 9 Ubi Dominus iterum: *Exulceratio nova fiet hac in Terra, cum sangvinis profusione: sed victoriam Cultoribus meis dabo, tametsi non incruentam &c.* 10 *Tabellarius (cum literis è Belgio) postridie veniet.* Et venit, laus Deo.

REV. DXLIV. 23 Maji.

[*Deus omnium suorum ductor, 1 -- 3: cujus ductu qvisqvis non acqviescit, periculosè incedit, 4 -- 7. Austriacæ Domûs fores jam occlusæ 8.*]

QUid *responsurus essem amicis & Patronis in Belgio cogitabam: & Dominus,* Scribe, manuductionem meam Vestri, filiorum hominum, non semper & omnium esse eandem. 2 Nam nisi ego Dominus aliqvid alicui tribuam, sumere ipse sibi nemo potest, neqve dare alteri: qvia viæ vestræ non sunt in potestate vestra. 3 Novi ego qvid cuiqve Vestrûm concrediderim, & qvomodo tempore mihi noto rationes reposcam. 4 Vos ergò filii mei, & filii hominum, ductu meo acqviescentes, demensum Vobis à me Vitæ cursum cum timore & tremore agite, in omnibusqve honorem meum & proximorum commoda (sine personarum respectu) qværentes, alii aliis, ut multifariæ gratiæ meæ boni dispensatores, servite. 5 Nemo se supra sortem suam attolens, sed ubi ego Dominus vester, Magisterqve vester, unumqvemqve locavi ibi se custodiens, & donis sibi à me assignatis (seu multum seu parum fuerit) acqviescens. 6 Aliàs si Vos ipsos, & proprii cordis figmenta, non autem detectam Vobis voluntatem meam seqvi voletis, periculosè incedetis. 7 Adjuncto mitte Obtrectatoris tui duplicam, ad respondendum: qvod prohibebam priùs toto annô, silentia svadens, nunc autem tempus est. 8 *Ego verò pro Terra hac Deum orans, an Cæsar ad Comitia esset venturus cogitabam: & Dominus,* Clausi ego fores Domûs istius, nec erit qvi aperiat. 9 Videbis brevi, qvid facturus sim in conspectu Mundi totius.

REV. DXLV. 28 Maji.

[*Danus cum Svecis, Mosci cum Polonis,* 3. *Austria cum Papa,* 4, 5, 6. *Apafi cum Hungaris,* 7.]

VIdi torrentem aqvarum ad meam Domum sese volventium: & qvidem sine prævia pluvia, cœlo sereno. 2 Redditus mihi cogitabam, qvid Visionis esset: & Dominus, *Onus verborum meorum veniet super gentes.* 3 *Danus iners denuò calcem tollit adversus Svecos, suo malo: sed cùm venerit Moscus, Poloni malè stabunt, juxta sermones meos.* 4 Iterumqve mihi Dominus ostendit Rupem, super qvam jacebat angvis: & dixit, *Excoria illum!* qvod promptè feci. 5 Et Dominus iterum: *Rupes ista est Domus Austriaca, & Hispanus, super qvam Papa cum sua colluvie recumbit.* 6 *Sed confundentur jam jam, in præcipitia deducti cum exercitibus suis.* 7 Mihi verò in mentem venit cogitare Apaffium: & Dominus, *Ora pro illo, ille enim murus erit cultoribus meis hac in Terra.* 8 *Si ductum meum seqvetur, una cum Incolis Terræ hujus, benè illis erit.* 9 Et cecini Psalmum 20.

REV. DXLVI. 5 Junii.

[*Meretrix Babyl. condemnata, suppliciòqve tradita,* 1-4, *quamprimum ultimus Austriacorum ceciderit,* 5.]

OStendit mihi Dominus Consessum hominum judicium de muliere qvadam procera, sed deformi, instituentium: qvam & morti addicebant Magni & Potentes illi, glorioso suo consessu: licet horum pars eam defensarent. 2 Mihi verò à Maximo ex istis Potentibus dabatur Securis, cum mandato,* Percute illi caput, ac decute! *qvod feci, tametsi timoris plenus.* 3 *Et illa concidit tanto cum impetu, ut me aliósqve terror invaderet: à qvo terrore expergefactus orabam.* 4 *Et Dominus:* Hæc fuit, & est, Meretrix illa Babylonica, sangvine sanctorum ebria, qvam tibi tradidi percutiendam in conspectu Mundi. 5 Qvæ nondum qvidem cecidit, cadet tamen, cadet, qvàm primùm semimortuus iste, cum Domo tibi nota, ceciderit: finis enim omnium eorum appropinqvat, qvæ Tu cum Adjuncto reddistis nota Mundo. 6 Profunditas enim judiciorum meorum cadet super hostes meos, & super eos qvi Vobiscum norunt me & nomen meum: qvos ego novi ubi habitent in facie terræ. 7 Eperienses si te ad se vocabunt, ibis sub protectione mea. 8 *Et post benè longam silentii moram iterum:* Omnes mei sermones implebuntur, ut pateat Me esse qvi & loqvor & facio, ultionem exercendo in contemptores gloriæ meæ, & Idololatras, Bestiámqve ac Meretricem. 9 Sed expleri necesse est numerum dierum utriusqve. 10 Qvorum consilia jam confundo, ut exitum non reperiant hac in Terra, & in Imperio: ubi jam ipse qvoq; Saxo Stateræ incumbit, pro amovendo de solio semimortuo illo, eligendóqve Franciæ Rege vase meo, cui Germania, VIVAT, VIVAT, VIVAT REX FRANCIÆ! acclamabit. 11 Qvod ubi erit factum, ecce volo ego Rex Regum, & Dominus dominantium, cui nomen est IMMORTALITAS, ut Libertas pristina restituatur Vobis Cultores mei per universam Terram, juxta pristinum mo-

rem

rem in Patria qvoqve Vestra observatum. 12 Scribe igitur Adjuncto, etiam ille reditum festinet in patriam! & ecce ego Redemtor vester, sanctus Israelis, præmia dabo dilectis meis in Hollandia, pro recepto dilecto Tuo, subsidiisqve datis ut clangor Tubæ meæ ad Nationes Terræ, Turcas etiam, inde prodire potuerit. 13 *Qvibus ego auditu lacrymas profudi oculis: & Dominus*, Ne plora! miraberis ea qvæ audies brevi. 14 *Et laudavi Deum cantu Psal.* 57.

REV. DXLVII. 7 Junii.

[*Ab anno 1662 magis jam serii erant Operarii Dei.*]

A Matutinis precibus, ostendit mihi Dominus Tabulam amplam, super qvam magnis cifris scriptum erat 1662. 2 Mox introductus fui in Domum, ubi Officinæ erant Textoriæ qvatuor, septis qvibusdam à seipsis divisæ, versus Ortum, Occasum, Aqvilonem & Austrum: qvibus assidebant Textores, me operas adjutante, ut citiùs detexere possent. 3 Ingressus verò Dominus ædium, jussit ut Orientalis de linteo suo exscindens daret mihi ulnas tres; septentrionalis sex; occidentalis novem: sed qvod mandatum illis non placuit. 4 Post longam demum, & mihi tædiosam moram, attulit qvisqve suum demensum (præter meridionalem, qvi tacitè Opus suum paulatim peragebat) qvod ego accipiebam cum gaudio: (maximè ab Occidentali, illum aliis commonstrans, qvod omnium liberalissimus fuisset.) 5 Cùm autem qvid Visionis esset cogitarem, dixit Dominus: *Jam hoc anno 1662 Operarii mei pleniùs inchoabunt Opus à me sibi demandatum, tametsi Mundus neqve intelligere voluit neqve credere, nedum ut qvis tale qvid ageret. 6 Ego autem delebo, ecce delebo, Idololatras de terra, per Operarios meos, Potentes Terræ: ad decorem puritatis doctrinæ meæ, & ad reducendum errantes per montes Israelis, ignorantes me & veritatem puri cultûs mei, mihi uni essentiâ & trino personis, debiti.* 7 Cùm verò cogitarem, Meridionalem illum lentè operatum, neqve mihi de suo aliqvid dedisse: Dominus, *Tandem etiam Australis operabitur.* 8 Et laudabam Deum cantu.

REV. DXLVIII. 12 Junii.

[*Tametsi Opus Dei lentè procedat, non deficiendum tamen animo.*]

Exhibuit mihi Dominus campum cum segetibus maturis, qvas lætus demetebam: 2 *Et Dominus*, Solatia mea vidisti, qvæ cum gaudio metes, pro te & aliis: prohibere qvidam ea conantur, sed frustra. 3 *Ego igitur præ lætitia cantabam: & Dominus iterum mihi Domum ostendit, qvam ædificare incipiebam, sed permolestè, propter defectum idoneorum lignorum: tametsi enim non defuerunt ligna, omnia tamen erant curva, nodosa, cruda. 4 Zelabam ig. qvia fundamenta tantùm posueramus, & erexeramus parietes, qvibus tamen eos expleremus, aut contegeremus, defuit. 5 Ut v. ad me redii, dixit Dominus:* Fideles mihi este vos dilecti mei, & ne zelate qvod Operis mei structura non procedat ad normam rationis Vestræ, malis illis temporibus mali seculi. 6 Neqve cogitationes & sermones meos vestris cogitationibus & sermonibus comparate: qvi mea & Patris mei tempora ignoratis, expectate ig. dum hora nostra veniet,

veniet, non vestra. 7 Recordemini tempora Enochi, qvi (frustra) loqvutus est Mundo: & Noachi, qvanto ille tempore parabat Arcam, illam tamen non ingressus nisi postqvam omnia erant parata. 8 Qvocirca Vos etiam testes mei tempus expectate meum, tolerantes ludibria hominum mente corruptorum, qvicunqve illi sunt: ne per Vos stet, ut voluntatem meam, tam clarè per Vos detectam, agnoscant Terræ Nationes. 9 Surge, scribe istos sermones meos, & mitte dilecto meo & tuo. 10 Ecce merces Operis Vestri, laborùmqve in ædificia Domûs meæ, reparatione indigentis, impensorum, apud me reposita manet Vobis & adjutoribus Vestris, hic & in futura vita. 11 Tantummodò Vestrûm qvisqve cogitet, ut benè cœpta benè finiat: qvia inchoasse, & non absolvisse opus, multis apud me non profuit, nec proderit in æternum. 12 *Laudavi ergò Dominum cantu Psalmi* 123.

REV. DXLIX. 14 Junii.

[*Lumen Dei pro Nationibus parandum, invito etiam Mundo.*]

ERam in Domo magna, cujus Dominus mihi & aliis præsentibus (notis & ignotis) mandabat Candelas parare. 2 *Qvod ego cum qvibusdam alacriter egi, alii verò stabant tantùm, nihil qvod erant jussi agentes: qvos increpabam duriter, illi verò ridebant.* 3 *Reversus ad me cogitabam irrisores meos: & Dominus*, Pauci semper fuerunt obseqventes mihi, & qvi lucem amarent meam. 4 Etiam Vos nunc, qvi voluntate meâ lucem accendere laboratis, multis jocus & ludus estis: qvin & malè de Vobis apertè cogitant, ad nocendum. 5 Sed ego cum potentia mea sto ad ostium, ut ad lædendum Vos januam invenire neqveant, sicuti Domum Lothi palpando qværentes Sodomitæ. 6 Brevi ego amovebo Trabem vos prementem, invenient præcipitium, sed ó si pristini mei moniti essent memores Incolæ, ne Coronæ jacturam faciant! 7 Surge, scribe: scio tibi memoriam diffluere. 8 *Surrexi ergò & scripsi.*

REV. DL. 19 Junii.

[*Dominus irrita facit consilia populorum, Psal.* 33. 10.]

VIdi me Posonii, agmenqve Regnicolarum demissis capitibus triste obambulantium, (etiam Legatos Principissæ nostræ) spectavi. 2 *Et Dominus*: Conturbati sunt turbatores Pacis, Rex etiam ipse, qvia manus mea extensa est in auxilium Cultorum meorum. 3 A qvibus tu sermones meos, modernos etiam, ne cela: certus, Apaffium vividiùs acturum voluntatem meam, qvàm isti de Domo Racocii, super qvos iram effudi meam. 4 Pro Apaffi orate, ut mandavi nuper: *qvod feci, cantans etiam Psalmum* 76.

[Mira erant, omnium judiciò, Comitia hæc. Qvia post sublatum morte Racocium patrem, filiumqve cum Vidua matre in casses pellectum (sicut & Magnates plerosqve antea) ereptaqve Protestantibus Templa, ut jam nemo contrahiscere auderet: negotiúmqve subjugandæ Hungariæ confectum putaretur: insperatò Deus paucorum qvorundam spiritum excitavit, qvi reliqvis animos addendo irritos tunc conatus istorum Pacis osorum, Regnorumqve accupum, reddiderunt. Unde consiliorum seqvuta confusio, hunc usqve in diem.]

REV. DLI. 21 Junii.

[Oculi hominum sursum erigendi, 1, 2. Exules redituri, 3 -- 6. Rex Franciæ gentibus Libertates redditurus, 7, 8. Principissa Trans. pœnitens, 9. Apafi exaltandus, 10 -- 14. Racociorum memoria miserabilis, 15. Felinus, 17, Ultimus Austriacorum.]

D*Ennò vidi Civitatem in multas plateas divisam, hominesqve paucos directè sursum spectantes, sed dejectis terram versus oculis.* 2 *Inter qvos ego cum aliis qvibusdam obambulans, ruinas reparabamus, oculósque incolarum sursum erigebamus: qvod illis gratum fuit.* 3 *Ubi has transiero, orabam Deum ut patria qvoqve misereretur nostra, in qvam reducere qvosdam vestrum, paucos licet, promisisset.* 4 *Et Dominus:* Memor ego sum sermonum meorum, magis qvàm Vos vestrorum. 5 Ecce dilectus qvoqve Adjunctus tuus redibit, laborabitísqve convertere oculos ad me veram Lucem vestram, vestrumqve vobis à Patre datum Pastorem. 6 *Et laudavi nomen Dei cantu &c.* 7 *Iterumqve redormiens vidi congregationem Illustrium Procerum, intérque alios* Electorem Saxoniæ, *ostendentem mihi & aliis* Regem Franciæ: *illum Imperii Regem fore, redditurúmqve solatia Bohemis & Moravis, promulgata à dispersis ad redeundum libertate, ac immunitatibus.* 8 *Mox venerunt ad nos Hungari, referentes qvid in Comitiis esset actum: & Dominus,* Omnia evenient qvæ tibi os meum pridem, & non pridem, loqvutum est, expecta ea patienter. 9 Principissa Domina Vestra cum Filio jam angitur, seductam se ac in errore videns: ó utinam illi qvoqve à stultitia resurgant! adhuc enim mea & Patris voluntas est, nolle mortem peccatoris. 10 Tu ab Oriente eos expecta qvi venient, & consilium reqvirent: ego enim per Turcarum Imperatorem evexi Apaffium in Racocii locum. 11 Scito etiam animum esse Turcæ, consilium suum de Apaffio Regi Franciæ detegere, qvòd eum Hungariæ Regem constituere cogitat. 12 Qvod ubi factum erit, ibi Vos Cultores mei pace fruemini tum hac in Terra, tum in Patria. 13 Tu si ab illo vocaberis eô, qvô ego jubebo, facies illi notam voluntatem meam de abolendis hac in Terra Idololatris, & erigendo cornu salutis pro illis, qvi me & nomen meum nondum nôrunt. 14 Et tu qvod Racocio facere debuisti, facies Apaffio: de qvo cum Eperienses certiorem reddant, & ille susceptâ causâ meâ alacriùs eam aget ac Racocii. 15 Qvi jam abierunt æterno cum pudore coram incolis Terræ, hujus & aliarum, qvi audiverunt, & audient, qvæ & qvalia illis per vos denuntiata fuerunt. 16 Tu injurias mihi commenda: ulciscar ego te de illo qvoqve Diotrephe. 17 Scis qvomodo ad nihilum redegerim Virum vanæ gloriæ Felinum: non tamen ex toto scis, qvàm illi cor Iscariotæ simile fuerit. 18 *Super qvibus ego sermonibus metu plenus orabam misericordiam: & ecce lapillus decidit supra me, de tecto autem ventus dejecit scandulam, ut perterrefierem.* 19 *Et Dominus:* Cadet, cadet iste semimortuus de Domo Austriaca, à me jam condemnatus ad ruinam, tu tantùm patientiâ utere! 20 *Et orabam mihi sanctam illam patientiam cantu.*

REV. DLII. 1 Junii.

[*Terra trini generis, 2 - 5. Adjuncto redeundum: Lucis hujus editione peractâ, 6 - 8. Promoventibus tam merces promittitur, 9.*]

ITerum ad me Verbum Domini factum est, mane à precibus. 2 *Ostendit mihi Dominus Terram trini generis, puram, puriorem, & purissimam: qvas ego cum præsentibus (inter qvos Adjunctus meus) coæqvare voluimus.* 3 *Sed eò momentò mihi redditus audivi vocem:* Ne te affligas hominum causâ. 4 Diluvia enim iræ meæ veniunt super habitatores Terræ, immundique Mundi: qvod cur fiat, non è millibus unus intelligit. 5 Filii maligni illius accipient ultionem, Vos autem timentes mei non deseremini. 6 Mitte hos meo sermones ad Adjunctum: ut sciat non Tibi ad illum eundum esse, sed sibi redeundum ad te, qvò operâ junctâ ad Veritatis puritatem promoveatis Vestros. 7 Jam ille in Belgio peregit qvorum causa eum misi, ad aperiendum gentibus oculos in Vos, & in ea qvæ mandato meo edidistis: tantummodò ut residuum qvoqve edat, qvæ in usum Nationum adhuc loqvor, & publicari mando. 8 Apud me autem Vos duo testes mei præmia expectate, non apud homines: nam ego corda, intentiones, sermonesqve omnium Vestrûm, ô filii hominum, novi, & qvò qvis electorum meorum (qvos ab æterno elegi) collimet scio. 9 Etiam illi qvi propter me duobus Vobis benè volunt, vos amant, subsidiisqve suis, ut hæc Nationibus innotescant, faciunt: qvi aures habet ad audiendum, audiat. 10 Scribe hæc, & mitte tuis & meis dilectis, Vos propter me Creatorem diligentibus, qvos tu in Hollandia & alibi secundum carnem non nosti, neqve illi te, tametsi te ament & foveant, ex me pleno gratiæ ac veritatis id habentes. 11 *Qvod audire mihi misero & afflicto seni tum mirabile tum consolabile fuit, & laudarem Deum &c.*

REV. DLIII. 28 Sept.

[*Deus justus Index, cui omnia committenda, 1 - 4. Homines pulvis, 5.*]

INtervigilans noctu, *orabam pro necessitatibus Ecclesiæ: nominatim Laurentio de Geer, quem pravorum hominum injuriis vexari ad me perscriptum fuit.* 2 *Et Dominus:* Non permisi eum penitus confundi, nec permittam, tantummodò simpliciter incedat, & cautè. 3 Apud me justum est judicium, non apud homines: qvid cui ego immittam, & cur, nulla Creatura novit præter me, qvi solus sum Deus Omniscius. 4 *Qvæ ego auribus excepta scripsi, déqve meis etiam Criminatoribus, temerè judicantibus (propinqvis & remotis) cogitare cœpi.* 5 *Et Dominus iterum:* Qvære ex illis, qvis, qvando, ubi, mihi terminum ponet, ut (judiciorum meorum) rationes ei reddam? Vivo ego in æternum, vos autem miser estis pulvis & cinis terræ. 6 Tu mihi confide, & ultionem committe! ego rependam dicit Dominus. 7 *Orabam igitur captu &c.*

REV. DLIV. Septemb. 29.

[*Homines sibi fidunt, Deo diffidunt*, 1-5. *Injurias passis solatium Christus*, 6.]

Diluculo, post ejulatus meos dixit Dominus: Non est invidiæ finis apud filios maligni illius. 2 Nam ecce, husqve filii contumaciæ suo fisi cerebro mihi diffidunt: nec habere iis qvæ loqvor fidem volunt, ut me tanqvam Deum suum metuant. 3 Multi labiis appropinqvant mihi corde alienissimo: sed apparebit die judicii mei, in Creaturarũ conspectu, qvis eorum consistet coram Me. 4 Varia sunt de sermonibus meis, per te prolatis, judicia: sed tu id nihil cura, ego enim illis respondebo ipsemet. 5 Tu cui fidas nisi mihi? qvi ea Mundo sum loqvutus, non tu: tametsi nondum eveniant omnia, evenient tamen cùm hora venerit mea. 6 *Et ego exclamavi, Væ mihi mater mea, qvæ genuisti me Virum rixæ!* 7 *Ad qvod dilectus meus, æternúmqve benedictus Dominus:* Etiam ego pro vobis passus sum, etiam lamentatus, Deus mi, Deus mi, cur me dereliqvisti? 8 Sed auxiliatus est mihi Pater meus, sicut & ego tibi auxiliabor, aliisqve injurias passis, & sub onere fathiscentibus, Cultoribus meis. 9 Nam judicia in terris administrare, inspectante Mundo & Angelis, volupe mihi est. scias id: qvi aures habet ad audiendum audiat.

REV. DLV. 2 Octob.

[*Deus promissorum memor*, 1, 2. *Posteriores hi Dei sermones publicandi* 3. *efficaciaqve illorum attendendum*, 4.]

ORabam (sub ipsum diluculum) ut Deus memor esse velit nostri, Cultorum suorum. 2 *Et Dominus:* Magis ego Terræ Dominator vestri, sermonúmqve meorum per te prolatorum, memor sum, qvàm vos sermonum vestrorum: qvos dum secundùm ratiocinia vestra normatis, nihil nisi peccatis, ô filii hominum. 3 Qvamobrem scribe Adjuncta, qvem tibi vice oris ad Nationes Terræ dedi, ut manè seminet semen, non suum, sed meum: & vesperi ne cesset manus ejus. 4 Expendendo tu & ille, prioresnè sermones mei, jam editi, plus allaturi sint fructûs, qvàm hi posteriores jam edendi! 5 Ecce non vestri causâ, ô duo testes mei, ego Dominus Vester loqvutus sum, & loqvor, sed propter Nationes Terræ: si qvis sordet sordeat. 6 Nam mihi etiam ipsi loqventi non crediderunt, neqve antiqvis prophetis meis, qvod illi lamentati sunt. 7 An vos illis feliciores? Tu mihi confide &c.

REV. DLVI. Nov. 7.

[*Magna Mundi messis instat, 1, 2. Papa per Occidentalem conterrendus, 6, 7: per Orientalem verò humi sternendus, 8, 9. Indicium contra oppessulantes ostia, ad eos nidis suis exturbandum, Ovesqve Dei per totum mundum dispersas colligendum, 10 - 23. Non tacenda hæc per Ecclesias, 24.*]

LUcescente die ostendit mihi Dominus Campum plenum frugum, sed nondum satis maturarum. Messores verò adstabant, sed destituti falcibus. 2 *Qvod intuitus tristabar, orans Deum ut ipse messores mitteret in messem suam: & Dominus.* Ne turbare, mihi omnia committe, & indormi. 3 *Mox somno mersus vidi Domum, cujus janua dua, ad Ortum & Occasum, occlusa erant: sed ostia à Septentrione & Austro patebant.* 4 *Per qva ingressi Viri egregii, manibus gestabant panes & potum, de utroque impertientes mihi & D. Mednianio.* 5 *Mox ad nos qvoqve ingressi Magnates, Reges et Principes, dextras mihi offerentes, & inqvirentes in mea scripta: qvibus ea ostendi, illi autem legebant.* 6 *Sed illi mihi januam occidentalem clausam ostentabant, dicendo,* Ibi Papa Ramanus sedet: *unus verò illorum, heroicâ staturâ, extensâ manu aperuit fores istas.* 7 *Et ecce, Papa mensa accumbens expavit, subitóque surrexit, & ad nos ingressus est solus unus, veste discolore indutus.* 8 *Et mox aperuit se Ostium Orientale clausum, qvô exsternati fuimus omnes: Papa autem concidit humi super faciem.* 9 *Et Magnates isti detrahebant illi vestem, illo obmutescente.* 10 *Unde cùm horror me invaderet, Magnates manu prehensum me secum considere coëgerunt, jubentes decernere sententiam contra eos qvi ostia oppessulabant.* 11 *Ego igitur meas illis Revelationes ostendi: qvibus omnes acqviescendo eas relegebant, & ex ea lectione terror pervadebat omnes Papam circumstantes, ut in terram caderent aquè ut priùs Papa.* 12 *Qvò ego perterritus ad me redii, plenus adhuc timoris: & ecce Ventus flabat ab Oriente vehemens, ut adicula tremeret mea.* 13 *Sed Dominus erigens me dixit:* Fidelis esto mihi, sicut ego sum tibi, neqve pavescas ea qvæ Tibi ostendi, memor antiqvorum operum meorum qvæ peregi super Turram. 14 Scias autem magna esse qvæ tibi ostendi, & horrore impletum iri, Mundum & habitatores Terræ, super sermones meos per te & alios postremis hisce diebus prolatos: qvi etiam in domos Regum & Principum, ad ortum, septentrionem, meridiem, occasum ingredientur. 15 Adeóq; in manu jam sunt ipsius Papæ, qvi te cum aliis etiam videre vellet: sed tu nihil eum time, cura Vestri apud me est, testes mei. 16 Et miraberis & delectaberis iis, qvæ Adjunctus perscribet citò: qvomodo ego jam Potentum cordibus indiderim, ut meam faciendo voluntatem humeris suis jugum Papale, & complicum suorum, dejiciant. 17 Qvi variorum sunt Ordinum, ignorantes me panem vitæ, relinqventésqve in spirituali esurie Creaturam meam rationalem: sed exierunt jam termini Dominationis eorum, ut ut varii sunt, per totum ambitum Orbis mei. 18 Irruerunt enim in Domum Ecclesiæ per vim & fraudes suas, meo permissu, potestate usurpatâ etiam supra Reges & Potestates Terræ. 19 Sed jam exturbabuntur nido isto, mortiferorum fœtorum pleno: fœtore enim doctrinæ & vitæ necabant populum meum, & necant.

cant. 20 Sicuti ostendi tibi, qvomodo Papa in conclave istud ultrò veniens primùm occupavit locum, veste abominabiliter variegatâ indutus, pro coloribus qvibus varii ejus Ordines utuntur in deceptionem Ovium, sine viridi pastu Legis meæ. 21 Habent illi sanè in manu, at non Librum Legis & Doctrinæ meæ, Virtutisqve fidei vivæ, semel datæ sanctis, sed Mensam ante se plenam voluptatum. 32 Una cum turba satellitii sui cœci, ambulantis sine me luce Mundi, ad tenebras & interitum, qvæ parata sunt Diabolo & Angelis ejus. 23 Ex qvorum potestate jam ego exemi Vos numero haud multô: sed ecce jam qvoqve reliqvos ab Ortu & Occasu, & Meridie, è faucibus & ungvibus Bestiæ illius eripiam. 24 Tantummodò Vos testes mei jam ne tacete! jam in muris Jerosolymitanis clangite, ubi qvemqve vestrùm locavi. 25 Nam messis mea propinqvat, ut congregem in Horreum meum frumenta mea, jam jam maturescentia: qvod vix pauci intelligunt, Mundo ratiociniis suis, falsisqve doctrinis, & vitæ pravitatibus, obtenebrato: periit enim justus de terra. 26 Surge Vas meum, sermonésqve istos meos conscribe! Mira ego patrabo super faciem Terræ. 27 *Qvod feci, cum jejunio & cantibus preces peragendo meas.*

REV. DLVII. 11 NOV.

[*Numerus Dei occultus*, 777. *Hussi prophetia*, 5. *Opus ceptum absolvi debet*, 9.]

A *Matutinis precibus ostendit mihi Dominus Tabulam, cui magnis cifris inscriptum fuit* 777. 2 *Qvod cùm mirarer, & qvid signi esset cogitarem, respondit Dominus*: Mysterium est numeri mei, qvod tu non intelliges nunc, intelliges aliàs. 3 *Qvùm autem protegi orarem à tot inimicis, propinqvis & remotis, dixit Dominus*: Malum de te initum est consilium, sed infatuabitur. 4 Væ Mundo à scandalis! perversè judicantibus de me & sermonibus meis, sine reverentia mei æternùm viventis. 5 Qvære tamen ex obtrectatoribus istis meis & tuis, An inde ab exortu Ecclesiæ vestræ qvisqvam ita loqvutus est, qvoad res & verba, ut per te loqvor ego? excepto illo Hussi, CENTUM REVOLUTIS ANNIS DEO RESPONDEBITIS & MIHI? 6 *Cùm conticuisset vox, cecini Psalmum* 71: *iterúmqve Dominus*, Scribe, & sermones meos ne erubesce! Nam ego omnia video, omnia audio, omnibusqve retribuam secundùm opera sua. 7 Adjuncti tui cogitationes variæ sunt: sed non mutabit ille voluntatem meam, nec patietur te deseri. 8 Infelix qvi plus attendit hominibus, eorumqve judiciis, qvàm mihi & sermonibus meis: Tu verò mihi commenda omnia, educam ego in lucem sermonum meorum veritatem. 9 Qvisqvis benè cœpit, benè qvoqve finire tenetur: si & vos benè opus meum peregeritis, testes mei, vobis laudi erit; sin, laudem fortè apud homines invenietis, at non apud me. 10 *Ego igitur ad preces conversus Spiritu bono sancto regi optabam.*

REV. DLVIII. 27 Nov.

[*Lux trina conspecta, 1, 2, 3: significatio illius, 4-9*]

OStendit mihi Dominus Domum dirutam, qvàm ego alterâ parte reparabam, alterâ verò aliis qvomodo reparari deberet ostendebam. 2 *Ut verò surrexi, & ingressurus hypocaustum è Cubiculo, librum* Lux in Tenebris *dictum sumebam, ecce apparuit mihi* lumen *qvoddam ignis instar*, trinum. 3 *Primum erat ut Luna rotundum, sed in medio habens foramen: secundum & tertium non tam ignitum, sed purè splendens, plenaqve rotunditatis.* 4 *Ego igitur ad preces conversus, cogitabam, qvid istud esset: & Dominus*, Ostendi tibi operam tuam & Adjuncti, qvam impenditis ad reparandas ruinas Domûs meæ, Ecclesiæ mihi dilectæ: cujus portæ ac muri diruti sunt ab istis doctrinæ & vitæ meæ adversantibus, per omnes Mundi partes. 5 Ecce igitur jam ab Occasu & Septentrione incipient ipsi Potentes reparare muros: tu tamen finem omnium non videbis, qvia ego Deus tuus transferam te ad me, in lucem inaccessibilem. 6 Vidisti tu modò tria lumina: primum ignitum & rotundum, initium laboris tui in igne perseqvutionis, pertusum calumniis adversariorum tuorum. 7 Alterum erit candidius, rotundius, solabilius: tertium in vita futura perfectissimum, rotundæ æternitatis sine fine. 8 Tu igitur cum omnibus me diligentibus, voluntatemqve meam facientibus, & causâ meâ patientibus, expectate solatia mea, habentes in manu vestra lucernam ardentem sermonum meorum. 9 Cùm literæ venerint, miraberis veritatem sermonum meorum vincere. 10 *Ego igitur cecini Psalmum 76.*

REV. DLIX. 28 Nov.

[*Ignis Lucis hujus Dei absumet abominationes, 3: sua propria agentes non prosperantur, 5. Adjunctus claudit januam, 7.*]

ITerum mihi Dominus ostendit Domum, in qva erant Viri superbè se gerentes, ut mihi ab illis metuerem. 2 *Experrecto autem dixit Dominus:* Non confunderis tu, serve mi, super sermones meos in æternum, qvos jussu meo Mundo dedisti. 3 Tu enim eos scripsisti, & Adjunctus emisit, tanqvam ignem consumentem abominationes desolationum. 4 Ecce metuunt homines plagas venientes! opus tamen meum sibi indicatum agere noluerunt, & nolunt, ut alibi ita in hac Hungariæ Terra. 5 Ostendi tibi viros propriis ratiociniis confidentes: cùm tamen qvis unqvam indicatam à me sibi voluntatem non faciendo prosperè egit? 6 Tu igitur veracitate sermonum meorum porrò etiam semel percute petram hac in Terra: & videbis aliter Apaffium sermones meos excepturum esse, qvàm Racoci. 7 Adjunctus claudit januam: tria enim sunt tempora, unum qvod præ-

præteriit, alterum nunc est, tertium imminet. 8 Tu tibi ab hominibus cave, vigila, ora: *qvod mox feci, cantando Psalmum 12.*

[*Ad v. 6.*) qvam januam? an temporis qvod præteriit? aut Ecclesiæ suæ? vel vitæ saltem suæ? Non liqvet.

ANNO MDCLXIII.

Rev. DLX. 1 Januar.

[*Deus loqui pergit, acturus jam qvoqve.*]

DEnuò factum est ad me verbum Domini, simul ac matutina peregissem suspiria, dicendo. 2 Vas meum, ab æterno mihi dilectum, Qvid ego Dominator Orbis, Cœli, Terræ, Maris, hoc anno in Terræ nationibus acturus sim, id oculus tuus cum aliis videbit. 3 Nam Væ Mundo à scandalis: qvia dies mali sunt, appropinqvante depravati seculi hujus fine. 4 Loqvutus ego tibi sum pridem, & loqvar hoc etiam anno: at non loqvar tantummodò jam sed etiam operabor. 5 Qvi tibi convitiati sunt propter non impletos, ut ajunt, sermones meos, non tibi sed sibi nocuerunt, deducti in locum silentii. 6 Ego autem ecce loqvor, & porrò loqvar in æternum ita, ut Orbis totius Nationes confiteri tandem necesse habeant me veracem esse. 7 Tu perge agere qvæ mando, cum fide ac patientia: protectio mea tecum erit, & cum omnibus qvi me Cœli & Terræ Dominum diligunt. 8 *Laudavi ergò Deum hymnis & Psalmis.*

Rev. DLXI. Januar. 4.

[*A Domo Dei scandala non tolli, qverela Dei.*]

EXhibuit mihi Dominus Virum habentem in manibus chartas, utrâqve parte scriptas: qui manu prehensum me, ad Domum qvandam mirè elegantem ducebat, sed ad qvam nulla fuit explanata via, saxa tantùm & scrupi. 2 *Eò ut ventum est, ostendit mihi puteum in qvo fuerunt Triticeæ spicæ: & inter has una prægrandis, unicum habens granum, sed valdè magnum & pulchrum, qvod præsentibus ostentabam, mecum id mirantibus.* 3 *Ut evigilavi, venit in mentem Domus cœlestis: orabámqve Deum ut me cum aliis Cultoribus suis post ærumnabiles vitæ hujus asperitates, eò deducere dignetur.* 4 *Clamans etiam,* Sufficit Domine, tolle animam meam, non enim sum melior patribus meis: *& cum Paulo,* Cupio dissolvi & esse cum Christo. 5 *Et mox Dominus meus, & Deus meus:* Serve mi, Ostendi Tibi Domum Tabernaculi mei, in qva sunt varii thesauri sapientiæ meæ, pro vobis filiis & filiabus meis, qvibus ego de voluntate Patris mei me junxi. 6 Ec manu mea teneo scripta antiqvorum meorum

meorum scribarum & testium: sicut & tua, qvæ postremis temporibus scripsisti ad Nationes Terræ: 7 Eô fine ut Omnes jam vos, qvi me nostis & diligitis, faciatis voluntatem meam vobis indicatam: non à te, aut Adjuncto tibi, sed à me ipso. 8 Vobis enim datum est nosse mysteria Regni mei, ut vos tanqvam testes veritatis non taceatis jam, qvia dies meus prope est: dies iræ & ultionis adversus Idololatras, & filios contumaciæ. 9 De qvibus jam pridem loqvutus sum per te, & Adjunctum: sed qvid (prodest) dum nemo vocem clamoris mei simplici fide accipere, & ex fide mandata mea exseqvi, vult? nihil seipsum facit. 10 Ecce lapides offensionis ubiqve jacent! & vos apud vos ipsos sapientes non colligitis eos, ut tollatis, nec in Ecclesia, nec in Politia: qvod ego jam non feram diutiùs.

REV. DLXII. 20 Januar.

[*Sermones hos non propter Videntem fieri, sed ut Nationes nondum credentes ad fidem in Christum deduci qveant.*]

F*Actum est iterum ad me vox Domini:* Fidelis ego semper fui & ero meis fidelibus, attendentibúsqve verbis meis, qvæ ego jam olim & nuper, per te & Adjunctum, Mundo sum loqvutus; non ut homo, sed ut Deus. 2 Tu qvùm vocaberis, ito in nomine meo, & esto in silentio: alii agant, tu consilia subministra. 3 Auxiliatus ego sum, & auxiliabor: tantummodò vos filii hominum, servi mei, meam exseqvamini voluntatem, & me ac sermones meos ne erubescite, qvos ego nunc etiam non propter te, sed propter omnes Terræ Nationes profero. 4 Qvisqvis eorum crediderit, salvabitur; qvisqvis non crediderit, condemnabitur: qvia non credidit in me habentem claves mortis & vitæ. 5 Nam ecce omnia festinant ad finem, ultimis diebus malis: ego autem adhuc loqvor propter eos, qvi hæreditatem capient salutis. 6 *Oravi ergò, & cantavi, & in somnum relapsus vidi me serrare Truncum, non plus tamen nisi partem unam abscidisse, qvod præsentes mirabantur.* 7 *Ut ad me redii tristis fui, qvòd antea Dominus de qvinqve partibus, qvas abscideram, fuisset loqvutus* (*Rev.* 497:) *orans ut memor esset verborum suorum.* 8 *Et Dominus:* Æterna est apud me verborum meorum memoria, qvæ variè Mundo loqvutus sum, idqve variis modis olim & modò: sed pauci ea receperunt & recipiunt, qvia sunt ager malus: ecce autem qvi sermonibus meis à me dictis, & à te scriptis crediderunt, mihi noti sunt. 9 At tu illorum exeqvutionem fidenter expecta, receperint ea homines vel non receperint, &c.

REV. DLXIII. 25 Jan.

[*Romæ, & Romano Imperio, fiet (etiamsi nemo credat) sicuti Sodomæ & Gomorrhæ, Tyro & Sidoni, & Jerosolymæ, Ægyptiqve & Pharaoni.*]

O*Stendit mihi Dominus viros epistolas manu tenentes, mihiqve amicè colloqventes, & interrogantes* Qvisnam incipere debeat? *offerebantqve mihi dextras, & fru-*

& frusta panis majora & minora, qvæ ego gratè recipiebam, illisqve consilium dabam, plenus zeli. 2 *Ut evigilavi dixit Dominus:* Scias me variis cogitationibus implere corda illorum hominum, qvibus innotescunt ea qvæ per te missa sunt. 3 Sciant autem omnes illi, me ad perdendum Bestiam ostium jam aperuisse, qvod nemo claudet in æternum: qvia tempus venit ruinæ illius. 4 Væ Idololatris! sicuti Sodomæ & Gomorrhæ, Tyro & Sidoni, & Jerosolymæ: qvod multi neqve intelligere neqve credere volunt, nedum ut Opus meum agant. 5 Sed tu mihi crede, & protectioni meæ innitere! ego causam meam & tuam proferam in lucem, qvùm Romæ faciam sicuti Jerosolymæ feci. 6 Percussi ego Ægyptum & Pharaonem, cum exercitibus suis: percutiam & nunc, non per Christianos solùm sed & gentiles, qvod miraberis.

REV. DLXIV. 21 Januar.

[*Trina Dei Domus, Mundi, 1: Ecclesiæ, 2: Cæli, 3. &c. Solus Christus totius Mundi Salvator, 10.*]

PEr *vigiliam noctis mediæ ostendit mihi Dominus Campum patentem, & in illo primùm* Domos duas: *alteram vastam, sed immundam, & eam inhabitantes morbosos, maléqve vestitos:* 2 *Alteram minorem, sed elegantiorem, in qvam propter aditum angustum introitus fuit difficilis, ut ægerrimè ingredi potuerim.* 3 *Tertia fuit ab oculis meis remotior, sed supra modum decora, januam habens patentem, qva fulgorem sic emittebat, ut miraremur, ego cum paucis.* 4 *Cecinimusqve,* O gloria cœlestis exere dexteram tuam! ostende in Veritate potentiam tuam, ut Te diligentes agnoscant te esse æternaliter regnantem: *cum quo cantu evigilavi.* 5 *Et Dominus:* Scribe qvæ tibi ostendi modò! Domos duas præsentis vestræ habitationis exhibui tibi. 6 Alteram indecoram, laceram, inqvinatam, sine luce vera, victu & potu salubri destitutam, in qva homines morbidi degunt. 7 Alteram minorem sed venustam, in qva personas vidisti decorè vestitas, cibos, delectabiles manibus, & libros hymnorum tenentes, cantantesqve Gloria in excelsis Deo. 8 Tertia Domus, ab acie oculorum tuorum adhuc remota, gloriam & majestatem in se habens, cui tu similem nondum vidisti: sed videbis die meo, qvô ego te (una cum aliis me & nomen meum agnoscentibus, timentibus, invocantibus, proptereáqve persequutionem perferentibus) ad me vocabo. 9 Sicuti jam multos tibi etiam notos, sincerè mihi servientes, introduxi: (*qvos & mihi exhibitos conspexi.*) 10 *Postqvam hæc scripsi, laudabam Deum plenus exultationis in spiritu, & Dominus:* Tu cum aliis me diligentibus, confide mihi & Patri meo, promissionibus meis pristinis & modernis nixus. 11 Nam ego solus sum is, qvi salvare possum animas Vestras, animasqve Nationum totius Mundi: habitantium in Domo illa dilacerata, & erroribus variis impurata, destitutâqve luce verâ, & salubri pastu doctrinæ meæ. 12 Ad qvas ego postremis hisce diebus per te, tibiqve Adjunctum, aliosqve tibi nunc ignotos, clamoris mei Vocem converti. 13 Ergò qvisqvis capere potest, capiat! & qvisqvis ad audiendum aures habet, audiat! aliam vocem non

amans præter meam, nec alii fidem habens qvàm mihi, qvi Verbis meis, per Mosen, Prophetas, Apostolos, implevi Orbem. 14 Scribe, vigila, ora: multum potest Oratio ex fide facta. 15 *Effudi ergò me ad preces, cum gaudio cordis orans. Cantibus etiam, aliorum Psalmi* 71. &c.

REV. DLXV. 3 Febr.

[*Gentes totius Orbis inclamandæ (cum Regibus, Principibus, Populisqve suis) ut se renovent*, 3 (*Turcæ etiam*, 15): *unumqve fiant in Christo*, 17.]

I*Terum ad me factum est verbum Domini, diluculi tempore.* 2 *Ostendit mihi Dominus viros, notos & ignotos, qvi mecum Ædificium qvoddam restaurabant: factum autem ut cùm emundassemus Conclave qvoddam, appareret Farina candidissima.* 3 *Mox expergefactus audivi vocem Domini:* Ecce venerunt tempora mea operandi Opus meum in Nationibus! 4 Tollite igitur clamorem vos testes mei, annuntiate Gentibus in facie Terræ, Ortum & Occasum versùs, peccata & idololatriam! sive illi audiant sive desistant. 5 Qvòd Reges & Principes, & Populi, inobseqventes sint voci inclamationis meæ, ut repurgent Domum meam ab erroribus & idololatria, incipiendo ab Hungaria usqve ad Romam, perqve omnes Orbis angulos. 6 Habitabitq; vobiscum adhuc in Terra benedictio mea ad tempus mihi, non vobis, notum: qvia vos mortales nescitis diem & horam, qvâ Filius hominis veniet ad judicium. 7 Ubi benè erit omnibus qvi voluntatem meam fide admissam faciunt, se mihi totos dando in victimam, per dilectionem & patientiam. 8 Tu qvò vocaberis ito: ego & dextra mea tecum erit, ad exterminandum Idololatras de Terra. 9 Non ut tu occidas, sed alii: non tuo, sed meo, jussu: ex me est Operis inceptio & peractio. 10 Tu etsi nunc non vides, oculo tamen tuo intueberis, qvomodo Opus hoc meum (de qvo dudum os meum est loqvutum) procedet. 11 Nam ventus meus jam flat, ut ne stet Rota sed molat, ab Ortu in Occasum usqve, in vivario Mundi abominationum pleni, sine metu & obedientia mei Dominatoris Terræ. 12 Aliter operabitur ille, qvem ego in locum Racocii extuli; ista verò Domus exstirpabitur radicitùs. 13 Honorem ejus transferam in Apafium: sed sic, ut Ipse meam exseqvatur voluntatem, exterminetqve Idololatras hac in Terra, sine ullo respectu. 14 Apud me omnia parata esse in auxilium illi, nuntia ei: sicut & omnia qvæ per te Racocianæ Domui manifestata fuère. 15 Sciant id Gentiles etiam (Turcæ) ut per hanc viam ex Lupis fiant Oves, & ex alienigenis domestici Dei: auxilio Legis meæ & Scripturarum sacrarum, qvas illis in manus fideles servi & cultores mei tradent. 16 Atqve hoc erit documentum, te cum Adjuncto non frustra laborasse, decertando fide pro fide semel sanctis tradita: Qvi legit intelligat. 17 Perstat enim ab æterno apud me, & Patrem meum & vestrum, ut omnes Nationes unum fiant in me, & ego in illis: idqve virtute Fidei, & spei, & Charitatis, qvæ apud Idololatras exolevit penitùs. 18 Qvi gratis usurpando in Ecclesia locum meum, tot seculis ad gubernacula sedent: nomen tantùm Christiano-

ſtianorum habentes, opera Gentilium. 19 Ne abſconde ſermones hos ab illis, ad qvos diriguntur. 20 *Hic conticui: ſed poſt moram iterum;* Mirareris tu, dilecte mi, ſi oculus tuus videret qvæ ego jam ago in nationibus Terræ. 21 *Me autem ad preces & cantum converſo, cum* Franciſci Racocii *ſubiret cogitatio, iterum* *Dominus:* Et illum & matrem ſuam propter cordis perverſitatem rejeci. 22 Bona majorum ejus occupabunt alii, Arx etiam Veſtra tradetur familiæ N. N. qvam tu noſti. 23 Mali conſultores ſeduxerunt Domum Racocianam: mea verò conſilia te non ſeduxerunt hanc usqve in diem. 24 *Et laudabam Deum cantu.*

Rev. DLXVI. 21 Febr.

[*Paſtoribus ſine grege redduntur greges,* 1 *Septem montes Meretricis ſubvertendi,* 4.]

O*Stendit mihi Dominus Eccleſiæ Paſtores, ſed ſine grege: ingreſſus autem qvidam diſtribuebat Eccleſias, & nos recipiebamus cum gaudio.* 2 *Ad me reverſo dixit Dominus:* Etiam tu qvietem invenies, cùm ego in lucem deduxero veracitatem ſermonum meorum antiqvorum & per te prolatorum, qvod perpauci filiorum ſeculi hujus attendunt, propter non exceptos fide ſermones meos. 3 Qvi ad reſtaurandum rudera Ordinis boni per Nationes Terræ, & reparandum deſerta puri Cultûs mei, & reducendum errantium ſub vexillum facis ardentis lucis veræ meæ, cum virtute Spiritûs vivificantis, deducentis ad radicem vitæ, prolati fuerunt. 4 Nam ita fiet his jam diebus, qvomodo in Apocalypſi prænuntiavi ego ſol juſtitiæ, Rex Regum ut ſubvertantur ſeptem illi Montes ſuper qvibus ſedebat Meretrix ebria ſangvine ſanctorum. 5 Qvi montes erant, & ſunt, ſed non erunt, (1) Hungaria (2) Auſtria (3) Bohemia cum in corporatis provinciis (4) Bavarus cum aliis ad meridiem (5) Germania cum Electoribus Eccleſiaſticis, Civitatibusq; magnis (6) Hiſpanus Gallo nunc junctus (7) Polonia cum Moſcovia, aliisqve potentiâ utentibus. 6 Omnia hæc diruentur: ſuperqve rudera illa exædificabuntur habitacula (ſicuti per loca deſerta ſolent Urbes) non tantùm pro Chriſtianis ſed & Paganis. 7 Qvos introduci volo ſub vexillum Veritatis meæ, Viæqve vitæ, opitulante illis gratiâ, potentiâ, ſapientiâqve meâ. 8 Sed & illi opitulentur qvos elegi, ut Paganis iſtis juncti opus meum agant. 9 Utinam Eperienſes cum aliis, qvibus mandato meo qvid agendum ſit ſignificaſti, agant qvod agendum eſſe ſciunt! plus me Creatorem qvàm creaturam metuentes, ad informandum de voluntate mea Apaſium. 10 Enimverò agant illi vel non agant, me cauſam peracturum meam tu nihil dubita. Veniendo veniet.

Rev. DLXVII. 26 Febr.

[*Solatia Videnti, Apaſio ſuccurrendum.*]

ITerum ad me factum eſt Verbum Domini, cùm experrectus manè ardenter invocarem Deum viventem benedictum. 2 *Servi mi, fidelis eſto mihi, & ex-*

specta solatia mea! Jam epistolæ venient quibus exhilaraberis, tu & alii. 3 *Tetigi ego jam cor Adjuncti, & eorum qvi te diligunt, ut non obliti dilectionis meæ erga te & illos, scribant tibi ea qvæ miraberis.* 4 *Experieris si mihi erunt fideles, & meam voluntatem facientes, ego qvoqve illis ero fidelis.* 5 *Sed utinam ipse qvoqve Adjunctus Apafio subveniret! opus non procedit nisi manu admotâ.*

REV. DLXVIII. 6 Martii.

[*Qvatuor Dolia gentium, super domum Austr. effundendarum.*]

EXhibuit mihi Dominus qvatuor Plaustra cum impositis Doliis qvatuor, uno magno, tribus minoribus: qvæ Dolia alii deponi ac relini voluerunt, alii prohibuerunt.* 2 *Ego expergefactus qvid esset cogitabam orans: & Dominus,* Ecce currus mei cum Doliis Exercituum meorum parati sunt! è qvibus Vinum excandescentiæ meæ bibent filii hominum. 3 Turca est Dolium maximum: Tartarus, Transylvani, Hungari, Dolia minora, opinione tuâ velociùs venturi, Idololatrásqve cum Domo Austriaca perdituri. 4 *Cùm autem ego pro conservatione Cultorum DEI orarem, respondit Dominus:* Non defecit misericordia mea, nec deficiet in æternum, erga Vos Cultores meos. 5 Videbunt oculi tui ultionem super ludibria inferentes mihi & tibi: sed compleat necesse est qvisqve mensuram malitiæ suæ. 6 *Cantavi ergò Psalmum XVI.*

REV. DLXIX. 8 Martii.

[*Videnti mendacia tribuuntur, 2: Deus autem sua verba fuisse opere ipso demonstrabit, 15: facturus per alios qvod noluerunt Sveci & Racoci, 7: per Franciæ Regem, Turcamqve & Hungaros, 13, 16, 17. Væ Germaniæ, 14, 15.*]

O*Stendit mihi Dominus congregationem Populi magnam, ad qvos sermonem habebam* de Omniscientia DEI: *demonstrans nihil unqvam ab illo absconditum fuisse, esse, fore, sed omnia semper nudè stare in oculis ejus, licet id pleriqve non agnoscant nisi in mortis articulo, & in die judicii extremi.* 2 *Id qvod tantâ vehementiâ egi ut expergiscerer; & mox incidit cogitatio de illis olim, qvi Jeremiæ dixerunt,* Mendacium tu loqveris, non misit te Dominus Deus noster *(Jerem. 43. 2.) sicut & mihi nuper in os dixit Paulus Vet.* 3 *Ad qvæ Dominus Deus meus:* Dilecte mi, notus mihi ab æterno, & notus future in æternum, unâ cum illis qvi tecum unâ nomen meum noverunt, aut non noverunt. 4 Ecce tu nunqvam tanti eras, ut à te ipso talia scribere posses, qvalia ut scriberes mandavi ego, Dominus tuus & Deus tuus. 5 Acqviescant his nunc Orbis habitatores: ego verò jam ipse concionabor Operibus meis, abundè habiturus testium (ad eos convincendum.) 6 Nam ecce Mundus erit plenus testium (Veracitatis meæ)! Populorum ad se invicem perdendum accinctorum. 7 An non jussa mea aspernantes, voluntatémqve meam exseqvi recusantes, & opus non meum sed suum facientes, mercedem suam retulerunt? Ubi est Rex Sveciæ? ubi Racoci? cum Consiliariis & Exercitibus suis? 8 Timete ergò me Vos reliqvi locum meum in Mundo & Ecclesia tenentes! nam hora cuiqve sui

ſpe citius veniet, ut in locum ſilentii abeatis. 9 *Quibus auditis ego exclamavi*, O Sapientia increata, ô Bonitas immenſa, ex te, per te, in te, ſunt omnia! 10 *Dominusqve paulò poſt oſtendit mihi* Templa duo, *ad Orientem, & ad Aqvilonem, cum ſuſpenſis utrobiqve Tabulis.* 11 *Aqvilonari inſcriptum fuit Literis magnis*, LUX, LUX: *Orientali verò meridiem verſus*, VÆ, VÆ, VÆ: *interrogantibus me qvi aderant, qvid iſthuc ſibi vellet? ego autem ſilui.* 12 *Reverſo mihi ad me dixit Dominus*: Commovi jam ego totum Terrarum Orbem. 13 Audies tu qvid faciat Rex Franciæ, Vas meum: qvomodo occludat os & aures ad non dandum reſponſum Papæ, & Complicibus ſuis, deſtruere jam incipiens Beſtiam cui inſidebat Meretrix ebria ſangvine Sanctorum. 14 O Vos Electores, Saxo, Palatine, Brandeburgenſis, qvomodo ita cum Principibus Imperii obdormiendo tempus veſtrum amiſiſtis? 15 Ideò caliginoſas ecce ſuper Vos adduco nubes variarum gentium, qvæ ſuper Terras & Regiones Chriſtiani Orbis meô mandatô veniunt. 16 Corona Sveciæ diſtracta eſt, Polonia excæcata: Væ illis, ſicut & genti Hungaræ! niſi conſilia ſua junxerint Turcæ, ad perdendum & exſtirpandum Domum Auſtriacam. 17 Væ Germaniæ, niſi Regem habuerit Regem Galliæ!

[Ad v.7.) *An & Sveciæ Regi hæc Dei vox innotuerat, ut inobedientiâ peccare potuerit? dicet qvis. Atqvi Drabicius ſua Svecis communicare prohibitus fuit, Rev. XVI. v. 18.* Reſp. Tum prohibitus, poſtea juſſus Palatino Rege facto, Rev. 53. v. 5, & aliâs. Qvod & factum tunc ſtatim (conſcio & ſvadente Sigiſmundo Racoci) miſſaqve ad illum fuit Revelatio XLVI cum omnibus præcedentibus, & aliqvot ſeqventibus. Reddita verò fuiſſe patuit è reſponſo (à perſona Eccleſiaſtica Regi familiari) dato, *parum fidei talibus haberi: ſi qua tamen continuatio erit, rogari communicationem.* Communicabantur igitur: uſqve adeò ut Rex in Polonia jam exiſtens (acceptis qvibuſdam tunc recens revelatis, ſub Anni 1656 initium) Adjunctum ad ſe invitaret: ſed itinerum longitudo & pericula non permiſerant. Et qvia Georgius qvoqve Racoci ſcivit Regi Sveciæ hæc nota eſſe, non eſt dubium eos in perſonali congreſſu (in Polonia, 1657) de his loqvutos. Aut ſi neuter ſuperſtitioſus videri volens mentionem inferre voluit, fuit hoc ipſum de qvo hic inſtituitur qverela, ſe & ſua qvæſiviſſe, non Deum & qvæ Dei ſunt: nixos conſiliis propriis, manuductione verò Dei ſpretâ, v. 7. & Rev. 420. 3, 4. (Videatur & Poniatoviæ Rev. XIV. v. 7, 8.) Scivit etiam Poloniâ emotus, & ut in Dania ne diu hæreret monitus (Rev. 415. 3.) neglexit tamen &c. v. 13.) Habebat tunc Fr. Rex cum Papa bellum: qvod utut ſopitum eſt ad tempus, finem tamen nondum hîc fore, ſed initium, docetur. v. 15.) Si mandato Dei hi populi veniunt, Dei potiùs ira eſſet placanda, qvàm (degenerum filiorum more) cum paterna virga luctandum: qvid aliâs niſi major furoris irritatio expectandum? v. 16. & 17.) Stupendum nec tamen humanum conſilium!]

REV. DLXX. 14 Martii.

[*De horum Dei ſermonum epitomatione indultum Dei.* (*Vide tamen Annot. poſt Rev: 344, hîc ſupra, pag.* 300, 301, 302, 303.)]

INſonuit *Verbum Domini*: Apud me Principium eſt & Finis omnium! Brevi audies qvid ego operer, & operaturus ſim. 2 Epiſtolæ tuæ vacillantem reddiderunt Adjunctum, ut poſteriores meos ſermones non ſic plenè, qvomodo ego loqvutus ſum, luci daret, homines reſpectans. 3 Ad interrogata ejus, *An aliqvid ex iis omitti poſſit*, reſpondere hucuſqve diſtuli. 4 Jam dico, *Poterit*: ſed nihil omittendo eorum qvæ ad intentionis meæ ſcopum faciunt, ut Nationes operentur Opus meum. 5 Appoſita clauſulâ, qvalem Scriptor Operum & Sermonum meorum Johannes poſuit: *Sunt qvidem & alia ſigna quæ fecit Jeſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc.* 6 *Hæc autem ſcripta ſunt*

sunt (NB.) ut credatis, Jesum Christum omnes Nationes & Homines salvatos velle: ultimámqve horam adesse jam. 7 Ego itaqve (ex hymno Ecclesiastico) cecini; Domine excita Spiritum nostrum, ad vividè capessendum Verbum tuum! Ut tot contestationes Tuæ nos dignum pænitentiæ fructum ferre faciant! Tuus honor ut crescat, nos autem (averso à nobis Judiciorum tuorum rigore) gratiâ Tuâ hîc & in æternum perfruamur, &c.

REV. DLXXI. 17 Aprilis.

[*Deo serviendi libertas redditur.*]

T*Empore diluculi, post preces meas, ostendit mihi Dominus Viros ignotos, qvi amicè me alloqvuti exhibebant mihi scripta humana, ego verò illis divina, qvibus veracitatem Dei demonstrabam: qvod præsentes mirabantur, longinqvè autem stantes approbabant.* 2 *Qvùm hæc transiissent, orabam Deum ut literæ meæ in Hollandiam & Hungariam superiorem missæ amicorum manus rectè invenirent.* 3 *Et Dominus:* Sermones mei per te prolati complebuntur, de reddenda Libertate serviendi mihi æternùm viventi, & in sermonibus veraci. 4 Non defuit mihi potentia reducendi Populum meum è captivitate Babylonica, & Filium meum ex Ægypto, Herode mortuo: neqve jam deerit (*reducendi vos.*) 5 Qvod alii libentes alii illibentes videbunt: dubitantes nempe illi de operibus meis, meliùs mihi noti qvàm tibi. 6 Tu igitur para te labori: labor enim tuus non erit inanis.

REV. DLXXII. 24 Aprilis.

[*Arbore Austriacâ cadente pii conservabuntur.*]

C*Irca Solis ortum ostendit mihi Dominus varios homines obambulantes mecum Domum amplam, in cujus extremitate Arbor fuit qvæ in oculis nostris evanuit tota, à cujus casu terror invasit nos.* 2 *Reversus ad me cogitabam, qvid visionis esset, & Dominus:* Ecce jam Arbor, sub qva latuistis hucusqve, cecidit! Unde terror super vos veniet ab hostibus vestris, qvi exstirpare vos qværent, prout cogitarunt dudum, & mihi notum est: attendite vobis! 3 *Ego igitur ad preces conversus protectionem orabam: Dominus autem ostendit mihi denuò Viros nocere mihi cupidos;* 4 *Tenentes manibus epistolas contra me, qvas ego à me scriptas fuisse fatebar, sed mandato Dei, qvod illi credere noluerunt.* 5 *Ego autem clamabam ad Dominum: & Dominus respondit,* Serve mi, compertum habes me Dominum tuum nunqvam te deseruisse, nec deseram, fremat licet Satan cum omnibus perversis, qvi cum fraudulento opere suo qvam confusionem reportaturi sint, videbit id oculus tuus, & illorum qvi mihi confidunt &c.

REV. DLXXIII. 4 Maji.

[*Nova Lucis hujus editio, à longinqvis reqvisita & promota, qvid operatura.*]

A*D Matutinis precibus ostendit mihi Dominus Viros mecum spatiantes, à tergo tamen Vestem meam crurumtenus abscindentes: alii verò eminùs ostentabant scripta, dilucidationem*

dationem à me reqvirentes, *qvam & dabam promptè.* 2 *Reverso ad me mihi dixit Dominus:* Vestem bonæ famæ tibi detraxerunt, sed tu aliam à me habebis. 3 Scripta prodibunt qvæ Adjunctus edet, sed Viri magni à te reqvirent explicationem. 4 Nam ecce ostium ego jam aperui super Domum Austriacam, Hispanum, Papámqve Romanum: ut in eos recidat maledictio mea sicut in Domum Racoci, propter contemtum mihi exhibitum: qvod ostium nemo claudet. 5 Væ Mundo, væ Nationibus, si non resipiscent ut exstirpent Hypocritas & Idololatras! 6 Tu qvò vocaberis, itò: sed age cautè, voluntatémqve meam revela plenè: confundam ego brevi tuos meósqve criminatores, delebóqve modis mihi notis. 7 Puchoviam ne adeas nisi cùm literæ (ab Adjuncto) venerint, qvas miraberis, & solatia concipies, tuis reconcilatus. 8 Ego enim reducam Gentes in unum spiritum Veritatis, ad invocandum me solum Deum, æternè viventem. 9 *Et cecini: Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium &c.*

REV. DLXXIV. 6 Maji.

[*Ruina Domûs A. & H, 6. Reges novi eligendi, &c.* 10.]

F*Undebam diluculo ad Deum meum preces, orans impleri qvæ de mutatione rerum, opprimendísqve hostibus Veritatis doctrina divina, hactenus loqvutus fuisset.* 2 *Et Dominus solabilibus admodum verbis:* Dilecte mi, impleo ego promissa mea, tantummodò vos videte. Vos inqvam videte, ut vestra impleatis promissa, qvæ vestrûm qvisqve loco suo fecistis, ubi & qvando, novi ego: ut Vobis hìc & in æternum benè sit. 3 Brevi tu comperies qvid ego sim operaturus super faciem terræ: sed qvis Vestrûm à rigore judiciorum meorum, qvæ in fide ac veritate fiunt, consistet? Nam qvi ad gladium ad gladium. 4 Gallum ego in Imperii Regem eligi jusseram, ad causam meam contra Bestiam, & insidentem illi Meretricem, agendum: sed factum non est [*Videatur Anno M. DC. LVII. 2 Oct.*] 5 Eja igitur agite Vos homines causam vestram, & ego agam causam meam, præter spem & cogitationem multorum è vobis, ô filii hominum! sed cùm hora mea venerit, non vestra. 6 Clamavi ego, & clamo adhuc, ad istos tibi à me indicatos, ut expurgatum irent Mundum: jurejurando illis auxilia, ad dejiciendum Aqvilam Domûs Austriacę, & evertendum Hispanum & potentiam ejus. 7 Sed ecce ubi jam sunt qvibus id agere mandabam? Ecce abierunt, non relictâ post se memoriâ obseqvii mei. 8 Poloni meam de Radivilio indicatam sibi voluntatem silentiò transeunt, perplexantur, seipsos devorant! qvibus qvid sit futurum, videbit oculus filiorum hominum. 9 Qvapropter vos Cultores mei fideles, qvi Nomen novistis meum, vigilate & orate! ut per vos prodeant Sermones mei qvibus inclamo Gentes. 10 Hoc anno det Imperium honorem Nomini meo! eligántqve Poloni Regem Radivilium, Germania Gallum. 11 Ideò scribe hæc verba mea, & mitte dilecto tuo, illísqve in Hollandia me agnoscentibus, & voluntatem meam super alios facientibus: qvibus benedicet ac retribuet dextera mea. 12 Tu mihi fide, mihi innitere, & hæc scribe! *Cecini ergò:* Adauge fidem, *&c.*

Rev. DLXXV. 8 Maji.

[*Solatia Videnti, contra malignos insidiatores.*]

Ostendit mihi Dominus Viros, Ecclesiasticos & Politicos, qvi me vestibus spoliabant, aliáqve mea diripiebant, nec Deum reveriti nec Homines: aliis me miserantibus, me autem ingemiscente. 2 *Ut ad me redii, & qvid visio hæc esset cogitavi, dixit Dominus:* Serve mi, scias malum de te, & vobis, cogitare inimicos meos & vestros: nusqvam igitur exeas, neqve omni fratri fidas. 3 Nam malè interpretantur hunc usqve in diem scripta tua Spirituales & Seculares: sed ego ero protectio tua, sicut à seculo fui mihi fidentibus, & voluntatem meam facientibus. 4 Cogitant enim ut te, aliósqve spolient: sed infelices Vos mortales, vósqve Hungara gens, peribitis cum Ducibus vestris propter contemptum mihi, nomini meo, sermonibúsqve pristinis & modernis meis, exhibitum! 5 Qvocirca tu scripta tua cantè habe hic, ubi etiam fideles videri volentes proditores tui sunt, nocere tibi avidi. 6 *Qvod utut audire & scribere molestum fuit: sensi tamen per eosdem dies & pericula & protectionem Dei. Ipsi gloria!*

Rev. DLXXVI. 19 Maji.

[*Similis argumenti, in mediis etiam terroribus plagarum Dei.*]

Inter meos ad Deum gemitus, manè exhibita mihi fuit Domus, in qva Officinæ textoriæ stabant: altera Ortum versus, stamina sua jam detexens; altera Occasum versus, texere demum incipiens. 2 *Mox adventabat Exercitus, à qvibus ego me & reculas abscondebam meas: illi tamen nihil nocebant mihi sed aliis, qvi coram me super seductores suos lamentabantur.* 3 *Cùm verò ad me rediissem, dixit Dominus:* Scias Operarios meos, de qvibus tibi sum pridem loqvutus, jam intensa habere stamina. 4 Operariósqve jam Orientales, & operaturos Occidentales: ad perdendum terras & populos, evertendúmqve Arborem illam magnam ad Meridiem & Occasum. 5 Unde terrores super vos etiam Cultores meos venient: sed vos ne metuite, vigilate tantùm & orate! 6 Habeo ego jam, & habebo, pro vobis testes mei eos, qvi nocere vobis non permittent: mihi confidite vos, qvibus ego agnoscere dedi me solum Deum, Operáqve mea magna, sicut etiam tibi. 7 Succurre igitur pavidis, me esse ac fore Cultoribus meis scutum: non confunderis tu, neqve Adjunctus, in æternum. 8 Vos tantùm laborate, & ego benedicam. 9 *Super qva ego lætatus cecini Psalmum CXLIII.*

Rev. DLXXVII. 20 Maji.

[*Levissimus litigator confundendus, qvod & alii.*]

Post preces manè peractas ostendit mihi Dominus Viros litigantes, qvorum unus levissimos effutiebat sermones contra me, sermonésqve à Domino per me prolatos; in-

ut ego (blasphemias non ferens) gladium stringerem, illum transverberare volens: sed ille ictum declinavit. Alii verò adstantes ora obturabant. 2 *Mox ingressi duo qvidam inconspicui, obtulerunt mihi vestem & ocreas, ut me pararem itineri.* 3 *Cùm rediissem ad me, & protegi orarem, dixit ad me Dominus & Deus meus:* Vidisti tuos & sermonum meorum obtrectatores? contra qvos tu zelas, ego verò illis ora obturo, sicuti multis jam obturavi, ut non ampliùs detrahere qveant in æternum. 4 Tu mihi cum aliis fide, & esto patiens! Opus enim meum procedet in Terra. 5 Tibi exuerant indumenta, ut ne officio legitimè commisso fungi posses: sed ubi jam illi sunt? ecce non sunt, tu autem es! 6 Et habes indumentum in sinistro pede, sed habebis etiam in dextro, cum in locum veneris de qvo tibi locutus fui pridem. 7 Foveam tibi fodicabant multi, sed in qvam inciderant ipsi, & incident moderni etiam: paucos enim habes erga te sinceros, qvorum è numero est Kales. 8 Sed tu hæc nihil attendendo mihi servi; ego ero protectio tua. 9 *Qvibus ego erectus, cecini Psalmum XIII. Dominusqve iterum,* Deducam ego te diebus adhuc vitæ tuæ ad eos, qvi te amabunt & fovebunt, tantummodo mihi adhære, & fac quod mando. 10 *Ego igitur novo cantu laudabam Salvatorem meum, illi commendans vias meas.*

Rev. D. LXXVIII. 24 Maji.

[*Gog & Magog evertendi*, 6. *Mundus nunc obduratior Tyro*, 7. *Electoribus Imperii qvid faciendum*, 11: *& qvid Hungaris*, 12, 19, 22. *&c. Infelix Vienna*, 16: *Felix Hollandia*, 17. *Apafi*, 21, *Adversus messores Dei Austriaci non pravalebunt*, 26.]

Iterum ad me Verbum Domini factum est, postqvam mihi exhibitum fuisset flumen, qvò navigabam molestè cum aliis: conscensáqve ripâ nihil videre fuit præter loca deserta & ambusta, ut nihil esset ubi nos à Solis æstu possemus abscondere. 2 *Ego tamen reperto canneto, contexui mattas, qvibus & culcitra & tegetis loco utebar: aliis, qvod non similiter haberent, qverentibus, & mihi invidentibus.* 3 *Ut ad me redii, orabam cantu:* Ne inducas Nos in tentationes, averte errationes, ne Satanæ consentiamus, sed in Virtute tua pervincamus. 4 *Ad qva Dominus:* Servabam ego & servo adhuc: tantummodo Vos homines qvoqve servate fidem & dilectionem erga me. 5 Certi, venire jam tempus finis, sicut priori Mundo venerat: ibi diluvium à me inducendi per aqvas, hic per ignem & combustionem. 6 Priùs tamen qvàm illud fiat, everti volo Gogum & Magogum, cum malo opere suo variorum errorum, periculosorumque multiviorum. 7 Sciatis autem ò filii hominum, si Tyro & Sidoni tam diu, & tam perspicuè ac apertè, loqvutus fuissem atque modernis per te Vas meum, & alios tibi non plenè cognitos, illos pœnitentiam fuisse acturos. 8 Quid ergò de te, de te inqvam Hungaria & aliis, ducibusqve & consiliariis vestris, sub malæ Austriacæ Dominationis potestate, Papæqve & Idololatrum directorio. futurum sit, hoc jam oculus spectabit hominum. 9 Quapropter inclama tu adhuc cum Adjunctis tibi, longinqvo Comenio, & propinqvo Mednianio, Incolas terræ Hungaricæ: ut omnes illi, summi & infimi,

dextram porrigant Turcæ, neqve se opponant. 10 Malum enim, malum inundabit totam hanc Terram, si obsistere pergent: ejulabuntqve serò Domini & subditi. 11 O infelix, & terqve qvaterqve in felix Racociana Domus! super qvam tota Hungaria & Transylvania, Austriaqve & Moravia, lamentabuntur, in cineres redactæ: si non Saxo, Palatinus, Brandenburgicusqve sese interponent, pacem reqvirendo à Turca, ut ferro & igne, cædibusqve & captivationibus, vastare desistat. 12 O si Ostrozicii, Petroci, Tekeli, cum aliis Baronibus & Nobilitate non dormiant! sed Urbibus Regiis, nomen meum & puram Euangelii doctrinam profitentibus juncti, nec hominum qvemqvam respectantes, opus meum (Racociis pridem mandatum) exseqvantur! 13 Cædendo per Hungariam Idololatras, à me Domino Cœli & Terræ maledictioni devotos sacrificos, tanqvam violatores Legum mearum, juriumqve ac Libertatuum Regni hujus & aliorum. 14 Qvod si fieret, mitiùs res procederent, neqve à Turcis & Tartaris Terra hæc tantam pateretur desolationem. 15 Infelix autem Vienna qvid passura sit, videbit oculus tuus, & eorum qvibus conservabo vitam: ut post deflagrationem tecum unâ refrigerium inveniant, ad tempus usque mihi Creatori Vestro notum. 16 In felix tu Vienna, jam tua perditio appropinqvat! 17 Felix autem tu Hollandica natio, ex qva Vox mea prodiit ad Nationes Terræ! Tibi benedicet dextera mea, ut præ aliis Terræ nationibus pace perfruaris. 18 Scribe hæc, vigila, ora! *quod mox feci Psalmum etiam decantando* 20.

19 *Ut cantum finivi, addidit Dominus loqui:* Ne celaveris hæc à Medniano, qvàm primum ad Vos venerit. 20 Cum qvo adibis Ostr. & Petrocium, ut illi tres hoc loco unum sint meam faciendo voluntatem, propter futuram meam illis, posterisqve illorum, retributionem. 21 *Mihi autem cogitare venit, qvis jam operaturus esset aut inchoaturus, absente Racocio? & Dominus:* Abest Racoci, non abest Apafi. 22 Modò ut ille consensu inito cum illis per Hungariam qvi ei favent, unâ die in territoriis Racocianis, & Episcoporum, sine misericordia mactet istos maledictos à me interitui destinatos: mergendo cadavera fluminibus, aut iis cloacas implendo. 23 Inqvirendo tamen priùs in Thesauros ubi reconditos (sive in auro & argento signato, sive in imaginibus fusilibus) habeant: qvi Incolis tradantur, fideliterqve Posonium convehantur, attendendo & Coronæ (ne inde auferatur) sicuti mandavi pridem. 24 *Qvæ ego cum admiratione scripsi, Psalmumqve XXXV cecini.* 25 *Cantu finitò iterum Dominus:* Implebam ego Dominator terræ preces tuas, & aliorum Cultorum meorum: sed & implebo sermones meos ad te pridem habitos. 26 Nam ecce jam mitto Messores, gentes alienas, in Terram hanc! ad metendum non Zizania tantùm, sed & Triticum, propter ingratitudinem erga inclamationes meas. 27 Scias autem Consiliarios Domûs Austriacæ conari obstruere ostium, ut ne ingruere possit malum pridem à me denuntiatum: sed frustra. 28 Ego enim perdam postremum illud mortuum simulacrum in conspectu Mundi, Gentilium etiam. 29 Tu ingratitudinem humanam erga sermones meos mirari noli: imponam ego omnibus finem, juxta æternam potentiam & justitiam meam. 30 *Qvibus ego auditis cecini Psalmum* 86.

REV. DLXXIX. 18 Junii.

[*Vienna ac Roma eversio*, 1, 2, 6, 9: *testimonio etiam Kotteri & Poniatoviæ*, 3. *Seculum sextum inchoat*, 4. *Vox igitur Tuba Dei ad gentes rectè emissa*, 8. *Fidelium reliqvia Viennâ evocanda*, 10. *Et per qvem*, 11. *Qvam hac immutabilia*, 12.]

I*Terum ad me facta est vox Dei: cùm mihi ostendisset Dominus Civitatem magnam & splendidam, qvam alluebat flumen ingens, ornatum per ripas hortis & pomariis amanis, molendinisque: spectantibus ista mecum hominibus variis, notis & ignotis.* 2 *Et ecce Ventus vehemens irruit, cum diluvio subvertente muros & domos, auferenteque hortos & molas cum fragore, tristissimo mihi spectaculo, magnoqve de Civitatis & hominum interitu cordis dolore, qvia paucissimi eripiebantur: ego verò laudabam pro conservatione nostri Deum.* 3 *Expergefactus orabam Deum, preceqve finita insonuit vox Domini:* Dilecte mi, omnes mei sermones in memoria mihi sunt, qvos à rerum exordio per testes meos, etiam postremo hoc seculo per Kotterum, Christinam, aliosqve tibi ignotos, per Te tandem qvoqve protuli, quid facturus essem ante rerum finem. 4 Nam ecce transiit seculum (1) Patriarcharum (2) Judicum (3) Regum & Prophetarum (4) seculumqve meæ in Terræ habitationis & Apostolorum meorum: (5) & seculum Cypriani, Athanasii, Augustini, aliorumqve ad Wikleffum, Hussum, Lutherum, dilectosqve Majores vestros Fraternæ Unitatis. 5 Ecce autem jam instat seculum sextum, in qvo ego Terræ dominator finem faciam dominationis Bestiæ, & ineqvitantis Bestiam Meretricis. 6 Dejiciamqve lapidem illum magnum ad conterendum Civitatem Viennam, sedem illam Tyrannorum populi mei: ubi delicias & idolomaniam exercendo, Cultores meos propter puram Legis meæ doctrinam affligebant, mortibus afficiebant, è terris ejiciebant, in abominabile spectaculum Mundo, Turcis etiam ipsis, aliisqve infidelibus. 7 Qvibus non lucebat fulgida lux Legis meæ, ut illuminationem acciperent ad agnitionem mei, qvi solus Lux mundi sum, illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum. 8 Tu proinde rectè fecisti cum dilecto Adjuncto tuo, excitatisqve à me Vobis auxilio in Holandia (me Regem Regum, & Dominum Dominantium diligentibus, voluntatemqve meam facientibus: qvod tibi & Vobis nunqvam in mentem & cor venit, donec ego tibi significavi, & ad eos scribere jussi) qvòd mihi creatori obsecundastis, & Vocem Tubæ clamoris mei ad Gentes edidistis. 9 Ut jam exirent Operarii mei, ad evertendum Viennam & Romam: contra qvos Operarios meos, tametsi omnes machinas movent, vimqve Exercituum colligunt, non prævalebunt tamen, ne portæ qvidem inferorum. 10 Et qvia Viennæ meos adhuc Cultores habeo (ut ante hac tibi sum loqvutus) vide ut eis succurras: monendo ut exeant, vitamque conservent ut Loth in Sodomæ subversione. 11 Mitte Ezech. A. ad Petrum Sec. Pastorem gregis mei in SK. ut ille qvos novit ibi esse Oves meas (personas non respectando) præmoneat, interituiqve eripiat. 12 Maledictio enim mea, domui Austriacæ dudum per te denuntiata, jam veniet: qvam amoliri nulla humana vis aut consilium poterit. 13 Cùm ventus iræ meæ flabit, & diluvium exercituum meorum super

Viennam se advolvet, corruet gloria domûs istius, sicut concidit Racocianæ domûs propter inobedientiam exhibitam mihi, & contemptum voci inclamationis meæ: tu ergò pro illis ne ora. 14 *Ego verò cogitabam, qvid ad P. Sec. scripturus essem.* 15 *Et Dominus*, Nihil scribe, oretenus nuntia! sive illi audiant sive omittant. 16 *Et cecini Psalmum 77 legique caput 8. Danielis.*

REV. DLXXX. 23 Julii.

[*Similis argumenti.*]

TRistis eram terrore ab adventante Turca, *& Dominus*, Jam opus meum procedet. 2 Tu mihi esto fidelis, & manebo ego qvoqve Vobis fidelis; infatuaboqve consilia malignorum vestrorum & meorum hostium, ne vos affligere sic possint ut perferre neqveatis. 3 Principissæ Vestræ, & Consiliariorum ejus, vias ego perturbavi, ne intentiones suas cum filio asseqvi posset. 4 Tu qvòd meo jussu Petrum Securium monuisti, ut Viennenses monerentur rectè fecisti; apud me vestri est memoria, ne maneatis in opprobrio. 5 Ecce sagittæ iræ meæ veniunt ut Diluvium, venientqve porrò etiam. 6 Væ Terrarum Nationibus nisi resipiscant! qvas qvòd Vos duo testes mei meo jussu monuistis, præmium Vestrum paratum est hîc & in æternum. 7 Sic facite & vivetis, unà cum illis qvi recipient, fidemqve mihi habebunt me opus meum dudum prænunciatum agere, & acturum esse. 8 Sed væ inferentibus probrum mihi & sermonibus meis! væ sicut Jerosolymitanis. 9 Principissam Dominam Vestram oculus tuus non videbit, donec die illo [*Atque ita fuit, proposuerat illa ex Hungaria superiore transferre se cum Aulâ hanc in Arcem, jamqve præmiserat supellectilis partem & vini dolia 60.* 10 *Sed auditâ Neuheuselii obsidione retraxit se &c.*]

REV. DLXXXI. 5 Augusti.

[*Oraculum Videntem Germanicè alloqvens: Regna distribuit.*]

EXhibiti mihi erant per somnium Viri honesti, *scripta mea (qvæ jussu Dei consignavi) mihi ostendentes, vultu hilari: qvæ ego à me scripta fuisse fassus, interpretabar cum gaudio.* 2 *Ut evigilavi, vox Domini ad me facta est Germanicè (qvod nunqvam antea) his verbis:* Fürchte du dich nicht mein Sohn: Es muß in der Welt also gehen / es muß in Hungarien / Mähren / Deutschland / und überall mein schrecken kommen. Der Köning in Franckreich ist ein ander itzunder alß er gewesen ist. Er muß mit (den Churfürsten / auch) Sachsen / einen Rath haben: und muß (der höhste) Köning in Europa sein. Der Churfürst aber Köning in Böhmen. Mein wille muß / muß geschehen. [*Id est*, Mi fili, ne timeas; necesse est ita res procedere in Mundo; & Hungariam, Moraviam, Germaniam, omniaqve loca impleri terroribus meis. Rex Galliæ alius nunc est qvàm fuit: qvem consilium habere unum necesse est cum (Electoribus, &) Saxone: & fieri Regem summum in Europa, Electorem verò Bohemiæ Regem. Meam voluntatem fieri omninò necesse est.] 3 Incolæ Terræ hujus, & aliarum, suffurabantur mihi honorem, Cultores meos pugnis per-

percutiendo inclementer: & qvidem illos qvi sibi de voluntate meâ, & viâ justitiæ loqvebantur. 4 Quasi ego Ultor nusqvam essem: qvi oculos habens video, aures habens audio, & linguâ dudum loqvutus sum, & loquor adhuc. 5 Væ habitatoribus Terræ, qvia per viam Cain abierunt.

Rev. DLXXXII. 8 Augusti.

[*Meretricis Bab. condemnatio, cum terribili exeqvutione, 1---6: mox à Domûs Aust. ruina, 8.*]

Diluculi tempore ostendit mihi Dominus Campum, & compita seu plateas ad Ortum & Occasum, Austrumqve & Aqvilonem, & sedentes ad qvatuor istos cardines Viros honoratos. 2 *Ad qvos adducebatur Mulier adultera splendidè vestita, sed vultu fœdô: qvam comitabantur Viri magni & illustres, eam defendentes.* 3 *Sed isti ad qvatuor latera sedentes clamabant Voce magnâ:* Infundite, infundite illi duplum qvomodo illa infundebat! exterminantes de Terra illos etiam, qvi cum ea fornicati sunt, magnos & parvos. 4 Nam ecce ultima hora dominationis ejus, tyrannidisqve qvam in populi seducti animas & corpora exercebat, jam jam venit. 5 *Mulier igitur ex areâ illâ fugere voluit, sed propter armatos Exercitûs non potuit, circumdatam se illis videns; qvi & istos eam defensantes trucidabant, ut Terra tremeret ab armorum fragore.* 6 *Qvô ego expergefactus laudabam nomen Dei, cantando,* Magnus Dominus & omni laude dignus, cui nullus æqvalis aut similis (*hymni Ecclesiastici pars est*). 7 *Et mox Dominus & Deus meus:* Cave dilecte mi aliter cogites (unà cum aliis Nomen meum magnum agnoscentibus, proptereaqve persecutionem in terrâ perpetientibus) qvàm me confracturum esse Titionem illum ambustum & Arundinem qvassatam, qvibus innixa Domus Austriaca Idololatriam & tyrannidem suis in terris exercebat, & adhuc exercet. 8 Cujus Domus potentia qvamprimùm ceciderit, condemnabitur Meretrix magna sangvine sanctorum ebria: sicut dudum prænuntiavit Johannes, Daniel & Ezechiel per Gogum & Magogum. 9 Tu cum aliis me patienter expecta, & videbis impletos sermones meos. 10 *Ego igitur cecini,* Noli adventum tuum tardare ô Rex cælorum &c.

Rev. DLXXXIII. 11 Augusti.

[*Polonia, Radzivil.*]

A Precibus meis manè ostendit mihi Dominus Polonos Eqvites venientes ad me, & adferentes mihi Epistolas, qvas gratè acceptabam. 2 *Ut ad me redii dixit Dominus:* Etiam in Poloniam ibis, si vocaberis, ut glorificer ego in veracitate sermonum meorum, ratione illius etiam Nationis, & Radzivilii prolatorum. 3 Nunqvam enim ego deserui eos qvi me colunt, nec deseram: ut Vos etiam testes mei experti estis hucusqve, & fidere mihi potestis, potentiam meam mecum esse. 4 Confudi ego ratiocinia habitatorum terræ, hujus etiam & Racocianæ Domûs. 5 Vastatur enim jam Terra hæc, & vicina patria tua: & qvid porrò futurum sit videbitis Vos mei, agnoscentes me semper veracem esse in æternum. 6 *Et cecini Psalmum* 30.

REV. DLXXXIV. 13 Octob.

[*Papa cum factione sua supplicio addictus, Turcâ initium faciente*, 1 — 11. *Non celandum hoc*, 12.]

P*Eractis manè precibus, relapsus fui in somnum, & vidi varias personas, interqve illas Adjunctum meum: sed persona qvadam stabat seorsim Turcicô habitu, manu tenens gladium evaginatum.* 2 *Mox in medium prodiit Vir qvidam habitu Sacerdotali, qvem de locô in locum trudebant: ille autem conqverebatur immeritò se ad mortem condemnari ab Occidentalibus, & Orientalibus, Meridionalibusqve & Septentrionalibus.* 3 *Nam vidi ab omnibus Illum huc illuc propelli, ac trudi, maximè à Turca isto.* 4 *Cùmqve ille ad testes provocaret, omnes ibi præsentes (inter qvos ego cum Adjuncto meo) nos autem omnes taceremus, cœpit loqvi Turca his verbis:* Ecce ego dico justum esse judicium, in Te & tui similes latum, ut pereatis de Terra. 5 *Qvod cum mihi & aliis præsentibus valdè mirum esset, ego illicò ad me reversus, cecini,* Da Regibus in cor, ò Deus, ut Meretricem reddant desertam &c. (*canticum est ex Apoc.* 17 *&* 18. *compositum*) 6 *Ad qva Dominus:* Serve mi, facta jam est, et jam fiet, Meretricis magnæ, & gestantis eam Bestiæ, condemnatio. 7 Ut exterminetur uterqve radicitùs cum opere imposturarum, omnibusqve Ordinibus vanè religiosis, mihi & legi meæ, institutóqve meo de Sacramentis, contemptum inferentibus, mea mysteria profanantibus, suáqve substituentibus. 8 Ego enim vester Dominus & Magister clarè dixi: Accipite, edite; Accipite, bibite Omnes: Panis est corpus meum, Vinum est sangvis meus, qvæ ego do pro Vobis in remissionem peccatorum, omnium Terræ nationum in me credentium, & voluntatem meam facientium. 9 Qvod non fit modô naturali aut corporeo, sed mystico & spirituali, in symbolo panis & vini, filiis & filiabus meis, in sacramentalem cibum & potum instituto. 10 Istos igitur mea instituta violantes exterminari jam volo, omnes duces cœcos totius factionis Papalis, sine ullâ commiseratione, sicuti Baalitis Idololatris factum tempore Eliæ. 11 Idqve non tantùm hâc in Terrâ, sed & aliis in Nationibus: cujus rei initium faciet, & jam facit, Turca, sicut & ille qvem in Racocii locum dedi. 12 Cujus Operis mei processum jam olim per Prophetas, nuperis autem diebus per te & alios annuntiavi, publicationéqve typis eorum qvæ ad annum usqve hunc loqvutus sum, Mundo manifestatum est. 13 Surge & hos etiam sermones meos scribe, ac vasi meo J. Keceri, ut ille hæc etiam Apaffio nota reddat, mitte. 14 Ut tandem fiat Posonii, qvod diebus Racocii factum volui, illiqve ac ejus Consiliariis apertè notum reddidi: sed illi spreverunt. 15 Si eô vocaberis tu qvoqve, ibis: protectioqve mea tecum erit, & cum J. Medn. 16 Sed ut adsint qvoqve Legati Viscorum meorum, ab Occasu & Septentrione, imò & illius à Meridie cujus nomen est Eusebion. 17 *Hac cum eloqvutus fuisset Dominus (ego autem tunc in Arce pernoctabam) Anser in Arcu area svavissimè incinuit (præter morem) ternâ vice, ut tota Arx personaret.* 18 *Qvod cum mihi & admirationi esset, & solatio, sur-*

surrexi mox, & hac scripsi, cantillans. Hallelujah regnavit Deus noster omnipotens! *respondiqve eadem die ad literas prædicti Nobilis (I. K.)* 4 *Octobris ad me datas*.

[*Ad v.* 17.) Prior versio habuit *Vigil nocturnus*, hæc *Anser*, melius: accidit istud ex ambiguitate vocis *Husar*, & *Hauser*, obscuróqve senis charactere.]

Rev. DLXXXV. 15 Octob.

[*Ungvis potentia Austr, in Hungaria frangendus nunc jam. Apafi*, 9, 12, *Regis Franciæ cum Germania fœdus*, 10, 11.]

I*Terum factum est verbum Domini ad me, post preces meas*: Mittet Aqvila Austriaca ungvem potentiæ suæ in Hungariam, sed ungvis iste confringetur. 2 Qvod videbis tu cum aliis in terrore constituti, sed protectio mea vobiscum erit: Vigilate tantùm & orate. *Ego igitur cecini Psalmum qvintum*. 3 *Post moram aliqvam ostendit mihi Dominus Viros honoratos, disqvirentes inter se de scriptis illis, qvæ ego ex ore Dei excepta per Adjunctum Mundo notafeci*, An illis habenda esset fides? 4 *Qvibus ego respondi*, Ne timete vos Domini, neqve Vos Ecclesiastici: Deus causam suam & meam peraget. 5 Tantummodò qvisqve vestrûm faciat qvod vobis, & nobis, Cœli Terræqve Dominus mandat. 6 *Ut ad me redii, facta est vox Dei*: Scias omnia esse consilio meô jam determinata, qvomodo res hâc in terrâ & alibi processuræ sint, si modò Incolæ terræ hujus & aliarum subdere vellent rationem fidei, ad meam faciendum voluntatem, homines non respectando qvicunqve illi sint. 7 Stamen Operis mei incipit texi Austriacis in provinciis: in qvibus Domûs illius Dominium jam cessabit in sempiternum. 8 Qvâ de re qvis Vobis aliqvid prædicere scivit, & potuit, nisi ego Omniscius & Omnipotens? 9 Patria tua in nihilum redigetur, anteqvam Apaffi vastationibus finem imponet: Tu cum aliis mihi fidite, me causam meam & Vestram peracturum, impleturumqve promissa mea de conservandis Vobis reliqviis. 10 *Et mox vidi personam Viri eximii cui offerebant dona, mihi autem dextras: Vir autem ille ad me*: Mihi nomen est F. F. *ob qvod gaudebam*. 11 *Ut hac transiêro dixit Dominus*: Franciæ Regem tibi ostendi, qvi exibit, amicumqve consensum cum Imperii habitatoribus inibit: unde tibi qvoqve gaudium orietur. 12 *Qvô ego auditô cantabam Psalmum* 20. *Atqve ut finivi perrexit Dominus*: Apaffi servus meus disjiciet Opus hypocritarum, fraudulenter adulantium Bestiæ & Meretrici in complacentiam Domus Austriacæ, ignorantium ruinam ejus (juxta decretum consilii mei) præ foribus esse. 13 Væ illam sibi in brachium constituentibus: termini enim ejus jam exierunt.

Rev. DLXXXVI. 10 Novemb.

[*Pulli gentium in Ecclesia Domum congregandi* 1 – 4. *Judicia Dei procedent, cum populorum desolatione*, 5 - 9. *Non zelanda hac*, 10 - 15.]

O*Stendit mihi Dominus Domum, in qvam congregabam pullos gallinaceos, in cibum illis triticum offundens*. 2 *Ut ad me redii, venit in mentem recordari sermonis*, *qvem*

qvem Dominus Anno 1657. 18. *Aprilis locutus erat.* 3 *Ad qva Dominus*, Intentio mea procedet: Turca faciet qvod videbis. 4 Apaffi si verbis meis aliter attendere volet, qvàm Domus Racociana (qvam rejeci) benè illi, & toti huic Terræ erit, potentia justitiæ meæ jam se in conspectum dedit. 5 Sed ratiocinia humana non patiuntur sibi persvaderi, ut meam faciant voluntatem, & congregent pullos in Domum Ecclesiæ, Sponsæ meæ, pro qvâ ego animam posui. 6 Germania jam prospicere incipit; sed Vienna non habet aliud expectare qvàm ruinam terribilem. 7 Et postqvàm Operarii mei disjecerint potentiam Domus Austriacæ, Tu cum aliis in Terrâ Vestrâ, cum gaudio introducetis in Ecclesias Pastores, Evangelii mei præcones, cantantes, *Jesu dulcis memoria &c.* 8 Sed ó dissensiones, ó charitatis inopiam, ó incredulitatem Vestram filii hominum! qvi nec mihi Deo, nec testibus meis; antiqvis & novis, fidem habetis. 9 Idqve propter cordis duritiem, & metum hominum potiùs, qvàm mei, qvi & ipse loqvutus sum, & per Prophetas ac Apostolos meos, loqvorqve adhuc, dies malos & finem dierum adesse cum plagis dudum prænuntiatis. 10 Qvapropter Tu serve mi, noli ambulare post cogitationes hominum vanorum. 11 Satis jam Vos duo, servi mei, fecistis voluntati meæ, deductâ ea in notitiam Mundo, per illos in Hollandia, qvi vobis & mihi manum porrexerunt in æternam sui memoriam. 12 A qvibus redire ad sua jam cogitet Adjunctus, juxta priùs factam intimationem meam: cum qvo tibi congressus erit jucundus, sicut & aliis, laboribus ejus fideliter utentibus. 13 Tu interim tacitè age, mihi confisus: à nemine tamen eorum qvi me & sermones meos, pristinos & modernos, diligunt, occultans mandata mea. 14 Si fidem illis adhibebunt, ut qvod mando faciant, illis benè; sin, malè, qvicunqve illi fuerint. Ego enim cogitationes cordium novi omnium vestrûm, ò filii hominum! 15 Judicia mea procedent per Nationes, cum exspoliatione ac desolatione terrarum aliorum per alios: qvod tu cum horrore spectabis, & nomen meum celebrabis, qvia bonus sum, & sanctum nomen meum. 16 Scribe hæc, & mitte dilectis meis & tuis in Hollandiam: à qvibus cum literæ venerint, intelliges qvid alibi qvoqve operer ego. Hallelujah.

REV. DLXXXVII. Decemb. 17.

[*Visio aqva in aheno fervere nolentis* (1, 2:) *resolvitur in qverelas de humana duritie, & qvomodo jam igne furoris coqvendi sint*, 4 (*ut Racoci & Svecus*, 8) *per immissum Turcam & Tartaros*, 9. *Occidentales præmonentur*, 10, 11. *Rugitus Dei ad Reges & populos*, 12, 13, 14. *Alpha & Omega obedientiam reqvirit ab omnibus*, 15 - 19: *ut omnes in Fidei unitatem reduci patiantur*, 20 - 24. *Videns examini subiiciendus*, 25. *Regi Franciæ promissa, cum conditione*, 27.]

EXhibuit mihi Dominus Ahenum magnum aqvâ plenum, sub qvo tametsi ardebat ignis, aqva tamen fervere noluit, sed tacitè stabat. 2 *Mandatum ergò mihi fuit ligna supponere arida, qvod feci, sed nihil profeci: qvia fervescere aqva recusabat, id qvod omnibus spectantibus (ligna subjici arida, benè flammam emittentia, videntibus) mirum*

mirum fuit, mihi autem doluit. 3 *Ut ad me redii, cantare cœpi Psalmum* 18 (Diligam te Domine fortitudo mea, refugium meum, &c.) *Et Dominus*: Ecce ego, ego sum tibi aliisqve in me credentibus, & voluntatem meam ex animo facientibus refugium, adjutor, protector, eroqve in sempiternum. 4 Sed Ultor severus voluntatem meam, vocemqve inclamationis meæ aspernantibus, & mandata non facientibus. 5 Ideò ecce coqvo ego Dominator Terræ in aheno Mundi mei Nationes, igne iræ meæ, per totam amplitudinem Terræ. (6 Idqve propter inobedientiam mandatorum meorum, per te & Adjunctum eis denuntiatorum, tanqvam ignis non per cruda ratiocinia Vestra accensi, sed ex me & ore meo ad Vos & per vos ad Nationes Terræ, progressi) 7 Ut ferveret, coqveretur, & excoqveretur Idololatria, omnesqve doctrinæ pravæ per totam Terram: idqve per Visca tibi à me nominata, Orientale, Septentrionale, Occidentale, & Australe. 8 Sed ecce omnia in vanum: æqvè in Orientali, Racocio, atqve Septentrionali, Sveco: qvod ego Jehova inultum non reliqvi in utroqve, ut omnium jam vident oculi. 9 Et nunc ecce jam Turcam & Tartarum emisi, qvi sine discrimine Zizania & Triticum eradicant, in conspectu omnium. 10 Utinam auspicatiùs agant Occidentalia Visca mea, Helvetii & Principes Germaniæ, Rexqve Franciæ! de qvibus os meum per Te, & alios tibi ignotos, loqvutum est. 11 Qvibus jam Hollandos qvoqve jungi volo, ego Terræ Marisqve Dominator, ut cum illis unô sint spiritu, unâ voluntate, unô corde, qvorum nonnullis sermones mei profuerunt supra alias Nationes. 12 Qvod jam vident, & videbunt, Hollandosqve beatam Nationem nuncupabunt, aliæ gentes: qvòd inde primùm prodiit, & porrò prodibit, Vox rugitus mei ad Populos & eorum Reges, Galliæ, Portugalliæ, Angliæ (ubi multos habeo me diligentes) habitatoresqve Imperii Germanici, Electores & Principes. 13 Qvin & Polonos, Moscos, Tartaros, Turcas, intelligere volo meam, olim & jam denuntiatam, voluntatem: ut unanimes facti Omnes deturbent de sublimi solio potentiam Papæ Romani, Idololatriam & Tyrannidem exercentis. 14 Qvò tota Terra (*Polonica etiam & Hungarica*) fiat ut pratum desectum, ab erroribus & fœda Idololatria repurgatum: omnesqve Nationes adducantur & convertantur ad me, qvi solus sum Lux Mundi, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. 15 Tu cùm vocaberis, ito, & omnibus sermones meos, antiqvos & novos, legentibus id evidenter ostende, ut omnes intelligant neminem unqvam fructus bonos sine radice bona ferre posse. 16 Qvæ radix bona semper fui, & adhuc sum, ego Alpha & Omega, Vitis vera (*palmitibus meis*) dator fidei & obedientiæ erga me & clamores meos ad totam sub Cælo humanam progeniem. 17 Omnibus & singulis edicendo, Non habebis Deos alienos coram me: Non facies tibi sculptile: sed Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies; idqve totô corde, totâ animâ, totâqve mente tuâ. 18 Sed potestnè qvisqvam Vestrûm, ô filii hominum, alteri aliqvid dare qvod ipse ex se, in se, per se, nunqvam habuit? Nam qvicqvid boni vestrûm

aliqvis (*in proprium vel proximi usum*) habet, id non ex carne & sangvine, sed ex me habet. 19 Non alius tamen nisi ille, qvi dona mea gratè admittit: faciem mihi obvertens, non terga.

20 Qvapropter Vos duo testes mei ne tacete, sed tanqvam tuba extollite Vocem hujus clamoris mei! 21 Inclamate adhuc habitatores Hungariæ sic, ut audiant aliarum qvoqve terrarum Incolæ, Croatæ, Dalmatæ, Veneti, Turcam super colla sua jam habentes: ut unanimiter Omnes faciant qvod mandavi, olim & his annis. 22 Volo enim ego Terræ Dominator, ut ante Mundi finem, meumqve ad judicium reditum, una sit Fides & unum Baptisma. 23 Omnesqve agnoscant & confiteantur unum Deum & Patrem omnium Vestrûm rationalis Creaturæ meæ: nec præter me ullus alius habeatur Mediator, Dux & Protector vester, facientium voluntatem Patris mei. 24 Qvi tamen simul Ultor sum severus omnium voluntati meæ resistentium, sine ullo personarum respectu. 25 Surge, & hosce sermones meos scribe: ut scias postmodum exqvirentibus à te, qvid & qvomodo respondendum sit, personas non respectando, sint qvicunqve sint.

(Ubi & qvando illa futura sit inqvisitio, nihil miser scio, expecto tamen cum precibus, paratus ad omnia qvæ sapientia Dei mandat.)

26 *His ego auditis ad preces me converti: deinde ad cantum Psalmi* 51, *& Cantici de Regibus terræ, qvibus dare Deus promisit, ut conceptô in Meretricem odiô eam dejiciant, &c.* 27 *Ut autem finivi, addidit Dominus:* Fiat ita, modò Hollandi, qvi me nôrunt & diligunt, accendant facem Lucis meæ, sermonum meorum, ante Regem Franciæ. 28 Qvi Rex, si voluntati meæ moriger destruere incipiet Idololatriam, fiet Rex Imperii, & Hispaniæ: non autem Poloniæ, qvam non illi promisi, sed Radivilio. 29 *Hi erant ultimi sermones Domini mei hoc anno* 1663: *qvos ego cantu* Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto, &c. *clausi.*

ANNO MDCLXIV.

Rev. DLXXXVIII. 1 Jan.

[*Civitas Ecclesiæ diruta reparanda,* 1-4: *refractarii amovendi, Bavarus, Hispanus, Papa,* 5, 6. *Ad Regem Galliæ protestatio,* 7, 8. *Ignis furoris Dei annô hôc vorabit paleas,* 18. *Obtestatio ad testes Dei, ne taceant,* 20.]

ITerum ad me Verbum Domini factum est, cùm inter matutinas vigilias cantica novi Anni decantassem, Apostolicumqve CREDO *adjunxissem.* 2 *Subitò enim indormiens vidi Viros honoratos, scripta qvadam mihi ostendentes, eaqve sibi explicari petentes, eò qvod dura viderentur (erat autem Adjunctus qvoqve meus præsens): id qvod lubens feci.* 3 *Qvidam verò eorum tenebant manibus dona, pro me & proximis meis, pone me stantibus: qvos cùm ego per civitatem ducerem, vidimus per omnes plateas Domos aut dirutas, aut dilabiles, sordibusqve oppletas, ut reparari aut repurgari opus haberent.* 4 *Redditus mihi, qvid visionis istuc esset cogitare cæpi. Et Dominus:* Dilecte mihi, ostendi Civitatem Ecclesiæ

ſiæ meæ in Terra, cujus plateæ ac Domus ruinarum & ſordium plenę reparari opus habent. 5 O tu, tu Domus Auſtriaca, ó tu Domus Racociana, & tu Domus Hiſpanica, jam Vos apud me concidiſtis, neqve reſurgetis in æternum: tu proinde noli orare pro illis. 6 Cadet anno hoc 1664 Bavarus etiam: tum arundo fracta Hiſpanus, & titio ambuſtus Papa Romanus. 7 Rex Galliæ inconſtans, corde duplici erga me & alios, tergiverſatur indicatam ſibi voluntatem meam exſeqvi plenè. hominibus auſcultans potiùs qvàm mihi. 8 Si renuet conſtanter, alium reperiam qvi cauſam aget meam, non tantùm in Imperio, ſed & alibi per plateas illas Mundi dirutas, inhabitanteſqve eas ſine ordine, nominetenus Chriſtianos. 9 *Ego his auditis orare capi, primùm cantu Pſalmi XX; tùm verbis conceptis pro Gallo, Hollandis, Anglis, Germanis, Polonis, Hungaris, Turcis & Tartaris: tandem etiam Pſalmum LXVII & LXXXVI (pro illuminandis Gentibus cunctis) cantando.*

10 *Ibi ſubitò in ſomnum lapſus, vidi Arborem in campo ſtantem, ſub qva conſidens ego cum aliis, neſcio qvomodo veſtem Theologicam amiſerim, colobio tantùm tectus.* 11 *Surrexi ergò triſtis, ſimulqve evigilavi, & Pſalmum XIII cantavi (Uſqve qvò Domine obliviſceris mei? &c.)* 12 *Et Dominus:* Semper ego Dominus veſter vos, dilecti mei, qvorum ſpes & ſolatia ſunt ſermones mei, audio, clamoreſqve veſtros recipio. 13 Sed pauci, pauci ſemper erant per campos mundi, & pauci modò ſunt, qvi id faciant, mihiqve corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ, ſerviant, verbaqve mea fidenter recipiant. 14 Qvalis & iſta Hungara natio eſt, qvæ hebetudine mentis ſuæ ſeipſam, libertates ſuas, Coronam, poſteritatemqve, perdidit. 15 Tibi criminatores tui & mei ſub arbore Racociana detraxerunt Veſtem, ſed ego aliam pro te habeo: in qva tu te, ſicut & dilectum tibi & mihi Adjunctum, videbis, amici autem & inimici mei & veſtri mirabuntur. 16 Qvos non ſatis noviſtis vos, qvinam ſint, ego autem Omniſcius novi: mihi tu cum illo fide, non hominibus, qvicunqve illi ſint.

17 *Qvi amabiles Domini mei ſermones tantò me afficiebant magis, qvòd ſub ingreſſum Anni ita me ſolari dignatus fuit Deus meus: ut præ gaudio canerem,* Miſerere Deus, miſerere &c. *(Litania eſt, in uſum congregatæ, culpaſqve & pænas deprecantis Eccleſiæ, comparata.)* 18 *Qvô cantu finitô iterum Dominus:* Ecce ignis furoris mei, hoc Anno 1664, vorabit ut paleas malignos impoſturarum architectos, ut eradicentur de terra mendaciorum doctores, ſibi poteſtatem in veritatem, ipſi eâ deſtituti, uſurpantes. 19 Videbit id oculus tuus, aliorumqve Cultorum meorum, mihi & ſermonibus meis confidentium: nam apud me eſt initium & finis. 20 Tantummodò vos teſtes mei ne tacete! qvia qviſqvis me, Dominum Dominantium, corde confitebitur coram Patre meo, ore autem coram Angelis & hominibus, ego qvoqve illum confitebor tum coram Angelis meis, tum coram Nationibus terræ lingvarum variarum. 21 Sed væ illis qvi negaverint me: meliùs illis fuiſſet non naſci. Tu vigila & ora. 22 *Ego igitur cecini hymnum, Te Deum laudamus: illoqve abſoluto ſurrexi, & hæc ſcripſi. Hallelujah.*

REV. DLXXXIX. 7 Januar.

[*Opus iræ adversus Idololatras* (*tametsi Operariorum pars tardet*, 1.) *procedet*, 5. *solatio Cultorum Dei*. 2, 11.]

Ostendit mihi Dominus officinas Textorias ad qvatuor Mundi plagas: qvarum qvædam neqvidem texere seriò incipiebant, ut me aliosqve malè haberet. 2 *Inter qvas Officinas stabat Mensa foramen habens, ex qvo ungventum manabat odoriferum, de qvo ego sumens svaviter afficiebar.* 3 *Redditus mihi cantabam*, Mane nobiscum Domine &c. *Dominus autem*: Maneo, semperqve manebo in æternum. 4 Tantummodò vos in me credite, & credite sermonibus meis, me vestrum esse, & fore in omnem æternitatem. 5 Ecce opus meum jam operor super Orbem totum! qvod opus est opus iræ meæ, adversus Idololatras contemptores meos, & nominis mei, Patrisqve mei. 6 Neqve parcam cuiqvam, sicut non peperci Sodomæ & Gomorrhæ, tametsi Abraham pro iis intercederet. 7 Nam & hi jam compleverunt mensuram impietatis suæ, tyrannidisqve adversus populum meum: Papa, Hispanus, Austriacaqve Domus, & alii cum Consiliariis suis. 8 Compleverunt & Pseudoprophetæ ac Pseudodoctores, per varias sectas, sicut compleverant tempore Eliæ: qvare authoritas eorum concidit. 9 Nam ultio apud me jam parata est, sagittæ è pharetra sua depromtæ, jamqve emissæ sunt, ut habitatores Terræ prosternant. 10 Idqve promiscuè citra delectum Ordinum, dignitatum, functionum: qvi ad gladium, ad gladium; qvi ad ignem, ad ignem; qvi ad aqvam, ad aqvam: ut stupescant non homines tantùm peccatores, sed & Angeli sancti. 11 Tu autem mihi crede, serve mi! Nam videbis opus operariorum meorum, & videbis mensæ meæ cibum pingvem tibi, & aliis meis Cultoribus, provisione meâ paratum. 12 *Et laudabam Deum, etiam Psalmi* 146 *decantatione: qvô finitô Dominus dixit*, Surge, hæc etiam scribe.

REV. DXC. 8 Januar.

[*Hortus Ecclesiæ per totam Terram reparandus*, 1 - 3: *& à qvò*, 4, *qvod mirum dabit spectaculum*, 6.]

Postridie iterum mihi Dominus ostendit Hortum, sepimentis hinc inde diruptis: qvas rupturas ego reparabam cum aliis me diligentibus. 2 *Deligendo ligna & tigna crassiora pro fundamentis, tenuiora pro altiore structura: & distribuendo illis operas, qvid cuiqve agendum esset; & cantillando cum illis Psalmum* 80. 3 *Ut ad me redii, gaudii plenus, audivi vocem Domini dicentis*: Ostendi tibi hortum Ecclesiæ meæ in terris plantatæ, non circummunitæ legibus Ordinis mihi grati, qvem diruperunt hostes puritatis Doctrinæ Legis meæ. 4 Qvapropter Vos dilecti & fideles servi mei, Ecclesiastici & Politici, Reges, Principes, Dynastæ, emendate (*et emendabitis*) omnia collapsa! distribuentes operas & functiones sine prosopolepsia, frangentesqve filiis & filiabus meis, spiritu meo ambulantibus, panes vitæ. 5 Qvod ego tibi ostendi Tritico grani puri, vobis à Patre meo & vestro in me parati: non pro aliqva tantùm gente, sed pro omnibus tota in Terra, ad

Ortum

Ortum & Occasum, Septentrionem & Austrum. 6 Id qvod mirum dabit spectaculum, non Vobis duntaxat, sed & Angelis meis faciem meam spectantibus, precesqve vestras ad Patris thronum deferentibus. 7 Scribe hunc etiam sermonem meum, & mitte dilectis meis: *qvòd feci*, *accinens* Laudate Dominum omnes Gentes, &c. *Psal.* 117.

REV. DXCI. 30. Januar.

[*Reparatio Domûs Ecclesiæ certa est*, 1--4. *Hollandi ut aliter excipiant & promoveant vocem Dei qvàm Hungari*, 5--7. *Ignis iræ qvamdiu ardebit per Germ. & Occidentem*, 8. *Promissio Deo fidis*, & *fidentibus*, 9.]

AD *clamores matutinos meos, cùm invocarem Deum de producenda in lucem veritate promissionum, de non relinqvendis nobis orphanis, respondit Sapientia Dei hoc modo.* 2 *Primùm ostendit mihi Ædificium novum, reparatum, ubi erant Viri honesti, monstrantes mihi epistolas, variis lingvis, & characteribus scriptas: qvos ego deducebam per montium vertices admodum periculosè, manu etiam ducens Eqvum elegantem.* 3 *Qvod ut transiit, alloqvutus me Dominus dixit:* Ne metue serve mi, ne metue! continuabo ego opus meum, ad reparandum ruinas Domus Mundi, sicut jam orsus sum, ut verax maneam in sermonibus meis, olim & nuper prolatis. 4 Sicuti fidelis exstiti Abrahamo, mihi priùs credenti, deinde obedienti: qvomodo & tu cum dilecto Adjuncto prius verbis meis credidistis, qvàm ea scriptis ad Nationes divulgastis. 5 Ut ex Hollandia prodiret Vox clamoris mei ad Nationes per orbem Terræ: qvi Hollandi mittent de his ad te confessionem suam, qvùm hora venerit sua, ab instinctu meo. 6 Sed utinam non ad te solum, verùm ad alias etiam Nationes! aliter auscultando mihi Regi Regum, & Domino Dominantium, qvàm fecit natio Hungara, mihi & sermonibus meis infidelis. 7 Super qvam Nationem ecce ego jam effudi iram meam, è qva non emergent facilè. 8 Nam ignis iræ meæ jam ardet in Nationibus terræ, nec exstingvetur nisi post completos sermones meos, antiqvos & novos, per gladium, ignem, captivitates, diluvia, per Germaniam qvoque & Occidentales terras. 9 Implevi ego promissum Simeoni, in videnda salute Dei: implebo tibi qvoqve & aliis, mihi & verbis meis fidentibus, Adjuncto etiam, qvod promisi de reducendis Vobis in patriam. 10 Modò & Vos, Omnes Vos, meam qvoqve voluntatem implete, cum timore & tremore destinatum Vobis peragendo cursum. 11 Vigilate, cavete vobis ab hominibus, qvorum multi ad faciem blandè se habent, corde fraudem agitant, qvod ego novi. 12 *Cecini igitur Psalmi 66 versum primum, &c.*

REV. DXCII. 3. Februárii.

[*Suis Deus vigilat adversus omnes foveas.*]

ERAm *per visionem inter Viros ignotos, super sermones meos mecum disceptantes: qvibus nomine Dei loqvutus sum Zelò magnò ad fervorem usqve.* 2 *Ut ad me redii, dixit Dominus:* Ne effervescas ob ingratitudinem filiorum hominum, mihi & sermonibus

nibus meis contemtum inferentium. 3 Foveam foderunt multi, in qvam inciderunt ipsi: ut oculus tuus & aliorum sæpe vidit, & adhuc videbit. 4 Ego enim sum meis, & porrò vobis testibus meis ero, murus igneus, liberans Vos à periculis qvæ vos sæpe ignoratis: Ego autem ubiqve præsens, & omnia intuens, novi, & unicuiqve secundùm opera sua reddo. 5 Scias autem verba mea, etiam à te prolata, non transitura in æternum. 6 Nam qvis unqvam in consilio meo stetit, ut qvid ego cum ulla bona vel mala arbore agere proponam, scire possit? sed qvando mea venit hora, neminem vestrûm respectando: qvos dolare soleo, & percutere verbis oris mei, ut ex judiciis mei oriatur lux (Os. 6. 5.) 7 Tu igitur minas hominum ne pavescas: omnium enim appropinqvat finis. 8 Si quis vestrûm, ó filii hominum, tempus voluntatem meam faciendi hîc perdiderit, post mortem nullum tempus erit in æternum: operamini ergò dum tempus est, pro vobis & aliis Vobis commissis, mihi cura est de Vobis. 9 *Qvod audire mihi admodum solabile fuit, laudaviqve Deum cantu.*

REV. DXCIII. 4 Febr.

[*Qvid Turcæ & Tartari jam patraturi sint nemo novit, nisi qvi prænuntiavit, eosqve misit in Christianorum confusionem. Hollandi, 5.*]

MEdiâ nocte expergefactus orabam, mox in somnum relapsus vidi Canem, cui guttur succidi ne mordere posset: multis spectantibus, & factum hoc meum mirantibus. 2 *Ut hac transiére, facta est vox Domini ad me:* Ecqvis vestrûm filii hominum, cogitare potuit, nedum loqvi, qvid jam patraturi sint Turcæ ac Tartari in facie Terræ? anteqvam ego Dominus & Deus vester testibus meis id annuntiarem, istis autem ut qvod agunt, agant mandarem? 3 Idqve in confusionem Vestram Christiani, qvorum magna pars Idololatræ estis, transgressoresq; mandatorum meorum, Vobis à me ad custodiendum sub æterna damnatione injunctorum, signisqve ac miraculis (sub utroqve Fædere) roboratorum. 4 Sed accipietis jam præmia vestra, ó Christiani: & accipient vobiscum Turcæ, Tartari, Judæi, aliiqve errones, qvisqve pro se in die meo, cùm adjudicandum vivos & mortuos cum Angelis meis venero. 5 Qvapropter vos qvi me nostis, & diligitis, voluntatem meam vobis manifestatam implete! certi, me nihil frustra mandare cuiqvam, neqve Hollandis. 6 Atqve cùm feceritis qvod mando, meam protectionem expectate patienter: penu misericordiæ meæ plenissimè vobis patebit. 7 *Ego igitur laudavi Deum, Hallelujah, Hallelujah!*

REV. DXCIV. 7 Febr.

[*Dolores mortis obvenient* (1) *hoc anno & seqventi* (4) *malis & bonis* (5) *numerus mysticus QVINQVE* (6) *Hollandi ut alieno exemplo sapiant,* 7.]

VIsus mihi sum decumbere lecto, plenus in intestinis dolorum, & palpitationis cordis: ut adstantes commiseratione angorum meorum opitulari qværerent, ego autem

ad Deum clamarem. 2 *Ista ut transivère, audivi vocem Dei*; Dilecte mi, dudum ego totis viribus inclamare te jussi Nationes Terræ: sed qvid prodest, dum illi sermonibus meis commoveri, corqve suum ad faciendum voluntatem meam flectere noluerunt? Ecce jam, ecce fulmina mea super capita filiorum contumaciæ, ad discutiendum eos, & incutiendum profundo terræ, sicuti incussus fuit Pharao in profundum maris, cum exercitibus suis. 4 Ita enim hîc Angelis & hominibus spectantibus fiet tempore suo, qvod jam adest, hoc ipso anno 1664: anno verò 1665 finem faciam Babyloni & Bestiæ, cum stupore omnium. 5 Etiam tibi aliisqve me diligentibus, ac sermonibus meis fidem habentibus, dolores mortis obventabunt, tametsi Vos conservare decrevi, ut ultionem videatis de Bestia, super qvam sedit Meretrix abominabilis, sangvine sanctorum ebria. 6 Qvi legit intelligat! cùm numerabitur QVINQVE, finem accipient filii contumaciæ, conspectô me potestatem habere in Cælos, terram, mare; mare dico, qvod multa devorat. 7 Sed satis nunc labili memoriæ tuæ: surge, scribe, mitte hæc dilectis meis in Hollandiam, cum exhortatione à me Domino, ut illi qvoqve jam (superiores & inferiores) utrôqve oculo prospiciant, utrâqve aure audiant, & utrâqve manu operentur voluntatem meam, suo & proximorum bono. 8 Non tam supinè agendo sicut illi, qvos antehac per te inclamavi hâc in terra, mihi cum Consiliariis suis refractarios: qvi ubi jam sunt? præcipitarunt se malo suo & posterorum suorum, qvod Mundus videt. 9 *Ego igitur hæc per tenebras inscripsi tabula, & me precibus dedi.* 10 *Qvibus absolutu iterum Dominus:* Turca operatur, & operabitur, ut grave futurum sit Terræ, & vobis; tu igitur provide tibi panem, sicut & alii, donec transierit hæc procella.

REV. DXCVIII. 8 Februarii.

[*Lacryma piorum ignis super impios effundendus*, 1, 2. *Lux hæc salutariter illuminabit Orbem*, 3-5. *Opus à Turcis in Hung. inchoatum non terminabitur ibi, sed in Germania & Polonia*, 6--]

Post peractas preces meas (lacrymis rigatas) qvibus conversionem & salutem Gentium, nostri autem in procella iræ conservationem, orabam, facta est ad me vox Dei. 2 Ne plora dilecte mi! Effundam ego lacrymas tuas & Cultorum meorum (*qvorum jam pauci sunt*) sicut ignem super eos, qvi vos injuriis, me autem & nomen meum ignominiâ affecerunt: sed eos mensuram scelerum, immanitatisqve suæ, complere necesse fuit. 3 Rectè vos duo testes mei, auxiliô meo & Hollandorum cooperatione, inserviistis voluntati meæ, ad deductionem postremo hoc seculo in mei unici interDeum & homines Mediatoris, cognitionem & salutem variarum gentium. 4 Qvas vos ignoratis, mihi autem (salutem & perditionem in manu mea habenti) notæ sunt, ubi qvæqve per totam Terræ faciem Orbe toto habitent. 5 Ut gaudeat cor vestrum in me Arbore ac radice vitæ, unâ cum aridis ac defractis ramis, fructum fidei ac obedientiæ Abrahami, Isaci, Jacobi, non ferentibus: qvos ego jam prævenio, & vocabo, ut gaudium Vestrum cum illis plenum sit. 6 *Qvæ postqvam scripsissem, cogitabam qvalis exitus esset in Hungaria,*

rerum

rerum per Turcas inchoatarum: & Dominus, Talis, qvalem in Germania, Bohemia, Silesia, Polonia, Moravia, futurum esse dudum tibi indicavi. 7 Mirabitur Mundus, & homines qvi ratione utuntur, me veracem esse, ut & ero in æternum. 8 Tu autem cum aliis me noscentibus vigila & ora, expectans solatia mea: ab hominibus tibi cave, rarò exi, signum gesta. 9 *Et cecini Ps.* 16. *Conserva me Deus &c.* 10 *Cùm verò adhuc mihi Dominus fruges maturas, nondum demessas, ostendisset, & Viros qvi mecum de mysterio judiciorum Dei, nos in fidei unitatem jam jam deducturi, colloqvebantur, exultavit gaudio cor meum: ceciniqve,* O effunde Pater cælestis spiritum tuum, &c.

REV. DXCVI. 11 Febr.

Sordida humana ratiocinia (qvibus potiùs attendunt Germani & Hungari) adducent torrentem plagarum Dei.]

A *Matutinis precibus ostendit mihi Dominus Conclave, ubi scamna erant sordibus inqvinata & fœtida; ut insidentes illis nares obturarent, nemo tamen ea purgatum ibat.* 2 *Mihi ergo cùm in manu esset scamnum novum, politum, offerebam istud: sed multi recusabant, fœtido illi insidere mavolentes, qvod me malè habuit.* 3 *Hoc disparente, dixit Dominus:* Rem miram faciam Ratisbonæ, concussione terræ consternabo Imperii habitatores cum Electoribus. 4 Effundetur enim horribiliter fervor meus super terras Germaniæ, provinciasqve Austriacas, & gentem Hungaram pervicacem, mandata mea per te indicata rejicientem: respectant enim se invicem tantùm, plùs attendendo fœtidis ratiociniis suis, qvàm sanis consiliis verborum meorum. 5 Dicunt & illi sanè, me Dominum esse suum, sed ubi est timor meus? esse Patrem, sed ubi est honor meus? 6 Adducam igitur super terram hanc exercitus, sub qvibus terra tremescet, nec resistendo erit ulla vis: jacebuntqve occisorum cadavera, disjecta ut fimus per agros. 7 Omnes provincias Austriacæ Domûs convertam in desolationem, ob idolomaniam eorum, & inobedientiam Legi meæ. 8 Tu solatia mea expecta: Gladius enim meus (qvi Jehova sum, hoc est nomen meum) & gladius Gedeonis, Gladiusqve à te evaginatus, percutiet habitatores omnium Terrarum, ut in deserta convertantur, spectaculo facti Angelis & hominibus. 9 Tu mihi fide, & fac qvod mando. 10 *Cècini igitur, Adauge fidem, &c.*

REV. DXCVII. 18 Febr.

[*Similia, alio typo ostensa.*]

V *Idi Viros habentes, ac inter se partientes, Volumen panni, qvi non erat pilo æqvalis, sed alicubi melior, alibi seqvior, de qvo inter se altercabantur: ego autem iniqvè ferebam, qvòd mihi justo minorem portionem darent.* 2 *Redditus mihi orare capi, ut me spiritu consilii sui regeret Deus.* 3 *Et Dominus:* Apud me, & in proprietatibus potentiæ voluntatisqve meæ, semper fuit, & semper erit, consilium unum indifferenter. 4 Qvam proprietatem habitatores Terræ, prisci & moderni, nec agnoscere volunt, nec audire, ambulando per vias mihi & Legi meæ contrarias,

Ido-

Idololatriæ ac errorum variorum: ideò Iram meam ſuper Orbem effudi. 5 Tametſi autem ad me clamant multi, qvia tamen variè à via aberrant, obduco ego me nube, ne audiam clamores eorum, dum nec illi audiverunt clamores meos: ſive per meipſum (qvi dixi, Soli Domino Deo tuo ſervies) ſive per Vos duos teſtes meos. 6 Ideoqve Væ terris & nationibus! huic etiam cujus Rex puer eſt, ſine intellectû & notitia ſuiipſius, voluntatiſqve meæ, & mei, qvi judicium diligo & juſtitiam, puritatemqve ac veritatem, in omni Gente. 7 Cùm tabellarius venerit, reſcies qvid ego hinc inde operer, Ratisbonæ etiam: ubi Pannum texunt valdè inæqvalem, alii lanæ & coloris boni, alii pravi. 8 Dedi enim qvibuſdam in cor, ut aliter agendum eſſe videant, qvàm hac in Terra: ſed qvis in conſilio meo fuit, qvi rerum ſub ſole eventum indicet? præter me, qvi Alpha & Omega ſum? gladium habens evaginatum ad Idololatras exſcindendum. 9 Tu mihi crede, mihi fide! non confundam ego vos, ſpe in me recumbentes: nec illos, qvi vos teſtes mei propter laborem Veſtrum amant. 10 Apud me repoſitum eſt prœmium, pro Vobis & illis: videbit fructum laboris Veſtri oculus Veſter, &c.

REV. DXCVIII. 21 Februarii.

[*Felix Hollandia*, 3, 6, *Domus Auſt. & Rac. cadunt*, 4, 5, 13. *Adjuncto redeundum*, 7, 8. *Meſſis gentium, abjectiſſimarum etiam*, 9—12. *Campanarum pulſus funebris*, 13.]

A *Matutinis precibus oſtendit mihi Dominus Auditorium frequentiſſimum (inter qvos etiam fuit dilectus mihi Adjunctus, manu tenens alterâ librum, alterâ placentam) cum qvibus ego preces fudi tam ardenter, ut evigilarem, orans adhuc, ut Dominus noſtri memor eſſet.* 2 *Ubi Dominus*; Eſt apud me veſtri memoria, filii mei, Voluntatem meam ex animo facientes. 3 O tu felix Hollandia, ex qva tam caliginoſis temporibus Lux flammans ſermonum meorum prodiit ad Gentes! In æternam obſeqvii mandatorum meorum memoriam. 4 Qvæ mandata non audivit Racociana Domus, per Conſiliarios malos; ſed malam acceperunt mercedem. 5 Sicut accipiet Auſtriaca Domus, cujus gloria jam cadit in conſpectu Gentium, juxta ſermones meos dudum per te etiam prolatos. 6 Vos autem Cultores mei apud me præmia expectant, ut & Hollandos propter me vos diligentes. 7 Qvapropter ſcribe dilecto meo & Tuo, ut è Hollandia (impoſitô ibi laboribus colophone) redire cogitet, ſicuti reverſus fuit ex Hungaria, bonâ ibi relictâ memoriâ; ſed meliorem relinqvet in Hollandia. 8 Qvod boni agnoſcent, & mirabuntur, nomenqve laudabunt meum: maligni autem perverſè judicantes, facient ut oculus ejus & tuus vindictam de iis videant die meo.

9 *Hæc poſtqvam ſcripſiſſem, Deumqve cantu laudaſſem, denuò mihi Dominus oſtendit fruges maturas, Triticum puriſſimum, ut mirarer.* 10 *Et Dominus*: Jam fruges maturuerunt, & meſſis mea venit, ut agnoſcant abjectiſſimæ etiam Gentes me & nomen meum. 11 Ecce autem Meſſores probati mihi pauci ſunt, Eccleſiaſtici & Politici; ſed inveniam ego, & venient qvi eradicabunt Zizania, Triticum

autem congregabunt in horreum meum. 12 *Ob qvod ego lætitiâ perfusus cantabam, Gaude mater filiorum Dei Genitrix, &c.* 13 *Dominus verò iterum, post moram:* Audisne vocem, *Pulsate Campanas, pulsate Campanas?* Apud me enim jam mortuus est, semimortuus iste de Austriaca Domo; & alter de Racociana Domo, perversus Franciscus. 14 Uterqve jam complet mensuram iniqvitatum; pro qvibus ne orares, dixi. 15 Qvia utrumqve in foveam deducent cæci isti duces, in qvorum illi consiliis salutem qværunt: sed ego infatuavi omnia, &c.

REV. DXCIX. 7 Martii.

[*Videns cum Adjuncto ad obseqvia obligantur.*]

Ostendit mihi Dominus Viros ignotos: qvibus adstabat dilectus meus Adjunctus, veste decorâ, calceamenta pedum habens fasciis qvibusdam nigris circumligata, ostentans mihi qvomodo ligatus esset, sicut & ego illi similiter: qvod præsentes mirabantur. 2 Redditis mihi sensibus, dixit Dominus:* Dilecte mi, ostendi tibi Adjunctum tuum, qvem tibi addidi, pedesqve illius præparatione Evangelii Pacis calceavi. 3 Ut pascatis ambo gregem meum, Sponsam dilectam meam, pro qvâ ego Pastor ejus animam posui: non tantùm in terra patria vestra, sed & in Nationibus aliis, qvô vestrûm qvemqve misi. 4 Pascite igitur gregem Dei & Nationes exteras (sicuti jam antè fecistis) vigilantèr, verbis quæ ex me dudum audivistis & adhuc auditis, in usum omnium populorum qvi hæreditatem capiunt salutis. 5 Qvos ignoratis Vos qvinam sint, & ubinam sint, sed ego & Pater meus novimus; qvem Patrem vos Deum esse dicitis vestrum, & rectè dicitis. 6 Qvi qvoniam non vult mortem peccatoris, juvate vos etiam (cum aliis me diligentibus) ut qvi nondum norunt me, convertantur ad me: priusqvàm obtenebrescet Sol, & Stellæ amittant lumen suum. 7 Surge, scribe, & hæc Dilectis meis mitte. 8 *Surrexi ergò, & scripsi, Psalmum decantans* 116.

REV. DC. 17 Martii.

[*Ecclesia mergenti succurrendum.*]

Vidi Aqvarum diluvium, Puerúmqve mergentem: cui ne submergeretur succurrebam, spectantibus multis & gratulantibus. 2 Ut ad me redii, qvid Visionis esset cogitare cæpi: cantillans qvod in mentem venit, ut nos per Mundi deserta oberrantes ereptum veniret Deus. 3 Et ecce vox Domini: *Ostendi tibi dilecte torrentem, qvem emisit Draco ad absorbendum Mulierem cum filio suo, qvæ Ecclesia mea est. 6 Qvam ego hucusqve servavi, & servabo, ut ne Navicula mea pereat in qva estis Vos, & multi sub sole testes mei, Nationibus terræ vitam in me commonstrantes.* 5 Qvod audire cùm esset ingenti lætitiæ spiritui meo, complexi virum humi projectum, seminudum: qvem cùm spectarem, cadebant super me stillæ ut pluvioso tempore solent, cùm tamen sudum esset, ut mirarer. 6 Et Dominus iterum: *Ecce jam, jam terra allisi multos illos Hungarorum potentes, ut sangvinem stillent propter suam perversitatem, incredulitatem, & irritationes mei.* 7 Qvod indolui, pro illis orans, &c.

REV. DCI. 18 Martii.

[*Diluvia gentium volvunt se ab ortu: qvibus sistendis Europa non sufficiet, sed Deus, piscatione peractâ suâ.*]

A *Precibus matutinis redormivi, & ostendit mihi Dominus aqvam, aqvam magnam, cui ego cum aliis multis (notis & ignotis mihi) supernatabam.* 2 *Ut verò cum non multis alteram attigi ripam, vidi super aqvam ligna longa, ut trabes formâ tereti, qvibus inambulantes multi, Viri & fœminæ, decidebant & mergebantur: ego verò eos inclamabam, ut se dextrorsum tenerent ad solis ortum.* 3 *Expergefactus inde tristis fui spiritu, orans nos in tentationibus non deseri.* 4 *Et Dominus:* Ostendi tibi dilecte, ego dux & Via, Veritas & Vita, aqvas variarum & magnarum tribulationum, qvas in Patria & in exilio pertulistis: qvas tribulationes vos transiistis, alienas in terras delati, alii verò multi mersi sunt. 5 Sed tu cum aliis adhuc incedis per ligna periculorum, qvæ jam ab Ortu sese volvunt super Christianorum terras: pericula qvibus amoliendis Imperium Germanicum, & habitatores Europæ, non sufficient. 6 Ego enim sedens in throno Patris mei commovi Gentes ab Oriente, Asiâ, Syriâ, Ægyptô, Transylvaniâ, & aliis, ut volvendo sese ad Meridiem exterminent Idololatras. 7 Sed scias etiam à Septentrione & Occasu venturos, ut ligna, idqve ideò, qvia jam fulgor lucis meæ, & vox clamoris mei, prodiit à semioccasu in Orbem totum, ad colligendum undiqve in Ecclesiæ nassam pisces, bonos & malos. 8 Qvibus piscibus (*meis*) vos à me super alios illuminati suppeditabitis alimentum, qvô ipsi vos electi dono meo fruimini ex me pane Vitæ: 9 Ad tempus usqve à Patre meo vobis me agnoscentibus & diligentibus destinatum: qvod jam, ecce jam, appropinqvat, veniétqve citò. 10 Tu mihi confide, non confunderis, audiens brevi qvid rerum fiat in Orbe meo: nam ecce Diluvia iræ meæ effundent se super Nationes. 11 *Cùm autem cogitarem, An bosce Domini sermones meminisse potero, respondit Dominus:* Poteris, surge, scribe! *Surrexi ergò, cantans Psalmum* 74. Ut qvid Domine repulisti nos in finem, &c.

REV. DCII. 20 Martii.

[*Deus tri-unus (Maria virgini etiam testimonio, 2—5) Christianos omnes unum esse vult, abolitis sectarum nominibus, 6—10.*]

C *Onspexi Virum ad fenestram meam stantem, lingvámqve adversus me exserentem, atram: cui ego maledixi, ille verò ab oculis meis disparuit.* 2 *Mox vidi me Domum qvandam ingressum, ubi erant Viri illustres, dextras mihi non vacuas offerentes: cum qvibus mihi sermo fuit de Unitate Divinitatis, præcinebámqve illis:* Unus Deus essentiâ trinus personis est &c. (*hymnus est de Trinitate*) 3 *Et ecce ad nos ingressus à Meridie vir facie venustâ, mihi gratâ: ad Septentrionem verò sedebat fœminea persona, qvam Vir ille commonstrans ad me dixit:* Huic tu de Divinitatis Unione loqvere, illa sermones antiqvos de hoc articulo firmabit. 4 *Loqvutus ergò sum: & illa confirmabat ita*

hac in Cœlo esse nota, & ita in Terris debere credi & enuntiari, Deum esse unum essentiâ, sed trinum personis; licet id hominum myriades myriadum nondum credant. 5 *Qvod audire mihi mirum erat, & tamen jucundum: expergefactusq; audivi vocem Domini:* Serve mi, Matrem meam vidisti, qvæ voluntate Patris mei, virtutéqve Spiritûs Sancti, me utero suo conceperat, & de Unitate nostra etiam loqvi potest. 6 Sed utinam vos Christiani, qvi nomen meum novistis, muniisqve altioribus in Ecclesia & Politia fungimini, Omnes in me unum esse velitis, sine ingratis mihi in tot nomina distractionibus, Waldensium, Hussitarum, Lutheranorum, Calvinianorum, &c. 7 Ideò Vos inclamo, Estote vel jam tandem sub Occasum Solis OMNES UNUM IN ME, CUM PATRE ET SPIRITU SANCTO, indiscriminatim Omnes cum omnibus salutem desiderantibus: ut hoc visô infideles qvoqve Vobiscum unum fiant. 8 Et dejicite, dejicite jugum Papæ Romani, meis cum Cultoribus bellum gerentis indifferenter, Lutheranus an Calvinianus qvis sit. 9 O utinam Vos filii hominum recordemini, qvomodo ego pro Vobis ante mortem meam oraverim Patrem meum & Patrem Vestrum, Deum meum & Deum Vestrum: ut omnes Vos qvorum ego assumpsi naturam, Corpus vobis simile excepto peccato, unum sitis! 10 Scribe hæc, & mitte dilecto tuo Adjuncto, ut & Episcopo Ilaviensi, ut ne sint duplici corde ergâ me & sermones meos, iisqve denuntiatam voluntatem meam. 11 *Qvod audire cùm esset volupe cordi meo, cantavi cum gaudio*, Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, &c. *Hallelujah.*

REV. DCIII. 16 Aprilis.

[*Solatia Videnti contra conspirantes Criminatores suos (nominatim P. V.)* 1—11: *ipsosque idololatras*, 12.]

Ostendit mihi per visionem Dominus Viros, Politicos & Ecclesiasticos: inter qvos erat criminator meus, P. Veterinus. 2 *Cùm autem illi à me, & Adjuncto, rationem poscerent*, qvorsum illa mea jussu Dei scripta tenderent? *respondebam:* Primùm, *ad notitiam veri Dei, unius essentiâ & trini Personis, Dei Creatoris, Dei Redemptoris, Deiqve Sanctificatoris, propagandam.* 3 Secundò, *ad serviendum corpore & Spiritu eidem Deo, nec alteri cuiqvam, in solo nomine Domini Jesu.* 4 Tertiò, *ad communionem Dilectionis mutua inter omnes indifferenter, Christianos, Iudæos, Turcas & Paganos: qvalis erat Naman leprosus, & Cornelius precum eleemosynæqve studiosus.* 5 *Reddebam & persona mea, privatorumqve actionum, rationes; in Diario meo exstare consignata cujusqve diei acta, totum per annum.* 6 *Qvod cum attentione videns excipi Criminator meus, P. V. evanuit ex oculis omnium: ego autem evigilavi, admirans illam Visionem.* 7 *Tum capi cantare Psalmum 36. de impiorum, protervè Deo & Sanctis illudentium, cæcitate, insequuturisqve pœnis: & bonitate Dei erga suos, &c.* 8 *Ubi Dominus ad me:* Devolve tu super me onus afflictionum tuarum, & contemtûs à malignis tibi exhibiti, qvi nocere non possunt tibi, sed sibi. 9 Qvos ego meliùs novi ac tu, qvi sint: apud me enim cuiqve bono & malo merces parata est à condito Mundo, manebitqve in æternum. 10 An nescis Mosen, mihi mea in domo fidelem, ultionem vidisse super Pharaonem, & super Datan, Abiron, Chore, propriámqve sororem? sicut & tu vidisti. 11 Nam ubi jam

sunt mendaciter de te loqvi, & scribere ausi? Videbis & reliqvorum tuorum & meorum illusorum brevi, brevi, brevi exitum. 12 Qvam primùm mensuram flagitiorum complebunt, & ego sagittis meis eos adoriar, nullum eis auxilium erit: licet conspirent, & variè consilia ineant (*qvod notum est mihi*) sicut & Idololatræ, mihi & nomini meo contemtum inferentes. 13 Sed frustra sunt: qvia termini comminationum mearum jam exeunt, contra terram Hungariæ & alias, de qvibus os meum per te & alios loqvutum est, & adhuc loqvitur. 14 Apud me tamen protectio est sicuti murus igneus, cum Angelorum meorum custodia. 15 Tantummodo tu labora, cum aliis qvos ego aliis in terris excitavi, qvos tu nec nosti, nec esse scis: ego autem novi, & qvid qvisqve agat, scribat, cogitet, scio. 16 Amsterdami literæ ad te jam expeditæ sunt, allaturæ tristitiam & admirationem, sed & solatia, tibi & aliis: Tu vigila & ora! *Qvod feci, cantu Psal. 4. &c.*

REV. DCIV. 27 Aprilis.

[*Adversus famem in Hungaria futuram Videnti prospicitur.*]

DIluculi tempore vidi Domum, ubi mensis accumbebant homines varii Ordinis, plebeji etiam, ad epulandum. 2 Vidi autem multis mensis nihil inferri præter panis bucceas: qvas illi diripiendo mussitabant inter se, ut si qvid præter panem habituri essent à me celarent. 3 Qvod cùm mihi doleret, tàm fraudulenter mecum agi, redii ad me, cum pavore qvodam visionem illam recordatus. 4 Ubi Dominus: *Ita futurum scito in hac Terra, & alibi, ut vix panis frustrum supersit, cum IGNIS IRÆ mea Regiones, Horrea, Promptuariaq; ita combusserit, ut alter alteri panis frustrum invideat.* 5 *Tibi etiam ipsi multi invidebunt provisionem meam, qvâ tibi providebo ut Elia & Danieli: habeo enim adhuc* (Sareptanas viduas &) *Habakukos, qvos tu non nosti, sed cognosces cum tabellarius venerit.* 6 *Tu ergò vigila, homines cave, panem tibi & aliis pauperibus meis provide.* 7 *Sed & circa rupem labora: tempus supra tempus est.* 8 Qvô ego audito, laudabam nomen Dei hymno Ecclesiæ, *Te Deum laudamus* &c. Aliâ item cantilenâ *de Providentia Dei.*

REV. DCV. 29 Aprilis.

[*Baptizatio Gentium instat,* 1-5: *& Judæorum,* 6, *cum epulis sacris,* 7, 8: *unum Ovile fient omnes,* 9. *Qvàm hæc certa,* 10, *& qvanta inde oritura gaudia,* 15.]

CIrca noctis medium ostendit mihi Dominus magnam populi congregationem, utriusqve sexus. 2 Inter qvos ego cum aliis Ecclesiæ Ministris obambulans, primùm eis Verbum Dei prædicabam; deinde illos cum aliis V. D. Ministris baptizabam. 2 Idqve in nomen Domini Jesu, pòst editam fidei confessionem, *Deum Creatorem unicum esse Divinitate, trinum autem Personis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.* 4 Concinebatúrqve ab omnibus hymnus, *Sancti Spiritûs adsit nobis gratia! qvæ corda nostra sibi facit habitaculum. &c.* qvod nobis visum erat adeò mirum, iisqve qvos baptizabamus adeò solabile, ut ego in

 medio

medio cantu evigilarem. 5 Ubi gaudio plenus, alterum de Spiritu Sancto hymnum cecini: *Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitùs lucis tuæ radium! Veni Pater pauperum, veni Dator munerum, veni Lumen cordium:* & sic ad finem. 6 Finitó cantu mox ego rursum in somnum lapsus, vidi ingentem hominum turbam cum intermixtis Judæis, qvi circumcisione gloriabantur, nihilominùs tamen Baptismum recipiebant, confitendo Jesum esse Filium Davidis, & Filium Dei, promissum benedictum semen, & Mundi Servatorem. 7 Qvibus nos sacram qvoqve Cænam administravimus, Panem & Vinum: usitatô nostris in Ecclesiis more distribuendo, exhiberíqve fidelibus pabula Vitæ, Corpus Iesu Christi pro nobis crucifixum, & Sangvinem Iesu Christi in peccatorum nostrorum expiationem fusum, testando. 8 Qvæ administratio fiebat cum cantu hymni nostri vernaculi, *Pontifex æterne Jesu, gloriose jam in Imperio Cœli, solatia dans Sponsæ tuæ Ecclesiæ: &c.* 9 Cùm evigilassem gaudii plenus, invocabam ardenter misericordiam Dei, daret id ut unum essemus Ovile Omnes, sub Pastore uno. 10 Oratione verò finitá meâ, dixit Dominus & Deus meus: *Serve mi fidelis, ecce jam illud propinqvat tempus, qvô per universum Mundi Orbem id fiet, qvod Ego Alpha & Omega tibi exhibui hodie: ut non Turcæ solùm & Gentiles, sed & Judæi, à Vobis recipiantur & introducantur in Ovile meum, in communionem dilectæ meæ Ecclesiæ.* 11 *Nec ut recipiantur solùm, sed & Baptismo baptizentur, & ex me Pane Vitæ sacramentaliter & spiritualiter Vobiscum saturentur: in conspectu & Angelorum meorum, faciem meam in Cœlis videntium, & Hominum in Terra, qvàm diu mihi placet, habitantium.* 12 Qvibus ego valdè spiritu oblectatus, meditari cœpi, *Utri priores ad Baptismum essent venturi, Turcæne an Judæi?* 13 Et Dominus: *Gens mea, è qva ego conceptus & natus sum.* 14 *Hi primùm introducantur cooperatione Potestatum Secularium, & Vestrâ Evangelii Ministrorum: demùmqve alia infidelium Nationes.* 15 *Qvod ubi erit factum, gaudium erit Angelis in Cœlo, Seraphinis & Cherubinis; Pax autem Hominibus in Terra, ad tempus termini à me, consilio Patris mei, Vobis & Mundo, positi.* 16 *Surge dilecte mi, & consigna ista in gratiam Adjuncti qvem tibi addidi, & Benefactorum, qvos tibi in H. & alibi excitavi: à qvibus epistola brevi venient, tam confide atqve si jam oculis videas.* 17 Qvod audire tam mihi fuit & mirum & gratum, ut exultaret cor meum, laudaremqve Deum pro misericordia exhibita mihi & Adjuncto, perqve nos Nationibus terræ, Belgio, Angliæ, Seciæ, Poloniæ, Hungariæ &c. 18 Vota fundens pro Patria etiam Moravia, ut divinæ misericordiæ placeret implere promissa nobis etiam facta, me cum Adjuncto ad functionem revocatos debere infirma solidare, ægrota sanare, dispersa congregare, & ad pascua virentia reducere esurientes justitiam & gratiam Dei, hîc & in æternum, ubi nullus cadet super nos sol & æstus &c. 19 Ceciniqve Psalmum 103: *Benedic anima mea Domino, & omnia qvæ intra me sunt nomini sancto ejus &c.* 20 Ut verò cantum finivi, subitó in somnum lapsus vidi Panes mihi allatos, candidissimos: qvos manibus accipiens, distribuebam inter pauperes. 21 Et mihi redditus audivi vocem Dei: *Fiet, supra spem tuam! Tantummodò tu confide mihi, & milita bonam militiam, tanqvam fidelis servus meus, Ovi-*

umqve

umqve meârum Pastor. 22 *Laborum ne te pigeat pro electis meis, sangvine meo redemptis: apud me præmium est laborum omnibus Vobis, superioribus & inferioribus. Surge, scribe hæc.* 24 Qvod feci, Dominumqve cantu Psalmi 146 laudavi. Amen, Hallelujah.

REV. DCVI. 2 Maji.

[*Videns Visiones suas defendere jubetur, 1-5: modumqve illius rei docetur, 8-12. Plagæ Dei atterent Mundum, 6: piis conservatis, 7.*]

TEmpore diluculi, post peractas preces, ostendit mihi Dominus magnam congregationem Procerum, Ecclesiæ Pastorum, & Populi: postulantium personam nominari, qva Concionem haberet ad Pastores primùm, deinde ad Populum.* 2 *Et ostentabant me, ego verò alios: causatus mihi paucos esse Libros, & me nihil esse præmeditatum, & alia, donec evigilassem.* 3 *Mox autem redormiens similia vidi, disceptationem nempe de Concionatore: ut expergefactus mirarer, qvid sibi Visiones istæ vellent.* 4 *Et mox Dominus:* Eô venietur, ut te ipsum concionari necesse sit, sermonésqve meos à te Mundo scriptos defendere, adversus calumniatores tuos & meos, maligni illius filios. 5 Qvos qvidem tu non satis nosti, qvinam & ubinam sint, & qvid machinentur, tametsi pars eorum amicitiam & candorem simulant, cor tamen plenum est fraudis & fastûs: qvibus ego brevi finem faciam in conspectu omnium. 6 Nam Plagæ meæ paratæ sunt, non tantùm adversus istos tuos & meos criminatores, sed & adversus varias Terræ Nationes: qvæ se mutuò prodent, mactabunt, sangvinémqve profundent, exurent, in captivitatem abducent, juxta sermones meos. 7 *Qvibus ego auditis laudabam Deum, qvòd me hactenus in conspectu Mundi non deserat, sed servet, doceat, soletur, promissionesqve suas impleat.* 8 *Ut verò surrexi, & ista scripsi, cogitare venit,* Qvomodo ego hæc mea defendere potero sic, ut neqve nomen Dei lædatur, neqve Conscientiæ meæ vis inferatur. 9 *Et dictum mihi fuit Spiritu Domini:* Ita defendes, *Primùm* diffitendo qvidqvam à te, ex te, pro te ipso scripsisse, sed jussu meo, qvi voce meâ te Mundum inclamavisse testabor: id qvod qvomodo futurum sit non intelligis tu modò, videbis pòst. 10 *Secundò,* fateberis te gloriam Dei, gloriam Sapientiæ, Veritatis, Gratiæ & Justitiæ, qvæsivisse. 11 *Tertiò,* spectasse etiam commune bonum, reductionem Nationum sub sceptrum & pedum Pastoris & Episcopi animarum Christi Jesu: qvi solus est Ecclesiæ Caput Judéxqve vivorum & mortuorum. 12 *Qvæ cùm ita scripsissem, cantabam,* Altior Cœlo tua Majestas, &c. [*Ecclesiastici hymni clausula est.*]

REV. DCVII. 13 Maji.

[*Christus omniscius, 2, 3, 10, personas non accipit, 4, 7: omnia per Angelos & homines nuntiata agit, & peraget, 6. Non tacenda hæc, 8, ut impii convertantur, 9.*]

ARdenter invocabam Deum diluculi tempore, etiam Psalmi XII cantu. 2 *Ad qvod Dominus:* Audio ego clamores tuos, & aliorum Cultorum meorum in facie Ter-

Terræ, qvos tu qvinam sint, & ubi habitent, ignoras. 3 Sed ego Omniscius cum Patre meo, qvem vos Deum vestrum esse dicitis, & cum Spiritu sapientiæ, scientiæ, consilii, novi omnia cujusqve hominis cogitata, dicta, facta, & qvi eorum ergá me & sermones meos sint corde purô, conscientiâ bonâ, & fide non fictâ. 4 Nunqvam apud me fuit, nec est, nec erit, personarum acceptio: sed in omni Natione qvi me timet, vocem meam audit, voluntatémqve meam facit, acceptus fuit, est, & erit in æternum. 5 Nam apud me est omnis rei bonæ principium & finis bonus: ut necesse sit in lucem venire omnia consiliô meo æternô decreta, de qvibus os meum, Angelorúmqve meorum, & filiorum hominum, antiqvorum & modernorum testium meorum, loqvutum est. 6 Durum itaqve fuerit Vobis, ô homines, contra stimulum calcitrare, & mihi horas, tempora, & metas actionum mearum præfigere, qvi vestras & actionum vestrarum metas ipsi ignoratis. 7 Meum est cuiqve vestrûm, actionibúsqve vestris, & figere & afferre fines: idqve sine respectu dives an pauper, doctus an rudis qvis sit. 8 Vos igitur, ô filii hominum, qvi donô meô me & nomen meum novistis, ne tacete, sed clangite (*tubâ*) in Sion! 9 Et date mihi & Patri meo, Deo Vestro, gloriam, illi qvi non delectatur morte impii, in peccato concepti & nati, pro qvo ego animam posui: & volo ut omnes pœnitentiam agendo vivant, propinqvi & longinqvi. 10 Nam oculus meus omnia videt, auris mea omnia audit, (*manus mea*) omnia in judicium adducet: ubi bonis, mihi & voci meæ morigeris, benè, malis malè, erit in sempiternum. 11 Surge dilecte mi, hósqve sermones meos scribe, & mitte, ut eos noti & ignoti legant, mihíqve soli gloriam dent. 12 *Ego verò cantu celebrans Deum surrexi, & scripsi.*

REV. DCVIII. 24 Maji.

Visio Gentium omnium, Christi nomen adorantium 1-6. *Preces pro illis, nominatim Anglis & Hollandis,* 7. *Ultimus Austriacorum,* 8. *Protectio Dei,* 11.]

TEmpore diluculi ostendit mihi Dominus Viros singulariter vestitos, habituqve vario, scripta mea jussu Dei ad Gentes exarata manibus tenentes, legentes, preloqve parantes, ad dimittendum inter Nationes Terræ. 2 Qvibus ego cum Adjuncto modum illius rei ostendebam, consilium dans ut Tabulam effigiarent cum solio circumdato fulgore, tanqvam solari. 3 Non personam ibi collocando, sed nomen tantùm JESUS NAZARENUS CHRISTUS FILIUS DEI VIVI: & circumcirca thronum sanctos Angelos stolis albis. 4 Sub throno autem gentes Orientales, *Hungaros, Turcas, Tartaros*, &c. & sub his *Gallos, Anglos, Hollandos*, aliasqve Occidentales, *Helvetios* etiam: dextrorsum, *Danos, Sveeos, Polonos*, aliasqve Septentrionales; & ex opposito his Meridionales, *Croatas, Venetos, Græcos*, cum Duce suo cui nomen *Eusebion*. 5 Qvi omnes me & Adjunctum circumstantes, rogarunt ut cum iis preces ad Deum agere vellemus: qvod fecimus cantando *Veni Sancte Spiritus* &c. Item, O *Sapientia æterna Christe Jesu* &c. 6 In qvo cantu ego ad me redii, voce naturali




Terræ, qvos tu qvinam ſint, & ubi habitent, ignoras. 3 Sed ego Omniſcius cum Patre meo, qvem vos Deum veſtrum eſſe dicitis, & cum Spiritu ſapientiæ, ſcientiæ, conſilii, novi omnia cujuſqve hominis cogitata, dicta, facta, & qvi eorum ergá me & ſermones meos ſint corde purô, conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ. 4 Nunqvam apud me fuit, nec eſt, nec erit, perſonarum acceptio: ſed in omni Natione qvi me timet, vocem meam audit, voluntatémqve meam facit, acceptus fuit, eſt, & erit in æternum. 5 Nam apud me eſt omnis rei bonæ principium & finis bonus: ut neceſſe ſit in lucem venire omnia conſiliô meo æternô decreta, de qvibus os meum, Angelorúmqve meorum, & filiorum hominum, antiqvorum & modernorum teſtium meorum, loqvutum eſt. 6 Durum itaqve fuerit Vobis, ó homines, contra ſtimulum calcitrare, & mihi horas, tempora, & metas actionum mearum præfigere, qvi veſtras & actionum veſtrarum metas ipſi ignoratis. 7 Meum eſt cuiqve veſtrûm, actionibúſqve veſtris, & figere & afferre fines: idqve ſine reſpectu dives an pauper, doctus an rudis qvis ſit. 8 Vos igitur, ó filii hominum, qvi donô meô me & nomen meum noviſtis, ne tacete, ſed clangite (*tubâ*) in Sion! 9 Et date mihi & Patri meo, Deo Veſtro, gloriam, illi qvi non delectatur morte impii, in peccato concepti & nati, pro qvo ego animam
ſui: & volo ut omnes pœnit
gendo vivant, propinqvi
10 Nam oculus meus o
ris mea omnia audit, (
in judicium adducet:
voci meæ morigeris
erit in ſempiternum
mi, hóſqve ſermo
mitte, ut eos noti &
híqve ſoli gloriam
cantu celebrans Deum ſur

REV. DCVIII. 24 Maji.

Viſio Gentium omnium, Chriſti nomen adorantium 1 - 6. *Preces pro illis, nominatim Anglis &* ... *dis,* 7. *Ultimus Auſtriacorum,* 8. *Protectio Dei,* 11.]

TEmpore diluculi oſtendit mihi Dominus Viros ſingulariter veſtitos, habituqve vario, ſcripta mea juſſu Dei ad Gentes exarata manibus tenentes, legentes, preloqve parantes, ad dimittendum inter Nationes Terræ. 2 Qvibus ego cum Adjuncto modum illius rei oſtendebam, conſilium dans ut Tabulam effigiarent cum ſolio circumdato fulgore, tanqvam ſolari. 3 Non perſonam ibi collocando, ſed nomen tantùm JESUS NAZARENUS CHRISTUS FILIUS DEI VIVI: & circumcirca thronum ſanctos Angelos ſtolis albis. 4 Sub throno autem gentes Orientales, *Hungaros, Turcas, Tartaros,* &c. & ſub his *Gallos, Anglos, Hollandos,* aliaſqve Occidentales, *Helvetios* etiam: dextrorſum, *Danos, Sveeos, Polonos,* aliaſqve Septentrionales; & ex oppoſito his Meridionales, *Croatas, Venetos, Græcos,* cum Duce ſuo cui nomen *Euſebion.* 5 Qvi omnes me & Adjunctum circumſtantes, rogarunt ut cum iis preces ad Deum agere vellemus: qvod fecimus cantando *Veni Sancte Spiritus* &c. Item, O *Sapientia æterna Chriſte Jeſu* &c. 6 In qvo cantu ego ad me redii, voce naturali

Summus scopus ultimarum Revelationum Dei, Conversio ad Deum omnium Gentium. Revel. D.CVIII.



Omnes gentes, quas fecisti Domine, venient & adorabunt coram te. Psal. 86. 9.



Omnes gentes, quas fecisti Domine, venient et adorabunt coram te. Psal. 86. 9.

rali cum gaudio & jubilo cordis adhuc Psalmum 66 cantans. 7 Et pro omnibus istis Gentibus Deum orans, præsertim *Hollandis & Anglis*, qvi sermones Dei per me prolatos reverentiùs exceperunt qvàm Natio Hungarica, & Svetica. 8 Ut verò preces meas peregi, cecidit lapis ad fenestram strepitu inusitato: & Dominus ad me: 9 *Ne metuas dilecte mi! Ecce jam lapis ira mea cecidit super ultimum illum de Domo Austriaca! cui nemo opitulari poterit.* 10 *Nam ignis ira mea jam cadet super Terras, qvibus ille sine me cum Consiliariis suis dominabatur, vanitates patrando.* 11 *Qvos tu nihil metuito, in me, abundantiam habens protectionis: qvin & benedictionis, qva te jam parata expectat Wratislavia, ac si oculis videas tuis.* 12 Qvo ego solatiô exhilaratus laudabam nomen Dei, orans pro Nationibus Terræ, Regibusqve, Principibus, Comitibus, & qvos mihi excitasset Patronos: cantans Psalmum 20. *Amen.*

REV. DCIX. 27 Maji.

Eligendi duo ad dignitates singulares: Transf. & Gall. 1-9. Vox à qvatuor Mundi plagis inclamans Idololatras, & alios, 10.]

I*Am dies erat, ostendit mihi Dominus Cœtum populi eô fine congregati, ut electio fieret persona cujusdam ad dignitatem qvandam, sublimiorem atqve qvâ qvisqvam ea in Gente adhuc gavisus fuisset.* 2 *Ego igitur suffragiô qvendam ornabam, qvem nunqvam noveram, nec videram, dicens præsentibus nativâ meâ linguâ:* 3 Hic adstans ab ipso Deo electus est, ut ille non alius hoc loco, & hac dignitate, fruatur: cur consiliis dissidetis? 4 *Qvod ubi dixissem, omnes assensi sunt, mihiqve & assentientibus magnam exhibebant humanitatem, donec ad me redii.* 5 *Qvam Visionem ego miratus, cœpi orare Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi, pro Transylvania Principe Apafio, & Rege Galliæ (qvorum neutrum de facie novi) ut alter Hungariæ, alter Imperii Rex fieret.* 6 *Ut autem orarë, & Psalmos cantare (vigesimum & vigesimum qvartum) destiti, facta est ad me vox Domini mei:* Ita fac dilecte, certus per fidem sermones meos non retroituros super timentes me. 7 Tametsi Apafi vacillat, more gentis, paucos habens fidos amicos, sicut nec Rakoci habuit: non tamen vacillabunt sermones mei, qvin impleam qvod loqvutus sum. 8 Utinam tantummodò filii hominum faciant, qvod ego vester Dominus postremis diebus per testes meos notum vobis reddidi, omnibus super faciem Terræ habitantibus. 9 *Qvô ego exhilaratus cecini Psalmum* 112: Beatus Vir qvi timet Dominum, & 122, Lætatus sum in his qvæ dicta sunt mihi. 10 *Cantu peractô indormivi subitò, ostenditqve mihi Dominus venientem ad me adolescentem vultu amœnô, dicentem ad me;* Clama mecum, clama! (*& clamavi*) Vox ab Oriente, vox à Septentrione, vox ab Austro, vox ab Occasu. 11 O Vos Idololatræ ad omnes Mundi cardines, per omnes Terræ plagas, Gog & Magog! Ecce ignis meus descendit super Vos, ut Vos urat! & ut Vos impœnitentes conjiciamini in stagnum ardens igne & sulfure. 12 O Vos Pseudoprophetæ, ô Vos timidi & increduli, ô Vos fornicatores & adulteri, ô Vos homicidæ, immanes animarum interfectores! ô Vos

Venefici & præstigiatores! 13 O cœci cæcorum duces ad foveam fundo carentem! ó Vos mendaces, Deo & hominibus mentiri adsveti! ò Vos animarum nundinatores, contemptores mandati mei, qvi dixi: Gratis accepistis, gratis date! 14. O Vos hypocritæ non facientes Judicium & misericordiam! O Vos intemperantes, ingluviosi, prædones! 15. O vos viperarum progenies, qvi lapidastis, ustulastis, trucidastis eos, qvos ego mittebam ad dispersa qværendum, ægrota sanandum, mortua resuscitandum. 16 Et ad nudos infantes palliò Justitiæ meæ tegendum, esurientes cibandum, sitientes potionandum, & sub alas misericordiæ Patris mei & Patris Vestri, Dei mei & Dei Vestri, reducendum. 17 Et sub pallium Iustitiæ meæ, qvi sapientia Vestra & Iustitia Vestra sum. 18 Et ad Spiritum gratiæ, qvi Doctor Vester, & Consolator Vester est, dans Vobis sitientibus aqvam vivam, omnibus me honorantibus, nec honorem meum aliò transferentibus. 19 Sed Væ, Væ, Væ Vobis meis, Patrisqve mei, & Spiritus gratiæ, contemptoribus! 20 Vos enim non dicetis corde, nec voce, Benedictus qvi venit in nomine Domini! Hosanna in altissimis! 21 *Et postqvam hos clamores (cum adolescente illo) finivi, ipse eos miratus, dictum ad me fuit:* Surge, scribe istas voces Clamoris clamantis! *Qvod feci: Hallelujah.*

REV. DCX. 9 Junii.

[*Gentes maturescunt ad colligendum, 1—6. Videns benedictionem sibi obventuram ut cum piis egentibus dividat, 7—*]

A Precibus meis ostendit mihi Dominus Hortum plenum arboribus, super arbores verò fructus varii generis, eosqve omnes maturrimos, ut mirarer, sicut & alii multi præsentes Viri honorati. 2 Qvi mihi narrabant cibos jam esse paratos, nec restare nisi epulari. 3 Redditus mihi orabam Deum, ut ne desereret me, nec alios voluntatem ejus facientes, notos & ignotos mihi, amicos & benefactores. 4 Ad qvæ valdè solabiliter Dominus meus; *Nunqvam ego qvenqvam servorum meorum deserui, nec Vos nunc mihi servientes deseram in æternum.* 5 *Vidistinè qvomodo maturuerint Gentes, ad colligendum eas tanqvam fructus de Mundo, alias per alias, in tota Terra!* 6 *Et qvidem ad Austrum habitantes primùm: qvod jam secundum sermones meos fieri, filii seculi nihil intelligunt; tu verò cum aliis sermones meos recipientibus, pro qvibus orasti, crede.* 7 *Res, qvas exspectas, brevi videbis, nomenqve meum cum aliis celebrabis: non enim tam asperè jam procedunt tua, nec mentem tuam turbant ut antehac, sed procedunt placidè, in solatia tibi & aliis, proximis tuis.* 8 *Fac ita qvomodo cogitas, impertire pauperibus meis, tecum pro nomine meo ignominiam perferentibus: erit id apud te memoria grata, apud me verò benefactoribus merces æterna.* 9 *Tu verò eas peregrè: Domi labora, & mihi servi.* 10 *Dissipo ego consilia Vobis mala machinantium, etiam domus Racociana.* 11 Qvod mihi auditu erat pergratum, ut solatii plenus canerem Psalmum 76 integrum.

REV. DCXI. 15 Junii (*Trinitatis I.*)

[*Textores*, 1 — 3. *Sermonibus Christi fidem habentes salvabuntur*, 4. *Christianorum peccata magis Deum irritant*, *quàm aliorum*, 5. *Judicium sine misericordia immisericordibus*, 6, 7.]

D*iluculò orabam*, *ut Deus gloriosum redderet nomen suum* : *& ecce Dominus mihi Textores ostendit*, *ad Ortum*, *ad Austrum*, *Boream*, *& Occasum*, *lintea texentes*. 2. *Qvod mirabar*, *dudum jam nihil tale conspicatus* : *& Dominus* : Fidelis esto mihi! 3. Deduxi ego jam in lucem, & deducam, veracitatem sermonum meorum, per te etiam prolatorum : mihi fide. 4. Nam qvi mihi et sermonibus meis credit, servabitur : qvi non credit, peribit. 5. Et scias, Apud me majus esse peccatum Christianorum, qvàm Gentilium : qvod Angeli etiam mei sciunt. 6. Nunqvam ego injuriam feci cuiqvam in me credentium, voluntatemqve meam facientium : sicuti nec cuiqvam non credentium, & me ac ductum meum aspernantium. 7 Nam apud me est Judicium sine misericordia illi, qvi non facit misericordiam. 8. Surge, etiam hæc mea Verba scribe! 9. *Qvod feci*, *hymnum in laudem benedictæ Trinitatis decantans*.

REV. DCXII. 30 Iunii.

[*Splendor in cubiculo Videntis præsentia Dei signum*, 1 - 3. *Nihil ergò metuendum*, *neqve Racotii*, 4, 5. *Manus in foramen Basilisci immissa* 6, 11. *Terra cognitione Dei jamjam implenda*, 7. 8. *Deus oppugnatores suorum oppugnat*, 12, 13.]

D*iluculò vidi Viros ignotos mihi*, *disceptantes mecum usqve dum effervescerem* : *trudebant enim me in locum*, *ubi sedere mihi non erat commodum*. 2 *Expergefacto mihi apparuit in cubiculo splendor quidam*, *ut cogitarem qvidnam esset*. 3 *Et Dominus* : Dilecte mi, præsentia mea, qvi habito in luce inaccessibile, indicium sui fecit tibi. 4 Ne metuas itaqve malitiam hominum : dissipabo ego consilia malè tibi & aliis volentium, etiam in Racociana domo. 5 Super qvam domum maledictio dudum denuntiata jam recidit : Ladislaus enim Racoci jam exitium invenit, neqve Franciscus cum Matre sua hæreditabunt diu. [*Postridiè venit nuntius*, *occubuisse Waradini Ladislaum Racoci* : *Franciscum verò cum matre Pataki turbare tentasse Ecclesiam*, *sed adventantibus Turcis recessisse Munkaczium*.] 6 Immisistis manum Vos duo, tu cum Adjuncto, in foramen Basilisci : sed ne metuite, non nocebunt Vobis. 7 Qvin imò replebitur jamjam Terra cognitione mei, Domini dominantis, & Regis regnantis : qvâ cognitione sese Nationes contegent ut mare aqvis. 8 Ego enim (radix Jesse) erectus in signum populorum qværar à Gentibus, me nondum ita ut Vos noscentibus : anteqvam reqvies Vestra veniat in monte sancto meo. 9 Audio ego clamores tuos, aliorumqve Cultorum meorum, modò Vos patientes estote : & scias, sagittas iræ meæ jam esse arcui impositas contra Criminatores tuos, qvos brevi emittet Dominus, ut spectaculo sint tibi & aliis. 10 Surge & hæc scribe, mittenda ad Adjunctum, unà cum Oratione pro imponenda

da clausula. 11 Immisi ego his ultimis sermonibus meis manum in Basilisco-rum cavernas, sed non poterunt jam mordere Vos, neqve nocere Vobis, sermones meos fidenter, obseqviosè, gratè excipientibus. 12 *Quâ consolatione ego erectus cecini Psalmum 116: incipiebamqve canere trigesimum qvintum*, Contende Domine cum inimicis meis, oppugna impugnantes me! 13 *Et Dominus:* Oppugno, præter omnes tuas & aliorum cogitationes. 14 *Amen Hallelujah.*

Rev. DCXIII. 3 Julii.

[*Numerus mirabilis duplex.*]

POst matutinas preces exhibuit mihi Dominus Tabulam cui inscriptus erat numerus 161: qvod mirabar cum aliis præsentibus. 2 Qvorum qvidam, viri primarii, dederunt mihi Volumina panni ad distribuendum inter pauperes & nudos, qvod statim feci, & illi grate acceptabant. 3 Reverso mihi ad sensus dixit Dominus: *Vidistine numerum* 161? *tot habebis personas tua sub potestate, ad exterminandum Idololatras.* 4 *Accipies & numerum rerum, qvas adferet Tabellarius: qvas admiraberis, & tanqvam pannum distribues.* 5 *Ideò pavescere noli minas malorum: apud me satis est ab æterno, & erit in æternum, scientia ad protegendum Vos Cultores meos.* 6 *Et ad ulciscendum impios, delendumqve de Terra alios per alios, sicuti jam fit in Hungaria & alibi.* 7 *Jam enim stat Procella ira mea, per te & alios denuntiata: surge, scribe!* 8 Ego autem cecini: O in operibus tuis admirabilis Deus, laus & gratiarum actio tibi sit pro eis.

Rev. DCXIV. 9 Julii.

Revelationum clausula, qvâ Nationibus dona distribuuntur, 1 - 8. *Qvid mysterii subsit Videns non intelligit,* 7. *alii inqvirant,* 9. *Qvid his addendum,* 10. *Legenda hæc Nationibus tota in Terra,* 12.]

OStendit mihi Deus homines, habitantes ad Ortum & Occasum, Septentrionemqve. 2 *Qvibus ego primùm benedictionem denuntiabam, deinde cum illis rationes conferebam, demum dona distribuebam.* 3 Orientalibus Libros, & Arma, Septentrionalibus Cibos & Potiones varii saporis, odorisqve svavissimi; Occidentalibus, Aromata, odoratas Vestes, & Pecunias, remittendo illis debitorum partem mediam. 4 *Qvi Occidentales maximè gaudebant, & Deum laudabant, cantantes mecum:* O super delectabilis Trinitas imple corda nostra (*hymnus est de Trinitate*) 5 *Qvem cantum ut (cum illis) finivi, respondit Dominus:* Serve mi, trinam Visionem tibi ostendi hodie, Ego qvi nunqvam dormio, nec dormito. 6 Idqve in clausulam Sermonum meorum ad Gentes, per vos testes meos. 7 Trinum hoc mysterium qvale sit, tu nescis: scio ego trinus in personis, habens in manu mea principium & finem rerum Vestrarum terrenarum, faciensqve finem omnium, qvæ qvis Vestrum unqvam cuiqvam loqvutus est. 8 Tu etiam qvæ Orientalibus, Septentrionalibus, Occidentalibusqve locutus es,

es, & qvibuscum rationes contulisti me præsente qvi Alpha & Omega sum eorum, qvæ tu illis ad æternam memoriam scripsisti, manebuntqve qvàm diu Mundus erit. 9 Qvorum explicationem illi sibi ipsi faciant, & non tu illis. 10 Apponanturqve hæc conclusionis loco ab Adjuncto tibi: unacum Confessione & Oratione dudum à te conscripta & coram me, Patreqve meo, virtute Spiritus nostri, fusa: Surge & scribe! 11 *Scripsi ergò super tabulam, cantans Psalmum* 80. *O Tu qvi pascis Israel, attende! qvi deducis velut ovem Joseph, qvi sedes super Cherubim, illucesce &c.* addidiqve Hallelujah! 12 *Et Dominus post moram iterum*: Conclusi ego in consilio meo, nec aliter erit (ut antè dixi, atqve etiamnum dico) qvàm ut Vox Tubæ meæ, & clamoris mei ad habitatores Terræ, sonet per Orbem universum. 13 Tu ergò scribe in Hollandiam & Angliam Cultoribus meis, qvi memoriam tui contestantur meâ causâ, ut sermones hosce meos suis qvoqve lingvis legi faciant; sicut & Bohemicè ut jam qvoqve prodeant illorum ope: 14 In usum eorum qvi agnoscere & confiteri debent Nomen meum, sicuti majores vestri. 15 Nam dies ultionum mearum appropinqvat adversus Babylonem, & eos qvi eam sunt architectati, idolomaniam patrando fœdam, cum vanis Potestatibus seculi, superioribus & inferioribus. 16 *Qvibus ego Tabula inscriptis cecini: Da Regibus in cor Deus: ut Meretricem faciant desertam &c.* Da id Ecclesiæ gemitibus diuturnis jam tandem tempore nostro! Amen, Amen.

FINIS REVELATIONUM DRABITIO *factarum.*

[NB. Prior Revelationum pars terminabatur (Rev. CCCXLIV.) in Papatûs reformationem à Potestate seculari peragendam: hæc verò posterior in dilatationem Lucis hujus per omnes Terræ nationes, ℣. 8, 12.]

Apocal. 15. v. 3, 4.

Magna & mirabilia sunt Opera Tua, Domine Deus Omnipotens! Justæ & veræ sunt Viæ tuæ, Rex sanctorum. Qvis non timebit Te, Domine? & magnificabit nomen Tuum? Qvia solus sanctus es; qvia Omnes Gentes venient & adorabunt in conspectu Tuo: qvoniam judicia Tua manifestata sunt.

Ad Revelationes Drabicii APPENDIX I.

De ultimo Drabicii acerrimo Examine.

CUm à Principis Racocii morte (cui Drabicius Victorias & Regnum promisisse visus est: ille autem, non jussa sed prohibita faciens, in conflictu cum Turcis occubuit anno 1660) vaticinia Drabicii tantò magis suspecta reddi inciperent; Confratrésqve illius, omnia per Hungariam turbari videntes, sibi præ aliis metuerent; atqve ut ne propter unum pati necesse haberent omnes providendum putarent, consilium iniverunt amovendi à se suspicionem complicitatis. Primarius itaqve inter illos, Johannes Felinus, Pastor Puchoviensium Exulum conscripsit idiomate Latino tractatum, sub titulo *IGNIS FATUUS NICOL. DRABICIUS.* Qvô demonstrare annisus est, *Omnes Drabicii Revelationes aut mera illius Cerebri figmenta esse, aut merè Satanicas illusiones.* Qvem tractatum non per Hungariam tantùm sparsit, & plerisqve qvod voluit persvasit: sed & in Silesiam, Poloniam, Hollandiam, misit, Ecclesiisqve Belgicis dedicatum typis describi voluit. Illi tamen, à qvibus hoc officii reqvirebat, inconsultum id rati assensum negarunt: tum majoris incendii metu, tum qvia irreverentiùs agere visus est causam, qvæ trepidatione potiùs & suspiriis, ac gemitu, qvàm supercilio & ludibriis, agi digna videbatur. Præsertim cùm Drabicianæ Visiones idem illi denuntiarent, qvod Jeremias contradicenti sibi Hananiæ, *mortem eodem anno, qvia adversus Dominum loqvutus esset:* (cap. 28. 16) *qvæ & insequuta fuit utrobiqve: ibi mense septimo*, hic autem à denuntiatione prima (anno 1660, Oct. 16 facta) mense decimo septimo: anno nimirum 1662 Aprilis 6.

2 Casu hôc non exterritus unus ex ejusdem Ecclesiæ Senioribus, Paulus Veterinus (primarius Felini & aliorum adversus Drabicium instigator) causam cui Pastor immortuus fuit continuandam suscepit: diversísqve ad diversos scriptis & missis epistolis (vernaculè jam) criminationes amarulenter iteravit, editionémqve IGNIS FATUI admodum ursit, assumpto in auxilium (alibi habitante) Medico, Josepho Securio.

3 Qvæ res cùm novas adeò daret turbas, ut novorum dissidiorum, odiorum, schismatum, eóqve scandalorum, præ oculis essent initia: imò ipsi etiam nos (de Revelationibus istis meliùs persvasi) nonnihil nutare, Drabicióqve, Nobis, Ecclesiæ, metuere inciperemus: communicatis ergò inter invicem consiliis decrevimus, *Ad Deum esse tandem pleno humilitatis affectu deferendam causam hanc. Et qvidem primùm indictô nobis, dispersísqve populi reliqviis, jejuniô ac precibus* (qvô solo armorum genere Dæmonia in Christi nomine ejici, Dominus docuit Matth. 17. 21) *Deinde adhibito ad controversiis finem imponendum divinitùs ordinato mediô, JURAMENTO* (Heb. 6. 16.)

4 Nempe qvia Preces fidelium sociatas, & ex mutuo consensu fusas, Deo placere, illisqve singularem efficaciam promitti, ex verbis Christi (Matth. 18.19: *Amen dico Vobis, si duo ex Vobis consenserint super terra de omni re, qvamcunqve petierint, fiet illis à patre meo qvi in Cœlis est*) patet: visum est ad serias devotò & humili corde, in hoc tremendo casu, preces, non duntaxat aliqvot nostrûm consentire, sed & alio pios (aut scandalizatos, aut ob scandala contristatos) ad sanctum hoc precum concertamen invitare. Concepta itaqve fuit, atqve ut pluribus communicari posset typis exscripta, Precationis formula talis.

GLoriosum Ecclesiæ caput, Jesu Christe, audi nos ad Te confugientes propter gloriam tuam! Nos credidimus Te esse *benedictum illud Semen mulieris, ad conterendum Serpentis caput missum* (Gen. 3. 15) Contrivistinè autem? Credimus contrivisse, imò scimus contrivisse, in Teipso. At facta promissio est *etiam sub pedes nostros contritum iri Satanam* (Rom. 16. 20) factum ne id? fietne unqvam? Ah! nos verbis tuis fidem habentes, *Ecce do Vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, ut vobis nihil noceat* (Luc. 10. 19:) ista viperarum genimina conculcare nos, Tuo in nomine credimus; serpentina tamen illa malignitas à nobis plenè conculcari non patitur: invidiæ, odii, superbiæ, contumaciæ, impuritatis, variæqve fraudis ac doli, venenô inficere nos perpetuò qværit. Nunqvam ne causam nostram ita suscipies, ut contritum omnipotenti Tuo pede Satanam, debili qvoqve nostro subjicias pedi? Atqvi nosti nos jam in Baptismo renuntiasse Satanæ, omniqve illius consortio: consecrantes nos in templa Deo Patri, Filio, Spiritui Sancto: Tu autem nonne id sanctissimis Tuis promissionibus, imò sangvine Tuo, obsignasti? Eccur igitur Templ m tuum pollui, ibiqve impuro adversario Tuo cubilia poni, permittis? *Qvæ conventio Christo cum Belial? qvæ pars fideli cum infideli? qvid Templo Tuo, cordi nostro, cum Idolis?* (2 Cor. 6. 15.) Ne feras id, propter Nomen tuum! *Sume flagellum Zeli Tui, exige, ejice, subverte, qvicqvid tibi displicet in Templo tuo: ut Domus tua domus Orationis sit, non autem spelunca latronum* (Joh. 2. 5) Nos credidimus Te validum vinxisse, & vasa ejus diripuisse (Mar. 3. 27): an ergò Domum tuam denuò ab illo invadi permittes? Aut non fuimus nos hactenus habitaculum Tuum emundatum satis? ut immundum illum denuò nobis prævalere, novissimáqve nostra pejora prioribus fieri, permittas? (Luc. 11. 24 26) Ah miserere, miserere!

Novimus nos hostis illius impudentiam, qvi se filiis etiam Tuis admiscere audet (Job. 1): & simulare Angelum lucis, cùm sit tenebrarum Princeps (2 Cor. 11. 14): & se hominibus præbere Ducem & consultorem, cùm pessimus sit deceptor & proditor; & fucare Prophetas & Apostolos suos, ut Prophetæ ac Apostoli videantur Tui: qvin & venditare se pro Te, Antichristum pro Christo, Lupum pro Pastore. Nos autem ad deprehendendum tot ejus imposturas nimis, eheu, tardi & socordes! Nisi tu subvenias Opitulator, confundet, subvertet, evertet omnia. Ubi autem manebit elogium Tuum, *ó Fili DEI, Te apparuisse ut dissolveres opera Diaboli?* (1 Joh. 3. 8) Appare igitur, ò appare nobis etiam in præsenti discrimine, qvod à Satana patimur modò! seminante inter nos Zizania scandalosæ Doctrinæ & Vitæ, Pseudoprophetiarúmqve, aut contra hæc Pseudo-zeli. Ah ne permittas nos hôc, isto, illo modô dementari, propter sacrosanctum nomen Tuum! *Patret pater mendacii seductionis opus, prodigiaqve mendacia, in iis qvi pereunt, qvi non crediderunt veritati* (2 Thess. 2): Nos humilis tua turba, qvi adhærere elegimus Verbo tuo, ut ab errorum seductione præservemur, sanctus tuus efficiat Spiritus. Aut si tortorem etiam illum ad castigandum peccata nostra, vel probandum fidem & patientiam nostram, adhibere placet (ut ad castigandum Job, Paulum, aliósqve sanctos, adhibuisti) non eximimus nos manu Tuâ: id tamen ut ne cum animæ periculo fiat, deprecamur. *Nempe si malignum illum immittere placet ad externa nobis adimendum bona* (ut Jobo cap. 1. & Gergesenis, Matth. 8. 31.) *aut affligendam valetudinem* (ut Jobo factum, cap. 2. & filiæ Cananiticæ mulieris, Matth. 15. 22, & Paulo Apostolo 2 Cor. 12. 17) *vel vitam qvoqve ipsam* (ut filiis & filiabus Iobi, cap. 1. v. 19) *fiat sancta Tua Voluntas! Sed Animam potestati ejus ut ne tradas, rogamus.* Intellectum nempe & Voluntatem, ad dementandum, intricandum, pervertendum nos: ut ne vel Satanæ opus pro Divino recipiamus, sicut Achab (1 Reg. 22): vel Opus DEI tanqvam Satanæ abominemur, ut Pharisæi, qvi à Satana dementati Christum ut Satanam execrati sunt, blasphemantes per id DEUM ipsum (Ioh. 8. 48. Matth. 12. 31.)

Ecce ecce: Zizania tot scandalorum inter nos etiam, qvi pro nomine Tuo patimur, disseminare pergit! Pseudo-prophetias etiam, ut metuimus: aut è contrario tenebras & nebulas Operi tuo offusas, ut profectumne sit ab ore Tuo, qvod enuntiari audimus nomine Tuo, non satis distingvere valeamus. Tu autem, ó Domine, apud qvem lux est, & qvi omnia solus vides, solúsqve errorem à veritate distingvere nosti: cur.

cur ad hæc taces? cur tam diu taces? Tibi ne jam Zelus, an nubibus tuis Ignis deest, qvi alienum ignem in conspectum tuum afferentes consumat? (ut Mosis tempore, Levit. 10:) aut qvinam verè Propheta tuus sit vel non sit, in conspectu totius Populi tui ostendat (ut Eliæ tempore 1 Reg. 18.) Deestne jam gladius aliqvis, ad compescendum Paschurem Ieremiæ tui percussorem? (Ier. 20) aut plaga, ad prosternendum Chananiam Pseudoprophetam? (Ier. 28) aut captivitas pro abducendo Amasia, Amosi tui sycophanta? (Am. 7. 17.)

Dominator Domine, si qvem inter nos fraudum architector dementavit, ut nanias ejus pro veris Revelationibus Divinis & habeat, & venditet ad alios, errans ipse & in errorem inducens alios: succurre illi, succurre nobis reliqvis, ut prætiosum à vili separando tanqvam Os tuum simus (Ier. 15. 20). *Qvod si autem nostrum aliqvis sciens volens Satanæ se organon dat, tuóqve nomine imposturas exercet* (ut olim in Israel multi, Ier. 14. 14) *redde id manifestum Domine, talémqve Satanæ satellitem in exemplum statue Mundo! Non pepercisti tu Angelis protervè peccantibus* (2 Pet. 2 4) *neqve his parce, qvi satanicam imitando protervíam, se & alios in præcipitia abducunt. Rursum autem ne desere afflictos tuos petulanti linguâ vel pugnis contusos, carceribusve impactos, Jeremias & Micheas* (Ier. 20 & 37 & 38. 39. 1 Reg. 22 26 &c.). *Paschures autem, illorum percussores, imple pavore undiqvaqve! ut Veracitatem sermonum tuorum videat oculus eorum.* (Ier. 20. 4 &c.).

Qvid coram te Omniscio Domino loqvemur ampliùs? Nihil habemus aliud nisi qvod Tu nos à sanctissimo Patre tuo votis reqvirere docuisti, millies iterando: *Ne nos inducas in tentationem, sed liberes nos à maligno illo!* Si ultrò exire Satan recusat, & aliqvem profundiùs obsessum discerpere non cessat, adhibe Omnipotentiæ tuæ brachium, *ut vel in abyssum eat, vel immundos mundi porcos ingredi cogatur: Oves tuas missas faciat* (Luc. 8. 31) Nos tamen huc seculorum delati, ad Mundi finem, rogamus ut illum abysso jam facias includi. Satis jam malorum per sex annorum millia tumultuando patravit: jam Angelum de Cœlo mitte, qvi cum catenâ magnâ vinctum projiciat in abyssum, eámqve super illum obsignet, ut ne seducat amplius gentes! (Apoc. 20) Amen, Amen, Amen.

5 Et qvia per eosdem dies redibat juniorum fratrum unus in Hungariam, à nobis missus Sam. Iunius, data illi fuit instructio talis.

(Primò) Informabit Fratres (ubiubi congregatos) de moderno Controversiæ statu, & qvid nobis factu opus videatur: cum reqvisitione fraternæ cooperationis ad scandala tollendum.

(2) Controversiæ statum in eo versari, *Utrum Fr. Nicolaus Dr. divinitùs aliqvid patiatur revera, an verò protervè ac impiè Revelationes fingat?* Nonnulli pii sperant prius: Paulus V. affirmat posterius. Videndum igitur qvibus fundamentis nitantur, hic & illi.

(3) Priorum argumenta potissima sunt qvatuor. (a) *Fingi talia non posse, tantâ rerum & styli sublimitate, ut hæc non hominem sonare videantur*: nec ullum exemplum extare simile. (b) *Aut si hæc ab aliqvo forsan extraordinariè ingenioso fingi possint, à Drabicio tamen non posse, ostendunt alia ejus* (ex. gr. epistolæ, aut si qvid novorum scribere tentat:) tam ab illis qvæ Oraculi nomine proferuntur diversa, ut plumbum est, aut lutum, ab auro. (c) *Si Visiones fingere sciret Drabicius, sciret etiam defendere* (*hæc enim ejusdem sunt artis*): nescit autem, nisi aut impatientiâ & fletu, aut murmure & convitiis, in convitiatores suos regestis. (d) *Si fingere posset tàm concinnè res & verba, posset longè faciliùs Vitam, ad sanctitatem simulatam pseudoprophetis propriam.* Nescit autem, ad scandalum usqve qvod inde sumunt ejus osores, eum hoc nomine infamantes. Et fortè hæc ideò sic fieri Divina permittit providentia, ut argumento sit Simulatorem non esse. (e) *Si deniqve fingere posset prædicta, non tamen prædictis dare posset veritatem & eventum*: præsertim in rebus tantis, commotionem gentium, nova bella, interitus tot personarum & familiarum &c.

(4) Ar-

(4) Argumenta qvæ in contrarium P. V. habet, duo sunt (a) *Multa non impleri*: id qvod non veracis Dei, sed mendacis hominis, esse vestigium. (b) *Ipsum Drabicium ista non credere, nec pro Divinis habere*: si enim crederet, viveret secundùm ista. Sed respondent, qvi ultra corticem rem expendunt (tametsi ingemiscant ita fieri) ad primum argumentum, *Minutiora esse qvæ non impleri dicuntur, respectu eorum qvæ nimis implentur*: de accensa nimirum sic flamma iræ Dei adversus Mundi peccata, ut non exstingvenda sit donec alii post alios consumantur populi &c. Item de horribiliter castigandis immorigeris, nominatim Racociana Domo: de Turca venturo, si Christiani abominationes abolere nolint, & alia innumera. *Non impleri ea potissimùm qvæ sub conditione promissa fuerunt*: ubi culpa non in promittentem, sed in conditiones non præstantem, cadit. *Si qvid secus videtur, fortassis mysteria subesse*, detegenda suo tempore. *Qvicqvid circa instrumenta Providentiæ fit, scopum tamen persistere immotè*, & ad illum propiùs semper veniri (per alia licet atqve alia media) in evidenti esse.

(5) *Qvantum ad Vitam Drabicii*: respondent illum se non facere Angelum, cùm sciant esse hominem. Sufficere, qvòd qvæ illi objiciuntur *nævi sint, non scelera*. Qvanqvam Deum ne propter flagitia qvidem (humanâ infirmitate admissa, & per pœnitentiam rursum eluta) alienare prorsus Spiritum suum à prophetis, Davidis ostendit exemplum: qvi adulter licet & homicida, reconciliatus tamen per pœnitentiam Deo, Dei esse organon non desiit. *Drabicium dudum novimus vehementis esse naturæ, pronæ ad excessum in virtutibus & vitiis. Et qvid tandem si hic etiam subsit mysterium*? Ut ad annutiandum Mundo ultimæ gratiæ tempora, ubi Deus plenissimam reconciliationem promittens (delere propter semet ipsum omnes defectiones populi sui, & non recordari peccatorum ejus, Jes. 43. 24 &c. & 59. 12 &c. Jer. 31. 34. Ezech. 36. 19, 20 &c.) talem huc delegerit personam, cui peccati reliqvias adhærere, & nihilominus tamen gratiæ dona huc effundi, omnes videndo, in philanthropiæ Dei admirationem, & adorationem tantò magis abripiantur?

(6) *Ne tamen scientes volentes ad indebita conniveamus, contentionibúsqve ac factionibus, vel profanitati, fomenta relinqvamus, aut tandem incerti semper circa hæc fluctuemus, decretum esse Deo Vindici solvendum committere nodum hunc*: invocando junctim, ardentissimóqve tandem cordis affectu, & unanimi oris clamore Deum, ut causam hanc velut inter Eliam & Baalitas olim igne Zeli dignoscere dignetur. Cui fini precandi formulam, solis verbis divinis conceptam, ad eos (ut & alios dispersos) mitti. Effundant igitur coram Deo animas suas, utqve Pater misericordiarum diutiùs nobis illudi ne patiatur, propter Christum orent, omnes.

(7) *Veniendum dehinc erit ad examen, qvale nondum fuit: per institutum divinitùs controversias terminandi medium, Juramentum* (Heb. 6. 16.) Qvod qvia in re tam extraordinaria extraordinarium esse necessum est, præscriptam esse illius formulam, è divinis Scripturis ad rem præsentem spectantibus. Cujus mittitur Exemplar: Fr. Drabicio ita ut est offerendum. Qvod si admittet, & secundùm illam formam Jusjurandum præstabit, eóqve modo Conscientiæ suæ Testem ac Vindicem Æternum illum in Cœlis habitantem sistet, officii nostri erit Deo id honoris habere, ut ipsi

 judi-

judicium & vindictam permittamus, cui soli eam deberi ipse testatus est Deut. 32. 35. Ultra id si qvid P. V. reqvirere, Deôqve ipso sapientior videri volet, videat ne ipsius Dei (gladium ultionis manu illius extorqvere qværens) justam in se provocet vindictam.

(8) *Contrà verò, si Fr. Dr. juramentum hoc præstare, & se justo Judicii Deo submittere, recusaverit:* debet ad nos referri, ut aliud qværatur consilium.

(9) *Si deniqve idem Fr. in se descendens aliqvid de suo fuisse additum* (seu parum seu multum) *recordari poterit, & fateri volet, debebit illi offerri conditio qvam Deus propheta suo Jeremiæ, fictionum itidem suspecto, obtulit: nempe ut separet pretiosum à vili, triticum à palea, si qvasi os Dei esse velit* (Jer. 15, 19: & 23. 28.) Nam ex Capitibus Jeremiæ 15 & 17, & 43, satis evidens est Jeremiam, tametsi à plerisqve propheta Dei haberetur, nonnullis tamen, & in nonnullis, suspectum fuisse, qvasi de suo, aut in gratiam aliorum, aliqvid affingeret: exprobratumqve illi fuisse *Non omnia impleri* (Jer. 5. 13. & 17. 15.) Contra qvod ille Deum testem invocabat, nihil se loqvutum, nisi verba Dei (Cap. 15. 16, & 17. 16) Deus nihilominus videre svadet, annon pretioso admiscuerit vile aliqvid, atqve si factum est, separare illud: reliqva autem commendare sibi, cui rationes suæ satis constant, cur aliqvando aliter qvàm loqvutus fuit faciat: Cap. 18. Si ergò secundùm hanc normam Fr. Drabicius incedens, erratum aliqvod circa dicta & scripta sua (in eo qvod non omnia protervè finxerit, testem in Cœlis nobis sistens) fateri volet, illud etiam apertè ad nos referri debet.

(10) Nam certè *veris etiam Prophetis contingere posse, ut inter illa qvæ nomine Dei proferunt nonnulla se immmisceant erronea, illustria duo in Scripturis habemus exempla.* Alterum in Nathane, qvi Davidi tanqvam Dei nomine loqvutus fuit, qvæ mox revocare debuit (2 Sam. 7. 34.) Alterum in Propheta sene, habitante in Bethel, qvi alii Prophetæ officiosum loqvutus mendacium illum seduxit, pœnísqve involvit (1 Reg. 13. 11 &c.) Nam & Prophetæ homines sunt, spiritúsqve prophetiæ jam accedens jam recedens, organa sua qvandoqve in naturali sua indole relinqvit: ut conjecturis vel affectibus indulgendo, se vel alios seducere qveant.

(11) *Si Fratres dilectos, aut qvoscunqve piorum istis in locis, valde circa hæc turbatos, & fluctuantes viderit, bonum erit Gamalielis consilium illis commendari, ut judicium ne præcipitent* (Act. 5. 34) Revera enim viæ Domini mirabiles sunt, Ratio nostra normandis omnibus non sufficit: qvod hac in re valde palpabile est, qvomodo circa Prophetas, & Prophetias, variè homines hallucinentur. Nam ecce, Deus populo Israel prophetas falsos occidere mandabat, illi autem veros occidebant: non qvia veri erant, sed qvia falsi videbantur: falsos interim prophetas summè honorantes, qvia veros esse credebant.

(12) *Nec error iste tam creber erat in simplici plebe, plerunqve occupabat doctos, prudentes, apud seipsos sapientes, populi duces.* Hi erant qvi Prophetas, Apostolos, ipsúmqve Christum (seductores, seditiosos, dæmoniacósqve proclamando) trucidarunt. Et qvid non hodiéqve Viri in Ecclesia & Politia summi faciunt? qvales homines pro Hæreticis, blasphemis, rebellibúsqve, non condemnant,

non

non exurunt, non exterminant? Deo per id cultum se præstare existimantes &c.

6 Addita epistola ad Pastores & Seniores Ecclesiæ utriusqve, Puchoviensis & Lednicensis, his verbis.

Gratia & pax à Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo &c. Dilecti, Cùm videamus numerum eorum, qvi apud vos in Verbo & doctrina laborant (aliis morte decedentibus, aliis ætate langventibus) minui, mittimus ecce unum è junioribus, Samuelem Iunium, futurum auxilio operis Dei apud Vos: commendantes eum spiritui gratiæ, & amori Vestro. Cui qvid præterea in mandatis dederimus, referet vobis juxta datam sibi instructionem. Summa est, ut adjumento sitis in molesto illo & perplexo, inter Fr. Drabicium & Paulum Veterinum negotio componendo. Non superficiariâ aliqvâ illorum reconciliatione (qvod frustra hucusqve tentatum est, neqve scandalum ita tolli potest:) sed evestigatione à fundamento causarum tantæ dissensionis, earundémqve penitissima sublatione, modis ac viis qvas (post devota ad Deum suspiria) meditati sumus, & Vobis indicabuntur. Nempe qvia indubitanter Satan nos (*Fraternæ Unitatis reliqvias*) appetiit, ut ventilaret sicut triticum: temporéqve tali non solùm timore ac tremore, prudentiaqve ac constantiâ, sed etiam jejunio & oratione, opus esse monuit Dominus (Mar. 9. 29:) rogamus Vos ut indicto Vobis & Ecclesiis (aut saltem primariis Dei timentibus, & rei hujus consciis) jejunio & precibus, conveniatis in nomine Dei, & effectui detis consilium nostrum! *Ut glorificetur Deus veritatis, qvicqvid autem sive humanorum errorum, sive satanicarum fraudum sese admiscuit, ut detegi ac amoveri possit.* Ita facite dilecti, nostræqve ad Dominum preces & suspiria Vobis auxilio erunt. Tantummodò omnia cum timore Dei fiant, in spiritu lenitatis: non ad destructionem alicujus, sed ad ædificationem mutuam. Et qvicqvid fuerit factum, aut qvomodocunqve res cadent, reddite nos de omnibus certiores, in sinceritate ac veritate. *Deus patrum nostrorum propitius sit nobis, eruens nos ex omnibus tentationibus, diabolicis & humanis: sanctissimásqve suas promissiones nobis præstans, ut spiritus ejus qvi erat in illis, & Verba ejus quæ posuerat in illorum ore, non recedant à nobis illorum semine, nec ab ore seminis nostri, ex hoc tempore usqve in sempiternum* (Jes. 59. 21) *Amen.* Fidelissimo huic Deo sit pro omnibus, & in omnibus, laus & benedictio, per Jesum Christum, Amen. Cujus æterno amori Vos commendamus.

Amsterdam 28 Maji 1663.

Vestri in Christo

J. A. Comenius
Ioh. Bitnerus.
Nicol. Gertichius
Dan. Veterus.

7 *Juris Jurandi exsecratio conceptis verbis ita erit præstanda.*

EGo Nicolaus Drabicius, suspicione qvorundam gravatus, ac si nomine Dei sermones non à Deo mandatos, sed à me ipso temerè confictos, proferrem, pérqve id homines à Deo ad non Deum abducerem: qvod secundùm Scripturam est *spiritu scortationis in errorem agi, fornicariqve à Deo suo* (Os. 4. 12) & est *abominatio morte digna, arroganter nomina Dei loqvi qvod non præcepit Deus* (Deut. 18. 20) Ego igitur ad contestandam veritatem in conspectu Dei veritatis, & liberandum ab impio mihi intentato crimine me, proximos autem meos ab errore noxio (ut ne in innocentem peccent, & per diffidentiam erga Dei verba in impœnitentia se obdurent, aliisqve obdurandi se causa sint): *ecce in me omnes execrationes suscipio, qvas in hoc iniqvitatis genus aut ore sanctissimo suo pronuntiavit, aut præsentaneis justi furoris sui exemplis demonstravit, Deus.* Dico igitur cum Davide fidenter, *Si feci hoc, si iniqvitas ista mecum est, perseqvatur inimicus animam meam, & asseqvatur, & conculcet in terra vitam meam, & deducat gloriam meam in pulverem* (Psal. 7. ℣ 4, 6.) *Et qvemadmodum tales, nomine Dei mendacia prophetantes, qvos Deus non misit, nec eis qvidqvam præcepit, nec eos alloqvutus est, visione tamen falsâ, & divinatione, acre nihili, doloqve animi sui, prophetas agunt bono suo, decreto damnavit Deus, ut gladio & fame pereant* (Ier. 14. ℣ 14. 15) Item *ut stultissimi Prophetæ qui seqvuntur spiritum suum, & qvæ non viderunt, sed vanitatem prophetant & mendacium, in congregatione populi Dei non reperiantur, nec in descriptione Domus Israel conscribentur, nec in terram Israel veniant, ut sciat populus Dei Deum esse Deum* (Ez. 13. ℣ 3, 9.) *ecce in me ipsum ex ore Dei pronuntio idem, ut si talis sum mihi taliter eveniat, qvaliter justitia edixit Dei.* Amen! *Qvin imò si alienum ignem, ex foco proprii Cerebri mei, non autem ex Altari apertæ Dei vocis desumtum, in Ecclesiæ tabernaculum inferre, & coram Domino offerre ausus sum, edat in me justus Dei Zelus exemplum qvale in Nadab & Abiu, ut exeat ignis à conspectu Jehovæ & me in medio fratrum meorum prosternat & comburat! ut moriar coram Domino, sanctificetúrqve in propinqvis suis Jehova, & glorificetur ante conspectum totius populi sui!* (Levit. 10. ℣ 2. 3.) *Amen.* Præterea, *si cor meum à Deo, & verbo Legis ejus, ad Vocem alienam declinavit, ut arroganter nomine Dei verba non Dei loqveretur os meum, & scriberet manus mea, det me Dominus in maledictionem & execrationem in medio populi mei, efficiendo ut putrescat lingva mea in ore meo, & tumescat manus mea in corpore meo. Et ego, ecce ipse ego, ad hæc jussu Dei sic pronuntiata verba Dei, dico Amen, Amen!* (Num. 5. ℣ 20, 21. 22.)

E contrario, si cor meum à flagitio cujus me reum peragere qværit accusator meus, purum est, *exsurgat Dominus propter furorem inimicorum meorum! judicet me Deus secundùm justitiam meam, & secundum integritatem meam pronuntiet pro me, justus scrutator cordium & renum.* (Psal. 7. ℣ 7, 9, 10) *Atqve si verba qvæ hactenus loqvutus sum & scripsi, non mea fuerunt verba, sed in veritate verba Dei, qvæ ille testatus est esse ignem* (Ier. 23. 29) *faxit Deus ut ita fiant ut ignis, populus autem adversans Deo ut lignum, qvod ille consumat* (Ier. 5. 14.) *A crimine autem adulteratorum verborum Dei si me purum servavi hucusqve, faxit Jehova ut execrationes hæ innoxia sint, laborésqve mei pro*

Natio-

Nationibus Terræ subiti jussu Dei, tantò magis fæcundentur, ad multiplicandum super Terram progeniem Dei: sicut promissum est (Num. 5. ℣ 28.) *Amen, Amen, Amen!*

8 Responsum Ministrorum V. D. cum Senioribus Ecclesiæ Puch. & Lednicensis, ad Superrattendentem suum, tale fuit.

O*Bedientiam filialem, cum voto protectionis divinæ in tantis undiqve calamitatum plenis temporibus, &c.* Dilecte in Christo P. literæ Tuæ ad nos junctim datæ, subscriptionibúsqve R. R. Patrum I. B. & N. G. & D. V. firmatæ: redditæ nobis sunt manu dilecti fratris S. I. feliciter ad nos 8 Iulii appellentis. E qvibus intellectâ voluntate Vestrâ, Patres venerandi, fecimus qvod à nobis reqvisitum fuit, juxta instructionem datam. De cujus totius actûs processu ecce Vos informamus sincerè, puràqve conscientiâ, sic prorsus ut res actæ sunt.

(1) Primùm ego Puchoviensium Pastor mox ea die, qvâ Vestras accepi, accersitis Ecclesiæ meæ Senioribus, & Symmystâ, illis præsentibus literas ad nos conjunctim spectantes resignavi, perceptísqve contentis postridie manè ad F. F. Lednicenses scripsi', venisséqve ad nos missum Confratrem, singularia ad omnes nos afferentem mandata, docui, utqve se ad nos sistere vellent oravi. Factum, venerunt eadem 9 Iulii, ad vesperam: ubi ego ad Fr. Drabicium spectantes eidem in manum tradidi, & ad mecum pernoctandum invitavi: reliqvos qvid negotii sit cras percepturos esse dicens.

(2) Die Iulii 10 peractis in Cœtu sacro precibus publicis, ingressi sumus in meam, Pastoris, Domum: ubi peractâ cum Fr. Drabicio consalutatione (qvia in Templo commodè fieri non potuit) dixi: *Arduum nos præ manibus habere negotium, denuò itaqve ab invocatione misericordiæ Dei, ad impetrandam Spiritûs S. gratiam inchoaturos.* Ubi Fr. Drabicius, *Orate Vos hic, ego in cubiculum secedam, & meas qvoqve preces peragam*: exiitqve.

(3) Nos ergò, præmisso Cantu, *Veni sancte Spiritus*, procubuimus in genua omnes, gemitúsqve nostros (Oratione huc destinatâ) ad Dominum fudimus.

(4) Peractâ supplicatione consedimus, Pastórqve loci, gratiis actis qvod rogati comparuissent, qvid agendum esset docuit. Tum lecta est communis illa epistola: dehinc Iuramentum Drabicio præscriptum (à cujus horrore perterriti pleriqve obstupuimus.) Demum Fr. Samuel legendam dabat Instructionem suam.

(5) Deliberatione super his rebus interpositâ, accersitus est Fr. Drabicius: pérqve Pastorem loci interrogatus, *An literas à R. R. Superattendentibus ad Consessum hunc datas audire, contentáqve percipere vellet?* Annuit: additò, *Non ignorabam ego ab aliqvot jam septimanis qvid mecum futurum sit. Dominus enim indicavit mihi: si præscissem, mecum sum fuissem ut videretis.* Ego: fit illud suo loco, ad rem veniamus.

(6) Prælegebatur itaqve illi, primùm epistola communis: dehinc Iuramenti formula. (Anteqvam tamen hæc legeretur, monebam & rogabam, *ut omnia attentè expenderet! Inesse enim terribilia (agiqve hic de animæ salute.)* Demum Instructio Samueli J. data. Ad qvæ omnia cùm ille nihil prorsus responderet, denuò fuit interrogatus, *An vellet secundùm præscripta hic secum agi?* Respondit directè, *Ita, volo.*

(7) Qvo auditò tertia fuit proposita qvæstio, *An ergò Revelationes suas omnes pro divinis*

vinis haberet, & haberi vellet? Asseveretne adhuc, omnia illa jussu Omnipotentis Dei Jehova, qvi non tantum misericors sed & justus est, sibi dicta & scripta esse, sine ullis additamentis? Respondit: *Assevero. Qvin imò recipio in animam meam, nihil à me additum esse: neqve me qvidqvam lucri causâ, aut in alicujus gratiam vel odium, esse loqvutum.*

(8) Progressi ulteriùs interrogavimus, *An id juramento tali, qvale præscriptum est, firmare vellet?* Denuò autem eum adhortati sumus, ne se præcipitaret, deliberatè ageret, imò & deliberandi spatium sumeret, indulturos esse nos. Respondit: *Nihil deliberatione opus.* Assurgénsqve, & manum utramqve cœlum versus attollens, ita loqvutus est. *Recipio in animam meam, qvicqvid Revelationibus à me scriptis inest, non à me ipso excogitatum, nec de meo qvidqvam additum esse, sed ea sola qvæ Dominator Dominus scribi jussit. Credóqve firmiter, sanctam benedictam Trinitatem omnia ista pro suis agnituram, utpote qvæ ab ipsa æterna Sapientia scribi jussa sunt.*

(9) Progressus inde ad mensam, sumtâqve Iuramenti formulâ in manum, pronuntiavit ordine, clarè, distinctè, omnia (nihil omittens, potiùs hinc inde nonnulla, vehementioris asseverationis causâ, superaddens) tantô Zelo, ut nos præsentes videndo & audiendo hæc attoniti staremus: aliqvi etiam nostrûm tremerent & plorarent. In medio verò illius juramenti prospexit è fenestra (qvæ aperta fuit) Cœlum versus, *Videtis ne Amici! videtis ne?* clamans: nos verò qvid vidisset non interrogavimus. Cùm ad ultima venisset verba, de Adversario suo, ibi flebat: cùm priora omnia, de se, magnâ fiduciâ & animositate pronuntiasset.

(10) Finito juramentô consedit, vultúmqve in mensa ponens chartam illam (unde juramentum recitaverat) ter osculatam faciei supposuit. Tum verò (nobis omnibus attonitis, & silentibus) surripuit se, & Psalmum 123 incinuit (*Ad te levavi oculos qvi habitas in cœlis. Sicut oculi servorum ad manus Dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.. Miserere nostri Domine, miserere nostri! qvia multum repleti sumus despectione. Multum saturata est anima nostra sannis & opprobriis, & contemtu superborum.*) Qvem qvum nos omnes concineremus, finitúsqve esset, ille procidens in genua (& nos cum illo) ardentissimas ad Deum fudit preces, ut Deus ab opprobriis liberaret nomen suum &c.

Qvæ omnia ita esse acta, conscientiâ manúqve testamur omnes nos subscripti, 16 Iulii (1663) Puchoviæ.

Lucas Calesius. *Eccl. Lednic. Pastor.*	Paulus Laurinus. *p. t. Pastor Eccles. Puchoviensis Confess. Helv.*
Tobias Iesson. *V. D. M.*	Ezechiel Alfeus.
Wencesl. Godfried Bielski de Karissow.	Paulus Vetterin.
Samuel Iunius	Nicolaus Pilsina.
	Paulus Horatschek.

Iisdem de rebus D. Bielski, Viri nobilis octogenarii, relatio.

Cùm primùm legi audirem horrendam illam exsecrationem (anteqvam D. Nicolaus admitteretur) tremuerunt in me viscera mea; qvia nunqvam in vita similem

lem exsecrationem audiveram. Multò verò magis cùm illum ipsum eam prælegentem audirem, corde toto oculísqve lacrymantibus Deum invocabam, ne illum desereret. Sed cùm tantâ animi præsentiâ & fiduciâ contestationem hanc peragere viderem, recipiebam animum &c. præsertim cùm per apertam fenestram Templum versus, bis sublatis & complosis manibus, lacrymabundus exclamaret, *Videtis ne amici dilecti, videtisne;* Qvid autem fuerit, nemo nostrûm vidit: sed sperabam ego signo aliqvo præsentiæ Dei illum fuisse roboratum: cùmqve postea privatim ex illo qværerem, fassus est Angelum Dei sibi apparuisse. Et credo profectò: tantò majore enim fiduciâ omnia reliqva peregit, ut nobis omnibus admirationi esset. Et cùm peractis omnibus *Ille cum Veterino dextras sibi offerrent*, gavisi sumus omnes, qvod talem rebus his exitum dedisset Deus. Mihi tamen admirationi est, *ecqvem optimus ille Vir hic inter nos tàm faventem sibi habeat amicum, qvi eum apud Vos & alibi adeò sinistrè diffamet. Ego enim bonâ conscientiâ testari possum, me nihil illaudabile in Viro hoc deprehendere, tametsi qvotidianus illius spectator sim. Cùm enim in proxima vicinia habitemus, vix ulla dies est qvin eum salutem: & qvoties venio, semper aut Libros sacros legentem, aut aliqvid scribentem, invenio. Injuriam illi faciunt, per veritatem, accusatores isti: si qvid navi antehac fuit, jam non est, Deo teste. Prorsus non aliud causa cogitare possum, qvàm invidiam esse: sive qvòd ad talia illum adhibeat Deus, sive qvd illi excitaverit fautores, qvi eleemosynâ sanctâ misero subveniunt. Obsecro, delationibus id genus fides ne adhibeatur &c.* Lednici 18 Iulii 1663.

10 *Relatio Delegati, Fr. Junii, de iisdem actis.*

P*Ost enarratum totius itineris successum, usqve ad inchoatum Consessum, ita pergit. Negotium totum peregit Pastor loci*, P. Laur. &c.

(2) Ad qvæstionem, *Adhuc ne in eo persisteret, ea qva loqvutus est & scripsit, non sua esse, sed Dei?* respondit: *Non confiteor qvidqvam hic esse mei. Sancta benedicta Trinitas testis erit mihi: ego autem recipio in animam meam, me nihil esse loqvutum lucri causâ, nec in gratiam cujusqvam, sed ad mandatum Domini.* Qvod aliqvoties magno zelo iterabat, subindéqve fenestrâ prospectans (ad qvam stabat) Deum testem invocabat, dicendo: *Tu benedicta Trinitas sancta confiteberis, Tua esse hæc omnia.* Et ceu aliqvid videret exclamabat: *Video mihi præsentes* (nempe Angelos: ut mihi triduò post, in privato colloqvio, aperuit.)

(3) Tum illi nova qvæstio proponebatur, *Velletne hanc suam Confessionem Juramento etiam, qvâ formâ præscriptum est, firmare?* Cùm non abnueret, dixit Pastor loci: Dilecte pater D. Drabici, Terribilis est; audi eam primò, expende, & an audeas delibera. Tum eam legit, lentè ac distinctè, ad animum ejus percellendum, si qvid doli foveret. Non potuit tamen Pastor perlegere totum præ lacrymis, horroréqve contentarum execrationum: sed perrexit tamen, cum fletu omnium audientium. At Fr. Drabicius tacitè auscultando nihil nisi suspirabat, manus subinde cœlum versùs attollebat, & (ut nonnulli observatum sibi dicunt, ego tamen non vidi) pallescebat.

(4) Lectione finitâ iterum Pastor: *Adhuc esse tempus deliberandi, ut ne tam terribilem maledictionem super animam suam devolveret, si aliter sibi esset conscius.* Ille animo præsenti formam Iuramenti sibi tradi jubens, & surgens (assurreximus verò simul omnes) prælegebat juramentum plenâ fiduciâ & zelô, nihil demens, potiùs hinc inde addens (ex. gr. *Dico, si hoc feci, si reus sum, eveniat ita mihi: & dico sincerè, ex corde in conspectu benedictæ Trinitatis Sanctæ, & S. Angelorum, & Vestro.* Vocem autem *AMEN* non tantùm ubi posita fuit, sed & aliàs sæpè geminabat, *Amen, Amen, Amen!*

(5) Omnes autem terribiles illas execrationes in se directas, confidenter in se recipiebat, sine fletu, sine lacrymis: sed sub juramenti finem (NB) ubi sermo in Adversarios dirigi cœpit, *ut qvi innocentem persequuntur illos ipsos ultio assequatur divina:* ibi non lacrymavit tantùm, sed valde ploravit.

(6) Peracto Iuramento posuit faciem super mensam, cui adstabat, super ipsam schedam cui inscriptum fuit Iuramentum, qvam & aliqvoties osculatus est. Tum se erigens canere cæpit *Psalmum* 123, & nos omnes cum illo: dehinc nos ad ardenter invocandum Deum exhortatus, voce præivit; atqve sic Oratione fervidâ totus ille actus conclusus est. *Nomen Domini sit benedictum: qvi confirmet in Cœlis, qvod à nobis miseris peccatoribus actum est in Terris.*

(7) Sic ergó ingens illa Controversia semel terminata est, dum nemo ampliùs qvod ab illo jure reqviri possit habebit: postqvam divino hîc præscripto satisfactum est, Heb. 6. 16. At utinam omnes jam acqviescant, & tumultuari desistant: Sed animadverto qvosdam novos in scirpo qværere nodos &c. Optem omnibus aliqvomodo, *ut jam qviescant, & cum adversario suo se Divino permittant judicio*, persvaderi possit!

(8) Aliâs qvicqvid in mandatis habui ad minutias usqve (circa D. Drabicium) perqvisivi: tum aliorum judicia colligendo, tum ipse domi ejus omnia observando. Habet ille revera sua vitia, & qvidem ita habet ut omnibus notabilia sint (nec enim qvidqvam simulare aut dissimulare scit, vel potest:) sed agnosco verissimè de illo esse dictum, *Vitia ejus nævos esse, non scelera.* Zelosus est, & pervicax, prioritatem affectans, ut ajunt: sed ille sibi hoc ætatis & vocationis jure deberi dicit, ut ne Ordinis leges violentur: & videtur sanè. Qvicqvid ergò alii morositati ei tribuunt, ego zelo adscribo: qvô illum revera ardere video, ut alibi ita certè in cultu Dei. Vidimus id in ipsa causæ hujus disceptatione: & lacrymis testati sunt, etiam qvi causæ minùs favent, &c. &c. V. Puch. 17 Iulii 1663. S. I.

II Qværitur ergò jam, *An per sic administratum Examen dubitatio de Drabicianis sublata sit penitus?* Duo contra moveri audio. I *Potuisse fieri, ut Drabicius falsò juràrit.* II *Posse fieri ut salvâ Conscientiâ nobis imponat,* hoc est *deceptus decipiat: sive Satanei, sive propria Phantasia, illudat.*

(9) Ad perjurii suspicionem reponi posset illud cujusdam; *Qvisqvis juranti fidem non habet, semetipsum levitatis suspectum reddit: quia qvod ipse tali casu constitutus facere non trepidaret, hoc idem alium esse ausum suspicatur.* Cogitetur tamen, *Cordis humani perversitatem non ignotam fuisse Deo, admissúmqve iri perjuria: nihilominus tamen*

tamen Controversias Juramento finiri mandavit (Heb. 6. 16) qvis ultra Deum sapiet? Præsertim non vulgari præstitô juramento, aut obiter, sed *cum adhibitis tremendis exsecrationibus, quibus levissimi etiam hominis conscientia percelli, scelerum autem Ultoris Dei Zelus provocari possit.* An cum cæco, surdo, muto, Idolo rem nobis hîc fuisse imaginabimur? qvod ne qvidem tot clamoribus invocatum, imò provocatum, igne Zeli respondere posset, ut Baal olim? *Aliud sentient, malo suo, tam blasphema ausi: sive Drabicius impiè pejerando, sive adversarius ejus Deum testem contemnendo.* Qvi benigni Numinis Zelus si non illicò se exseruit (ut alterutrum igne absumeret) tarditatem tamen gravitate pœnæ pensatum iri (si scelus subest) nemo dubitet.

13 *Si qvis Satanicæ illusionis pergit fovere suspicionem, debebit illius detegere causam.* Ostendendo videlicet, aut aliqvid hîc Diabolicum inesse, blasphemum, impium, ab antiqvis Dei oraculis dissonum: aut ad talia, tàm sancta, pia, revelationibúsqve divinis consona, solere Deum adhibere Satanam: aut deniqve posse etiam ipsum Satanam talibus tam obseqviosè, sincerè, humiliter, constantérqve servire Deo. Illorum autem qvidqvam unde probabitur? Reliqva huc spectantia videantur in *Tractatu, De veris & falsis Prophetis* [Poniat. Cap. LXVI.] *Qvæstione XLIII.* Addi potest, *Precibus nostris illisque adjunctis imprecationibus, non illudentem tantùm nobis Drabitium (si illuderet) fuisse impetitum, sed & illudentem Drabicio Satanam, si ipse illuderet.* Christum igitur ad tam fervidas fidelium preces æqvè hujus atqve illius imposturas fuisse detecturum confidimus: sicut in Genevensi puero factum (Vide Pon. Cap. LXV) & aliâs: sive fides nostra firma fuisset, ut Chananeæ (Matt. 15. 28.) sive debilis, ut lacrymantis illius opémqve implorantis, Patris (Mar. 9. 24.)

14 Rem tamen ipsam si inspexerimus rectè, *nec esse Drabiciana figmenta, nec Satanica dictamenta, sed verè Divinas revelationes, satis apertè constare poterit: tùm è stylo verè prophetico* (qvem nec homo ullus nec satan ullus imitari potuit unqvam) *tùm è rebus ipsis.* Qvæ prorsus aliæ non sunt qvàm omnium Prophetarum, extraordinariorum Dei ad homines nuntiorum, semper fuerunt: cùm ordinarii omnes (Reges, Principes, Sacerdotes, Populus) adeò exorbitarent, ut nemo rectè officium faceret. Nempe *Lamenta Dei super his, Exhortationes ad resipiscentiam, Denuntiationésqve pœnitentibus gratia, impœnitentibus ira &c.*

15 Vobis loqvor ô Christiani, qvi Deum esse, Mundúmqve tanqvam suam Domum, Civitatem, Regnum, gubernare creditis. Attende qvæso, qvisqvis Vestrûm sive Regnum administrandum habes, sive Civitatem aut Rempublicam, sive unam privatam Domum: sempérne ad omnia tacendo connivere? annon ad subditorum & familiæ exorbitationes interloqvi, increpare, emendationémqve exigere, soleas? Si tu ita, & ob id te vigilantem, officióqve tuo satisfacientem, credis, cur humiliora de Deo cogitas? Imò cur Satanam supra Deum extollis? Satanam firmandis confusionibus Visiones submittere falsas concedendo, Deum autem Ordini reparando mittere veras negando. *Absit incogitantia! Non truncus aut stipes est Deus noster, sed Deus verus, Deus vivens, Rex sempiternus, increpans gentes &c.* (Jer. 10,

(Jer. 10, 10) *qvi nihil facere se* (in majoribus nempe) *nisi revelaverit secretum suum servis suis prophetis*, expresse protestatus est (Amos 3. ✝ 7.) Negare hoc velle, nonne est fingere Deum verborum suorum immemorem? aut mutatum in aliud, & sub Mundi finem sepofuisse Mundi curam? Qvi tamen vel tùm maximè, ubi maxima rerum mutatio præ foribus erit (dies Judicii terribilis) submissurum se promisit Prophetas magno numero (Legatur Joel 2. ✝ 28) An & hujus promissi oblitus? Credimus enim nos Christiani ultima Mundi tempora jam adesse, magnúmqve illum & terribilem Judicii diem instare: *Ubi ergò sunt promissa illa in hoc tempus Senum somnia? ubi Juvenum visiones? ubi filiorum & filiarum prophetia?* Promissa enim sunt ultimis temporibus. Videte qvàm convellatis Scripturas, totámqve harmonicam circa Mundum œconomiam Dei, qvi negatis id qvod Deus DIXIT, & FACIT.

16 Si autem credibile est nostro etiam ævo (sub Mundi finem, imminentéqve magnâ Rerum mutatione) Revelationes divinas dari: *dicat qvis ubi sunt, si hæ nostra non sunt? Ostendátqve aliqvid evidentius, eminentius, sanctius, Deo dignius*: ut glorificemus Deum.

17 Verumenimverò qvid tandem opus est hominem pro Deo loqvi, si Deus ipse pro se loqvi incipit? *Ubi autem? qvomodo?* Primùm in ipso Juramenti Drabiciani actu, dehinc in re ipsa. Ibi enim dilemma fuit: *Si non Tua verba loqvutus sum, Deus, contere me in conspectu omnium: si Tua, ostende Tua esse, implendo veritatem eorum. Ecce autem non conterit!* Ergò non esse verba aliena testimonium dat. *Ecce implet Veritatem eorum eventibus!* Ergò sua esse, testimonium dat. *Cùm enim evenit qvod vaticinatus est Propheta, tunc agnoscitur qvòd eum Dominus misit verè.* Jer. 28. 9. Quia *Deus præstat verba servorum suorum, & consilia nuntiorum suorum complet.* Jes. 44. 26. Ergò si rerum testimonia adsunt: evidentiúsqve in dies prostabunt, nihil ampliùs opus erit verbis. Et sicut *Eliphaz*, *Bildad*: *Sophar*, *Elihu*, litigantes cum Jobo conticuerunt, qvàm primùm è turbine loqvi orsus erat Deus: ita litigantes cum Drabicio conticescant! si è turbinibus qvassati plagis Mundi loqvi, verbáqve servi sui complere, incipit Deus.

APPENDIX II.

De ultima Drabicii protestatione, qvam CONFESSIONEM *vocavit: cum adjuncta Oratione, qvâ omnia sua* DEO *resignat, Mundoqve valedicit.*

OMnibus his ita actis non contentus Veterinus, tametsi juramento æqvè cum aliis præsens, & stupens, gloriam Deo dare videretur, silentiaqve manu datâ promitteret, & rei actæ testimonio cum aliis subscriberet: ad alias tamen

tamen relapsus cogitationes, non solùm ad Drabicii Adjunctum, *nondum se acquiescere posse* scripsit, sed & Drabicium acriùs ac unqvam adoriundo infestare perrexit. Causas inqvietudini suæ prætexens, 1 *Quod sibi de non impletis tam multis* (quæ ab Omniscii ore profecta fuisse ut credat, persvaderi nullo modo posse) *satisfactum non sit.* 2 *Videre autem quas perjurii causas habeat Drabicius. philautiam nimirum & avaritiam*, ut ne se privaret opinione, qvam de se jam excitatam videt; & beneficiis, ob vaticinia sua sibi jam offerri cæptis. Addens & in Oraculorum dictatorem blasphemias, *vanum* illum appellando & *mendacem*, aliaqve tetra: qvibus & Pastorem novum, *Laurinum*, denuò reddidit vacillantem, maleqve suspicantem, & judicium Dei super Drabicium invocantem, ut Epistola illius testatur.

2 Admonitus uterqve fuit modestiæ, Veterinus præsertim: non à me solùm (Adjuncto) sed & aliis vicinioribus sibi, Theologis & Politicis, ne res compositas turbaret, promissa potiùs silentia præstaret, exemploqve nostro justum Dei judicium expectaret, & ne Deus illud differat, oraret: sed omnia frustra. Ille enim virulentum scriptum Drabicio misit, importunè ut sibi responderet urgens. Cúmqve Drabicius zeli fervore illud aliis præsentibus conculcaret (additô, Sic ait Jehova, *Ita calcabo hostes nomen blasphemantes meum*) & in ignem conjiceret; Veterinus idem illud scriptum non Drabicio solùm remisit, sed & ad varios dimisit, omnes adversus pseudoprophetam concitans.

3 Drabicius igitur tandem respondit scriptô: qvod CONFESSIONEM appellans, misit (Oraculi jussu, Rev. 614. ℣. 10) ut Revelationum suarum Editioni novæ clausulæ loco apponeretur. Apponimus igitur.

CONFESSIO

Facta in gloriam Dei, & ad præmuniendum ab errore omnes, qvi Revelationes à Deo mihi factas legent, cujuscunqve statûs & ordinis, dignitatisqe aut vocationis erunt in facie Terræ, Anno 1664, *Junii* 30.

EGO *Nicolaus Drabicius Strasnicenus*, Exul Christi, confiteor hoc scripto meo, Observationes qvasdam Pauli Veterini, Puchoviensis incolæ, in contumeliam nominis Divini, Vocísqve per me ad Nationes terræ (Orientales & Occidentales, Aqvilonarésqve & Australes) factæ, directas, ad manus venisse meas. Qvibus ego ad zelum commotus, proposui Codicem sacrum arripere, & in qvemcunqve locum inciderem eum in responsi mei fundamentum habere. Aperui ergò, & præter spem mox oculis meis objecta sunt verba Davidis ultima (2 Sam. 23. 2) *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per lingvam meam.*

2 Qvod admiratus aperui denuò, & incidi in verba Samuelis (1 Sam. 7. ℣. 2 &c.) *Si ex toto corde revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio Vestri, Baalim & Asta-*

Astaroth (in Papatu autem Idola & imagines, sanctorum & sanctarum) *& praeparate corda Vestra Domino ad serviendum illi soli: & ego orabo pro Vobis Dominum. Oravit etiam, & Dominus exaudivit, intonuitqve fragore magno super Philistum, & exterruit eos, & caesi sunt à filiis Israel. Ædificavitqve Samuel altare Domino* &c.

3 Cùm porrò tria verterem folia, venit in conspectum duodecimi Capitis (ejusdem Libri) versus 14: *Si timueritis Dominum, & servieritis ei, & audieritis vocem ejus, & non aspernaveritis Os Domini, permanebitis.* Et ✝. 20, 21. *Nolite timere, sed servite Domino corde toto! Nolite seqvi rem vanam, IDOLA, qvae non proderunt vobis, qvia vana sunt.*

4 Tandem aperui denuò, & inveni Caput 1. libri Sapientiae ubi dicitur, *Sapientiam non introire in animam malevolam. Ac tametsi benignus sit Spiritus Sapientiae, non liberare tamen blasphemum à labiis ejus: qvoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator verus, auditorqve lingvae. Propterea qvi loqvitur iniqva non posse latere, neqve effugere judicium ad correptionem iniqvitatum suarum, & qvod Os qvod mentitur occidit animam* (✝. 10.)

5 Occidit verè: qvod meo qvoqve tempore viderunt oculi mei, qvàm multi blasphemo sermone oris sui, scriptisqve manus suae, accersiverunt sibi exitium, spectaculum facti Angelis & hominibus piis, in qvibus non est dolus. Qvales Dei beneficiô passim multi, Viri magni & illuminati, Theologi & Politici, per Hungariam, Hollandiam, Angliam, reperiuntur: qvi qvàm sincerè ac reverenter sermones Dei per me prolatos accipiant, scriptis id suis testati sunt, postqvam Deus in cor eorum dedit ut videant, & sciant, & intelligant, manum Dei fecisse hoc, & sanctum Israelis loqvutum esse per me (Jes. 41, 20) postremis nunc diebus seculi. Etiam de Gogo & Magogo (Ezech. 39. Apoc. 20.) exterminatum eos iri cum omnibus erroribus doctrinae pravae.

6 Qvapropter ego *Nicolaus Drabicius* omnes, qvi praememorata Pauli Veterini scripta legerunt, praemoneo, pérqve viscera misericordiae Dei oro, ut sibi ab iis caveant: qvippe qvae dolosa sunt, falsa, ex mendacii patre satana ortum trahentia. De qvo mendaciorum patre Christus dicit, *eum venire, & de hominum cordibus verba Dei tollere, ut ne credentes salvi fiant* (Luc. 8. 12.)

7 Sciant autem omnes, Dominum Deum meum, qvi indigno mihi loqvi dignatur; & me, Adjunctúmqve meum, qvi mei loco Nationibus Terrae Latino sermone Verba Dei nuntiat; additos deniqve nobis divinitùs operis promotores, *non aliud qvaerere* (vivit Deus, & vivit anima nostra in Deo) *qvàm Honorem & gloriam Dei primùm.* Honorem dico Omniscientiae & veracitatis Dei: qvi sicut promisit dejectâ Bestiâ, exustâqve meretrice Babylonicâ, & ligato Satanâ, renovare suam sibi Ecclesiam in facie totius Terrae, ita id jam facturus est diebus nostris, *ut omnia Regna Mundi fiant Domini nostri & Christi ejus* (Apoc. 11. 15. & cap. 17, 18, 19, 20.)

8 *Deinde, qvaesivimus etiam* (jussu & mandato Domini Dei nostri) *proximorum nostrorum bonum*: tum ante alios Christianorum, tum infidelium adhuc Judaeorum, Tur-

Turcarum, & qvorumvis Paganorum, ut ab Idolis & abominationibus aliis convertantur ad Deum vivum, ſanctúmqve ac purum ejus Cultum. Qva de re qvid Sapientia Dei anno 1653; Novembris 8, ad me loqvuta ſit, legi poteſt *Revel. CCXI.* Hi enim omnes fide Dei verâ & ſalvificâ, Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, aliiſqve ſanctis datâ, deſtituuntur: legis Dei loco habentes Turcæ *Alkoran*, Judæi *Talmud*. Chriſtianorum verò multi *Papam*, alioſve errorum duces.

2 *Tertiò, qvaſivimus etiam obſeqvioſa, fideli, ſimpliciqve ac ſincerâ mente, mandata exeqvi Dei, ſine omni ad homines reſpectu: Teſtando omnibus* (ſive id placeat omnibus, ſive diſpliceat aliqvibus; & ſive id audiant ſive omittant, credant vel non credant) *Deum nunquam voluiſſe, nec adhuc velle, mortem peccatoris:* ſed ut omnes ab impietate, erroribúſqve ac iniqvitatibus converſi, judicium faciant & juſtitiam, dantes Cæſari qvæ ſunt Cæſaris, & Deo qvæ Dei.

10 Ideò mihi Sapientia Dei mandabat loqvi Auſtriacæ Domui (cum fulcris ſuis Hiſpano & Papa, illo ut arundine fracta, hoc ut titione ambuſto, aliiſqve:) *facturum eſſe Dominum Cœli & Terræ Domui Auſtriacæ ſicuti fecit Domui Achab; & Conſiliariis Prophetiſqve ejus ſicuti Elias fecit Baalitis, qvos in totius populi conſpectu occidit gladiô:* ut mihi dictum eſt Anno 1644. April 12.

11 Teſtis itaqve ſum ego *Nicolaus Drabicius* veracitatis Dei, (teſtis inqvam mihi ipſi, & aliis piis) *non facere Dominum qvidqvam niſi revelet ſecretum ſuum ſervis ſuis prophetis* (Am. 3. 8.) *Leone igitur rugiente qvis non timeat! & Domino mandante qvis non prophetet!* (℣. 9.)

12 Anteceſſor noſter *Johannes Hus*, glorificaturus morte ſua Deum & veritatem ejus, dixit ad perſeqvutores ſuos: *Centum revolutis annis Deo reſpondebitis & mihi.* Ego illius ſeqvutor Vobis meis perſeqvutoribus idem dico, & Vos Dei & meos Criminatores ad Jeſu Chriſti tribunal cito, ibi ut reſpondeatis pro blaſphemiis veſtris, qvi in me indigno Deum & Spiritum ejus blaſphematis.

13 *Qvaſi verò ille non promiſiſſet ultimis diebus effundere Spiritum ſuum ſuper omnem carnem: ut prophetent filii & filiæ, ſenéſqve ſomnia ſomnient, & juvenes Viſiones videant* (Joel 2. 28.) Qvaliter & mihi Seni (nunc jam penè octogenario) factum eſt impromerita Dei gratiâ; & ante me *Chriſtophoro Kottero, Chriſtinaqve Poniatovia*, qvos etiam (ſicut alii multi pii) pro ſervo & ancilla Domini habeo, & illis ſimilia ut mihi (de plagis Dei ſuper Chriſtianitatem ab Oriente venturis, ſicuti jam venire incipiunt) nuntiata eſſe (ab eodem miſericorde, Mundum ſemper præmonente Deo) agnoſco.

14 *Non eram ego Drabicius* (ut cum Amos litigante cum obtrectatoribus ſuis loqvar) *propheta, aut filius prophetæ* (Am. 7. 14.): *ſed Dominus mandavit mihi, ut ex ore illius auditum Verbum ſcriberem.* Et ſcripſi, plerumqve noctu per tenebras, in Tabella lapidea, aut etiam cretâ in ciſta lectulo meo adjacente: laborioſè obſeqvium præſtans (viginti ſex annis) Domino meo, neqve mutans qvidqvam, Sed qvomodo Dominus & Deus meus loqvi dignatus eſt, de Chriſtianis & non Chriſtianis, Regibus & Regnis, Dominis & ſubditis, Sacerdotibus & populo: im-

primis de Idololatria & imaginibus, etiam Salvatoris crucifixi per Templa & compita distenti, ventis, pluviis, aviumqve nidificationibus expositi in scandalum & ludibrium infidelibus, Judæis, Turcis, Tartaris: qvi anno 1663 in Moraviam irruptione factâ stuporem hunc Christianorum stupebant.

15 Qvos qvia Deus, juxta sermones ad me misellum hominem factos, converti vult ad fidem illam Sanctis datam, *auferet certò scandala ista, & scandalorum authores, homines viam Cain ingressos, semet ipsos pascentes, nubes sine aqva à Ventis circumlatas, arbores emarcidas, infrugiferas, bis mortuas, undas maris despumantes confusionem, sideráque errantia, qvibus procella tenebrarum servatur in æternum* (Jud. 11, 12, 13.) *murmuratores qverulosos, secundum desideria sua ambulantes, qvorum os loqvitur superbiam* (℣. 16) *illusores* (18) *animales, spiritum non habentes* (19.)

16 Qvorum è numero *Paulus Veterinus* est, adversus me totus odio ardens, méqve sine omni timore Dei, & pudore humano, malignis scriptis proscindens & maculans: non gloriam Dei aut salutare proximorum bonum, reqvirens, sed ut in suspicionem & ludibrium adducat sermones Dei. Prorsus exemplo pessimorum inter Pharisæos, qvi de Christo dixerunt, *Dæmonium habet & insanit, qvid eum auditis?* (Joh. 10. 19.) tametsi moderatiores dicerent, *Verba hæc non sunt Dæmonium habentis* (℣. 20) sicut & nunc, de verbis Domini per me prolatis multi moderati & pii Viri (longinqvis etiam in regionibus) dicunt.

17 Ego autem cum Apostolo Paulo (2 Cor. 1. 23) *testem invoco Deum in animam meam* (corde toto credens, & ore confitens, me qvoqve Oviculam esse Christi, pro qva ille bonus Pastor animam posuit suam, Ioh. 10. 11.) *nihil me loqvutum esse, neqve scripsisse, nisi qvod Dominus & Deus meus toto illo tot annorum tempore, & hunc usqve in diem, manu meâ scribi mandavit, non hominibus placere qværens, sed Deo.*

18 Possum enim cum Paulo (electo Vase ad portandum nomen Christi in conspectum Gentium, & Regum, filiorúmqve Israel Act. 9. 15) confidenter dicere, *Eundem fidei spiritum me habere, ut dicere audeam, Credidi, propteréaqve loqvutus sum qvæ loqvutus, & scripsi qvæ scripsi* (2 Cor. 4. 13.)

19 Et primùm qvidem, dilecto mihi Adjuncto, *Johanni Comenio*, tum in Hungaria commoranti, tum in Hollandiam jussu Domini secedenti, ut ille omnia hæc linguâ Europæis notâ, Latinâ, Christianis populis redderet nota: *pro Turcica autem natione linguâ eorum adornari curaret Libros sacros utriusqve Testamenti, impensis qvas Princeps Racociorum mater subministrare debuit.* Sed illa plus lutum Terræ (aurum) qvàm Verba Dei æstimans, sæpiùs licet monita, nihil horum fecit: & qvod plus est, filiis etiam ne qvidqvam circa hæc agerent causa fuit. Ideò Deus matrem cum patre & filiis, patruóqve Ladislao, abstulit: solo uno nepote Francisco relicto, cui fini ipse novit.

20 Qvod autem objiciunt *promissam illis Hungariæ Coronam fuisse, verum est:* sed iteratâ toties conditione, ut ab Idololatria Terram hanc repurgarent, consilio super hac re cum Orientali & Septentrionali inito. Qvid autem profuit moneri, cùm nec illi, nec Sveciæ Rex qvidqvam horum agere voluit? Seipsos illi inobedien-

dientiâ suâ in præcipitia deduxerunt, ut Mundus jam videt.

21 Ego igitur Drabicius publicè profiteor, me toto corde Divinæ illi promissioni per Aggæum factæ credere, *Ego vobiscum sum, dicit Dominus* (cap. 1.℣.13) pérqve ipsum Christum Dominum nostrum iteratæ, *Ecce ego Vobiscum sum omnibus diebus, ad consummationem usqve Seculi* (Matth. 28.27.) & denuò per Aggæum pronuntiatæ (cap. 2.℣.22, 23) *Ego movebo Cœlum pariter & Terram, & subvertam solia Regnorum, conterámqve fortitudinem gentium: & Christo annuntianti pressuram Gentium* (Luc. 21, 25.)

22 Expectaréqve me, imò jam oculis cernere, *qvomodo subvertat Dominus currus & sessores, ut cadat unusqvisqve gladio fratris sui* (Agg. 2. 23) *reveletúrqve per id gloria Dei, ut videat omnis caro pariter, qvòd os Domini loqvutum est* (Ies. 40. 5.) per nos etiam duos Vobis, ó Nationes, voluntatem Dei esse *ut Bestia Agnum simulans, loqvens autem ut Draco, una cum pseudopropheta (qvi facit signa in conspectu ejus, seducens eos qvi acceperant characterem Bestiæ) apprehensi mittantur vivi in stagnum ignis ardens sulfure* (Apoc. 19, 20).

23 *Deletâ autem Bestiâ, & igne concrematâ Meretrice ebriâ sangvine sanctorum, & sangvine martyrum Jesu (cap. 17.6) ut plangant Reges terræ qvi cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt, stantes longè propter timorem tormentorum ejus, & dicentes: Væ Væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis, qvoniam unâ horâ venit judicium tuum* (cap. 18.9, 10).

24 *Tandem verò eversâ Babylone, ut omnes sub sole Gentes concurrant in unitatem Fidei & agnitionis Filii Dei, in Virum perfectum, ad mensuram plenæ staturæ Christi* (Eph. 4.13)

25 Audeo ego Drabicius, audeo cum Apostolo Paulo dicere, *me scriptis meis non qvæsivisse qvæ mea sunt* (ut fortè alii faciunt Phil. 2. 21) *sed qvæ sunt Jesu Christi: nihil agendo per contentionem, aut inanem gloriam, sed in humilitate* (℣.3) Didici enim ex Verbo Dei mei, *Deum resistere superbis, humilibus autem dare gratiam* (1 Pet. 5.5.) *deponeréqve potentes de sede, dispergere superbos mente cordis sui, & exaltare humiles* (Luc. 1.51.).

26 Et qvia cum Apostolo corde credo, & ore profiteor, *Nunqvam humanâ voluntate afferri prophetiam, sed Spiritu Sancto inspirari, & loqvi, sanctos Dei homines* (2 Pet. 1.21) spero etiam mihi à Domino & Deo meo datum iri, ut vincam malignum illum Dei & meum inimicum (1 Ioh. 2. 13) qvia *Mundus transit & concupiscentia ejus, qvi autem facit voluntatem Dei manet in æternum* (℣.17.)

27 In cujuscunqve igitur manus vel oculos (ex notis vel ignotis mihi, ulla in gente) labor meus & dilecti Adjuncti mei veniet, rogo & oro, nominéqve Dei obtestor. *Nolite contristare Spiritum S. Dei, per qvem obsignati estis in diem redemptionis* (Eph. 4.30) *soliciti servare unitatem Spiritûs in vinculo pacis* (℣.3) *ut omnes simus unum corpus, & unus Spiritus, sicuti vocati sumus in unam spem vocationis nostræ* (℣.4.) *Unus enim est Dominus, una Fides, unum Baptisma: unus Deus & Pater omnium, qvi super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis* (℣. 5.6.) *qvi credimus nos vocatos & electos* (Rom. 8. 33.) *nomináqve nostra scripta esse in libro Vitæ Agni, qvi occisus est ab origine Mundi* (Apoc. 13.8).

28 *Si qvis*

28 *Si quis habet aures audiat* (℣. 9.) Audiat dico & expendat, qvis sit Dominus ille Sanctorum prophetarum, qvi mittere solet Angelum suum ostendere servis suis qvæ fieri oportet citò (cap. 22. 6). Ipse nimirum *qui A. est & Ω, principium & finis: qui est, & qui erat, & qui venturus est, ille Omnipotens* (cap. 1. 8.) *Princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris sanguine suo: & fecit nos reges & sacerdotes Deo & Patri suo, cui gloria & imperium in secula seculorum, Amen* (℣ 5, 6.)

29 Cavete etiam omnes, obsecro, Pharisaicum fastum, alios aspernantem, & dicentem: *Gratias tibi ago Deus, quòd non sum ut cæteri hominum, aut velut hic publicanus* (Luc. 18. 11.) *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Iac. 4. 6.) *Nolite detrahere alii aliis, fratres: nam qui fratri detrahit, detrahit Legi* (℣. 11) Sicuti levis anima *Vetterinus* mihi fratri suo (& qvòd magis servo Christi, Evangeliiqve ministro, & Animarum pastori qvos Apostolus duplici honore dignandos censet, 1 Tim. 5.) facit: ore & calamo mendaciter de me, qvicqvid in mei contemptum potest, spargens. Etiámqve vulnera innocenti mihi (anno 1635) ab homine ebrio, *Martino Stuniak*, publica in via mihi furiosè obvio, illata, exprobrans: propter qvæ homo iste judicium (Eqvestris Ordinis Comitatûs Trencinienfis) passus, crimen capite luere debuit, nisi ad intercessionem Dominorum Iudicum Vitæ illi gratiam fecissem, pecuniariáqve multâ acqviesci permisissem.

30 Qvisqvis ergò has & similes obtrectationes Calumniatoris hujus leges, præsertim ubi comminationes Dei per me sibi etiam factas tanqvam vanas irridet, *quasi ne in gratiam insipientis, dicentis in corde suo Non est Deus* (Psal. 14. 1) *ad sugillandum lenta Dei judicia te abripi patiaris.*

31 Qvod non meum est monitum, Apostoli est: *Non judicandum esse ante tempus, donec veniat Dominus qui illuminabit abscondita tenebrarum* &c. (1 Cor. 4. 5) *Dicit enim qui testimonium de his perhibet, Etiam veniam citò. Amen, veni Domine Jesu* (Apoc. 22. 20.) Veni nunc etiam, & ostende veritatem sermonum tuorum olim per Iohannem, nuper autem per Kotterum, Christinam Poniatoviam, & me, indigna tua vasa, prolatorum: ut Angelis in Cœlo jam succinat Ecclesia in terris, *Cecidit cecidit Babylon.*

32 Etiamsi non secundùm tempora nostra, & dierum horarúmqve terminos, qvos stulta ratio nostra operibus tuis figere solet, ó Deus: sed secundùm dimensionem tuam, *apud quem unus dies æquipollet mille annis* (2 Pet. 3. 8) *Non enim tardat Dominus promissiones suas, ut quidam existimant* (& in his blasphemus obtrectator meus) *sed patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* (℣. 9.)

33 Tentabat etiam *Bethuliensium impatientia* liberationi suæ terminos præscribere Deo, sed objurgati sunt à Iuditha: qvia Deus consilium ab homine non accipit. (cap. 7. & 8.)

34 *Et quid æquiùs videri poterat in oculis hominum, quàm ut Moses (ut pote fidelis in tota*

in tota Dei Domo, & post tantos exantlatos 40 annorum labores) in desideratam illam promissam Terram populum suum introduceret? Dominus tamen propter unicum ejus erratum negavit hoc illi, tametsi impensè oraret, alii provinciam hanc demandans; & acqviescendum fuit. Nam qvis ei dicat, *Cur id facis?*

35 Qvid *Jona* murmura sua, qvod Deus denuntiatum ejus prædicatione interitum Ninivitis condonasset, profuerunt?

36 Contende igitur tu qvoqve *Veterine*, aut qvisqvis tibi similis est, cum Deo, qvòd non omnia promissa, aut minis denuntiata, impleat! Sed annon implet? annon tot gentium commotiones, initialésqve passim desolationes, testantur? Utinam in te, & tui similibus, non impleantur verba Dei: *Væ qvi Sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismet ipsis prudentes* (Is. 5. 21.) Non mecum igitur, sed cum Domino, qvi me scribere jussit qvæ scripta sunt, contende.

37 Verùm ego melior non sum Jeremia prophetâ, cui viri superbi in os dicebant (sicuti tu Veterine nuper mihi) *Mendacium tu loqveris, non misit te Dominus Deus noster* (Jer. 43. 2): cùm tamen æqvè confidenter ego ut Ieremias dicere habeam, *In veritate misit me Dominus ut loqverer* (& scriberem) *omnia verba ista* (Ier. 26. 15).

38 Sed me Deus meus, Pater Domini nostri Iesu Christi, sine solatiis adversus vos non reliqvit, toties mei adversus vos protectionem, & veritatis sermonum suorum opere ipso demonstrationem, incredulorúmqve & mala mihi machinantium interitum, promittens. Et ecce qvàm fidelis est Deus! servavit me hactenus, & servat in medio inimicorum meorum: obtrectatores autem mei ubi jam sunt? *Sapor, Effron, Felinus, alii?* ut qvisqve virulentiæ suæ mensuram implevit, ita hinc raptus est.

39 Nec aliud expectent alii, integræ etiam Gentes, juxta illa Domini verba: *Ex ore meo prodiit hoc qvod annuntiavi tibi, decretum æterno consilio meo de iis, qvæ fieri volo ultimis diebus Mundi. Qvum ego suppliciis coercebo blasphemias Nationum, qvibus afficiebant me & nomen meum, tremiscet Terra & qvi habitant in ea. Ardor enim zeli mei occubuit sicut Sol, super eos qvi nosse me nolunt* (Revel. CCXI. 6, 7, 8).

40 Et alibi: *Qvisqvis vobis aliter loqvitur qvàm ego per testes meos fideles ac veros, anathema esto!* (Rev. CCL. 14.) Item: *Non aliud exspectent contemptores mei qvàm plagas pro plagis, & contemtum pro contemtu. Nam apud me non est alia via, nec ad me ostium aliud, præter obseqvium, fidem, dilectionem, & patientiam cum timore judiciorum meorum.* (Rev. CCLVII. ℣. 29. & 37) Qvæ omnia utinam legant obtrectatores mei! fortassis ad se redirent, agnitâ veritate & in comminationibus severitate Dei.

41 Concludens hunc sermonem meum ego Nicolaus Drabicius, dicam cum Iobo: *Utinam veniat à Deo salutis mea petitio mea, & qvod expecto tribuat mihi Deus! ut me conterat qvi cæpit, si falsitas est in ore meo* (Iob. 6. 8, 9.) *Qvare igitur detraxistis sermonibus veritatis, cùm nullus sit è vobis qvi possit arguere me?* (℣. 25). *Qvum solus Deus sit, qvi profunda revelat de tenebris, & in lucem producit umbram mortis: qvi multiplicat Gentes, & perdit eas, subversásqve restituit in integrum* (cap. 12. 22. 23).

42 Ad extremum ego supradictus confiteor, *Sermones quos ego scripsi, Adjunctus verò edidit, non esse sermones Angeli* (mihi aliàs semper præsentis, precésque meas ad thronum Dei deferentis) *multò minus meos, hominis peccatoris: sed esse ipsius Domini mei Jesu Christi (qui est Alpha & Omega, principium & finis omnium) sermones: profectos à sancto ejus Spiritu, qui spiritus sapientiæ & intelligentiæ est, Spiritúsque consilii, roboris & timoris Dei.* Qui me qvoqve sibi formavit servum ab utero, ut reducam Iacob ad eum, & Israel ad eum congregetur: & glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea (Ies. 49. 5). Qui ad me qvoqve dixit: *Tempore accepto exaudiam te, & in die salutis auxiliabor tibi* (℣8.) *Cui soli potenti sapienti Deo, sicut ab initio fuit ita in secula seculorum sit honor, & potentia, & gloria! Amen, Amen! Hallelujah, Hallelujah!*

Finivi auxilio Dei 5 Iulii, Anno Christi 1664: qvi est ætatis meæ 76, Ministerii 48, exilii 36, initii Revelationum à Domino mihi factarum 26.

ORATIO,

Jussu Domini & Dei mei Anno 1653, Aprilis 18, conscripta, & anno 1664. Junii 30, pro Revelationum clausula apponi mandata.

ÆTerne Deus, alme Pater, incomprehensus sapientiâ, judiciô, consiliô, gratiâ & justitiâ, Creator, Redemptor, & Sanctificator; Pater, Fili, Spiritus sancte, Sancte Israelis! 2 Qui ab initio fundasti Terram, & opus manuum tuarum sunt Cœlorum Cœli! Qui sedes super thronum ineffabilis gloriæ, in medio innumerabilium Exercituum tuorum, Cherubinorum & Seraphinorum, hominúmqve per martyria triumphantium, ministrantium tibi die ac nocte, & cantantium Sanctus, Sanctus, Sanctus Iehova Zebaoth. 3 Ecce inter illos me qvoqve Te Deum laudantem; Te Dominum confitentem, Te æternum Patrem cum tota Terra adorantem! 4 Qvod me debilem massam in vasculum gratiæ tuæ formasti, & proprio meo nomine ex utero matris meæ evocasti, inqve Librum vitæ Agni nomen meum inscripsisti: 5 & postremis hisce diebus Mundi, in gente qvæ Nomen tuum novit, & vocem Tubæ tuæ à Throno tuo exeuntem audit, in testem & vigilem, & in vocem Clamantis ad gentes, super muros Ierosolymæ tuæ, dilectæ tibi Ecclesiæ, statuisti. 6 Ut palam, in conspectu omnium Gentium, annuntiarem diem ultionis Idolorum Cultoribus, omnibusqve falsis Cultibus, eorum qvi te Deum Tri-unum æternè viventem non agnoscunt rectè. 7 Rursúmqve diem gratiæ Nationibus Terræ, ad agnoscendum in vero lumine, interiori ac exteriori, TE Deum vivum, purúmqve & castum Cultum Tuum, qvalem tibi exhibent in Cœlis Angeli, & exhiberi tibi vis absqve Idololatricis erroribus in Terra, ex corde puro, & conscientia bona, & ex fide non ficta, Corpore, Animâ, & Spiritu, unanimiter ac humiliter, in simplicitate, cordis.

8 Ecce

8 Ecce me misellum vermiculum tuum, & qvisqviliolam ad limen Domûs tuæ, Ecclesiæ tibi dilectæ, & illius particulæ qvam in gente nostra sub nomine Fratrum Bohemorum tibi collegeras; in diebus atrocis ejus persequtionis, tristísqve in gente aliena, Hungarica, exilii, ipso senectutis morbo gravatum! 9 Audiebam vocem tuam, Dei viventis, alloqventem me nescio qvomodo, loqventem autem scio qvæ. 10 Intelligenter enim voces Tuas percipiebam, & sensum clarè prehendebam; qvin & Te invisiblem ipse alloqvebar, interrogabam & respondebam; omnia viribus mentis meæ inconfusis. 11 Viderunt & oculi mei Orbem totum in manu Tua, ut globulum: audivi & Te mysteria illa, qvomodo Manus tua contineat omnia, explicantem. 12 Et alia illa quæ mihi nunqvam venissent in mentem, nec à qvoqvam mortalium suggesta sunt, à TE solo Deo meo nocte diéqve cum timore accipiebam, memoriæ, aut etiam Te jubente tabulis & chartis, imprimebam. 13 Faciem verò tuam ego, homo pollutis labiis, nunqvam vidi: præter manum tuam clavo perfossam, semel erga me extensam, axillæ meæ sinistræ suppositam, cùm jurares Te neqve causam tuam, neqve me servum tuum, derelicturum. 14 Et servasti fidem, ó fidelis, in conspectu hostium meorum, domesticorum & extraneorum. 15 Et qvòd per somnum Te, dilecte mi Servator, diversâ ætate tuâ, & habitu, conspexi: cum gaudio & lacrymis indignitatem meam agnoscens, tectâqve facie ad pedes Tuos me provolvens, & eos osculans, gustúmqve vitæ æternæ, svavitatibus mihi inenarrabilibus, percipiens. 16 Nam & gaudia electorum in Cœlo (sicut & damnatorum tormenta in Gehenna) videre me fecisti: & qvæ in Mundo etiam, Ecclesiæ & Politiæ respectu, ad usqve Tuum illustrem ad Iudicium reditum futura sunt. 17 Qvæ ego fideliter, sine fraude ulla, in simplicitate cordis, cum gemitibus ad Te, seu nocte seu die jusseras, in scripta referebam: de meo nihil addens, meúmqve nihil, nec aliud qvidqvam præter gloriam Tuam, respectans, multáqve præjudicia, ludibria, cavilla, tolerans: totos annos viginti sex, hebdomadas novemdecim cum triduo. 18 Donec jam, anno hoc 1664. fine operi Tuo impositô, omnia illa Tu Domine meus, & Deus meus oratione hâc claudere jussisti.

19 Audite igitur Cœli & auribus percipe Terra! Ecce concludo obseqventer! concludo cum fletu! ad pedes Tuos Domine Iesu procidens, vulnera Tua & vibices osculans, & coram Te animam meam effundens. 20 Rogo humiliter, rogo fiducialiter, primùm ut mihi ducem, consiliarium, consolatorémqve relinqvas ad mortem usqve, Sp. Tuum S: & per illum effundas copiosam benedictionis Tuæ pluviam super omnes sermones Tuos, qvos per me servulum Tuum, postremis hisce Mundi diebus, protulit os Tuum. 21 Qvos ego ore Tuo exceptos, jussu Tuo consignavi, & per Virum qvem auxilio mihi adjunxisti, primùm qvidem genti Hungaræ, deinde aliis qvoqve Nationibus, notos feci. 22 Da, ó sancte Deus, ut omnes ad qvos penetrabit clangor Tubæ Tuæ, agnoscant à Te prodiisse! ut Tu glorificeris in omnibus Terræ Nationibus: qvas omnes sanctifica, ó Deus, in Veritate Tua, ad agnoscendum per omnes Gentes & Lingvas Verbum

Tuum, & Teipsum, esse Veritatem, Viam, & Vitam. 23 Fac ó Deus, ut Reges, Principes, Subditi, Doctoresqve Evangelii cum Auditoribus suis, & Parentes cum liberis, in Te & Veritate Verbi Tui unum sint! 24 Et cognoscant Te unum solum Deum, & qvem misisti Iesum Christum, per qvem facta sunt omnia, & sine qvo factum est nihil; in Unitate Spiritûs Sancti, Dei potentiâ, sapientiâ, bonitate, majestate & gloriâ, indivisi, in secula benedicti. 25 Rogo, ó Deus, rogo conticescant jam à facie Tua omnes Insulæ Maris! Pavescant, & ad Te fugiant: omnes fines Terræ! assumant novas vires, ferantur ut pennis Aqvilæ, curràntqve & non defatigentur, nobiscum ad Te salutis fontem, qvi loqveris justitiam, & sufficiens es ad salvandum, nec delectaris morte peccatoris. 26 O Pastor hominum, transmitte vel jam postremis diebus sub pastoralem Tuam virgam Gentes omnes, ut inducantur in vinculum Fœderis! 27 Desponsa Tibi, ó Deus, Populos in fide, ut omnes agnoscant Te Iehovam! qvibus Tu dicas, *Populus meus*; & illi Tibi, *Deus meus*. 28 Cessent jam Homines, imago Tua, lapideos, ligneos, aureos, & argenteos deos respectare, illisqve qvi dii non sunt, sed vanitas, honorem exhibere. 29 Cesset sodalitium Sacerdotum prædas & latrocinia agere in Terra Tua; malitiâqve suâ exhilarare Reges, & mendaciis suis Principes, adulterantes omnia: constituentes sibi Reges, at non ex Te; & præficientes Principes, qvos Tu non agnoscis; aurô verò suô, & argentô suô, facientes sibi Idola ad interitum. 30 Extermina igitur, ó Deus, vel jam tandem Idola cum Idolorum cultoribus, & Errores cum errorum disseminatoribus! ut fecisti tempore Eliæ, Ezechiæ, Iosiæ. 31 Patescat Mundo, qvid distet Lux tenebris! ut Victoria cedat Veritati, & omnes homines discant ambulare in luce, & facti filii Lucis reducantur ad Te Lucis fontem. 32 Congrega Oves palantes, ó Princeps Pastorum, per Viros ad hoc Opus electos, ab Ortu & Occasu, ab Aqvilone & Austro: datâ in cor eorum fide verbis Tuis, & obseqvio robustô ad exseqvendum æterni consilii Tui propositum. 33 Ad inducendum ultionem super Babylon spiritualem, & super Meretricem insidentem Bestiæ: ut ne ampliùs fornicando abominationibus suis corrumpat Gentes in facie totius Terræ. 34 Da ó Deus, ut feliciter semel procedat optata illa rationalis Creaturæ Tuæ ad Te recollectio, è plateis, & vicis, & inter sepes, & è compitis: ut introducantur in Domum Tuam, hîc qvidem in Domum Ecclesiæ, Ovilis Tui; ibi autem in Domum æternitatis, gloriæ Tuæ. 35 Ubi habitacula multa sunt, & gaudia nunqvam terminanda: accumbentibus cum Abrahamo, Isaaco & Iacobo, mensæ Tuæ, ó Iesu Christe, meus & omnium in Te credentium Salvator unice. 36 Qvo & ipse festinabundus jam ego, tibi Munde, tibi Patria terrena, tibi Corpus meum Animæ hujus habitaculum, ultimum dico Vale. 37 Valete omnes dilecti, mihi noti & ignoti, in Deo amici. 38 Vos qvi me hac in mortalitate non cognovistis, videbitis me die illâ, qvâ nos illustri suo adventu è pulvere Terræ, & undicunqve evocatos, congregabit ad se Dominus noster Iesus Christus, Filius Dei vivi. 39 Cui honor sit, & gloria, & imperium, & benedictio, in secula seculorum, Amen.

His

His ita peractis, *Paulus Laurinus*, novus exulum Pastor, novúsqve Drabicii adversarius, Vir juvenis firmæqve complexionis, & semper aliàs vegetus, inopinatò correptus morbo (Hecticam fuisse Medici dixerunt, frustra ei medicati) vitam morte commutavit sub Septembris finem: *Veterino* (fortè ad spectandum opera Dei, qvibus pertinaciter fidem denegat, & agnoscendum errores suos) huc usqve servato. Deus illius misereatur! sicut & omnium nostrûm qvicunqve qvoscunqve erramus errores! Amen.

APPENDIX III.

An lites hæ tandem finaliter terminari possint?

AUdio plures esse, qvi *Veterini* causam aut faciant suam, aut se nesciant extricare auditis illius scrupulis: ut sunt.

I *De Vaticiniorum Drabicii aberrationibus.*

II *De Vita navis.*

III *De sufficienis haud levis momenti causis, cur perjurium admittere* (forsan) *non fuerit veritus.*

IV *De turbulento totius ejus Libri argumento, Christianos ad mutua bella inflammare, aut etiam Turcas & Tartaros adversus Christianos concitare.*

Videamus ergò qvomodo ista in rei veritate se habeant, si tandem ad controversiæ fundum veniri posse optamus.

2 *Qvantum ad primum:* Non mirum est pias mentes contristari, si reverenter habitâ verbis Dei fide, *Ego sum Deus qvi non mutor:* (Mal. 3. 6.) *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet* (Jes. 46. 10): audire deinde cogantur, aliqvam Dei voluntatem non fieri, aliqvod consilium Dei loco moveri, & sic aliqvam mutationem Deo tribui. Conturbatus certè fuit *Samuel*, Saulem divinitùs electum, & mox rejectum, videns (1 Sam. 15. 11 & 16. 1.) Conturbatus *Jonas*, rem jussu Dei solemnissimè promulgatam eventu caruisse spectans (Jon. 4) Conturbatus *Ethan*, regnum Davidi & Filiis, in sempiternum usqve juratò promissum, mox in primo nepote defecisse conspicatus (Psal. 89.) Conturbatus *Eli*, audiens ad se verba Dei: *Loqvens loqvutus sum, te & domum tuam ministraturam (Sacerdotium) in sempiternum. Sed absit hoc à me* (Sam. 2. 30) Et annon qvàm lætum Mosi cum Aarone fuit audire Dei vocem, *Cùm ingressi fueritis terram Chanaan, qvam ego Vobis dabo in possessionem* (Lev. 14. 34) tam triste rursum fuit audire, *Non introibitis: qvia me non sanctificastis?* (Num. 20: 12) Nonne tristis est Jesaiæ vox, qvi post deprædicatam Dei erga populum Israel multam dilectionem, addit: *Conversus est eis in inimicum, ipse debellavit eos?* (Jes. 63. 10) Et sexcenta id genus, qvæ allegari è Scriptura possent: omnia tamen mutabilitatis causam non Deo, sed inobseqviosæ Creaturæ, tribuentia; eô semper sensu, qvem Christus expressit dicens, *Ego volui*

tu noluisti : Math. 23. 37. Redditqve mutabilitatis id genus causam Deus ipse apud Ieremiam cap. 18 : & apud Drabicium Revel. 290.

2 Non ergò simpliciter accipi possunt verba Mosis. Deut. 18. 21, 22: *ac si qvicqvid non impletum fuerit mox pseudoprophetam arguat, occidendúmqve demonstret.* Alioqvi & Ionas fuisset mactandus, qvum non eveniret qvod prædixerat. Et Nathanem ut pseudoprophetam exsecrari debuissent Davidis posteri, qvi vana eos æternaturæ dignitatis Regiæ spe implevisset, 2 Sam. 7. ℣. 12, 13, 16. At hoc non fecit *Ethan* propheta: horruit potiùs, Deúmqve laudavit: judiciorum ejus profunditatem piè admiratus Psalmo 89. Qvidni similis nos modestia, talísqve humilis & sanctus (ad Deum qvâcunqve parte datur justificandum) zelus, potiùs qvàm impatientia & murmur, deceant?

3 Ad qvid ergò canonem illum (*de agnoscendo ex non eventu non-propheta*) dedit Deus? dicet qvispiam. R. *Si Verba plenè & accuratè inspiciantur, aliud sonant qv*[illegible] *sonare putantur.* Dicit enim, si RES qvæ prædicitur NEC ERIT, N[illegible] VENERIT: q.d. (1) *qva nec unqvam fiet*, (2) *nec ullo modo* (3) *nec* [illegible] *veniente conditione.* Nam alioqvi (1) *qvod qvid à Deo denunciatum non fa*[illegible] *fieri poterit cras:* ut factum cum Ninive, non cùm pœnitentiam age[illegible] in peccata relapsa, pereunte. (2) *Qvod non impletur secundùm litera*[illegible] *strum, impletur secundùm spiritum, ad mentem Dei:* ut de filii Davi[illegible] æterno prorsus Regno. (3) *Qvod non factum est conditione mutatâ, fu*[illegible] *conditione non mutatâ.* Ut Ninive si perseverassat peccare, periisset: [illegible] mutavit, mutavit & Deus perdendi eam propositum (Videatur [illegible] Ad hæc si attendamus, certum est Divinas prophetias nec olim a[illegible] absolutè, impletas omnes, nec impleri hodie: indéqve tot modern[illegible] orum deliria super τὸ ῥητὸν Scripturarum fundata: sicut & tot Christianoru[illegible] *Possíntqve causæ non deesse Deo, cur densiora præstare velit exempla hoc ævo,* [illegible] *nimis temerè cum Deo agunt, agendo qva agere prohibiti, & non agendo qva agere ju*[illegible] *inobseqvii tamen sui culpam in Deum* (tacitè licet) *rejicientes* (cur sibi aliam non dedisset mentem, aut alias subministrasset occasiones, vel auxilia &c.): *aut rursum prætextu fiduciæ in Deum ignaviæ sese dedentes, & ut sibi dormientibus bona veniant expectantes.*

4 *Ad speciem veniendo, sunt qvi offenduntur Racociis tribus (Patri, Filio, Fratri) Coronam Hungariæ promissam, nulli datam.* Resp. Omnibus promittebatur sub conditione, qvam cùm nullus eorum amplecti voluit, nullus promissum accepit: *qvid hic insolens?* Impone oculis perspicilia (fidei, & rationis sanæ) qvisqvis es! Lege omnia mandata & promissa Dei, omniáqve in Scripturis comprehensarum historiarum exempla, non aliud reperies qvàm talem Dei praxin: *ut cui Deus beneficia offert, ne respuat; cui labores injungit, ne pigretur: aut oblatis & speratis excidat.* Mons enim Garizim & Hebal vicini sibi sunt: unde populo Dei & benedictio denuntiatur & maledictio, secundùm cujusqve opera, Deut. 27.

5 Legat qvis omnes Drabicii Visiones, clarissimè patebit summam totius illius; cum

cum Racociana Domo, negotii hanc fuisse. *Nolo Ego Terræ Dominator humani Generis Confusiones spectare diutiùs, reformabo totum orbem, initiò facto à Christianis meis; repurgatâ totâ mea Ecclesiâ à spurcitia Vitæ, superstitiosis Cultibus, & ab atroci illa mihíqve abominabili Idolomania. Cujus repurgationis initium fieri volo in Hungaria, per Te Transylvaniæ Princeps, illius ope quem tibi protectorem dedi, Turca; ut subsistere neqveant qvi resistere volent. Huic ergò Tu consilium meum detege, sub illiúsqve scuto age quod mando: & dabo præmii loco Tibi Coronam Hungariæ.* Illi *autem Evangelii lucem, ad congregandum in unum Ecclesiæ meæ Ovile jam tandem Gentes omnes, glorificandúmqve Nomen meum super totam Terram.* Additis in contrarium minis, etiam terribili istâ (Revel. 31, p. 4) *Excisum iri de Domo ejus mingentem ad parietem. Væ autem fore Hungariæ, piscaturos in sangvine filios suos: si causam dederint ut alios consilii sui exseqvutores adducat DEus, longinqvas Gentes*, &c. &c. Qvæ sic in notitiam deducta fuerunt *Georgio Racoci seniori*; sed ille horum nihil egit, nihil etiam filiis significavit, omnia manu suâ exussit. Illo mortuô, detecta hæc fuêre filio *Sigismundo*: nihil egit. A [illegible]rte iterum hujus, fratri ejus, *Georgio secundo*: nihil & ille, contraria potiùs [illegible]. Prohibitus enim (ab oraculo) Polonicam affectare Coronam, affecta[illegible] [illegible]rohibitus in Poloniam cum Exercitu ire, ivit: præmonitus ne à Turca oc[illegible] consilia, occultavit. Monitus ut Domi ageret, non egit &c. *Ecqvid ergò [illegible] Deus quod se facturum minatus est, fecit?* Prorsus secundùm id qvod apud [illegible]em Prophetam ipse Deus testatur: *Qvæsivi de iis Virum, qvi sepem opponeret [illegible]rà hac, ne dissiparem eam, & non inveni. Effudi ergò super eos indignationem [illegible] in igne iræ meæ consumsi eos. Viam eorum reddidi in capus eorum.* (Ezech. 22, [illegible]).

[illegible]is ergò jam non servatæ fidei arguet Deum, aut nuntium ejus? Prorsus [illegible]re Deus vult Mundo (etiam hoc illustri, tametsi tristi exemplo) *se cum [illegible] purum esse, cum perverso autem perverti* (Psal. 18. 27) Nec frustra monitos esse Christianos *studere, ut vocationem & electionem suam faciant firmam* (2 Pet. 1, 10): frustráqve promissionis Verba accipi, verbis mandati neglectis. Tametsi Angelus proximus Deo sis, si tamen dependentiam non servabis, peribis. Et qvod magis, *Christus filium se esse Dei scivit, & tamen oravit, pugnavit, cum clamore valido & lacrymis, apud eum qvi servare se potuit, institit* (Heb. 5, 7, 8). Et tu securè homo, qvia te ad vitam (aut hoc vel illud) electum esse tibi persvasisti, qvicqvid facies custodiendum te tamen Virtute Dei confides? & nisi promissa præstiterit Deus, non veracem clamabis? Ah, aliter promissa Dei intelligere, illísqve niti disce, qvi seduci non vis: non à DEO, sed à teipso. Potiùs ergò è rebus ita constitutis concludamus, *Drabicii Revelationes super Veteres Divinas Revelationes commentarii loco esse habendas*; qvàm ut iis deceptorium aliqvid tribuamus. Ego certè, qvi hæc scribo, *tantò magis inde salutem meam cum timore & tremore operari disco.*

7 Si cui obloqvi libeat, *Cur ergò Deus homines facere jubet qvod non facturos scit?* is consulat Augustinum, copiosè de eo (Lib. II. *de Peccatorum meritis & remissione*, cap. 16.)

tu noluisti : Math. 23. 37. Redditqve mutabilitatis id genus causam Deus ipse apud Ieremiam cap. 18 : & apud Drabicium Revel. 290.

2 Non ergò simpliciter accipi possunt verba Mosis, Deut. 18. 21, 22: *acsi qvicqvid non impletum fuerit mox pseudoprophetam arguat, occidendúmqve demonstret.* Alioqvi & Ionas fuisset mactandus, qvum non eveniret qvod prædixerat. Et Nathanem ut pseudoprophetam exsecrari debuissent Davidis posteri, qvi vana eos æternaturæ dignitatis Regiæ spe implevisset, 2 Sam. 7. ℣. 12, 13, 16. At hoc non fecit *Ethan* propheta: horruit potiùs, Deúmqve laudavit: judiciorum ejus profunditatem piè admiratus Psalmo 89. Qvidni similis nos modestia, talísqve humilis & sanctus (ad Deum qvâcunqve parte datur justificandum) zelus, potiùs qvàm impatientia & murmur, deceant?

3 Ad qvid ergò canonem illum (*de agnoscendo ex non eventu non-propheta*) dedit Deus? dicet qvispiam. R. *Si Verba plenè & accuratè inspiciantur, aliud sonant qvàm sonare putantur.* Dicit enim, si RES qvæ prædicitur NEC ERIT, NEC EVENERIT: q.d. (1) *qva nec unqvam fiet*, (2) *nec ullo modo* (3) *nec ulla interveniente conditione.* Nam alioqvi (1) *qvod qvid à Deo denunciatum non factum est heri, fieri poterit cras*: ut factum cum Ninive, non cùm pœnitentiam ageret, sed cùm in peccata relapsa, pereunte. (2) *Qvod non impletur secundùm literam ad sensum nostrum, impletur secundùm spiritum, ad mentem Dei*: ut de filii Davidis, Messiæ, æterno prorsus Regno. (3) *Qvod non factum est conditione mutatâ, futurum prorsus erat conditione non mutatâ.* Ut Ninive si perseverassat peccare, periisset: sed qvia vitam mutavit, mutavit & Deus perdendi eam propositum (Videatur Ier. 18. 6-10) Ad hæc si attendamus, certum est Divinas prophetias nec olim ad literam, & absolutè, impletas omnes, nec impleri hodie: indéqve tot modernorum Iudæorum deliria super τὸ ῥητὸν Scripturarum fundata: sicut & tot Christianorum errores. *Possúntqve causæ non deesse Deo, cur densiora præstare velit exempla hoc ævo, ubi homines nimis temerè cum Deo agunt, agendo qva agere prohibiti, & non agendo qva agere jussi: inobseqvii tamen sui culpam in Deum* (tacitè licet) *rejicientes* (cur sibi aliam non dedisset mentem, aut alias subministrasset occasiones, vel auxilia &c.): *aut rursum prætextu fiducia in Deum ignaviæ sese dedentes, & ut sibi dormientibus bona veniant expectantes.*

4 *Ad speciem veniendo, sunt qvi offenduntur Racociis tribus (Patri, Filio, Fratri) Coronam Hungariæ promissam, nulli datam.* Resp. Omnibus promittebatur sub conditione, qvam cùm nullus eorum amplecti voluit, nullus promissum accepit: *qvid hic insolens?* Impone oculis perspicilia (fidei, & rationis sanæ) qvisqvis es! Lege omnia mandata & promissa Dei, omniáqve in Scripturis comprehensarum historiarum exempla, non aliud reperies qvàm talem Dei praxin: *ut cui Deus beneficia offert, ne respuat; cui labores injungit, ne pigretur: aut oblatis & speratis excidat.* Mons enim Garizim & Hebal vicini sibi sunt: unde populo Dei & benedictio denuntiatur & maledictio, secundùm cujusqve opera, Deut. 27.

5 Legat qvis omnes Drabicii Visiones, clarissimè patebit summam totius illius;

cum

cum Racociana Domo, negotii hanc fuisse. *Nolo Ego Terræ Dominator humani Generis Confusiones spectare diutiùs, reformabo totum orbem, initiò facto à Christianis meis; repurgatâ totâ mea Ecclesiâ à spurcitia Vitæ, superstitiosis Cultibus, & ab atroci illa mihíqve abominabili Idolomania. Cujus repurgationis initium fieri volo in Hungaria, per Te Transylvaniæ Princeps, illius ope qvem tibi protectorem dedi, Turca; ut subsistere neqveant qvi resistere volent. Huic ergò Tu consilium meum detege, sub illiúsqve scuto age qvod mando: & dabo præmii loco Tibi Coronam Hungariæ.* Illi *autem Evangelii lucem, ad congregandum in unum Ecclesiæ meæ Ovile jam tandem Gentes omnes, glorificandúmqve Nomen meum super totam Terram.* Additis in contrarium minis, etiam terribili istâ (Revel. 31, p. 4) *Excisum iri de Domo ejus mingentem ad parietem. Væ autem fore Hungariæ, piscaturos in sangvine filios suos: si causam dederint ut alios consilii sui exseqvutores adducat DEus, longinqvas Gentes*, &c. &c. Qvæ sic in notitiam deducta fuerunt *Georgio Racoci seniori*; sed ille horum nihil egit, nihil etiam filiis significavit, omnia manu suâ exussit. Illo mortuô, detecta hæc fuêre filio *Sigismundo*: nihil egit. A morte iterum hujus, fratri ejus, *Georgio secundo*: nihil & ille, contraria potiùs omnia. Prohibitus enim (ab oraculo) Polonicam affectare Coronam, affectavit: prohibitus in Poloniam cum Exercitu ire, ivit: præmonitus ne à Turca occultaret consilia, occultavit. Monitus ut Domi ageret, non egit &c. *Ecqvid ergò mirum si Deus qvod se facturum minatus est, fecit?* Prorsus secundùm id qvod apud Ezechielem Prophetam ipse Deus testatur: *Qvæsivi de iis Virum, qvi sepem opponeret pro Terrâ hac, ne dissiparem eam, & non inveni. Effudi ergò super eos indignationem meam, & in igne iræ meæ consumsi eos. Viam eorum reddidi in caput eorum.* (Ezech. 22, 30. 31.).

6 Qvis ergò jam non servatæ fidei arguet Deum, aut nuntium ejus? Prorsus constare Deus vult Mundo (etiam hoc illustri, tametsi tristi exemplo) *se cum puro purum esse, cum perverso autem perverti* (Psal. 18. 27) Nec frustra monitos esse Christianos *studere, ut vocationem & electionem suam faciant firmam* (2 Pet. 1, 10): frustráqve promissionis Verba accipi, verbis mandati neglectis. Tametsi Angelus proximus Deo sis, si tamen dependentiam non servabis, peribis. Et qvod magis, *Christus filium se esse Dei scivit, & tamen oravit, pugnavit, cum clamore valido & lacrymis, apud eum qui servare se potuit, institit* (Heb. 5, 7, 8). Et tu secure homo, qvia te ad vitam (aut hoc vel illud) electum esse tibi persvasisti, qvicqvid facies custodiendum te tamen Virtute Dei confides? & nisi promissa præstiterit Deus, non veracem clamabis? Ah, aliter promissa Dei intelligere, illísqve niti disce, qvi seduci non vis: non à DEO, sed à teipso. Potiùs ergò è rebus ita constitutis concludamus, *Drabicii Revelationes super Veteres Divinas Revelationes commentarii loco esse habendas*; qvàm ut iis deceptorium aliqvid tribuamus. Ego certè, qvi hæc scribo, *tantò magis inde salutem meam cum timore & tremore operari disco.*

7 Si cui obloqvi libeat, *Cur ergò Deus homines facere jubet qvod non facturos scit?* is consulat Augustinum, copiosè de eo (Lib. II. *de Peccatorum meritis & remissione*, cap. 16.)

cap. 16.) differentem. Summa est: *Qvando Deus aliqvid homines facere jubet, & illi non faciunt, res tamen nihilominus procedit, ut magis pateat cujus opus sit. Eâqve occasione alia peccata in illis immorigeris ut puniantur: aliis verò hominibus exempla pœnæ, in obdurantes se adversus Deum, in oculis ponantur: homines denique Deo potiùs quàm hominibus, aut sibi ipsis, morem gerere discant.* Qvô & fine adversus Consiliarios Racociorum tot apud Drabicium comminationes reperiuntur, ut ad alios homines documento sint. Qvemadmodum exstat in Revel. nuperrima (8 Mart.) his verbis: *Ubi sunt aspernantes jussa mea, Rex Sveciæ & Racoci, cum Consiliariis & Exercitibus suis? Timete ergò me Vos reliqvi, locum meum in Mundo & Ecclesia tenentes* &c.

8 De Cæsare Leopoldo scrupulus restat: *Annon undecimus Imperator de Domo Austriaca sit* (continuâ descendentium serie ab Alberto I)? *qvum non nisi decem futuros Drabicianum Oraculum pronunciârit.* De qvo cùm loqvi trepidem, peto mihi hos è Scriptura solvi nodos.

I *Qvomodo Saul electus à Deo Rex dicatur* (1 Sam. 10. 14) *cùm alibi negetur à Deo electus?* (Os. 13. 11).

II *Qvomodo idem dicatur à Domino mox rursum rejectus, ut non regnârit nisi biennio* (1 Sam. 13. 1) *qvi tamen regnavit annis 40?* (Act. 13. 21).

III *Qvomodo Saule rejecto, Davidéqve in immediatum Successorem uncto, Isboseth Saulis filius 7 adhuc annis regnavit?* (2 Sam. cap. 2, 3, 4) qvi tamen postea in Regum serie nusqvam invenitur, aut memoratur.

IV *Cur in genealogia Christi* (Matt. 1. ℣. 8) *tres continuò Reges de posteris David* (Ochozias, Joas, Amacias, licet annis supra 60 regnârint) *prorsus omittantur?* Annon qvia ex filia Achabi, cum tota Domo sua ad exstirpandum devoti, prognati erant? Deúsqve Zelotes, qvi se ulturum iniqvitates patrum usqve in tertiam vel qvartam progeniem minatus est (Ex. 20. 5.) tale conspicuum exstare voluit exemplum?

9 *Respondeatur inqvam ad ista: & tunc an aliqvid hic etiam responderi possit videbitur.* Hoc interim observandum est, dictum fuisse jam ante electionem Leopoldi (26 Martii, 1658): *Si non eligent Regem meum, in cinerem redigetur Germania.* Peractâ autem electione: (10 Augusti) *Dissensio facta est in Imperio electione illius, quam ego rejeci: ideò rejicientur ipsi qvoqve. Nam ignem meum injecit Germaniæ Gallus cum Sveco, cadéntqve de soliis qvi sibi sine me jus eligendi vendicarunt, frustra contra electum à me furiati.* Qvæ vox an illius sit qvi dicit, *Per me Reges regnant* (Prov. 8. 15) Item: *Ipsi Reges constituunt, at non ex me; Principes præficiunt, qvos non agnosco* (Os. 8. 4) tempus docebit. Certè ipsis etiam Politicis ominosum, & vacillantis Imperii præludium, visum fuit, qvòd *mox ab ejus coronatione inter qvædam Imperii capita cum Regibus exteris* (in præjudicium Capitis novi) *Fœdus initum fuit solemniter: illô se omni qvidem vi opponente, frustra tamen.* Tutissimum tamen fuerit hæc Divinæ committere providentiæ: qvæ finibus suis excidere non poterit, nec in errore perpetuò (circa hæc etiam) suos relinqvere. Nostrum interim erit nunc etiam constanter (uti semper) orare pro Regibus, *& omnibus in sublimitate constitutis, ut sub ipsis qvietam & tranqvillam vitam agamus in omni pietate* (1 Tim. 2. 2)

10 Loqvi

10 Posset addi, *Jehu Regi promissum fuisse, filios suos ad qvartam generationem sessuros super thronum Israël* (2Reg. 10. 30.) Et tamen sederunt qvinqve. 1 Jehu, 2 Ioachaz, 3 Ioas, 4 Ieroboam, 5 Zacharias. Si qvis *hunc non regnasse nisi menses sex*, dicat: Resp. Regnavit tamen. Et Saulis filius Isboseth annis licet regnârit 7, non numeratur tamen. Sed loqvi de his talibus *redolere scio crimen læsæ Majestatis, humana tamen: non loqvi jubente Deo, Divina*. Hinc Daniel summo Orbis Monarchæ, Nabuchodonosori, terribilia explicaturus fata sua, *obstupuit horâ unâ:* resumto tamen animô explicuit, *consilium simul dans iram praveniendi ultimam*. (Dan. 4. ℣. 16, 22, 24.) Imitabimur, huc deducti: Omnibusqve, qvos terribilium modernorum Oraculorum fulmina inprimis petere videntur, salutaria consilia (eorundem Oraculorum ductu) submissè ac reverenter impertiemur.

11 Summa ergò responsi ad Vaticinia non impleta est. Primò, *si prædictiones fuerunt conditionata, & conditio non impleta, nihil concludi*. Secundò, *si aliqvid nondum impletum est, impleri verò possibilitas non deest, seqvendam esse Dei regulam*, Habac. 2. 3. Tertiò, *si qvid impleri jam non potest* (ut particularibus qvibusdam personis hoc vel illud particulariter promissum, cujus illi vitâ jam exemti compotes fieri neqveunt) *tum cogitandum est Prophetam de suo aliqvid ausum, qvod non suum fuisse eventu ostendit Deus*. Prophetæ enim homines sunt, errori, affectui, similibusqve nævis, æqvè cum aliis obnoxii: qvos prophetiæ Spiritus ideò non semper tollit, ut donum Dei in luteis vasis evidentius fiat. Atqve tum humanum illud scoria est, qvâ divinæ lucis aurum non perit, licet ad tempus obscuretur. Atqve tali casu omninò *separandum est pretiosum à vili*, qvemadmodum mandat Deus. Jer. 15. 19. Ludibriosi ergò sunt, qvi qvicqvid Prophetiæ dono pollenti vel obiter ore excidit arripiunt, & cum illis qvæ solemniter nomine Dei prolata sunt permiscent; ut alia per alia, & tandem omnia, suspicionibus involvant.

12 Præterea, attendendum est *Omnes divinas Prophetias habere multum caliginis, respectu lucis suo tempore illi ab eventibus ventura:* ut Petrus Apostolus innuit epist. 2. cap. 1. ℣. 19. Hinc Deus etiam consolans populum suum per prophetas, dicitur *Deus absconditus*, seu *abdens se* (Jes. 45. 15). Hinc & Irenæus *Omnem prophetiam ænigma esse* dixit: Theologiqve causas cur semper ferè obscurè concipiantur, reddere annisi sunt. Nempe 1 *Ut Prophetia sit, non historia.* 2 *Ut ne hominibus in agendo auferatur arbitrii libertas* (qvod Deus non vult, qvia ex homine facere non hominem non vult). 3 *Ut ne aut curiosi reddamur, aut securi:* qvorum utrumqve ingratum est Deo, qvi nos circa opera Providentiæ suæ attentos qvidem, modestos tamen & humiles, reqvirit. Nec certè Divinarum prophetiarum scopus est Curiositatis ministrare pabula, sed materiam terrorum ad pœnitentiam; & fomenta spei ad solatia in Deo: circumstantiis (personarum, locorum, temporum, & particularium eventuum) aut prorsus silentio, aut ambiguitate, involutis.

13 *Non ergò minutia qvavis arripienda sunt in prophetiis, sed cardines ipsi rectè observandi & tenendi: Nec tam spectanda media, qvàm Scopus.* (Media enim variare, aut vacillare, aut etiam mutari, solent, scopo immotô.) Aut si media etiam determi

terminari præcisè videntur, observanda tamen est duplex illa regula. 1 *Dei spirales etiam lineæ satis rectæ sunt.* 2 *Deus agit per contraria* (1 Samuelis 2. ✠. 6, 7, 8). Utriusqve exempla è Scripturis innumera possunt ostendi. Exemp. gr. per qvam mirabiles ambages Joseph ad præostensum mox in pueritia gloriæ fastigium, tandem perductus fuerit: totúsqve populus Israel ad per secula promissitatam terræ Canaan possessionem: & qvod plus est, Christus ipse per tot labyrinthos, contentiones, cruces, mortes, ad æternum regnum suum. Qvod dum non attendebant Judæi, videndo etiam videntes, & audiendo audientes ipsum Christum, nihil in ipso nisi tenebras & scandala invenerunt, & hucusqve infideles omnes: ipsi etiam in multis mysteriis Christianorum illi, qvi externam tantùm rerum & verborum superficiem in Scripturis arripere adsueverunt. Unde ipsa Christianorum Fides qvàm confusa! dum tamen ad Scripturas (apertè reclamare audente nemine) provocent omnes.

14 *Ergò si nostra hæc Divina sunt, characterem divinum retineant necesse est: non curiositatem humanam titillando, sed mentibus terrorem Numinis inferendo.* Et per conseqvens, *non qvævis minutia hic carpendæ sunt, sed grandia illa et firma, qvæ nuntiat Deus, attendenda* (Ier. 33. 3.) Nec à qvibusvis labyrinthis pavescendum, sed in aviis etiam via circum spectanda, exitùsqve sperandus. In nostris tamen, si recta lance rem pensamus, nihil adeò penitus à meta sua aberravit, procedunt ad scopos suos omnia; tametsi per interjectas remoras retardari videantur. Qvid enim sibi semper hactenus in majus auctæ Regnorum collisiones volunt? qvid contra hoc Dei opus passim susceptæ, nec usqvam satis prosperantes, machinationes? qvid interea illa Meretricis, *Sedeo Regina & luctum non videbo*, jubila & exaltationes? qvid piorum (non aliter ac ad ipsum mare rubrum montium faucibus & abysso interclusorum Israelitarum) trepidationes? qvid & tot Cœlo Terraqve edita ostenta? Tametsi enim profani hæc etiam rideant, Deus tamen dum prophetas homines audire nauseamus, ligna & lapides, Cometasqve & terribilia qvævis ostenta, concionari jubet.

15 *Ad objectos Vitæ nævos responsum est priùs, Appendice* I (pag. 481. 5.) *Exaggerari eos ultra verum.* 2 *Sic etiam non scelera esse, sed nævos.* 3 *Subesse posse causam, cur ad talia talem elegerit Deus, svavissimò mysteriò.* Nempe non obstituram misericordiæ Dei, ultimò in genus Humanum effundendæ, ullam indignitatem nostram: sicut ex allegatis ibi locis (qvibus Mich. 7. ✠. 18, 19, & similia innumera, addi possunt) patet. Sed & hoc cogitandum, *Aliud esse Dei de hominibus judicium, qvàm nostrum est, qvi externa tantùm spectamus: Dei enim oculi respiciunt intima hominis, fidem & veritatem* (Ier. 5. 3.) Qvid ergò si in Drabitio virtutes prævaleant vitiis? præsertim Virtutes verè virtutes, qvas non potest non amare Deus? ut sunt *Fides Deo, & Obedientia mendatorum ejus.* Ego certè in Drabicio video Deum reperisse, qvod vix in aliqvo nostrûm reperiret (examinet seipsum qvisqve, ego meam fragilitatem agnosco & confiteor): tantam dico in his tam à sensuum judicio remotis fidem, tantam ad hæc loqvendum, scribendum, & qvicqvid jussus est faciendum, Obedientiam, tantamquè in tantis contradictionibus, adeóqve eventuum

tuum etiam contrarietatibus, constantiam. In summa, judicium Dei non fallit: nostrum fallere potest. Memoribus ergò nobis Apostolicæ regulæ vivere convenit, *Non esse judicandum ante tempus, donec veniat Dominus, qvi illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium* (1 Cor. 4. 5.)

16 *Perjurii suspicio eò palliatur* 1 *Qvod aliàs etiam observatus sit levioribus in rebus, falsitatis convictus non erubuisse.* 2. *Qvod pejerandi videatur habuisse causas: tum metum amittendi lucri (h.e. beneficiorum illi à qvibusdam piis exhiberi captorum): tum svavitatem famæ, qvam sibi jam comparasse putat.* Responderi verò potest ad primum: si qvid tale in rebus vilioribus observatum est (testimonium tamen unius sufficit ne huc?) ad res tam severè actas non satis tutò trahi posse. Ad secundum: *Conjecturam, qvid in ulla re esse possit, non posse concludere id etiam esse.* Nec tamen utrumqve illud (lucellum & fama) tanti ponderis sunt, ut tam terribili maledictioni opposita æqvivalere, nedum præponderare, possint, vel in levissimo homine: tantum abest, ut id Viro in tantam scenam protracto, & seni, mortem certam terribiléqve judicium in prospectu habenti, conveniat.

17 Ultimum, qvod Veterinus (cum aliis) Drabicio virulenter objicit, est *sangvinarius animus, & qvod se Bellorum flabellum faciens, inqve Imperatoriam Domum populos concitans, crimen læsæ Majestatis admittat.* Sed respondeo, 1 Nihil novum talia Prophetis objici. 1 *Reg.* 18. 17. *Am.* 7. 10. Imò Christus ipse ut seditiosus accusatus fuit, Luc. 23. 5. Nolunt homines intelligere ultimum intentionis Dei in Mundo reformando zelum, & erga illos qvi obsistunt (& tot seculis pertinaciter obstiterunt) severitatem. Vidi ego Drabicii lacrymas, vidit Deus meas, ab horrore furoris Dei in Babylonios (Deo se nullo modo subdere volentes) effusas; tergiversatosqve fuisse nos ob animi horrorem, illum scribere, me transferre, alios conscios publicare hæc. Sed prævaluit qvi non tacere, sed in Mundi notitiam hæc deducere, cöegit, cooperans ipse, sermonesqve hoc confirmans subseqventibus signis; dum loqvi hæc & scribere prohibentes abstulit, & aufert, obseqviosos autem suos inter lapidantium, & Crucifige Crucifige clamantium, strepitus hactenus servavit Deus Opusqve ipsum hîc annuntiatum, invitis etiam illis ipsis qvi obsistunt, procedit. Qvid enim? *Gentium illa adversus invicem concitationes, semperqve furiosiùs flammescentia bella, an in Libri hujus gratiam fiunt? Qvotusqvisqve est, cui de illo aliqvid innotuit? Et qvibus innotuit, an illi fidem habent? Et si qvi reperiuntur qvi timidè admittunt, qvis eorum qvidqvam secundùm hæc egit?* Tantundem prorsus qvantum Jether Gedeonis filius, captivos duos Reges interficere jussus: qvi ne gladium qvidem eduxit præ metu, qvia puer adhuc erat (Jud. 8. 20.) Nullæ ergò turbæ Mundi per hunc Librum excitatæ sunt, nec adhuc: licet prædicta hîc procedant. *Qvis ergò ista facit?* Qvis nisi cælestis ille Gedeon, qvi qvod alios jubet, & illi non faciunt, ipse facit (Ibid. ℣. 21.) Ille ipse dico Dominus, cujus judicia procedere necesse est, sive homines agere illa jussi agant, sive non. Cujus in corde ultionis dies destinatus, annusqve retributionis, qvando venit, si circumspectanti non est auxiliator, ipsum suum brachium eum salvat, ipsa indignatio sua sibi auxiliatur &c. (Jes. 63. 4, 5.)

18 Si cui nihilominus instare placet, *Bellicum canere non convenire Ministro Verbi, non redolere spiritum Christi*: respondendum est, *Extraordinaria Dei Opera non habere mensuram ordinariam Legem.* Ad qvam enim Dei legem referemus, qvod Agagum, cujus vitæ Saul pepercerat, Samuel dissecuit? qvòd Elias pseudoprophetas non tantùm occidi mandavit, sed jugulavit ipsemet? 1 Reg. 18. 40. Et qvod Elizeus unum è filiis prophetarum ad Iehu mittens totam Domini sui Domum occidione occidere jussit? 2Reg. 9. 7. Tota res eò redit, *ut An qvod nomine Dei mandatur revera opus Dei sit, cum timore & tremore circumspiciatur.* Nam si est, frustra cum propheta litigatur: cum illo negotium erit, cui resisti non potest. Et qvi *qvicqvid facit ideò facit, ut homines faciem ejus timeant*, Eccles. 3. 14.

19 Qvem scopum Dei homines intelligere nolle, tot qverelas in hoc Libro legere est, ostenditqve res ipsa. Deum enim per atrocia hæc judicia, & terribiles Mundo confusiones immissas, Confusionum in Mundo omnium abolitionem intendere (ut Ordo ubiqve restitui possit) perpetua hîc est protestatio; ratioqve ipsa dictat, qvia exorbitant omnes, concastigandos esse omnes: Homines tamen ut in partes distracti sunt, ita intentionem hanc distrahunt, omniaqve mandata & prohibita, promissiones & minas, non nisi partialiter intelligendo, sibi tantùm qvæqve pars servire vult omnia hæc, non aliis. Si non serviunt, injurias, blasphemias, seditionem, phantastica ludibria, diabolicosqve furores, clamitando.

20 Ex omnibus ergò hucusqve objectis non alia seqvi potest conclusio, qvàm I *Gamalielis consilium esse seqvendum*, h. e. Ab homine isto abstinendum, illumqve faciendum missum: qvoniam si opus hoc ex hominibus est, dissolvetur: si ex Deo, dissolvi non potest, nos autem reperiemur pugnare cum Deo (Act. 5. 38. 39). II *Traditum semel Deo judicium solenniter (ceu Ecclesia totius nomine) retrahi sine sacrilegio non posse*: sed Omniscii illius de his omninò expectandum esse testimonium, finaléqve judicium. *Eventu enim tandem, num propheta fuerit in medio nostri, patebit, qvemadmodum* apud Ezechielem loqvitur Deus (cap. 2. 5): & apud Drabicium, *dubitationi tunc non fore locum* (Rev. 238. 5). Et qvid æqviùs, dum termini tam breves positi (annus 1665 & 1666) jam sint in foribus? Imò dum & fieri terribilia incipiunt? Qvis enim universalem Gentium commotionem, qvalis post hominum memoriam non fuit, non videt? qvis panicum inter homines terrorem, ab expectatione eorum qve ventura sunt, non sentit? In medione plagarum Ægypti adhuc, *An Moses eas prænuntians à Deo missus sit*, qværendum?

21 Si neqve his malorum initiis alicui acqviescere, sed plena omnium complementa expectare placet, sit pars ejus cum obdurato Pharaone: Deus tam obduratis qvalia dare soleat signa, legatur apud Jesaiam cap. 8. ✠. 21, 22. *Talia nempe à qvibus non expectatis, sed protervè contemtis, nihilominus tamen venientibus, in rabiem acti maledicant Regi suo, & Deo suo, nihil in Cœlo & terra præter tribulationes, & tenebras, & angustias, & caligines perseqventium sese*, videntes. Sicut & in Rakociana Domo irrisoribus prodigia expectantibus dictum fuit: *Non alia habituros præter fulgura & tonitrua Orientis, emittentis sagittas suas* (Rev. 162, 6, 7.): qvæ annon experti?

APPEN-

APPENDIX IV.

Judicium de Libro LUX IN TENEBRIS duorum Theologorum Anglorum.

[Animus erat ad clausulam venire, nihilqve nisi *de Revelationum istarum pio usu* monere aliqvid. Sed qvia postqvam hucusqve prelum processerat, à transmarinis amicis submissum fuit de iisdem Revelationibus, qvorundam verè piorum Virorum accuratè formatum Judicium, placuit illud hic inseri, spe boni usus.]

JUDICIUM PRIORIS.

QVamvis ex certissimis credam argumentis, ac satis persuasum habeam, *Verbum Dei, qvod Scripturis v. & Novi Instrumenti continetur, Normam esse, qvæ ad Fidem formandam, moresqve dirigendos abundè sufficiat; & qvâ perfectus reddi potest vir Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus*: (2 *Tim.* 3: 16. 17.) Haud tamen hinc ausim concludere, Revelationes omnes donaqve Prophetica cum Apostolorum seculo expirasse prorsus, suosqve tunc temporis habuisse terminos.

Esto enim qvòd ex Satanæ tum Malitiâ tum Astutiâ præjudiciis oneretur non parvis verissima hæc Thesis (nam istud effecit Diabolus per impuros illos antiqvos Montanistas, uti & hucusqve efficit per Enthusiastas hodiernos, errones illos qvibus cerebra sunt fomitis instar, ad errorum scintillas statim concipiendas proclivia.) Jehova tamen, qvi dilectione æterna suos diligit, & qvi residuum Spiritus Prophetici adhuc habet, se minimè ἀμάρτυρον hâc ipsâ in re fieri passus est; qvum ex suis ipsius servis, ancillisqve aliqvos excitaverit, qvos donis Propheticis veris ac genuinis replevit; qvi futura, verè qvidem piis in solatium, impiis vero, atqve verbi operumqve Dei contemtoribus in convictionem & terrorem, in istis etiam ultimis Ecclesiæ seculis prædixerunt, ac nota fecerunt.

Ut qvàm plurimos taceam, qui in Historiis Ecclesiasticis ac Martyrologiis, nonnullos item qvi singulis jam inde ab Apostolorum tempore Centuriis recenseri solent; nuper mihi occurrit, nec infaustâ sanè providentiâ, *Exulum trium, Cotteri, Christinæ, ac Drabicii, Revelationum volumen*; qvod à viro illo pio, reverendo, aceruditissimo J. A. C. qvi constantiæ in Christi causâ vivum se exhibuit exemplar, Latinitate donatum est politissima. Qvas qvidem Revelationes seriò mihi perlectas, animum induco ut credam nec à Satanâ nec ab ullâ causâ naturali (corporis puta, aut animi intemperie) fuisse profectas; sed ab eo solo, qvi secreta sua servis suis Prophetis revelat. Amos. 3. 7.

Argumenta qvæ mibi fidem faciunt hæc sunt, & similia.

I.

Personarum qvalitas, h. e. Cotteri, Christinæ, Drabicii, qvi ad hoc opus illustre sunt adhibiti, & qvibus ut Organis suis uti placuit Deo, ad has Prophetias Revelationes qve efferendas; qvorum singulos, satis mihi patet, gratiâ præditos salvificâ, zeloqve

 gloriæ

gloriæ Dei promovendæ accensos fuisse; ut pote qvi Patriâ suâ migrare, cunctisque solatiis externis orbari maluerant, qvam temporariam retinere peccati fruitionem. (*Heb.* 11. 25.) Arbitrari autem non possum Dominum Jesum, qvi tentationis tempore à se servatum iri promisit eos, qvi sermonem tolerantiæ ipsius observaverint, ac retinuerint firmiter, velle populum Reformatum, precibus Deum ἀδιαλείπτως solicitantem, nec non extrema omnia veritatis asserendæ ergo patientem, usqve adeò derelinqvere; ut illum ipsum Populum Spiritui suo ipsius Sancto, suisqve Sanctis Angelis tribuere patiatur illud, qvod foret reverâ, vel propriorum duntaxat Spirituum ἐνέργεια, vel qvod ab illo per delusionem suggestum fuerit Spiritu, qvi in hominibus solùm contumacibus, non autem in iis, qvi ex Deo sunt geniti, imperium agit atque ἐνεργεῖ. Conferatur Eph. 2. 2. cum 1 Joh. 5. 18.

II.

Materiâ harum Prophetiarum seriò mihi pensitatâ, in iis nihil reperire potui, qvod Scripturæ Sacræ, & Ecclesiarum optimè reformatarum Confessionibus, haud sit consentaneum. In magnis scilicet illis Thesibus & Doctrinis fundamentalibus, qvæ habentur de S S. Trinitate, de Electione, Redemptione, Vocatione, Justificatione, & Sanctificatione. Addi potest & Harmonia, qvam tenent cum unoqvoqve mentis maximè sobriæ ac perspicacis interprete, in iis nempe locis Danielis & Apocalypseos enodandis, ubi de Antichristi ruinâ, deqve Jesu Christi Regni ampliatione futura præcipuè agitur. Sed & hoc me adhuc confirmatiorem reddit, qvod hæ Revelationes dogmatibus Papisticis, Socinianis, Familisticis, &c. antipathiâ qvâdam adversantur. Item, quòd earum plurimæ verè Spirituales sunt; aptæque ad affectus Spirituales Spiritualibus (si de aliis, ex iis qvæ in meipso sum expertus, judicare licet) penitus imprimendos. His igitur omnibus in unum collatis argumentis, qvid obstat, qvò minùs hisce Propheticis majus qviddam in esse, qvàm delusiones Diabolicas, aut Hypochondriacorum phantasias, convincamur?

III.

Longior esse possem in aliis Probationibus tractandis ex Modo, quo hæ prophetiæ fuerint revelatæ, desumptis: qvarum præcipuæ sunt Christinæ ἐκστάσεις, Mors & Resurrectio, qvam mortem, ut & ἐκστάσεις plurimas, ut prædixerat Videns ipsa, ita sunt attestati testes fide digni αὐτόπται non pauci.

His accedunt Stili Majestas, Sanctitas, Perspicuitas & Simplicitas, omnium trium Harmonia & Scopus, & peractum prædictorum qvorundam insignium, futurorum verè contingentium, complementum. Minimè verò prætereundum est qvòd è medio hostium rabiosissimorum, sibiqve infestissimorum, erepti fuerint, ac conservati Videntes prædicti, nec minus eorum fautores pii. Ecqvis autem digitum Dei non agnoscat in momentaneâ, planeqve miraculosâ, Adami Pohli Cottero amici ad integram sanitatem, postqvam lecto per totum sesqviennium affixus jacuisset, restitutione? (Hist. Revelat. pag. 29. 30. Cap. 10.)

Ducat nos Jehova in omnem veritatem, cœlestique suo regno paratos sistat! Amen.

Hæc ex animo scripsi T. J.

Scripsi

Scripsit autem hæc amicus, qvum nec dum Epitomen & Historiæ Revelat. continuationem vidisset, imò qvum nec *Lux in Tenebris*, nec *Historia Revelaionum* ad manum ei esset: quippe quos Codices perlectos ad me (20 miliarium spacio à se habitantem) remiserat. Nec ei copiam eorundem ampliùs facere poteram, qvamvis bina utriusqve exemplaria mihi essent ab amico dono data: aliò enim utraque commodaveram.

Nactus autem ego continuationis Historiæ Revelationum exemplaria duo, unà cum Appendice τῆς Ἐυτοπῆς, quæ Revelationes insigniores Anno superiore 1663. Drabicio factas complectitur, exemplarium alterum cum Appendice ad ipsum hunc Amicum misi, quo tempore de Turcarum ac Tartarorum rebus in Hungaria gestis fama primùm apud nos percrebescebat. Eo fine, ut siquid huic suo judicio ad me paulò ante scripto addere liberet, materia minus deesset.

Ille, quoniam per id tempus quartanâ laborabat febri, nec non molestiæ, simul ac discriminis non parum, illi jam fuerat aliunde ortum rescripsit, *Obtestari se universos Religionis Reformatæ Professores, ne amplius de rebus hisce judicium suum præcipitare velint, definitivam pronunciando ante tempus sententiam: sed vel jam tandem qviescere & à tumultuando desistere: Qvandoqvidem nemo amplius qvod à superstite adhuc Vidente aut à Revelationum Editore, jure requiri possit, habet aut habiturus est. Divino potius judicio hæc omnia captum humanum excedentia permittere, Denique resipiscere, vigilare, & orare, ut digni reperiantur quibus, dum excandescentia Iehovæ in impios effundetur, parcatur. &c.*

Benignum hoc amici viri spectatissimæ pietatis suffragium longè antè hac misissem nisi alterius amici, nec minus pii, sed valetudinarii testimonium expectassem. Qvod qvidem vernaculo sermone (raptim, ut is ipse qverebatur, scriptum) ineunte Martio, ego aliqvot post dies ut cunqve transtuli, mittere autem nolebam anteqvam versionem vidisset Author: id qvòd Maji 4. factum currentis hujus anni 1664.

II.

Judicium alterius Amici, ad Amicum.

Præfatiuncula.

QVominus ad Te citiùs scriberem aut mitterem, Amice charissime, præter expectationem aliud ex alio sæpiuscule impedivit. Placuit enim Domino Deo meo exercitatum, me afflictumqve, detineri corpore imbecilli & valetudinario, qvò mihi animam non parùm degravari sentio: maximè verò dum invalescentibus intus naturæ depravatæ reliqviis, foris autem simul tentationibus violentiùs infestantibus, deorsum incurvatur mihi animula, pulveriqve adhærescit. Sed hoc mihi solatio est, *Sapientissimum Deum, qvid nobis optimum sit, nosse: eundemqve amantissimum nostri patrem pessima qvæqve in optima nobis futura conversurum.* Divinæ voluntati patienter nos submittere, cruces (hoc est valetudinis dispendium, reiqve familiaris jacturam) ferendo opus est, qvòd in cœlum admissi operari ampliùs non habebimus. Æqvum est igitur, ut dum in statione ista terrena sumus, istud ipsum aliqvandiu operari

operari non gravemur. Atqvi, ut cum judicio conveniat adfectibus, efficere, regulisqve Theologiæ practicæ, qvas verissimas esse credimus & profitemur, operam dare seriam, rem esse perdifficilem experimur. Ahqvam proclives sumus mortales ad cruces nobis impositas per Conspicilla (species visibiles ampliantia, aut multiplicantia) intuendum! cùm Dei innos collata beneficia modo prorsus contrario aspiciamus. Qvam verum comperimus illud Beati Lutheri, viri in rebus adversis exercitatissimi, apophthegma! *Ubi una guttula mali, ibi mare beneficiorum Dei.* Eò tamen morositatis propendemus omnes, ut unicâ cruce leviculâ inqvietari potiùs, qvàm pro beneficiorum mole in nos cumulatorum, alacrem & obseqviosam gratitudinem testatam facere, soleamus.

Revelationum Cottero, Christinæ, ac Drabicio factarum Epitomen diligenter evolvi; nec non eruditissimi pientissimiqve Comenii Historiæ Revelationum Continuationem perlegi. Indeqve me convictum ac πεπεισμένον reddi sentio, qvòd hæc talia revera extiterunt, qvòdqve originem planè Divinam prædictiones ejusmodi sapiunt. Convinci inqvam mihi videor, qvantum qvis de re hujusmodi convinci possit: cui nondum apposuit Deus sigillum illud magnum, prædictorum summi momenti complementum.

2. Extitisse ab Apostolorum seculo hucusqve haud opinor altioris generis opus; eò qvòd vividum secum Spiritus Sancti characterem adferat, qvodqve proximè post Scripturas Canonicas, multis ac realibus miraculis, stupendis atqve verè ἐκπληκτικοῖς, aliisqve animum percellentis Providentiæ operibus, confirmatum fuerit. Qvæ omnia scopo ac fini prædictionum maximè insignium, qvas apud horum singulos Videntium videre est, ad amussim respondent. Neqve validis solùm ego convictus evado argumentis, sed & persuasione intimâ (qvam à Spiritu Sancto profectam spero) ex eo tempore, quo Revelationes hasce primùm legi, ductus sum, ut nec figmenta humana, nec præstigias Diabolicas esse credam. Adeò, ut etiamsi ad judicium meum convincendum plurima me deficerent (qvæ tamen minimè deficiunt, sed indies abundant potiùs) ego nihilominùs tamen hæc parvi pendere non ausim, nedum blasphemiis conspurcare. Judicare enim aliter non possum, qvin peccato in Spiritum Sanctum, irremissibili illi, obnoxius futurus sit, qvisqvis apud conscientiam suam penitus persuasum habeat, veritatem qvamlibet à Deo profectam existere, qvam tamen ille, unà cum circumstantiis ejusdem maximè notandis, authori Satanæ tribuere non vereatur.

3. Theologos legi non paucos, eosqve ex probatissimis, qvos reperire mihi licuit, qvi de S. Scripturarum Authoritate scripserunt; eorumque argumenta videor mihi aliqvantulùm trutinasse: neque asserere metuo, *plurimas ex illis ipsis probationibus jure applicari posse, ad harum Revelationum veritatem, Originemqve Divinam astruendam.* Non qvòd istas S. Scripturis exæqvem, etiamsi profectò nihil magis (Scripturis Canonicis solummodo exceptis) reverear. Nimirum, qvum ex omnibus, qvi mihi unqvam occurrerunt in abstrusiora, & maximè profunda Verbi Divini Mysteria, commentarii, hos compererim summè luculentos; méqve magis ac meliùs hisce legendis affici experiar, qvàm qvibuslibet reliquis, quæ vulgò circumferuntur, scriptis. Obstrictum igitur meipsum censui, ut de illarum veritate ac præstantiâ testimonium meum in medium conferrem; planeqve in animum induxi meum, dandam

dam

dam mihi esse operam (qvatenus secundum Christianæ prudentiæ regulas me teneri sentio) ut hæc Dei Magnalia iis præsertim innotescant, qui ad boni & mali discretionem sensus habeant exercitatos (Heb. 5: 14.) successu Domino Deo relicto: quem ego spero, termino sibi præstituto oculos suis suo ipsius testimonio maximè publico penitus aperturum.

4. Sequuntur Argumenta, quibus ego credere coactus sum Revelationes supra dictas, neqve deliria aut Figmenta humana; neque præstigias Diabolicas, sed verè sanctas Jehovæ Ἀποκαλύψεις esse, ad Mundum somnolentum, veternôqve suo peccatorum stertentem, pleniùs expergefaciendum, cœlitus patefactas: ut parati adsint mortales in occursum ire Deo, qvi ad cœlum & terram concutiendum, ad eaqve stabilienda qvæ prorsus ἀσάλευτα sunt futura, jamjam descensurus est: & qvidni dicamus jam descendisse?

Argumentum I.

5. *Credere neqvaqvam possum materiam adeò Divinam & cœlestem ab hominibus aut Dæmonibus expromi posse, nedum excogitari. Noluerunt Boni*, imò neqviverunt, eò tam horrendæ peccandi impudentiæ progredi, ut pro Divinis prædictionibus, sua ipsorum aut aliena mundo obtrunderent figmenta. *Neqviverunt & Mali* rivulos effundere tam limpidos. *Sublimiora sunt hæc, qvàm qvæ stultus assequatur; Sanctiora, qvam qvæ veræ qvis expers pietatis sapiat; magis cœlestia, qvam qvæ homo prorsus animalis, & terrenis adfectibus indulgens, capiat.* Nec Dœmonum qvisqvam partûs tam Sancti pater unqvam exstitit: Soboles talis talem nullatenus refert progenitorem.

6. Esto, qvod Diabolus sit Spiritus plurimâ versutiâ atqve intelligentiâ abundans; esto qvòd S. Scripturas mirum in modum & cognoscat, & simiæ in morem imitari studeat: veritatum tamen piorum animos fervore tam sancto afficientium enunciator esse neqvivit. Neqvivit & suis (nisi serpentinâ suâ planè exutâ naturâ) seipsum petere spiculis; strenuéqve suum ipsius regnum subvertere, atqve labefactare. Dissideret enim adversus Satanam Satan, si talium prædictionum author esset; obnixeque operam daret ut pessundetur Antichristus; ut vis & potentia Peccati, qvod Mundum totum occupavit, confringatur; ut effulminatis in impios Dei judiciis, impii ab impiis suis operibus & studiis absterreantur; ut extollatur solus Dominus Jesus, peccatoribus acriter instigatis, ut se in fissuris rupis illius seculorum abscondant, Christiqve meritis, propriâ suâ justitiâ abnegatâ, innitantur plenè & acqviescant. Nec minus conaretur infensissimus Scripturarum hostis Scripturas ipsas magnifacere: dum hominibus earum lectionem assiduam passim inculcet, eosqve ad Scripturas studiose scrutandas exstimulet, atqve ad opera quæ Scripturæ præcipiunt, tenerâ ducente conscientiâ peragenda, incitet &c. Postremò, iste Fratrum accusator in Sanctorum Dei veri servorûm consolatorem sese immutaret: suavissimas enumerando promissiones ex Verbo Dei depromptas, quibus Sancti in tentationibus animentur, stabiliantur, refocillentur. Horum autem nihil fieri potest, ut pote qvod sit naturæ Satanicæ omnino contrarium.

7. Mihi verò qvem in finem ista faceret nullatenus liqvet; etiamsi concedatur (qvod tamen non concedendum.) posse Satanam, venenosâ suâ ad tempus sepositâ naturâ, Angelum agere gloriosum. Qvoniam si scripturas S. consuluerimus, priscos illos Pseudoprophetas à magno isto animarum seductore actos, res ab his longè diversas

protulisse comperiemus: adeò inqvam diversas, ut Lux à tenebris differt, cœlum à terrâ distat. Dato igitur, qvod concedi qvidam volunt, posse Satanam ornamentis undiqve speciosis se tam ἐυσχημόνως vestire, fucatasqve suas imposturas tanqvam θεόπνευςτα venditare: mirum tamen jure videri debet, cur antiqvorum Prophetarum tempore istud nunqvam fuerit aggressus: qvum ei technis suis miseros deludere multò facilius factu esset, qvàm nunc dierum esse potest: qvandoqvidem munus Propheticum vulgare qviddam tunc temporis haberetur, Prophetæqvè existerent bene multi: ideoqve major hominum pars seductioni magis esset obnoxia, qvàm hodierno piè eruditorum feraci seculo pleriqve sumus.

8. An verò Diabolus unquam hujus rei specimen ullum edidit? Consulamus V. T. Scripturas. Annon singulas sive prophetias, sive prædictiones tum à Satanâ, tum ab organis ejus prolatas, qvod ad naturam earum attinet, prophanas, impias, legiqve Divinæ maximè repugnantes, fuisse comperiemus? Qvod ad finem verò, qvid aliud fuêre, nisi fraudes meræ, ad obesæ naris popello egregiè imponendum expositæ; id qvod suo malo fuerunt experti, qvicunqve istis temerè imbibitis, vitam suam ad normam instituerunt adeo fallacem. Thren. cap. 2, 14. *Prophetæ tui vident tibi vanum & insulsum, nec* RETEGUNT INIQVITATEM *tuam ad avertendum captivitatem tuam, sed tibi vident onerosas Prophetias rerum* VANARUM, *& ad depulsionem spectantium.* Ezech. cap. 22. v. 25, *Conjuratio Prophetarum ejus est in medio ejus, similes sunt leoni rugienti prædanti prædam*, ANIMAS COMEDUNT, *robur & res præciosas capiunt*, VIDUAS *ejus multiplicant in medio ejus.* v. 28. *Prophetæ verò ejus obducunt eis ineptum tectorium, videntes vanitatem & divinantes eis mendacium, dicentes sic ait Iehova, qvum Iehova non est loqvutus.* Jer. cap. 23. 26. 27. *Sunt Prophetæ doli animi sui, qvi putant se facturos ut obliviscatur populus meus* NOMINIS MEI, *per somnia sua qvæ enarrant qvisqve amico suo; qvemadmodum obliti fuerant patres eorum nominis mei per Babalem. Propheta ille penes qvem somnium est enarret somnium, & penes qvem est verbum meum, enarret verbum meum verè: qvid isti paleæ cum tritico, dictum Iehovæ.* Esaiæ 9. 15. 16. *Phropheta docens falsitatem est cauda. Qvòd fuerint ductores populi hujus seductores, & qvi ducuntur in eo, obtecti.* (In versione Anglica, Are destroyed, *pereunt.*)

9. Illud igitur Christi Servatoris nostri argumentum, qvô se probat dæmonia per dæmona qvemlibet ejicere non solere, (propterea qvod, si per Satanam ejiceretur Satan, Satanas utiqve ipse adversus sese dissideret, nec consistere valeret regnum ejus) hoc inqvam argumentum me credere vehementer cogit, Revelationes hujuscemodi Diabolicas non esse; qvippe qvæ laqveos Satanæ detegunt ac dolos, qvæ ψευδαδιδασκάλοις & seductoribus, organis illis & machinis Satanæ imprimis usitatis, larvam detrahunt, qvæ mancipiorum ejus statum & conditionem miserabilem, planeqve deplorandam, ad vivum depingunt; qvæ magno Satanæ vicario P. ruinam prænunciant: qvæ deniqve Mundanis suadent erronibus, ut relictis & omissis minimè vividis & insipidis humanitus adinventis formulis, ac traditionibus (qvæ regni Antichristiani & Satanici columnæ fuerunt semper præcipuæ) Deum colant secundùm instituta solummodo Divina: hæc omnia, inqvam, mihi fundamento sunt, qvo firmiter credam Materiam talem ex Inferis haudqvaqvam fuisse eructatam, qvam Satanas omnium primus pressam & sepultam proculdubio vellet, tantùm abest ut luci cuperet expositam, nedum exponendam curaret.

Argu-

Argumentum II.

10. *Humanas aut Diabolicas origine has Revelationes credere neqveo, dum qvales fuerint qvi in organa sunt adhibiti, qvibus magnalia hæc mundo impertirentur, accuratiùs paulò perpendo.* Ab impia enim fallendi machinatione fuisse immunes, cuivis satis manifestum redditum est ex ipsorum perpessionibus, Christianæ veritatis asserendæ ergò subitis, qvibus se *Papistis sanguinariis opposuerunt*: patriâ nempe suâ extorres facti, Euangelii causâ possessionibus ac facultatibus suis spoliati. Veritatum autem adeò sublimium atqve profundarum mysteria, qvæ Revelationes cujusqve complectuntur, confingere neqvaqvam potuerunt. Non Cotterus, qvum fuerit homo simplex, scribendi & (ni fallor) legendi, qvum primum munere hoc extraordinario fungi cogeretur, prorsus ignarus. Non Christina virguncula, qvæ qvum *ἐκστάσεις* primùm patiebatur annum decimum septimum non excesserat, in gynæceis tantùm educata, non in Theologorum Scholis. Non deniqve Drabicius, etiamsi V. D. minister esset, non tamen ingenio ita solerti ditatus, ut fabricam tam præstantem Revelationum concinnaret.

11. Me igitur non parum reddit confirmatum, quæ tot ac tantas ærumnas propter Christum perpessi, à Deo sibi fuisse accepta constanter sunt protestati (usqve ad extremum spiritum Cott. & Christina, Drabicius hucusqve, jurejurando etiam) hæc à propriò neutiqvam fuisse cerebello excogitata. Neqve sua qvævis, aut aliena minimè Divina, divulgandi gratiâ homines Dei verè timentes, periculis undiqve expectandis se voluisse facere obnoxios: præsertim, qvum ista capessentibus ne minima qvidem boni secularis (scilicet nec existimationem ampliandi, nec divitias aut voluptates acqvirendi) spes affulgere poterat. Ideoqve ad hunc scopum collimare neqvibant ii, qvi propter sibi factas Revelationes vulgatas phanatici, & lymphatici passim audiebant, calumniisqve atrocissimis undiqve onerabantur. Non voluptatem captandi, sc. mundanam aut carnalem: qvum sese hominum neqvissimis, sanguinisqve piorum vehementissime sitientibus, munere hoc suo fungendo perpetuò exponerent; iisqve agendis, qvæ carni ac sanguini sunt ingratissima occuparentur. Deniqve non divitias acqvirendi: num enim utilitatis aliqvid se consecuturos sperarent, qvibus omnino contrarium qviddam esset expectandum? Erant enim qvibus Revelationes hæ solatia subministrabant pauperes pleriqve, Mundo contemptui atqve odio habiti. Erant è contrario, à qvibus se ditatum iri sperandum esset (si fuisset ipsis animus lucro inhians) mundi qvidem Magnates, sed qvos minæ illæ terribiles Revelationum pars amarissima, ac proinde ingratissima, petebant. Satis igitur patet horum Trium neminem confingere aut simulare talia sive potuisse, sive voluisse.

12. *Sed neqve patet à Satanâ non fuisse actos.* Qvid enim arbitrabimur, & statuemus, aliqvid adeò philanthropiæ Divinæ inconveniens, rationiqve sanæ dissentaneum? Nempe Deum permittere velle, ut Satanas probos, sinceros, afflictiones varias pro nomine Dei perpessos, ac perpetientes sanctos, in organa & vasa sibi adhiberet? qvi, qvicqvid malignus ille malignè fuisset machinatus, nomine Jehovæ agerent. Id qvè à Præstigiatore isto aut excitatis eorum vitiatis phantasiis, aut sub specie & formâ mutuatitiâ suis ipsius mendaciis, loco Oraculorum Dei animo ipsorum simplici & minùs sagaci ingestis. Istud verò mihi neqvaqvam videtur veri simile: præsertim

sertim recogitanti, qvantum temporis spacium, *per annos quadraginta octo*, Revelationes hujusmodi duraverint: perqve tres personas satis diversas enunciatæ fuerint.

13. Si concedatur, satanam posse semel qvidem aut iterum filium Dei qvendam eò dementiæ adigere, ut sua ipsius deliria, aut figmenta, profectosve à Dæmone qvopiam Enthusiasmos, pro Revelationibus verè Divinis venditaret (qvod tamen à nemine probari posse crediderim:) mihi tamen prorsus fit incredibile, licere Satanæ sanctum Dei quendam per decem aut viginti annos circumducere, illumqve sibi ut mancipium, per qvod qvæcunqve velit agat, detinere. Qvòd si fieri possit, ut unus aliqvis ita fascinaretur, judicare tamen non possum passurum fuisse Deum ut multis simul, iisqve pietate verâ insignissimis, adeò turpiter imponeretur. Qvanti fuerit apud quosdam momenti isthuc argumenti, nescio: apud me tamen paulo pensiculatiùs varia S. Scripturæ loca ruminantem, (ut 1 Joh. 5:18. Joh. 16:13. &c.) non parum valet.

Argumentum III.

14. *Credere non possum, qvòd Spiritus Sanctus Dei fictum qvippiam sive homuncionis cerebello prognatum, sive à Dæmone per delusionem suggestum, efficaciâ aliqvâ Sanctâ comitari, atqve cohonestare, velit.* Annon si cui re συνεργεῖν dignatus fuerit S. Sanctus satis liqvidò constat suum ipsius qviddam esse? Nec enim commentis Satanicis, nec evanidis læsæ phantasiæ deliriis, Spiritus S. sigillum suum sibi maximè proprium solet apponere. Apposuisse autem hisce Revelationibus, easque gratiâ & consolatione Divinâ cohonestasse, non obscurè constat, ex svavitatibus illis sanctis, qvibus perfusæ fuerunt animæ qvorundam, qvi communione cum Deo nec mediocri nec vulgari perfruebantur, dum istis Dei eloqviis vel sibi accipiendis, vel aliis impertiendis, feliciter occuparentur. Narrat Hist. Rev. pag. 18. & pluribus qvidem verbis eruditus ille atqve pius Comenius, qvàm sanctè animus sibi afficeretur, cogitationibus ac gaudiis sanctis atqve cœlestibus qvotidie impletus, dum per dies sexdecim visionibus Cotterianis è Lingua Germanicâ in Bohemicam transferendis, tam fructuosam sibi & Ecclesiæ navaret operam; *Ut mihi*, inqvit, *vix ullam vitæ partem sanctiùs transegisse videar.* Cujus ego sententiæ calculum & meum addo, planéqve judico, isthæc talia cujus libet animam gratiâ salvificâ præditam (qvi modò præjudiciis semotis legerit) sanctis cogitationibus, propositis, &c. affectura. Ecqvis igitur, cui sana mens est, credere potest sui arbitrii esse, animum suum sibi suaviùs ac sanctiùs affectum reddere, ac unqvam *in totâ vitâ* fuerit affectus? Aut qvum talia legenti & meditanti hos excitaverit Spiritus Sanctus affectus, ea tamen ipsa, qvæ qvis legerit & fuerit meditatus, ex Spiritu sancto non esse? Qvæ duo dogmata qvi teneant, & sua faciant, non video, qvi prædictiones hujusmodi hominibus aut Dæmonibus authoribus adscribunt.

15. Ad me autem convincendum, quòd hæ Revelationes cœlitùs sint missæ, æqué ἀναντίῤῥητον est hoc argumentum, ac si externâ quâvis supernaturali ac planè miraculosâ demonstratione fuissent confirmatæ. Externa miracula (fateor) in oculos incredulis faciliùs incurrunt, & ad Mundum convincendum præcipuè sunt apodictica: Sed internum illud Sp. Sancti opus Sanctum, qvo ex injectis animo qvibusdam veritatis Divinæ scintillis, cor erga Deum ἀνυπομονήτως inflammetur, animæ piæ

piæ, qvæ Spiritualium hujusmodi fruitionum subjectum proprium existit, convictio fit efficacissima. Comperiet, qvisqvis ad Gal. 3. v. 2. judicio adhibito legerit, Apostolum probare, qvòd Euangelium, non autem Lex Mosaica abolita, qvæ vulgò Ceremonialis dicitur, sit lex illa Christi immotè salutifera, ex eo qvòd ex fide per auditum percepta, ex audito Evangelio Sp. Sanctum acceperant Galatæ.

Argumentum IV.

16. *Incredibile mihi videtur gratiosum & φιλάνθρωπον Deum, qvi Ecclesiam suam tali dilectione, quali filium suum æternum diligit, amplectitur, pati velle ut Ecclesias suas afflictissimas (per totos 47. annos) simulato ficto qve Prophetiæ dono Satanas, ejusqve organa, deluderent; Deo ipso, per tantum temporis spacium, tam abominandæ imposturæ authores neqve judiciis suis aggrediente, neqve maximi momenti prædictionibus insigni aliqvo providentiæ suæ opere adversante. Quorum neutrum reverà factum est.* Nam è contrario, videntes ipsi (qvorum operâ usus est Deus ad prædictiones Mundo patefaciendas) in ipso Leonum antro penè, aut prorsus, miraculosè conservati, eorum qve fautores pii calamitatibus publicis aut ingruentibus aut grassantibus simili item modo divinitus custoditi, fuerunt. Exemplo sit, Miraculosa *Adami Pobl* liberatio &c. Nec minus constat *Deum providentiæ suæ eventibus prædictiones* (ut ita dicam) *cardinales confirmasse potius qvam confutasse, magisqve indies confirmatum ire.* Quid igitur ad hæc dicemus? Tantáne cum severitate in Nadab, & Abihu propter alienum ignem coram Deo oblatum, non ex altari Dei sed aliunde desumptum, animadversum est? Supplicio mortis Pseudoprophetas afficiendos decernit Deus, Deut. 18. 20. Ecclesiæ Thyatirensi, permittendi ut pseudo Prophetissa doceret & seduceret, tam graviter succensuit? Apoc. 2. 20. Qvi fit igitur ut tam diu videntes istos modernos conservare dignatus sit? suoqve providentiæ exitu satis crebro prædictionibus eorum testimonium suum perhibere, & corda filiis ac servis suis Revelationes legentibus sanctè ac svaviter afficere, non gravetur? Nec tamen post illorum preces qvam plurimas, ad se summè misericordem & omniscium fusas, ut si qvid subsit imposturæ detegere ac patefacere velit, ista sibi displicere ostendat? Post omnia deniqve adhibita, quæ adhiberi possunt ac debent media, se favere potius qvàm indignari Prophetis & Propheticis hisce non subindicaverit modò, sed & demonstrare jam incipiat?

17. *Ex Deo sunt igitur* indubiè: alioqvin sapientissimus Deus Ecclesiæqve suæ amantissimus, longè antehac se talia pro suis neqvaqvam agnoscere declarasset. *Numqvid Princeps bonus ac prudens ferre valet, si qvi nomine suo leges, quibus subditi sibi deludantur, confinxerint? Annon suppliciis debitis afficiendos imprimis curabit? Ut pro certo sciant subditi audaculos ejusmodi protervos impostores esse?* An igitur suspicari audebimus Christiani, Regem & patrem Ecclesiæ mendaciis iis favere & patrocinari velle, qvæ nomine qvidem ipsius fuerint emissa, reverà tamen à vermiculis mortalibus conficta, aut adjuvante promovente Satanâ, hoste Deo nunqvam reconciliando, in vulgum dispersa? Deo ipso ad ista tam diu tacente, nec authorum technas, nec materiæ originem, detegente?

Argumentum V.

18. *Theologi, cæteriqve Eruditi rationis sanæ principiis adhærentes, quibuscunqve mihi sermonem habere, eorumve scripta pervolvere contigit, negant ore uno, qvemqvam futura contingentia, quorum causæ non in rerum natura sed in voluntate solummodo Divina existunt, præscire aut prædicere posse, nisi Deus ipse, aut qvi dono aliqvo Prophetico speciatim sunt ornati.* Jehova autem in Verbo suo veracissimo peculiarem hanc sibi vendicat

 præ-

prærogativam, *Esaiæ, cap.* 41. 23: *Indicate quæ eventura sunt in posterum, ut cognoscamus vos esse Deos.* Annon igitur cœcutiunt volentes, ultroqve altercari amant ii, qvi futura contingentia qvamplurima, qvæ intellectûs humani (imò & Angelici) captum superant, hisce Revelationibus inesse prædicta negaverint? *Numquis inficias ibit quod sint futura contingentia hæc quæ sequuntur, & similia? Prædictio motuum & Belli Germanici, imò Belli cujusdam universalis, cum adhuc tota Germania & Bohemia* (ne dicam tota Europa, totusqve fere Terrarum orbis) *in pacatissimo essent statu, nec Bellum suspicaretur qvisqvam? Turcarum & Tartarorum ad initium Bestiæ perdendæ faciendum conjunctio?* Turcarum in specie res gestæ: Regionum qvarundam vastatio horrenda futura? Domus Racocianæ ruina, & per eam Hungariæ calamitates inferendæ miserabiles: Totius deniqve Terrarum orbis commotio atqve tumultuatio universalis &c. Annon hæc omnia, cum plurimis id genus aliis, futura contingentia jure videri debent?

Argumentum VI.

19. *Qui solus præscire & prædicere potest Deus, is ipse res à se prædictas solus* [illegible] *exitum deducere potest. Exactissimum igitur rerum aliqvot prænunciata*[illegible] *tum, non exceptis ipsarum circumstantiis insignioribus, annon Revela*[illegible] *guit planè Divinam? An non & ostendit Videntium singulos servos* [illegible] *legationem hanc in mundum extraordinariam obirent, demandatum* [illegible] Deus (ut inqvit Propheta, Esaias cap. 44. 25.) *Irrita facis signa* [illegible] vinis stultos efficit, reducens sapientes retrorsum, & scientiam eo[illegible] Sed verbum præstat sui servi, & consilium nunciorum suorum [illegible] Hananiâ pseudoprophetâ Jeremias cap. 28. 16. qvod prodixe[illegible] mus versu seqvente 17. *Ah qvam harum Revelationum veracita*[illegible] *totius Christiani orbis commotiones! Ah qvam veraces redduntur* [illegible] *plurimæ, de magnorum locorum vastitate miserandâ! Magnâtum item* [illegible] *tiones hasce non auscultando contempserunt, etiamsi per nuncium extraor*[illegible] *notitiam fuissent adducti!*

20. Qvamvis autem prædicta qvædam non fuerunt impleta, neqve ut im[illegible] unqvam futurum sit fortasse, prædictiones tamen ipsæ ne minimâ qvidem ex parte fallaces & incertæ censendæ sunt. Utpote qvæ sub conditionibus qvibusdam (tacitis saltem) fuerant prædictæ. Ideóqve non impletæ, qvia conditiones non præstiterunt ii, qvibus, ut hoc vel illud agerent, præceptum ac demandatum fuerat. Jam verò *tametsi indignum qvibusdam videatur à Deo proficisci, quæ sub conditione nostra (hominum) obedientiæ aut contumaciæ futura prædici dicuntur: mihi tamen nec mirum nec indignum videtur.* Qvippe qvum Deus mediis rationi rectæ non alienis Mundum regat, suasqve principiis rationi accommodatis creaturas, homines, ducat; Deoqve liceat utiqve leges conditionesqve instituere ab hominibus observandas; illis nempe, qvibus honoris plus secularis, bonorúmve secularium fruitionem largiorem, sub conditionibus qvibuscunqve pollicitus fuerit Deus. Æqve inqvam Deo licet isthæc instituere atqve ordinare, ut τὸ credere in Christum (hoc est ejus solius justitiæ inniti & acqviescere, propriâ cujusqve suâ justitiâ abnegatâ ac pro stercore ductâ) sit salutis æternæ adipiscendæ conditio. Homini quidem si liceret à suis Deum positis conditionibus suspendere, quid istuc esset nisi Deum Dei solio detrahere? *Cùm verò Deus suis hominem conditionibus obstringit, spondetqvè se eum ita tractaturum, & per eum acturum, prout homo conditiones legesve sibi à Deo præfixas præstiterit, nihil aliud est isthuc,*

nisi

nisi supremum suum jus in Creaturas suas manifestum facere. Tantum ab est, *ut hoc pacto gloriæ suæ, aut veracitati, Deus quicquam derogare dicatur.*

21. Repeto igitur, mihi minimè absurdum videri, ut clades illæ nisigniores quæ quibusdam [*nominatim Sueco ac Transylvano &c.*] acciderunt, propterea dicantur accidisse, quod conditiones sibi à Deo patefactas in ordine ad magna sibi Dei causâ agenda, magnaque à Deo vecissim recipienda, non observarunt. Eoque clades illas Revelationum harum veracitatem stabilire, haud secus ac si bona illis promissa observatis atque præstitis conditionibus, fuissent impleta. *Si enim æquum videtur omnibus, ut rerum bonarum quæ promissæ fuerint impletio signum sit prædictionis Divinæ; Cur non & æquum fuerit similiter, ut mala illa quæ conditionibus nequaquam præstitis, minatus atque exsequutus fuerit Omnipotens, signa sint ejusdem generis nihilo minora?*

Argumentum VII.

22. *Haud mediocriter me confirmatum reddit, mihique persuasum est, Prædictiones Cotterianas, Poniatovianas, & Drabicianas, verè Divinas esse, quòd suavissima sit Videntium* [illegible] *inter se Harmonia.* Qui etiamsi singuli patriâ diversi, suoque hoc munere [illegible]ordinario non eodem tempore functi, nec defuncti fuissent (Cotteri enim [illegible] inchoatæ sunt Anno 1616. finitæ. 1624. Virginis à mense Octobri Anni [illegible]rarunt ad Jan. 27. Anni 1629: Drabicii ab Anno 1638. hucusque) eundem [illegible] scopum principalem collimant omnes, eandem prorsus materiam princi[illegible] modo quidem diverso singuli, stylo tamen verè Prophetico quisque. [illegible] prædictiones maximè memorabiles confirmat: etiam quum posteriori [illegible]notesceret quid prænunciasset prior. Quod si non essent Divinæ prædi[illegible] non posset, quin inter tot ac tam varias per tantum temporis tractum, [illegible] 47, continuatas prædictiones eveniret aliquid cæteris omnino contra[illegible]. Credo igitur ea eodem Spiritu Sancto fuisse profectas. Quod argumen[illegible] Divinam S. Scripturarum authoritatem asserendam non est leve, cur in [illegible] negotio invalidum censeri debet?

Argumentum VIII.

23. *Accuratius mihi τὸ ψυχὴν considerandi, quò singulis Prophetis exhibitæ sint (ut & superstiti adhuc tertio exhibentur) Spiritum sanctum adeò redolentes Revelationes verè Divinas esse, facilius persuasu fuit.* Nempe quum populus Deo dilectus, Ecclesiæque Evangelicæ, in statu constituerentur admodum calamitoso. Quum sanguinis sui effusionem, aut exilium saltem, variique generis ærumnas, pati haberet quisquis conscientiam puram retinere studebat. Arbitrari autem non possum tali tempestate velle permittere Deum, ut populum suum sive homines sive dæmones, adeò turpiter & indignis benignitate suâ modis, ludificent. Quid enim fervescente undique persecutionis æstu majoris refrigerii instar Ecclesiæ Christi existeret, quam ut ipsi talia misericors Dominus impertiretur? Certe cum servis suis ita prorsus agere, Deo fuisse moris antiqui, Scripturas S. legentibus obvium est. *Tempora ergò quæ Revelationes exhibitas subsequuta sunt, unà cum præsenti rerum ubique ferè Gentium statu, fundamento mihi sunt credendi, Deum hæc servis suis Prophetis revelasse, Angelumque suum misisse, ut indicet servis suis quæ oporteret fieri* Citò. (Amos 3.7. Apoc. 22.6.)

Argumentum IX.

24. *De Divinâ Revelationum origine non parvum videtur mihi argumentum duci posse ex conscientiæ anxietate, & inquietudine (ut cæteras taceam castigationes Divinitus immissas) quæ viris sanè piis, judicioque ad boni & mali discretionem sagaci præditis, acciderunt.*

 (Et

prærogativam, *Esaiæ, cap.* 41. 23: *Indicate quæ eventura sunt in posterum, ut cognoscamus vos esse Deos.* Annon igitur cœcutiunt volentes, ultroqve altercari amant ii, qvi futura contingentia qvamplurima, qvæ intellectûs humani (imò & Angelici) captum superant, hisce Revelationibus inesse prædicta negaverint? *Numquid inficias ibit qvod sint futura contingentia hæc quæ sequuntur, & similia? Prædictio motuum & Belli Germanici, imò Belli cujusdam universalis, cum adhuc tota Germania & Bohemia* (ne dicam tota Europa, totusqve fere Terrarum orbis) *in pacatissimo essent statu, nec Bellum suspicaretur quisqvam? Turcarum & Tartarorum ad initium Bestiæ perdendæ faciendum conjunctio?* Turcarum in specie res gestæ: Regionum qvarundam vastatio horrenda futura? Domus Racocianæ ruina, & per eam Hungariæ calamitates inferendæ miserabiles: Totius deniqve Terrarum orbis commotio atqve tumultuatio universalis &c. Annon hæc omnia, cum plurimis id genus aliis, futura contingentia jure videri debent?

Argumentum VI.

19. *Qui solus præscire & prædicere potest Deus, is ipse res à se prædictas solus implere & in exitum deducere potest. Exactissimum igitur rerum aliqvot prænunciatarum complementum, non exceptis ipsarum circumstantiis insignioribus, annon Revelationum originem arguit planè Divinam? An non & ostendit Videntium singulos servos fuisse Dei, quibus ut legationem hanc in mundum extraordinariam obirent, demandatum fuit?* Qvandoqvidem Deus (ut inqvit Propheta, Esaias cap. 44. 25.) *Irrita facit signa mendacium*, & ex Divinis stultos efficit, reducens sapientes retrorsum, & scientiam eorum infatuans: v. 26. Sed verbum præstat sui servi, & consilium nunciorum suorum complet &c. Et de Hananiâ pseudoprophetâ Jeremias cap. 28. 16. qvod prodixerat, impletum legimus versu seqvente 17. *Ah qvam harum Revelationum veracitatem evincunt tumultuosæ totius Christiani orbis commotiones! Ah qvam veraces redduntur ex his prædictionibus plurimæ, de magnorum locorum vastitate miserandâ! Magnâtum item exitio, qui Revelationes hasce non auscultando contempserunt, etiamsi per nuncium extraordinarium in earum notitiam fuissent adducti!*

20. Qvamvis autem prædicta qvædam non fuerunt impleta, neqve ut impleantur unqvam futurum sit fortasse, prædictiones tamen ipsæ ne minimâ qvidem ex parte fallaces & incertæ censendæ sunt. Utpote qvæ sub conditionibus qvibusdam (tacitis saltem) fuerant prædictæ. Ideóqve non impletæ, qvia conditiones non præstiterunt ii, qvibus, ut hoc vel illud agerent, præceptum ac demandatum fuerat. Jam verò *tametsi indignum qvibusdam videatur à Deo proficisci, quæ sub conditione nostræ (hominum) obedientiæ aut contumaciæ futura prædici dicuntur: mihi tamen nec mirum nec indignum videtur.* Qvippe qvum Deus mediis rationi rectæ non alienis Mundum regat, suasqve principiis rationi accommodatis creaturas, homines, ducat; Deoqve liceat utiqve leges conditionesqve instituere ab hominibus observandas: illis nempe, qvibus honoris plus secularis, bonorúmve secularium fruitionem largiorem, sub conditionibus qvibuscunqve pollicitus fuerit Deus. Æqve inqvam Deo licet isthæc instituere atqve ordinare, ut τὸ credere in Christum (hoc est ejus solius justitiæ inniti & acqviescere, propriâ cujusqve suâ justitiâ abnegatâ ac pro stercore ductâ) sit salutis æternæ adipiscendæ conditio. Homini quidem si liceret à suis Deum positis conditionibus suspendere, quid istuc esset nisi Deum Dei solio detrahere? *Cùm verò Deus suis hominem conditionibus obstringit, spondetqvé se eum ita tractaturum, & per eum acturum, prout homo conditiones legesve sibi à Deo præfixas præstiterit, nihil aliud est isthuc,*

nisi

nisi supremum suum jus in Creaturas suas manifestum facere. Tantum ab est, *ut hoc pacto gloriæ suæ, aut veracitati, Deus qvicqvam derogare dicatur.*

21. Repeto igitur, mihi minimè absurdum videri, ut clades illæ nisigniores qvæ qvibusdam [*nominatim Sueco ac Transylvano* &c.] acciderunt, propterea dicantur accidisse, qvod conditiones sibi à Deo patefactas in ordine ad magna sibi Dei causâ agenda, magnaqve à Deo vicissim recipienda, non observarunt. Eôqve clades illas Revelationum harum veracitatem stabilire, haud secus ac si bona illis promissa observatis atqve præstitis conditionibus, fuissent impleta. *Si enim æqvum videtur omnibus, ut rerum bonarum qvæ promissæ fuerunt impletio signum sit prædictionis Divinæ; Cur non & æqvum fuerit similiter, ut mala illa qvæ conditionibus neqvaqvam præstitis, minatus atqve exseqvutus fuerit Omnipotens, signa sint ejusdem generis nihilo minora?*

Argumentum VII.

22. *Haud mediocriter me confirmatum reddit, mihiqve persuasum est, Prædictiones Cotterianas, Poniatovianas, & Drabicianas, verè Divinas esse, qvòd suavissima sit Videntium omnium inter se Harmonia.* Qvi etiamsi singuli patriâ diversi, suóqve hoc munere extraordinario non eodem tempore functi, nec defuncti fuissent (Cotteri enim visiones nichoatæ sunt Anno 1616. finitæ. 1624. Virginis à mense Octobri Anni 1627. durarunt ad Jan. 27. Anni 1629: Drabicii ab Anno 1638. hucusqve) eundem tamen ad scopum principalem collimant omnes, eandem prorsus materiam principalem tractant: modo qvidem diverso singuli, stylo tamen verè Prophetico qvisqve. Aliusqve aliûs prædictiones maximè memorabiles confirmat: etiam qvum posteriori nondum innotesceret qvid prænunciasset prior. Qvod si non essent Divinæ prædictiones, fieri non posset, qvin inter tot ac tam varias per tantum temporis tractum, nempe annos 47, continuatas prædictiones eveniret aliqvid cæteris omnino contradictorium. Credo igitur ex eodem Spiritu Sancto fuisse profectas. Qvod argumentum si ad Divinam S. Scripturarum authoritatem asserendam non est leve, cur in præsenti negotio invalidum censeri debet?

Argumentum VIII.

23. *Accuratius mihi τὸν καιρὸν consideranti, qvo singulis Prophetis exhibitæ sunt (ut & superstiti adhuc tertio exhibentur) Spiritum sanctum adeò redolentes Revelationes verè Divinas esse, facilius persuasus fui.* Nempe qvum populus Deo dilectus, Ecclesiæqve Evangelicæ, in statu constituerentur admodum calamitoso. Qvum sanguinis sui effusionem, aut exilium saltem, variiqve generis ærumnas, pati haberet qvisqvis conscientiam puram retinere studebat. Arbitrari autem non possum tali tempestate velle permittere Deum, ut populum suum sive homines sive dæmones, adeò turpiter & indignis benignitate suâ modis, ludificent. Qvid enim fervescente undiqve persecutionis æstu majoris refrigerii instar Ecclesiæ Christi existeret, qvam ut ipsi talia misericors Dominus impertiretur? Certè cum servis suis ita prorsus agere, Deo fuisse moris antiqvi, Scripturas S. legentibus obvium est. *Tempora ergò qvæ Revelationes exhibitas subseqvutæ sunt, unà cum præsenti rerum ubiqve ferè Gentium statu, fundamento mihi sunt credendi, Deum hæc servis suis Prophetis revelasse, Angelumqve suum misisse, ut indicet servis suis qvæ oporteret fieri* CITÒ. (Amos 3.7. Apoc. 22.6.)

Argumentum IX.

24. *De Divinâ Revelationum origine non parvum videtur mihi argumentum duci posse ex conscientiæ anxietate, & inqvietudine (ut cæteras taceam castigationes Divinitus immissas) qvæ viris sanè piis, judicióqve ad boni & mali discretionem sagaci præditis, acciderunt.*

(Et

(Et qvidem post preces ad [illegible] ardenter diuqve fusas, ut scrupuli sibi omnes adimerentur, undeqvid ipsis indubiè faciendum esset certiores fierent) *propterea quòd Revelationes palam facere ac vulgare jussi, differrent ac tergiversarentur.* Qvid Jeremiæ atqve Jonæ tergiversantibus acciderit, legimus Jer. 20. 9. & Jonæ 1. An verò & Satanæ non minùs ac Deo licere statuendum est, sive conscientiam inqvietare, sive corpus molestiâ afficere pio cuidam (qvi tamen suspiriis ac lachrymis Consilium ac manuductionem flagitaturus ad Deum confugerit) propterea, qvòd mandata exeqvi Diaboli; ejusqve insidiosum qvoddam vaframentum aut stratagema, promovere detrectet, atqve procrastinet? Annon mos est Deo perpetuus populi sui preces exaudire? iisqve in casu qvovis difficili ac perplexo viam, qvò se extricare possint modo, commonstrare? Sibiqve obseqventes animo ut sint tranqvillo efficere? An igitur suspicari fas est, nolle misericordem Deum post preces explorationesqve factas bene multas servos suos exaudire, edocere, atqve iis conscientiam pacatam & sedatam reddere? Sed è contrario velle permittere, ut Satanas ipsos vexatos, anxiosqve tamdiu detineret, qvòd præstigiarum omnium pessimam, qvas unqvam humano generi obtrusisset Satan, in lucem produxissent?

Argumentum X.

25. *Qvòd Revelationes [illegible] [illegible] habeam, [illegible] [illegible], non humanitus confictas, nec Diabolicas, sed verè Divinas esse?* Nam si ab homine qvovis fuissent confictæ, annon verisimile futurum, ut vir ille cui tam sagax est ingenium (qvod ostendunt Opera ab eo varii generis scripta) cum experientiâ diuturnâ & lectione multiplici conjunctum, fallaciam facilè deprehenderet? Qvòd si & Diabolicæ fuissent, annon facile gnarus erat Diabolus minimè idoneum esse hunc, cui suum qvoddam adulterinum concrederet? Non potuit non præsentire Satan, illum & precibus ardenter & freqventer fusis, & acerrimâ inqvisitione factâ, daturum operam ut fraus palam fieret toti Ecclesiæ ac Mundo, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], ut figmenta dæmonis cujusdam vulgando, atqve defendendo, insidias in Ecclesiam molienti Satanæ tam indignum in modum inserviret. Credo ego potius è contrario firmiter, Deum opus suum ipsius quoddam admirabile per ipsum esse operatum, ejusqve animo instillasse, ut ora contradicentibus qvibusvis obturare possit, ne excusationi locus non sit relictus Mundo, qvi Dei vocem in prædictoribus hisce prolatam contemptui & dispicatui habet.

Argumentum XI.

26. *[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].* Ab hisce [illegible] pauci idcirco, qvòd revelationes tam Sanctas aspernari, in easqve tam acerbè invecti sunt. Id qvod historiam Revelationum legenti tam clarum fiet, ut solis radio scriptum potuerit videri. Scimus autem solitum fuisse Deum antiqvitus iis manifestò succensere, qvi sermones suos per Prophetas [illegible], [illegible] [illegible] habebant, pro nihilo reputarunt.

Argumentum XII.

27. *Qvòd Revelationes [illegible] [illegible] ad Ecclesiam [illegible] preces ardentissimas continentur, [illegible] [illegible] [illegible] Diabolici [illegible] sunt confirmata, qvòd [illegible] [illegible] Deum [illegible] [illegible] [illegible] habuerunt pii, [illegible] [illegible], Dicimus esse.* Ex. [illegible] D. Christophorus Pelargus, qvum [illegible] [illegible] authoribus antiqvis & recentioribus, [illegible] in [illegible] [illegible] habebat, [illegible] [illegible] suis liberari non potuit, donec ardentissimè invocato Deo, ut Ecclesiam suam [illegible] illudi, responsum tulit Divinitus suggestum ex Apoc. 22. 6. Nempe *Deum misisse Angelum suum, ut indicet servis suis quæ oportet fieri Citò.*

Argumentum XIII. ultimum.

28. *Tandem confirmat me, qvòd inter benedictiones ultimi Mundi temporis Ecclesiæ promissas Prophetarum etiam missio extitit.* Joël 2. 28. Non exstant autem alibi, qvantum ego sciam vel audiam, ullæ Prophetiæ, quæ sidem sibi habendam verè Divinis characteribus æqvè ostendant. Persuasissimum igitur habeo neqvaqvam spurias, sed reverà genuinas, esse, &c.

APPENDIX V.

Qvis sit harum Revelationum gloriosus Deo, nobis autem salutaris, usus.

SI jam apparet non esse humanam deceptionem, nec talia hæc patrare potuisse Satanam, nec aliud relinqvi quàm esse opus Dei: annon recurrere nobis debet, *Qvomodo antiqvi sancti Divinas vel Angelicas excipere soliti fuerint apparitiones? aut missos ad se divinæ voluntatis nuntios, Prophetas?* Nempe aut procidendo in faciem, ut *Manoe* (Jud. 13. 20, 22:) aut expavescendo majestatem Dei ad corporis usqve morbum, ut *Daniel* (10. 8:) aut tremendo corpore toto, ut *Belsazar* (ib. c. 5. 6:) aut adorando legatum Dei, ut *Iohannes*, qvod tamen non admittebatur (Apoc. 19. 10: & 22. 8:) aut deniqve hortando se & alios, ad fidem habendam Deo & Prophetis ejus, ut *Iosaphat*. (2 Chron. 20. 20:) *Qvid ergò nos ævo nostro non minora spectantes? Dum nempe nobis tum terribilia de populis Christianis judicia Dei, tum sequutura mox Gentium gaudia, Nuptiarumqve Agni celebritas (non eminus & in typo ut olim, sed in veritate jam appropinqvantia) exhibentur?* Ego non diffiteor Aupescere me identidem admiratione tantæ erga nos benignitatis Dei, qvi nos consiliorum suorum conscios reddere dignatur. Si cui non moveri his, potiùs ad omnia hæc rara & mira stupere, allubescit, abundet sensu suo: Deo interim solemne illud suum, *Videte contemtores, & admiremini, & dispergimini! quia ego opus operor in diebus vestris, qvod non credetis, etiamsi qvis narraverit vobis* (Hab. 1. 5. Actor. 13. 41:) iterante.

2. Ubi autem hæc ita ut prænuntiata sunt evenerint (nullis ambagibus ea retardare, nullis humanis aut diabolicis consiliis præpedire, valentibus) tum nos qvi Deo credidimus roborabimur in fide, *esse Deum in cælis qui arcana revelat* (Dan. 2. 28:) Ecclesia verò laudabit Deum, *qui se in lucem eduxit ut videat justitiam ejus* (Mich. 7. 9:) *annuntiabuntqve sibi lucem hanc populi, exultantes in ea* (Esth. 8. 16, 17:) Vos autem præfracti præmium feretis qvale alii Operum & prodigiorum Dei contemtores, confusionem.

3. *Sed qvis interea horum usus?* In genere primùm dicam: *Ut libri hujus manuductione nobis omnibus imitari libeat Mosen*, qvi acceptâ divinitus promissione, *qvòd sibi ostendere Deus vellet OMNE SUUM BONUM* (Exod. 33. 19:) modò ut ascenderet ad se in montem Sinai (34. 2:) consurgens de nocte ascendit (v. 4.) auditâqve de nube voce, *Iehova, Iehova, Iehova Deus fortis, misericors & gratiosus, longanimis & multus misericordiâ & fide: custodiens benignitatem millibus, condonans iniqvitatem & defectionem, & peccatum: non absolvens tamen sontem, visitans iniqvitatem Patrum in Filiis ac nepotibus, in tertiam & qvartam progeniem* (v. 5, 6, 7:) cecidit pronus deprecans justitiam, exorans verò gratiam & misericordiam sibi & populo (v. 8, 9.) An enim nos toto hoc libro aliud, præter *clamores Iustitiæ & Misericordiæ*, audivimus? *Iustitiæ erga impium Mundum*, benignitate Dei abutentem: *Misericordiæ erga piorum reliqvias*, Mundi oppressionibus jamjam liberandas. An

ergò

ergò aliud nos qvoqve agere conveniet, quàm ut OMNES qvi de hac jamjam reipsa Mundo exhibenda gloria Dei conspeximus aliqvid, cum Mose procidentes clamemus, *Gratiam fac Domine populo tuo Christiano! Aufer iniqvitates & peccata! fac nos esse possessionem tuam!* Imò, *Gratiam jam fac omnibus Terræ populis! Aufer jam iniqvitates totius Terræ unâ die!* (Zach. 3. 10.) *fac jam possessionem tuam esse omnes fines Terræ!* (Psal. 2, 8.)

4 Apud Prophetam legimus dixisse Deum: *Commovebo cœlum & terram, & mare, & aridam: & movebo omnes gentes, ut veniant ad DESIDERATUM CUNCTIS GENTIBUS* (Agg. 2. 8) Qvod tametsi de adventu primo rectè fuit intellectum: qvia tamen vaticinii hujus complementum novum expectare jussi sumus per Apostolum (Hebr. 12. 25-28:) & verò Deus nunc revera Orbis universi gentes commovet, commotionisqve illius finem aliqvem Deo gloriosum & Orbi salutarem esse necessum est, nec ad finem hunc Deo deesse possunt media: *annon inter instrumenta & directoria commotionis hujus Liber hic censeri debet? Qvò revera cœlum nostrum & terra nostra (h. e. Ecclesia & Politia) concutiuntur: Domino ipso hîc, venire jam se gentibus cunctis DESIDERATUM, ad omnia faciendum nova, & omnia implendum gloriâ suâ, denuntiante?*

5. Cognoscet id evidenter, qvisqvis libro hoc uti volet pro incitamento ad avidè cognoscendum

I. *Antiqua Divina de ultimo seculorum statu Oracula.*
II. *Ea qvæ nunc circa nos in Mundo fiunt.*
III. *Et mox futura annunciantur,*
IV. *Quæ denique nobis hîc facienda injunguntur.*

6. *In Scripturas compellimur hîc, ad videndum an ibidem talia continantur necne? sive revelata; sive mandata, sive promissa.* Nam si continentur (non aliter autem deprehendunt Providentiæ in his divinæ pii scrutatores) fiet ut nova hæc antiqvis conferant lumen, antiqva illa his novis authoritatem: & nos utrorumqve ope in Providentiæ divinæ venerationem tantò altius provehamur.

7. *In præsentem rerum statum attendere debemus, An talia in Mundo fiant qualia hîc prædicta sunt, vel secus?* Tunc enim qvis ille sit qvi gentes Orbis ad sese mutuis cladibus atterendum commoveat, patebit. Nempe hic ipse, qvi plagas istas Mundo hac ipsa tubâ nuntiari fecit: facitqve ut concitatæ adversus invicem Europeæ gentes, anxiè pacem inter se qværendo, & toties totiesqve non tentando tantum, sed & constituendo, pactisqve firmissimis, juramentis, sigillis, & fincerationibus qvæ excogitari possunt, stabiliendo, non inveniant tamen? *Ecce Mundus erit plenus testium veracitatis meæ, populorum ad se invicem perdendum accinctorum!* dicit qvi de his testimonium dat (Rev. 569. 6, 7.) Nondumne testes illos vides? Alios adhuc cum Pharaone expectas? Vide ne fluctus maris sint, te qvoqve obruituri; & abyssus ipsa, te qvoqve absumptura.

8. *Oculos denique ista nobis aperire debent in ea, quæ hîc ut jamjam ventura annuntiantur, & ad quæ Deus per hæc antecedentia terribilia collimat.* Ut scilicet misericordiam suam plenè super humanum genus totum jam effundat, impletis omnibus mox à lapsu factis, & per Patriarchas, Prophetas, Christum, Apostolos, perpetuò iteratis promissionibus: *Fone ut Satanæ caput conteratur: illeqve toto Ecclesiæ cœlo ejectus impedire opus Dei* (in reddenda humano generi amissa in Paradiso luce, pace,

pace, salute) *non possit*. Quam spem qvisqvis ex divinis promissionibus (antiquis & novis) hauserit, vigilandi, orandi, gaudendi, seqve ipsum & alios ad tantam hanc Ecclesiæ felicitatem dignis modis præparandi, causæ satis habebit.

9. *Tandem expendenda sunt illa, quæ à Christianis omnibus hæc Dei lux apertè reqvirit.* Nempe ne ad præmonitiones Dei ita qvomodo *prior Mundus, Sodoma, Ægyptus, Babylon, Samaria, Ierusalem, &c.* torpeamus: sed Niniivitarum exemplo adventantium plagarum nuntiis excitati paveamus, & per pœnitentiam ad Deum conversi humilitatione nostri, deprecationibus, viarumqve nostrarum emendatione, obviam eamus Deo. Qvæ consilia cùm salutaria sint, & per tria hæc volumina sparsa reperiantur, qvis tam sibi ipsi, Ecclesiæ, Mundo, inimicus erit, ut ad omnia hæc nihil moveri, præfractè omnibus obsistere, velit?

10. *Quæ omnia & singula qvomodo specialius expendenda sint, ego qvidem leges dare non præsumam:* qvomodo tamen ipse his utar, & qvali cum profectu, narrare qvid vetat? sive qvis imitari volet sive non. Si cui imitari placebit, idem hîc reperturum spero qvod ego me reperire experior, & Deum laudo: *Mentis lumen, cordis gaudium, animumqve ad omnem Dei voluntatem faciendum & patiendum robur & alacritatem.* Si non imitari, fruatur suo sensu: ego tamen excusatus ero, qvi salutaria hæc non abscondendo prodesse volui.

11. Dico igitur, & in Deo meo humiliter glorior, me hinc etiam experimentis doctiorem factum meliùs & svaviùs intelligere Salomonicum illud, *LEX est LUX* (Prov. 6. 23.) & Davidicum illud, *In LUMINE tuo Deus videmus LUMEN.* Psal. 36. 10. dum librum hunc etiam revera mihi esse qvod titulo suo præfert experior, *LUCEM E TENEBRIS. E tenebris dico meis, errorum, terrorum, desperationum, deducit me hæc LUX Dei in lucem Veritatis, solationum, salutis.* [Loqvar de testimoniis tuis Deus, etiam coram Regibus, & non erubescam, dicit David Psal. 119. 46. Fac me qvoqve loqvi Deus mi, & fac me non erubescere spes mea! Loqvar de testimoniis tuis: & tu da testimonium in cordibus fidelium, Verbum tuum esse Veritatem, Joh. 17. 17.

12. *Rectis corde in tenebris oriri lumen*, testatur David, Psal. 112. 4. *ut autem oriatur Deum præstare*, exempla docent. Abrahamo Patri fidelium inter Idololatras agenti tenebræ utiqve erant: dubitanti, aut certè alios dubitare spectanti, *quid credendum, aut quid agendum, & qvid sperandum esset.* Sed cùm factam ad se Dei vocem audiret, *Abraham noli timere, Ego sum Deus omnipotens! Ambula coram me, & esto integer! Et ego ero clypeus tuus, mercesque tua magna valde* (Gen. 15. 1 & 17. 1.) nonne illi lumen ortum fuit? (Psal. 112. 4.) *Lumen* dico *Fidei*; ut in qvem posthac crederet, *unum Deum Omnipotentem*, aliorum deorum non indigus, sciret. Et *Lumen Vitæ*: ut qvô intimi obseqvii cultu Deum suum constanter venerari deberet jam edoctus, fidenter ageret. Demumqve *Lumen Spei*: ut quid sibi à ter Optimo Maximo Deo suo, juxta ejus promissionem, firmiter expectandum esset videns exultaret. Ita ecce in Patre fidelium (sed in usum omnium fidelium) tres salutis nostræ cardines *FIDEM, CHARITATEM, SPEM*, verbo suo fundavit Deus! qvæ tria deinde per totam Legem & Evangelium dilucidata sunt. Eademqve tria nostro ævo (dum nos Christiani de Fide altercando Fidem penè amisimus; Charitatis obliti in mutua odia, bella, exitia prolapsi sumus; spemqve loco, qvæ ultima esse debebat anchora, omnia desperata habemus) misericordiarum patri renovare placuit,

cuit, hôc etiam Libro. Ostendam id in me ipso ipsi mihi, & vobis aliis in vobis ipsis. Cui autem sana erit oculorum acies (qvam omnibus opto) experietur *lumen esse dulce, & oculis videre solem delectabile*, Eccles. 11.7.

13. Fidem in me formari (Libri hujus auxilio) experiri me dixi: *non historicam tantùm de rebus hîc revelatis, qvæ circa nos fiunt; sed & sublimiorem, salutis mysteria concernentem.* De illa hoc solùm dicam, *Librum hunc Propheticum perspicilli usum præstare mihi, ad distinctiùs ea qvæ nunc in Orbe fiunt spectandum*: qvæ his non adjutus aut non viderem, aut certè quô tendant non intelligerem. *Sed Liber hic dat mihi super moderna Dei Opera indicem: Opera verò Dei dant mihi commentarium super Librum hunc: & sic sese mutuò illustrant, fidemqve meam faciunt oculatam.* Nam si Elias divini propositi conscius factus (qvòd post siccitatem triennalem pluviam demittere vellet Deus) ad exiguæ nubeculæ conspectum qvid immineat intelligere, Achabumqve de adventante imbre præmonere, potuit: qvomodo me (aut qvenqvam retecta Dei consilia audire non aspernantem) tot undiqve gentium ascendentia caliginosa nubila, non de volventibus se jamjam judiciis monere possunt?

14. *De Fide circa salutis mysteria qvid dicam?* Hoc primùm: de Scripturis sacris, Propheticis & Apostolicis, nunqvam me dubitasse, nunquam non *pro divina lucerna pedibus meis, & lumine semitis meis, habuisse* (Psal. 119. 105.) nunquam tamen illa tam dulcia faucibus meis, & super mel ori meo, fuisse (v. 103.) atqve nunc post novum qvàm suavis sit Dominus gustum. Plus ego jam *qvid sit Revelationum divinarum codex, BIBLIA, & qvid verbum fidei, & quid sit timere ac diligere Deum*, ex novis istis Divinis alloqviis disco, qvàm ex omnibus humanis (qvos qvidem hactenus videre datum est) super antiqva Dei verba Commentariis. Qvod à me non in cujusqvam gratiam, vel odium sed ex intimo cordis sensu, dici, testis mihi Deus est & conscientia mea.

15. Præterea, Qvicqvid alios è verbis Dei, antiqvis vel novis *scrupulorum, tenebrarum, errorum*, concipere video, mihi ubiqve Deo fidem habenti *in viam planam lucem claram, veritatemqve solidam verti*, sentio: eoqve inoffensè, amænè, securè in conspectu Dei ambulare me gaudeo. Qvæ cerebri humani figmenta huc me promovere potuerunt? aut quis ille tam stupidus satan, qui obscurare opera Dei volens tenebras ipse nostras in mente exstingvit, accendit lumen? sed non habebit ille à me id honoris, ut à tenebrarum principe lucem venire credam.

16. *Si speciatim qvædam sunt attingenda, primum sit hoc: quòd si cui, aut mihi, de non impletis quibusdam prædictis scrupulus nascitur, solvere scio.* Primò, nec antiqvis Prophetis omnia semper ad oculum evidenter impleta, occasionem illusoribus dedisse dicendi, *Ubi est verbum Domini? veniat* (Jer. 17. 15.): Deum tamen aut respondere solitum, *Nolite illudere! ne fortiùs constringantur vincula vestra* (Jes. 28. 22.) aut sibi non deesse causas, cur promissiones aut comminationes suas vel differat, vel mutet, rationes reddere non dedignatum: ut Jonæ 4. Jerem. 18. Psal. 89. 1 Sam. 2. 30. Drab. 136. & 290. &c. Etiamsi tamen non reddat rationem cur hoc aut illud mutetur, malo stuporem tribuere mihi, qvàm Deo: cujus nos ut opera ita & verba plerumqve non intelligimus nisi peracta, & ne id quidem semper (Ez. 2. 5. Joh. 16. 4. Drab. 180. 6, 7. 249. 396. 4. & 473. 10, 11.) *Scio apud Deum principium rei pro ipsa*

ipsa re sumi: scio Dei horas aliter numerari qvàm nostras: scio si qvid non impletum est hodie, impleri posse cras: ut Ninive, si non perire post 40 dies, post 40 tamen annos. *Scio apud Deum misericordiam sic iræ prævalere, ut stultis nobis vel inconstans vel mendax etiam videri malit, quàm non misereri.* Si qvid deniqve promissi boni (mihi etiam ipsi) non evenit, malo tribuere culpam mihi quàm Deo, (Drab. 475. 3, 4. 476. 409.) Et sic semper justificando Deum & judicia ejus, exultare in Deo semper: certus, nos homines, ipsasqve circa nos res, errando etiam fine Dei aberrare non posse, Drab. 397. 10. Atqve tum qvid nocet, me vel alios operum Dei rationem non asseqvi, dummodo finem suum assequantur illa?

17. *Quantum ad Fidei dogmata*, gaudeo me contra omnem infidelitatem in dies magis roborari, & armari. I. *Deum esse*, contra Atheos. II. *Angelos*, contra Saducæos. III. *Mundum Providentiâ regi*, contra Epicureos. IV. *Deum nostrum Christianum, Tri-unum, Deum verum esse*, eôqve fidem nostram Catholicam contra hæreses triumphaturam. V. *Eundem Deum nostrum esse bonum, omnisque boni fontem, tenebras & mala non ab illo venire*, contra insanos. VI. *Nos homines esse illius imaginem*; corruptam qvidem lapsu, qvam tamen ille in nobis reparatam vult, maximè hoc ultimo Mundi ævo, qvô cum Operibus suis Sabbatum celebrando, *opera sua in fine spectare vult VALDE BONA*: Gen. I. 31. Eôqve fine majorem (circa vesperam Mundi Zach. 14. 7.) lucem accendendo, omnia prioribus veriora & meliora in suis reqvirit, *Fidem heroicam, Charitatem heroicam, spem heroicam.* Atqve hanc illius esse intentionem ut firmissime credam, *Libri hujus ductu tota jam Divina scriptura, omniaqve Dei antiqva & nova Opera, & qvicqvid mens mea concipere potest, me confirmant*: eôqve in me Fidem Dei, metumqve ac dilectionem Dei, & inconcussam ac inconfusam misericordiæ Dei spem sensibiliùs ac unqvam formant & firmant. Et non exultare debeo in Deo salutari meo? non gaudere in jamjam appropinqvante Ecclesiæ παλιγγενεσία? non gratulari Mundo ipsi, Omniqve ingemiscenti & parturienti creaturæ, à vanitatis servitute liberationem suam? Rom. 8. 20. &c.

18. *Hæc fidei lux facit, ut scandala qvæ ex his novis revelatis* (nominatim Drabicii) *qvidam concipiunt, apud me vanescant, nihilqve me turbent, hilarent magis.* Qvæ tria sunt potissimùm. I. *Nimia cum Deo familiaritas.* II. *Libertatis arbitrii assertio, ac si nihil Deus sine homine vellet aut posset.* III. *Reqvisitio ab aliqvo ut faciat qvod illi datum non est, aut supra vires est*: ut à Racocio tantillo Principe, ut rem vix Monarchæ alicui possibilem aggrederetur. Qvid autem mea fides adhæc?

19. Primum illud, *Familiaris Dei cum hominibus conversatio*, res plena svavitatis est, admirabilisqve Divini erga suam imaginem amoris argumentum prædulce: qvando qvod æterna sapientia dixit, *Deliciæ meæ sunt cum filiis hominum* (Prov. 8. 31.) reipsâ præstat. Amisimus qvidem has delicias Paradiso pulsi: sed nihilnè illius novus Adam nobis reduxit? Atqvi mox Patriarchis, promissum Salvatorem fide excipientibus, qvàm blandum se alloqviis exhibebat Deus? Ipse verò filius Dei, carne nostrâ vestitus, qvàm familiariter hominibus conversatus? tota id Evangelica historia docet: promisitqve à discessu etiam suo se non deserturum suos: *Si qvis diligit me Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, mansionemqve apud eum faciemus*, (Joh. 14. 23.) Gaude qvisqvis Dominum Jesum diligis: Tecum ecce est, cum Patre suo & spiritu paracleto (v. 16.) Addit verò Dominus: *Si qvis*

me diligit, manifestabo ei me ipsum (v. 21.) Qvantum hoc? Diligi à Deo, habere in se habitantem Deum, manifestariqve sibi Deum? *Credidi, propterea & loquutus sum*, dicit cum Davide Paulus (2 Cor. 4. 13.) Crede & tu, qvisqvis eundem fidei spiritum habes, & loqvere! *Cui loqvar?* inhabitanti te, teqve diligenti Deo. *Quid loqvar?* amores tuos, & qvicqvid dilecto amico amicus solet. Si tu per casta cordis tui desideria & suspiria sæpius alloqveris Deum, sæpius qvoqve per afflatum spiritus sui, suggestosqve bonos motus, & intimos amoris sui gustus, respondebit Dominus. *Familiarescant tibi soliloquia cum Deo, & familiarescet tibi Deus, ineffabili gaudio tuo.*

20. *Quod Arbitrii libertas hic statui videatur, offendebat me fateor, non offendit amplius: postqvàm Deus oculos aperuit ad videndum, qvomodo Scripturas non partialiter, sed in tota harmonia sic intelligamus, ut contradictionis apparentiæ dispareant, Mentisque increatæ cum creata commercium verum pateat.* Homini enim Creaturarum supremæ summam Creatoris similitudinem, qvæ in summa libertate sita est, necesse fuit dari: aut nondum suprema Creatura fuisset homo, qvia *objectum infinitæ sapientiæ adæqvatum* defuisset adhuc, si æqvè homo ut inferiores creaturæ ad certa objecta determinatus fuisset. Fecit ergò ad omnia opposita liberum, ob oculos illi ponens, *Bonum & malum, Vitam & mortem, Salutem & interitum*: Bonum tamen svadens, à malo dehortans: bonumqve eligenti infinita præmia promittens; malum, infinitas poenas denuntians. Hæc tota est Dei cum intelligente creatura, Angelis & Hominibus, praxis: quam si intelligimus, scripturas intelligimus, abyssiqve misericordiæ & justitiæ Dei in horrorem usqve, & ineffabilia gaudia usqve, patent nobis. Patet inqvam, *qvomodo inter Deum & hominem omnia reciproca sint, & à nobis qvoqve reciprocari necesse habeant: Eligere & eligi, Rapere & rapi, Docere & doceri, Monere & moneri, Gratiam dare & accipere, Iram minari & incurrere*, &c. Item illa: *Deus bonis est bonus, malis malus, fidelibus fidelis, sanctis sanctus, perversis perversus*, Psal. 18. 26, 27. Et qvod ubi populus per Prophetam orat, *Converte me Domine, & convertar* (Jer. 31. 18.) Deus per alterum Prophetam respondet, *Convertimini ad me, & convertar ad vos* (Zach. 1. 3.) Alibi rursum: *Si ex adverso mihi ambulaveritis, ego qvoqve contra vos adversus incedam* (Lev. 26. 23, 24.) Et sic perpetuò. Si qvis dicet: *Arbitrium ad bonum lapsu amissum est*. Resp. sed reimplantatum mox post lapsum gratiæ promissione: ut in Adam, Abel, Seth, &c. patuit. Et reparatum per Christum adeò, ut ille omnes ad se invitans ab unoqvoqve voluntatem reqvirat: *Si quis post me venire VULT, veniat*, &c. Ut si homines nolint, ille justus maneat cùm judicat (Psal. 50. 6.) Hinc illud: *Ego volui, vos noluistis*, Matth. 23. *Obj. sed sic Deus introducitur aliqvid volens, nec tamen potens: jubens, nec tamen juvans*. Resp. Deus in salutem creaturæ suæ omnia vult, & omnia potest: sed & illam ipsam qvod salutis suæ est velle, & posse, seu conari, vult: qvia sibi similem esse vult, talemqve ut eadem cum Deo velit & possit fecit. Etiam qvæcunqve jubet in iisdem juvat, si obediens creatura juberi patitur, & juvari petit. Verbo, ubiqve Deus homines (æqvè in Evangelio ac in Lege) non ut truncos, sed ut imaginem suam, tractat: nec ergò homo se truncum faciat, sed liberum se esse, & qvicqvid placere Deo intelligit libere agere, gaudeat. Atqve tum Deus gratia & auxilio nunqvam & nusqvam aberit. Beatus qvi intimam hanc Dei & hominis, hominisqve & Dei, coïntelligentiam, coëlectionem, coöperationem, intelligit, &

secundum

secundum eam bona eligit & agit, mala reprobat & fugit. Hæc tota est in Deo gloria nostra velle qvod vult Deus, & conari qvod jubet, & in eo similem esse Deo, illiûs gratiâ ubiqve nos præeunte.

21. Ad tertium scandalum respondeo, *Si Deus reparare vult seculum* (qvi novarum Revelationum primarius esse videtur scopus) *qvid mirum si antiqvorum etiam sanctorum fidem in suis reparare vult?* Ut quemadmodum *illi per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti promissiones, obturarunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt in infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, &c.* (Hebr. 11. 33, &c.) ita nunc etiam Deo non desint qvi in Deo virtutem faciant (Psal. 60. 14.) David fortes viros habuit in regno suo XXXVII: qvi pro Deo & populo magna ausi magno erant Regno & Regi ornamento, 1. Sam. 23. Et non poterit verus David, Dei Filius, vel unum invenire qvi Omnipotentis brachii auxilio nixus inusitatum qvid audeat? Ita Sigismundo Racocio Gedeonis exemplum propositum fuit Rev. 68. 8: sed defuit fides, ideò res mansit infecta, non defectu auxilium offerentis Dei, sed respectu hominum acceptare oblata tergiversantium. Legatur obsecro Drabicii Revelatio CCXLIX! ut qvam sit frigida seculi nostri fides, rerumqve passim hæsitantium culpam non Deo tribuendam esse, pateat.

22. *Ubi Racocium Deus toties jam promissis mulcet, jam minis terret; & jam laudat obedientiam, jam increpat inobedientiam: ibi ego reciprocantis se gratiæ & iræ Dei abyssum intueor.* Et qvid ni? Jussit nos Dominus vel *septuagies septies qvotidie peccatum remittere proximo, si toties peccans deprecetur* (Matt. 18. 22.) Ergò & jussit toties peccanti irasci, qvoties deprecanti condonare. Toties autem nos? ad qvam ideam? *Estote misericordes sicut Pater vester* (Luc. 6. 36.) Ille autem irascitur qvotidie, Psal. 7. 12: sed & miseretur qvotidie, si se peccator convertat, Ez. 18. 21. Atqve si nos finiti septuagies septies irasci & condonare possumus, infinitus ergò ille qvoties? *O qvantum hîc profundum se aperit! erudiens nos, ut soliciti ambulemus cum Deo* (Mich. 6. 8.) *qvippe apud quem misericordia & ira cito proximant.* (Sir. 5. 7.)

23. *Ita de mea Fide*, qvàm nihil per novas istas Revelationes langvoris aut caliginis, plus roboris & nitoris accipiat, gratiâ Dei. Qvod idem *de Charitate dicere habeo, non frigescere eam in corde meo sed flammescere, ad meam & proximorum salutem, ardentiùs desiderandum*, & (si qvâ detur) promovendum. Nempe cùm audio Deum jam misereri velle omnium Terræ nationum, ut è tenebris in lucem veniant, disco idem velle, clamando ex toto corde: *Parum est Domine Iesu ut mihi tantùm, aut Genti meæ, vel Europæ solùm, Salvator sis, da Te in lucem omnium gentium, ut salus Dei sis usqve ad extremum Terræ!* (Jes. 49. 6.) Atque dum divinæ huic intentioni nostra Christianorum dissidia, lites, bella, vitæqvè profanitatem, obstare considero, disco ea ut satanæ opus, ad impediendum Dei opus directum, odisse: certior in dies redditus.

I. Mundi Salvatorem Christum prorsus non esse partialem, sed in omni gente qvi Deum timet, & justitiam operatur, acceptum esse illi: Act. 10. 34.

II. Eôqve frustra clamari, *Hic est Christus!* aut *Illic est!* Ubiqve enim esse, & ubiqve velle qværi, inveniri, agnosci, amari, coli, jam scio & gaudeo: nemini salutis participationem invidens.

III. Im-

III. Impotentes circa Fidei articulos disceptationes nostras, qvàm sapientes nobis videntur, stultitiam esse apud Deum.

IV. Odia verò propter dissensiones in Fide, & qvòd alii aliorum fidei dominari qværimus, meram esse abominationem.

V. Sedere in cathedra Mosis, aut Christi, aut Petri, vanum esse sine veritate doctrinæ & vitæ Mosis, Christi, Petri: sicut & reformatam Religionem, in doctrina & ceremoniis jactare, sine reformata vita.

VI. Nullos jam Cephitas, Paulitas, Apollitas toleraturum esse Christum (1 Cor. 1.) tantummodo discipulos, amicos, fratresqve suos, se invicem condiscipulos, confratres, conservos, salutantantes.

VII. Et qvia ad hanc Christi fraternitatem, sanctorumqve communionem, convocatum jam iri audio Nationes omnes, oro qvotidie pro Omnibus.

VIII. Dumqvè audio reformata Deum velle ad beneplacitum suum omnia, studeo me qvoqve ad voluntatem Dei conformare per omnia. *Utinam omnes pariter! ut deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & invidias, & detractiones, sicut modo geniti infantes rationabile & sine dolo lac concupiscamus, in eoqve crescamus ad salutem!* 1 Petr. 2. 1.

24. Spem qvoqve meam in Deo hujus lucis ope firmari sentio, in diuturnis, & attrocibus Ecclesiæ persequutionibus cantillans, *Sedeo in tenebris, sed Dominus lux nova*, Mich. 7. 8. Qvia enim spei divinæ basis promissiones divinæ sunt, & qvantò hæ clariores, sæpiusqve repetitæ, & specialius ad nos directæ, tantò erigunt magis: dum his diebus nostris Deo antiqvæ suæ erga fideles suos misericordiæ viscera tot modis nudare placuit, qvæ tantæ desperationum tenebræ possunt esse, qvas in corde meo lux hæc non discutiat? Si qvis dicat, *Habemus promissionum satis in scriptura*: Respondebo, *Verum id est, sed propiora propiùs afficiunt.* Atqvi si Deo prioribus solatiis addere placeat nova, meumne est dicere, *Non indigeo?* puderet te homini amico ita loqvi, & non pudet Deo? Non ignorabat David de Messia factas Patriarchis promissiones: sibi tamen per Nathanem repetitas qvô non gaudio excepit? 2 Sam. 7. 18. Nec Elias ignorabat per Mosen factas, de reditura post castigationem populo Dei gratia, promissiones; novâ tamen & speciali sibi factâ revelatione (de jam ventura benedictionis pluvia) tantò magis gaudebat, tantò fervidiùs orabat, tantò lætantiùs aliis annuntiabat.

25. Ita qvomodo ego hâc novâ Revelationum luce, ad roboramenta caligantis interdum Fidei, aut refrigerantis Charitatis, & labascentis Spei, utar, ostendi. Qvod si cui placebit imitari, non meo svasu id faciat, sed Prophetæ dicentis: *Qvis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui, ambulans in tenebris, & cui non est lumen, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum!* Jes. 50. 10. Cuicui autem fabricare ipsi sibi Fidei lumen, & in seipsum tantùm reflectere amoris sui flammam, spemqve in propriis figmentis constanter figere, allubescit, sibi audiat qvòd ibi seqvitur: *Vos autem omnes accendentes ignem, accincti flammis (vestris) ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis qvas succendistis, de manu tamen mea hoc vobis fiet, ut in dolore jaceatis.*

26. Dixi autem supra, *non tam hæc jam sub censuram, quàm ad exeqvutionem dari. Qualem verò exeqvutionem?* Ut qvicqvid ad judicium veniens Dominus à nobis

nobis in antecessum reqvirit, faciamus alacriter. Qvod nos, ad qvos Dei sermo factus est, aliis in exemplum ecce facimus! I. *Iussi enim hæc scribere* (R. 331. 32, & alibi:) scripsimus! II. *Iussi transferre in Latinum* (R. 221. 8. & 240. 7:) transtulimus. III. *Iussi, & nomine Dei obligati, ne qvid adderemus vel demeremus* (R. 221. 23. & 247. 7:) ita fecisse nos, testis erit Deus. IV. *Iussi edere multis centenis exemplaribus* (R. 55. 13, 14:) edidimus. V. *Denuò edere cum ultimis Domini sermonibus* (445. 4, 5:) edimus ecce omnes! VI. *Iussi hæc deducere in notitiam Consiliariorum & Ordinum, omnium Nationum* (172. 36:) deducimus. VII. *Et divulgare per Mundi fora & plateas* (245. 19:) *ad omnes gentes & linguas* (287. 16:) facimus qvantum possumus. VIII. *Iussi audacter nuntiare Mundo, Dominum esse inducturum mutationem æternâ memoriâ dignam: quæ consilia qui præpediat neminem fore, nec in cælo nec in terra* (204. 39, 40:) Annuntiamus. IX. *Iussi scribere, ultimam mundi horam adesse: ideòqve Iesum Christum omnes Nationes & homines salvatos velle* (R. 570. 6:) scripsimus. X. *Iussi pingere Gentes omnes thronum gratiæ circumstantes, Christumqve adorantes* (R. 608:) Fecimus, tabellamqve appendimus. XI. *Iussi Iudæorum conversionem nuntiare universalem, hoc ipso jam tempore, ante residuos adhuc gentium* (R. 99. 6:) Nuntiamus. XII. *Turcicæ verò gentis conversioni parare auxilia, Bibliorum suâ linguâ editionem* (R. 72. 9: 134. 5: 138. 17, & alibi sæpe:) Paramus. XIII. *Iussi omnia hæc eò fine vulgare, ut errantes Christiani vel sic judicia Dei pavefacti vim lucis persentiscant, Reges etiam ipsi, &c.* (325. 7, 8, 9:) Vulgamus eò fine, ut hæc spei lux Christianis primùm effulgeat. XIV. *Aut in testimonium, si adhuc inclamantem se Deum audire nolint, ut nec Deum esse auditurum sciant, dum ipsi clamabunt* (210. 12, 14:) XV. *Iussi tandem testimonium hoc non erubescere, nec ob horum editionem metuere* (416. 4, 5: 556. 15:) Commendamus nos, & omnia hæc, Deo: læti conscientiæ testimonio, nos nihil in his omnibus credere aliud, nisi qvod revelavit Deus; nihil agere aliud, nisi qvod mandavit Deus; nihil sperare aliud, nisi qvod promisit fidelis Deus.

27. Experiantur alii, annon faciendo similiter (Deo fidem habendo, obediendo, seqve totos illi soli permittendo) reqviem inventuri sint animabus suis? Spes est, si faciant omnes qvod hîc mandatur omnibus. I. *Ut hæc legant omnes Nationes terræ, indeque intelligere discant judiciorum Dei causas*: cur nunc in aheno mundi per totam Terræ amplitudinem igne iræ suæ coqvat Nationes omnes (Rev. 190. 30: 247. 25: 587. 5, 6, 7.) II. *Utqve discant intelligere harum Dei plagarum scopum.* Velle nimirum Deum totum nunc reformare Mundum: ut sub ejus finem ita sit qvomodo ab initio fuit, *Unus Deus, unusqve illius Cultus in Spiritu & Veritate, sine idolis. Utqve omnes pacatè habitent, sine bellis, dissidiis, sectis.* Qvæ per totum hoc volumen solemnissimè nuntiantur: Velleqve Deum ut Christiani reformationis faciant initium, aut Deum alios inventurum: deletis inemendabilibus per varias Dei plagas, mutuasqve (qvas illi sibi ipsis, infuroris vertiginem dati, inferent) clades, tandemqve ad plenam desolationem adductis barbararum gentium diluviis Videantur speciatim in Drabicio Rev. 55. v. 7, 12. & 56. 7. 85. 9, 10, 11: solemnissimè autem Rev. 99. & 129. & 130 & 138. 143 149 153. 163. 168. 181. 182. 194. 198. 204. 211. 250. 253. 261. 398. 514 565. 587, &c. III. *Ideoqve mandatur, ut nulla sub sole sit Lingua, quæ nesciat banc Tubam ultimæ gentium omnium in Ecclesiam convocationis: Iudæi & Græci, Turcæ & Tartari, Arabes & Indi, Germani, Itali, Galli,*

 Angli

Angli, Poloni, &c. (Rev. 211. v. 13, 21, 22.) IV. *Id autem eô fine, ut omnes appropinqvâre gaudia sua intelligentes parent viam Domino, exæqvando valles incredulitatis & inobedientiæ suæ*, &c. (R. 170. 5, &c.)

28. Certè enim habebunt qvod gaudeant omnes Gentes, qvum qvod hîc promittit implebit Deus. Nempe non *Christiani* solùm, videntes reipsâ impleri promissa sibi à Christo, *ut suum sit & regnum cælorum & possessio terræ* (Matth. 5. 3, 4:) *seqve jam regnare super terram* (Apoc. 5. 10.) Sed & *Iudæi*, videntes ad se cum gratia & regno redire Messiam suum, qvem priùs non agnitum rejecerant: demum exclamabunt, *Benedictus qvi venit in nomine Domini* Matth. 23. 39.) *exultantes tandem & jubilantes in Rege suo, reducente se in Sion* (Zach. 9. 9.) *propitiato rursum sibi & Terræ suæ* (Deut. 32. 43.) Gaudebunt & confines utrisqve *Musulmanni* (Turcæ ac Persæ) populum Mosis & populum Christi agnoscentes, & ab utrisqve mutuantes, jam verò cum utrisqve ad plenum illuminati, unus cum illis populus Dei futuri, &c. *Gaudebunt & reliquæ Orbis gentes, Deum & legem Mosis & Christi adhuc ignorantes, eôque ignoto Deo servientes: cùm & se ad ultimum Dei convivium pingvium, convivium vindemiæ, paratum omnibus populis, videbunt vocari, & ad mensas Dei locari:* incinentes lætabundi, *Ecce Deus noster iste! Expectavimus eum, & salvavit nos*, &c. (Jes. 25. v. 6. 9.) *Sed & Cælum terraqve gaudebunt*, ut in spiritu prospectans sæpiùs exultat David, aliiqve Prophetæ: Omnis videlicet *Creatura Dei, liberata à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei* Rom. 8. 21.

29. Qvalia dum annuntiantur Mundo (jussu & nomine Dei) *cave tu Christiane popule* similis esse priori Mundo, Noam cum sua Arcæ structura irridenti: ut ne iræ diluvium te pariter obruat. Aut insultatoribus Sodomitis, præmonentem per Angelos Deum, exireqve suadentem sannis excipientibus. Et furiosis Ægyptiis, populum Dei in profundum usqve persequentibus, &c. *Vos autem docti & sapientes*, cavete in tanto Orbis tumultu jocularem imitari *Diogenem*, consuetaqve inanitatum dolia volutare: Seriò aliqvid in comune consulendum est. Nec estote speculativi tantùm *Archimedes*, lineis qvisqve suis intempestivè sic intentus, donec Urbe captâ pereat: agendum aliqvid est qvod conservationi serviat. *Vos Ecclesiarum Vigiles* cavete esse somnolenti Jonæ, ad exortas iræ Dei, furorumqve Mundi, procellas in interiora navis descendentes, ibiqve securè dormientes: ut ne justè irati Dei sors vos primùm petat, & profundo mergi jubeat (Jon. 1.) Incipite potiùs jam statim, vobis ipsis & aliis, prædicare pœnitentiam, &c. *Vos deniqve Reges & Principes cavete esse Belsasares*, ultimâ etiam illâ nocte (quâ Cyri & Darii portis propinqvant mœniaqve occupant) convivantes: ut ne digiti manus Dei, fatales terminos vestros ob oculos vobis pingentes, ita vos perterreant, ut nec solatia nec salutem inveniatis.

30. Agite potiùs qvod hîc nominatim Regibus mandatur. I. *Agnoscite vos esse Deos in terra*, ut Psalmus 82. loqvitur: h. e. *Dei vicarios*, ad Mundum in æqvitate regendum. II. *Vestrumqve esse regnare ac regere, regimine aliis non commisso*, Drab. 247. v. 13. & per totum, *pacatè sub vexillo Christi*, 252. 17. III. *Mundumqve in universalem confusionem prolapsum reformare universaliter ad beneplacitum Dei*, Rev. 344. 26. & 565. 5. & 587. per totum. IV. *Cujus reformationis modum ut Reges videant, jubentur hæc Revelata præ aliis legere, ad concipiendum inde horrorem judiciorum Dei*, R. 556. v. 11-15. V. *Utqve hæc meliùs expendantur, dare illa ad librandum arbitris:*

sed iis qvibus est cor simplex, & apud qvos est fax Lege Dei & Prophetis accensa, ardens veritate (R. 259. 7, 8.) VI. *Dehinc ut hæc mittant Reges Regibus, Principes Principibus, Domini Dominis*: non per Christianum tantùm Orbem, sed & Turcis & Tartaris, omnibusqve in facie terræ habitantibus (315. 17, &c. 587. 13, &c.) VII. *Eóque fine, ut hæc legi qveant ab omnibus nationibus, transferri hæc jubentur in Linguas gentium* (R. 221. 8. 287. 16. 331. 32. 614. 12) VIII. *Imprimiqve Typis, ac dimitti ad gentes omnes, pro excitandis illis ad opus Dei* (R. 92. 819. & 62. 9. & 287. 16. & 614. 13.) IX. *Qva in re si quo sumptu opus erit*, ut ne impendere pigeat illos, qvi hac parte servire poterunt Deo & Nationibus, in exemplum illis proponitur *Racocia*, Rev. 221. v. 4, 5, 6. X. *Solemniter quoque hîc Regibus Christianis mandatur, ut ad plenam horum recognitionem, solemnemqve exequutionem, Concilium Orbis convocent*, R. 374. 11, &c. Turcam qvoqve ipsum, R. 411. 9. XI. Idqve eô fine, *ut Reformatio sit universalis: nulla sub cœlo relictâ gente quæ alium habeat & cognoscat Deum, præter illum quem annuntiavit Moses, Prophetæ, Christus, & Apostoli*, R. 211. 2, &c. XII. *Cui magno & glorioso operi* (Mundo reformando) *ut pares sint qui huc vocantur, moderni Reges, protestatur Deus requirere se heroas antiquis similes, in Deo virtutem facere paratos* (Psl. 60. 14. Drab. 199. v. 11, &c. 204. 34, &c.) Cum protestatione, si animum hunc sumere, spiritum heroïcum à se petere, & se hac in re organa dare Deo detrectaverint, se opus suum sine illis acturum, & peracturum, cum inobseqviosorum exterminio, Rev. 200. v. 18, 28, &c. 420. v. 6, 9. 460. 15. & 514. 9. Item 569. 7, 8.

31. Invenient & Ecclesiarum Pastores ac Episcopi sua hîc munia, solatiaqve ac Deum propitium, si attendere volent; vel conscientiæ morsus & iram, si contra niti animum inducent. Mandatur n. illis qvoqve hîc. I. *Angelos Dei esse ad populum, sed fideles, aliud & aliter quàm Deus loqui non audentes*, R. 243. 8. II. *Non invidere Deo (& Angelis) gaudia sua*, ex reditu ad se rationalis creaturæ suæ, Humani generis, ad se reditura. Rev. 203. III. *Gratulari potiùs, Deumqve de adventantibus refrigerii temporibus laudare*, Act. 3. 20.) dicendo: *Hæc est dies quam facit Dominus, exultabimus & lætabimur in ea. O Domine salvum fac* (Mundum:) *ô Domine prospera jam* (Psal. 118. 24, 25.) IV. *Nec solùm intra se concipere* (de appropinqvante Christi regno) *gaudia, sed divulgare hoc Dei opus per plateas mundi*, scribendo ad alios Epistolas, & congregando ad prælia Dei, docendoqve decertare pro fide (R. 263. v. 22, &c. V. *Reformationi non obsistendo* (458) *potiùs in hoc Opere Regibus & populo unanimitatem suadendo* (534. 12.) VI. *Et exemplo bono Politicis præeundo* (99. 32, 33:) *unàqve cum illis collapsa omnia restituendo* (590. 4.) VII. *Nec de mundano* cum illis dominatu, *aut bonis terrenis, ampliùs contendendo, sponte illa potiùs dimittendo* (99. 20: & 255. 13. 278. 29, &c.) VIII. *Babylonis denique expugnationem severè juvando: non quidem ferro & flammâ, sed corde, ore, calamo* (500. 5.) IX. Si qvi Theologorum opinionem suam, *de nulla Mundi renovatione admittenda*, mordicùs tenere proponunt, viderint ne Deo ansam ministrent *secum ipsis novum aliquid faciendi*, ut Mosis tempore Num. 16. 29, 30: & nostro ævo hac ipsa in re, Kott. 6. 5. Drab. 71. 10. & 283. 2, &c. Qvam præstaret auditâ Dei voce, *Novate vobis novale, & nolite serere super spinas* (Jer. 4. 3.) nihil nisi novas gentium arationes, novasqve sementes & messes, cogitare, & cum Apostolo istuc, ubi ne nominatus qvidem fuit Christus, festinare. (Joh. 4. 35. Rom. 15. 20:) potiùs qvàm domi

domi desidendo de opinionum, ceremoniarum, redituum, prærogativarum, similiumqve inanitatum spinis, altercari.

32. *Linguarum periti* etiam in hoc Libro pensi aliqvid pro se, ad generis humani commune bonum, opesuâ promovendum, invenient: *Clangorem ultimæ hujus Tubæ Dei ad Gentes cuiqve populo intelligibiliter sonare faciendo.* Sed fideliter, nihil addendo vel demendo, sensumvè mutando (Rev. 211. 23, 24: & 242.) Aut si cui Nationi medullam horum dari sufficere visum fuerit, positam legem (de observandis essentialibus, Rev. 570. 4) non transgrediendo.

33. *Typographos, Lucis intellectualis ministros publicos, etiamne hic moneri aliqvid opus?* Si est, rogandi sunt primùm ut hîc etiam fidelem operam suam Patri luminum ne negent, *Lucis hujus exemplaria (qvibuscunqve linguis) multiplicando.* Idqve intentione purâ, non tam privati lucri studio, quàm gloriæ Dei, gentiumqve saluti, inserviendi desiderio. Adhibitâqve diligentiâ ut omnia prodeant correctè, ideoqve nostrum etiam Exemplar ut à mendis priùs repurgetur curando: non tantùm juxta Sphalmatum indeculam nostram, sed & si qvid præterea meliùs constitui posse, ac debere, periti Censores deprehenderint.

34. Paucula hæc monita (juxta manuductionem non meam, sed ipsius hujus Libri) si observata fuerint, poterit hæc LUX E TENEBRIS revera esse *Dux è tenebris pio cuiqve, & Ecclesiæ cuiqve, & Reipublicæ aut Regno cuiqve, & Mundo ipsi, sparsisqve per Orbem terrarum gentibus, populis, Lingvis, totiqve posteritati:* horum etiam ope divinitùs *conversis ad Dominum universis finibus Terræ, & adorantibus in conspectu ejus universis familiis Gentium: qvoniam Domini jam erit regnum, ipse dominabitur gentibus; & annuntiabit generatio ventura Dominum, populusqve nasciturus ex illis celebrabit justitiam ejus*, Psal. 22. 28, &c.

35. Tantummodò incipiamus jam OMNES qvi usqvam sub cœlo sumus, in conspectu throni Dei qvotidie apparere, & votis supplicibus nos invicem OMNES misericordiæ Dei commendare: ut sanctissimum illud ultimæ misericordiæ opus, qvod cæpit, in laudem gloriæ suæ perficiat, *totam Humanam progeniem in seipso jam adunatam, & regale sacerdotium, gentemqve sanctam, & populum acqvisitionis factam, annuntiare jubens virtutes illius qvi se vocavit, & jam undiqve convocat, in admirabile lumen suum*, 1 Petr. 2. 9.

36. *Qvô fine bonum erit Omnes nos communia habere vota & suspiria, qvotidie cuivis pio in conspectu Dei fundenda.* Non ex dictaminibus privati spiritûs (mei aut cujusqvàm) concepta, sed ex *Canone credendorum, faciendorum, expetendorumqve*, ab ipso Dei sancto Spiritu Ecclesiæ tradito, collecta. *Orationem Dominicam* intelligo, omnium sperandorum basin: & *Fidei Apostolicæ Symbolum*, omnium credendorum medullam: & *Decalogum*, omnium juxta beneplacitum Dei faciendorum normam æternam. In qvibus reperto universali consensu omnium hominum, sperare poterimus repertum iri illam ultimis temporibus promissam *Sanctam Sionis semitam & viam, tam simplicem & directam, ut per illam ne stulti qvidem errare possint: in qvâ nec leo erit, nec alia bestia mala, ut securi per eam ambulent liberati, redemtiqve à Domino, ut conversi veniant in Syon cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor ac gemitus.* (Jes. 35. v. 8, 9, 10. Eja igitur incipiamus ex hoc nunc, *Omnes Mundi Nationes*, junctim sursum corda, oculos, manusque levando, non tantùm communem illam à communi Humani generis

Magistro

Magistro traditam Orationem ad mentem ejus (Omnes pro omnibus) orare: sed & communis salvandorum Fidei articulos omnes, æternæqve Legis mandata omnia, in VOTA transferre: ita qvotidie ad communem Patrem nostrum corde toto suspirando.

Communia generis Humani ad Deum, Omnium pro Omnibus, Suspiria.

DEUS Creator Omnium, qvi per os sanctorum Prophetarum tuorum jam inde à seculis prænuntiatum voluisti, venturum esse tempus qvô OMNES GENTES *qvas fecisti venient, & adorabunt coram TE, glorificabuntqve nomen Tuum* (Psal. 86. 9:) tempusqve illud jam venisse jam per servos Tuos, Angelos & homines, nuntiari facis: Nos ecce de veritate Tua exultando jam initium facimus! Omnes uno corde & ore ad Te clamando, PATER NOSTER. *Pater* à qvo omnis progenies in coelo & terra nominatur (Ephes. 3. 15.) propitius esto dispersis per totam Terram filiis Tuis, eosqve Omnes congrega in unum (Joh. 11. 52.) Ut non tantùm fidelium qvisqve pro se oret dicendo, *Pater mi*, sed universi jam junctim clamando *Pater noster*, communem devocemus misericordiam, alii aliorum, Omnesqve Omnium, necessitates paterno cordi Tuo commendantes.

QUI ES IN COELIS, ubi faciem Tuam intuentur Angeli: respice nos qvoqve inferiorem Tuum gregem, Terram adhuc incolentem! & da ut nos exteriora Coeli undiqve in prospectu habentes, ad interiora qvoqve desideriis penetremus qvotidie, conversationem nostram habentes in coelis. (Phil. 3. 20.)

SANCTIFICETUR NOMEN TUUM, super Omnes jam & in omnibus nobis! ut Te rectè nosse, sanctè nominare, devoteque colere, sciamus omnes.

ADVENIAT REGNUM TUUM! gratiæ illud regnum Tuum, qvô hactenus in cordibus fidelium regnabas, jam toto sub coelo explica gloriosè, ut qvi dicat *Nolumus hunc regnare super nos* (Luc. 19. 14.) nemo ampliùs reperiatur in Terra.

FIAT VOLUNTAS TUA, SICUT *in Coelo ita etiam in Terra.* Nempe ut nemo jam reperiatur voluntati Tuæ refractarius tota in Terra, sicut inter Angelos Tuos nemo jam reperitur toto in Coelo.

PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM da nobis hodie: Omnibus Pater liberis Tuis, omnibus diebus dum hîc sumus, utriusqve vitæ necessitates largire: nobis autem ipsis da erga invicem cor benignum, ad libenter qvoqve alii aliis succurrendum exemplo Tuo.

ET REMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, Omnibus omnia! *sicut nos remittimus debitoribus nostris*, Omnes jam nos, omnes nobis invicem condonando culpas, qvas qvibuscunq; exorbitationibus nostris alii in alios admisimus hucusqve.

ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM, præsertim spiritualem, sed nos eas cavere, aut si veniunt pugnare & vincere doce, ut ne succumbamus & pereamus.

SED LIBERA NOS A MALO! Omnes jam homines ad malum naturâ pro-

proclives, à maligno isto ad prava seductore, omniumqve malorum authore, Satana, ita libera, ut nemo seducatur ampliùs.

O qvàm firmum erit REGNUM TUUM, ita per Terram totam ut per Coelum explicatum! qvàm conspicua POTENTIA TUA, dum depones potentes de sede, & exaltabis humiles! (Luc. 1. 52.) quàm celebrata GLORIA TUA, dum Omnes gentes ambulabunt in lumine Tuo, & Reges terræ conferent gloriam suam in honorem Domus Tuæ (Apoc. 21. 24.)

Exaudi Pater misericordiæ! misereſcat Te paternorum *Viſcerum* tuorum, ne frustra sint! Misereſcat *Nominis Tui*, ne ampliùs blasphemetur & profanetur ab impiis. Misereſcat *Regni Tui*, ne à satana & tyrannis proculcatum in desolationem sit. Misereſcat *Legis Tuæ*, voluntatem tuam hominibus mandantis, qvam tamen nemo facit. Misereſcat *Panis Tui*, qvem Tu liberis Tuis ministras, canes verò & porci mundi hujus devorant eum. Misereſcat *fragilitatis* omnium nostrûm, qvi labimur qvotidie, culpasqve sine fine multiplicamus in interitum nobis: nisi Tu plenè aliqvando tentationum laqveos, qvibus plenus est mundus, dissipas; & nos è satanæ potestate, illo carceri abyssi incluso, liberas. Tunc enim demum Tuum solius obtinebit *Regnum*, Tuaqve solius agnoscetur *Potentia*, & soli Tibi ab omni creatura Tua exhibebitur *honor & gloria* in omnia sempiterna secula seculorum, Amen, Amen, Amen.

Ex Decalogo? Exod. 20.

FAc ô Deus Jehova, ut *Dii qvi non fecerunt Cœlum & Terram pereant de terra, & non sint sub cœlo* (Jer. 10. 11.) Nec supersit populus, aut familia, aut vir vel foemina, alium habens aut colens Deum, præter TE UNUM solum verum Deum. Nec usqvam supersit *Idolum*, aut ullum Numinis Tui *simulachrum*, præter qvas Tu ipse manu Tuâ fecisti vivas *magines* Tui, Homines. His autem da ut ad *similitudinem* Tui facti sapientiâ, justitiâ, misericordiâ, virtutibusqve omnibus, simillimos se Tibi exhibeant: dignitatisqve suæ memores inferiores creaturas, aurum vel argentum, aut qvidqvid nominari potest, ne adorent, sed Te solum in spiritu & veritate (Joh. 4. 23.) ut nemo ampliùs Te Deum fortem, Zelotem, ad visitandum iniqvitates patrum in filiis pro vocet: omnes potiùs Te diligentes, & præcepta Tua custodientes, misericordiâ Tua frui mereamur in mille generationes, in finem usqve seculorum.

Da ô Deus, *ut adorandum Nomen Tuum reverenter habeamus Omnes*: neqve id qvisqvam perjurio, aut qvâcunqve levi usurpatione, de honestet.

Dies Tuos sanctos, qvos qvieti nostræ & Operum Tuorum honori destinasti, da ut religiosè obeamus Omnes, omnibus dimissis negotiis vanis, aut vitam hanc transitoriam solùm spectantibus, honoriqve duntaxat Tuo, & saluti nostræ ac proximorum, operando. Et qvia sub mundi finem *magnum Sabbathum* (omnibus Ecclesiæ Sabbatis, à primo usqve Paradisiaco sabbatho præfiguratum, Hebr. 4. 9.) *celebrandum restat populo tuo*, fac ut omnes Orbis populi sint ultimus ille populus Tuus: ut ne qvis omnium viventium Sabbatum Tuum jam polluat, sanctificemus verò id omnes in laudem gloriæ Tuæ.

Ordinis Tui æterni fac nos jam memores vivere Omnes, ut Patrem, Matrem, Dominum, & qvicunqve aliis ritè præpositus Dei loco stat, nemo inhonoret: sed omni sublatâ confusione, pulchreqve alii aliis subordinati, qvietam agamus vitam in Terra, qvàm inhabi-

inhabitandam dedisti Filiis hominum (Ps. 115. 16:) nunc autem hæreditariè possidendam trades mansuetis Tuis, in seculum seculi, Ps. 37. 29. Matt. 5. 4.

Fac nullus jam in Orbe reperiatur Cain: sed ut summa in pace & concordia vivamus omnes, *nemo neminem occidendo*, Vitæ potiùs commoditates alii aliis providendo. Nec amplius exstet Sodoma, vel ulla ejus spurcities: *Ut ne qvis pudicitiæ insidietur alienæ, aut prostituat suam*, sed unusqvisqve vas suum possideat in sanctificatione & honore. 1 Thess. 4. 4.

Neqve noceat qvisqvam bonis proximi sui, clam palamve contrectando res alienas invito Domino: sed ut qvisqve tam sua qvàm aliena custodiens honesto in usu contineat, in honorem Tibi provido bonorum Tuorum dispensatori, mutuaque commoda nostra.

Famæ etiam honestæ ut rationem qvisqve habeat, æqvè suæ atqve proximi sui: ad omnes præveniendum obtrectationes & jurgia, aut qvicqvid amicitiam & vitæ tranqvillitatem turbare possit.

Imò & corde intimo alii de aliis ut benè persuasi omnes de nobis invicem pravas cogitationes, occulta odia, donorum Dei invidentiam, privandiqve alios bonis suis concupiscentiam, cobibeamus Omnes: ita demum non in oculis hominum duntaxat, sed & Tuis, futuri perfecti.

Ex Fidei Symbolo.

ENimverò qvia opera omnium hominum, sanctorum etiam, imperfecta sunt coram TE (in *cujus conspectu cœli etiam non sunt mundi*, Job 15. 15.) non tutum fuerit seipso velle niti, & operibus suis tanqvam meritoriis fidere: sed etsi qvis omnia fecisset qvæ debuit ponere se ad pedes misericordiæ Dei, dicendo *Servus inutilis sum* (Luc. 17. 10.) atqve tunc *sperantem in Dominum misericordia circumdabit* (Ps. 32. 10:) tunc *justus in fide sua vivet* (Hab. 2. 4.) Da igitur ô Deus intellectum verum omni populo Tuo, ut cuiqve nostrum ultima spei suæ anchora sit Fides *in TE DEUM PATREM Omnipotentem, Creatorem Cœli & Terræ*. Et in eum qvem nobis perditis Servatorem misisti, *IESUM CHRISTUM Filium Tuum unigenitum Dominum nostrum: qvi conceptus est de Spiritu S. natusqve de Maria Virgine*: & vixit sanctè sine omni peccato, ut esset immaculatus Dei Agnus, immolandus pro peccatis Mundi (Jes. 53. v. 4, 5, 6, 7, 12. Dan. 9. 24. Matth. 20. 28. Joh. 1. 29. Rom. 3. 24, 25, 26. Col. 1. 13, 20. Hebr. 1. 3. & 3. 6. 1 Petr. 1. 19. 1 Joh. 1. 7. Apoc. 1. 5, &c.) *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, sepultus: Descendit ad inferos, resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedetqve ad dextram tuam Patris omnipotentis: inde venturus judicare vivos & mortuos*. Da etiam ut fides nostra sit *in Spiritum Tuum Sanctum cordium illuminatorem, qvi loqvutus est per Prophetas, & congregat Ecclesiam Sanctam Catholicam, qvalis jam futura est collecta ex omnibus gentibus, & populis, & tribubus, & lingvis* (Apoc. 7. 9.) *ad colendam sanctorum communionem, & remissionem peccatorum, & carnis resurrectionem, Vitamqve futuri seculi*. Amen.

O qvam beatum esset Humanum genus, si Omnes ad voluntatem Tuam tam simpliciter orare, vivere, credere vellent! Miserere Deus, da velle, da perficere! Ut laudare TE qveant omnes Gentes, celebrare omnes Populi! confirmatam super se videntes misericordiam Tuam, & Veritatem Tuam manere in æternum. *Amen, Hallelujah.*

F I N I S.

Ad Lectorem.

Irrepſerunt, ut ſolet, ſphalmata nonnulla Typographica ſenſum depravantia. Quæ attento Lectori emendare ſi placeat (multo vero magis ſi Opus recudendum ſit, ut ne cum erratis recudatur) ecce catalogum eorum texere non piguit!

In Præfationibus.

PAg. 4. lin. 20. *emendantes.* p. 12. l. 27. 2 Reg. 21. 29. lege 1 *Reg.* p. 13. l. 3. *Abyſſinorum.* p. 14. l. 5. μηχανῆς. l. 24. *Miſerator.* p. 22. l. 22. *Germania.* p. 26. l. 7. anno 1690. p. 28. l. 10. Regno ſuo. l. 13. 2 Cor. 10. 5, 6. l. 18. CCLXI. v. 31. p. 33. l. 18. *Judiciis.* p. 36. l. 15. 1 Per. lege 1 *Pet.* p. 40. l. 7. lege 2 *Chron.* p. 41. l. 7. in *ſummam.* p. 42. l. 18. *humanum.* l. 19. adducente. p. 43. l. 25. *actione.* p. 45. l. 21. *pagella.* p. 47. l. 35. *impleta.*

In Kottero.

P. 22. l. 32. *adverſarium* Kotteri. l. 38. *Deus* illum p. 32. col. 2. Cap. K. lin. 13. *ferò* tranſiit. p. 62. col. 2. l. 9. duæ iſtæ *columnæ* p. 111. c. 1. l. 34. *dominium* habet.

In Poniatovia.

P. 3. l. 6. & *miſeria.* l. 17. dies *iræ.* p. 4. l. 14. Chriſti *nomine.* l. 17. *glorioſum* Chriſti. l. 28. dele *hinc.* p. 10. col. 1. l. 4. cibo & *potu.* p. 18. col. 1. l. 16. Rev. X. 27. Dec. l. 24. Tertiâ Nativitatis. p. 29. l. 13. *cognitisque,* curriculo. p. 43. l. 2. Cur *iraſceris!* l. 30. nolui *orare.* p. 52. l. 22. gladios *ſuos.* p. 59. l. 37. Poſtero die (Jan. 19.) p. 79. col. 1. l. 5. *quatri duo* poſt. p. 89. l. 4. *languorem.* p. 96. l. 18. ſubſiſtens, *concidit.* p. 97. l. 23. *huc illuc.* p. 100. l. 8. Palatinus *Belſenſis.* l. 19. *Archiatrum.* p. 117. l. 13. *hucuſque.* p. 121. l. 7. titulo LXVI. p. 141. lin. antep. 23. 16. & 23. 15. p. 146. l. 30. *alevaſſe* ſit. p. 153. l. 1. cauſam *meliorem.* p. 154. l. 37. *denuntiare.* p. 161. l. 32. ne *ponat.*

In Drabicio.

In titulo lin. penult. *Ab anno* 1638. p. 3. l. 28. arce *Lednitz.* p. 6. l. 23. qvantò *propiùs.* p. 7. l. 4. meliceт *quadriennio.* p. 9. l. 8. cives *Prerovienſes.* p. 11. l. 36. Exulum *fautor.* p. 17. col. 2. l. 20. *immemor ei.* p. 19. c. 2. l. 7. qvi *illum.* p. 24. l. 15. fuit *conſilium.* p. 27. col. 1. l. 11. non abducatur, dele *non.* p. 33. c. 2. l. 1. *ſepelivi.* p. 34. l. 36. ſtipendia *militibus.* p. 46. c. 1. l. 5. certa *reveſſet.* p. 50. l. 17. Attonitus *age.* p. 53. l. 9. primum *diluculum.* l. 15. *adulterinus.* Sc col. 2. l. 1. ſic (*ſ*). p. 58. l. 26. ut *tali* nomine. p. 64. c. 2. l. 39. ut *cuſtodiamus.* p. 73. l. 7. manum & *ipſa.* p. 82. l. 1. *eleatur mari.* p. 83. l. 4. ſec. qvietem *fuiſſe.* p. 91. l. 35. *undique* cum illo. p. 96. l. 7. *obruituro* veſtrum. p. 98. c. 2. l. 7. *ampliatione.* p. 102. & *alii* cuivis. p. 108. l. 12. cum XXIX. v. 2. p. 109. l. 6. ad *finnem.* p. 122. l. 1. loqvi *ea de re fruſtrò fuit.* p. 129. c. 1. l. 39. p. 130. l. 19. *ſcientia* Jeſuitarum. p. 137. l. 13. *præſentique* Adjuncto. l. 16. *adiverant:* &c. p. 139. l. 28. aliqvid *monuero.* p. 140. l. 18. vaſtarent. ſed. p. 144. l. 20. mihi & *aliis.* p. 149. l. 6. *denuò* veniet. p. 156. col. 2. l. 25. *ſervos* mi. p. 157. c. 2. l. 22. Vos *igitur.* p. 159. l. 27. *alludere.* p. 161. c. 2. l. 40. è *caligine.* p. 162. l. 39. *extruſſo* pulvere. paginæ 265. numerum adde, & 149. dele. p. 166. l. 13. à *noctis* mer. p. 168. l. 37. cœli *à terra,* & p. 178. col. 2. l. 1. *adorandα,* ib. l. 4. *colatur.* p. 184. l. 2. velut *centum pondo.* lin. ult. col. 1. adde: Appendice II.] p. 185. col. 2. l. 18. deleantur verba (*nec enim erant multi*) deſunt in originali. lin. antep. pro 1647. pone 1657. p. 187. col. 2. l. 40. deſcribunt & *pingunt.* p. 189. l. 27. *Indormieram.* Revel. 215. v. 7. *Inimitus* ... ibid. col. 2. l. 9. *quò* (pro *quid*). p. 192. l. 31. *à ſucceſſore.* p. 196. c. 1. l. 53. *erroribusque.* p. 197. l. 38. *ſucceſſore,* de qvo. ibid. col. 2. l. 21. *aſpernantur.* p. 213. lin. antep. *confuſſionem.* l. penult. Chriſtiani *Europæi.* p. 217. p. 220. col. 2. l. ult. *illa* enim. p. 225. c. 2. l. 29. Princeps *ipſe.* p. 231. c. 1. l. 11. ſint *omnia.* p. 246. c. 2. l. penult. eram *vindicatus.* p. 285. c. 2. l. 32. *attactu* reddere. p. 405. l. antep. Deo *debita.* p. 409. l. 10. *egerunt* cauſam. p. 413. l. 17. Racocii *locum.* p. 423. c. 1. l. 11. *concionem* habiturus. P. 430. c. 1. l. 36. *reddidiſtis* nota. p. 432. l. penult. Regnorumqve *aucupium.* p. 436. c. 1. l. 23. Papa *Romanus.* ibid. c. 2. l. 11. ſuper *Terram.* p. 448. c. 1. l. 10. ſcripta *sua cauta.* p. 450. l. 39. perfruaris *ab exteris nationibus.* p. 456. c. 1. l. 19. in Eccleſiis *Paſtores.* p. 463. l. 24. Rev. DXCV. p. 466. c. 1. l. 21. *obtenebreſcat* ſol. ibid. l. 30. *conſpexi* virum. p. 469. c. 1. l. 16. panis *fruſtum.* col. 2. l. 16. *fruſtum.* ibid. l. 36. ſibi *faciat.* P. 470. c. 2. l. 15. in *Hollandia.* p. 471. c. 1. l. 16. fuit *à* ſpiritu. 479. l. 5. *alias.* 482. l. 5. *Judici* Deo. 484. 6. *nominis* Dei. l. 19. *conſcribantur.* 487. l. 26. *cauſâ.* p. 488. l. 39. 12. Ad perjurii. p. 504. l. 17. 1 Sam. 13. 1. addatur (*juxta Hebr. & vulgatam verſionem*) lin. ult. 10. Loqvi: ponat 210. *Poſſet.* lin. 521. l. 16. diffiteor, *ſtupeſcere.* 525. l. 42. à *diſceſſu.* 528. l. 20. *luce mea.*

F I N I S.

Drabicianarum Visionum CONTINUATIO

Anno 1664. 1665. 1666.

Rev. 6. 30. Nov. Anno 1664.

[Deus Mundum reformabit, 5. cum Nationum desolatione, 6.]



Stendit mihi Dominus agmen Virorum, Politicorum & Theologorum, mecum disputantium: qvibus ego magno zelo respondens ad Deum clamavi, donec expergiscerer. 2. Redditus mihi orabam ex Psal. 18. v. 2. *Dominus est petra & arx mea, liberator meus, Deus meus & rupes mea, perfugium meum, & scutum meum, altumqve propugnaculum meum,* &c. 3. Respondens autem mihi Dominus meus, & Deus meus, dixit: Ostendi tibi malitiam hostium tuorum & Comenii, qui Amsterdamo vocabitur; qvô autem, rescies postea. 4. Sed *apud me est protectio vestri: solatia verò mea, & benedictio mea venient super labores vestros.* 5. *Volo enim ut in Ecclesia mea, per totam Terram, instituatur ordo ad similitudinem Hierarchiæ meæ cælestis, ubi sanctitas mea & Angelorum meorum regnat, sine discrimine pauperis & divitis.* 6. Tu tibi ab hominibus cave! Ego caussam meam peragam, non sine horribili Nationum desolatione. 7. Cœlum & Terra transibunt, sed verba mea pristina & nupera, non transibunt.

Anno 1665. Jan. 13.

Rev. 516.

[Dei opus procedet, 2. ideò jam non tacendum, sed Legatio Europæis mandatur ad Gentes Orbis, 7.]

A Meridie noctis eram, & Dominus ostendit mihi Montem pulchrum, & in illo exstructa conclavia quædam qvadrato è lapide, Ortum & Occasum, Austrumqve & Aqvilonem versus. 2. Vir autem qvidam senex, venerandâ canitie, prehensâ manu meâ ductabat me per conclavia ista, maximè Occasum & Septentrionem spectantia, solabiliter

 mihi

Rev.

mihi loqvutus. 3. Interqvæ solatia ego ad me reversus, qvid visionis esset cogitabam; & Dominus. *Dilecti mi, sciat opus meum in facie terræ processurum, juxta sermones meos, tantummodò vos duo ne taceatis.* 4. *Ostendi ego tibi hodie montem Sion, in quo mihi Antiqvi Cultores mei, spiritu & corpore mihi noti, serviebant, David & Salomon, cum Sacerdotibus & Levitis antiquæ Legis: qvi mons nunc desertus est à Cultoribus veris, me glorificantibus.* 4. *Sed ego Antiqvus dierum, Dominator Terræ, renovari volo cultum meum per Vos testes meos, utrumqve Senem, cum additis vobis auxilio è Christianitate.* 6. *Ut unanimiter circumfulgeatis Gentes me adhuc esse trinumqve personis, nondum sic agnoscentes & colentes, quomodo meo dono Vos me nostis & colitis: quod ego cum Patre meo & vestro accipio gratè.* 7. *Quæ Gentium illuminatio momento fieri non potest, sed labore opus est, ore & scriptis: legationeqve ad Gentes Virorum piorum, communi consilio & auxiliis junctis Europæ totius, ad concludendam pacem, & inducendam rerum tranqvillitatem, per totam Terræ faciem.* 8. Scribe hoc etiam, & mitte Adjuncto tuo.

Rev. 22. Jun.

[Ecclesiæ Reformationem fideles oculis suis videbunt.]

ITerum ad me verbum Domini factum est, post mediæ noctis vigiliam. 2. Ostenderat mihi Dominus homines novam Domum ædificantes, cum adjuncto molendino ubi conficiebant farinam & pultes: qvod ego lætus spectabam. 3. Mox ad nos ingressus Vir honestus, favum mellis manu tenens, mihiqve impertiens: sed ut ego rursum aliis largirer, qvod lubens feci. 4. Ut ad me redii, facta est ad me vox Dei: *Ne nescias dilecte mi, jam sermones meos per te prolatos tanqvam molâ agitari per nationes Terræ: crede, & solatia mea exspecta fide.* 5. Et mox vidi ad pedes meos super lectulum lucem qvandam, ad caput verò meum crepuit quiddam. 6. Sed & mox inde vidi Viros Nobiles, Ecclesiarumqve Pastores, à me verbis humanissimis reqvirentes Concionem audire, & Eucharistiæ administrationem. 7. Qvod feci: Sermoneqve primùm *de dulcedine promissionum Dei, antiqvarum & novarum* habito, Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi ministravi. 8. Qvibus peractis, deductus fui in Domum frumenti à zizaniis expurgati, panumqve candidissimorum plenam: qvos cum exultatione cordis distribuebam præsentibus, donec in exultatione ista ad me redii, canticum in laudem Dei, Psal. 75. 9. Ut cantum finivi addidit Dominus: *Oculi tui videbunt ista, &c.*

Rev. 618. Jan. 27.

[Reformationis initium ab Occasu [illegible]]

TEmpore diluculi videbam me incedere per montes & sylvas, viasqve asperas, permolestè; donec in domum veni, ubi frumentum erat trituratum jam, sed nondum ventilatione à paleis depuratum. 2. Ecce autem ibi spatiabatur Fœmina faciei venustæ, albè vestita, & ex qua odor qvidam svavissimus me afflabat, ita me alloqvuta: 3. *Mi fili, scias tu, cum aliis qvos mihi dedit Dominus, jam jam trituratum iri frumenta Terræ, ventilationemqve futuram ad separandum paleas à tritico: initiò facto ab Occasu & usqve in Ortum, Meridiem, Septentrionemqve.* 4. Qvibus ego exhilaratus cecini: *Exulta mater, filiorum Dei genitrix, quia dilecta es sponsa Filii Dei,* &c. 5. Cantu hoc finito, dixit Dominus: *Ita fac, ita ora, cum aliis me noscentibus. Ecce tibi ostendi hodie saxa & scrobes, viasque asperas, qvas ipse in terris agens perambulabam, hostes habens me tentantes, & à me signa de cælo reqvirentes, doloseqve mecum agentes.* 7. *Alii enim sunt qvi me verè agnoscunt, alii qvi subdolè confitentur: sed ecce nunc jam tempus venit, ut frumentum doctrinæ veræ, à paleis doctrinæ pravæ, triturâ separetur.* 8. *Cujus rei initium fiet ab Occasu, progredieturque in Ortum, Septentrionem & Meridiem.* 9. *Ut Ecclesia mea in terris militans indumentum accipiat album, edatqve odorem gratum dilectionis mei, filiorumqve meorum in Ecclesia progenitorum: sine seductoribus mihi ingratis, & fœtore doctrinæ pravæ mihi adversantis, gloriamqve & potentiam meam in ignominiam deducentis.* 10. *Quod inchoatum iri brevi oculis tuis videbis: sicut & aliorum, qvibus dabo in cor ut odium concipiant Meretricis & tenebrarum, adament verò lucem Veritatis, & svaveolentem mihi & Patri meo odorem castitatis.* 11. *Paucis hæc nota erant in nationibus, propter tenebras in qvibus Reges, Principes, Domini, cum subditis hærebant.* 12. Scribe hæc, & mitte qvibus nosti: remotis à te corpore, propinqvis spiritu.

Rev. 619. Feb. 16.

[Videns qvospiam vocandus.]

OStendit mihi Dominus (diluculò) homines superiores & inferiores, epistolas mihi exhibentes variis linguis scriptas, mecumqve amicè colloqventes de Revelationibus mihi factis, qvas illis interpretabar. 2. Et ecce alii qvidam Viri spectabiles ad me venerunt eqvitantes, subsidiaque pecuniaria,

cuniaria, non pro me tantùm sed & aliis exulibus, afferentes: quæ ego inter pauperes distribuebam, communi omnium gaudio. 3. Et Dominus: *Sciat mandata mea, & scripta tua, ubi Adjuncto publicata, penetrasse ad Gentes varias.* 4. *Quæ scripta illi lectitando (superiores & inferiores) mirantur gratiam & voluntatem meam: consilia inter se agitantes, quomodo sermonibus meis antiquis & novis, de perdenda Bestia & Meretrice, satis fiat.* 5. *Scias etiam venturos equis qui te secum sollicitabunt, quod te anget; sed bono esto animo, omnia recte habebunt, gratiæ meæ luce, & sermonum meorum veritate, te comitantibus,* &c.

Rev. 620. Feb. 19.

[Veracitas Sermonum Dei.]

EXhibuit mihi Dominus Tabulas eô fine paratas, ut constitutâ in Imperio Pace, Acta illa ibi consignentur, & à columna suspendantur. 2. Quod ego miratus cantavi (ex Psal. 79. vers. 9.) *Auxiliare nobis Deus salutis nostræ*, &c. 3. Dominus autem, *Auxiliatus sum, & auxiliabor: quia clamores Vestros Cultorum meorum ego audio, ut experti estis.* 4. *Et vidit jam oculus tuus, & videbit adhuc, me cum Patre meo, Deo vestro, veracem esse: tum in ultione deducenda super impios sermonum meorum contemptores, scelerumque patratores; tum in præstanda gratia, protectione, benedictioneque piis, mihi & verbo meo fidentibus, voluntatemque meam ex fide facientibus.* 5. *Nam quis unquam in me sperans, verba mea reverenter habens, voluntatemque meam & Patris mei faciens, derelictus fuit? Nemo unquam.* 6. *Videbis tu quid ego in populis acturus sim.* 7. Quibus ego auditis, decantabam Psalmum 40, *Expectans expectavi Dominum.*

Rev. 621. Feb. 26.

[Turcarum conversio & baptizatio, 2. Fœdera Christianorum cum illis, & inter sese, 10. Austriacarum Terrarum divisio, 15. Rex Europæ futurus, 21.]

POst matutinas preces, pro Christianis & aliis gentibus ad Deum fusas, cantabam Psalmum (ejusdem argumenti) 67. 2. Quo finitô, ostendit mihi Dominus Campum, & in eo Exercitum, ex quo ad me prodiit vir staturæ magnæ, armatus, narrans mihi captum esse *Turcam*, duosque cum illo pueros. 3. Adducebantur etiam ad me puerului, candidis indusiis solùm tecti: quos cùm ad me vocarem, magna hominum turba cum illis venit.

4. Ego verò Turcæ isti, & pueris istis, bibendum dabam vinum clarissimum, in eorum nomina inqvirens: sed illi nihil respondebant, qvod mirabar. 5. Ut ad me redii, qvid visionis esset orabam? & Dominus, *Ita fiet ut vidisti, venient ad te viri Turcica è Natione, inquirentes in me Creatorem, voluntatemqve meam.* 6. *Et tres pueri illi, quia os meum de gente Turcica, Tartarica, Judaica, loqvutum est: nempe voluntatem meam esse, consilio Sanctæ Trinitatis decretam, ut omnes illi unum facti vobiscum baptizentur in nomine meo.* 7. *Idque nominibus vobis gratis, sanctorum meorum, Joannes, Andreas, Petrus, Paulus, &c.* 8. Qvod mandatum ego seqvutus, alterum eorum Andream, alterum Johannem baptisavi: præsente populo mecum Psalmum 96, itemqve 50, decantante. 9. Ut cantum hunc exultabundi finivimus, Dominus & Deus meus alloqvi me perrexit, dicens: *Cum ubi è Te aliisqve sic administrabuntur, gaudia in Cælis & in Terra erunt.* 10. Hæc ut transierunt, rursum in ecstasin veniens vidi me inter magnos Proceres, veluti comitialiter congregatos: qvi me honestè habuerunt, mensæ suæ adhibuerunt, quæstiones varias proposuerunt. 11. Qvibus ego librum Lux in Tenebris monstrando, ad ea qvæ ibi scripta sunt me referebam: suffragia deferens *Regi Galliæ, Electoribus Imperii, Magno Turcæ, Principiqve Transylvaniæ.* 12. Quæ cùm admitterent omnes, scriptæ sunt memoriales Tabulæ, propria cujusqve manu subsignatæ, & propriis sigillis sigillatæ, ad obstringendum se invicem dilectione mutua, cantu etiam Psalmi centesimi. 13. Qvæ omnia tantô zeli fervore, & tam decorâ gravitate, tantâqve lætitiâ peragebantur, ut genæ meæ lachrymis offunderentur. 14. His transactis, venit mihi recordari Visionis Anno 1661. (24. Febr.) habitæ, de Arbore radicitùs eversa, qvam ego in Truncos qvinque dissecueram. 15. Dominus verò (ad has cogitationes meas:) *Ostenderam tibi tunc Arborem sine radice, Domum Austriacam: cujus Dominatio in Christianitate diuturna fuit, sed cui jam impono finem.* 16. Partem enim *Hungariæ*, ubi radices ejus erant, dabo Principi *Transylvaniæ*, ille ut Rex Hungarorum sit. 17. Pars altera, *Croatia, Stiria, Carinthia,* cum *Venetorum dominio*, cedet Turcæ: ita tamen ut sedem regni *Budam* Regi Hungariæ tradat, sicut ab antiqvo fuit. 18. Pars tertia *Bohemia* est, quæ ut Electori Saxoniæ, Fidei veræ Christianæ amatori, cedat. 19. Pars quarta, *Silesia & Moravia*, Electori Brandeburgico. 20. Quinta pars, *Austria superior & inferior*, Electori Palatino: cujus patrem Bohemi in Regem elegerant, rursumqvè deseruerant.

21. Ego verò cogitabam Imperii successorem: ubi Dominus, *Jam ante tibi ego Alpha & Omega de Rege Franciæ loqvutus sum: ut si meam voluntatem*

tam faciens destruet Babylonem, cum abominationibus suis, sicut Rex Imperii, hoc est Europa. 22. Electi autem Ecclesiastici ... hanc Principes Politici, &c.

Rev. ... 28. Febr.

I. Concilium generale Christianorum trinum, trino pisce repræsentatum, 2. Primùm in Occidente, h. e. Germania, 11. auspiciis Galliæ Regis, 12. reliquorum nomina differuntur. 13. Et quid in illis Conciliis agendum, & peragendum, 8, 9, 14. Non tacendum ...

POst mediæ noctis suspiria ostendit mihi Dominus multitudinem hominum, ad iter se accingentium; habentium supra se virum, qui quò ituri essent indicabat, & quid viatici loco esset opus præmonstrabat. 2. Idem habebat linteo involutos Pisces tres: unum prægrandem, cui similem nunquam vidi; alterum & tertium minores. 3. Rogabant verò me, ut se comitari, & quæ ibi agerentur spectator esse, vellem: una cum Viro qui nobis tunc intervenerat, vultu liberali, aspectu amœno, veste simplici albâ, cui similem nemo alius habebat, suadens ut congregatio fieret. 4. Et *facta est congregatio, ad Occidentis plagam*: Ubi alterâ parte considebant, Rex, Principes, & Proceres; ab altera Viri Ecclesiastici, habentes ante se volumina librorum, manuscriptorum & impressorum, linguis variis; mea etiam, & illis similia scripta, ab Adjuncto edita. 5. Omnes hi sententias conferendo in eo conveniebant, non aliter fieri oportere quàm in Libris istis, antiquis & novis, præscriptum est. 6. Quod vir ille habitu simplici per medium deambulans asseverabat: mihique Piscibus istis manuimpositionem mandans, ita clamare jussit, *Vivat primus, Vivat secundus, Vivat tertius! in nomine Jehovæ Creatoris Cæli & Terræ, & Maris, & in nomine* JESU *Christi Salvatoris, qui est A & Ω: &, in nomine Spiritûs S. consolatoris & Sanctificatoris! Amen, Amen, Amen!* 7. Post omnia hæc aperui oculos, & vidi in pariete lucis splendorem, qualem aliàs nunquam; laudavique hymno Deum.

8. Et Dominus: *Dilecte mi, conclusi ego cum Patre meo consilium, ut virtute meâ in exequutionem deducantur Sermones mei, tùm antiqui, tùm per te prolati. 9. Ut ante seculorum finem una sit Fides, & unum Baptisma, omnesque confiteantur unum Deum & Patrem omnium, qui sunt in Oriente & Occidente, Septentrione & Meridie. 10. Sed prævenire necesse est Congregationem Nationum in tribus Orbis partibus; Regum, Principum, Procerum, Virorumque Ecclesiasticorum & illuminatorum. 11. Atque ea in Germania congregatos ... quoque vocaliter, una cum illis qui Sermones meos per te prolatos receperunt. 12. Ubi facius*

faciet quod tibi mandavi, suffragaberis maximo illi ipsi, Regi Galliæ, qui Regnum Europæ. 13. *Sicut & minoribus illis, secundo ac tertio, quos non ignoras quos sint; sed indicabitur illis suo tempore.* 14. *Quæ omnia fiunt post bene expensos sermones meos: cum hos illis aliis omnibus adjunxeris; ut in unum consilium, unamque antiquam Fidem, secundum Symbola antiquorum Conciliorum, & unam communem dilectionem & spem, consentiant omnes.*

15. Hæc omnia postqvam ex ore Domini scripsi, addidit Dominus: *Tu fili, & utris qvodqve placebit mihi.* 16. *Et mitte hoc etiam alteri meo, Adjuncto tuo; ut ipsa in nomine meo diligentius animasqve suas salutem, quos ille melius ac tu nosse potest: ut pax mea vobiscum habitet.* 17. Qvibus ego in spem erectus cecini (vernaculè) Psalmi 96. versum ultimum, qvem Latino metro Eobanus ita expressit;

Jam venit ecce Deus: venit hinc ut judicet Orbem
Justum judicium Judicis hujus erit.
Diriget æquis Terrarum legibus Orbem,
Et justè Populos veritate reget.

Rev. 623. Martii 3.

[Novus libertatum Rex proclamatur, 1, 6. Novusque Bohemiæ Rex, 8. & Austriæ Dux, 9. & Hungariæ Rex, 10. & Moraviæ Silesiæqve Dominus, 11. cum descriptione inchoandæ ibidem Reformationis, 12. &c.]

FUi per visionem deductus in altissimam Turrim, habentem Conclave; & in medio conclavi Tabulam, & super hanc repositos libros, epistolasqve complicatas. 2. Qvarum unam ego in manum sumens legebam, præsentibus Viris illustribus, *de terribili igne iræ Dei.* 3. Descensione facta in turris aream, invenimus congregatos Viros insignes, Politicos & Ecclesiasticos, habentes in medio sui Eqvum generosum. 4. Super qvem collocarunt è medio sui unum, superjectaqve illi pretiosâ candidâ veste, honorem ei exhibebant maximum. 5. Mox cum comitati sumus in Atrium qvoddam, ubi etiam consessus fuit Virorum utriusqve Ordinis: qui omnes interrogabant præsentes de *natione Bohemica, Ubinam Privilegiorum Diplomata, olim à Carolo secundo asservata, essent?* 6. Lustratisqve illis, exclamavimus unâ voce omnes, *VIVAT, VIVAT, VIVAT REX FRANCIÆ, Rex Libertatum!* 7. Ubi Electorum Ecclesiasticorum neminem vidi: Palatinum tantum, Saxonem, Brandeburgicum, cum multa Principum Comitumqve, & Legatorum à Regnis & Provinciis, Urbibusqve Impe-

Imperialibus, corona. 8. His peractis, agminatim profecti sumus omnes in Bohemiæ metropolin, *Pragam*: ubi præsente magnâ Procerum & populi Bohemici multitudine, in Bohemiæ Regem electus est *Saxoniæ Elector*, publicis omnium jubilis & exultatione. 9. Inde profecti sumus in *Austriam*: ubi *Elector Palatinus* proclamatus est Dux Austriæ, in Turcicorum & Hungaricorum Legatorum præsentia. 10. Ex Austria in Hungariam progressi, vidimus Regem Hungariæ constitui Apafium. 11. Posonio in Moraviam regressi, *Olomutium* venimus, ibiqve præsentibus Silesiis in utriusqve Terræ (*Moraviæ & Silesiæ*) Dominum eligi conspeximus *Electorem Brandeburgicum*. 12. Cui dum hîc Olomutii, omnes Provinciæ Ordines, Ecclesiastici etiam, homagium præstarent, me qvoqve cum Adjuncto meo fidem & subjectionem obstringere necesse fuit. 13. Unde Marchio novus *Welebradium* deductus (quæ olim Regum Moraviæ sedes fuit, postea Monasterium facta) Ecclesiæ res ordinavit: cessitqve per votorum suffragia Adjuncto meo Olomutium, mihi Lipnika. 14. Datâ simul potestate Ecclesias visitandi, Pastoresqve animarum idoneos præficiendi: qvod magno ubiqve Populi, ipsorumqve Pastorum plausu & lætitiâ peragebatur. 15. Terminatâ Visione hâc diescere jam animadverti, tum illa qvoqve consignanda esset recogitans: & Dominus, *Scribe statim, ne memoriâ effluat*. 16. Surrexi ergò, & scripsi: Psalmi 146. cantu Dei laudes celebrans.

Rev. 624. 10. Martii.

[Omnium inæqualitatum exæquatio instat, 1. Potestas à Papa & Austriacis usurpata nemini amplius concedenda. 4. Pastorum Eccl. novi.]

POst matutinas preces ostendit mihi Dominus magnam ignoti mihi populi turbam, cum qvibus tamen & preces peragebam, & ligna quædam (majora & minora) instrues componebam, meo & illorum gaudio: eò qvod tametsi essent inæqvalia, egregiè tamen ad invicem qvadrabant. 2. Et Dominus: *Jam tu id facis, inæqvalia coæqvando, & ad invicem qvadrando, per sermones meos à te scriptos, ab Adjuncto editos, à Redingero ad varias Nationes propalatos.* 3. *Non omnes qvidem gratè ista excipiunt, non prævalebit tamen adversantium ingenium, vis, robur, virtuti verborum meorum.* 4. *Qvibus Vos mei tanqvam serrâ dissecatis arborem Domus Austriacæ, Hispani, & Papæ nomini meo ignominiam, vobis autem cultoribus meis cruces, inferentium: qvalem potestatem nemini post illos dabo in æternum.* 5. *Qvando te cum Adjuncto in patriam reduxero, fideliter Ecclesiis providebitis Pastores: à*

Vestris primùm, qui fidem & bonam conscientiam servarunt, tum de assumtis aliunde, &c.

Rev. 625. 23. Mart.

[Vestis unanimitatis (circumdanda Gentibus) in Occidente paratur, 1, 2. reparatione structurarum æquali, 4, 5. Expectantes hæc fide, non confundentur. 6, 7. Turcarum Imperator exhibetur Videnti baptizandus, 9, &c. Gaudia inde ventura Cœlo & Terræ, 18.]

FErvidè matutinis precibus pro Orbis Nationibus peractis, ostendit mihi Dominus magnam Domum, in qva linteos pannos novos distruebant, vestibusqve inde consutis homines induebant; me etiam, qvod mihi gratum fuit. 2. Transeunte hâc Visione, dixit Dominus: *Jam texitur linteum operis mei in Nationibus ad Occasum, ad parandum unanimitatis Vestem qvam circumdabitis Nationibus, nondum ita me noscentibus, ut novistis Vos, ad serviendum mihi æternùm viventi mente liberâ, in spiritu & veritate.* 3. Qvô ego auditô, cecini *Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium,* &c. 4. Et Dominus iterum mihi ostendit homines, sublimioris & humilioris conditionis, qvi laceratam valde Domum ab Ortu & Occasu, Aqvilone & Austro, ita reficiebant unanimiter, ut æqvalitas undiqve appareret, jucundo spectaculô. 5. Redditus mihi cogitabam, qvid hæc significarent? Et Dominus: *Domus Mundi undiqve ruinosa & lacera jam jam undiqve reparari incipiet, ut omnia undiqve consolidata & coæquata sint; qvod miraberis.* 6. Ob qvod ego gaudiô perfusus, spe roborari orabam cantu: & Dominus, *Patiens esto!* 7. *Non deserui ego Mosen, Aaronem, Eliam, Jeremiam, Danielem, neqve te deseram: tantummodò imitare mihi, una cum cæteris qvi videri vultis opus agere meum.* 8. Qvô magis etiam exhilaratus ego in cantum erupi Psalmi 119. literæ ultimæ Thau, ver. 169. &c. 9 Ut defui, mox iterum abreptus vidi Virum canis jam perspersum, afferentem mihi epistolas majores & minores: qvas recipiebam alacriter, qvia singulare qviddam erant, qvale nunqvam antè vidissem. 10. Vir autem iste (alio qvopiam comitatus) invitabat me, ut cum illis eqvitare vellem in Orientem: & persvasit. 11. Venimus ergò in Civitatem magnam ubi acervi erant pulcherrimi tritici: qvod cum spectarem, circumdederunt me catervæ hominum, inter alios persona valdè conspicua, cui alii multum honoris deferebant. 12. Qvæ ad me conversa dixit: *Credo Christum Jesum esse Filium Dei vivum:* petiitqve in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. baptizari. 13. Qvod cùm fecissem, exultatio fuit magna valdè. 14. Ad me reversus orabam pro Nationibus Terræ, Psalmum cantans 117. (Laudate Dominum omnes Gentes.) 15. Et Dominus: *Serve mi, non mutabor ego in mutatione illa Orbi inducenda, qvam decrevi postremis Mundi temporibus.* 16. *Literæ tibi è Turcia (suo tempore) venient, qvò tu ibis, & ad mandatum meum ipsum Turcarum Imperatorem, cum aliis multis, sacro fonte tinges:* 17. *Ut & illi congregentur tanqvam triticum purum, in domum dilectæ meæ sponsæ, Ecclesiæ, pro qva ego animam posui meam.* 18. *Qvod ubi erit factum, seqvetur id qvod hodie vidisti, Gaudium in Cœlis inter Angelos: & in Terra per universum Orbem.* 19. *Tu expecta solatia mea:* & ego laudavi nomen Dei.

Rev. 626. April. 19.

[Videntis in Patria futuri labores, 1. Ira tamen Dei præibit per Terras & Populos, 4. Finem horum novit Deus, 7.]

OStendit mihi Dominus congregationem Politicorum & Ecclesiasticorum, inter qvos dilectus meus Adjunctus fuit, de ordinandis per Ecclesias Pastoribus unanimiter mecum solicitus. 2. Mihi verò datum fuit Panis libum, de qvo ego bucceas scindens, distribuebam præsentibus mente hilari. 3. Dominus autem postqvam ad me redii: *Futuros tuos labores iterum tibi dilecte mi ostendi, qui vos ab exilio reversos expectant.* 4. *Jam liberatio vestra propinqvat: sed non veniet sine terroribus ab incensa ira mea, quam super Terras & Populos effundam, juxta pridem ad te factos sermones meos.* 5. *Quibus pauci adhibuerunt fidem, & adhuc: tu autem firmius esse Verbum meum quàm Cœlum & Terram, crede.* 6. Ego igitur Psal. 12 cecini; qvò finitò Dominus: *Vrbes ad terminum usqve mihi & Patri meo placitum.* 7. *Apud nos enim principium & finis est cujusqve rei, etiam bellorum præsentium.* 8. *Vos hic loci conservabimini, tametsi non sine pavore,* &c.

Rev. 627. Maj. 7.

[Concordia hominum redibit, post ruinam Domus Aust. & Rac. 2, 6. Torrentes iræ, & ignes furoris, super totum Orbem, 7. ob hominum cœcitatem & incredulitatem, 8.]

POst tristes meos ad Deum nocte mediâ gemitus, ostendit mihi Dominus hominum litigantium, secularium & spiritualium, catervam: pro qvibus oravi, ad concordiam eos valde seriò cohortans. 2. Qvam Visionem cùm expergefactus mirarer, cecidit super cistam ad lectum meum lapillus: qvod videre volens qvidnam esset, oculos operui; & ecce ad pedes meos veluti stella ter coruscans! 3. Mox sensi super pectus meum tanqvam stillas cadere: qvod magis etiam pavescens fervidè oravi, ut ne permitteret Deus verba sua in terram cadere, sicut Samuelis tempore (1 Sam. 3. 19.) 4. Ad quæ Dominus: *Jam lapsus Domus Austriacæ venit ut lapidis, & stillatio iræ super Domum Racocii.* 5. *Jam enim senior mortuus est; iste cum Consiliariis suis peribit, gloriamqve simul cum potentia amittet, humano tantum brachio innixus.* 6. *Racoci verò una cum matre perversissimo corde sunt, & me nihil timentes: sed illis etiam fraudulenta sua consilia nihil proderunt, faciet; videbis hic etiam sermonum meorum veritatem,* &c. 7. *Nam ecce jam nubila surgunt, è qvibus torrentes iræ sese devolvent, ignisqve furoris mei depascet Nationes terræ, super totum Orbem.* 8. *Nec plagarum adhuc tam citò finis erit, propter cæcitatem & incredulitatem filiorum hominum: apud qvorum plerosqve clamores vocis meæ nihil sunt.* 9. *Sed tu serve mi hæc nihil cura, vigila tantum & ora:* [illegible] *hic etiam in terra.* 10. *Sed Vos conservabimini, donec ira mea procella transierit.*

Rev. 628. 15. Maji.

[Exules restituendi, 1, 2, 3. post procellas quæ antecibunt. 3. quod ut nemo credit, ita videbunt omnes, 4.]

MAtutinis è precibus ostendit mihi Dominus dilectam Patriam meam, in qvam introducebar à Viris utriusq; Ordinis, desolatas Ecclesias nostras mecum visitantibus, magna cum lætitia & Psalmorum jubilis. 2. Et Dominus, ad me reverso mihi: *Dilecte mi, non aliter fiet usqve dudum ex me audivisti, & exhibitum tibi hodie vidisti.* 3. *Omninò vos reducam: at non priùs, qvàm procella iræ meæ, qvam Terræ huic & aliis sub sole immittam, transierit.* 4. *Qvod unus è mille non credit, sed videbunt omnes,* &c.

Rev. 629. 8. Junii.

[Turca cum Orientalibus evocatur, ad excitandum Occidentales: & ad qvid.]

Diluculò exclamavi (ex hymno Ecclesiastico) *Provide nobis cælestis Pater!* & Dominus: *Providi & providebo: modò homines voluntatem meam facere velint alìter quam hucusqve. 2. Sed debebunt; ideò Turcam urgeo, & tanqvam jugo imposito propello, ut ab Oriente inchoans Occidentales qvoqve ad agendum excitet. 3. Qui tergiversantur qvidem, sed cogentur in Bestiam concipere odium, & Meretricem reddere nudam, & infundere illi calicem duplum, qvomodo illa Vobis meis Cultoribus infundere solita. 4. Nam diluvium iræ meæ ibit de regione in regionem, ut tota Terra tremiscat. 5. Ultima hora jam apud Vos sonuit: sed impios mensuram suam implere necessum est, ut Noæ temporibus, & Lothi, &c.*

Rev. 630. 23. Junii.

[Visione Templi communis Christianorum reconciliatio, Gentiumqve omnium coalitio, ostensa, post oppressionem [illegible].]

ITerum ad me Verbum Domini factum est, diluculò. 2. Præcesserat *Visio Templi amplissimi*, qvale mihi nunqvam visum: in qvo permulti Pastores diversarum Confessiouum (meus etiam dilectus Adjunctus, veste decorâ) convenientes gratulabundi nobis dextras offerebamus. 3. Tum & munia sacra obibamus, per omnes partes ejusdem Templi (Ortum & Occasum, Austrum & Septentrionem versus) Psalmodias cantando, Verbumqve Dei prædicando. 4. Aderant enim Viri duo, ut omnia ordine fierent attendentes, & qvo loco qvisqve munia sua, sine aliorum invidia & interpellatione, in eodem Templo obiret (sicut & populus ipse) disponentes, ordine amabili & admirabili. 5. Ego igitur sensibus redditus hymnos qvosdam nostros, de svavissima sanctorum in Ecclesia consociatione cantavi. 6. Qvibus finitis Dominus: *Dudum hoc tibi ostendere, quod hodie vidisti, constitueram. 7. Consigna id pro iis qui sermones meos per te prolatos recipiunt, impletionemqve eorum expectant: Quos tu non nosti, qvinam & ubi sint, novi ego. 8. Ecce ostendi tibi Templum meum, quod est dilecta mea Sponsa, Ecclesia, quam in Orbe Terrarum habeo; cum diversis mihi serviendi ritibus & consvetudinibus. 9. Alii qvippe hic alii aliis formulis & ceremoniis utuntur: sed nulli melioribus qvàm qvi verbis Legis meæ, & Clavibus meis, Sacramentisqve à me institutis, acqviescunt; sine humanis adinventis, in corde puro & conscientia bona & fide non ficta. 10. Qvomodo id etiam vestra in Unitate, in qva tu natus & educatus es, observatum fuit ab illis, quos ego tibi hodie (partim vivos partim demortuos) exhibui. 11. Volo autem ego Dominus & Creator vester, ut ante seculi finem, in Ecclesia mea domo omnes jam sitis Unum cor, & anima una, una Fides & unum Baptisma: obedientes mihi unico Pastori, & Episcopo animarum Vestrarum. 12. Exultantes in cordibus vestris Domino dies & noctes, sicut exultant Angeli mei, millia millium; cum numero mihi noto è vobis filiis hominum, qvos te jam præcesserunt de Unitate terrena in unitatem cælestem. 13. Ubi ego eos induo veste candidâ, & decoro decorum gloria, ut recumbentes super pectus meum fruantur me pane vitæ, & bibant de me Vite vera in Patris mei domo in æternum. 14. Ubi gaudia sunt, & gloria, & regnum qvale oculus vester non vidit, nec in cor vestrum ascendit, tam consummata, ut jam vident & perfruuntur, Adam, Abraham, Moses, Prophetæ, Apostoliqve mei, mecum angulari lapide, & cum Majoribus vestris, in omnem æternitatem. 15. Tibi forsan & aliis, tanta hæc Gentium coalitio, [illegible] impossibilis videtur: at apud me satis est de [illegible] benedictionum, spiritualia & corporalia. 16. [illegible] Vos tantum mei [illegible]: sed ut paranymphi*

 phi

OStendit mihi Dominus congregationem Politicorum & Ecclesiasticorum, inter qvos dilectus meus Adjunctus fuit, de ordinandis per Ecclesias Pastoribus unanimiter mecum solicitus. 2. Mihi verò datum fuit Panis libum, de qvo ego bucceas scindens, distribuebam præsentibus mente hilari. 3. Dominus autem postqvam ad me redii: *Futuros tuos labores iterum tibi dilecte mi ostendi, qui vos ab exilio reversos expectant.* 4. *Jam liberatio vestra propinqvat: sed non veniet sine terroribus ab incensa ira mea, qvam super Terras & Populos effundam, juxta pridem ad te factos sermones meos.* 5. *Qvibus pauci adhibuerunt fidem, & adhuc: tu autem firmius esse Verbum meum qvàm Cœlum & Terram, crede.* 6. Ego igitur Psal. 12 cecini; qvò finitò Dominus: *Vroes ad terminum usqve mihi & Patri meo placitum.* 7. *Apud nos enim principium & finis est cujusqve rei, etiam bellorum præsentium.* 8. *Vos hic loci conservabimini, tametsi non sine pavore,* &c.

Rev. 627. Maj. 7.

[Concordia hominum redibit, post ruinam Domus Aust. & Rac. 1, 6. Torrentes iræ, & ignes furoris, super totum Orbem, 7. ob hominum cæcitatem & incredulitatem, 8.]

POst tristes meos ad Deum nocte mediâ gemitus, ostendit mihi Dominus hominum litigantium, secularium & spiritualium, catervam: pro qvibus oravi, ad concordiam eos valde seriò cohortans. 2. Qvam Visionem cùm expergefactus mirarer, cecidit super cistam ad lectum meum lapillus: qvod videre volens qvidnam esset, oculos operui; & ecce ad pedes meos veluti stella tres coruscans! 3. Mox sensi super pectus meum tanqvam stillas cadere: qvod magis etiam pavescens fervidè oravi, ut ne permitteret Deus verba sua in terram cadere, sicut Samuelis tempore (1 Sam. 3. 19.) 4. Ad quæ Dominus: *Jam lapsus Domûs Austriacæ venit ut lapidis, & stillatio iræ super Domum Racocii.* 5. *Jam enim seminortuus iste cum Consiliariis suis peribit, gloriamqve simul cum potentia amittet, hominum quorundam brachio innixus.* 6. *Racoci verò una cum matre perterrefactus corde fuit, ut nihil timeat: sed illis etiam fraudulenta sua consilia nihil proderunt, ruent; videbis hic etiam sermonum meorum veritatem,* &c. 7. *Nam ecce jam nubila surgunt, e qvibus torrentes iræ sese advolvent, ignisqve furoris mei depascet Nationes terræ, super totum Orbem.* 8. *Nec plagarum adhuc tam citò finis erit, propter cæcitatem & incredulitatem filiorum hominum: apud qvorum plerosqve clamores vocis meæ nondum fructificârunt.* 9. *Sed tu serve mi hæc nihil cura, vigila tantum & ora: qvoniam [illegible] ad gloriam, hic etiam in terra.* 10. *Sed Vos conservabimini, donec iræ meæ procella transierit.*

Rev. 628. 15. Maji.

[Exules restituendi, 1, 2, 3. post procellas quæ anteibunt. 3. quod ut nemo credit, ita videbunt omnes, 4.]

MAtutinis à precibus ostendit mihi Dominus dilectam Patriam meam, in qvam introducebar à Viris utriusq; Ordinis, desolatas Ecclesias nostras mecum visitantibus, magna cum lætitia & Psalmorum jubilis. 2. Et Dominus, ad me reverso mihi: *Dilecte mi, non aliter fiet utqve dudum ex me audivisti, & exhibitum tibi hodie vidisti.* 3. *Omninò vos reducam; at non priùs, qvàm procella iræ meæ, qvam Terræ huic & aliis sub sole immittam, transierit.* 4. *Qvod unus è mille non credit, sed videbunt omnes,* &c.

Rev. 629. 8. Junii.

[Turca cum Orientalibus evocatur, ad excitandum Occidentales: & ad qvid.]

Diluculò exclamavi (ex hymno Ecclesiastico) *Provide nobis cœlestis Pater!* & Dominus: *Provideo & provideo: modò homines voluntatem meam facere velint aliter quam hucusqve.* 2. *Sed debebunt; ideò Turcam urgeo, & tanqvam jugo imposito propello, ut ab Oriente incheans Occidentales qvoqve ad agendum excitet.* 3. *Qui tergiversantur quidem, sed cogentur in Bestiam concipere odium, & Meretricem reddere nudam, & infundere illi calicem duplum, qvomodo illa Vobis meis Cultoribus infundere solita.* 4. *Nam diluvium iræ meæ it de regione in regionem, ut tota Terra tremiscat.* 5. *Ultima hora jam apud Vos sonuit: sed impios mensuram suam implere necessum est, ut Noæ temporibus, & Lothi, &c.*

Rev. 630. 23. Junii.

[Visione Templi communis Christianorum reconciliatio, Gentiumqve omnium coalitio, ostensa, post oppressionem [illegible].]

ITerum ad me Verbum Domini factum est, diluculò. 2. Præcesserat *Visio Templi amplissimi*, qvale mihi nunqvam visum: in qvo permulti Pastores diversarum Confessionum (meus etiam dilectus Adjunctus, veste decorâ) convenientes gratulabundi nobis dextras offerebamus. 3. Tum & munia sacra obibamus, per omnes partes ejusdem Templi (Ortum & Occasum, Austrum & Septentrionem versus) Psalmodias cantando, Verbumqve Dei prædicando. 4. Aderant enim Viri duo, ut omnia ordine fierent attendentes, & qvo loco qvisqve munia sua, sine aliorum invidia & interpellatione, in eodem Templo obiret (sicut & populus ipse) disponentes, ordine amabili & admirabili. 5. Ego igitur sensibus redditus hymnos qvosdam nostros, de svavissima sanctorum in Ecclesia consociatione cantavi. 6. Qvibus finitis Dominus: *Dudum hoc tibi ostendere, quod hodie vidisti, constitueram.* 7. *Consigna id pro iis qui sermones meos per te prolatos recipiunt, impletionemque eorum expectant: Quos tu non nosti, quinam & ubi sint, novi ego.* 8. *Ecce ostendi tibi Templum meum, quod est dilecta mea Sponsa, Ecclesia, quam in Orbe Terrarum habeo; cum diversis mihi serviendi ritibus & consvetudinibus.* 9. *Alii quippe his alii aliis formulis & ceremoniis utuntur: sed nulli melioribus quàm qui verbis Legis meæ, & Clavibus meis, Sacramentisque à me institutis, acquiescunt; sine humanis adinventis, in corde puro & conscientia bona & fide non ficta.* 10. *Quomodo id etiam vestra in Unitate, in qua tu natus & educatus es, observatum fuit ab illis, quos ego tibi hodie (partim vivos partim demortuos) exhibui.* 11. *Volo autem ego Dominus & Creator vester, ut ante seculi finem, in Ecclesia mea domo omnes jam sitis Unum cor, & anima una, una Fides & unum Baptisma: obedientes mihi unico Pastori, & Episcopo animarum Vestrarum.* 12. *Exultantes in cordibus vestris Domino dies & noctes, sicut exultant Angeli mei, millia millium; cum numero mihi noto è vobis filiis hominum, qui se jam præparaverunt de Unitate terrena in unitatem cœlestem.* 13. *Ubi ego eos indui veste candidâ & decoravi coronâ gloriæ, ut recumbentes super pectus meum fruantur me pane vitæ; & bibant de me Vite vera in Patris mei domo in æternum.* 14. *Ubi gaudia sunt, & gloria, & regnum quale oculus vester non vidit, nec in cor vestrum ascendit, tam consummata, ut jam vident & perfruuntur, Adam, Abraham, Moses, Prophetæ, Apostolique mei, mecum angulari lapide, & cum Majoribus vestris, in omnem æternitatem.* 15. *Tibi forsan & aliis, tanta hæc Gentium coalitio, [illegible] impossibilis videtur: & apud [illegible] satis est [illegible] benedictionum, [illegible] spiritualium & corporalium.* 16. *[illegible] Vos [illegible] sed ut [illegible]-*

 phi

phi mei, ad nuptias meas gentes ab Ortu & Occasu, & Septentrione, & Austro, invita-
te! 17. *Cantate tuba in Sion! clamare necessitate! jam esse tempus, jam ad arborum ra-*
dices positam esse securim, ventilabrumqve in manu mea: 18. *Ad congregandum à me*
Pastore oves meas in Ovile unum, & colligendum Triticum meum in horreum, Paleas verò
comburendum igne inexstingvibili. 19. *Illos dico qui super se ipsos sese fundantes vocem*
meam non audiunt, illos verò qui audiunt odiò habent, & de Civitate in Civitatem per-
seqvuntur: Idqve sine omni Dei metu, propriòqve suo exitio, temporali & æterno. 20. *Ista*
ecce sunt dilecte mi ea, quæ ego Pater æternitatis indicata tibi volui hodie, ut ea cum aliis
sermonibus meis mittas ad tibi Adjunctum Comenium: ille verò ad alios mei amantes, &
solatia mea expectantes. 21. *Ne lassescite dilecti mei! præmium Vestrum à Patre meo*
Vobis depositum asservatur, hic & in æternum. 22. Hic cessavit loqvi Dominus: ego
autem cantu Deum celebravi. Amen, Hallelujah.

Rev. 631. 26. Junii.

[Convivii magni apparatu ostensum idem, 2. Appropinqvantis illius signa, *Ignis, Aqva,*
Gladius, quæ Christianos evigilare facient, 9.]

ITerum sub diei exortum visione certâ, alloqviôqve suo, me dignatus Dominus
ostendit mihi Conclave nitidum, ubi spatiabantur Viri honorati, decore vestiti,
amicè colloqventes. 2. Ingressusqve ad nos Vir amabilis, manu tenens Calicem,
mihi eum tradebat ad potum inde præbendum convivis; positæ enim erant men-
sæ, illatiqve cibi odore svavissimô. 3. Et volebant me primo accumbere loco, sed
verecundabar, donec Dominus sedis me coëgisset. 4. Surgentes inde aliud in-
gressi sumus Atrium, spatiosius, plenumqve mensis: qvô ad nos ingressus fuit Vir
canitie venerandâ, cui omnes honorem exhibebant, *ANTIQUUS DIERUM*
hic est, dicentes. 5. Hic igitur sessionum loca omnibus distribuebat, & unusqvis-
qve cum gaudio cordis acqviescens considebat; donec ego ad me reversus in Psal-
mi 12. cantum erupi, *Succurre Deus*, &c. 6. Et Dominus, *Succurri, & succurram*
nunc!: Omnia namque jam parata sunt in Domo mea, tum inferiore hac terrenâ, tum
superiore cœlesti: 7. *Ubi Pater meus Vobis cultoribus meis parata jam habet loca, ad col-*
locandum Vos quoque testes meos, cum aliis electis meis, ad mensam meam: ut gaudium ve-
strum plenum sit, hic & in æternum. 8. *Tu igitur cum aliis expectate solatia mea.* 9. Hæc
cùm dixisset, crepuit qviddam bis, validissimè primò, tum remissiùs: qvod ignarus
qvid sibi vellet, orabam. 10. Et Dominus: *Jam ego Nationibus terræ, signis &*
prodigiis in cœlo & terra, contestor Diem meum esse prope, quô in facie Terræ mutationem
facturus sum ad serviendum mihi æternùm viventi. 11. *Ignem mittendo, ut exurat; A-*
quam, ut deluat; Gladium, ut demetat, adversantes mihi: qualiter à multis seculis non
fuit: 12. *Si fortè sic ad se redeant habitatores Orbis Christiani, paceque inter se consti-*
tuta pacem offerant Gentilibus: nam hora mea prope est, hora decreti mei. 13. Hîc con-
tinuit: ego autem oratione & cantu laudabam Deum.

Rev. 632. Anno 1666. 27. Junii.

[Prædicta evenient, tametsi differantur.

ANno integro silentium fuit; demum hâc die, cùm qvâdam occasione data
mea hæc relegendo lustrarem, facta est ad me vox Dei. 2. *Serve mi, quan-*
à me

à me scripsisti, & Comenius edidit, sufficiunt: qui aures habet ad audiendum, audiat.
3. *Mihi vindicta, ego retribuam* (dicit Dominus) *unicuiqve juxta opera sua, salute aut exitio æterno.* 4. *Tu patiens, & solatio mea cum Lazaro expectans, esto.* 5. Et ego respondi; *Amen, Amen! Hallelujah, Hallelujah, Hallelujah.*

Rev. 633. Sep. 3.

[Christus (rhytmicè Videntiloqvutus) populos ab Antichristo revocat ad se; 3. Regesqve ad Babylonem destruendum hortatur, 14.]

ITerum ad me facta est vox Dei, post preces mediâ nocte fusas. 2. Exhibuit mihi Dominus conventum virorum præstantium, *qvid inter Lucem & tenebras interfit* judicantium, sententiasqve de Populis & Nationibus Terræ ferentium: qvod mihi valde mirum fuit. 3. Ut verò ad me redij, audivi vocem rhytmicè me alloqventem [qvæ non rhytmicè translata, sed ad verbum, ita sonant.] *Scribe!* 4. *Per beata illa hora, in qua omnis progenies Deum in patrem suscepit, meqve Dominum suum confessa est; voluntatem meam corde facientes, Spirituqve meo sese agi patientes.* 5. *O ergò vos Nationes, Populi & omnes Status, Omnes me Dominum vestrum agnoscite, opusqve meum agite, qvod ego sum operaturus ad illuminandum Nationes omnes.* 6. *Primùm in Hungaria, Croatia, & Austria: dehinc occasum versus, unde Papæ vox prodit ad Septentrionales populos pro evertenda Veritate doctrinæ legis meæ, digito meo vobis scriptæ.* 7. *Quam legem Moses tradidit, in deserto populum docuit, testatique sunt Prophetæ mei de Patre meo, qvod missurus esset me Filium suum ante secula genitum.* 8. *Qui mundum ingressus, fidelis mei Patris Legatus, ut qvod perierat iterum restitueretur luci inaccessæ, vitæ mecum amœnæ, in Domo ubi habitacula sunt multa, pro vobis meis ovibus parata.* 9. *Quas Antichristus mactabat, ustulabat, & sanguinem fundebat, Idolomaniam patrans, Potentesqve mundi seducens, sibi potestatem esse Cœli & inferorum; qvam tamen nec Angeli habent, nec ulla creatura.* 10. *Sed solus ego unigenitus Patris mei; qui obediens illi animam posui meam, ad liberandum ab inferis omnes mihi obedientes.* 11. *Quicunque in me crediderunt, fidemqve ore confessi sunt; Me sedere in throno Patris ad congregandum oves, ex omnibus nationibus super Terram, deducendumqve mecum in Cælos.* 12. *Quicunque voluntatem Dei operati, me receperunt in Caput, in obseqvio perseverantes, proximosqve diligentes: hos ego à morte in cælum translatos mihi assidere faciam.* 13. *Ut faciem meam spectantes, deliciisque meis perfruentes, gaudio & benedictione, meæ accumbentes mensæ cum Abrahamo jam mihi cohabitante, gloriâ meâ coronato.* 14. *Ecce hora adest ultima! metaqve à me posita ruinæ Babylonis, fornicationibusqve Meretricis!* 15. *Cui Vos Reges terræ infundite duplum calicem iræ et furoris, ad abolendum impostures doctrinæ deviæ, sermonibus meis contrariæ.* 16. *Ut hoc visô Gentiles (Ethnici) fidem Dei suscipiant, confitendo in Patre Filium, cum Spiritu æqualis potentiæ, veritatis & gratiæ plenum, in æternum benedictum: Amen.*

17. Qvos Dei sermones ego per tenebras excipiebam cretâ; cantans, *O mitte Pater de cælo Spiritum tuum Sanctum,* &c.

Rev. 634. Sep. 4.

[Carmen Dei novum, quô Populi convocantur in Ecclesiam, & in Cælos.]

ITerum mediâ nocte, à suspiriis meis, ostendit mihi Dominus Viros tres eximios, qvos ego induebam veste eleganti: illi autem votis se obligabant *Deo Patri, Deo*

 Filio,

Filio, Deoque Spiritui Sancto, & Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ triumphanti & militanti, velle unanimiter nobiscum veritatem promovere, gloriamqve illius ampliare, juxta Vetus & Novum Testamentum. 2. Id qvod fiebat admodum graviter ac piè, & cum Psalmi 24. cantu. 3. Ut verò illud transiit, & ego ad me redii, meditabundus qvid visionis esset, cœpit Dominus iterum rhytmicè loqvi, his verbis:

4. *Deus & Pater meus unicus, mecum & cum Spiritu S. Benedictus, habet sibi ad ministeria in cœlo Angelos, in Terra verò vos Homines, Reges, Principes, Magistratusque, Episcopos & Sacerdotes, & qvi hîc ministrant.* 5. *Hi tres ordines me Deum cum Patre colentes (sive sint in Tartaria vel Turcia, & ubicunque sub sole) omnes estis hospites mei, quorum ego nomina novi ubi scripta sunt.* 6. *Omnes igitur jam attendite, oculos cordaq; pandite! Audite hos clamores meos ultimosque Tubæ meæ sonitus, missos ad vos senes & juvenes, divitesq; & pauperes.* 7. *Carmina hæc ego dictavi Vobisq; præscribi jussi. Deus essentiâ unus sed personis trinus, Pater, Filius, Spiritus S. Deus in secula benedictus.* 8. *Pater creavit, Filius redemit, Spiritus sanctificavit, ad serviendum (Deo) corda pura, fide ac dilectione non ficta.* 9. *Qvi me sic honoratis in terra, præmia habetis in cœlo, reposita vobis ab æterno, cum gaudiorum plenitudine, qvalem oculus vester non vidit, nec in cor ascendit vestrum; videbitis autem die illâ quâ me redeuntem videbitis.* 10. *Hâc spe qvicunq; gaudetis, sic ad me clamate: Amen, veni Domine Jesu, cum cœlesti regno tuo! Amen!* 11. Hæc postqvam ego scripsi, addidit Dominus: *Mitte Carmina hæc monimenti loco tibi dictata, in Hollandiam & Angliam.* 12. Ego verò cecini: *O cœlestis gloria extende dextram tuam!* &c.

Rev. 635. Sep. 16.

[Ejusdem argumenti Carmen, ut Nationes prodeant è tenebris in lucem, eodem in Ecclesia *Verbo, Sacramentis, Clavibus* utentes. Non tacenda hæc. 13. Hollandi, 14. 15.]

Diluculi tempore orabam: & Dominus ostendit mihi catervas variarum Nationum, qvorum multi cùm essent cæci, nihil ante se prospectabant qvònam irent, aut euntdum esset. 2. Sed præibant à tue, aliiqve qvi lampadas & ardentes faces manibus gestabant, duci: qvod nos fecimus, manibusqve prehensos duximus Montem præaltum versus, cantantes Psal. 12. & alios hymnos. 3. Qvæ res cùm valde me (ut mira & jucunda) afficeret, evigilavi, qvid Visionis esset recogitans. 4. Et Dominus: *Serve mi, hora mea jam venerunt inclamandi Nationes & populos, per faciem Terræ in tenebris ambulantes;* 5. *Nondum agnoscentes Me & Patrem meum, Deum essentiâ unum personis trinum; ita qvomodo me in cœlis norunt Angeli, & Vos in terra non multi veriores Cultores mei. Scribe!* 6. Cœpitqve mox iterum rhytmicè loqvi, verbis istis: 7. *Ideò Nationes omnes, totius Orbis agmina, Judæi, Turcæ, Tartari, [illegible] Christiani [illegible], sine me luce [illegible], & in [illegible] [illegible].* 8. *Jam tempus est à somno [illegible] expergisci, & converti [illegible] me lucem Vobis paratam, & à Patre missam: qvi sum splendor ejus gloriæ, & character substantiæ [illegible]) & [illegible] ad me vocantis.* 9. *[illegible], [illegible] qvi [illegible] agnoscere, qvi [illegible] in Ecclesia regnans Vos ad cœlestia regna præparo, per Verbum & Sacramenta [illegible], ad salutem necessaria, (media).* 10. *Dedi & Claves, ad aperiendum & [illegible] cœlos, [illegible] Ministeria obeuntibus in Ecclesia, sine fastu & pompa, in simplicitate [illegible]; Non vobis dominantibus, sed me (Dominum) vobis ostendentibus.* 11. *Qvi animam meam posui iterum pro vobis, in Cruce morti traditus, [illegible] resuscitatus.* 12. *Ad finem usque seculorum aliam Vocem ne ampliùs expectate, præter hanc meam inclamationem, ad vos convertendum [illegible]: [illegible] non peribit, sed æternum salvabitur.* 13. *Ideò tu serve mi, [illegible] scias me Dominum esse [illegible]. Ne sileas, sed clama fortiter!* 14. *[illegible] volumus [illegible], ut hæ [illegible] Nationes; ante alios, vero Hollandi.* 15. [illegible]

hos ego benefaciam, in tempore & æternitate, quod sotum Tabernacula à se passi sunt extra. 16 *Tantùm hodie gratia mea in te effusa.* 17 Qvibus ego in chartem conjectis, cecini mente & voce: *Jam exultemus de tanta Dei erga nos charitate, &c.*

Rev. 636. Oct. 14.

[Incredulitas & inobedientia hominum impediunt opera Dei: nominatim Hung. & Svec. 2. Videnti abeundum, & qvò, 4. Qvid jam facturi Br. Sax. Sv. Rad. 5. Bilsky, 11.]

POST noctis mediæ vigiliam, & ad Deum pro deducenda in lucem veritate sermonum suorum, per me in Gentium solatia prolatorum, preces, respondens mihi Dominus & Deus meus dixit: 2 *Incredulitas & inobedientia Vestra, filii hominum: in causa est cur non ad plenum eveniant, quæ os meum tibi loqvutum est.* 3 *Rakoci & Hungarica gens, cum Rege Sveciæ, vacui fide seipsos in ærumnas deduxerunt: licet tu Voluntatem meam deduxeris in eorum notitiam per I. R. & I. M.* 4 *Ideò illos jam fac missos, sed extra hac Terra (sicut exiit Adjunctus) cogita, ad Principem El. Br. de qvo tibi jam antè os meum loqvutum est, qvia in re illius operâ usurus sim in Patria Vestra, in Tua & Adjuncti, Coexulumqve, præsentia.* 5 *Nempe ut initio facto in Terra sua, dehinc in Silesia (cum illis qvos adhuc ibi habeo, Zelantes pro contemptu nominis mei) in Mor. tandem quoqve aboleri faciat idololatriam.* 6 *Qvo viso El. Sax. consilia sua junget consiliis ejus, facturus idem domi suæ, & in Bohemia: illi enim ego honorem hunc dare decrevi, ut Rex B. fiat.* 7 *Qvo cognito Sv. Rex, & Pr. Rad. in Pol. non dormient: ideò tu sermonis etiam hujus mei memor esto, eumqve consigna, ut habeas tempore suo qvod exhibeas.*

8 Ego hæc miratus, qvâ mihi faciendum esset iter cogitare cœpi, per Moraviamnè an Silesiam? 9 Et Dominus: *Per Solnam, ut apud Sob. & Schar. sistas, qvi te consilio juvabunt, qvomodo ad Aulam Principis B. venias.* 10 *Mihi tu fide, voluntatemqve meam tibi indicatam fac, una cum aliis me noscentibus, & ad me clamantibus.* 11 *In qvorum numero est Wenc. Bilsky, qvem assume testem, & non confunderis.* 12 Ego autem ut me confundi ne pateretur, oravi, &c.

Rev. 637. Oct. 19.

[Hominum circa res Fidei cæcitas, & rixæ, dispellendæ luce Dei Veteris & Novi Testamenti, 16 Inclamandi omnes, 17 Væ seductoribus, alios sangvinariè perseqventibus, 18, 21 Angli & Hollandi malum inter se opus agunt, 22 Comminatio pervicacibus 23.]

DEnuo circa noctis meridiem, post meas ad Deum preces, ostendit mihi Dominus loca montosa, nebulis contecta, in qvibus deambulabant homines, qvorsum cuiqve esset eundum ignari, & tamen rixantes, & se invicem sugillantes. 2 Qvod cùm ego cum notis mihi dolenter spectarem, consultor fui ut è medio illorum exiremus. 3 Et mox ad nos venit *Currus Libros vehens duos pulcherrimos, lucem de se spargentes tantam, ut circumcirca montes & valles, omnesqve nos præsentes, circum fulgeret.* 4 Insidebat verò Currui Vir vultu amœno, me nominatim vocans: *Exi tu hinc, & præcede Currum.* 5 Qvô ego mandato gavisus vocabam alios, notos & ignotos mihi, ut Currum seqverentur. 6 Ipse verò præivi per paludes, molesto mihi & valde impedito itinere; sed Currus me seqvens nihil hæsitabat, tanqvam per siccum incedens; qvod mirabar. 7 Venimus autem in Domum qvandam amplam, ubi expectantes nos cum gaudio excipiebant senes cum juvenibus, noti & ignoti mihi, mirabundi nos cum illo Curru tam commodè, & pacatè, transiisse: eò maximè læti, qvod è Libris istis tanqvam è sole prorumpens lux adeò fulgeret. 8 Qvam visionem cùm redditus mihi hilaris recogitarem, factum est ad me Domini Dei mei verbum: *Duo hic recumbitis, uterqve meus.* (Dormibat enim mecum nepos meus Samuel, puerulus septennis.) 9 *Ostendi tibi, servi mi, Orbem Terrarum, cum hominibus montium instar elevatis, honoribus, divitiis, scientiisqve aliis præ aliis eminentibus, dotibus variis ornatis.* 10 *Qvos vidisti nebulis & caligine falsarum doctrinarum circumdatos, nec mei, nec voluntatis meæ, salutisve suæ, notitiam veram habentes, rixantes tantùm, & invicem mordentes, mactantesqve sese ac perdentes: ut non meam & Patris mei, sed Principis tenebrarum Diaboli voluntatem patrantes.* 11 *Qvod ego cum Patre meo, jam inde à corruptionis initio spectans, cum decreti mei tempus venit Curru misericordiæ meæ in lucem produxi Libros duos.* 12 *Alterum in deserto montis Sinai, per Mosen scriptam Legem meam: alterum egressus è sinu Patris mei, Legem non literæ occidentis, sed spiritûs vivificantis vos, Nationes terræ imaginem meam gestantes.* 13 *Qvos illa (nova mea lex) illuminat, è putrida palude peccatorum (originalis & actualium) educit, & ad exeundum è tenebris errorum hortatur; Exite, exite de Babylone, populus meus!* 14 *Qvod unus è mille non intelligit, neqve credit; dicunt potiùs multi, Edamus, bibamus, cras moriemur.* 15 *Non recordati, Corpus de terra sumptum redire in terram, Anima verò corpore egressa qvorsum ibit? Cælumne, ut Elias igneo curru, petet? vel Paradisum, ut anima resipiscentis in Cruce latronis? (cui secum patienti, mecum paradisum promisi:) vel sinum Abrahæ, ut Lazarus?* 16 *An verò cum Sodomitis & Gomorrhæis, divitéqve Epulone, locum igne & sulfure ardentem? ubi planctus & stridor dentium erit cum Diabolo & Angelis*

ejus: unde nullus exitus erit in æternum. 17 *Ideoqve serve mi ne tace, sed*
scribe & clama, jam securim radicibus Arborum esse appositam, ventilabrum-
qve in manu mea Domini dominantium, sedentis in throno, ad separandum pa-
leas à tritico, colligendumqve hoc in æterna horrea Domûs patris mei, zizania
verò exurendum. 18 *Væ, væ vobis pseudo-Prophetæ! Væ vobis Hypocritæ,*
qvi circuitis maria & terras, ut faciatis proselytos & idololatras, opera ma-
nuum humanarum colentes, sanctosqve demortuos invocantes. 19 *Væ vobis*
etiam serpentes Jesuitæ, & Monachi hypocritæ, cum tota Viperarum progenie,
Papam Rom. in Ecclesiæ caput constituentium, ab eoqve indulgentias speran-
tium. 20 *Nihil expectate præter condemnationem in ignem gehennæ, arden-*
tem sulfure: quia recepistis characterem Bestiæ, & adorastis imaginem ejus, &
fudistis sanguinem sanctorum prophetarum, & omnium qvi occisi sunt super ter-
ram. 21 *Quorum sanguis vindictam clamat sicut sanguis Abel, qvemad-*
modum os meum loquutum est pridem: & loquitur jam in solatium vobis, qvo-
rum nomina scripta sunt in Libro vitæ, & qvi hereditabitis salutem, juxta con-
testationem meam antiqvam, Nolo me mortem peccatoris. 22 *Tu igitur scribe*
omnes istos sermones meos, & mitte in Hollandiam & Angliam, nihil respectan-
do malum illud opus quod nunc inter se agunt: qvi eorum aures habent ad au-
diendum, audiant. 23 *Væ illi qui peccat, nec desistere vult: qvia Servatorem*
suum crucifigit, peribit. 24 Quæ omnia ego cantu & suspiriis clausi.

Rev. 638. Dec. 2.

ITerum facta est ad me vox Dei: *Vas electum meum Laurentius de Geer,*
dum adhuc in terra ageret, sermones meos, per te & Adjunctum ad Nationes
terræ prolatos, pro veris habuit, deqve iis mortalem agens vitam, sæpè verba
facit. 2 Ego *autem Dominus mortis & vitæ, finem eorum in terra feci, ani-*
mamqve illius ut Lazari *in Abrahæ sinum transportavi, ubi ille de scriptis tuis,*
judiciisqve meis, cum memet ipso jam sermonem instituit, gaudiis mecum per-
fruens æternis. 3 *Aliter qvàm alii, mei & tui cavillatores:* inter qvos F.
erat, Vir vanæ gloriæ, qvem sempiternè pœnitebit, cum aliis mihi notis.
4 *Omnium enim Vestrûm, ô filii hominum, initium & exitus apud me fines suos*
habent, neqve *terminum qvisqvam alteri prorogare aut decurtare valet*, sicut
nec Tibi *vel Adjuncto tuo.* 5 Qvi de adeundo Electore Br. cogitationes
versat, ad illum de judiciis meis informandum. 7 *Jam etenim idololatri-*
cam Papæ Babylonem fulminibus meis qvatere incipiam, ut totus stupescat
Mundus.

Rev. 639. Dec. 29.

EXhibuit mihi Dominus (post matutinas deprecationes) Eqvos tres ele-
gantes, ephippiatos & phaleratos, qvos Adjunctus meus mecum appa-
rabat. 2 Qvod spectantes partim mirabantur, partim nos cum eqvis nostris
irridebant: alii tamen nobis gratias agentes empturiebant, adversusqve istos
zelabant. 3 Id cùm mirarer, ad meqve reversus cantu orarem, *O tu sapien-*
tia nostra Christi Jesu: dirige *intentiones nostras in gloriam Tuam*, &c. respon-
dit Dominus meus, & Deus meus, his verbis: 4 *Vos duo mei testes ne me-*
tuite! Non *confundemini voluntatem exseqvendo meam in illuminandis Genti-*
bus, ad educendum eas E TENEBRIS IN LUCEM *meam, & veritatis*
Legis meæ. 5 *Nam Cælum & Terra præteribunt, verba verò mea pristina &*
moderna non præteribunt: futurum, ut ambulantes in tenebris lucem magnam
videant. 6 *Ecce ostendi tibi, dilecte mi, tres ad cursum ornatos Eqvos! qui*
sunt Libri tres qvos servus meus, Adjunctus tuus, ex instinctu Spiritus mei Vobis
donati, emittit. 7 *Ut hos legant Reges, Principes, Domini, Theologi & Eccle-*
siarum Pastores, promiscuusqve populus: ad agnoscendum Me qui fundavi
Terram, & cujus manuum opus sunt Cæli, qui justitiam diligo & iniqvitatem
odi. 8 *Ante dies qvinqve ostendi tibi stamen, qvod jam texere incipiunt hinc*
inde in facie Terræ, gentes, ad abolendum errores & idololatriam. 9 *Nam ego*
Cælum & Terram commoveo, anxietatem inducturus super inhabitantes Ter-
ram: nec tribulationibus finis erit, donec filii maligni istius de terra exstirpentur.
10 *Vos mihi credite, voluntatemqve meam facite, non deseremini à me per dies*
vitæ: sicut & alii qui me norunt, nomenqve meum corde & ore gerunt. 11 *Ego*
enim abbreviabo vestri causa dies dolorum: qvia ultima mea hora propinqvat,
ut vos me diligentes transferamini è morte in vitam. Surge, scribe! 12 Sur-
rexi ergò: & scriptione peractâ rursum me reposui, & redormivi. 13 Ubi
Dominus mihi Hortum ostendit, plenum arboribus varii generis, fructibus
maturis: qvos colligens distribuebam. 14 Id cùm transiisset, & ego *Bene-*
dic benedicte, &c. (cantiunculam ante cibum) cantarem, respondit Dominus:
Ostendi tibi personarum loco arbores, à qvibus tibi Charitatis fructuum plus pro-
veniet hoc anno, qvam præterito. 15 *Tantummodò tu mihi fide, & qvod*
mando fac: mihi *est cura de te & aliis servis meis*, qvibus *ego tempora & dies*
suæ super terram habitationis dimetior. 16 Sicut & *De Gerio*, qvi *de sermoni-*
bus & judiciis meis, per te & alios indicatis, cum *memetipso jam colloqvium*
facit: præsentibus Angelis meis, qvi *viventi illi ministrabant*, & vobis *omni-*

bus

bus me diligentibus, (voluntatemque meam facientibus, ministrant, donec opus quisque suum peregerit. 17 *Cælum & Terra præteribunt, verba mea non præteribunt.* 18 Quæ verba cùm solatiis implerent cor meum, cantabam (ex Augustini hymno *Te Deum laudamus*) Per *singulos Dies nostros*, &c.

[NB. v. 4. LUX E TENEBRIS! ecce titulus Libri nostri, humanitus inditus, approbatur divinitùs: sicut & Rev. 376. v. 17. & forsan alibi. Versus 6 conferatur cum Rev. seq. v. 7.]

Rev. 640. *Anno* 1667. *Jan.* 22.

MEdia nocte ostendit mihi Dominus fasces florum tres, benè cohærentes: ego verò cum Adjuncto etiam habuimus, & præsentibus ostentavimus, fasces tres *de albo Lilio convallium.* 2 Erant autem præsentes Viri varii ordinis, exhibentes sibi flores istos, tanqvam rosas, ad odorandum: qvibusdam id invitè spectantibus. 3 Cùm verò Flores isti ad præcelsam qvandam Arcem portarentur, idqve omnibus mirum & gratum esset, cepimus omnes cantare: *O Admirabilis in Operibus tuis Deus, qvis dilaudabit satis nomen Tuum!* 4 Vt cessavimus, & ego ad me redii, facta est vox Domini ad me: *Vos duo dilecti mei testes, super pauca mihi fideles fuistis, super multa Vos faciam fideles, ad mortem usqve vestram.* 5 *Ostendi ego tibi fascem odoratarum Herbarum, qvæ sunt Libri mei antiqvi & novi Fœderis, mandato meo scripti ad illuminandum Nationes Terræ, ad agnoscendum Me, cum Patre meo & Spiritu Sancto, in celsa Cœli arce thronum habentes:* 6 *Unde vobis filiis & filiabus meis omnes donationes bonæ, donaqve perfecta pro animæ & corporis sustentatione, descendebant hucusqve, & descendunt adhuc, gratis.* 7 *Ad quem Fascem Vos duo testes mei mandato meo per Spiritum veritatis per Vos loqventem, edidistis Libros tres Mundo ad legendum datos.* 8 *Qvorum Librorum sermones sunt ut Lilium convallium, odorem vitæ de se spargentes pro totius Terræ Nationibus: qvos qvi recipient, me recipient, qvi do vestimentum album ad introducendum Vos, me & Patrem meum Spiritumqve S. noscentes & diligentes, in nuptias meas.* 9 *Ubi ego Dominus gloriæ ac Majestatis habito cum Angelis & Electis meis, fidei, charitatis, speiqve fructum ferentibus: sine qvo fructu nemo salutem consequitur in æternum.* 10 *Ostendi etiam tibi campum, in quo à Mundi exordio Arbores bonæ & malæ cum fructu utroqve, zizaniisqve & Tritico, reperiebantur: sed finis jam appropinqvat.* 11 *Ut fruges bonæ colligantur ad me, in monte Sion cùm Angelis habitantem; mala autem* (qvæ sunt

ignorantes me, & non facientes voluntatem Patris mei) *conjiciuntur in stagnum ignis ardens sulfure*, qvæ est *mors secunda*. 12 Qvibus Domini sermonibus ego in admirationem & svavitatem erectus cantare cœpi: *Spiritus S. adsit nobis gratiæ! Et corda nostra sibi faciat habitaculum*, &c. 13 Ut finivi, dixit Dominus. *Scribe*, & *mitte Adjuncto! Fui ego fidelis Vobis: estote Vos etiam mihi & Vobis fideles!*

[Versum 7 confer cum Rev. præcedentis, versu 6.]

Rev. 641. Jan. 28.

Diluculo, à precibus meis cecidit humi qvasi lapillus, ad fenestram verò pulsavit qviddam ter. 2 Qvod qvidnam esset cogitanti mihi dixit Dominus: *Ecce jam cadit iste mortuo similis de Domo Austriaca, cum gloria sua, ut ne dominetur in æternum.* 3 Cùm verò impletionem sermonum per me prolatorum orarem, addidit sapientia Dei: *Implevi de Hispano arundine fracta, & Elesbazio apostata perverso* (biduo antè obierat:) *implebo etiam brevi de Papa Romano, qui præmium accipiet cum suis.* 4 *Habetis Vos, testes mei, criminatores multos: sed non reliqui ego Mosen & Aaron in opprobrio coram Pharaone, neque vos duos relinquam.* 5 *Vos tantùm vobis cavete ab hominibus, & ego ero murus igneus utrique, circumqvaqve:* & ego cecini Psalmum 140. 6 Post moram autem iterum Dominus: *Domus Mundi oppleta est erroribus, doctrinis pravis, vitâ impiâ superiorum & inferiorum, in Ecclesiastico & seculari statu:* ideò *diluvium iræ meæ jam venit, variorum exercituum.* 7 *A qvibus tibi qvoqve terror erit: sed vigila cum aliis, & ora, conservaberis.*

[Ad v. 3. Papa Alexander VII. obiit postea 22 May.]

Rev. 642. Martii 9.

Diluculo facta est ad me vox Dei: *Expendunt jam Lucem in Tenebris Viri magni, & in eo sunt ut te accersant.* 2 *Ibis igitur vocatus, & confidenter dices: Ecce in nomine Jehovæ vobis omnibus edico! Jam facite, jam tandem, voluntatem Dei! exterminando vos Hungara natio, cum auxilio Turcorum, Idololatras de terra, irruptione factâ Viennam usqve.* 3 *Quo in Hungaria facto, exeat Adj. cum El. Br. in Pol. primitùs, ad faciendum ibi cum Radzivilio quod mandavi antè, delendo Idola.* 4 *Inde transeatur in Silesiam & Moraviam, patriam tuam: ubi reintroduci volo per vos duos* (ut antea lo-

[illegible] *Ecclesiarum Pastores, seu eam doctrinam Legis meæ & Evangelii tradentes.* Cùm verò cogitarem: Qvis venturus esset accersitum me? respondit Dominus: *[illegible] nunc tantùm vigile [illegible].* 6 Qvod feci, rationem fundens qvia in luce è Ten[illegible] descripta est.

Rev. 643. *Mart.* 17.

MAtutinis à precibus ostendit mihi Dominus exercitum, cum qvo ego in patriam redux vidi in Urbes primarias deduci Sacerdotes Papisticos: qvod mirabar. 2 Reverso autem ad me in ihi dixit Dominus: *Ita fiet ut vidisti, cùm ego Terræ Dominator introducam te cum El. Br. & Adjuncto in patriam vestram. 3 Hæc enim est voluntas mea, ut in qvolibet Districtu Sacrificuli, congregati in districtuales Urbes (Olomucium, Brunam, Znoymum, Iglaviam, Hradistium) ab Electore & vobis rei peragantur, (1) Idolatriæ, (2) Sacrilegii, (3) Tyrannidis in Cultores Dei, (4) Simoniæ, 5 Animarumqve ad purgatorium amandatarum carnificinæ.* 4 Sententia verò ita pronuncietur: *Vos abominabiles pseudoprophetæ mandato DEI nunc, ut Eliæ temporibus, mactandi estis: Capitibus vestris in Civitatis foro decussis, & cum Vestitu vestro igne exustis: Corporibus verò ejectis, aut in aqvam mersis, ad devorandum piscibus & avibus, & canibus, in æternam rei memoriam. Omnes proinde adhoc mandatum parati estote.* 5 Specietus veniet Tabellarius, per qvem Tu hæc Adjuncto mitte: *atqve jam ne taceat manda, etiam Electori Br. hæc notificando. 6 Qvi si paruerit, illi benè & posteris ejus.*

Rev. 644. *Martii* 18.

OStendit mihi Dominus Civitatem ab Exercitibus obsessam: de qva Dominus dixit; 2 *Viennam vidisti, Urbem in qva semivivus ille ultimus de Austr. Domo sedet, cui faciam sicut Pharaoni feci.* 3 *Faciam & finem dominationi eorum, cujus jam transeunt anni 666.*

[Notandum, Austriacam Domum non regnasse tot annos: primò illius conditore, Rudolpho Comite Habspurgico, in Imperatorem electo anno Christi 1273. à qvo tempore anni 394. lapsi sunt Anno 1667. At verò si ab hoc anno detrahimus 666. invenietur annus Christi 1001. sed qvid ibi? Collegium septem Electorum institutum est ab Ottone hujus nominis

tertio, anno 1000. anno verò 1001. mortuus est Otto, Electoresqve muneris sui fecerunt initium in eligendo successore Henrico II. Hinc *Martinus Crusius* ordi*tur epocham Imperii Germanici*, i. e. Institutionem Electorum à morte Ottonis. *Buchholtzerus* ad annum Christi 1001.]

Rev. 645. *Mart.* 24.

VIdi Domum sordibus inqvinatam, cui perpurgandæ operam navavimus, ego cum Adjuncto, Potentibusqve Dominis. 2 Ut ad me redii dixit Dominus: *Vidisti immundam Domum patriæ tuæ, Moraviæ & Bohemiæ, unde fuistis pulsi propter Doctrina meæ Veritatem victoriosam.* 3 *Quæ ut semper fuit errorum victrix, ita pervincet adhuc & in æternum, juxta testimonium juvenis illius* (3 Esdr. 4. v. 38. &c.) 4 *Hanc Veritatem si recipiant Reges & Principes, Ecclesiasticiqve & populus, bene illis in æternum.* 5 *Scribe Visionem hanc, & mitte Adjuncto: ut omnes aperiant oculos, oraqve obturare discant Idololatris ac hæreticis.*

Rev. 646. *Maii* 1.

ITerum vidi Adjunctum mihi, manibus tenentem Librum nomine DEI scriptum. 2 Et Dominus: *In congressum venies cum Comenio, ibisqve cum illo qvo ille ducet ad agendum opus meum, de qvo ego tibi, ille verò Nationibus, loqvutus fui.* 3 Qvi crediderit salvabitur, qvi non crediderit condemnabitur.

Rev. 647. *Maii* 2.

OStendit mihi Dominus Exercitum, ubi Adjunctus qvoqve meus fuit: qvibus cùm ego me adjunxissem, profecti fuimus per montes & valles usqve in patriam meam, Moraviam. 2 Illud ut transiit, dixit Dominus: *Ostendi tibi laborem tuum, qvem sustinebis postqvam Com. exiverit Hollandia.* 3 Cui labori volo ut operam navent etiam Electores, Br. Saxo, Palatinus, cum aliis Potentibus. 4 Scribe de his Adjuncto.

Rev. 648. *Maii* 11.

DIsseminabam cum Adjuncto in amplissimo campo Triticum: & qvidem ad ortum & occasum, meridiem & septentrionem; ut miraremur ipsi, & alii nobiscum. 2 Tum Dominus: *Ecce ostendi tibi labores Vestros qvos exantlastis in disseminandis per campos mundi sermonibus meis, postremo hoc ævo ad Nationes Terræ prolatis:* 3 *Qvi non sunt ut semen leve, sed ut granum tritici, vitæ nutrimenta præbens.* 4 Qvod multi gravè suspiciunt, opus-

qve meum mirantur, & nomen meum laudant. 5 Cui operi meo ne portæ qvidem inferorum prævalere poterunt.

Rev. 649. Maii 21.

OStendit mihi Dominus Viros altercantes de sermonibus mihi à Domino factis, qvòd non impleantur. 2 Et Dominus, *Ne turbetur cor Vestrum testes mei! ego enim sum Alpha & Omega, potestatem habens in Cœlo & in terra, discrimenqve faciens inter tenebras doctrinæ pravæ mihi & doctrinæ meæ adversantis, interqve zizania & triticum, & arbores bonas & malas. 3 Scripsistis Vos duo Testes mei Nationibus, Potentibusqve Mundi, de voluntate mea: & qvod fecistis mandato meo fecistis.* 4 Qvi Vos audit, me audit: & qvi Vos contemnit, me contemnit: plura Mundus ne exspectet super testimonium id, qvod vos servi mei tulistis. 5 Beatus qvi credidit, salvabitur: ego enim finem imponam rebus omnibus in facie Terræ. 6 Surge, scribe hoc etiam, & mitte dilecto meo & tuo! ut hoc aliis qvoqve notum reddat, ultimam appropinqvare horam. 7 Beatus qvi vigilat, indutus veste justitiæ, & pallio salutis, Vobis à me morte, resurrectione, ascensioneqve mea in Cælum, partæ.

Rev. 650. Junii 14.

OStendit mihi Dominus Sponsum cum Sponsa: qvos ego aliis iterum commonstrans, nosse eos, illisqve congratulari, & qvicqvid Sponsus mandaverit facere, suasi. 2 Et Dominus: *Vidisti Nationes Terræ, qvas tu mandato meo, Sponsi Ecclesiæ unici, cum Adjuncto inclamasti, & ad eos tanqvam tubâ clanxisti.* 3 Ut cum exercitibus suis meam exeqventes voluntatem Idololatras, meos contemptores, vestros autem angustatores, de terra exterminent. 4 Qvod dum illi non faciunt, ecce ego ipse meos exercitus de cælo mittam, ut eos deleant, sicut Eliæ ac Danielis tempore factum: qvemadmodum id tibi anno 1652. Febr. 18. ostenderam. 5 Tu patiens esto, & te Domi tuæ contine, mihiqve confisus fac voluntatem meam, &c.

Rev. 651. Junii 17.

OStendit mihi Dominus tres Viros illustres in sermones à Domino Cæli & Terræ factos inqvirentes. 2 Qvibus testabar, nihil à me scriptum esse [illegible] ad mandatum Domini & Dei mei [illegible] qvæ ad cœlum manibus [illegible] jurabam, [illegible] vigilarem, [illegible] Dominus ad me [illegible]

 fuei-

aciendum in præsentia trium personarum præcelsarum: ad qvos vocatus ibis nihil trepidans. 4 *Racoci & Svecus inobedientes mihi jam præmium acceperunt: meum verò ductum seqvutus nemo seductus fuit, neqve seduci metue tu cum Adjuncto Potentibusqve illis, meam facientibus voluntatem.*

Rev. 652. Iulii 3.

RUinam duarum personarum cum exercitibus vidi; unde terror fuit ortus, à qvo evigilavi. 2 Et facta est ad me vox Domini: *Cæsar & Domus Austr. deseretur à me.* 3 *Rex verò Fr. si voluntatem meam (cum aliis Europæ Principibus) faciet, fiet Rex Imperii, terrarumqve Hispaniæ, spectante id cum admiratione Mundo.* 4 Tu mihi & sermonibus meis crede, cum aliis me agnoscentibus, & voluntatem meam facientibus: qvorum pauci sunt.

Rev. 653. Iulii 4.

POstridiè vidi me cum aliis (in horto qvodam, ubi maturæ jam erant uvæ) coqventem Cerevisiam: eâqve percoctâ, & vasis infusâ, parabamus novam cocturam, spectantibus id multis, sed nonnullis torvo vultu. 2 Qvam Visionem cùm mirarer, cecidit in cavædio domunculæ meæ scala, de pariete pendens. 3 Et Dominus: *Ecce cecidit scala tua! Et sic cadet etiam Scala, perqvam super aliorum capita scandebant Papa, Hispanus, & Austr. Domus.* 4 Et clamabunt gentes, *Cecidit Babylon mater scortationum.* 5 *Coxistis vos duo servi mei, auxilio Hollandorum, sine igne materiali Cerevisiam sermonum meorum ad Nationes prolatorum, qvam bibunt Nationes.* 6 *Sed coqvetis novam cocturam cum igne iræ meæ, qvô igne absumentur idololatræ cum doctrinis falsis.*

Rev. 654. Iulii 5.

PRodierunt in conspectum meum Viri, qvibus ego Verba Christi prælegebam, *Ego sum Vitis vera, & Vos mei palmites.* 2 Mihi soli debetur ab omni creatura honor in cælis & in terra; non Christianis tantum, sed & Judæis, Turcis, Gentibusqve. 3 Ista ut transierant dixit Dominus: *Hæc est voluntas mea & Patris mei, ut una sit Fides & Baptismus unus, sine ullis idolis & invocatione sanctorum, antequam ad judicium vivorum & mortuorum redibo.*

Rev. 655. Iulii 7.

INtroductus fui in Domum, ubi erant Viri præstantes, me ad decumbendum secum invitantes: & qvorum unus me aureis qvibusdam nummis dona-

donabat. 2 Ut ad me redii dixit Dominus: *Quod tibi ostendi hoc eveniet, tum in præsenti vita peregrinationis vestræ, tum in futura illa sempiterna mecum, & cum electis meis.* 3 Tantummodò Vos meam facite voluntatem, 4 Tu autem cùm vocaberis ito, Angelusqve meus ibit tecum: sed memento signum gestare manu tuâ.

Rev. 656. Aug. 1.

SUb diluculum facta est ad me vox Domini: *Jam tempus est ut El. Brand. illuminetur, certior factus de voluntate mea per te manifestata:* 2 *Ut Sveco junctus irruptionem faciat in Moraviam. Saxo verò consilium habens cum Gallo in Bohem. ad exeqvendum Voluntatem meam de evertendis pseudoprophetis, & introducendis Vobis in patriam.* 3 Mox exhibuit mihi Dominus qvosdam è Proceribus & Romano Clero, petentes gratiam: promittentesqve nobiscum esse unum cor, velleqve ritu nostro per solum Jesum Christum preces agere. 4 Qvod cùm mihi gratum esset, dixit Dominus: *Serve mi, non aliter fiet.* 5 *Scribe idcircò Adjuncto, ut horum conscius parat se, Electoremqve Br. adeunda notam reddat voluntatem meam illi:* 6 *Ille verò Principibus & Regibus, Sveco, Dano, aliis; horam judicii mei jam adesse in foribus.* 7 *Tuæ habitationi in Hungaria currit annus trigesimus nonus: tempus est ut clames, sicut ego horâ nonâ, Eli, Eli, Lamasabachtani, clamavi, & exauditus fui.* 8 *Clamate igitur Vos etiam, unà cum auditoribus Vestris vobiscum crucifixis.*

[NB. versus 7 conferatur cum Rev. 675. v. 12, 13.]

Rev. 657. Aug. 8.

OStendit mihi Dominus fœminam, qvæ sine Viro pariebat filios: & condemnata fuit ad mortem unâ cum prole suâ. 2 Tum Dominus: *Peperit meretrix Babylonica filios contumaciæ, nudos à justitia mea.* 3 *Ideoqve condemnata est, & condemnabitur à Potentibus Terræ, ut abolitâ Idololatriâ Vos Cultores mei in eorum locum introducamini: etiam in Patria Vestra, ubi reliqviæ sunt me expectantes.* 4 *Complet jam Domus Austr. cum aliis mensuram impietatis & tyrannidis suæ: ideoqve jam iræ meæ sagittæ venient, ut deleantur sicut Datan & Abiron, Jerusalem & Amalec, obstupescente Mundo cùm videbunt ruinam Meretricis. Noluit enim agnoscere diem visitationis suæ, sicut Jerusalem.* 5 Adjunctus ne sit otiosus; hortando illos de qvibus os meum est loqvutum, ut voluntas mea fiat per totam Terram, ut benè sit illis.

Rev. 658. Aug. 11.

HAbebam concionem ad populum in nundinis congregatum, de Deo essentiâ uno, personis trino, Operibusqve illius gratiæ & justitiæ.

 2 Tran-

2 Transeunte visione, dixit Dominus: *[illegible], ita, [illegible] atemque [illegible] facito, ut bene tibi sit, Potentibusque illis quibus ut loquaris mando, ut aliter se gerant quam Racoci & Suecus.* 3 Mox iterum ostendit mihi Dominus Campum patentem, ubi hominum millia congregati erant, luce circumdati clarissimâ: accumbentesque mensis pascebantur cibis melle svaviorib[us], & vino defæcatissimo, colloqventes de Lege Domini, promissionibusqve Dei nationibus factis, qvicunqve D. Jesum Patrem æternitatis, Principemqve pacis, potestatem in cælo & in terra habentem, fide recipiunt. 4 Hæc autem omnia cum gaudio inenarrabili, & cantu Psal. 103. qvem simul concinebam vice ternâ. 5 Ut verò hæc præteriere, dixit Dominus: *Scribe hoc etiam, & fide solatia mea expecta, cùm ab El. Br. vocaberis, si verbis meis à te scriptis habebit fidem.* 6 Ego autem exclamavi: *Miserere nostri Deus!* Et Dominus: *Misertus sum, & miserebor brevi, demonstrans veracitatem sermonum meorum.* 7 *Vos tantùm expectate me fide.*

Rev. 659. Aug. 16.

OStendit mihi Dominus officinam textoriam, cui ego insidens texebam. 2 Cùm autem supra dimidium staminis detextum esset, porrigebant mihi tramam crassam: qvod me malè habebat. 3 Ad me autem reversus orabam auxilium: & Dominus, *Fidelis esto!* 4 *Ostendi tibi stamen laboris tui & Adjuncti, quem multi è filiis hominum benignè ante hac, ut opus à me profectum, admittebant:* in Angl. & alibi. 5 *Sed incrassatum est cor eorum, ut non impleri dicant quæ ab ore meo profecta fuêre.* 6 *Non attendendo culpam non in me esse, cùm quæ hominibus mando facienda non faciunt, in dubium vocantes potentiam meam, viresque suas: cum tamen virtus mea in vestra infirmitate perficiatur: quam ego in Terra quoque Vestra demonstrabo ante seculi finem.* 7. *Nam quisque operans opus suum, & sermones proferens suos, rationem reddet.* 8 *Vos autem duo testes mei ne metuite homines: apud me satis virium est ad demonstrandam veracitatem sermonum meorum.* 9 *Ut ita fiat quemodo mandavi Potentibus Terræ, cum promissione præmii facientibus voluntatem meam: sicut Josepho in Ægypto, & Mosi in deserto.* 10 Qvibus ego in chartam conjectis cecini: Dominus est illuminatio mea, & salus mea: protector vitæ meæ, à qvo trepidabo, &c. (*Ps.* 27.)

Rev. 660. Aug. 23.

VIdi me, cum multis ab exilio redeuntibus in dilecta patria mea; qvos concione habitâ ad laudes Dei exhortabar. 2 Reverso autem ad me mihi dixit Dominus: *Ita fiet ut vidisti, quod me cum aliis in patria tua glorificaturus sis, sicut olim.* 3 Cùm verò cogitarem, qvis nos reducturus esset? respon-

respondit Dominus, *Aquilonares: & inter hos El. Br. pro[illegible], Adjunctusque illi omnem voluntatem meam & Patris mei reddat notam.*

Rev. 661. Aug. 24.

MAne à precibus ostendit mihi Dominus amplissimam Domum, ubi congregata erat ingens multitudo notorum & ignotorum mihi, suavissima inter se colloquia habentium. 2 Cumque plures alii continuò accederent, ego sedilla disponebam, ubi quisque considere debebat, lætantor admodum. 3 Vt ista transierant, affata me Sapientia Dei dixit: *Serve mi, s[illegible] per Visionem in Domo mea, ubi ego cum amicis meis, qui me diligendo meam & Patris mei voluntatem faciebant* (ut electum vas meum Paulus) *habito.* 4 *Quò ego Dominus tuus & Deus tuus te quoque, postquam cursum consummaveris tuum, assumam.* 5 *Labora igitur ut bonus miles cum aliis: & dabo vobis coronam vitæ in domo* Patris mei, *in qua tu jam fide ac desiderio habitas.* 6 *At id non prius fieri, nisi postquam in Terra demensum à me destinatum peregeris [illegible] filiorum [illegible].* 7 *Sedeo ego ad dextram Patris [illegible] sed [illegible] ad me accipiam, cum quisque peregerit quod illi sum admensus, & mandavi.* 8 *Utinam Operarii quoque mei Opus illud meum agant, de quo [illegible] loqvutum est!* 9 Quò ego audito, oravi pro Regibus Terræ ut eis in hoc Deus det, *&c.* (*Apoc.* 17. 17.)

Rev. 662. Aug. 26.

DIluculo ostendit mihi Dominus ædes quasdam impuras, sed mox valdè ornatas: addito, 2 *Serve mi, nulla pax Terris erit donec fiat Mundi renovatio talis qualem tibi ostendi modò,* illuminatione Cameræ *tuæ [illegible] Angelorum meorum tibi & aliis [illegible] semper præsentia, ne noceant Diabolus & homines impii nocere quærant.* 3 *Nam ecce Domum [illegible] purgatam volo ab idololatria, omnibusque impuris doctrinis, corda inquinantibus per pseudo-sacerdotes.* 4 *Quod tu fidenter expecta: domo nusquam excedendo, donec jussero.*

Rev. 663. Aug. 27.

VIdi Viros ad me venientes trans[illegible], ceu divali viâ, afferentes mihi Ocreas, Tunicam, & epistolas: quos ego ut unanimes essent sicut Sponsus cum Sponsa, & Pater cum Filiis, hortabar, & illi gratè accipiebant. 2 Experrectus cantabam: *Tu Christe es gloria nostra, fac ut inter manentes palmites tui, fructum feramus.* 3 Et Dominus: *Appropinquat tempus, venient epistolæ & equi, cum quibus tu ibis, & suadebis conjungi [illegible] in una Fide, [illegible]*

Baptisma, & uno Spiritu dilectionis mei; & Patris mei, Spiritusque sancti. 4 Super qvo cùm exultaret Spiritus meus, laudabam cantibus Deum.

Rev. 664. Sept. 5.

ITerum factum est ad me Verbum Domini (post Visionem Tritici puri, qvod colligebam & infundebam vasis) dicendo: 2 *Pes meus deducet Adjunctum suum, cum Septentrionalibus illis de qvibus loqvutus sum, ut voluntatem meam faciant aliter qvàm Orientales antea, ad exterminandum Idololatras.* 3 *Nam hora mea jam venit ad eos exstirpandum: qvod stupendum dabit spectaculum Angelis & hominibus, Christianis & gentibus me nondum agnoscentibus, cum natione Judaica.* 4 *Quibus Vos Christiani date lucem accensam Legis meæ, promoventes eos ad cognitionem mei, & salutis à me partæ.* 5 Surge, scribe hæc etiam verba mea.

Rev. 665. Sept. 14.

SUb diluculum ostendit mihi Dominus Viros inqvirentes in [illegible] ad Gentes: qvibus respondebam, me qvod scripsi mandato D[illegible] & Terræ scripsisse. 2 Qvæ visio ut abiit, dixit Dominus: N[illegible] *niet, inqvirent in ista.* 3 *Sed tu non aliud responsi dabis, nisi* [illegible] *qvi à seculis fui, nunqvam celantem à filiis hominum volunt*[illegible] 4 *Quia fieri velim ab Angelis in cælo, & à Sole, Luna, Stellis,* [illegible] *Igne, Terra (de qva Vos sumti estis, & in qvam redibitis) in honorem* [illegible] *bus autem voluntatem meam facientibus in solatia,* Amen.

Rev. 666. Sept. 19.

INtroductus fui in Domum magnum, Conclavia habentem majora & minora, privilegiis & immunitatibus variis à Regibus & Dominis ornata: qvibus ego delectatus, etiam nos privilegia habuisse eximia, narrabam. 2 Ut ad me accessi, dixit Dominus: *Iam tempus advenit Anni Liberationis vestræ, annus propitiationis & reductionis, qvo Vobis exortoribus restituentur Libertates in patria vestra.* 3 *Ut cum aliis Terræ nationibus nomen meum celebretis, usqve ad personalem meum ad Vos reditum, in seculorum fine.* 4 *Surge, hoc etiam scribe, & ad meos mitte.* Ego verò exclamavi: *Veni Domine Jesu!*

Rev. 667. Sept. 20.

FActa est vox Dei ad me: *Si Christiani voluntatem meam in destruendo Antichristianismo, Doctrinaque prava & idololatrica, exeqvi renuent, facient id Christianis in opprobrium Turcæ ac Tartari.* 2 *Quod horrori erit Angelis meis & hominibus.* 3 *Tu ne otiosus esto: ut in lucem veniant abscondita in grupe, pro Vobis egenis & Domino loci.*

Rev. 668. Nov. 14.

POst mediæ noctis vigiliam, & ad Deum suspiria, ostendit mihi Dominus iterum peramplam & amœnam Domum, plenam Virorum mihi notorum & ignotorum. 2 Inter quos etiam dilectus & honoratus mihi D. L. de Geer: omnes vestitu mundissimo, colloquiisque festivis, ut exultarem gaudio. 3 Quod ut evanuit ab oculis, dixit Dominus: *Iterum tibi Domum meam, Domum æternitatis ostendi, quam inhabito ego. 4 Et mecum Cultores mei mandata implentes mea, noti & ignoti tibi, perfruentes deliciis mensæ & gloriæ meæ Vobis ab æterno paratæ à Patre meo. 5 Inter quos meum quoque de Geer, tuum expectans adventum, cum aliis quorum nomina in Libro vitæ scripta sunt.*

Rev. 669. Nov. 19.

[illegible]escebat: & ostendit mihi Dominus folia & Libros, in quibus pictu-
[illegible] quorundam virorum exstabant, mea etiam: quo viso [illegible]
[illegible] Ut autem cessavi, dixit Dominus: [illegible]
[illegible] *confusione à variis intelligatur* [illegible]
[illegible] *ego in lucem* [illegible] *meorum*
[illegible] *perditione Meretricis* [illegible] *Bestiæ. 4 Ut illi sint sicut*
[illegible] *Prophetis ejus, & Danielis temporibus* [illegible] *ejus: ita in-*
[illegible] *mihi & verba mea.* 5 Inter hæc è fenestra
[illegible] excidit [illegible] quod [illegible] Domi-
[illegible] *Domini* [illegible] 6 [illegible] *& Papa*
[illegible] 7 Ecce
[illegible] cujus cantu finitò Dominus: *Multis* [illegible], *sicut*
& Adjunctus [illegible] 8 *Sed nobi, mihi confiditis, Vici ego, vincetis & Vos.* 9 Tan-
tummodò vobis [illegible], ut posthodium clamare cum aliis queatis, *Cecidit*
cecidit Babylon mater fornicationis.

Rev. 670. Nov. 29.

DIluculi tempore, post peractas preces meas, ostendit mihi Dominus Tabulam amplam, & super illa epistolas complicatas, vetustiores subtus, recentiores supra has. 2 Quas varii legendo sibi invicem ostentabant, explicationem à me & Adjuncto petentes: quam nos dabamus, res majoris considerationis illis commonstrantes. 3 Hæc ut transierunt, respondens Dominus dixit: *Ecce jam scripta Vestra, mandato meo ad Nationes Terræ dimissa, leguntur!* 4 *Quæ Mundo sufficiant: non enim amplius vel per te, vel alium, de voluntate mea Mundo nuntiata, ad finem usque seculi loquar.* 5 *Vos duo fuistis ultimi mei testes de iis, quæ observari volo usque ad ultimum meum reditum.* 6 *Nempe ut omnes Gentes, una cum Judæis, aliisque erroneis spiriti-*

Baptisma, & uno spiritu dilectionis mei; & Patris mei, Spirituque sancti.
4 Super qvo cùm exultaret Spiritus meus, laudabam cantibus Deum.

Rev. 664. Sept. 5.

ITerum factum est ad me Verbum Domini (post Visionem Tritici puri, qvod colligebam & infundebam vasis) dicendo: 2 *Pes meus deducet Adjunctum tuum, cum Septentrionalibus illis de qvibus loqvutus sum, ut voluntatem meam faciant aliter qvàm Orientales antea, ad exterminandum Idololatras.* 3 *Nam hora mea jam venit ad eos exstirpandum: qvod stupendum dabit spectaculum Angelis & hominibus, Christianis & gentibus me nondum agnoscentibus, cum natione Judaica.* 4 *Qvibus Vos Christiani date lucem accensam Legi meæ, promoventes eos ad cognitionem mei, & salutis à me partæ.* 5 Surge, scribe hæc etiam verba mea.

Rev. 665. Sept. 14.

SUb diluculum ostendit mihi Dominus Viros inqvirentes in scripta mea ad Gentes: qvibus respondebam, me qvod scripsi mandato Domini Cæli & Terræ scripsisse. 2 Qvæ visio ut abiit, dixit Dominus: *Non aliter eveniet, inqvirent in ista.* 3 *Sed tu non aliud responsi dabis, nisi Me eundem esse qui à seculis fui, nunqvam celantem à filiis hominum voluntatem meam.* 4 *Qvid fieri velim ab Angelis in cælo, & à Sole, Luna, Stellis, Ventis, Aqva, Igne, Terra (de qva Vos sumti estis, & in qvam redibitis) in honorem mihi, Vobis autem voluntatem meam facientibus in solatia,* Amen.

Rev. 666. Sept. 19.

INtroductus fui in Domum magnum, Conclavia habentem majora & minora, privelegiis & immunitatibus variis à Regibus & Dominis ornata: qvibus ego delectatus, etiam nos privilegia habuisse eximia, narrabam. 2 Ut ad me redii, dixit Dominus: *Iam tempus adventat Anni Liberationis vestræ, annus propitiationis & reductionis, qvo Vobis extorribus restituentur Libertates in patria vestra.* 3 *Ut cum aliis Terræ nationibus nomen meum celebretis, usqve ad personalem meum ad Vos reditum, in seculorum fine.* 4 *Surge, hoc etiam scribe, & ad meos mitte.* Ego verò exclamavi: *Veni Domine Jesu!*

Rev. 667. Sept. 20.

FActa est vox Dei ad me: *Si Christiani voluntatem meam in destruendo Antichristianismo, Doctrinaqve prava & idololatrica, exeqvi renuent, facient id Christianis in opprobrium Turcæ ac Tartari.* 2 *Qvod horrori erit Angelis meis, & hominibus.* 3 *Tu ne otiosus esto: ut in lucem veniant abscondita in grupe, pro Vobis egenis & Domino loci.*

Rev. 668. Nov. 14.

POst mediæ noctis vigiliam, & ad Deum suspiria, ostendit mihi Dominus iterum peramplam & amœnam Domum, plenam Virorum mihi notorum & ignotorum. 2 Inter qvos etiam dilectus & honoratus mihi D. L. de Geer: omnes vestitu mundissimo, colloqvusqve festivis, ut exultarem gaudio. 3 Qvod ut evanuit ab oculis, dixit Dominus: *Iterum tibi Domum meam, Domum æternitatis ostendi, qvam inhabito ego. 4 Et mecum Cultores mei mandata implentes mea, noti & ignoti tibi: perfruentes deliciis mensæ & gloriæ meæ Vobis ab æterno paratæ à Patre meo. 5 Inter qvos meus qvoqve de Geer, tuum expectans adventum, cum aliis qvorum nomina in Libro vitæ scripta sunt.*

Rev. 669. Nov. 19.

LUcescebat: & ostendit mihi Dominus folia & Libros, in qvibus picturæ qvorundam virorum exstabant, mea etiam: qvo viso converti me ad preces. 2 Ut autem cessavi, dixit Dominus: *Jam [illegible] desideriis expectatæ, ex qvibus gentium confusiones variae intelligent. 3 Tu autem noli qvoqvam exire, vigila, ora: educam ego in lucem veracitatem sermonum meorum de ruina Babylonis & perditione Meretricis insidentis Bestiæ. 4 Ut illi fiat sicut in diebus Eliæ Baal & Prophetis ejus, & Danielis tempore inimicis ejus: ita inqvam nunc iis fiet adversantibus mihi & verba mea.* 5 Inter hæc è fenestra mea frustum Vitri excidit cum tinnitu: qvod cùm mirarer, addidit Dominus, *Ecce jam ultimam [illegible] Austriaca Domus cadet. 6 Cadet & Papa Romanus, licet id unus è millibus non credat: in conspectu solutionis meæ.* 7 Cecini Psalmum 60: cujus cantu finito Dominus: *Multos habes inimicos, sicut & Adjunctus. 8 Sed vobis, mihi confiditis, Vici ego, vincetis & Vos.* 9 Tantummodò vobis attendite, ut postmodum clamare cum aliis qveatis, *Cecidit cecidit Babylon mater scortationis.*

Rev. 670. Nov. 29.

DIluculi tempore, post peractas preces meas, ostendit mihi Dominus Tabulam amplam, & super illa epistolas complicatas, vetustiores subtus, recentiores supra has. 2 Qvas varii legendo sibi invicem ostentabant, explicationem à me & Adjuncto petentes: qvam nos dabamus, res majoris considerationis Illis commonstrantes. 3 Hæc ut transierunt, respondens Dominus dixit: *Ecce jam scripta Vestra, mandato meo ad Nationes Terræ dimissa, leguntur! 4 Quæ Mundo sufficiant: non enim amplius ita per te, vel alium, de voluntate mea Mundo nuntiata, ad finem usqve seculi loqvar. 5 Vos duo fuistis ultimi mei testes de iis, quæ observari volo usqve ad ultimum meum reditum. 6 Nempe ut omnes Gentes, una cum Judæis, aliisqve erroneis spiritibus*

bus (quorum vos non nostis omnes, novi ego) ad me conversi corde credant, & ore confiteantur, me Christum esse Filium Dei vivi, Judicem vivorum & mortuorum, potestatem in Cælis & Terra habentem. 7 *Me igitur ut solum Mediatorem invocent omnes, sanctorum invocatione penitus omissa.* 8 Hucusqve igitur: *plus ne scribas, ne Adjunctio quidem.* 9 *Obsignare mandaveram Danieli* (cap. 12.) *& tibi mando.* 10 Tantummodo jam implete voluntatem meam: orantes etiam pro illis qvi opus meum, in exstirpanda Idololatria, peragere debent, cum admiratione ac stupore totius Mundi. 11 Qvibus ego auditis, cantavi Psalmum 18. 12 Ubi Dominus addidit: *Tua causa, & tibi loqvar adhuc, non autem Mundo.* 13 *Sufficiat illi gratia mea sub finem decurrentium seculorum: sicut & exilii vestri terminus, annorum 40, jam decurret.* 14 *Annis 40. detentus fuit Israël in deserto: ego autem 40. dies & 40. noctes jejunavi. Surge, consigna hæc.* 15 Surrexi igitur exclamans, *Amen veni Domine Jesu, Amen!*

[Erit ergo hîc Revelationum Drabicio factarum finis? An illarum omnium hic usus coppagis ut *Cultus Dei* ... *per totum Orbem purus constituatur* ... Jam igitur nihil nisi veracitatem sermonum Dei expectare habebimus. Quod v. 4. & 5. dicitur *de nullis amplius Revelationibus per alios mittendis*, non intelligendæ fortè sunt Revelationes de particularibus judiciis Dei super certas personas, aut provincias, & Regna, mutationibusqve exhibendis (tales enim Revelationes æternæ Providentia testes nunqvam defuturas, sicut nunqvam defuerunt, colligi potest ex Am. 3. 7.) *Sed intelligendæ sunt Revelationes illæ sublimiores, de Reformatione Mundi totius*: quæ appendix Evangelii, aut declaratio mandati, *Ite in Mundum universum* &c. dici possunt. Hæc enim Visionum Kotteri, Poniatoviæ, Drabicianarumqve medulla est, per Mundanæ Babylonis ruinam, Antichristianiqve Regni eversionem (qvæ moderna universali Gentium commotione peragi dicitur) viam parari ad introeundum in Ecclesiam *plenitudinem Gentium* (Rom. 11. 25.) qvâ *omnia Regna Mundi fient Domini nostri & Christi ejus* (Ap. 11. 15.) Hunc sensum esse versiculi 4. & 5. patet è versu 6. & 7. Faxit Deus ut qvi hæc audimus & spectamus, digni reperiamur procidendo super facies nostras adorare Deum, dicendo, *Gratias agimus tibi Domine Deus Omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, & invasisti regnum* (Apoc. 11. v. 17.) *Amen. Hallelujah!* De versu 12. & 13. vide Rev. 6.]

INDEX
ſuper Librum Luxè Tenebris,

NB. *Character* **K.** *ſignificat Kotterum*, **P.** *Poniatoviam*, **D.** *Drabicium. Ubi tamen numerus Capitis major eſt qvàm* XL, *jam per ſe intelligitur* Drabicius: *qvippe neuter præcedentium ſupra* XL. *habet.*

A.

Abi-

Arma

B.

C.

à Tur-

Conſue-

Creata

F.&

F.

Finis

G.

in

H.

I.

&Se-

Mulier

N.

O.

 sum,

Q.

R.


Religii

T.

V.

Z.





3

ffollowes one more of the predictions which the lord in-
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] which was [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] of July 1657. after the [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] being [illegible] of the
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] in the [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] of Christ [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] out of [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] upon publick [illegible] in that towne [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] into the [illegible] of Drabicius.

[illegible] [illegible] [illegible] in a [illegible] [illegible]
Imprimis Drabicius Markhtom [illegible] [illegible] [illegible] of December anno 1651.
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
Revelation 89. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Drabicius
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Drabicius
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] Comenius [illegible] [illegible] in [illegible] 1657. [illegible]
[illegible] to the tyme of the fulfilling of these [illegible].

4. [illegible] upon the 26 of Aprill 1652. Revelation 123. and the 29 May 1652. The
lord [illegible] [illegible] [illegible] Drabicius [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] in Hungary, a [illegible] of [illegible], [illegible]
[illegible] [illegible] in the Nations, and [illegible] a [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] coronation.
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] in Hungary was [illegible]
[illegible]. [illegible] [illegible] of Drabicius [illegible] with the [illegible] of Mathistom
which the fulfilling of these prophecies did manifest.

[illegible] upon the 22 of November 1653. Revelation 233. The lord [illegible]
[illegible] Drabicius that [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] of Drabicius [illegible], [illegible]
[illegible] Drabicius [illegible] [illegible] [illegible].

[illegible] upon the 4 of September 1654. Revelation 264. The lord in-
a [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] the lord [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]. [illegible] 64. [illegible] Drabicius [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
from the [illegible] [illegible] in peace. The lord [illegible]
that [illegible] to the [illegible] of 64 yeares [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] in the 264 revelation [illegible]
[illegible] of Comenius [illegible].

5. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] the lord did [illegible]
Drabicius [illegible] Markhtom was upon the 25 of November 1655.
[illegible]

in the 350 revelation, wherein Dabitinus was reading the booke of the Romans Martyrs for the yeare, and wondering at their tormentings therein. The lord did command him to remember what there he reade, for that [illegible] of, when he should sett and be magistrate to stand in a place when he would not. This is like Christe's prediction to Peter.
But Dominus could not conveniently make any relevation upon this as is aforementioned, he did not suffer Dabitinus to see the fulfilling of this prediction so [illegible].


6. Item upon the 19 of November 1656. Revelation 399. Dabitinus returned to a place wherein he [illegible] in [illegible] and [illegible], which to him was a [illegible] spectacle. And albeit the lord did not interpret this vision to him, yet the lord did intimate to him the words which the lords enemies who mocked him [illegible] against the lord at the time of his passion and crucifixion, viz. [He trusted in the lord let the lord deliver him.] Therefore the lord commanded Dabitinus to trust in the lord also, and he should be delivered as the lord was. What was this but a secret intimation of Dabitinus martyrdom, as Christ was a martyr for the truth. And Dominus who did not suffer Dabitinus to know his martyrdom could make no words upon this revelation. For the most part of these prophecies are in a misticall [illegible] [illegible] [illegible].

7. Item upon the 16 of February 1658. Revelation 429. The lord commanded Dabitinus to trust in him, For [illegible] the [illegible] should come to cause Dabitinus [illegible] to that place which he should [illegible] where he should go unwillingly, yet the lord commanded him to do the lords work, and that the lord would be his protection and consolation.
Note the place to come be ment, that is the [illegible] wherein Dabitinus was close imprisoned in [illegible] where none of his acquaintance were suffered to come to him, and [illegible] did not see him [illegible] they did see him come to their [illegible] court of Justice, [illegible]

8. Item upon the 20 day of [illegible] 1662. Revelation 512. The lord doth [illegible] and intimate to Dabitinus his [illegible] [illegible]. And the lords promise is [illegible] [illegible] by Gods spirit. Dabitinus in illa hora.

9. Item upon the 16 day of February 1665. The lord [illegible] Dabitinus that his enemies [illegible] should [illegible] against him, but the lord commanded him to be of good courage for [illegible] should not [illegible] of those who some 6 or 7 yeares [illegible] [illegible] a [illegible] persecution [illegible] him [illegible] a grievous imprisonment & [illegible] suffered martyrdom

Item upon the x day of August [illegible] In the 667 Revelation —
ment to Dabutmo. The lord doth shew to Dabutmo —
that he must cry out as the lord did cry out upon the —
crosse, My God, My God, why hast thow forsaken me.
This is the last Revelation and prediction of Dabutmo the —
which done which perhappes himself did not fullie —
understond untill the fulfilling thereof. And his adjuncte —
companions did not live to see the fulfilling thereof as we —
have observed. So that I could not neglect any observation or
or note thereupon. And did more propose the —
most perill or best knowen when they come to be fulfilled.



LUX E TENEBRIS

TENEBRIS, humanarum abominationum, Divinarum plagarum;
LUX Divinarum Consolationum, gloriosè reflorescentis Ecclesiæ.





LUX E TENEBRIS.

TENEBRIS, humanarum abominationum, Divinarumque plagarum:

LUX Divinarum Consolationum, gloriosæque restaurationis Ecclesiæ.



LUX E TENEBRIS,

novis radiis aucta.

Hoc est:

Solemnissimæ Divinæ

REVELATIONES,

in usum seculi nostri factæ.

Quibus

I. *De Populi Christiani extrema corruptione lamentabiles querelæ instituuntur.*

II. *Impœnitentibusque terribiles Dei plagæ denuntiantur.*

III. *Et appropinquantis tandem Dei* (deletâ Pseudo-Christianorum, Judæorum, Turcarumque, [illegible] [illegible] vera Catholicæ [illegible] [illegible] [illegible] ad finem usque seculi, explicatur.

Per [illegible] Visiones, & Angelica Divinaque alloquia, facta


I. CHRISTOPHORO KOTTERO Silesio,
ab Anno 1616, ad 1624.

II. CHRISTINÆ PONIATOVIÆ Bohemæ,
Annis 1627, 1628, 1629.

III. NICOLAO DRABICIO Moravo,
ab Anno 1638, ad 1664.

Cum privilegio Regis Regum, & sub favore omnium Regum Terræ, [illegible]

M DC LXV.



Ies. 45. v. 7.

Ego sum IEHOVA & non est alius præter me, formans LUCEM, & creans TENEBRAS; faciens Pacem, & creans malum: ego DOMINUS faciens omnia hæc.

Matth. 10. 27.

Qvod Vobis dixi in TENEBRIS, narrate in LUCE: & qvod in aurem audivistis, prædicate super tecta.

Ies. 28. v. 21, 22, 29.

Exsurget Dominus & irascetur: ut faciat opus suum, alienum opus suum: ut operetur opus suum, peregrinum opus suum. Nolite igitur illudere, ut ne magis constringantur Vincula Vestra. Consummationem enim abbreviatam audivi super universam Terram. Et hoc exivit à Domino exercituum, qvi mirificus est consilio, magnificus reipsâ.

Ies. 60. v. 1. &c.

Surge, illuminare Ierusalem! qvia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. 2 Nam ecce Tenebræ operiunt Terram, & caligo Populos! super Te autem orietur IEHOVA, & gloria ejus super Te videbitur. 3 Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore exortum tibi. 10 Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi. In indignatione enim mea percussi te, & in reconciliatione mea miserebor tui, &c. 20 Non occidet ultrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur: qvia Dominus tibi erit in Lucem sempiternam, & complebuntur dies luctûs



Christiane Lector,

TRiumus iste Liber, quem in manum sumis, propheticus est: ubi prophetiæ non humana voluntate allatæ exhibentur, sed qvæ Spiritu acti homines loqvuti sunt, & scripserunt, (2 Pet. 1. 21.) Si Spiritu Dei sancto acti, posset illud Jesaiæ præfigi, *Audite Cæli, & auribus percipe Terra, quoniam Dominus loquitur!* (cap. 1. 2.) Sed qvia Mundus hodie non credit Deum adhuc loqvi, aut nuntios ad homines mittere, Angelos vel homines (sicuti nec olim sanè credebant præter paucissimos, in ipsa etiam Ecclesia. Ideò *subsannabant Nuntios Dei, & parvipendebant sermones eorum, illudentes Prophetis donec ascenderet furor Domini in populum suum, ut nulla esset curatio,* 2 Chron. 36. 16) necessarium videtur præfari aliqvid ad Populo Christiano præcavendum, ne similiter peccent, donec illis etiam nulla sit curatio. Ut enim idem nunc Deus est qvi à seculis fuit, & eadem illi de Humano genere à periculis præmonendo cura; ita eadem Deo suo dorsum obvertendi, in medio operum ejus cæcutiendi, ad omnes ejus clamores obsurdescendi, & ad omnes plagas obbrutescendi, eòqve in ipsissima salutis via pereundi, præfracta infelicium hominum consvetudo.

2 Unde illa Mosis ad populum suum terribilis vox: *Vos vidistis universa qvæ Dominus facit coram Vobis in terra Ægypti, tentationes magnas, signa & prodigia ingentia: & tamen non dedit Vobis Dominus cor ad intelligendum, neqve oculos ad videndum, & aures ad audiendum, hunc usqve in diem* (Deut. 29. 2, 3, 4.) Terribile inqvam, populum Dei videre Opera Dei sui, & audire sermones Dei sui, & tamen videndo non videre, & audiendo non audire: h. e. *esse viva Idola, qvæ oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt,* Psal. 115. 8. & 135. 18.

3 Et hoc est qvod semper hominum prudentiores reddebat timidos ad Prophetarum partes tutandum: ipsos verò ad munus propheticum vocatos, ad promptè obseqvendum. Tergiversabantur enim, aut etiam fugitabant: Ut Moses, Jeremias, Amos, Jonas &c. *Leone tamen rugiente pavere, & Domino mandante prophetare, coacti* (Am. 3. 8.). Ezechieli dictum fuit: *Sive audiant sive omittant, loquere* (2. 5.) Jeremias autem, Verbum Domini opprobrio sibi esse videns, dixit: *Non commemorabo illud, non loqvar nomine Dei. Sed factum est in corde meo ut ignis exæstuans, clausus ossibus meis, defetiscor eum sustinendo, non possum ampliùs,* (cap. 20. 9.) Loqvutus itaqve fuit qvæ jussus: primùm ipsi multitudini, Cap. 1, 2, 3, 4. Tum

parum

parum se proficere videns, dixit: *Pauperes isti & stulti sunt, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui. Ibo ad Optimates, & loqvar eis: illi enim cognoverunt viam Domini, judicia Dei sui*, Cap 5. 4.5. Sed passus à Sacerdotibus qvoqve contradictiones, plagas, carceres (cap. 18. v. 18. & 20. p. 1. & 26. 7, &c.) *convertit se ad Principes* (ibid. v. 12, 16. & cap. 36. 12.) *ipsumqve Sedeciam Regem* (cap. 37. & 38.). Tandem nusqvam sibi fidem haberi videns qvòd qvicqvid loqveretur ab ore Dei prodiret, *provocabat ad supremum illum Veritatis testem*, his (cap. 17. v. 16.) verbis: *Tu scis Domine, qvicqvid egressum est de labiis meis rectum esse in conspectu tuo. Non sis tu mihi formidini, spes mea in die afflictionis &c. Tibi Domine Zebaoth revelavi causam meam* (11. 20.) Factúmqve fuit ut Dominus testimonium daret, impletis omnibus qvæ nomine suo annuntiaverat servus suus: ageretqve causam suam ipse, puniendo incredulos istos & obstinatos, ut perirent; servum autem suum cum aliis se timentibus conservando, licet ad exilium, & captivitatem, donec tempus miserandi, cultorésqve suos reducendi, veniret.

4 Cùm ergò nunc Mundus non dissimilis sui sit, Deo rebellis, contumax, incredulus (seu impœnitentibus minetur iram, seu pœnitentibus promittat gratiam): Deus itidem morem suum (in hominum filios attendendi, exorbitantes admonendi, gratiam aut pœnas offerendi, incredulos & obduratos puniendi, credentes autem & vitam emandantes conservandi) servet: *servemus & nos morem Sanctorum, verba & opera Dei neglectim non habendo, nec ea alii ab aliis celando, sive qvis attendat & se ad Deum recipiat, sive non: modò qvicqvid prodit ab ore & calamo nostro, rectum sit* (sine omni fraude ac dolo) *in conspectu Dei*. Et fiet ut ille non formidini nobis sit, spes nostra in afflictione, Dominus ille Zebaoth cui commisimus causam nostram, imò causam suam.

5 Si tamen obtineri potest ut publicatio hæc Divinorum & Angelicorum sermonum, ad qvosdam istos nostros ævo nostro factorum, opprobrio nobis ne sit, neqve populo Christiano in Deum & animas suas peccandi relinqvatur occasio, *imitabimur Jeremiam provocando ad Deum & homines: sed ordine inverso. Invocando nimirum ante omnia Deum*, utpote causæ hujus supremum testem, Judicem, Vindicem: *Tum eos qui Dei loco in Terris sunt*, omnis Judicii Præsides summos, *Reges*: sub horum & Dei scuto *ad Ecclesiæ Præsides causam hanc humiliter acturi*: demumqvè non nihil de iis, qvæ *Lectoris Librum hunc* informationi serviant, præfaturi.

JESU

JESU CHRISTO

Filio Dei vivi, æternæ Patris Sapientiæ, & Verbo per qvod facta sunt omnia: missóqve in Mundum ut Veritati daret testimonium, tanqvam ipsa æterna Veritas & omnia manifestans Lux & Vita,

SACRUM.

A*Dorande Domine, Tuane sunt verba qvæ tanqvam Tua in Evangelio legimus*, Ego LUX veni in Mundum, ut omnis qvi credit in me non maneat in tenebris? *Joh. 12. 46.*) *Si Tua sunt, ecce nos toto corde in Te credentes! Respice nos, & nos in tenebris manere ne permittas! Etiam ratione Libri hujus, in qvo Lux tenebris, & Tenebræ luci, colluctantur. Ubi filii lucis lucem qvidem vident, & gaudent; sed & vident Luci obluctantes tenebras, & horrent. Atqvi Apostolus tuus dixit*, Lux est illud qvod manifesta facit omnia (*Eph. 5. 13*): *Tu ergò si* Lux Mundi *es* (*credidimus autem veraci Tuo verbo, Joh. 8. 12.*) *hanc etiam in oculis Mundi obscuram qvæstionem*, Luxne Veritatis an mendacii Tenebræ hîc insint, *tandem redde manifestam!* Ut si à Te, qvi Lux & Veritas es, hæ luces & veritates veniunt, Omnes qvi lucem & veritatem amant in lumine Tuo videant lumen (*Psal. 36. 10.*) *Amen! Ita futurum speramus, Amen! Cognovimus enim ex Evangelio Tuo Te ad Pilatum dixisse:* Ego ad hoc natus sum, & ad hoc in Mundum veni, ut testimonium perhibeam Veritati (*Joh. 18. 37.*) *O ergò etiam in Cælum è Mundo reverse Veritati testimonium perhibe, hac etiam in re, obse-*

obsecramus! ut Oves Tuæ vocem Tuam, Pastoris æterni, agnoscant, alienam ne seqvantur (Joh. 10. 4.)

Et qvia permisso mendaciorum patri satanæ, ut mendaciis suis mox à Paradisi temporibus impleret Mundum (etiam à Tuo hinc discessu, sub Evangelio, errorum operationem inducendo, ut qvi Veritati non crediderunt, mendaciis credant, 2 Thess. 2. 11): de postremis tamen Mundi temporibus promissionem exstare voluisti, fore ut disperdas Idolorum nomina, Pseudoprophetásqve, & omnem spiritum immundum auferas de Terra (*Zach.* 13. 2.) *Ecce Domine ultima adsunt tempora! adimple igitur antiqva illa de his temporibus promissa Tua! & si qvid usqvam Idolorum superest,* hîc etiam, *disperde! si qvid Pseudoprophetiæ,* hîc etiam, *abole! si qvid ab ullo immundo spiritu veniens,* hîc etiam, *aufer!* Ut hæc sit promissa illa dies, qvâ populus Tuus agnoscat nomen Tuum, Te esse qvi loqvebaris (*olim*) & adhuc adesse TE! (*Jes.* 52. 6.) *Regesqve Terræ agnitô TE Rege Regum ponant coràm TE Coronas suas: & fiat unum DEI REGNUM, cujus illi omnes MINISTRI sint (Sap. 6. 5.) Unumqve OVILE, cujus Tu Animarum Episcope unus sis PASTOR (Joh. 10. 16. 1 Pet. 2. 25.) Salvator totius corporis Tui (Eph. 5. 23.)*

Domine Dominator, si Voces hîc sonantes voces Tuæ, per servos Tuos Tuo jussu nuntiatæ, sunt: ostende id contradicentibus efficaci aliqvo medio, sicut olim igne de Cœlo ostenderas TE esse DEUM, Eliam verò servum Tuum (1 Reg. 18.) Ut plagas, qvas impœnitenti Mundo hîc denuntiant servi Tui; & misericordiam atqve gratiam, qvam gloriosâ rerum Reformatione promittunt Ecclesiæ Tuæ, non humanum fore Opus, sed Tuum Divinum, videat Mundus universus, procidensqve (ut Israël olim totus) exclamet, Dominus ipse est Deus! Dominus ipse est Deus! (*1 Reg.* 18. 39.) *Exaudi nos jam nunc ad Te clamantes Rex gloriæ, propter Tuam ipsius gloriam! & qvid his*

foliis

foliis insit (Tuane luminosa veritas, an tenebricosæ hostis Tui fraudes) tàm evidenter Omnibus sub sole, ut Sol clarus omnia visibilia solet ostende, ó Tu SOL noster! Amen, Amen, Amen.

Nos Tuam hanc, ó Lux Mundi, contra tenebrarum Principem causam, publicæ hominum luci exponendo, à tenebris ad lucem; à præjudiciis stultorum (*Prov.* 18. 13.) ad judicia sapientum; à profanorum temeritate ad piorum pavores (*Prov.* 28. 14. 26.) à malè informatis ad meliùs informandos; ab omni deniqve humano Tribunali, ad Tribunal Tuum (1 *Cor.* 4. 5.) provocamus.

Loqvar tamen iis etiam, & recognitionem causæ humiliter solicitabo apud eos, qvi loco Tuo rebus Mundi præsident, Politico & Ecclesiastico in regimine. Tu Rex Regum, in cujus manu corda Regum sunt ut rivi aqvarum, ad inclinandum ea qvôcunqve volueris (*Prov.* 21. 1.) da omnibus de hisce judicaturis cor Salomonicum docile, ad rectè de rebus judicandum, interqve bona & mala discernendum (1 *Reg.* 3. 9.)

Vos autem Omnes, seqventium Lectores, mementote moniti Christi,

QVI LEGIT INTELLIGAT!

(Matt. 24. 15.)

Cui ego Paulinum addo Votum (ex 2 Tim. 2. 7.)

DOMINUS DET VOBIS INTELLECTUM IN OMNIBUS!

AMEN.

CHRI-

repræsentandum, *tametsi quicquid hic de rebus Scriptura & aliunde hactenus narratum fuit, ipsis etiam piis ut somnium videatur* (Psal. 126. 1. & Ier. 31. 26) *exiturum tamen in realissimum Opus, ut videndo videat Mundus.*

18 Hoc etiam non prætereundum, *Christophori & Christinæ (opificis & fœminæ) prophetationes desiisse in silentium:* qvia opere peracto, ad qvod eos elegerat Dominus, obsignare sua jussi sunt, nullas amplius Visiones passi, nec liberationem viderunt. *Nicolaus verò tametsi & ipse clausulam imponere jussus erat, & mori* (Rev. 196 & 197.) *jussus tamen denuò & vitam, & ad prophetandum spiritum duplum resumere.* (Rev. 198.) *Promissionemque accepit, non visurum mortem donec explicatam vidisset gloriam Dei super Nationes Terræ*, Rev. 230. 3. *Omnino in signum! extraordinarias revelationes desituras,* (1 Cor. 13. 8) *ordinariam autem Evangelii vocem duraturam, quamdiu Ecclesia in terris erit! &c. &c.*

[Si qvidqvam cuiqvam his de rebus scrupuli superesit, videantur *Appendices* ad Kotterum, ad Poniatoviam, ad Drabicium.]




REVELATIONES
CHRISTOPHORO
KOTTERO
Civi & Alutario Sprottaviensi,

Ab anno 1616 ad annum 1624.

factæ,

Ex originali fideliter in Latinum translatæ, historiâque & Tabulis Chorographicis, ac utilibus subinde adjectis Notis, illustratæ.

ANNO M. DC. LXIV.



Actor. 23. v. 9.

Nihil mali invenimus in homine isto. Quod si Spiritus loqvutus est ei, aut Angelus, ne repugnemus DEO.


Jes. 42. v. 8. 9.

Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus. Priora ecce venerunt! nova verò ego annuntio: anteqvam oriantur, audita vobis faciam.

Irenæus Lib. IV. Cap. 43.

Omnis prophetia priusquam habet efficaciam, ænigmata & ambiguitates sunt hominibus. Cùm autem venerit tempus, & evenit quod prophetatum est, tunc prophetia habet liquidam expositionem.

Super Visiones



CHRISTOPH. KOTTER,

Civis & Alutarius Sprottaviensis in Silesia inferiore: natus in pago Langnaw (Lusatiæ superioris) anno 1585: ad munus propheticum vocatus anno [illegible] 1657, ætatis [illegible].

Amos 7. v. 14. 15.) Non eram ego Propheta, nec prophetæ filius, sed armentarius vellicans sycomoros. Dominus [illegible] dixit ad me, Vade prophetiza populo meo Israel.

Super Visiones

CHRISTOPHORI KOTTERI,

Præfatio Interpretis Bohemi, in Latinum translata.



QVisqvis es, mi homo, in cujus Scriptum hoc inciderit manus, primùm ego te per cœleste illud, qvô te ornavit Deus, rationis lumen, tùm per eam qvam proximo debes charitatis mansvetudinem, deniqve per eum qvem Creatori tuo debes honorem & reverentiam, obtestor, ne te præcipites in ferendo de hoc scripto, Scriptoréqve, judicio. Facilis enim hic, nec extra periculum, lapsus: ideoqve te amicè priùs alloqvi, ac præmonere, necessarium duxi.

2. Deus noster, benedictus & adorandus Deus, ab initio eum servavit morem, ut non solùm doctrinæ puritate instrueret Ecclesiam suam, verum eam qvoqve Prophetiis, i. e. certis de rebus futuris (maximè quæ ad statum Ecclesiæ) Revelationibus ornaret. Apertè id ipsemet de se testatur, *nihil se facturum, quod non ante patefaciat servis suis Prophetis* (Am. 3. 7.) pateqve id exemplis. Mundum enim priorem aqvis ob scelera deleturus, Noacho consilium suum, ut is alios qvoqve præmoneret, 120 annis antè detexit (Gen. 6.) sicut & Sodomam igne subversurus Abrahamo, & Lotho. Eidem Abrahamo posteritatis suæ in Ægypto sortem prædixit, tùm typis & figuris, tùm verbis apertis (Gen. 15.) Angeli apparebant Jacobo, Josue, Gedeoni, Manue, Samsoni, Samueli, & aliis multis. Testamenta Patriarcharum qvid nisi vaticinia fuerunt ad posteros? Inprimis autem testimonio sunt Prophetæ, qvos insigne aliqvid cum Populo suo patraturus Deus destinatò excitabat, atque instantia bona & mala, pœnas & miserationes suas, denuntiabat. Per Jesaiam excidium primùm Hierosolymæ, & captivitatem populi: postmodum Babylonis excidium, & populi liberationem. Ubi & Cyrum expressissimè nomine proclamari jussit, per quem se effecturum talia (cap. 45.) Ut populus Dei vel nomine tanti Herois audito in spem erigeretur, eum ipsum esse divinitùs sibi destinatum liberatorem suum. Eidem Prophetæ Deus, qvas præterea & qvibus modis puniturus esset Nationes, indicavit: ut id legimus

à cap. 10. ad 23. usqve. *Jeremias*, *Ezechiel*, *Daniel*, *cæterique Prophetæ*, pleni sunt exemplorum: qvæ nec in N. T. desunt. Deum nempe vel per somnia, vel per Angelicas Visiones, de futuris subinde suos præmonuisse. Exempla inqvam in promptu sunt *Zachariæ*, *Mariæ* (Luc. 1.) *Josephi*, *Magorum* (Matt. 1. & 2.) *Simeonis* (Luc. 2.) *Ananiæ* (Act. 9.) *Cornelii* & *Petri* (10. 3. 10.) *Agabi* (Act. 11. 21.) *Filiarum Philippi* (21. 9.) Habebat & *Paulus* Visiones (Actor. 16. 9.) & ecstasin patiebatur (2. Cor. 12.) Inprimis autem *Johannes* in Apocalypsi sua multa per Visiones vidit & consignavit, de tùm præsenti & futuro Ecclesiæ statu, usqve ad seculorum finem.

3. *Causæ* cur & consilia sua, & Mundi Satanæque machinationes, piis revelet Deus, duæ sunt: *Philanthropia Dei*, & *Necessitas nostra.* Amat qvippe illud qvod ad imaginem sui formavit, *æterna Sapientia:* ideoqve *ludit semper in Orbe*, & *deliciæ ejus sunt cum filiis hominum* (Prov. 8. 31.) Exempló id Abrahami qvoqve & Danielis patet: eos ideò, qvia charos habebat, consilia sua celare noluisse (Gen. 18. 17. 19. Dan. 9. 23.) *Accedit necessitas nostra.* Providus enim noster cœlestis Pater novit, qvàm periculosum foret liberis suis, & molestum, si in hujus vitæ ærumnis (qvibus eos prorsus hic exemptos non vult) nullam certam, qvid, qvando, & ubi sperandum esset, haberent informationem. Etsi enim Legis suæ Verbo apertè satis Homini, qvidqvid per universum Mundum geritur, providentiâ suâ geri & regi, voluntatisqve suæ arbitriô (qvo omnes acqviescere par est) disponi: imò qvidqvid tandem fiat, si Cœlum Terræ misceatur, aut ruat Orbis & Orcus, Justis tamen tandem benè fore, Impios autem temporalibus & æternis pœnis implicatum iri, ostendit. Qvia tamen non semper humana fragilitas permittit, ut generales Scripturâ comprehensas promissiones sibi, & præsenti rerum statui, accommodare sciant: (adeo, ut pientissimi qvoqve miseriarum mole obruti, viribus fracti, & sensibus hebetati, fatiscant interdum, ac tantùm non desperationis gurgite mergantur:) hâc de causâ ad infirmitatem nostram condescendens benignissimus Pater, de imminentibus Mundo ruinis maturiùs suos præmonere solet.

4. Id quod perutile iis accidit. Qvia sic, *primò*, Fides de Providentia validissimè roboratur, provocante adhoc argumenti genus ipsômet Deô (Jes. 41. 21. usqve ad cap. 44.) *Deinde*, ingeneratur nobis timor Dei, ut commonefacti, Deum esse qvi Populos ut aquas commovet, & omnia maxima minima admirandis consiliis disponit, exclamemus cum Jeremia, *Quis te non exhorrescat Rex Gentium?* *Tertiò*, excitatur eo confidentior spes de promissâ misericordiâ, ut minus metuant in die mali, sed cum Abakuko dicant: *Etiam si ficus*

cus non floreat, & non sit proventus in vineis, & arva non adferant cibum, & abscindatur de Ovili pecus &c. ego tamen gaudebo in Domino, exultabo in Deo salvatore meo (Cap. 3. v. 17. 18.) *Præterea*, præcavetur sic, ut ne pii (prævidendo qvem terminum rebus malis jam destinârit Deus) cum impiis manum ad iniqvitatem extendant, Psal. 125. *Tandem*, afferunt Prophetiæ cœlestes magnum Credentium cordibus solatium: ut se non desertos in calamitatibus, sed Deo esse curæ, ejusque consilia in bonum sibi disponi, certi, non magni pendant, qvod adversi aliqvid pro voluntate Dei sufferre aliqvantisper necesse sit. *Impiis deniqve vaticinia ejusmodi, si innotescunt, in testimonium fiunt:* ut omnes divinas præmonitiones, tùm Verbi, tùm Miraculorum (solet enim semper, cùm se ad iram accingit, ostentis & prodigiis pœnas priùs minari, qvàm inferat, Deus) susqve deqve facientes, eò justiùs trahantur ad pœnas.

5. Sed hîc qværitur: *Utrum adhuc sub* N. T. *ita cum hominibus agat Deus, ut aut vel Ipsemet voce suâ, vel per Angelicas Visiones, futura revelet? an verò revelationes post Christum cessaverint?* Qui posterius statuunt, dicunt, *Deum ultimò nobis loquutum esse per Filium*: Apostolicum allegantes testimonium (Heb. 1. 1.) Sed non asseqvuntur Apostoli mentem, si allegant seriò. Apostolus enim cùm sibi proposuisset totâ Epistolâ Christi præ Mose, & Evangelii præ Lege, extollere eminentiam, jam in aditu ipso Testamenti utriusqve aperire incipit discrimen: modum Revelationum ibi & hic factarum ita discriminans, ut ibi dicat variè qvidem factas, omnes tamen per homines puros putos, Prophetas; hîc autem per ipsum Filium, omnium Prophetarum, omniumqve Hominum, adeóqve omnium Creaturarum (utpote Creatorem, qvod mox enarrat) dominum. Utrum verò hic Dei Filius per se solus, nemine amplius à Legatis suis submissô, Ecclesiæ suæ enarraverit omnia, an verò etiam missurus esset aliqvos futura qvædam prænuntiantes, nulla hic ejus rei mentio. Aliunde autem constat, reliqvisse id potestati suæ: imò submittere Prophetas pollicitum, misisseqve reipsâ.

6. Promisit enim relicturum se Spiritum S. qvi (inter alia sua opera) etiam futura nuntiaret Ecclesiæ (Joh. 16. 13.) Si annunciare Spiritus S. post Christi ascensionem in Ecclesiam demissus, debuit futura; excitare igitur (etiam post Christi ascensionem) debuit Prophetas, per qvorum os & calamum ventura illa prænuntiarentur. Unde Petrus, in ipsâ recenti Spiritûs S. effusione, Joëlis de propheticis, crebris & solemnibus, Somniis & Visionibus Vaticinium, ad tempora N. Testamenti applicans, divinum hoc suave opus ad horrendum usqve illum diem, qvi est Adventûs Christi ad judicium, extendi docuit (Act. 2. 17.) Et Paulus gradus Ministrorum N. T. enumerans, qvinqve ponit, *Apo-*

à cap. 10. ad 23. usqve. *Jeremias*, *Ezechiel*, *Daniel*, *cæterique Prophetæ*, pleni sunt exemplorum: qvæ nec in N. T. desunt. Deum nempe vel per somnia, vel per Angelicas Visiones, de futuris subinde suos præmonuisse. Exempla inqvam in promptu sunt *Zachariæ*, *Mariæ* (Luc. 1.) *Josephi*, *Magorum* (Matt. 1. & 2.) *Simeonis* (Luc. 2.) *Ananiæ* (Act. 9.) *Cornelii* & *Petri* (10. 3. 10.) *Agabi* (Act. 11. 21.) *Filiarum Philippi* (21. 9.) Habebat & *Paulus* Visiones (Actor. 16. 9.) & ecstasin patiebatur (2. Cor. 12.) Inprimis autem *Johannes* in Apocalypsi sua multa per Visiones vidit & consignavit, de tùm præsenti & futuro Ecclesiæ statu, usqve ad seculorum finem.

3. *Causa* cur & consilia sua, & Mundi Satanæque machinationes, piis revelet Deus, duæ sunt: *Philanthropia Dei*, & *Necessitas nostra.* Amat qvippe illud qvod ad imaginem sui formavit, *æterna Sapientia:* ideoqve *ludit semper in Orbe*, & *deliciæ ejus sunt cum filiis hominum* (Prov. 8. 31.) Exemplò id Abrahami qvoqve & Danielis patet: eos ideò, qvia charos habebat, consilia sua celare noluisse (Gen. 18. 17. 19. Dan. 9. 23.) *Accedit necessitas nostra.* Providus enim noster cœlestis Pater novit, qvàm periculosum foret liberis suis, & molestum, si in hujus vitæ ærumnis (qvibus eos prorsus hic exemptos non vult) nullam certam, qvid, qvando, & ubi sperandum esset, haberent informationem. Etsi enim Legis suæ Verbo apertè satis Homini, qvidqvid per universum Mundum geritur, providentiâ suâ geri & regi, voluntatisqve suæ arbitriô (qvo omnes acqviescere par est) disponi: imò qvidqvid tandem fiat, si Cœlum Terræ misceatur, aut ruat Orbis & Orcus, Justis tamen tandem benè fore, Impios autem temporalibus & æternis pœnis implicatum iri, ostendit. Qvia tamen non semper humana fragilitas permittit, ut generales Scripturâ comprehensas promissiones sibi, & præsenti rerum statui, accommodare sciant: (adeo, ut pientissimi qvoqve miseriarum mole obruti, viribus fracti, & sensibus hebetati, fathiscant interdum, ac tantùm non desperationis gurgite mergantur:) hâc de causâ ad infirmitatem nostram condescendens benignissimus Pater, de imminentibus Mundo ruinis maturiùs suos præmonere solet.

4. Id quod perutile iis accidit. Qvia sic, *primò*, Fides de Providentia validissimè roboratur, provocante adhoc argumenti genus ipsômet Deô (Jes. 41. 21. usqve ad cap. 44.) *Deinde*, ingeneratur nobis timor Dei, ut commonefacti, Deum esse qvi Populos ut aquas commovet, & omnia maxima minima admirandis consiliis disponit, exclamemus cum Jeremia, *Qvis te non exhorrescat Rex Gentium? Tertiò*, excitatur eo confidentior spes de promissâ misericordiâ, ut minus metuant in die mali, sed cum Abakuko dicant: *Etiam si ficus*

cus non floreat, & non sit proventus in vineis, & arva non adferant cibum, & abscindatur de Ovili pecus &c. ego tamen gaudebo in Domino, exultabo in Deo salvatore meo (Cap. 3. v. 17. 18.) *Præterea*, præcavetur sic, ut ne pii (prævidendo qvem terminum rebus malis jam destinârit Deus) cum impiis manum ad iniqvitatem extendant, Psal. 125. *Tandem*, afferunt Prophetiæ cœlestes magnum Credentium cordibus solatium: ut se non desertos in calamitatibus, sed Deo esse curæ, ejusque consilia in bonum sibi disponi, certi, non magni pendant, qvod adversi aliqvid pro voluntate Dei sufferre aliqvantisper necesse sit. *Impiis deniqve vaticinia ejusmodi, si innotescunt, in testimonium sunt:* ut omnes divinas præmonitiones, tùm Verbi, tùm Miraculorum (solet enim semper, cùm se ad iram accingit, ostentis & prodigiis pœnas priùs minari, qvàm inferat, Deus) susqve deqve facientes, eò justiùs trahantur ad pœnas.

5. Sed hîc qværitur: *Utrum adhuc sub* N. T. *ita cum hominibus agat Deus, ut eis vel ipsemet voce suâ, vel per Angelicas Visiones, futura revelet? an verò revelationes post Christum conticuerint?* Qui posterius statuunt, dicunt, *Deum ultimò nobis loqvutum esse per Filium*: Apostolicum allegantes testimonium (Heb. 1. 1.) Sed non asseqvuntur Apostoli mentem, si allegant seriò. Apostolus enim cùm sibi proposuisset totâ Epistolâ Christi præ Mose, & Evangelii præ Lege, extollere eminentiam, jam in aditu ipso Testamenti utriusqve aperire incipit discrimen: modum Revelationum ibi & hîc factarum ita discriminans, ut ibi dicat variè qvidem factas, omnes tamen per homines puros putos, Prophetas; hîc autem per ipsum Filium, omnium Prophetarum, omniumqve Hominum, adeóqve omnium Creaturarum (utpote Creatorem, qvod mox enarrat) dominum. Utrum verò hîc Dei Filius per se solus, nemine amplius è Legatis suis submissô, Ecclesiæ suæ enarraverit omnia, an verò etiam missurus esset aliqvos futura qvædam prænuntiantes, nulla hîc ejus rei mentio. Aliunde autem constat, reliqvisse id potestati suæ: imò submittere Prophetas pollicitum, misisseqve reipsâ.

6. Promisit enim relicturum se Spiritum S. qvi (inter alia sua opera) etiam futura nuntiaret Ecclesiæ (Joh. 16. 13.) Si annuntiare Spiritus S. post Christi ascensionem in Ecclesiam demissus, debuit futura; excitare igitur (etiam post Christi ascensionem) debuit Prophetas, per qvorum os & calamum ventura illa prænuntiarentur. Unde Petrus, in ipsâ recenti Spiritûs S. effusione, Joëlis de propheticis, crebris & solemnibus, Somniis & Visionibus Vaticiniorum, ad tempora N. Testamenti applicans, divinum hoc fore opus ad horrendum usqve illum diem, qvi est Adventûs Christi ad judicium, extendi docuit (Act. 2. 17.) Et Paulus gradus Ministrorum N. T. enumerans, qvinqve ponit, *Apo-*

nit, *Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores, & Doctores.* Ubi per Prophetas Propheticæ Scripturæ interpretes (ut alibi interdum) non intelligi, satis patet, qvia hos proprio Doctorum nomine designavit. Ubi enim gradus Ministrorum enumerat, synonymiis ludere, & eandem rem bis ponere, qvid necesse fuit? Prorsus ergò, quæ sit plenitudo donorum ministerialium in Ecclesiâ ostendit, atqve omnes ordinarios & extraordinarios Ministerii gradus, recenset. Primò inqvam tres extraordinarios ponit, deinde ordinarios duos, qvos semper in Ecclesiâ retineri necessum est: cùm isti interdum solummodò, peculiaribus casibus, & peculiari cum mandato, emittantur. *Doctores*, sunt Scripturæ & fidei mysteria enarrantes, sive in Scholis, sive in Templis. *Pastores*, qvi præterea Animarum & Conscientiarum curam gerunt; Claviumqve & Sacramentorum sunt œconomi. *Apostoli*, sunt Doctores universales, ad totas gentes (peculiaribus donis instructi) emissi, ut nomen Christi etiam ubi auditum non fuit, plantent. *Evangelistæ*, sunt viri magnô lumine præditi, ut fidei veritas per ipsos defendi & propagari posset. *Prophetæ* autem (hôc propriô sensu) sunt qvos Deus futurorum revelatione, ad Ecclesiæ usum, dignatur: qvæ vocatio licet extraordinaria sit, Deum tamen, ubi & qvando eam adhibere velit sibi reservasse, satis inde constat: cùm & alios istos extraordinarios gradus (Apostolos & Evangelistas) adhuc interdum videant secula nostra, licet eos distinctis illis nominibus appellare non ita nunc moris sit.

7. Potissima tamen *ratio, cur donum Prophetiæ ab Ecclesia ne nunc qvidem removendum sit, est*; qvòd eædem nunc causæ, qvæ olim, perstant, ob qvas Deum Ecclesiæ prophetiis succurrere solitum ante commemoravimus. Et nunc sanè pios in fide roborari, in calamitatibus erigi, adversùs scandala præmoneri & præmuniri, impios autem cæcitatis & duritiei admoneri, necessum est. Non est verisimile, Deum imbecillitatem nostram auxiliis omninò deseruisse. Si qvis oggerat, *Nos Legem & Prophetas, Christumqve & Apostolos, satis in Scriptura loqventes, habere:* respondebo, & antiqvos Legem, posteaqve priorum etiam Prophetarum scripta, habuisse; Deum tamen nihilominus peculiaribus casibus peculiares submittere solitum interpretes, qvi antecedentium vaticiniorum sensum instanti jam jam temporis articulô dilucidiùs applicarent. Vel saltem emittebantur ut Excitabula qvædam, qvi loco NOTA BENE in hominum oculis essent, omnesqve per ipsos ad attentam divinorum antiqvis vaticiniis prædenuntiatorum Operum Dei observationem, eòqve ipsô ad pœnitentiam simul erigerentur: id qvod semper piis utile fuit ac salutare. Certè si Deus ita nostræ infirmitati subvenire jam nollet ampliùs,

condi-

conditio nostra in Lege nova deterior esset, obscuriorqve, præ istis: qvod naturæ Novi Testamenti repugnat.

8. Inprimis autem, qvoniam in utriusqve Testamenti prophetiis multa hactenus involuta prostant mysteria: imò Danieli obsignare qvædam prorsus (Dan. 12. 9.) ut & Johanni (Apoc. 10. v. 4.) mandatum fuit [NB.] qvô fine qvæso? An ut æternùm hæc Ecclesia ignoret? An ut in Cœlo demum resignentur? Atqvi expressè dictum, *Obsigna ad tempus.* In cœlo vero non erit tempus, sed æternitas. Ergò currente adhuc tempore ista resignanda sunt. At qvis resignare audebit, vel poterit, nisi is ipse, qvi obsignare jussit? Et qvomodo, nisi sic qvomodo obsignavit? per submissos extraordinarios Danieles & Johannes qvosdam? Et his qvomodo mandabit, nisi consveto suo per ecstases & visiones more? Patet ergò Deum sibi qvædam adhuc reservasse in Scripturis, qvæ revelaret tempore suo: nec revelare aliter, qvàm per Spiritum Prophetiæ.

9. Nam qvidqvid hîc humani acumen ingenii proferre satagit, evanidum est: qvia *nulla Prophetia Scripturæ est propriæ explicationis*, inqvit expressè Petrus (2. 1. 20.) Resqve ipsa arguit, omnium explicationes, qvotqvot in Apocalypsin, aut cæteras Scripturæ Prophetias, qvamcunqve ingeniosè commentantur, meras esse conjecturas, vel verisimilitudines, qvibus firma certitudo, cui inniti qvis posset infallibiliter, non inest: sæpè autem insunt contradictiones, interdum etiam rerum obscuratio magis qvàm elucidatio: in iis præsertim, qvæ nondum complementum sortita sunt. Nam alioqvi vaticinia post eventum intelligere, non omninò difficile est, sed nec admodum proficuum: qvia ante factum, & in facto, ratione ac prudentiâ opus est, non post factum. Non itaqve verisimile est, Deum prædictiones suas nonnisi post eventum intelligi velle: exemplaqve demonstrant Deum Visionibus suis, non post, sed ante complementum interpretes submittere. Qvaliter Pharaoni submisit Josephum, Nebucadnezari & Balsazari Danielem, aliis alios, qui Visiones Vaccarum, Arboris, Manûs in pariete scribentis &c. explicarent, idqve eô qvod significabatur adventante. Cùm igitur multa adhuc involuta Scripturis continentur mysteria, Dei a. voluntas non est ut lateant æternùm, & interim hominum nemo ad infallibilitatem usqve ratione propriâ penetrat: seqvitur revera id juris sibi reservasse Sapientiam Dei, ut Revelationibus novis Revelationum priorum aperire posset sensum. Atqve ita donum prophetiæ nondum ab Ecclesiâ sublatum esse.

10. Et qvid svasoriis argumentis opus, cùm res ipsa id loqvatur? Nam & *post Christum, Petrus, Paulus, Johannes, Agabus, aliiqve, somnia & visio-*

nes

nes habebant, uti ante dictum. Et qvia in Historia Ecclesiastica exempla memorantur eorum, qvos Deus Visionibus & Revelationibus fuit dignatus, qvâ fronte rejiciemus omnia? Multa & de præsentibus Mundi commotionibus, aliqvot inde seculis vaticiniis decantabantur! imprimis qvæ *Brigitta*, *Hildegardis*, *Capistranus*, *Lichtenbergius*, *Carion*, *Theophrastus*, & alii quidam, scripserunt. Certè aliud dicere non licet, nisi Sapientiam Dei ludere in Orbe terrarum. Qvid autem ad id dicemus, qvod Sigism. Imperator, martyria Christi & salutem suam obtestans, scribit: Presburgi in Ungaria qvôdam mane auditam sibi fuisse vocem; *Sigismunde surge, siste te & confitere Deo, para locum & viam Ordinibus divinis. Scripta enim leges omnes vacillant, &c. qvas in ordinem revocabis, & praparabis viam illi, qvi post Te, nomine Fridericus Langenaugius*, (NB.) *veniet. Per hunc Deus multa operabitur, & tunc omne succumbet iniqvum: sed priùs ipsum Deus explorabit tentationibus & incommodis, &c.* (Videantur hæc ap. Joh. Wolfium pleniùs, Centuria XV. ad annum 1434.) Ab illo autem tempore nemo inter Hungariæ aut Bohemiæ Reges Fridericus fuit, ad Annum usque 1619. ubi qvalium rerum factum sit initium, palàm est, & qvid sperare nos jubeant fata, apud hunc nostrum Kotterum patriâ Langenavium, (NB) videbimus.

11. Certissimum igitur est Prophetias & Visiones in Ecclesia tam parùm desiisse, qvàm parum sapientia Dei in orbe ludere, & Christus ad dextram Dei sedens Ecclesiam donis ornare, desiit. Nam & præsens hoc nostrum seculum (atqve hoc imprimis) prodigiorum Cœlo & Terrâ, Somniorumqve & Visionum feracissimum est. Non qvòd omnis qvi se Prophetam venditet, admittendus sit: sed qvod non reprobandi omnes, qvi hoc nomine veniunt. Nam qvemadmodum Deus nunquam suos præmonere intermisit, ita ludificator Satan actionibus divinis, ad obscurandum eas, intermiscere suas nunqvam destitit. Ubi Deus suos *Mosen* & *Aaron*, ibi Satan suos *Jannem* & *Jambrem*, habet. Ubi unicus *Micheas* Dei nomine prophetat, ibi suos 400. opponit Satan, eôdem Dei nomine, falsô tamen, prophetantes. Ubi *Simon Petrus*, ibi ad latus *Simon Magus*. Ad eum ecce modum maledictus impostor & ipse ludit in orbe terrarum, deliciæqve ejus etiam cum filiis hominum sunt, ut eos fascinet.

12. Sunt alii, qvi non Satanæ instinctu, nec intentione malâ, malâ tamen præsumptione, & ingenii luxurie, non vocati, ad edenda vaticinia se proripiunt: alii astrologicis speculationibus, alii Cabalisticis calculationibus &c. innixi. Cujusmodi nuper fuerunt, sub initia horum motuum *Zieglerus*, *Prætorius*, *Plaustrarius*, *Nagelius*, *Felgenhavver*, eorumque similes: sed vanitas est.

tas est. Ratiocinationes enim mortalium sunt timidæ, & cogitationes eorum incertæ (Sap. 9. 14.) Nam qvis Consiliarius Domini fuit, & ostendit illi? aut cum qvo ipse iniit consilium? (Jes. 40. 13.) Ille solus est Deus, qvi annuntiat qvæ futura sunt: alii, qvotqvot id tentant, gloriam ejus, omniscientiæ gloriam, attentant: ideóqve pudefiunt (Jes. 42. v. 8. 9. & 41. 22. &c.)

13. Sed tamen, qvemadmodum omnia sine delectu vaticinia admittere imprudentiæ est, ita rejicere omnia impudentiæ, ingratitudinis, & tantùm non blasphemiæ. Irascitur enim contemptoribus Deus, qvi neqve in opera Dei attendunt ipsi, neqve si qvis enarret credunt (Habak. 1. 5.) *At quid facias*, inqviet qvispiam, *ubi tot fraudes occurrunt?* Respondet Apostolus: *Prophetias ne spernite: omnia probate, qvod bonum fuerit retinete:* (1. Thess. 5. 20. 21.) Et Johannes, *Probate spiritus num ex Deo sint?* (1. Joh. 4. 1.) *Nam omnis Spiritus qvi ex Deo est, est Veritatis Spiritus, deducens in veritatem.* (Joh. 16. 13.)

14. Faciendum ergò id in his qvoqve Christophori Kotteri Visionibus, si qvis ad legendum illas conferre se volet (qvod sanè ut velint omnes pii, optandum) ut benè primùm, qvomodo hæc, utrum ut humana, an ut divina, vel ut diabolica (quod avertat Deus) lecturus sit, circumspiciat. Qvod fortassis principiò ambiguum esse potuit, qvemadmodum adhuc iis, qvi plenâ rei cognitione destituuntur: nunc autem obsignatis Visionibus, & prædictis undiqve in eventum propendentibus, dubitatione minus opus: præsertim si cui tota res, qvod ad hominem istum attinet, cognita sit: Ego, lector pie (qvi unus sum ex dispersis, qvicunqve tandem) fateor, me (qvamvis gravium qvorundam virorum jam ante judicium audiveram, nihil hîc esse humani, sed oracula verè Divina) negotium istud penitùs cognoscendi flagrasse desideriô: eôque nomine in loca ista, ubi hominis mihi esse poterat copia, me contulisse, atqve cum ipso, & aliis qvi à principio cum illo erant, Viris bonis, benè multos dies conversatum, rem totam ex fundamento cognovisse: ut jam dicere qveam, me non propter alicujus sermones, sed qvia ipsemet vidi & audivi, & cognovi, statuere, qvicqvid statuo.

15. Ideóqve visum est tantillum impendere laboris, ut translatum opus hoc in vernaculam nostram communicare, atqve charissimis meis, sub cruce nunc gementibus, sympatriotis in solatium submittere, non piguerit. Judicium meum nemini obtrudo: rogo tantummodò, ne qvis apud se graviter expendere gravetur, unde hæc talia & tanta homuncioni isti venire possint? Inusitata enim, admiranda, atque adeò stupenda esse, quæ iste visa sibi & audita recenset, nemo erit omnium qvi legunt, qvin fateri habeat necesse. *Unde ergò ista?* qværitur, & qværendum utiqve est. Aut certè à seipso ista habet, aut

bet, aut aliunde. Si à ſeipſo, tùm aut ab aliquâ Melancholicâ imaginatione talia oculis & auribus obverſata fuiſſe; aut ea ſibi audaci temeritate confinxiſſe, ſuſpicabimur. Non illud: qvia per totum octennii tempus integris & vegetis ſenſibus, ſi qviſqvam alius, deprehendebatur, ut & adhuc. Neqve hoc: qvia Vir bonus, & teneræ conſcientiæ, & qvi adeò per triennium integrum refugiebat hoc munus, ut nonniſi velut alter Jonas rerum ſuarum naufragio, perpetuisqve conſcientiæ torminibus adactus, rem propalare, nimis tamen timidè principio, aggreſſus ſit. Tandem ſimplicitas ſua facilè eum hâc ſuſpicione liberat, utpote homuncionis illiterati, & præter opificii ſui, & exiguam Religionis cognitionem, omnia divina humana ignorantis: ut omninò aliunde iſta ipſi ſuppetere neceſſum ſit.

16. Unde autem? Annon ab ingenioſorum aliqvo iſta conficta, & ab hoc ſub Viſionum nomine, promulgata? Id ſi feciſſet, certè aut lucri, aut famæ ſpe feciſſet. Jam autem contrarium videmus: per id enim ad extremam inopiam redactus eſt, & in contemptum ac riſum, deniqve in carceres & vitæ diſcrimina. Qvis illi qvæſo tam charus eſſe poteſt, ut ob illius figmenta rem domeſticam, nomen, vitam, æternamque ſalutem ſuam, periclitari velit? Adhæc, audacter pronuntio, ſi centum milleni Eruditi capita contuliſſent, talia hæc nunqvam tamen protuliſſent: adeò hîc ſublimia myſteria, methodus, ſtylus, ut omnes Eruditos inſanire promptiùs ſit, qvàm talia imitari, nedum confingere.

17. Quid autem ſi magis qvàm certò tibi pollicear, Chriſtiane lector, à nullo hominum, niſi à ſolo hoc ſimpliciſta, iſthæc cuncta profecta eſſe, adhucne fraudis inſimulabis? Id autem tàm certum eſſe, qvàm te qvi hoc legis legere, pro indubitato habe. Primò qvædam in Curia, ternâ vice, à Notario Civitatis ex ejus enarratione conſignata: reliqva poſteà à Viris bonis ex dictantis ore excepta; poſtrema ab ipſomet (ubi pingere qvoqve literas qvaliterqvaliter didicerat) in chartam congeſta ſunt. Hoc mirandum, adeò divinam illi eſſe impreſſorum memoriam, ut anteqvam retulerit in chartam, ſingula verba, imò apices, eôdem quô audivit ordine, etiamſi centies recitanda eſſent, recitet. Unde neceſſariò ſeqvitur, ab aliqvâ altiori, qvàm qvalis in homines cadit, intelligentiâ, cuncta iſta proficiſci: à ſpiritu nempe, ſeu bono, ſeu malo. Malo autem iſta tribui non poſſunt, niſi nos Evangelii nomine perſecutionem perpeſſos Satanæ regnum, ipſos autem perſeqvutores Chriſti Eccleſiam eſſe, ſuſpicari velimus.

18. Qvid multis? divinane revelatio, an diabolica illuſio hæc ſit, nihil conjecturis opus, clara demonſtratio in promptu eſt. Dijudicationis inqvam ſpirituum

rituum & doctrinarum infallibilem accepimus regulam à Christo benedicto Servatore nostro, qvi *Doctrinam suam non à Diabolo* (ut criminabantur Pharisæi) *sed ex Deo esse, tribus evincebat argumentis.* (Joh. 8.) *Primò, qvòd esset consona veritati* (v. 46.) *Secundò qvòd in gloriam Dei spectaret* (v. 49. 50.) *Tertiò qvòd plenos afferret consolationum fructus* (v. 51.) Unde certissima, & prorsus infallibilia, earum qvæ à Deo proveniunt doctrinarum, accipimus criteria.

19. *Satanica* qvippe semper, *primò, à Veritatis regula* (quæ est æternum Dei Verbum) *discrepant*, atqve adeò Scripturas vel transiliunt, vel pervertunt, vel involvunt, & variè obscurant. *Deinde eò tendunt, ut homines pro fine & scopo* (omnium hæreticorum & magorum exemplô id patet) *seipsos, famam, honores, opes, alienum favorem, & similia, intendant: & vanâ sui vel superstitiosâ Creaturarum, fiduciâ inebriati, Deum timere & revereri dediscant. Doctrina denique hominum, qva authore Satana proferuntur, vel stuporem inferunt conscientiis, vel opinionem saltem Consolationum, qvæ in tentatione non durant, sed diffluunt ut in sole nives.*

20. At verò hîc longè aliter habet res. Qvicqvid hîc auribus & oculis subjicitur, tale est, ut semper & perpetuò ad ipsos veritatis fontes, nempe Scripturas, dirigat, earum amorem occultâ qvâdam energiâ instillet, atqve adeò modô quôdam mirabili lumen animis, ad intelligenda sublimia Scripturarum mysteria, inserat. Et qvemadmodum Author ipse per has à Deo deductus semitas, Mundum & Mundana negligere contemnereqve edoctus est, ita qvicunqve hæc cum timore Dei legerit, eô pietatis motu sese affici sentiet, ut nihil nisi Deum cogitare, loqvi, adorare, laudibus extollere, gestiat. Tandem sentiet se plenum divinis solatiis, ut Mundi & inferorum terroribus omnibus posthabitis erectus stet, ad omnem nutum Dei, miseratoris sui, vivere & mori paratus.

21. Non qvasi hîc novi aliqvid, præter ante scriptum Dei Verbum, proferatur (Nam qvi aliud evangelizaverit, etiamsi Angelus ipse sit de cœlo, anathema esto) sed qvòd ea qvæ in veteri illo, & in æternum immoto Dei Verbo prostant, in novo hoc seculo, & novo rerum statu, novô qvôdam, & præsentibus tenebris accommodo, applicentur & explicentur modô: ut clarem sibi multorum in Scripturâ Oraculorum divinitus porrectam fateri necesse habeat, qvicunqve hîc qvoqve ludenti Sapientiæ Dei debita cum observantia aures præbuerit. A Dei enim hæc profecta fuisse spiritu, tùm dicta jam ultra humana rerum sublimitas, qvæ piè legentium animos ultrò perstringet, tùm positus à Deo verorum oraculorum character satis demonstrat, Deut. 18. 20. Ibi enim mandat Deus, ut Propheta, qvi sibi arrogaverit nomine Dei

loqvi, à Deo non missus, moriatur. Sed *unde cognoscam*, inqvies, *non esse verba, qvæ præceperit Deus?* Respondetur: *Si non evenerit qvod prædixit iste Propheta, hoc est illud Verbum, qvod Jehova non est loqvutus, &c.* Item Jer. 28. 9. dicitur: *Cùm evenerit Verbum alicujus Prophetæ, tunc cognoscitur ille Propheta esse, qvem verè misit Dominus.*

22. Hæc autem Kotterianis Visionibus comprehensa vaticinia si qvis attentè consideraverit, videbit facilè qvàm multa jam (qvæ nemo vel per somnum cogitare potuisset) eventum sortita sint, & reliqva planissimè in eventum disponantur, nisi qvi planè cæcus sit. In numeris qvidem videntur sibi qvidam aberrationes videre: eô qvod positi qvidam termini jam præterierint. At nolunt animadvertere multa jam qvoqve & maxima rerum momenta præteriisse, initiaqve complementorum revera esse facta: qvod in oculis Dei, & in ipsa re, tantundem est acsi jam completè omnia evenissent. Nam & Danieli de reductione populi, Templique restauratione, loqvens Angelus, ab enuntiatione edicti terminum sumit (Dan. 9. 25.) Unde patet, certam rei inchoationem in vaticiniis idem esse qvod complementum ipsum.

23. Ut taceam, in Scripturis qvoqve exstare exempla, ubi non præcisè in ipso prædicto temporis articulo, sed aliqvantò pòst, Deus promissiones implevit suas. Ex. gr. Abrahæ promisit, *post* 400. *annos posteritatem ejus se liberaturum ex Ægypto.* (Genes. 15. 13.) qvod & Stephanus accuratè repetit (Act. 7. 6.) *Cùm tamen* 30 *annos ultra prædictum terminum producta fuerit eductio.* (Exod. 12. 40. Gal. 3. 17.) Similiter, Oraculum fuit, *non auferendum à Juda sceptrum, donec venisset Silo* (Gen. 49. 10.) *Ablatum tamen fuit paulò ante qvam venisset:* jam enim subjugati erant Gentibus (Luc. 2. 1.) Qvid ergò tam temerarius sit homo, ut si non perinde omnia, qvomodo ille arripuit, exeant, statim naso suspendere velit? præsertim cùm nondum qvidqvam contrarii apparuit? imò cùm omnibus prædictis, iisdem prædictis temporibus, initia data sint? Qvod si cui obscurum, poterit aliqvando subjunctis commentariolis illustrari.

24. Nunc rem ipsam, Lector, ut in se est, cape, & lege, & confer cum Scripturis; nihil authoris vilitate, aut contemptibilitate, offensus. Hic enim antiqvus est Dei mos, ut qvæ contempta sunt, & stulta mundo, eligat (1. Cor. 1.) ut & Mundi nasutam confundat atqve contundat Sapientiam, & suam reddat illustriorem. Nam alioqvi si Eruditorum aliqvis talia proferret, non haberetur ei fides ex divina isthæc revelatione proferri, nisi id confirmaret miraculis. (Joh. 10. 38.) Hic autem id per se miraculosum est, talem talia, qvæ infinitò captum ejus superant, proferre. Initium qvidem (attendat id qvoqve Lector)

humile-

humile est, taleque omninò qvod sperni possit, at posteriora certè sublimia: ita per gradus qvosdam infantiam ejus, & nostram, instruere visum Deo. Omnia autem licet diversissima, ad eundem tendunt scopum: & ubiqve stylus Spiritus S. simplex & penetrabilis admodum, animadvertitur: imò omnia hic ex verbis, sententiis, historiis & typis S. Scripturarum, plus qvàm humanô artificiô contexta sunt. Tandem tamen, ut verbo complectar, qvid verè hîc & indubiè statuendum sit, non argumentis ad id, & Syllogismis, sed Spiritu Sancto duce opus fuerit: hunc ergò à Patre luminum pete, qvisqvis hæc legis, ut te illuminet, & Spirituum discretione donet.

25. Cave autem obiter legas, qvi solidum fructum qværis: aut legas ut Eruditorum conjecturas solemus, curiosâ solùm futura præsciendi aviditate: sed tanqvam altiora, & ubi in singulis verbis mysteria, vel emphases, occurrunt. Ideò hæc magna qvoqve cum diligentia transtuli: non solùm ut ne qvid adderem, vel omitterem, cavens, sed proprietatis qvoqve verborum tanta mihi cura fuit, ut sicubi Germanicè Spiritus obscurè loqvitur, aut voce phrasive diversum admittente sensum utitur, id studiò ita exprimere laboravi, etiamsi nonnunqvam, si conjecturam seqvi voluissem, clariùs loqvi potuissem.

26. Invito g. pios omnes, si qvis prænuntiata in Scripturis vaticinia clarius intelligere, si horrenda in Mundo Dei judicia jucundiùs spectare; si in omnibus præsentium calamitatum procellis inconcussam divinæ misericordiæ fiduciam retinere cupit, is hæc legere, & meditari, ne spernat. Scripturamqve, & Preces, atqve ad Deum suspiria, perpetuos sibi jungat comites. V. Scribebam in Glogoviensi Ducatu (i. Sprottaviæ) hospes. Ann. 1625. Maji 26.

HISTORIA

Plenior de istis

CHRISTOPHORI KOTTERI

Revelationibus.

I.

Qvando, & qvâ occasione, mihi Kotteriana Revelationes primùm innotuerint.

POST publicata in Bohemia & Moravia anno 1624. Ferdinandi II. adversus omnes Evangelicos Pastores Diplomata, ut qvicunqve (relictâ hæresi) in Ecclesiæ gremium recipere sese recusarent, patrio solo excederent, nec unqvam reverterentur: cumqve præsagia certa, idem fulmen in ipsam qvoqve Nobilitatem & populum vibratum iri, non deessent; congregarunt se (qvàm occultè poterant) Ecclesiarum Unitatis Fratrum Seniores ac Superattendentes in Montanis Bohemiæ, non procul à fontibus Albis, (ad Confratrem suum *Wenceslaum Cornu*, in pago *Daubrawitz* sub *Dn. Carolo Bukowsky* latitantem) mense Martio, 1625. Ubi decretum fuit, Exilii sedes Bohemis qvidem in Polonia, Moravis autem vicina in Hungaria, qværendas esse: mittendosqve hinc & illinc è junioribus Pastoribus qvi literas deferrent, consilioqve Fratrum Superattendentum illis in locis patrocinium solicitarent. Inter hos legationi in Poloniam destinatos ego eram (cui in Moraviam regredi ob personalem persequutionem, & insidias, non tutum putabant Fratres) cùm pientissimo Viro *Johanne Chrysostomo*, additoqve nobis ad ministeria *Mathia Probo*, juvene verè probo.

2. Egressi Bohemiâ mox à Paschatos defleximus Gorlicium Lusatiæ, ad reddendum Baroni à Zerotin juniori, studiis ibi operam navanti, Literas. Cujus Ephorus (*Johannes Gsellius Argentinensis, Alsatus*) causâ itineris nostri cognitâ consolari nos, appropinqvantis ab Antichristianâ tyrannide liberationis spe, cæpit: narrans nobis, qvalia Deus hâc de re Viro cuidam bono in Silesia, *Christophoro Kottero*, revelasset. Admirantibus nobis, fingi tamen talia ab aliqvo ingenioso, & sub nomine idiotæ illius spargi, suspicantibus, multa ut fidem faceret recitabat: *Nulla esse figmenta, verè ab illo ipso hæc visa & audita conscribi; Esse Virum eâ ipsâ in Urbe* (Gorlicii) *multis familiariter notum, &c.* Jubet etiam adferri qvædam de ultimis Visionibus, nobisqve prælegit. Tandem etiam, fidem istis non adhibere nos videns, ipsummet Kotterum adeundi, & coram omnia cognoscendi, dat consilium. *Transibitis, inqvit, Urbem Sprottaviam, inqvirite in Virum, examinate ut lubet:* qvod consilium non displicuit, in rei certitudinem penetrare avidis.

3. Factum tertiò inde die, ingressi Oppidum illud inqvisivimus in Virum: animo

nimo apud ipſum, ſi obtinere liceat, pernoctandi, ut tantò diuturniore converſatione omnia ejus obſervare liceret meliùs. Repertâ tamen domunculâ illius, ipſum non reperimus: Berolini in Marchia eſſe, evocatum à Sereniſſimo Electore, narrabat Uxòr. Qvod nos mirati, ſubeſſe aliqvid ſerii cogitabamus, ſi & Viri Principes cognoſcere hæc non aſpernantur: finem tamen noſtrum nos non aſſeqvi, ut hominem videre poſſemus, triſtamur. Petimus ergò ex ipſa conſilium, ubinam divertere, & à qvonam de rebus mariti ſui edoceri, poſſemus? Reſpondet apud *Abraham Beiſcher* divertunt hoſpites, qvi etiam rerum Viri mei notitiam habet: meliùs tamen *Adam Pohl,* ſed domus hujus non eſt diverſoria.

4. Divertimus ergò ad *Beiſcherum*, cùm domi eſſe dicerent: alloqvi tamen commodè propter hoſpites è cognatione, qvos cœnâ excipiebat, non potuimus. Mane demum alterum illum adiimus, *Adamum Pohl:* qvi nos humaniter excepit, intellectôqve qvid vellemus, *Divinum opus eſt, amici*, dixit, & prolixè qvàm variè ille opus hoc exploraſſet, narravit. Inter alia: *Diu ille reluctatus eſt obſeqvi Deo, inqvit, proptereaqve ſubtractione benedictionis, & rei familiaris jacturâ, punitur. Divendere omnia neceſſe habet, nec habebit ubi caput reclinet. Ego autem illius miſertus in Domum meam recipio: qvamprimùm redierit, ad me migrabit. Qvod nunqvam fieret, ſi qvidqvam fraudis ſubeſſe ſcirem: nunc autem Dei opus eſſe ſcio.*

5. Datur interim campanâ ſignum, ad publicas in Templo preces populum convocans. Qværit *Pohl*, an qvoqve adeſſe libeat? Annuimus, ſurgimus, comitamur. In aditu Templi qværit ille, *Annon placebit ipſum Magiſtrum Mencelium, Paſtorem noſtrum, alloqvi? Ille vos de omnibus informabit meliùs.* Ego: Cum anno 1611. Herbornam Naſſoviorum ingrederer, exibant inde domum reverſuri ſtudioſi duo Sileſii, *Ioachimus & Abraham Mencelii; alterne horum eſt? Eſt*, reſpondet, Abraham; *frater verò Ioachim Eccleſiaſten agit Aulicum Berolini.*

6. Tantò igitur lubentiùs & confidentiùs (peractis à *M. Cnollio*, Symmyſtâ ejus, precibus) alloqvimur. Qvi unde ſimus, & qvò tendamus, & qvid qvæſituri, cognitô, lacrymis nos excepit: *A vobis in Bohemia fit initium* (inqviens) *nos è Sileſia ſeqvemur.* Simulqve nos ad ſe domum, ad colloqvia de his rebus, invitat, poſteà verò ad prandiolum etiam, (cùm iter eâ die conficiendum, nonniſi trium eſſet milliarium) cogit.

7. Digreſſis in diverſorium comitibus meis, ego ſolus cum ſolo confidentiùs agere incipiens, qvid rei eſſet qvod ſub nomine *Viſionum Chriſtophori Kotteri* circumfertur, inqviro. Ille: *Mi frater, qvia ſeriò inqviris, narrabo ſeriò: ut tu tertius ſub ſole ſis, qvi hæc à fundamento ſciat.* Qvid ita, quæro. Ille: *Mundus hæc non curat. Rident, ludunt, cavillantur, condemnant aut contemnunt:* Die beſten ſind die admiranten/ (optimi ſunt qvi hæc mirantur, nec tamen ultrà inqvirunt.) Atqve hîc ordine narrabat omnia: *qvomodo Virum illum non noverat, anteqvàm à Senatu Miniſterio traderetur examinandus. Cùmqve Collega ſuus, M. Cnollius nihil negotii cum hac re ſibi eſſe vellet, qvomodo ille rem hanc ſolus agere horruiſſet: tandem tamen, poſt multa ad Deum ſuſpiria, adjurando & examinando illum aggreſſus eſſet, &c. nihil tamen illius deceptionis hucusqve deprehendiſſet: glorioſum eſſe Dei opus.*

8. Narrabat etiam, ſe Chriſtophori reditum certò ſperare: manere itaqve ad diem Lunæ (Sabbati dies fuit) interimqve Revelationes factas (in ipſo authentico Exemplari) relegendo, qvis ibi Spiritus loqvatur cognoſcere vellemus. Manſimus er-

mus ergò, lectioneqve rerum nobis tam stupendarum, cum tremore animum pavimus, ad horam cœnæ usqve: cùm optatò Christophorus intervenit, nobiscumqve accubuit, successum itineris sui, & cùm Electore colloqvii, narrans.

II.

Kotterianas Visiones in Bohemicum transferendi, qvæ occasio data fuerit.

TRansacto devotione, sanctisqve colloqviis Dominico die, perreximus postridie nostrum iter in Poloniam, ubi non reperto Superattendente (*Martino Gra[illegible]*, qvi Ecclesias visitatum abierat) qvia nobis per mensem integrum expectan[illegible]ore dictabant, ego ne tempus frustrà tererem, nostriqve in Patria nimis diu [illegible] penderent, regressus cum Mathia in Silesiam, illum cum literis domum re[illegible], ipse autem Librum Revelationum Bohemicam in lingvam verbotenùs trans[illegible]endi consilium cœpi: opusqve hoc aggressus, intrà dies XVI (Dei ope) per[illegible]

[illegible] Non [illegible] non memor[illegible], Deo in laudem, qvantis svavitatibus per eos [illegible]pastus fuerit animus meus. Regressus Sprottaviam, adieram *Adamum Pohl*, ill[illegible]qve in domo mih[illegible] [illegible]eram cubiculum: sed interveniens *Mencelius*, scand[illegible]m fore Pastorem Ecclesiæ alibi qvàm apud Pastorem diversari, dixit, meqve ad se divertere coëgit. Ubi qvicqvid à suscepto labore superesse poterat temporis, in colloqvia pia svavissimè impendebatur: ut vix ullam vitæ partem sanctiùs transegisse mihi videar.

3. Convictus enim jam, Dei hoc esse opus verissimè, non poteram non redditam generi humano Angelici alloqvii, totqve ac tantarum Revelationum gratiam (qvam tot seculis sublatam credebamus) & admirari, & adorare, & osculari, perpetuâqve voluptate ac svavitatibus infinitis perfundi.

4. Qvæ spiritûs mei exultatio me cibi, potûs, somni, parcissimum fecerat: qvotiesqve evigilare contigit, mox me sanctis cogitationibus & gaudiis impleri sensi. Qvamobrem incessanter Deum laudabam, qvod me Providentiæ suæ vi eô loci adduxisset, ubi me tantæ profectuum in Theologicis mysteriis, pietateqve, expectabant occasiones.

5. Possum enim cum veritate Deo in laudem testari, nunqvàm in vita mea me svaviorem vitæ æternæ prægustum, & qvæ perfecta illa sanctorum consociatio gaudia secum allatura sit, sensisse, atqve hîc.

6. Qvâ occasione paucis, qvàm verè Theologicam vitam egerit sanctus ille Vir, *Mencelius*, attingam. Ordinis decori omnia domi ejus plena erant, Uxor, liberi, famulitium, placidissimè cohabitantes, & qvisqve sua tacitè agentes.

7. Socrum etiam secum habuit, (conjugis suæ, & Georgii atqve Davidis Vechnerorum matrem) fœminam verè sanctam, omnium virtutum exemplar vivum.

8. Ad mensam si qvid sermonum fuit, tantùm de rebus piis, ad mutuam ædificationem, fuit. Victus pertenuis, qvaliter alibi nusqvam vidi. Obsonium aliqvod cum carnis portiuncula, in prandio: ad cœnulam pisciculi ex præterfluente Bobero, aut lactuca cum uno & altero ovo; vix unqvam aliter.

9. Potus

9. Potus fuit cerevisiæ haustus: aliqvando tamen etiam, in gratiam mei hospitis, vitrum vini. Offerebat qvidem lautioris tractationis, si vellem, optionem, suam nonnisi talem esse diætam: rogabam autem nè qvid meâ causâ mutaret. Cùm offerre vellem culinæ subsidium, nullâ ratione admisit.

10. Semihorâ ante prandium ad me ingressus, salutabat, respirationisqve adesse tempus monens, occasionem alicujus boni colloqvii (sive hîc sub tecto, sive mecum in hortulum prodiens) offerebat. Ad cœnam verò subinde accersebat Christophorum, vel alium qvempiam pium & honestum Virum. Verbô, nihil ibi non pium & sanctum vidi, aut expertus sum.

11. Qvodam tempore à prandio in campum, ad spectandum segetes agri sui, mecum prodeambulans, seriem Ord. in Ecclesiis nostris recepti (præsertim circa gradus Ministerii, qvibus & qvomodo conferantur) audire voluit. Méqve illa referente illacrymari; & dicere: *Nisi ego mihi internæ vocationis conscius essem, & qvàm puro in Dei gloriam affectu me sacro Evangelii Ministerio dedissem Deum testem haberem, dubitarem profectò de legitima vocatione mea; tam frigidè ac jejunè apud nos fiunt omnia.* Atque hîc mihi processum vocationis suæ à Nobili N. N. & missionis pro confirmatione ad Academiam N. examenqve valdè superficiarium, Scientiæ tantùm, non Conscientiæ; & Ordinationem in Templo absente Ecclesiâ, invitatis tantùm uno & altero è Studiosis sodalibus, Organicinéqve ad pulsandum Organon, &c. &c. narrabat, de rebus non meliùs constitutis multa qveritans.

12. Sed redeo ad Visionum historiam. Non satis mihi fuit visum, Bohemicum inde auferre Exemplar, Germanicum etiam habere volui: tum in aliorum gratiam, qvi fortè ipsos bibere fontes mallent, qvàm rivos; tùm mei ipsius causâ, ut domi etiam conferre, & si qvid dormitatione aliqvâ non rectè redditum deprehenderetur, emendare possem. Conductus ergo fuit studiosus, qvi manu suâ exscriberet omnia: aliusqve deinde additus collationis gratiâ, ut omnia esse scripta, & rectè scripta, certi essemus. Tandem Videns ipse ad calcem apposuerat manu sua hæc verba:

Jch Christof Kotter bekenne/ daß diß exemplar auß meinem eigenen abgeschrieben/ und in allem gleich-lautend ist. (Ego Christoph. Kotterus confiteor, Exemplar hoc ex meo proprio descriptum esse, & illi per omnia concordare.)

Sed qvod Exemplar postea mihi inter amicos periit, nec ad manum est.

13. Addidi etiam Exemplari Bohemico præfationem: quæ Latina facta hîc præjuncta est. Rebusqve ita Sprottæ expeditis, in Poloniam redii, Christophoro mecum sumto: tùm diuturnioris conversationis gratia, tum qvia videre Virum nonnulli desiderabant.

14. Non reticendum videtur qviddam, qvod hîc memoria suggerit, non inutile scitu futurum forsan. Dùm inter itineris colloqvia etiam de *Concilio futuro* mihi narraret, *celebratum iri ex toto Christiano Orbe, ibiqve degradatum iri Papam (h. e. sanctionem iri conditum, ne qvis unqvam in æternum Universalis Episcopi usurpet titulum)* dixi ego, *Me id non legisse.* Ille, *Non jussum fuisse scribere id: audivi tamen.* Qvod cogitandi ansam dat, antiqvorum etiam Prophetarum non omnia fortè scripta fuisse, sed ea tantùm, qvæ jussi erant. (De Poniatovia autem referetur suo loco, qvàm multa scribere fuerit prohibita, tametsi ut scribere permitteretur, multis lachry-

chrymis orabat.) Nempe Deo suæ sunt Sermonum & actionum suarum rationes.

15. Negotiis in Polonia expeditis, cùm mihi Berolinum excurrendi insperata obvenisset occasio, eam seqvutus, abii; Fratre *Chrysostomo*, & qvi interea qvoqve venerat *Georgio Laurino*, in Patriam dimissis, illorumqve fidei utroqve Visionum Kotteri exemplari (Bohemico & Germanico) ut manibus Soceri mei traderent, nec alii cuiqvam ostenderent, commisso. Qvi Kotterum Sprottam usqve comitati, domum inde regressi sunt.

III.

Primi circa Revelationes Kotterianas scrupuli & angores, eorumqve solutio.

EGo verò Berolinum delatus, diversissima de Kottero, nuperóque Electoris cum illo colloqvio, audivi judicia: à Sympatriotis nempè, Bohemis & Moravis Proceribus, non exiguo ibi numero exulantibus. Qvorum qvidam cum illo qvoqve locuti, læta mihi narrabant, spemqve appropinqvantis liberationis firmabant. Alii rursum, ex iisdem meis, scabiosissima de Kottero effutiebant: helluonem, rei suæ decoctorem, desperationeqve ad prophetandum adactum, dictitantes, miraqve de Prophetiis ipsius mendacia inter se spargentes, mihiqve referentes. Qvæ tametsi mendacia esse jam sciebam, verioriqve relatione convellere tentabam, præjudicii tamen atrocitate territus, turbabar, & num rectè factum qvòd Exemplar mea manu emisissem, dubitare cæperam. Qvis scit enim (cogitabam) qvàm cautè id habituri sint qvibus concredidi? ruminabamqve *qvantum inde mali oriri posset, si hæc in manus hostium inciderent, qvum ipsi amici hæc excipiant tàm inclementer.*

2. Constitueram ergò in reditu Francofurtum (ad Oderam) deflectere, deqve rebus his gravissimi Theologi *D. Christophori Pelargi*, Ecclesiarum totius Marchiæ Superattendentis generalis (à qvo Kotterum sæpè fuisse, Electoris jussu, acriter examinatum, audiveram) judicium cognoscere. Et qvia senem qviete gaudere, rarò aliqvem ad colloqvium admittere, narratum mihi erat, tentavi Doctoris *Fusselii*, Electoralis Theologi primarii commendatione aditum mihi parare, qvod & impetravi.

3. Post varia igitur de ærumnabili Ecclesiæ (Bohemicæ præsertim) statu ultrocitróqve prolata, eò fuit ventum, ut mihi peterem ignosci, si qvid curiosiùs inqvirerem: qvod tamen non à curiositate venire, necessitate qvâdam eò me adigi, facturum me ut pòst intelligat. *Non ignorare me Virum illum Sprotaviensem, Christophorum Kotterum, sæpiùs fuisse accersitum, severéqve examinatum: optare igitur me, si tantum gratiæ impetrare liceret, ut qvid de illo, Visionibus qve illis sit, sentiendum videatur cognoscerem.* Respondit: *Materiam eqvidem hanc talem esse, ut de illa non satis tutum sit loqvi (nam & loci in qvo me esse voluit Dominus*, inqvit, *& Serenissimi mei Electoris, habenda est ratio) qvia tamen ex commendatione D. Fusselii, & ex illa nostra unius horulæ conversatione nosse Te incipio, non verebor secretiora etiam sensa mea aperire Tibi. Vides hanc Bibliothecam meam* (instructissimam habebat, celeberrimus ob eam totam per Germaniam,) qvò me secretius hoc colloqvium expetentem introduxerat,)

omnes

omnes Authores, antiqvos & recentes consului, ut qvid de qvæstione illa, Utrum post Christum & Apostolos, obsignatumqve Novi Fœderis Canonem, ullæ novæ admittendæ sint, Divinæ vel Angelicæ, Revelationes? sentiendum sit cognoscerem. Sed nemo me scrupulis liberare potuit. Ego igitur ad preces conversus, ardentissimè invocabam Deum (sæpè etiam noctu surgens & me in faciem provolvens) ut ne pateretur illudi Ecclesiæ suæ orans. Post omnia verò tandem pensitata, divinitùsqve suggesta, non aliud habeo qvod dicam, nisi *DEUM MISISSE ANGELUM SUUM, qvi nuntiaret nobis servis suis ea, qvæ oportet fieri citò:* (qvæ sunt Angeli verba, *Apoc.* 22. 6.)

4. Egi gratias, demumqve causas percontationis meæ explicui. Transivisse me nuper locum illum, Sprottam, alloqvutumqve fuisse Pastorem, vidisse & audivisse ipsum Videntem, legisse omnia ejus, tandemqve intra me convictum, transtulisse nostrum in sermonem, & præmisisse in Patriam; spe servitururm id afflictis in solatia. Nunc autem Berlini teterrima audivisse his de rebus judicia: ut nesciam *annon præcipitatæ operæ pœnitere debeat?* Tùm ille consistens (obambulabamus enim in Bibliotheca) dextraqve humero meo imposita, *Ne pœniteat*, inqvit, *sanctè impendisti operam*: ita langventem meum bonam in spem erigens animum.

5. Inde ego iter meum per Silesiam habens, iterùm Sprottæ gradum stiti, per diem unum à dilectis amicis detentus. Ubi mihi *M. Menselius* cor suum aperuit: Nonnulla se antehac de Fratribus Bohemicis, pulcherrimoqve Ordine qvô seipsos & Ecclesias suas regunt, legisse, eademqve nuper mea ex relatione pleniùs cognovisse. Adamavisse itaqve nos ita, ut in Fraternitatem recipi optet: neqve recusare vel infimos gradus, aut qvamcunqve explorationem subire, modò sibi sanctæ societatis membrum fieri liceat. Rogareqve ut desiderium hoc suum Senioribus (salute nomine suô observanter nuntiata) explicem, utqve voti sui compos fieri qveat, adjutem: sive qvidem se aliò transferre placeat, sive relinqvere loco suo, paratum se acqviescere, dummodò pro suo agnoscant, &c.

6. Hoc ubi domum reversus meis renuntiaveram, gratè fuit exceptum, tum à Bohemis Brundusii, tùm à Moravis Kralicii, sub umbra Dei & Ecclesiæ Patronorum adhuc latitantibus. Sed *Johannes Lanetius*, Primarius Antistes, septuaginta sex annorum reverenda canitie Senex, brevi pòst ad æternam evocatus fuit Patriam, reliqvi in exilium acti, *Lanetius* ille Vir doctus, pius, gravis, viginti qvinqve annorum Episcopus, omnium qvas in Episcopo Apostolus reqvirit virtutum vivum exemplar, maximæ apud nos authoritatis fuit, veluti Patriarcha noster venerabilis: qvem Pro-Marchio Moraviæ, *Carolus de Zerotin*, patris instar coluit, postqve vulgata Diplomata, maximè illi metuens, ad se transferri, & sua sub umbra in tuto esse, qvamdiu Deo placeret, voluit. Cum qvo exstincto omnia collabi videbantur, ostensumqve id prodigio qvodam in sepultura ejus fuit. Cùm enim profundissimo (in Kraliciensi Templo) immissus fuisset sepulchro, non exspectabat humanam manum Domuncula hæc sepulchralis, sed parietibus suis utrinqve convulsis hospitem suum ipsamet obruit, ceu depositum suum obtegere festinans. Eò hæc memorantur, qvia Lanetii hujus in Revelationibus postremis Videntis Drabitii, aliqvoties singularis (non sine mysterio, si hæc verè divina sunt) fit mentio.

IV.

Prima in Bohemia de Kotteri Visionibus tumultuatio.

PRæmissum in Bohemiam Visionum exemplar, non tàm arctè uti rogabam (ad meum usque reditum) custoditum fuit. Factum potiùs, ut pius Senex *J. Cyrillus*, Consistorii Regni Senior, simul atqve perlegerat, nimio gaudio exemplar describi alterum pateretur, in Moraviam deferendum; alterum juberet, Pragam mittendum. Qvod & miserat ad Ecclesiæ illius Seniores, latitantesqve ibi qvinqve adhuc Pastores: inter qvos duo eminebant; alter authoritate, *Mathias Procopius* Consenior; alter eruditione, *Julianus Poniatovius*.

2. Qvi duo & ex Presbyterio Ecclesiastico aliqvot, Viri Politici prudentes, transmisso ad se dono valde offensi, Antistiti suo (D. Cyrillo, in Regni confiniis certo loco latitanti) respondentes, Scriptum illud (sive id ab aliqvo ingenioso confictum, sive ab ipso fanatico homine conscriptum esset) supprimi petierunt. Duplex enim subesse periculum: & Conscientiarum, si se homines à certo Dei Verbo ad incerta id genus figmenta abduci paterentur: & Corporis atqve vitæ, si hæc in adversariorum veniant manus.

3. Cœpit & in Revelationes ipsas, præjunctamqve illis Præfationem, calamum stringere *Poniatovius*, sed non longè progressus destitit: sive contemptu, sive (qvod dictabat) nauseâ, à prodigiosis calculationibus ortâ.

4. Exemplarium interim multiplicatio usqve adeò prohiberi non potuit, ut brevi pòst secutâ dispersione, maximâqve parte Pragensium, & ex vicinis Bohemiæ Urbibus, in Misniam translata, Officinaqve Typographica Pernæ erecta, Kotterus ibi (me inscio) typis Bohemicis exscriptus fuerit, elogiis aliqvam-multorum doctorum Virorum, marginalibusque Scripturæ S. allegationibus, decoratus.

V.

Secunda Kotterianarum Visionum oppugnatio, per M. Megandrum Bohemum, cum responso illi opposito.

EXulum in Misnia unus, Augustanæ Confessionis Minister, (*N. Megander* nomine) nactus Kotteri Exemplar refutandum sibi duxit, impossibilia, inutilia, absurda, ibi prædici, nec à Deo aut Angelo bono, sed à Satana ipso, aut certè ab aliqvo pruriginoso Calvinistico cerebro venire, demonstrare conatus. Inter alia virulentissimè dicta illud etiam egerens: *Si Turcarum conversio eò tendit ut Calvinistæ fiant, præstare ut maneant sicuti sunt, &c.* similiaqve multa ludibriosè dicta.

2. Sed oppositum illi fuit responsum severum, placidum tamen, non convitia regerens, sed argumentis ita constringens, ut eum temeritatis puderet, culpamqve in eos qvi per confidentiam judicium postulassent, perqve confidentiam sibi soli, non aliis, communicatum propalassent, conjiciens.

3. Indigna tamen fortè hæc sunt memoratu: & ne memorari etiam possent voluit Deus, permissô ut utrumqve istud scriptum flammis (mihi qvidem) interiret.

VI. *Argen-*

VI.

Argentinensium ex Alsatia ad Kotterum legatio.

SEd & per Germaniam res Kotteriana variè fuit agitata: cùm non tantùm scripta illius alii aliis communicarent, sed & varii docti Viri datis ad *Mencelium*, & inter se, literis, informationem his de rebus peterent.

2. Factum etiam, ut Civis qvidam Argentinensis ex Alsatia Sprottam veniens, in Kotterum inqvireret, apudqve Pastorem loci eum alloqvens, nomine Consulis Urbis suæ (Ammeisterum vocant) salutem & munuscula offerret: etiam illi ut se comitari vellet, tutior ibi quàm in patria futurus, persvadere tentans. Quod hic in mandatis se non habere causatus, modestè recusavit: ad qvæstiones tamen 62, qvas legatus secum attulerat, respondit: effigiariqve se, legato id expetente, passus.

3. Istæ doctorum Virorum super his rebus epistolicæ scriptiones mihi pleræqve perierunt: una & altera ad manum adhuc est, sicut & Quæstiones illæ 62, cum responsis suis: sed immorari his non è re videtur.

VII.

Kotteri Visiones Friderico Regi oblatæ, Anno 1626.

FRiderici Regis mater, *Juliana Auraica*, Berolini apud filiam Electricem habitans, evocaverat ad se *Ladislai de Zerotin Pro-Marchionis Moraviæ*, ibidem exulantis, Conjugem, significans eidem, filium Regem ad se scripsisse, *An Sprottaviensis illius Viri, qvi se Wratislaviæ salutasset, Prophetiæ haberi possent scripto consignatæ?*

2. Qvæ res occasionem dedit, ut Joachimi Mencelii exemplar eleganti manu exscribi curaretur, mittendum ad Regem.

3. Accidit autem, ut cùm illud ipse Pro-Marchio manu suâ tradere proponeret, morbo tamen præpeditus, me (Berolini menses aliqvot continuò agentem) mitteret: ego verò in Hollandiam delatus, rem cùm Theologo Regis primario D. Altingio communicarem, consilium exqvirens.

4. Qvi dierum aliqvot ad ista relegendum, & de illis deliberandum, spatio sumpto, dixit tandem, *Agnoscere se Viro isti aliqvid accidisse divinitùs, suspicari tamen humanam accessisse manum.* Interrogatus *Qvare?* respondit: *Qvia stylus non satis purus Germanicus, Silesiasmum redolens.* (Ad qvod respondisse memini, *Neqve in Prophetis Israëliticis stylum reperiri eundem, in Jesaia cultiorem esse omninò qvàm in Jeremia & aliis. Spiritum nempè agere per diversa organa diversè. &c. &c.*)

5. Qvantum ad rem ipsam respondit, *Videri jam transiisse tempora, qvibus impleri debebant prædicta, eòqve fidem horum trahi posse in dubium.*

6. *Ut hæc Regi exhibeantur, non displicere sibi: potiùs tamen obsignatum tradendo librum, ut me digressò demum aperiri & legi possit. Posse enim fieri, ut de tali materia verba facere Regi non placeat.*

7. Ego verò qvid in mandatis haberem memor, malui apertè agere, Regem (audientiâ seorsim impetratâ) sic alloqvutus.

Serenissime Rex, Scio Majestati Vestræ in hac divina fidei & patientiæ exploratione non deesse divina solatia, ut cum Davide dicere possit, Nisi Lex Tua Domine solatia essent mea, &c. qvia tamen bonus ille Deus afflictis pro Veritate aliis etiam extraordinariis modis solatia subministrare non intermittit; inter quæ sunt tot illa Cælô Terraqve his annis (si ullo unqvam ævo) edita prodigia. Etiam Revelationes qvædam factæ personis certis (fide haud suspectâ) de instante rerum mutatione mira proferentes. Atqve inter hos potissimùm Civis ille Sprottaviensis in Silesia, qvi R. Mti. Væ. Wratislaviæ adfuit, & qvædam nuntiavit. Cujus omnia cùm sint in scriptum relata, ibidemqve Majestas Vestra, cùm Progenie suâ, tanqvam primaria in hac Dei Comœdia introducitur Persona; absurdum visum est illis, qvi ea suis hactenùs custodierunt manibus, ad notitiam Mti. Væ. hæc non deduci. Non qvidem ut Mti. Væ. ista præcisè credendi necessitas imponatur: sed, Primùm, ut hæc apud Mtem. Vm. tanqvam in archivo sacro asserventur, in futurum testimonium: ne, si demùm post completa prædicta hæc palam fiant, ex eventu sic esse collecta, suspicari qvis, aut calumniari, possit. Deinde, ut occasio sit attendendi, num fortè divina providentia tales in eventus res disponat. (Nàm si de imminente rerum mutatione Politicos discursus, vel Astrologicas prædictiones, aut similes Prudentiorum conjecturas, cognoscere non aspernamur, cur hæc ab altiori venientia principio, aspernari libeat?) Curarunt itaqve ex authentico describi exemplar, qvod Mti. Væ. per me humili cùm observantia exhibent: simulqve exhibui.

8. Conspecto Rex libro, *Num horum tanta moles est?* inqvit. (Erat enim Regali chartâ in folio qvadruplicatâ, nitido charactere scriptum, picturisqve ornatum volumen.) Apertô autem Librô; repertâqve Picturâ Viri in medio Exercitu stantis, cui aureus offertur Liber, *Qvid hoc sibi vellet*, qvæsivit. Responsum: *Turcarum conversio est. Etiamne illi converti debent?* Atqve hìc argumentum totius Libri enarrari sibi jussit; auditôqve, *Promitti liberationem Ecclesiæ ab omnibus Perseqvutoribus, Evangeliiqve ad infideles omnes tandem propagationem*, *Faxit Deus*, inqvit, meqve gratiosè dimisit.

VIII.

De Kotterianis cum Iul. Poniatovio disceptatio.

REverso in Moraviam mihi contigit adversariorum Kotteri, Jul. Poniatovium, videre, & cum illo milliaribus sex (Durenholtzâ Namiestiam) curru vehi. Ubi cum soli duo essemus, occasio erat de Kottero, qvicqvid notum erat mihi recitandi, senemqve à præjudicio ad inusitatum hoc Dei opus meliùs expendendum avertendi. Sed frustra fui: dimoveri ab opinione (*Nullas hodie novas Revelationes dari, ludibria esse qvicqvid adfertur*) noluit, sufficere sibi antiqvum Dei verbum, Cœlo & terrâ firmius, dictitans. Relinqvendus ergò sibi erat, donec Deo illum, suam in Scholam deductum aliud sentire docuisset: qvod anno seqventi factum, ut suo memorabitur loco.

IX. Kotte-

IX.

Kotteri in Bohemiam adventus.

DEsiderium optimi Viri Mencelii, ut Fraternitatis nostræ fieri posset membrum, explicui supra Tit. III. §. 5. Ad qvod tametsi literis meis responsum accepisset, magis tamen effervescens, cùm per Ecclesiæ suæ statum ad nos excurrere non posset, misit Kotterum, cujus videndi desideriô plures teneri non ignorabat: & cui ad nos deducendo Tabellarius in occursum missus fuit. Venit ergò, ab uno & altero Baronum & Nobilium ad colloqvium evocatus; Nobiscumque Brundusii ad Orliciam (ubi Pastores circiter 14. suis jam emoti Ecclesiis, & exilio colligentes sarcinas, latitabant) triduum commoratus, Christianis colloqviis ad fidem Deo probandam animabat. Factum mense Octobri, Anno 1626.

X.

Kotteri in Silesiam reversi captivatio, carceres, liberatio, exilium: Anno 1627.

INter hostes Kotteri acerrimus fuit *David Wachsman*, Cæsareus per inferiorem Silesiam & Lusatiam *Fisci præfectus*: qvi juraverat, non qvieturum se, nisi vicùm Kotterum & Mencelium eidem patibulo affixos, & qvidem Sprotaviæ, videret. De qvo hi per amicos præmoniti, tantô ferventiùs Deo se commendabant. Christophorus tamen impulsu qvodam ipsemet Glogoviam abire constituit: & licet dehortatus, abiit, 2. Januar. 1627. Ubi agnitus, captus, Comiti de Oppersdorf (Ducatus Glogani Capitaneo summo) & Fiscali adductus, examinatus, tandemqve custodiæ Civili traditus fuit.

2. Missus postridie Commissarius Sprotaviam cùm mandatis ad Senatum, ut huic omnia Kotteri scrinia perqvirere, illis præsentibus, liceret; Pastorqve Mencelius simul qvicqvid scriptorum ejus penes se haberet, extraderet. Factum, allata sunt, privatimqve lecta & examinata. (N. B. Non omnia tamen reperta fuerant, prima tantùm aliqvot capita.)

3. Demùm 25 Januarii Kotterum ad examen productum, variis pertentabant qvæstionibus: hoc inprimis cognoscere avidi: *A qvonam ista, quæ Visionum nomine falsò venditaret, conficta hauriret?* Constanter autem illo asseverante, *à nemine mortalium (sed à spiritibus illis, qvi sibi apparere, rursumqve disparere soleant, qvi utrum boni an mali Angeli sint, se simplicem idiotam dijudicare non posse, doctis & Sapientibus dignoscendum relinqvere)* inclinabat D. Comes ad eum certis conditionibus dimittendum.

4. Reclamante autem Fiscali, crimenqve læsæ Majestatis exaggerante, & acriorem inqvisitionem urgente, jussus est *M. Mencelius* etiam sisti. Misit ergò ipsum Senatus, additis è medio sui duobus Viris Consularibus: in qvorum præsentia Mencelius capitis fuit postulatus, qvòd mendacissimo calamo suo hominis fanatici abusus simplicitate, Cæsaream atrocissimè læsisset Majestatem, &c. Excusabat ille factum eô, qvod sibi, & Collegæ suo, à Senatu id fuisset mandatum:

qvod hi asseverarunt. Sed Fiscali ad *Appellationum Tribunal* Pragam provocante, manere Mencelius sub arresto, & sententiam expectare jussus est. Protestati Consules, ministeriis Ecclesiasticis Pastoris sui carere Civitatem non posse: obtestariqve ut dimittatur ad functionem suam: interponere etiam fidem suam, compariturum denuò qvandocunqve reqvisitus fuerit, &c. Tandem ergò eâ cautione impetrârunt ut dimitteretur, sub pignore tamen bis mille aureorum.

5. Fiscalis autem bilem in Kotterum effundens, illum civili honesta custodia exemtum, profundiori carceri, maleficis ad torturam destinato, impingi curavit. Unde rumor emanaverat, illum torturæ subjectum, omnia sua recantasse: sed nihil fuit, præterqvam qvod fame & sqvalore maceraretur ultrà trimestre, donec Deus in foveam deduxisset illum, qvi foveam parabat aliis.

6. Sed præcesserat aliud miræ Dei Providentiæ exemplum. Cognoverant hostes (per subornatos exploratores) apud Fabrum qvendam Sprottaviæ integrum Visionum volumen, ex autographo descriptum, haberi. Hoc ergò tradi mandatum, & Capitaneo Oppersdorfio missum: qvô ille lectô usqve adeò mitescere cœpit ut negotio huic immisceri ampliùs nollet, Fiscalemqve ad civile judicium Urbis Gloganæ amandans, ordinariô juris processu agi svaderet. Permisfò etiam, ut Kottero Advocatus daretur ad sese defendendum, si posset. Instituta igitur Forensis actio: Actaqve missa Pragam, & inde (ut jactabat Fiscalis) ad tres Academias Catholicas, Vienensem, Ingolstadianam, & Coloniensem.

7. Venit tandem ab Appellationum tribunali sententia definitiva, Dominica Jubilate 25. Aprilis: qvæ qvalis fuerit non innotuit, divino interveniente judicio. Fiscalis enim (celebratis tum exacta hebdomade cum Virgine Nobili nuptiis) officii qvadam necessitate exigente profectus fuit Saganum: & in reditu pernoctaturus Sprottaviæ, in ipso suburbii ingressu tormina ventris vehementer qveri cœpit, advocatoqve Medico (D. Rumpfio) consilium qvæsivit. Qvi nescio qvid veritus nihil propinare voluit, in crastinum differri svadens, donec qvid morbi esset pateret. Acqvievit ille consilio, sed noctu subitanea exstinctus fuit morte: eo ipso loco ubi suspensos spectare parabat servos Dei, justi divini judicii factus ipse (alter Aman) spectaculum. Terror enim fuit toti Civitati, cùm hic mortis casus seqventi mox mane de Cathedra Ecclesiastica (à concionem tùm habente M. Cnollio, Mencelii Symmysta) denuntiaretur.

8. Casu hoc exterriti hostes, sententiam publicare ausi non sunt, captivumqve ex illo sqvalido loco in Civilem custodiam reduci curarunt: ubi & liberaliore victu sustentatus fuit, & aditus ad eum uxori amicisqve patuit. A qvibus, aut dimissionem aut exeqvutionem flagitantibus, dum qvietem non haberent adversarii, post aliqvot adhuc mensium deliberationes ignominiæ pœna affecerunt tali. Eductum carcere collocarunt ad cippum fori, ferreo adstrictum collari, affixaqve supra caput scheda, cui inscriptum fuit: *Hic est Pseudopropheta ille, qvi prædixit quæ non evenerunt.* Horæ spatio sic spectaculo relictus, per Lictorem urbe fuit eductus, exireqve patria, nec in Cæsaris ditiones redire sub capitis pœna jussus.

9. Abiit ergò in Lusatiam, tum jam sub Electoris Saxoniæ jurisdictione constitutam: ubi reliqvum vitæ inter amicos (habuit enim nonnullos è Nobilitate pios fautores) tranqvillè exegit, usqve ad 1647. annum, qvô illum ad Dominum migrasse accepi.

10. Etiam

10. Etiam verò ibi eum Dominus Revelationibus suis dignatus est, Annô 1629. certò futuram, terribilemqve judicii sui exseqvutionem illi ostendens, luculento illo somnio bino (sed utroque bis immisso) qvæ Appendicis loco Libro ejus annexuimus.

XI.

Adami Pohl, & Abrahami Mencelii, miraculosa liberatio: & ubi eos postremò videre datum.

MOx à Kotteri Silesia egressu persequtiones Antichristianæ Silesiam qvoqve vastare cæperunt, *Hannibale Burgravio de Dohna, cùm fortissima peditum Legione per Ducatus hæreditarios grassante, omnesqve Civitates & Oppida ad apostasiam compellente.* Ubi qvum Glogoviensem Ducatum (mense Septembri & Octobri An. 1628.) tribularet, qvid miraculi Sprottana in Urbe Deo visum fuerit edere, consignari dignissimum existimo.

2. Fuit inter pientissimos Oppidi Cives supra memoratus *Adam Pohl*, arte Frenarius, Kotteri amicus. Qvippe qvi cognita Christophori egestate, ad qvam redactus domunculam suam, & omnia, divendere habuit necesse, eôqve non suâ culpâ, sed Deo ipsum sic exercente, prolapsum: obtulit illi Domûs suæ beneficium, ad habitandum secum gratis. Qvod insperatum beneficium lubens amplexus Kotterus, cohabitavit ei usqve ad carceres suos, per sesqviennium. Sed visum fuit Deo Adami qvoqve constantiam probare: immisso illi morbo, qvo ille sic tabescere cæpit, ut tandem, contractis artuum nervis, ne consistere qvidem pedibus posset, lectoqve affixus per totum sesqviennium jaceret, ad illum usqve diem, qvo Deus potentiæ simul & bonitatis suæ in illo restituendo admirabile exemplum edere voluit.

3. Eo enim ipso die, qvo cum armatis suis Apostolis Urbem inopinatò invadere debuit Dohnanus, egressa mane cubiculo Uxore adstitit lectulo ejus Juvenis albè vestitus: saluteqve præmissa dixit, *Adame, hæc dies est, qvâ Deus habitatorum Urbis hujus ingratitudinem ulcisci proposuit. Tu igitur in nomine Dei surge, indue te, assumptâqve Uxore & filiolâ* (octennem habuit) *mox hinc egredere! festina!* Ille attonitus Deum orare, moxqve manus & pedes movere, incipit. Tentat & surgere: pedibusqve se consistere videns, Deum adesse sentit, induere tamen se non potest, eò qvod vestes ad sesqviennium jam cistis inclusæ erant. Accedit ergo ad cubiculi januam, aperit, uxorem vocat, accedentem & obstupescentem qvid fiat edocet, vestem poscit, induit: procumbunt in genua, Deumque laudant.

4. Hinc ille, excitatâ filiolâ, & assumtô viaticô, ad portam festinat, Uxorem vero ad M. Mencelium, ut ad se extra portam veniat, mittit. Venit ille, stupescens, interqve lacrymas & suspiria ineunt consilium, non aliô qvàm Gorlicium (ad Kotterum, & qvos ibi Deus excitaverat amicos) festinandi. Festinavit igitur Adamus, sic à Domino roboratus, ut iter illud totum (octo milliarium) pedibus conficeret. Fama rei hujus totam permanaverat Silesiam & Lusatiam: fuitqve miraculum hoc (verè miraculum) impressis etiam chartis celebratum.

5. Dohnanus interim Urbem ingressus (qvam ideo voluit ex inopinato invadere, ut ne

ut ne dilabi possent Cives) Apostolatum suum auspicatus est, primariorum Civium domos militibus implens primò.

6. Qvorum pars postridie Parochiam qvoqve ingressa, protervè Pastorem (Mencelium) ludibriis exagitare, mox evaginatis gladiis adoriri: qvorum ille furore perterritus, domo profugit, illi perseqvuntur, elabi tamen portis sinunt. Qvi Adamum seqvutus (amissò etiam pileò) Gorlicium contendit, familiam qvoqve aliqvô post tempore ad se nactus.

7. Ubi eum anno 1629, mense Aprili (occasionem insperatam subministrante Deo) invisens, unâqve cum illo, & *Kottero*, & *Adamo Pohl*, à Nobilissimis qvibusdam Viris in proximum vicum Hennersdorf invitatus, & per biduum sancta conversatione usus, hæc ipsa qvæ bona fide in conspectu Dei refero (sicut & somnia illa duo, qvæ tunc paulò antè præcesserant, & Revelationibus adjuncta sunt) accepi. Qvis non cum Ambrosio exclamet, *Bonum habemus Dominum.* Mencelius paulò pòst ad Sittanæ Ecclesiæ Ministerium vocatus, ibidem Christo per dies vitæ serviit.

8. Ita qvæ de Kottero, rebusqve illius, innotuerunt mihi, sincerissimè in conspectu Dei recitavi: seqvuntur ipsæ Revelationes, eadem fide in Latinum translatæ.



REVE-

REVELATIONUM CHRISTOPHORO KOTTERO *FACTARUM*,

CAPUT I.

[*Prima Christophori coram Senatu de factis sibi per triennium Angelicis revelationibus, relatio.*]

ANNO 1619. die 29. Augusti, comparuit coram Senatu Urbis Sprottaviensis, Magistratu suo, *Christophorus Kotterus*: impetratâqve dicendi potestate, ita orsus est. 2. Agnoscere se, qvòd coram iis consisteret, apud qvos nonnisi vera loqvi sancta jurisjurandi lege teneretur: proindéqve in præsenti peculiari causa, ob qvam compareret, nihil se aliud, qvàm qvod sibi revera evenerit, eveniréqve



soleat, bona fide narraturum. 3. Edisseruit itaqve, Anno 1616, Junii 11. (qvi Sabbati fuit) contigisse, ut Gorlicium proficiscens Neuhammeri pernoctaret.

Inde seqventi diluculô egressô sibi, qvùm superata Gorlicensi sylva in apertam planitiem penetrasset, Langenoviam (locum sibi natalem) perrecturus, advenisse à latere hominem qvendam, forma admodum decora, habitu pullô, ocreisqve nigris, indutum: qvem se fuisse Metallicum aliqvem suspicatum, eô qvòd vicinia illa ferrifodinis abundat. 4. Hunc propiùs accedentem, amanter Christophorum salutasse, qvô tenderet, inqvirendo: séqve reddita salute ad qvæsita respondisse: & dùm hôc pactô ad familiares sermones esset deventum, ipsiqve sociatô itinere progredientes integrum ferè milliare inter colloqvia transmisissent, factum, ut ingressis qvasdam viæ angustias comes ille insolentiùs Christophorum alloqvutus (*Tu* dicendo, qvô loqvendi genere Germani, nisi per contemptum, non utuntur) hæc tandem in verba proruperit: *Heus tu, dicendum à me tibi est qviddam, qvod Tu Magistratui, Ecclesiastico & seculari, referre debebis.* 5. Obstupescente ad hæc Christophorô, qvidve fieret ignarô, perrexisse alterum: *Qvòd exarserit ira DEI adversus genus humanum, & ad infligendum pœnas in furore properet, ni resipuerint: punitura imprimis Superbiam, Impuritatem, Deiqve & Divini verbi contemptum.* 6. Hæc ubi loqveretur, devenisse illos ad pratum *Melchioris Franci*: ubi, qvoniam fossa transeunda fuit, Christophoro per ponticulum præcedente, alterum à tergo ipsius evanuisse, ut Christophorus qvorsum devenisset non animadverteret. 7. Se itaqve jam solum perrexisse Langenoviam: inde a. postqvam apud matrem suam pernoctasset, Gorlicium, ad Magistrum qvondam in arte suum: die vero 14. (qvæ fuit Martis) Templum ingressum, concionem ex Esaiæ 1. c. audivisse. 8. Qvumqve ex recenti consternatione perturbatus animus tranqvillari non posset, ivisse animi causa ad Sacellum usqve, qvod *Christi sepulchrum* vocant: ibi personam nuper conspectam rursum sibi apparuisse, repetitisqve iisdem verbis disparuisse. 9. Proximè seqventi Mercurii die, qvùm sacris in Templo manè peractis, & Concione ex Psal. 103. audita, in suburbium rediisset, rediisse eundem illum itineris comitem, & reiteratis, qvæ ante dixerat, evanuisse. 10. Exhinc profectum se Langenoviam, integram ibi hebdomadem apud matrem hæsisse, pedibus ægrum, & multis animi cruciatibus infestatum: sed cùm postea rursus in Civitatem ob negotia sua proficisceretur, personam illam in agro paterno iterum obviam sibi factam, priora illa in memoriam sibi revocantem. 11. Inde qvum domum se recipiens Sagani pernoctasset, manè ad sacra eunti denuò sibi Virum eundem in platea obvenisse, forma eadem, habitu tamen non jam pullo, sed hyacinthino, amictum. 12. Se igitur Concione peracta Ecclesiæ Antistitem, M. Meisnerum, adiisse, rem prout evenerat retulisse, consiliumqve petiisse. Cui tale dederat, ut precibus fervidis ad DEUM fusis, rem hanc aliqvantisper silentio premeret, sibiqve ista qvantum posset animo excuteret; memor illius, *Habent Moysen & Prophetas, hos audiant.* 13. Addidit tamen, se officio suo, hortandi ad pœnitentiam homines, non defuturum; Visionem autem illam, si ab authore DEO profecta esset, redituram. 14. Abiisse itaqve hoc responso impetrato Christophorum, domumqve pergendo Affinem suum (ad qvem ab itinere deflexerat) sicut & domi conjugem suam, totius rei conscios fecisse: utrobiqve tamen ut taceret admonitum, ne delata vel ad Magistratum, vel ad Ministerium, hujus rei fama, periculum aliqvod incurreret. 15. Atqve ex eo tempore neminem se ampliùs in conscien-

ſcientiam rei aſſumpſiſſe, propria tamen conſcientia perpetuò inqvietatum. 16. Donec rurſus 14 Aprilis Anni præſentis (1619) perſona illa habitu induta hyacinthino ſibi apparuiſſet: qva conſpecta, non modò jam non exhorruerit, ſed intimo qvodam & inſolito gaudio perfuſus fuerit. 17. Interrogatus autem, præmiſſa ſalute, num rem ſibi mandatam curaviſſet, qvùm reſpondere neſcius obmuteſceret, Virum illum levatis ad cœlum oculis, *Non nobis, Non nobis, Domine, ſed nomini Tuo da gloriam*, dixiſſe. 18. Converſumqve ad Chriſtophorum, perrexiſſe: *Cur verò tu id exſeqvi neglexiſti? Annon majus qvid DEUS Tuus de te meruit? qvi te creavit, redemit, ſanctificavit, & ad vitæ æternæ ſpem regeneravit?* 19. *Ecce DEUS Tuus tuâ causâ Filium ſuum morti tradidit: Tu verò lingvam Tuam ipſi commodare, Teqve ipſius operi Organon præbere, recuſas?* 20. *Edico tibi, Ni iſtud feceris, non habiturum te qvietem in corde tuo: neqve hoc duntaxat, Nomen etiam tuum delebitur de Libro Vitæ.* 21. *Qvid homines metuis, foliis ſtrepitum edentibus leviores? à qvibus triplex qvidem de iſtis feretur judicium. Minabuntur tibi nonnulli, mirabuntur alii, pleriqve ſuſqve deqve habebunt: ſed Tu cave qvidqvam ad iſta reſpicias.* 22. Tùm cœpit ipſum informare Spiritus, Temporum præſentium partim lætam, partim triſtem, eſſe faciem. *Lætam*, qvòd tempora ſint gratiæ, qvibus Verbi Divini lux tàm claro fulgore hominibus illuxerit. *Triſtem*, qvod homines lucem hanc videre nolint, ſed caligantia erroribus & infidelitate corda retineant. 23. Hæc prolixiùs tunc à Spiritu explicata, ſibi tamen non omnia memori mente comprehenſa fuiſſe. 24. Tandem dixiſſe Spiritum: *Niſi ſeriò emendatum ſeipſos iverint homines, Deum igne, gladiò, fame, & peſte, graviter eos eſſe puniturum.* 25. Porrectâqve Chriſtophoro dextera, monuiſſe porrò, ut metum exueret, nihil ſibi mali obventurum. 26. Subjeciſſe deniqve: *Accelerabo Ego Verbum meum, ut illud faciam:* Hiſqve dictis diſparuiſſe. 27. Se autem ſolum ibi relictum primò ſtupeſcentem, tùm in omnes partes oculos circumferentem, ex uno latere Turbam candidam canentium & exultantium; ex altero autem catervam atram, gementium & ejulantium, conſpexiſſe, eaqve Viſione attonitum, domum rediiſſe.

CAPUT II.

[*Videns animatur, 1. 2. Bellorum libido abominabilis apud Deum, 3. Trianguli viſio, 5. ejuſdem explicatio, 8. de Electore Saxoniæ, 13. Friderico & Ferdinando, Spiritus qvædam prædicit, 17. nec non de ſeipſo Chriſtophorum informat, 25.*]

ANno 1620. die 1. Auguſti, proficiſcenti rurſus Gorlicium Chriſtophoro, perſona ei toties priùs viſa apparuit, qvùm Neuhamro Schönbergam tenderet, hora matutina nona, qværens ex ipſo: *Num ſibi mandata expediverit? Expedivi*, reſpondit, *nihil tamen inde præter ludibria retuli.* 2. Perrexit ille, monens, ut nihil ad hæc reſpectando intrepidè rem ageret: plura enim ſibi eſſe notificanda, non inferioris tantum conditionis homines, ſed ipſum Bohemiæ Regem concernentia. 3. Inprimis, ne tanta cum lubentia Principes ad arma proruerent, abſtinere potius à ſangvine fundendo animum inducerent: vindicem alioqvi habituri DEUM, qvi punire ipſos decreverit, mitteréqve Leonem rugientem ad eos vinciendum, & conterendum, ut nec vola nec veſtigium ſuperfutura eſſet. 4. Qværenti autem Chriſtophoro, *Etiamne hæc Fridericum Regem concernant? & Num qvoqve à capeſſendis armis prohibeatur?* Reſpondit, *Illum prohiberi, qvem belli libido trahat: aliud qvip-*

pe esse necessitate compulsum bella suscipere, aliud affectatè ea qværere. 5. Interjectis octo diebus, qvum Christophorus Gorlicio se reciperet, egressus jam suburbio, *Triangulum qvoddam, super terram elevatum, in aëreqve pendulum,* conspexit. *Ex qvo tria audivit Horologia, sonô uniformi sonantia, singula undecim ictuum*: qvod qvid sibi vellet, tunc non intellexerat. 6. Augusti 26, rursus Gorlicium iter faciens, vidit (inter Malmits & Neuhaus) ad se venientem virum statura perbrevi, stola amictum candida, faciem tamen & sermonem prioris exactè referentem: à qvo salutatus, ut expedire iter suum maturaret admonebatur, qvòd ipsum post invisurus esset. 7. Apparuitqve illi postea in reditu (inter Soravam & Langenoviam) de rebus variis informans, qvodqve in utero matris ad exseqvendum sedulo DEI opus destinatus esset, significans. 8. Tum & illud *Trianguli, triplicisqve Horologii undecim sonantis, mysterium* exposuit: Nempe, ut in trina dimensione Trinitatem SSm. intueretur: ex sonorum autem trini Horologii uniformitate Trinitatis agnosceret unitatem. 9. Undecim horarum numerum innuere, adesse jam tempus surgendi de somno peccatorum, eò qvòd undecima, horarum illa ultima, nunc sit: qva ad conducendum ultimos in vineam suam operarios exeat paterfamilias, consessurus paulò post ad distribuendum operariis mercedem. 10. Porro ut habita trini Horologii ratione multiplicet 2 per 3, exiturum 6: & rursum 3 per 3, futurum 9: qvo innuitur, qvemadmodum patiente Christo, ab hora sexta usqve ad nonam, tenebræ invaserant totam terram, ita undecima hac hora densas spirituales tenebras orbem Christianum occupaturas. 11. Sicut autem visis Christo patiente miraculis Judæorum Pontifices, Pharisæi & Legis-periti, converti debuerunt, nec conversi sunt, sed res hæc ad Ethnicorum penetravit corda; ut alius eorum, aut DEUM pati, aut mundi finem imminere, diceret; alius verò Crucifixum cominùs aspiciens ad fidem conversus, Christumqve DEI Filium confessus, esset. 12. Ita miraculis jam jam edendis Christianorum corda, præsertim per Germaniam, flecti ad resipiscendum deberent; flectetur autem potius magnus qvidam multorum Regnorum Monarcha, qvi relictis Gentilismi tenebris Euangelii lucem recipiet. Hæc ubi dixerat, disparuit.

13. Septembris 6, Freistadii fuit Christophorus: inde domum redux, Virum illum denuò conspexit, hisce verbis se compellantem: *Tu me homini similem intueris: sed ego in excelsis habito, in terrâ viventium.* 14. Simulqve ipsi significavit, Saxoniæ Electorem non ultra 14000 exercitum habere, qvô aliqvid omnino peracturus esset, ad hominum peccata punienda: sed Dominum Dominantum jam ipsi qvoqve præfinivisse terminos, qvos transgredi non poterit: subsecuturam etiam ejus perniciem, nisi resipiscat. 15. Item, qvemadmodum Christus duplex judicium subire necesse habuit: *alterum hominum*, eum cum Doctrina sua abolere proponentium: cujus conseqvens fuit, ut Christus pateretur qvidem, sed mox majore cum gloria, & doctrinæ suæ patefactione, resurgeret: *alterum Dei*, decernens ut in Christo peccata hominum expiarentur. 16. Ad eundem modum præsenti Gentium commotione duplex institui Consilium: *aliud hominum*, qvi Religionem sinceram opprimere & abolere laborant; hoc cum eventu, ut patiantur qvidem multi, Euangelium tamen postea multo clariori luce radios suos sparsurum sit: *aliud Consilium Dei*, qvi hôcce bellô, ceu flagellô, punire peccata hominum parat. 17. Mandavit

davit etiam Christophoro, ut proximò Sabbati die ad Saganum in campo compareret, plura auditurus. Cumqve comparuisset, comparuit & ille qvi hactenus sibi loqvebatur, statura tamen pueri, qvinqve vel sex annorum, assumptaqve stola candida: mandans illi Fridericum Regem adire, moneréqve, ut respiceret *Supra se*, *Intra se*, & *Juxta se*. 18. Qvod sic interpretabatur: *supra se*, ut intueatur Deum, à qvo vocatus sit, & cujus est deprimere, rursumqve erigere. 19. *Intra se*, ut conscientiam suam probè respectando, secundum hanc Regimen suum ad propagandam DEI gloriam administret, tanqvam rationem redditurus. 20. *Circa se*, ut subditos respectet, ad protegendum eos: certus, se à Divina ope non desertum iri. 21. Ex adverso autem concredidit illi tria, nemini prius communicanda qvàm Regi soli, servitura illi *solatio*, *cautelæ*, *constantiæ*. 22. De *Ferdinando* qvoqve tunc dixit, dejectum esse Regno non ab hominibus, sed à DEO. 23. *Fridericum permansurum Regem*, si *ad Deum vexilla sua*, *spesqve suas*, *direxerit*: qvod eundem qvoqve facere, flexisqve genibus DEUM sæpè invocare, Spiritus contestatus est. Ne Regem metueret, etiamsi fortè austerum obversurum esset vultum, sed animosè & intrepidè exponeret, qvod in mandatis haberet. 25. Tandem exposuit ipsi Spiritus causam, *cur diversâ specie & habitu ipsi apparuerit*: Nempe pullum habitum, & hyacintinum, *duplex Testamentum* designare *Vetus & Novum*: & qvod qvæ à se audiet, non erunt contraria iis qvæ Scripturæ Veteris & N. Testamenti tradunt. Candidô autem habitu, & pusilla statura, erudiri Christophorum, qvod nunc pusillorum indolem induere, Rationem Fidei subjicere, & cum Nicodemo Scholam Christi ingredi debeat: facilè sic admissurus ea, qvæ rationi suæ impossibilia videbuntur. 26. De se autem addidit Spiritus: *Ego hic in humanâ consisto formâ: habito autem in excelsis, in terrâ viventium, unus ex eorum numero qvi exseqvuntur jussa Dei, ministerii causâ emissi propter eos, qvi hæreditatem capient salutis.* 27. *Ne existimes, novi qvidpiam tibi obtigisse: factum id sæpè multis, nec ignotum erit posthac.* His dictis evanuit.

CAP. III.

[*Visio Cœli splendidi*, 1. *Oculi*, *Cordis*, *Manus*, *Tædis*, 5. *Septem Militia Ducum*, *loricis & gladiis armatorum*, 11. *Leonis cum septem stellis*, 16. *Exercitûs Meridialis*, 19. *Arboris excelsæ*, 20. *Campana*, 21. *cum admonitione ad servandam Deo Regiqve fidem*, 22. *Nec non de Electore Saxoniæ qvadam*, 26.]

ANno 1620, Septemb. 27, die Dominicô, qvi Festum Michaëlis præcesserat: qvum Christophorus ad negotia sua Saganum iret, nec longè à Lateraria abesset, visus est sibi velut à mente abire: moxqve in virente amœnissimo prato constitutus, vidit *cœlum stellis fulgentibus oppletum, Lunamqve pariter & solem plenô fulgore coruscantes*. 2. Pratum illud pueris erat refertum, lætitiâqve & jubilis tantis, ut verbis exprimi non possit. Audivit præterea Melodiam longè dulcissimam, cujus svavitate, & spectaculi mirifica amœnitate, delinitus fuit adeo, ut mundi totius meminisse piguerit. 3. Hæc ecstasis postqvam ipsum reliqvit, vidit se in campis Sprottaviensibus (nomine Starcke Acker) consistere, duobus à Sagano milliaribus, idqve tertia inde die, qvæ fuit Martis: ut diem integrum, duasqve noctes hoc spectaculo frueretur, nec tamen vel famem vel sitim sentiret. 4. Recepto autem sensuum usu, vidit sibi adstantem Spiritum suum, dicentem: *Redi jam domum, & DEO gratias age pro Angelorum custodiâ, qvam & porrò tibi exopta.*

Subjo-

Subjecit: *Qvoties nostrô circa homines ministeriô uti vult* DEUS, *humana nobis induit corpora.*

5. Novemb. 7. [erat pridie cladis Friderici] Saganum tendens iterum, qvum Petersdorfio esset vicinus, apparuit ipsi genius, & *qvonam ire vellet*, quæsivit. Respondenti, *Saganum*: *Non ibis jam*, inqvit, *tertiâ inde septimanâ ibis*. Qvod interdictum si transgressus fueris, scito te corpore & animâ punitum iri: sed comparebis proximô die Dominicô in campo. 6. Qvùm ergo comparuisset, exhibuit illi spectandum perangustâ in



chartâ depictum *Oculum*; & *Cor* sagittâ trajectum; & *Manum Pedemqve*. 7. Qvæ hoc modo ipsi exposuit: *Oculum* spectando, ut intueretur perspicacissimum DEI oculum, intuentem omnia. 8. *Cor* docere ipsum, qvantoperè peccatis mundi offensus sit Deus Pater; cujus tamen iratum cor, sagittâ dilectionis Filii trajectum esse, ut non misereri non possit: ut ergo lætâ frueretur spe, & cum fiduciâ oraret. 9. *Manum* videns, ut sibi revocaret in mentem, non esse abbreviatam DEI Manum, qvin opitulari possit, & mutare omnia, nec imposituram plus humeris nostris, qvàm perferre possimus. 10. *Pedem* autem significare, qvàm celeriter ad succurrendum properet DEUS, ut qvi nullius adhuc unqvam hominis salutem retardaverit, paratus ad auxilium semper, qvoties id sibi gloriosum, & hominibus salutare videt. 11. Tùm ei mandavit, ut post duas à proximè futura Mercurii die hebdomadas, nempe 25. Nov. ad Witgendorffium veniret, singulare qvid ex ipso auditurus. 12. Factum, comparuitqve etiam Spiritus, Christophorum edocens *adesse tempus, qvô millena millia Eqvitum ab Oriente ad Septentrionem, & à Septentrione ad Occasum in superiores Germaniæ Provincias ventura sint: foreqve Exercitum secundum numerum Ducum septipartitum.* 13. Ex ducibus tres fore trinis loricis armatos: cæteris qvatuor Gladios datum iri in manus. 14. *Primus loricatus*, inqvit, puniet spiritualem & corporalem superbiam. *Secundus*, spiritualem scortationem. *Tertius*, Dei Diviniqve Verbi comtemptum. 15. *Primus gladio armatus* coërcebit injustitiam in superioribus & inferioribus statibus. *Secundus* refrigeratam in filiis hominum charitatem. *Tertius* ebrietatem & intemperantiam, scortationem & immunditiem, donorumqve DEI horrendum abusum. *Quartus* immodicum terrenorum amorem, usurarios, avaros, & qvi terrenis immersi delicias in eis ponunt.

16. His ille audiendis intentus, *conspicit ante se Leonem naturali colore, septem stellis cinctum, tamqve propè sibi adstan-*

flavidam, ut manum suam capiti ejus imponere, idqve sine mora, potuerit. 17. Mox



hus pedibus apprehensam tenebat tam diu, donec perfectam nanciscitur rotunditatem, planeqve fulgeret tempore. 18. Hæc dum ille aliqvantisper contemplatus fuisset, alius qvidam *spiritus ...* *Leonem & Lunam* ... vit, ut sic in fulgore illo evanescerent omnia.

19. Vix hæc desierant, vidit à *Meridie venientem Exercitum numerosissimum*, ut exhorresceret: propiùs tamen adventante Exercitu disparuerunt prius oculis omnia, ut qvò venisset Exercitus ille nesciret.

20. Tum vidit ante se *Arborem grandem proceritate ... , Virore ... , ut similem nunqvam viderit.* Cui aliqvantisper adstans, vidit radicitùs evulsam, frondibus & foliis spoliatam, tandem & qvasi exustum humilemqve truncum, alvei ad instar cavum. 21. Mox in occursum Leoni conspicit venientem *semiserratam Lunam: qvam Leo anterioribus pedibus* ...

in aëre conspexit stupendæ magnitudinis Campanam, suômet motu agitatam, tantumqve sonitum edentem, ut hunc à toto Terrarum orbe audiri non dubitaret. 22. Ibi demùm spiritus eum compellans, ut ista omnia ad Senatum urbis referret, injunxit. 23. Mandans simul, ut ad Regem iter susciperet, eiqve præter ista, sibi priùs concredita, hoc etiam significaret: *Qvalibus jam adversis fatis implicatus sit, si tamen DEO fidem ... , victoriam ... omnia ... futura.* 24. Ad Christophorum autem *... , Tribulationi magnæ nunc involvemini, qvi tamen DEO & Regi fidem se servaverit, ipse servabitur.* Ad superandum verò Tribulationes istas, opus erit *Pœnitentiâ, Charitate, Prudentiâ, Precibus, Fide, Spe.* 25. Hæc omnia Christophorus 30. Nov. in Sprottaviensi

tavienſi Curiâ convocavit, præſente totô Senatûs Conciliô, Judice aulicô, Eccleſiæqve Paſtoribus. 26. Interrogatus, nihilne ampliùs de Electore Saxoniæ acceperit? reſpondit: *Saxoniæ Electorem ab alio, huic operi deſtinato, monitum iri, ut à propoſito deſiſtat. Qvod niſi fecerit, horrendas DEI pœnas ſibi cumulaturum ob ingratitudinem, qvod terra ipſius prima omnium Evangelii uberibus lactata fuerit.*

CAP. IV.

[Examinatur ab Antiſtite Eccleſiæ, 1. Proficiſcitur Uratiſlaviam ad Fridericum, 7.]

DEcembris primâ accerſitus [illegible] ſtophorus ad M. Abrahamum [illegible] Mencelium, Eccleſiæ Sprottanæ Paſtorem primarium, examiniqve ſubjectus acerrimo: ut ſi [illegible] ſalutem [illegible] ediceret, unde iſta haberet? [illegible] confingeret, an ab aliqvo commoda ſub Viſionum nomine ſpargeret? 2. Inculcabatur ipſi, probè conſideraret, qvanta eſſent qvæ ſuſciperet, qvamqve horrendum (ſi dolus ſubeſt) crimen incurreret, qvanto periculo conſcientiam ſuam ſubjiceret, qvàm Dei & hominum iram in ſe concitaturus, vitamqve certiſſimo diſcrimini, conjugem, liberos, [illegible] reſqve alios ſecum involuturus, eſſet. 3. Ille omnibus exauditis, hilari mente, nihilqve trepidans, reſpondit: *Suſcipere ſe omnes diras, & optare ut omnia ſuper ſe veniant, [illegible], qvæ vidit, & audivit, & [illegible] accepit, loqvatur. 4. Nihil tale ſibi unqvam per ſomnium obveniſſe, [illegible] aſſerere, hominem rerum ignarum, conſilium, nec etiam à qvoqvam homine bonum aliqvid eſſe [illegible], ſed audivere [illegible]* modò ſic per viſiones omnia iſta exhibita. 5. *Spiritus autem ille bonusne, an malus ſit, id qvidem ſe diſcernere non poſſe, ideoqve conſilium & informationem petere, utrum hic aliqvid expreſſo Dei Verbo ſit adverſum, nec ne?* 6. *Se tamen ſpiritum illum bonum judicare ex eo, qvòd in excelſis habitare ſe dixerit, & emitti ad miniſterium iis, qvi hæreditatem capiunt ſalutis.*

7. Decembris igitur qvintâ Uratiſlaviam iter ſuſcepit, & 10. ejuſdem, operâ D. Wilpreti Regii Piſci (per Ducatum Glogovienſem) Præfecti, ad Regis audientiam admiſſus, in præſentiâ trium Principum, ea omnia, qvæ mandata habuit, expoſuit: Præſertim tres illos articulos (qvos hucuſqve interdicti lege nulli hominum revelaverat) hæc in verba: 8. Primò, *ut Rex pacificum pectus ſuum omnimodè hoſtibus ſuis tegeret [illegible] qvod ſi illud pacem* [illegible] Deum [illegible] contra ipſos Exercitum ab Oriente ad Septentrionem, & à Septentrione ad Meridiem & Occidentem, in ſuperiorem Germaniam; qvi non futurus eſt Exercitus Regis, ſed Exercitus Dei ſolius. 9. Secundò, *ut Rex diligenter ſibi ab hoſtibus caveat, [illegible] occaſionum ve* [illegible] *ipſum tollendi, eòqve etiam modò plenam adipiſcendi victoriam.* 10. Tertiò, *ut Rex animo ſuo probè infigeret Jacobi Patriarchæ exemplum, qvi duos habuit hoſtes, Labanum & Eſaum.* Sed qvemadmodum Jacobum mirificè Deus liberavit, qvòd ipſi confideret, ita liberaturum qvoqve Regem, ſi pariter fiduciam ſuam collocaverit in Deo. 11. Qvibus exauditis Fridericus breviter reſpondit, *Accipio primum pro Mandato, ſecundum pro Monito, tertium pro Speculo.*

CAP. V.

[*Nova Novi Spiritus apparitio, illiusque à Kottero adjuratio, 2. Visionum Cap. III. recensitarum explicatio, 10. Novarumque quarundam de Friderico exhibitio, 22. Differentia Angeli & Diaboli, 27.*]

ANno 1621. 9. Januarii, qvùm iret Saganum, apparuit sibi Puerulus, qvasi 6 vel 7 annorum, non eâ tamen faciei formâ, neqve eodem vocis sono, qvem prior præ se tulerat, habitum gerens tricolorem, album, cæruleum, & igneum. 2. Hunc Spiritum adjuravit per Deum vivum, qvis esset? flexisqve genubus adoravit Jesum Christum Dei Filium, *qvandoqvidem ille Salvator esset, qvi contrivit caput Serpentis, venitqve in mundum, ut dissolveret opera Diaboli: ut per misericordiam & meritum suum hac gratia se dignaretur, si hæc visio spectrum aliqvod, aut fascinum Satanæ esset, liberari ab eo ut posset: si autem Dei esset opus, ut id sibi cognoscendum daret, conscientiamqve suam qvietam redderet.* 3. Hâc ad Christum fusâ prece, sensit repente in corde suo solatium gaudiumqve tantum, ut exprimere non posset verbis. 4. Puerulus autem ipsum his verbis compellavit: *Non ego Te abduco à Deo, sed deduco ad* DEUM, *sicut antea tibi significatum est.* 5. *Imprimis autem Christum tibi monstro, & ipsius meritum, in qvo unicè consistit salus: memento igitur Christi crucifixi.* 6. Qvod autem, qvi sim, certior fieri cupis, *Missum me à Deo scito, unum è septem Angelis adstantibus solio Dei.* Triplex color, qvem in habitu meo vides, qvid te doceat, attende. 7. *Album*, designat Angelicam nostram innocentiam: eò qvòd Angeli purissimi sint coram Deo, atqve immaculati Spiritus. 8. *Cæruleus* denotat, nos Angelos in cælis qvotidie stare coram throno Dei, servientes illi. 9. *Flammeus* & lucidus ostendit nos claram cælestem lucem inhabitare, esseqve Spiritus flammeos.

10. Cœpit deinde Spiritus præcedentes Visiones hunc in modum illi exponere. *Leo cum septem stellis*, inqvit, *est unus è Regibus præcipuis. Stellæ circa Leonem, Reges alios, Principes & Heroës, designant.* 11. Hic Leo, seu Rex, oppugnabit & perdet illum, qvi in loco cœli & terræ Domini se collocavit. 12. Idem Leo Colaphum infliget Urso: ideò qvòd Dominus iræ suæ calicem infudit Urso. 13. Luna, quam apprehensam pedibus tenebat Leo, donec plenitudinem assecuta esset suam, significationem habet duplam: sed hoc manebit mysterium donec impleatur, & seipsum explicet.

14. *Exercitus, qvem à Meridie venientem vidisti, Exercitum designat illum, qvi nunc rabiem exercet in fideles, ipsos devorare cupiens.* 15. Sed qvoniam suomet robore freti efferuntur adeò, *perdet eos Dominus* (hoc peculiari qvadam commotione & zelo expresserat) qvemadmodum periisse ante oculos tuos vidisti, ut qvo devenerint nescias. Deus enim per preces, fidem, spem, donat super hostes victoriam.

16. *Tertiæ Visionis, excelsæ illius & amœnæ Arboris, qvam post evulsam & corruptam vidisti, duplex est significatio.* 17. *Primùm*, qvòd DEUS præcipuum qvendam Monarcham de terra sublaturus est: idqve eâ causâ, qvòd Monarcha ille plus dilexit & reveritus est illum, qvi se loco Dei collocavit, qvàm Deum ipsum. 18. *Deinde* spirituali modo, qvòd qvemadmodum Arbor illa unà cum radicibus suis in terræ visceribus computruit, & in terræ superficie projecta totaliter disperiit: ita Deus hypocritas omnes, & nominetenus Christianos, non tantùm è terra, sed & à facie sua, disperdet & abolebit.

19. *Qvarto, Qvod in aëre Campanam*

proprio motu sonantem, universumque Orbem personantem, vidisti & audivisti, *sic interpretare: Futurum brevi, ut sonus Verbi Divini per totum Mundum se diffundat, & DEUS emittat Verbum suum cum Evangelico armato exercitu.* 20. Significavit ipsi etiam Spiritus, præsenti Anno 1621. opimos fore agrorum proventus. Qvamvis enim alicubi erucis, grandine, humiditate & siccitate, damnum accepturi sint, Deum tamen provisurum ut sufficiat. 21. Contrà autem, qvod optimum est, desideratum iri, nempe, Fidem, Charitatem, Spem erga Deum: qvin & erga homines raram fore fidelitatem, dilectionem, concordiam: opus igitur esse precibus, & erga Deum fiducia.

22. Posthæc videndam ipsi in Visione exhibuit *Friderici personam, quadruplici specie*: (1) dormientem, in terra prostratum. (2) Surgentem, tristi & mœrente vultu. (3) Provolutum genibus, orantemqve manibus levatis. (4) Stantem sub Corona & habitu Regio, maxima cum gloria.

23. Hæc ut qvantocyùs Regem scire faceret, mandavit: admirandam enim victoriam daturum illi esse Deum. 24. Revocabat qvoqve ipsi in mentem *articulos illos tres*, *Regi Vratislaviæ propositos*, eosqve *dilucidabat hoc modo*. 25. Sicut articulo primo declaratum est, Deum contra illos, qvi nullas Pacis conditiones à Rege oblatas admissuri sunt, excitaturum Exercitus ingentes, qvorum alter à Septentrione ad Meridiem & Occasum tendet. 26. Eam ob causam Regem Septentrionem versus se recipere debuisse, qvoniam inde primum accepturus esset auxilium: tempus qvoqve jam esse præfinitum felici reditui ejus. 27. Inter hæc dicendum tabellam illi cæruleam exhibuit, cui inscripti erant seqventes numeri: qvos ille partim recensuit, partim scripto repræsentavit.

1
16 21
3
16 30
6
21971
11

28. Numeros istos, ad præteritas Visiones se referens, ita explicuit. 29. Summam numerorum, anni 1621. & 1630. facturam 11. qvod horam undecimam jam præteriisse significet, & incipere duodecimam, ut in visione Horologii edoctus fuerat.

1 6 2 1
1 6 3 0
―――――
3 2 5 1

Et per additionem iterum,

3
2
5
1
―――
11

30. Medium autem inter 1621. & 1630. esse illud tempus, quô futura sit magna illa Spiritualis eclipsis: per quam magnus ex Gentilissimo Monarcha ad fidem convertendus, ut dictum supra.
31. Duos in medio numeros, à 1 usque ad 9. in longum computatos (qui in Historia Passionis Christi nominantur, & in explicatione Trianguli, & trini Horologii, expressè sunt positi) cum addito summæ numero 11, qui ex additione annorum (Tabellâ superiori repræsentatâ) prodeunt, facere 21. designareque 21 hebdomadas, ab occupatione Pragæ, quibus elapsis Pragæ etiam Friderico cessura sit.

1
3
6
9
1
1
―――
21

32. Qvod

32. Qvod autem *secundo articulo Rex à veneno sit præmonitus*, exinde judicare ipsum debere, qvantoperè Fridericum diligat Deus, ut etiam inimicorum technas ipsi detegat. 33. *Jacobi Patriarchæ Exemplum Regi propositum* esse ideo, qvod sors ejus similis futura sit, atqve olim Jacobi fuerat; ut enim Jacob vigesimo primo anno (à fuga & Patriæ desertione) magnis cum Copiis domum reversus fuit: Ita Fridericum post 21 hebdomadas [mysticas] ad pristinam gloriam rediturum. 34. Atqve ex hâc causâ qvadruplici specie ipsi ostensum esse: dormientem, mœrentem, orantem, tandemqve Regali gloriæ restitutum. 35. Ista ut qvamprimùm ad Regem referret, mandavit Spiritus. 36. Tandem Christophoro cælum elevatô digitô præmonstrans dixit: *ad Deum te remitto! rursumqve moneo, Memineris Christum Jesum mortuum esse, & resurrexisse.*

37. Subjunxit etiam: *Angelus & Diabolus* postremas literas habent similes, sed ministerium contrarium. Nos glorificantes Deum benè facimus hominibus: Diabolus contrà homines seducit, & in ruinam præcipitat. 38. His dictis jussit eum abire in pace, disparuitqve.

Cap. VI.

[*Nova Revelatio octuplex: I. de incredulis puniendis, 5. II. De septem Dei universalibus super Genus humanum judiciis, 6. III. De sexti judicii executore Monarcha Orientali, & modis mitigandi furorem ejus, 14. IV. De certitudine harum prædictionum, 21. repræsentatâ per fonticulum in arido scaturientem, 22. perque oculum trinum, 23. & per cælum Luna plenum, 24. Cum explicatione horum, 25. V. De variis contemptoribus harum Revelationum respondendi, 30. VI. De Missionis gestionibus infestis, 34. VII. de statu suo, Kotteri, 44. VIII. de Friderici restitutione, 47.*]

QVùm Martii 20. Saganum iret, amico qvodam comitatus, jamqve Laterariæ vicinus esset, apparuit ipsi prior ille Angelus, adductumqve in Campum separatim interrogavit, *an commissa super sibi ad Regem expedivisset?* 2. Ille: expedivi, qvàm optimè potui. Ad hæc Angelus: Scio id probè, alterum jam ad Regem perlatum, alterum in via est adhuc. 3. Conqverentem autem Christophorum raros esse, qvi sibi fidem habeant, ludibriis duntaxat se exponi, consolabatur Angelus: monens, ut nihil ad hæc respectaret, ageret potius qvæ mandantur sibi, etiamsi nemo, vel paucissimi, crederent. 4. Suggerens ipsi exempla Elisæi Prophetæ, & Ducis illius Samarini: qvi verbis Prophetæ (Samariam obsidione & annonæ caritate tàm citò liberatum iri) etiamsi Dominus cataractas in cælo faceret, credere noluit. 5. Sicut ergò huic infideli Duci respondit Propheta, *Videbis, nec tamen frueris*: Ita futurum illis, qvi non crediderunt istis, ut videant oculis suis, nihil tamen inde capiant emolumenti.

6. Posthæc significavit ipsi Angelus seqventia, renovavitqve deinceps, 2. & 3. die, certum in locum sevocato: *Deum à Creatione Mundi qvinqvies jam super genus humanum judicium exercuisse.* 7. *Primò* super Protoplastos, qvos post lapsum è Paradiso [tota cum progenie] exturbavit. *Secundò* super Terrarum orbem qvem diluvio perdidit. *Tertiò*, super urbes Sodomam & Gomorrham. *Quartò*, super Pharaonem, submersione illius. *Qvintò* super Populum Israëliticum, urbemqve Hierusalem. 8. Jam venire *Sexti* Judicii tempus, qvod administrabit Deus tribulando homines per universam terram, gladio, peste, fame. 9. Causas horrendorum illorum Judiciorum fuisse: *Primi*, inobedientiam & transgressionem Protoplastorum. *Secundi*, qvòd coërceri à Spiritu S. noluerint homines. *Tertii*, qvod interdictis divinis adversantes